PATROLOGIÆ
CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;
DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;
OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;
INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;
CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;
OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;
DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

Accurante J.-P. Migne,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA.—VENEUNT MILLE ET TRECENTIS FRANCIS SEXAGINTA ET DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ; OCTINGENTIS ET MILLE TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — MERE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR; HI AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR.

PATROLOGIÆ TOMUS CCXI.

STEPHANUS TORNACENSIS. ABSALO ABBAS SPRINCKIRSBACENSIS. ADAMUS ABBAS PERSENIÆ. PETRUS PICTAVIENSIS. GUIBERTUS GEMBLACENSIS ABBAS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1855

SÆCULUM XIII

STEPHANI

ABBATIS S. GENOVEFÆ PARISIENSIS

TUM

EPISCOPI TORNACENSIS

EPISTOLÆ

QUÆ AUCTIORES, EMENDATIORES ET NOTIS ILLUSTRATÆ DENUO PRODEUNT

ACCEDUNT

ABSALONIS ABBATIS SPRINCKIRSBACENSIS, ADAMI ABBATIS PERSENIÆ, PETRI PICTAVIENSIS, PARISIENSIS ACADEMIÆ CANCELLARII, GUIBERTI GEMBLACENSIS ABBATIS

SCRIPTA QUÆ SUPERSUNT

ACCURANTE J.-P. MIGNE

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

TOMUS UNICUS

VENIT 8 FRANCIS GALLICIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM
SEU PETIT MONTROUGE

1855

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CCXI CONTINENTUR.

Ex typis L. MIGNE, au Petit-Montrouge.

ABSALON

ABBAS SPRINCKIRSBACENSIS

NOTITIA

(Oudin, *Commentarii de Scriptoribus eccles.*, t. II, p. 1173)

Absalon Sprinckirsbacensis abbas, ordinis Canonicorum Regularium divi Augustini, in archiepiscopatu Trevirensi, canonicus primum regularis in abbatia S. Victoris Parisiensis, unde evocatus ad præfatæ abbatiæ regimen, anno circiter 1210 floruit, ex Cæsario Heisterbacensi, qui in opere *De miraculis suorum temporum*, illum velut sibi synchronum aut ætate proximum allegat. Scripsit *Sermones* doctos et elegantes, quos Daniel Schillingus, ejusdem Ecclesiæ Sprinckirsbacensis abbas, procuravit in-folio imprimi Coloniæ a. 1534, sub hoc titulo, *Sermones festivales quinquaginta Absalonis abbatis Sprinckirbacensis*, quorum aliquos iterum recudi curavit Petrus de Alva et Astorga in suo *Mariali*, ubi de hac impressione agit (1). Alius autem fuit eodem tempore *Absalon abbas S. Victoris Parisiensis* (2), qui obiit a. 1203, die 17 Septembris, sub cujus nomine ex Catalogo veteri Bibliothecæ S. Victoris, a. 1513 confecto, exstant *Sermones XXXIV De Diversis argumentis* in bibliotheca S. Victoris, littera JJ. 10, quorum primus *in Ascensione Domini* ab his verbis incipit : *Ponis nubem ascensum tuum, Domine, qui ambulas super pennas ventorum. Verba quæ audistis fratres dilectissimi, multam nobis præbent materiam gaudiorum*, etc. Sed plurimum ambigo, imo jam scio istos sermones esse ex illis quinquaginta qui impressi exstant sub nomine *Absalonis Abbatis Sprinckirsbacensis*, quippe qui fuerit abbatiæ hujus S. Victoris Parisiensis canonicus. 2. Hic codex antiquus anonymus est, cui *Absalonis* nomen anno tantum 1513 appositum est, dum conscriptus est bibliothecæ S. Victoris primus catalogus. 3. Denique iidem sermones habentur omnes verbotenus, inter sermones *Joannis abbatis S. Victoris*, qui Absaloni in prælatura successit, mss. in bibliotheca S. Victoris, littera JJ. 13. fol. 29 ad folium 261, ubi titulus sub nomine *Joannis* antiquus est, et ejusdem temporis cum scriptura ms. codicis. Nullatenus autem *hi XXXIV sermones* videntur spectare ad *Absalonem S.*

(1) Recusi postea anno 1605, Mediolani, in-4°, cum hoc titulo : *Sermones in præcipuas Christiani cultus solemnitates, auctore D. Absalone, abbate Springkirbacensi, canonico regulari, jam inde ab annis ferme quingentis editi, recens autem castigati scholiisque et indicibus aucti in gratiam R. P. DD. Celsi Dugnani, Canonicorum Regularium Salvatoris Lateranensium abbatis generalis, opera D. Basilii Serenii, ejusdem congregationis canonici, Mediolanensis presbyteri, verbi Dei prædicatoris.*

(2) Duplicem Absalonem, Victorinum scilicet et Sprinckirsbacensem, ex nomine pari, ex temporis quo floruisse narrantur convenientia, ex utriusque apud Victorinos professione, ex scriptis tandem quæ eadem utrique vindicantur, unum et eumdem habendum censet D. Brial in *Hist. litt. de la France* (t. XVI, p. 452). Testimonio nititur Cæsarii Heisterbacensis, auctoris coævi, cujus en verba :

« Magister Absalon, vir honestus et litteratus, in ecclesia Sancti Victoris Parisiensis canonicus, ante hos annos in Sprenkirisbach abbas est electus. Est enim idem monasterium in episcopatu Trevirensi. Antequam idem Absalon in locum electionis suæ veniret, unus ex fratribus in visu noctis vidit quod candela ardens præfatum monasterium intraret, quæ suo lumine omnium fratrum candelas exstinctas, quas manu tenebant, reaccenderet. Interpretatio visus talis erat quod is adveniret qui disciplinam dissolutam repararet. Factus vero abbas, honestas consuetudines, quas in suo monasterio didicerat, induxit : inter cætera præcipiens ut tam suæ congregationis fratres, quam subjectæ sorores, necnon et præpositi earum, ab escis carnium omnes abstinerent. »

Post reformatum ergo monasterium Sprinkirsbacense, Absalo, Parisios revocatus, anno 1198 abbatis S. Victoris infulas, Bernardo abbate, die 28 Maii ejusdem anni defuncto, suscepit, in quo S. Victoris cœnobio post quinquennium, id est anno 1203, Sept. 17, mortuus est. Si ergo abbas Sprinkirsbacensis egit (quod conceditur), certe ante annum 1198 agebat, nam in codice ms. bibliothecæ S. Victoris legitur ejus epitaphium his verbis :

Absalon HIC... *finem suscepit amœnum,*
Ad solium raptus æterna luce serenum :
Illustris senior, cui mundi gloria vilis,
Septimus a primo pastor fuit hujus ovilis.

Hæc vir doctissimus, sed paululum ex conjectura. Edit.

Victoris Parisiensis abbatem, vel ad *Joannem Victorinum quoque abbatem*, licet suffragetur ms. codex de quo statim agemus ; sed certo ad *Absalonem Sprinkirisbachensem abbatem*. Vidi enim in bibliotheca Victorina et tertium ms. codicem, ubi isti sermones ita inscribuntur : *Sermones venerabilis Absalonis canonici regularis apud S. Victorem ad muros Parisienses et postmodum abbatis in Germania*. Et hæc ad cautelam adversus inscriptiones mss. Victorinorum variantes. De illo Aubertus Miræus in Auctuario *De scriptoribus ecclesiasticis*, cap. 337, p. 242, ubi male eum ad an. 1120 affligit, quo nondum natus erat ; Antonius Possevinus parce admodum tom. I *Apparatus sacri*, p. 3. Joannes a Tolosa in *Mss. Antiquitatibus abbatiæ S. Victoris*, lib. v, c. 20 fallitur, dum sermones Absalonis Sprinkirbatensis abbatis attribuit Absaloni abbati S. Victoris Parisiensis, qui eodem tempore vivebat ; Carolus Dufrenius Du Cange in *Indice Scriptorum* quem præmisit *Glossario mediæ et infimæ latinitatis*, col. 79, ubi eumdem de Absalonis tempore cum Auberto Miræo errorem admittit.

D. ABSALONIS

ABBATIS SPRINCKIRSBACENSIS

SERMONES FESTIVALES

ET CUM PRIMIS UTILES ET ERUDITI

Jam recens cura D. Danielis Schillinckii, ejusdem cœnobii abbatis, editi.

(Coloniæ, apud Joannem Gymnicum, anno 1534, mense Julio, cum privilegio Cæsareo ad quadriennium, in-fol. parvo. — Edimus juxta exemplar in bibliotheca publica Duacensi asservatum (*fonds de l'abbaye d'Anchin*) quod nobiscum perhumaniter communicavit D. Dutbilloeul, ejusdem bibliothecæ custos.)

—

REVERENDO IN CHRISTO PATRI DOMINO

DANIELI SCHILLINCKIO

INCLYTI SPRINCKIRSBACENSIS COENOBII ABBATI MERITISSIMO

JOANNES GYMNICUS TYPOGRAPHUS

S. D.

Si prisca gentilitas adeo grata benignaque extitit, Reverende Pater, ut iis qui vel gemmarum vel frugum, vel herbarum quarumdam usum potentiamque primitus mortalibus indicassent, partim divinos honores exhiberet, partim memoriam eorum posteritati consecrando nunquam delendam gloriam conciliaret : quid de te fieri a Christianis par esset quod hunc tam incomparabilem scriptorem paucissimis notum ex bibliothecæ vestræ tenebris situ squaloreque obsitum orbi per typographiam communicaris? Ego sane tanto majore beneficio te sacræ theologiæ vere studiosos devinxisse existimarim, quanto animi bona corporis commoda præcellunt, quantoque caduca et paulo post quantumvis præclara ad interitum tamen vergentia, immortalibus nunquam edacis vetustatis injuriæ opportunis cedunt. Non satis autem habuisti pro magno singularique de proximo bene merendi studio, hunc authorem ex densissima caligine simpliciter mihi excudendum tradidisse, verum etiam, ne forte ab eo imprimendo cum authoris obscuritate, tum et exemplaris difficultate quæ ex characterum exilitate scripturæque ratione, ut quæ infinitis breviaturis intricatisque litteris ceu Gordius quidam nodus constabat, colligebatur, absterreri posse viderer, pecuniam mihi, quo promptius in ipso cum castigando, tum imprimendo operam sumerem, præsto futurum prætulisti. Quo ego vocis tuæ classico excitatus, licet minime a provincia hac suscipienda abhorrerem, ut qui una alteraque libri pagina, accuratius perlecta, tanquam leonem (ut aiunt) ex unguibus agnoscens, me operæ pretium hic facturum indicabat, tamen ita animo confirmatus sum, ut nullius neque sumptus neque sudoris exantlandi laboris ratione deterritus, hoc officium suscipere decreverim, quo et tibi gratificarer, et veterum authorum studiosis. Duabus autem potissimum de causis id faciendum cogitavi. Una quod testatum orbi foret esse etiamnum hac nostra tempestate abbates quibus idipsum quod M. Antoninus imp., cui Philosophi cognomentum fuit, de sese in litteras retulit, usu venire egregia cum laude conspicimus. In hunc vero is de se modum scripsit : Ἄλλοι μὲν ἵππων, ἄλλοι δὲ ὀρνέων, ἄλλοι θηρίων, ἐρῶσι. Ἐμοὶ δὲ βιβλίων κτήσεως ἐκ παιδαρίου λεινὸς ἐντέτηκε πόθος. Quantus autem librorum, et præsertim sacrorum, helluo existas, si hic deprædicare magna verborum pompa perrexero valde metuo ne in adulationis speciem incurram. Illud duntaxat præterire silentio minime possum, si plerique omnes abbates tuum istud exemplum sequi susciperent, ac pro bellis cavallis, pro venatione, pro aucupiis, pro alea, pro comessationibus atque id genus, studiis ad orthodoxos Ecclesiæ scriptores nocturna diurnaque manu versandos animum adjicerent, brevi futurum ut si non omni, saltem bona invidiæ, qua non apud solum vulgus laborant, parte se exonerarent :

Ἀλλὰ ταῦτα θεῶν ἐν γούνασι κεῖται.

Altera qua ad hunc scriptorem excudendum adductus sum caussa fuit quod non tantum officii nostri est

melioris notæ authores sedulo ab interitus injuria vindicare..., (3) quisquis librum nostrum succincte etiam evolverit, dubium mihi non est quin Absalonem in eorum album nobiscum sit inscripturus: adeo et eruditam pietatem et juxta piam eruditionem præ se fert. Præterquam enim quod divina mysteria pie dilucideque explicat, allegorias et similia felicissime tractat, Scripturarum testimonia sæpe apteque citat, ut vita nostra professioni respondeat egregie adhortatur, sceleratos atque Dei beneficiis abutentes graviter magnaque severitate perstringit; præter hæc, inquam, ejusmodi elocutionis genere usus est quod doctissimo huic seculo etiam satisfacturum videri queat. Nisi si qui futuri sunt adeo et morosi et lauti, ut ob unam alteramve voculam quam in Ciceroniana officina expolitam non arbitrentur, totum solidum librum non dubitent elevare. Quos hoc Martialis disticho facile, ut spero, retundemus:

Triginta toto mala sunt epigrammata libre
Si totidem bona sunt, Lause, liber bonus est.

Quinetiam iidem in omni re improbam ac reprehendendam esse præteritis melioribus malorum selectionem, vel ipso Cicerone testante, velim cogitent. Jam si vetustas etiam veluti vina scriptores commendat, commendationis gratiam Absaloni non defuturam esse confido: nempe qui ante quadringentos annos floruerit, quo tempore γνησίαν theologiam nondum a Romani sermonis puritate, ad barbariei castra, ac sophisticas argutationes penitus defecisse, ipse nostri authoris stilus locupletissimus est testis. Quæ cum ita se haberent, Reverende pater, in hoc tuo Absalone cum castigandi, tum imprimendi, labores subire haudquaquam detrectavi. Et quanquam eum sua tum pietate tum eruditione satis laudatum Momorum petulantia defensum iri confidam: tamen quia summis authoribus tam sacris quam profanis in publicum absque tutelari quopiam patrono non satis secure egredi compertum sit, Absalonem etiam simili præsidio muniendum putavi. Nec longe cui id negocii daretur petendus fuit, quum tuam paternitatem qua es erga hunc scriptorem benevolentia haud gravatim id esse facturum, et qua es autoritate haud difficulter esse præstiturum non ignorem. Quare tibi, observande pater, simul nostros qualescunque labores consecratos habe, simul ipsum Absalonem a calumniis ac sycophantiis tui nominis autoritate vindicandum suscipe. Sed hoc ne te lateat, esse etiamnum in sermonibus hisce paucos locos qui vitio carere non videantur, quique melioris exemplaris subsidio ad restituendum in integrum opus habeant. Nobis temere aliquid mutare fuit religio. Vale, et ut Absalon tuus amicitiæ inter nos sit felix auspicium permitte. Coloniæ Agrippinæ ex officina nostra Id. Julii. Anno MDXXXIV.

(3) Hic charta in exemplari mutila est.

ABSALONIS ABBATIS
SERMONES.

SERMO PRIMUS.
DE ADVENTU DOMINI.

Hodie, fratres dilectissimi, sermo politus et plenus devotionis suave murmuraret in cordibus vestris, qui adventum Salvatoris digna laude attolleret, sed ab hac expectatione persona loquentis vos retrahit, quam neque sensus copia, nec ulla commendat imago sanctitatis. Veruntamen quia solennitas temporis communem nobis præbet materiam gaudiorum, licet incircuncisus verbo et sensu, eo tamen quo possum præconio occurram domino venienti, et gaudiis vestris vel importunum me inseram, quibus specialiter præsentia data est salvatoris. Et quis filios sponsi ab affectu lætitiæ cohibeat, quam diu cum ipsis est sponsus? (*Matth.* IX.) Ecce Christus vos invitat ad gaudium, Salomon in diademate quo coronavit eum mater sua, decoratus incedit, Joseph indutus est talarem tunicam, et David in cithara diem festum agit vobis. Psallit, inquam, David noster, Christus videlicet homo factus, in cithara humanitatis assumptæ, de qua scriptum est: Exurge gloria mea, exurge psalterium et cithara (*Psal.* LVI): per quam triplicem sonum infundit cordibus nostris, videlicet humilem, suavem, et jocundum. Et videntur ad sonum humilem pertinere, vagitus illi infantiæ, amplexus materni, attrectationes uberum, crepundia novi partus, et cætera hujuscemodi quæ majestas Verbi dignata est in se suscipere. Adhuc tamen sonum magis humilem cithara ista reddidit, et usque adeo humilem, quod nec etiam discipuli eum capere potuerunt, quando judaica eam tangens perfidia, manus et pedes clavis, lancea latus ejus aperuit, quæ ad ultimum cruci appensa, sonum illum flebilem reddidit: In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum (*Psal.* XXX; *Luc.* XXIII). De hoc sono per prophetam ex persona salvatoris dicitur: Laboravi clamans raucæ factæ sunt fauces meæ, defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum (*Psal.* LXVIII). Raucæ, inquit, factæ sunt fauces meæ, hoc est, inutiles reputatæ sunt voces meæ, usque adeo quod etiam oculi mei, hoc est, discipuli mei, defecerunt dum spero in Deum meum. Suavis autem sonus fuit novitas miraculorum, operatio sanitatum, quando sanavit infirmos, et liberavit omnes oppressos a diabolo: sed adhuc suavior fuit vox illa ejus prædicationis, per quam legem vitæ scripsit in cordibus filiorum hominum, docendo eos vivere: eos inquam, qui immanitate scelerum involuti non sciebant vivere, sed potius vitam confundere. Jocundus

vero sonus in resurrectione est inchoatus, sed in futuro consummabitur, quando filii adoptionis audient vocem Filii Dei dicentis: Venite, benedicti Patris mei (*Matth.* xxv). Hujus citharæ sonum voluerunt audire omnes justi, qui expectabant redemptionem Israel. Unde Daniel propheta computat annos et menses usque in id temporis quo consummetur prævaricatio, et deleatur iniquitas, et veniat justitia sempiterna, et ungatur sanctus sanctorum (*Dan.* ix); Balaam quoque seipsum consolatur, in spe Christi nascituri dicens: Videbo sed non modo, intuebor sed non prope, orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel (*Num.* xxiv). Et Esaias præ nimio seipsum non capiens desiderio loquens ad filium dicit: Utinam dirumperes cœlos et venires (*Isa.* lxiv). David quoque longa fractus expectatione vocem clamoris extollens in cœlum, Emitte, inquit, manum tuam de alto (*Psal.* cxliii), hoc est, filium tuum de paternitatis tuæ gremio. Et ecce desideria prophetarum completa sunt, nobis data est summa gaudiorum, ad quos Christus venit: imo (ut verius dixerim) venit propter nos, propter nos, inquam, ut nostra sanaret vulnera, et peccatum tolleret ipse pretium redemptionis et hostia factus pro peccato. Sed attende, homo qualem te invenit, quam duræ addictum servituti, quam ingratum collatis beneficiis, et vix mirari sufficies, quod tam vilis res, et tam abjecta, talem ac tantum meruit redemptorem. Quis enim tuam considerans perfidiam vel dignum venia te judicaret, qui abjectus Domino tuo, alienæ servituti te subdidisti, et in spontaneam te dejiciens miseriam, collata tibi beneficia abjecisti? Volens enim redemptor tuus te feliciter vivere, tria bona tibi proposuerat:

Primum, innocentiam conditionis. Secundum, locum voluptatis. Tertium, beatitudinem æternitatis. Duo prima contulerat in re, ne aliquo egens a Deo tuo recederes. Tertium vero contulerat in spe, ut per magnitudinem rei promissæ firmius ei adhæreres. Sed ecce: Adam ubi es? Domine, inquit, audivi vocem tuam et abscondi me, eo quod nudus essem (*Gen.* ii). Vere nudus, id est, ab illa innocentiæ veste spoliatus in tantam iniquitatis fecem te immersisti, ut vix meminisse possis quam benigna circa te extitit liberalitas tui creatoris. Locus quoque voluptatis in exilium commutatus est: quod testantur quotidianæ calamitates, videlicet angustiæ mentis, corporis infirmitates, pericula foris, pestilentiæ irruentes desuper, defectus immortalitatis, et ad ultimum expectatio mortis. Post hæc omnia, ipsa beatitudo promissa in supplicium erat commutanda, nisi quia misericordia et veritas obviaverunt sibi, et tempore propitiationis imminente justitia et pax osculatæ sunt (*Psal.* lxxxiv). In nativitate enim Christi veritate apparente secundum promissum Dei, subsecuta est misericordia deliberationis peccatoris; sicque justitia et pax osculatæ sunt, quando homo per gratiam Dei justificatus,

A sublato pariete inimicitiarum, qui erat inter ipsum et Deum, Deo est reconciliatus (*Ephes.* ii). Veniens ergo redemptor noster infirmitates nostras sanare, tria secum medicinalia detulit, scilicet unguentum, cauterium, et antidotum. Fuit enim quasi unguentum superpositum vulneri verbum unicum nostræ mortalitati.

Attende hujus unguenti artificem, attende apothecam, attende materiam. Artifex enim ejus fuit Spiritus sanctus: apotheca, beata Dei Genitrix: materia vero, flos assumptæ naturæ et adeps divinitatis. Nonne videtur tibi artifex iste in apothecam hanc descendisse, quando dictum est Mariæ ab angelo: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi (*Luc.* i). Ibi artifex iste B hoc unguentum confecit, quando Filius Dei totum suscepit quod erat hominis, et assumptæ naturæ plenitudo divinitatis corporaliter se infudit. Miror ego si non et tu miraris in isto unguento tria hæc, odorem, dulcorem, et liquorem. Odore enim hujus unguenti homines naturalis legis recreati sunt, quia a Christo nascituro adhuc longe positi, sola fidei devotione, quasi odore quodam de longe veniente, ipsum expectabant. Dulcore vero hujus unguenti homines scriptæ legis delectati sunt, qui quasi in limine nascentis Christi positi, suavitatem promissionis in lege et prophetis acceperant, et in sacrificiis Christum figurantibus spiritalem dulcedinem rei significatæ intelligebant. Liquore vero hujus unC guenti sanati sunt homines gratiæ, quibus non solum Christus corporaliter est exhibitus, sed etiam sacramentis quæ de latere ejus effluxerunt, salubriter perfusi sunt, utpote baptismate ad sanctificationem, cæteris ad confirmationem. Hoc est illud unguentum quod in alabastro repositum mulier peccatrix effudit super caput Jesu recumbentis, et domus impleta est odore unguenti (*Matth.* xxvi). Siquidem unguentum in alabastro repositum, Verbum carni unitum fuit. Sed fracto alabastro, id est, Christi humanitate per passionem consummata, mulier peccatrix unguentum super caput Jesu effudit, quando Ecclesia prius peccatorum sordibus fœdata, sed in sanguine Christi mundata, fidem Verbi incarnati D Deo Patri obtulit. Caput enim Christi Deus est, sicut dicit Apostolus (*I Cor.* ii). Domus vero Ecclesiæ repleta est ex odore unguenti, quando Christus Deus dona gratiarum filiis Ecclesiæ divisit. Unguentum super omnia necessarium, sine quo nec vulnera nostra curari, nec primæ prævaricationis delictum expiari poterat. Neque enim qualitas morbi qui per primum hominem super nos venerat (*Gen.* ii), aliam viam medicinæ videtur potuisse admittere, quam per Incarnationem Verbi: Quia si debitæ satisfactionis ad culpam fiat collatio, congruum fuisse æstimabitur ab aliquo, ut sicut homo usque ad Deum superbiendo est elatus (voluit enim esse sicut Deus) ita in condigna satisfactione criminis Deus usque ad hominem fieret humiliatus. Qui ergo forte

aliter redimere non potuit, potuit tamen liberare aliter, ut solo jussu, vel eo quo voluisset modo captivitatem tolleret, et repelleret invasorem (fuit enim alius modus Deo possibilis, sicut scriptum est (*Matth.* XIX), sed hæc possibilitas ad potentiam liberatoris magis respicit, quam ad æquitatem redemptionis: ut in redemptione intelligas et justam satisfactionem delicti, et pretium captivitatis. Redimere enim est rei alienatæ sub æstimatione æquipollentiæ pretium dare. Sunt adhuc alia duo medicinalia a redemptore nostro nobis exhibita, videlicet cauterium, et antidotum. Cauterium quo nociva resecantur, amaritudo est tribulationum. Antidotum vero quod contra venena datur, est illud singulare vitiorum remedium, scilicet virtus humilitatis. Ista duo in formam vitæ nobis proposuit, quia non satis erat libertatem reddere, nisi per vitæ sanctitatem custodiretur : sed nec aliunde ad patriam pater reditus, nisi in conversatione humili et patientia tribulationum.

Sed videmus multos Verbum incarnatum fide amplectentes, qui formam vitæ ejus imitari nolunt, quibus si ostendas loca clavorum, si mittant manus in latus ejus, dicunt cum Thoma : Dominus meus et Deus meus (*Joan.* XX) : si autem ad passiones eos invitaveris et humilitatem, dicunt Domino Deo : recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus (*Sap.* III). Comprobant hoc plurimi studentes divitiis et honoribus, sive scientiæ potius quam conscientiæ, non ut abjecti et humiles, sed potius ne tales reputentur : ut honorati videantur esse in seculo, et faciant sibi nomen juxta nomen magnorum qui sunt in terra. Hujus rei argumenta sunt labores innumeri, transmetatio terrarum, obsequia principum, studia in longum protelata, et cætera hujusmodi in quibus homines consumunt dies suos. Sed esto, pro voto tibi omnia respondeant, sis affluens divitiis, præclarus scientia, præditus honoribus, in his omnibus quæso quid finaliter vis apprehendere, an salutem? an sublimitatem? Sed salus melius quæritur paupertate quam divitiis, subjectione quam eminentia : et verum est illud Augustini verbum, quia frequenter indocti cœlum rapiunt, et verba legis ponderantes cum litteris suis ad inferos descendunt. Forte sublimis et magnus vis apparere, sed in omni labore tuo quo laboras sub sole, hoc assequi non poteris, quia semper meliores et sublimiores supra te aspicies, quorum comparatione quasi nanus inter gigantes reputaberis, et videberis in vanum deduxisse dies tuos, cum tamen nulla jactura gravior sit quam temporis. Ut quid o anima misera captas inanes auras, fumum vaporantem, quem si apprehenderis, vestem habebis infectam, palatum amarum, oculum cæcutientem. Quo enim magis sanctæ conversationis vestis inficitur, quam labore inutili, cum homo totum studium divitiis et honoribus impendit, virtuti autem nihil? Vel quo magis palatum rationis amarescit, quam voluptatibus vitæ, cum nihil sapit rationi nisi quod condivit amor seculi? Oculus etiam charitatis cæcutiens efficitur, quando affectus dilectionis, qui Deum contemplari debuerat, crassa quadam nube obducitur avaritiæ et cupiditatis. Tale genus hominum illis Helisei irrisoribus recte comparatur, qui dum ascenderet in domum Domini, calvitium ejus irridebant, unde et ursis ad devorandum traditi sunt (*IV Reg.* II). Calvitium quippe Helisei, est amaritudo tribulationum, paupertas et humilitas Salvatoris, quæ pueri, hoc est, stulti amatores hujus mundi, irrident, vel quando hoc realiter faciunt, vel quando ea imitari nolunt. Unde et ursis, id est, demonibus ad devorandum traduntur, ut in pœnis agnoscant potentem, quem in terris despexerunt humilem. Vere irrisores sunt, non imitatores. Irriderent enim, ni fallor, retia Petri, scenofactoriam Pauli, zonam pelliceam Joannis Baptistæ, panem subcinericium Heliæ, nuditatem Martini, sed et insaniam reputarent ipsum asellum Salvatoris. O si familiare nobis deesset exemplum, et nos qui facti sumus rebus pauperes etiam spiritu pauperes essemus et quod suscepit professio executio operis testaretur. Sed frequenter vasa figuli, quibus majorem adhibet diligentiam, in contumeliam prodeunt, et ea quibus minus curæ impenditur, fiunt in honorem et in meliores usus. Sic virgulta in desertis locis sita si ad radices habeat humorem, si ramusculi ejus libertatem aeris et caloris assequantur, quandoque arborem speciosam, ramos, baculos, folia condensa, flores vernantes, et fructum utilem ex se producit. E contrario vero novella plantatio in locis amœnis et virentibus posita, si perfundas eam amaritudine, si pungas eam spinis, dum debes apponere cophinum stercoris, si ramusculos erumpentes recurvos in terram teneas, si palis undique coarctes eos, ne in libertatem aeris exurgant, æstimo ego quod planta ista cum in robur evaserit, truncum incompositum, ramos retortos, folia rara, flores imperfectos, fructum fatuum producet, et minus suavem ad vescendum. Nonne legisti, quia non gentem propter locum, sed locum propter gentem elegit Dominus? (*II Mach.* V.) Certe mulier in paradiso facta est, vir extra paradisum, tamen citius et amplius peccavit mulier quam vir. Pharisæus quoque superbus plus peccavit in templo, quam Matthæus publicanus in teloneo; et Judas plus in cœna Domini, quam puella saltatrix in convivio Herodis. Quare hoc? Rebus enim necessariis occasiones periculi solent adjacere, et ex his quæ in se bona sunt causis emergentibus contrarii prodeunt eventus. Sic tranquillo mari et ventis flantibus prosperis nautæ malum et antennas erigunt, appendunt vela, cæteraque instaurant per quæ facilius portum consequantur. Sed ventis irruentibus contrariis ipsa vela et cætera navis ornamenta quæ ad portum ducere debuerant, fiunt causa naufragii, nisi provida hoc caveat diligentia gubernantis. Eodem modo et qui navem ingrediuntur monasterii suos secum gubernationis apparatus assumunt,

scilicet vilem habitum, victum tenuem, contemptum seculi, formam paupertatis, et cætera disciplinæ instituta assumunt, per quæ facilius attingant portum salutis. Sed memoria pristinæ conversationis redeunte quandoque incipiunt esse amatores seculi, appetere voluptates, honores ambire, contemnere paupertatem : et dum pauperes et despecti cum Christo videri metuunt, viam humilitatis cum Christo, qui est dux viæ, pariter abjiciunt. Sic olim Porphyrius infestissimus ille Christianorum persecutor, auditis Christi virtutibus quæsivit ab illo familiari suo dæmone, si Christus bonus et si dignus esset imitatione? Cui ille : Christus quidem bonus est, sed omnes qui sequuntur eum miseri sunt. Sed miserias impius ille nolens sustinere, ex illa hora cœpit detestari et jurare quod non novisset hominem. Vera est procul dubio falsarii illius sententia, quia teste Apostolo, omnes qui volunt pie vivere in Christo, persecutiones patiuntur (*II Tim.* III). Quid ergo Porphyrianus vis esse, et affluens omnibus bonis, an Christianus et miseriis subjacebis? Melius enim est ad tempus cum Christo miserias et pressuras sustinere : quia tristitia ista vertetur in gaudium, et tale gaudium quod nemo tollet a te (*Joan.* XVI). Ita dico si prompta mente particeps fueris tribulationum. Et quis esuriens habuit piscem appositum, et comedit scorpionem? quis portum tenens affectavit naufragium? Affectatum plane naufragium dixerim, si is qui sanctæ conversationis habitu imaginem Christi induit, et quasi uno pede intravit in gaudium Domini sui, respiciens retro, voluptatibus vitæ et curis secularibus velit implicari. In religiosis autem hæc ideo affectata videntur, quia facile hæc cavere possunt : quippe status et habitus et professio his contradicit : et sufficiens rerum temporalium administratio omnem necessitatem talia affectandi excludit. Propterea respice ad cætera malorum genera, videlicet ad ea quæ fiunt per impotentiam et e contrario ad illa quæ fiunt per deliberationem, et videbis quod affectata mala, id est, quæ ex deliberatione fiunt, summam malorum attigerunt. Quæ enim per subreptionem fiunt mala ex hoc leviora sunt, quod subito urgente motu animi præveniunt judicium rationis : ut si motu iracundiæ fratri meo dicam racha sive fatue. Unde ipse incentor mali diabolus propter velocitatem hujus suggestionis avi comparatur in tali tentatione, ut ibi : Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus cœli (*Psal.* LXXXVIII). Ea quoque quæ per indiscretionem fiunt, ex hoc quodammodo excusantur, quod fallunt judicium rationis ; videntur enim esse bona sed non sunt : ut si forte aliquis velit jejunare aliis comedentibus, vel psallere aliis dormientibus et hujusmodi. Unde et propter fraudem suggestionis in talibus vulpi comparatur, ut ibi : Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineam meam (*Cant.* II). Similiter et in his quæ per impotentiam fiunt, aliqua est atte-

A nuatio culpæ : quia adeo violenta est tentatio, quod non suppetunt vires resistendi : ut forte in edulio lentis, Esau (*Gen.* XXV), et in tentatione mulieris illius fatuæ, quæ apprehenso pallio Joseph dixit : Dormi mecum (*Gen.* XXXIX). Quanto enim major est violentia tentationis, tanto minor est voluntas peccati : et e contrario, quanto minor est tentationis violentia, tanto major est voluntas peccati. Propter violentiam autem tentationis ipse suggestor mali apro comparatur, ut ibi : Exterminavit eam aper de silva, et singularis ferus depastus est eam (*Psal.* LXXIX). Ergo qui suscepta paupertate et humilitate imaginem Christi induit, quid dicturus est si metallo regis imprimit imaginem Herodis? Hoc B judicium non est servi, sed imperatoris. Unicum ergo superest consilium, reformare in nobis imaginem Christi, restaurare regis pecuniam ut veniens ponere rationem cum servis suis, cum usuris exigat illam. Præveniant judicem terribilem planctus pœnitentiæ, misericordiæ opera, munditia vitæ, quæ hebetent aciem gladii illius versatilis, quamdiu suspenditur manus ferientis. Quis enim non timeat ictum illum insanabilem, ubi materia fragilis, gladius penetrabilis, percussor fortis? Obtineant ergo preces et lacrymæ, ut gladius æternæ damnationis convertatur in virgam correctionis, quæ sic in præsenti corripiat fratres, ut in futuro faciat hæredes illius hæreditatis, quam immarcessibilem et incontaminatam sanctis suis conservavit in cœlis C Jesus Christus Dominus noster, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SERMO II.

DE ADVENTU DOMINI.

Sol stetit in medio cœli, et non festinavit occumbere spatio diei unius (*Josue* X). Et si antiqua prodigia ad memoriam revocemus, videlicet magnalia quæ fecit Deus in Ægypto, mirabilia quæ operatus est in terra Cham, terribilia quæ ostendit in mari Rubro (*Psal.* CV), majora tamen præsentis temporis videmus mirabilia. Ecce enim juxta Hieremiæ vaticinium, Novum fecit dominus super terram (*Jer.* III). Quod novum? res mira, res inaudita, factum est in Virgine solstitium. Nec loquor modo D solstitium naturale, cum sol iste visibilis gradu reciproco a nobis avertitur, vel ad nos convertitur ; non illud solstitium miraculi, quod ad Gabaon factum est, ubi filiis Israel pugnantibus sole defixo in medio cœli, dies duplicata est ut consequerentur victoriam de hostibus. Sed illud loquor solstitium ineffabile, quando Dei Filius, sol justitiæ interminus et incomprehensibilis quodammodo se comprehensibilem fecit, et divinitatis suæ majestate quasi in unum globum collecta, in uterum virginis corporaliter se infudit. Et est primum solstitium naturale. Secundum, miraculi. Quod vero factum est in virgine, solstitium est salutis. Congrua autem fortassis similitudine incarnationem Verbi solstitium appellaverim : qua sicut sol iste visibilis

dicitur solstitium facere, quando nobis e vicino positus ad nos amplius accedere non potest, sic Dei Filius sol justitiæ, solstitium fecit, quando nostram naturam assumendo usque adeo sibi conjunxit, quod facta unione Dei et hominis ad ipsam amplius appropinquare non potuit. Quomodo enim amplius appropinquaret, qui et Deum hominem, et hominem Deum fecit? Ista ergo unio Dei et hominis nobis significata est illo verbo Josuæ quod proposui : Sol stetit in medio cœli, etc. Cum cœli nomen in sacra pagina multis modis accipiatur, hoc in loco accipitur pro præsenti Ecclesia, hac similitudine : quia sicut cœlum æthereum fulget et ornatur varia distinctione planetarum et siderum, ita præsens Ecclesia ornatur et fulget diversis virtutibus et meritis sanctorum. Unde in Apocalypsi nomine cœli præsens Ecclesia, nomine stellarum viri sancti designantur, cum dicitur de serpente illo antiquo, videlicet diabolo : quia cauda sua trahebat tertiam partem stellarum cœli in terram (*Apoc.* XII). Et alibi : Factum est silentium in cœlo hora quasi dimidia (*Apoc.* VIII). In cœlo, hoc est, in præsenti Ecclesia. Quia enim in ea hora integra id est continue non potest haberi silentium contemplationis propter varias tentationes, quæ animi quietem impediunt. Inde dicitur : Factum silentium in cœlo quasi hora dimidia : quia et si non semper, interdum tamen sancta Ecclesia per cœleste desiderium sursum elevatur. Medium autem hujus cœli fuit beata Virgo Maria, quæ inter legem et gratiam quasi limes quidam medius constituta, solem justitiæ, videlicet Dei filium in se concepit, quia cognitionis suæ radios ad utrunque populum, id est, Judæos et gentiles emitteret. Est igitur sol, Christus : cœlum, præsens Ecclesia : medium cœli, beata virgo Maria : solstitium, Verbum incarnatum. Hujus autem solis justitiæ duo signa solstitialia possumus assignare. Primum Evam : secundum, beatam Virginem Mariam. Eva peccatrix, per quam mors intravit in mundum, quæ fuit janua perditionis, signum fuit solstitii hyemalis : quia per ipsam nocte peccati prolongata, sol justitiæ a nobis longius recessit. Beata Virgo Maria signum fuit solstitii æstivalis : quia in ipsa redivivo quodam calore gratiæ sol justitiæ ad nos appropinquavit. Inter hæc autem duo signa, videlicet Evam et beatam Virginem Mariam, sol justitiæ, quem diximus, per mundi hujus cursum paulatim radios suæ cognitionis effudit, dum aliis per inspirationem, aliis per visiones, aliis per subjectam creaturam, aliis modis aliis seipsum notum facere voluit, quousque homo natus ex Virgine, super terram visus est, et cum hominibus conversatus est (*Baruch.* III). Sol ergo stetit in medio cœli. Sed quid est quod sequitur : Non festinavit occumbere spatio diei unius. Quod licet ad historiam supra memoratam quantum ad literam, respiciat, ubi ad Gabaon sole defixo in cœlo accrevit spatium diei unius filiis Israel

A hostes suos expugnantibus, mystice tamen ad genus humanum pertinet, quod ab inimicis spiritalibus modo violenter, modo fraudulenter, modo occulte, modo aperte impugnabatur. Cujus primus hostis fuit affectus pravæ conscientiæ. Secundus vanitas mundanæ gloriæ. Tertius, timor mortis. Quartus, desperatio salutis. Quintus, spiritalia nequitiæ in cœlestibus. Sextus, subtus inhians infernus. Primus hostis agebat ut tolleret cordis mundiciam. Secundus, ne aspiraremus ad patriam. Tertius minabatur supplicium pœnæ. Quartus negabat spem misericordiæ. Quintus agebat ut a Deo separaret. Sextus, ut captivos incarceraret. Et quis tam fortes adversarios una die expugnaret? accrevit ergo spatium diei unius, ut facilior victoria mora temB poris proveniret. Et fuit spatium primæ diei, tempus legis : spatium secundæ diei fuit, tempus gratiæ sive novæ legis. Lex siquidem dies fuit quæ fugatis ignorantiæ tenebris cultum unius Dei docuit ostendens quid Deo, quid proximo deberemus : quæ pœna peccatis, quæ remuneratio virtutibus reponeretur. Hæc autem dies non fuit sufficiens ad expugnationem hostium spiritalium : quia lex habebat vocem præcipientem non gratiam adjuvantem. Unde dicit Apostolus : Quia lex neminem ad perfectum produxit (*Hebr.* VII). Et alibi : Si ex lege justitia, Christus ergo gratis mortuus est (*Galat.* II). De Judæis quoque in psalmo dicitur : Filii Effrem intendentes et mittentes arcum, conversi sunt in C die belli (*Psal.* LXXVII). Quasi diceret, Filii Effrem, hoc est, ipsi Judæi, ut pars pro toto accipiatur, intendentes et mittentes arcum, hoc est, præparationem quandam ad pugnam spiritalem, contra vitia facientes, dicentes : omnia quæ jusserit nobis Dominus, faciemus. Ipsi conversi sunt in die belli, hoc est aversi sunt in tempore tentationis. Sic olim baculus Helisei filium mulieris mortuum suscitare non potuit, quousque in adventu Helisei caro pueri calefacta spiritum vitalem recepit (*IV Reg.* IV). Baculus Helisei, hoc est, lex a Deo propter correctionem transgressorum posita, genus humanum in peccatis mortuum vivificare non potuit, quousque in adventu Helisei id est mediatoris Dei et homiD num Jesu Christi, per gratiam adjuvantem inflammatum ad viam salutis rediit. Prima ergo die non sufficiente ad victoriam de hostibus spatium diei duplicatum est, quando ad legem accessit gratia, ut per mediatorem Dei et hominum Jesum Christum hostes humani generis, hoc est, peccata cum suo autore diabolo vinceremus. Ecce, fratres dilectissimi, jam Heliseus venit, jam Christus humanatus nobiscum stat in acie. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Ergo o anima fidelis et devota fortiter præliare bella Dei tui. Jam non est quod timeas, non est quod expavescas : non enim solus ad hanc pugnam venit, quin potius stat multo milite comitatus. Nam lectulum ejus id est Incarnationis mysterium, sexaginta fortes ambiunt ex fortissi-

SÆCULUM XIII

STEPHANI

ABBATIS S. GENOVEFÆ PARISIENSIS

TUM

EPISCOPI TORNACENSIS

EPISTOLÆ

QUÆ AUCTIORES, EMENDATIORES ET NOTIS ILLUSTRATÆ DENUO PRODEUNT

ACCEDUNT

ABSALONIS ABBATIS SPRINCKIRSBACENSIS, ADAMI ABBATIS PERSENIÆ, PETRI PICTAVIENSIS, PARISIENSIS ACADEMIÆ CANCELLARII, GUIBERTI GEMBLACENSIS ABBATIS

SCRIPTA QUÆ SUPERSUNT

ACCURANTE J.-P. MIGNE

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

TOMUS UNICUS

VENIT 8 FRANCIS GALLICIS

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM
SEU PETIT MONTROUGE

1855

mis Israel, omnes tenentes gladios et ad bella doctissimi (*Cant.* III), utpote prophetæ, qui eum venturum prædixerunt, apostoli et martyres, qui constantia passionis testimonium ei perhibuerunt: alii miraculis corusci, alii prædicatione clari, omnes tenentes gladium spiritus, quod est verbum Dei (*Ephes.* VIII). Attende anima Deo digna, quibus armis rex tuus induitur, ut et tu similibus induaris. Vis videre quibus? Ecce stat nostræ carnis tectus cilicio, humilis, patiens, despectus, mansuetus, plenus doloribus, pauper, peregrinus. Tu ergo indue armaturam regis si vis censeri nomine militis. Esto ergo patiens in injuriis, in obediendo humilis, in adversitate securus, in prosperitate modestus : jocundus in paupertate, mansuetus in conversatione, in abstinentia severus, in charitate fervidus. Talis enim est dilectus tuus, et ipse est amicus tuus. Non sint tibi hæc infirma Dei tui occasio scandali, quæ debent esse causa salutis, sicut olim in illis impiis factum est, qui ejus mortalia contemnentes in faciem ejus inspuerunt, lanceis pupugerunt, qui exclamaverunt dicentes : Non habemus regem nisi Cæsarem (*Joan.* XIX) : quin potius adora humanatum, amplexare infirmum, patienti et despecto condole, pauperi et egeno studia humanitatis impende : omnia enim ista pro te suscepit, non pro se. Propter te ad hanc pugnam venit : imo pro te in hac pugna occubuit. Quare occubuit? quia divino oraculo sic præordinatum fuerat, ut ille exercitus vinceret cujus dux in bello primo occumberet. Tamen sicut dicit Scriptura : Non festinavit occumbere spatio diei unius : qui non prius suscepit mortis supplicium, quam nostræ reparationis sacramenta consummaret. Unde in cruce positus, dixit : consummatum est (*Joan.* XIX). Ut autem hanc pugnam spiritalem latius prosequamur, multos ad eam vocari videmus : qui belli impetu imminente tanquam desides et ignavi ab exercitu Domini separantur.

Sic enim in lege Moysi præcipitur, ut pugna imminente filiis Israel formidolosi, uxores ducentes, ædificantes domos ad propria revertantur. Et sunt formidolosi, qui dum veniunt pugnaturi contra vitia, per vigilias, per jejunia, per orationes, incipiunt formidare pondus laboris, gravamen corporis, occasiones infirmitatis, et sic evenit ut dum molestias corporales effugere cupiunt, a suo proposito deficientes nihil virtuosum attentare præsumunt. Sed de jumento quod in opus domini sui conduxerunt, quod denario diurno appreciaverunt, sic eis dispensare non licet, ut mercedem divini operis accipiant, et opus diei non perficiant. Quis enim mercenarius bovem vel asinum patrisfamilias despondeat, et non desudante animali prætaxatam mercedem expectet? Ecce nos miseri manum ad aratrum misimus : reficimus jumentum nostrum, hoc est, corpus de eleemosynis pauperum, de peccatis mortuorum, ut nostris spiritalibus carnalia eorum recompensemus, cum tamen simus tepentes in oratione, desides in opere, in vigiliis pigri, in disciplina inordinati. Timeo vehementer ne pro nobis dicatur illud Ezechielis, quod subjungitur : Vidi, inquit, et ecce in ostio templi inter vestibulum et altare viginti quinque viri habentes dorsa contra templum, et facies ad orientem, et adorabant ad ortum solis (*Ezech.* VIII). Per hos XXV viros, recte pusillanimes et ignavi figurantur, qui dum neque in templo cordis thimiama sanctæ devotionis, neque in altari corporis sacrificium boni operis offerunt, quasi inter templum et altare positi otiosos se ostendunt. Unde congrue de his dicitur, quod habeant dorsa contra templum, et facies ad orientem : quia et disciplinam humiliata mente suscipere nolunt, et tamen consolationis, quæ per orientem significatur, participes esse volunt. Inde est quod adorant ad ortum solis adorare est in beneficiis et consolationibus Deo gratias agere. Unde dicitur : Confitebitur tibi cum benefeceris ei (*Psal.* XLVIII). Et hæc de formidolosis. Nam per eos qui a bello domini separentur eo quod uxores ducant, significantur luxuriæ dediti, quæ etiam sapientes infatuat, fortes prosternit, erectos incurvat, sublimes dejicit. Quis ergo tantæ pestis non caveat insidias? Quis ejus dolis non timeat seduci? Ecce, inquit beatus Job, hi qui serviunt ei, hoc est viri sancti, sunt instabiles et in angelis suis reperit pravitatem, quanto magis nos qui inhabitamus domos luteas et terrenum gerimus fundamentum (*Job* IV). Hostis iste e vicino positus est, quod et si non semper prævaleat dum suggerit, interdum tamen loci et temporis opportunitate seducit. Sic olim Sichem filius Hemor in Dina (*Gen.* XXXIV), David in Bersabeæ (*II Reg.* XI), senes Babylonis in Susanna (*Dan.* XIII), Holofernes in Judith captus occubuit (*Judith.* XIII), quorum nullus in concupiscentiam exarsisset nisi concupiscendi occasio e vicino posita se obtulisset. Attende ergo quam sit filia Babylonis, id est, carnis conditio, misera, utpote necessario moritura, victura brevi, custos sepulchri, socianda vermibus, judicio addicta : et nisi misericorditer liberata fuerit in æternum peritura. Ut ergo liberemur ab hac servitute misera, sacræ Scripturæ regamur magisterio, quæ amatorem suum a terrenis contagiis sursum elevat, dum eum primo per disciplinam instruit, in habitu et gestu corporis, secundo per scientiam in rebus agendis, tertio per prudentiam in moribus, quarto per sapientiam in cœlestibus, sive in contemplatione cœlestium. Dum enim primo avertit oculos suos homo ne videant vanitatem, non exaltat in risu vocem suam, non loquitur scurrilia, quæ ad rem non pertinent, neque fert pedem quo non licet : jam per disciplinam bonæ vitæ initium, videlicet formam religionis est assecutus. Postmodum cum in operibus sive rebus agendis invenitur sollicitus, impiger, circumspectus, cautus, providus, jam magistrante scientia ipso exercitio boni operis occasionem peccandi præscindit. Tertio, cum jam placeant ea quæ dixi, paulatim incipit con-

scientia purgari a vitiis, et subintrante prudentia ornari incipit virtutibus et bonis moribus. Quarto, cum jam virtutes est adeptus, parum est ei abstinere a vitiis, sed per suavitatem divinæ sapientiæ incipit sapere ea quæ Dei sunt, ut jocundum sit ei fabulari cum Deo, rimari cœlestia, dicendo cum propheta : Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in domino Deo spem meam (*Psal.* LXXII). Hæ sunt quatuor rotæ, quibus sacra pagina amatorem suum informat, et sursum evehit, docens eum offerre corpus suum hostiam sanctam, viventem, Deo placentem (*Rom.* XII), et immaculatum se custodire ab hoc seculo (*Jac.* I). De quibus in propheta dicitur : quia cum elevarentur animalia, elevabantur et rotæ pariter juxta ea (*Ezech.* I). Quippe sancti viri non aliter per cœlestia desideria ad Deum respiciunt, nisi hic virtutum quadriga eos fuerit persecuta.

Per tertium genus hominum qui a bello domi separantur, eo quod domos ædificent, significantur curiosi, plusquam oportet curis exterioribus intenti, quales sunt homines hujus seculi, qui faciunt in mari viam, circumeunt terras, faciunt divitias et non in judicio, terminum copulant ad terminum, tanquam ipsi soli habitaturi sint super terram (*Isa.* V). Sed quid nobis de his qui foris sunt judicare, qui hoc curiositatis malum in nobismetipsis invenimus, et tanto periculosius quo amplius aliorum facta vel dicta magis quam nostra discutimus. Quis enim nostrum de seipso adeo sollicitus, qui non curet exteriores administrationes et judicet officia inordinata? Hic dicat plus rigoris esse quam oportet, ibi plus dispensationis, imo (ut plenius dicam quam sentio) dum plenius indagare volumus quæ ab aliis fiant, fingendo ea quæ non eveniunt, in detractionis vitium præcipitamur. Inquit enim alter alteri : nunquid novisti quid ille loquitur in silentio? quid agit in occulto? qualis est in incessu? qualis in habitu! veruntamen occultum teneas, donec res melius innotescat. Quid tu radix peccatrix occultum vis fieri, qui sanguinem fratris tui jam effudisti? Ecce sanguis ejus clamat ad dominum de terra (*Gen.* II). Jam causa ejus in æterni regis palatio omnibus innotuit, plangunt eum Cherubin et Seraphin : cui innocenti detraxisti, quem sanum vulnerasti, cujus sanguinem injuste effudisti. Quid tibi potest esse animi recta sapienti, quando frater tuus hoc meditatur in oratione, hoc in lectione, hoc in opere, imo ubique locorum gemit cruentus vulnere quod tu injuste ei inflixisti? O consummata religio quæ summam suæ perfectionis constituit in detractione alienæ virtutis. Dicis forte, quia vir spiritalis es qui omnia judicas et a nemine judicaris. Et ego tibi sine tui judicio illius ethnici versiculo respondebo : Quia omne animi vicium tanto conspectius in se crimen habet, quanto major qui peccat habetur. Demum si spiritalis es et contemplativus. Si contemplativus es, Deum vides. Non indigneris ergo si te interrogo, cum sim pulvis et cinis. Quando Deum vides, in ipso quid vides? Nisi

A visus tuus fallitur, dices quia humilitatem, mansuetudinem, charitatem, patientiam ad omnes. Flecte oculum ad te ipsum, in te quid vides? Nisi te ipsum accusare erubescis, dices quia superbiam, impatientiam, insuavitatem, diffidentiam ad omnes. Recto ergo usus consilio, te ipsum primo loco reprehendis. Imo si justus es, in principio accusator es tui (*Prov.* XVIII), sicut quondam Job ille justus, cum Deum oculo contemplationis respiceret, sua infirma intuens et accusans exclamavit dicens : Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus vidit te, idcirco me reprehendo (*Job* XLII). Quasi diceret, primo audivi te per tuæ voluntatis cognitionem, nunc autem oculus meus videt te per mentis contemplationem : et quia video te, idcirco ipse
B me reprehendo. Me inquit, non te. Sic enim omnis vir spiritalis quanto magis ad Deum accedit, tanto magis quid sit ex se ante oculos statuit, quo amplius se per gratiam illuminatum recognoscit. His tamen omnibus quæ dixi, non damno zelum religionis, qui ab omnibus bonis et amandus et tenendus est, sed arguo et reprehendo livorem detractionis. Quia ergo, fratres dilectissimi, non coronatur nisi qui legitime certaverit (*II Tim.* II), assumat formidolosus virtutem, carnalis pudicitiam, curiosus animi quietem : et conversationem bonam habentes in charitate Dei, et patientia Christi inimicis nostris spiritalibus obviemus, quos non strepitu armorum sed virtutibus et bonis operibus
C oportet repugnari. Fortis quidem pugna sed magna victoriæ reponuntur præmia ubi luctus in gaudium, labor in quietem, paupertas in affluentiam, miseria in jocunditatem, mortalitas in æternitatem convertitur : ubi sancti regnant cum Deo, et agnus Dei cum illis. Pari ergo desiderio, voto unanimi studeamus regi nostro militare, qui quamvis in adventu suo humili, tribulationis nos faciat participes, in secundo adventu cum venerit in majestate sua cum angelis suis regni sempiterni nos faciet hæredes, quod nos perducere dignetur ipse rex noster Jesus Christus dominus noster, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SERMO III.

IN ADVENTU DOMINI.

D *In illa die erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terræ sublimis* (*Isai.* IV). Diem adventus Christi diu multumque desideratam, quam propheta non poterat demonstrare digito, ardenti desiderio demonstrat dicens : In illa die, etc. Ac si diceret : Non loquor diem illam angustiæ et tribulationis, cum erunt signa in sole et luna et stellis arescentibus hominibus præ timore et expectatione quæ supervenient universo orbi (*Luc.* XXI). Non denique diem illam desolationis, quando rupti sunt fontes abyssi magnæ et cataractæ cœli apertæ sunt, ut inundatione facta delerent omnem animam viventem. Illam potius loquor diem, quando rorantibus cœlis desuper illuxerunt coruscationes gratiæ orbi terræ, et Dei Filius in carnis trabea apparens

mortis fœdere sublato pacem mundo intulit, non qualemcunque dico, sed eam ut (mirabile dictu) habitaret lupus cum agno, et delectaretur infans super foramine aspidis, et manum ablactatus mitteret in cavernam reguli (*Isa.* xi). In illa die tam solemni tantum expectata erit germen Domini in magnificentia, etc. Quod germen? Illud plane cujus semen Spiritus sanctus ejecit, angelus florem protulit, Maria fructum edidit, mater Ecclesia saporem suscepit. Et recte in angelo floruisse hoc germen dixerim, qui mysterium absconditum a seculis Virgini denuncians in ipso salutationis verbo monstravit, et quod in arcano divini consilii latuerat, quasi in flore fructum, ita et in salutatione virginis Christum promisit nasciturum. Ave (inquit) Maria gratia plena (*Luc.* i). Quis in flore tam suavis colloquii germen desperet proventurum, quod dispensavit bonitas, promisit veritas, evangelizavit fortitudo? Sed hoc dignum admiratione videbitur, quia non herbam, non plantam, non ramum denique vel arborem dicit fore in magnificentia, sed germen, quod non solum magnum non esse solet, sed mortui seminis vix erumpens germen modicum futuri fructus indicium. Veruntamen per quantitatem seminis germinis hujus magnificentiam pensare possumus. Quippe sicut in germine Verbi incarnati conceptionem, ita et semen Spiritus sancti operationem recte possumus intelligere. Quid enim magnificentius esse potest illo germine quod perfusum est gratia Spiritus sancti? Unde et de Spiritu sancto conceptus esse dicitur Christus. Sicut enim quod de carne nascitur, caro est : ita quod de Spiritu sancto natus est, totum (dico) spirituale est (*Joan.* iii) ; totum dico non secundum naturam spiritualem tantum : imo etiam secundum naturam carnis. Ut eum dicam quod verum esse credo, Christus secundum affectiones carnis adeo fuit spiritalis quantum Paulus, ea virtutis celsitudine qua non potuit separari a charitate Christi. Propterea germem istud alibi non solum monti, sed coagulato et pingui comparatur, coagulato propter humanitatis et Verbi unionem, pingui propter charismatum plenitudinem. In hoc siquidem germen septiformis gratiæ non tanquam gutta modica, sed tanquam fluvius ingens corporaliter descendit, a quo ad viros spiritales tanquam rivulus, et ab illis ad infima Ecclesiæ membra tanquam stillicidium emanavit. Quid demum aliud significat Salomonis illud solium, cui in universis regnis aliud natura vel artificio non poterat comparari, quam illius germinis magnificentiam? Natura quippe assumpti hominis, in quo summa majestas tanquam in solio resedit, omnibus cæteris fuit supereminens propter puritatem humanitatis, et gratiarum plenitudinem : quasi quodam Spiritus sancti artificio præ cæteris filiis hominum insignita extitit. Quam etiam donorum plenitudinem figurabat lecythus olei ille, qui replens omnia viduæ vasa ipse non est imminutus : quin potius filios illius liberatos a creditoribus de

A sui superabundantia sustentavit. Sancta quippe Ecclesia jam olim vidua, utpote in qua Deus per infidelitatem extinctus fuerat Heliseo, hoc est, Deo patre benedicente lecythum oleo plenum (*IV Reg.* iv), Christum videlicet septiformi perfusum gratia suscepit quo distillante gratiam in filios Ecclesiæ, eosdem non solum ab exactore diabolo liberavit, sed etiam his qui in Dei filios adoptati fuerant, quo pie viverent de sua plenitudine copiosum gratiæ munus infudit. O felix illa anima quæ de tanta plenitudine gustavit ad modicum, et in die adventus Christi arram suæ visitationis accepit, ne cum populo illo perfido audire mereatur : Cognovit hirundo nidum suum, et ciconia tempus adventus sui, Israel autem me non cognovit (*Jer.* viii). O munda
B conscientia quæ ad præsentiam regis sui adeo est mundata et ornata, ut secura videat eum in illa sublimitate gloriæ, cum tremebunt angeli in conspectu ejus, et virtutes cœlorum movebuntur (*Luc.* xxi). Ipsum enim germen quod nunc in magnificentia, in futuro apparebit in gloria.

Quam sublimitatem gloriæ propheta prosequitur dicens : *Et erit fructus terræ sublimis.* Quamvis enim sublimitas ista referri possit ad magnalia quæ fecit in terra, qualis fuit curatio infirmitatum, suscitatio mortuorum, quod demum ambulavit super mare, et horum similia, aptius tamen ad gloriam resurrectionis respicit, qua exaltatus est super omnia benedictus in secula. Quam sublimitatem alibi propheta loquitur dicens : Erit radix Jesse
C quæ stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur (*Isa.* xi). Quomodo enim signum esse potest omnium populorum nisi sit sublime? Quapropter hujus signi sublimitas, gloria est resurrectionis quæ præcessit in capite : propterea signum populorum, ut et ipse spe resurrectionis ejusdem gloriæ vivant in expectatione quam in autore suo vident præcessisse. Quod signum Propheta sibi imprecatur, cum dicit : Fac mecum signum in bono (*Psal.* lxxxv). Sed sibi vult quod ille tam sublimis radix appellatur, cum radix inter omnes ramos arboris magis sit humilis? erit, inquit, radix Jesse et cætera. Sed Christus in hoc radici comparatur, quia sicut radix arborem, ita Christus alios sustentavit, non ab ipsis
D sustentatus est. Vel potius in radice, Christi humilitas figurata est : quia prius Christus fuit humilis, postea sublimis. Cujus humilitatis manifesta indicia sunt, si recolimus ea quæ prophetæ, evangelia et cæteræ Scripturæ de ipso loquuntur. Sed ecce signum nobis est in sublimitate, utinam etiam signum sit in sua humilitate. Omnis enim Christi actio (ut dicit Scriptura) nostra est instructio. Vos, inquit Christus, vocatis me magister et Domine, et bene dicitis. Sum etenim (*Joan.* xiii). Certe si ipse magister et nos discipuli sumus, in nostro studio ejus disciplinam debemus imitari.

Attendat ergo quilibet verum qui discipulum ejus se esse dicit, si forte invitatus fuerit ad ejus humilitatem, patientiam, mansuetudinem : ad paupertates et

injurias pro nomine ejus sustinendas, nunquid in hac parte erit discipulus hominis istius? Timeo vehementer ne voce illa Petri respondeat : homo nescio quid dicis (*Luc.* xx). Quin potius maledicat ei qui se invitavit dicens : tu discipulus illius sis, ego autem discipulus Moysi (*Joan.* IX). Quomodo enim discipulus ejus sum, cum ipse præcipiat humilitatem, ego sequor superbiam : ille patientiam jubet, ego teneo impatientiam ; ille monet injurias sustinere, ego non solum non sustineo injurias, imo etiam aliis sine causa injurias infero. Audi si placet, Psalmistam qualem oporteat discipulum esse Christi : Myrrha, inquit, et gutta et cassia a vestimentis (*Psal.* XLIV), hoc est, a sanctis tuis. In myrrha, quæ amara est, patientia tribulationum : in gutta, quæ dolores lenit et inflaturas sedat, virtus humilitatis : in cassia, quæ in aquosis crescit locis et in altum surgit, desideria sanctæ devotionis figurantur. Ista debent manare a domibus eburneis, hoc est, a conscientiis virtutibus et castitate dealbatis, ex quibus delectantur filiæ regum, hoc est animæ bene se regentium in timore tuo.

Certe dicunt scholastici et vehementer id verum est, quoniam in omni studio quatuor sunt necessaria, videlicet mens humilis, vita quieta, exercitata meditatio, et amor mediocritatis. Exigitur mens humilis, ne per superbiam faciat contra mandata magistri, quam habebat ille qui dicebat : Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me (*Psal.* CXXX). Exigitur etiam vita quieta, ne tumultibus variis in diversa distracta, minus intente prosequatur finem sui studii quod bene inchoavit. Sicut de quibusdam inquietis dicitur : Turbati sunt et moti sunt sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est (*Psal.* CVI). Tertium est exercitata meditatio quatenus meditetur mens semper in eo quod concepit in studiis, ne forte vacans otio per illicita desideria effluat. Hanc meditationem habebat Propheta cum diceret : Et meditatus sum nocte, id est, in defectu hujus vitæ, cum corde meo, et exercitabor sic meditando super his quæ recta sunt, et scopebam (*Psal.* LXXVI); hoc est ab illicitis desideriis purgabam spiritum meum. Quartum vero eorum quæ bona exigunt studia, est amor mediocritatis, ne animus in delicias dissolutus ambitione rerum temporalium a proposito suo desistat. Qua mediocritate contentus erat qui dixit : divitias et paupertates ne dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria (*Prov.* XXX). Ista omnia in Christo magistro nostra fuisse scimus, dum legimus eum humilem et quietum (*Matth.* XI), cœlo semper meditatione intentum, et non solum mediocritate contentum, sed nec etiam habentem ubi reclinaret caput suum (*Luc.* IX).

Clamat nobis Apostolus : quoniam qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare (*I Joan* II). Nos quomodo eum imitamur? Sedit populus manducare et bibere, et sur-

A rexerunt ludere. Et certe disciplinam Christi, quam summis labiis profitemur, utrum in re ipsa teneamus, ex ipso fine ad quem tendere debemus, potest colligi : habent certe cursoria et pugillatoria finem suum videlicet coronam victoriæ, habent mechanicæ artes suam finem, quæ ad vitæ subsidium finaliter inventæ sunt. Sic oratoris studium finaliter persuadere nititur, quod videatur justum vel utile sive honestum. Nostri autem studii finis Christus esse debet, qui est finis ad justitiam omni credenti (*Rom.* X). Vel saltem mundi philosopho minus non habeamus, cum oratore finaliter quærentes quod justum vel utile vel honestum videatur. Sed quomodo finem utilis consequitur, qui nulli proficit? quomodo finem honesti qui non suam tantum, sed etiam alterius opinionem semper lædit? Neque etiam finem

B justi habere dicetur, qui præcepta justitiæ contemnit. Finis enim utilis in proventu, finis honesti in opinione bonæ famæ, finis justi in radice charitatis consistit, ut reddatur homini quod hominis est, et quod Dei Deo. Imo (ut expressius loquar) finem injusti te sequi dixerim, et vide quomodo clamat ipse Dominus : Væ homini per quem scandalum venit. (*Matth.* XVIII.) Intonat tuba evangelica : Qui scandalizaverit unum de his minimis, expedit ei ut suspendatur mola asinaria ad collum ejus, etc. (*Ibid.*) Vociferatur Apostolus : nulli malum pro malo reddentes, patientes estote ad omnes. (*Rom.* XII.) Quomodo ergo finem justi attingit, qui seip-

C sum prævaricatorem mandatorum Dei non arguit, et in eum qui processioni non interfuit tota mentis commotione insurgit. Væ vobis scribæ et pharisæi culicem colantes et camelum transglutientes. (*Matth.* XXV.) Propter Deum te attestor cum audis nomen scandali quid sonat in auribus tuis? Certe licet scandalizare quandoque pro contristare accipiatur, ut Dominus ait ad Petrum : Vade retro Satana, scandalum tu mihi es (*Matth.* XVI), hoc est contristas me, tamen secundum quod in evangelio prohibetur nomen scandali importat mortem fratris. Est enim scandalizare, dicto vel facto fratri suo occasionem mortalis peccati præstare. O munda conscientia quæ dicto vel opere suo gaudet in sanguine fratris sui. Audit forte aliquis qui libenter scandala facit, et excusa-

D tiones quærit in illius Scripturæ testimonio quæ dicit : Si scandalum pro veritate nascitur, melius scandalum admittitur, quam veritas relinquatur. Vis ergo audire ubi scandala sunt admittenda et ubi fugienda? Si in malo opere meo scandalizatur frater meus, cessare debeo et pro me et pro illo. Si autem in bono opere meo scandalizatur, est ubi scandalum admittere debeo, est ubi non. Si enim ad bonum quod facio, teneor de mandato Dei, vel de professione ordinis mei, et inde scandalizatur frater meus, non propter hoc cessare debeo : quia hic tutius scandalum admittitur quam veritas relinquatur. Si vero ad bonum quod facio, non teneor de mandato vel voto, quin potius bonum illud voluntarium est, et de libero arbitrio, et inde scandali-

zatur frater meus, etiamsi maximum bonum illud sit, utpote jejunare biduanas vel triduanas, secretæ vigiliæ, privatæ orationes, propter scandalum ab illis debeo abstinere. Ego, inquam, qui in congregatione constitutus unanimis debeo habitare in domo, et quantum in me est a scandalo cavere animæ fratris mei. Ideo autem dixi, qui in congregatione sum positus, quia aliquis privatam ducens vitam, etiam bona voluntaria non tenetur omittere propter scandalum alterius. Unde etiam ad cautelam scandalorum Anselmus Cantuariensis scientia et religione perfectus dicit: Si quis cœnobitarum forte propositum aggreditur, expedit ut quodcunque monasterium ingressus fuerit ibi radicibus charitatis radicetur: nisi forte tale sit monasterium in quo invitus malum facere cogatur, nec aliorum mores, etiam si inutiles videantur, judicet, dummodo contra præcepta divina non videantur. Hæc est forma disciplinæ Jesu quam ipse tenuit, et nobis mandavit retinendam, ad quam nos invitavit opere, et informavit præceptis, ne alicujus ignorantiæ nebula culpam nostram possimus palliare. Si ergo discipuli ejus sumus, revereamur eum tanquam magistrum: si filii, amemus tanquam patrem: si servi, tanquam dominum timeamus; ne ejus præsentiam non solum nobis inutilem, verum etiam nobis faciamus damnosam. Quis, inquam, vidit piscem et accepit scorpionem? quis erravit in invio et cognovit viam? quis ambulavit in tenebris et advertit lucem? Ecce lux mundi coram nobis posita est, a cujus radio nemo privatur nisi is, qui oculis clausis ab illa voluerit averti. Ambulemus ergo, fratres charissimi, in hac luce dum tempus habemus, sequentes vestigia humilitatis ejus et patientiæ documenta, quatenus in præsenti vita ad formam ejus humilitatis eruditi, in futuro transferamur ad regnum claritatis ejus, ipso præstante Domino nostro Jesu Christo, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum, Amen.

SERMO IV.

IN ADVENTU DOMINI.

Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram (*Psal.* LXXI). Volens propheta Dei in spiritu nostræ dejectionis consolationem imminere, consolationem iis qui sedebant in tenebris et umbra mortis, voluit promittere, ne nimium diuturna captivitas in desperationem mitteret, si spes futuræ liberationis miseriæ cumulum non temperaret. Modum itaque nostræ visitationis aperiens in vocem exultationis et lætitiæ erumpit dicens:

Descendet sicut pluvia in vellus. Primo igitur videamus vellerum discrimina quoniam est vellus nativitatis, et est vellus vetustatis, est etiam et vellus novitatis. Vellus nativitatis habemus a natura, vellus vetustatis a culpa, et vellus novitatis a gratia. Ubi dictum est: Et rursum circumdabor pelle mea (*Job* XIX) intellige vellus naturæ; et in Hieremia: Vetustam fecit pellem meam et carnem meam

A (*Thren.* III), intellige vellus culpæ. In Canticis quoque Spiritus sanctus significans vellus novitatis ait: Nigra sum sed formosa, filiæ Jerusalem, sicut tabernacula Cedar (*Cant.* I), sicut pellis Salomonis. Tabernaculis Cedar se comparat propter nigredinem vitiorum; pellibus Salomonis se comparat propter ornatum virtutum. Descendet, inquit, sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram. Pluvia in vellere primo lanam irrigat, secundo eam purgat, tertio super naturæ beneficium ipsam dealbat. Descendit igitur Dei Filius sicut pluvia in vellus, quando naturam nostram per gratiam visitans, mundat nos a macula vetustatis, et profectu virtutum induit vestimentis novitatis. Descendit, inquit, sicut pluvia in vellus etc. Pluvia aquarum impetu

B mundat, ros matutinus temperat, stillicidium vero quasi guttis intercisis terram humectat. Dei itaque Filius quasi stillicidia stillantia super terram descendit, dum secundum varietatem temporis et modum tentationis mentibus nostris gratiam consolationis infundit. Unde et propheta David incipientium consolationes explicans ait: In stillicidiis ejus lætabitur germinans (*Psal.* LXIV). Descendet, inquit sicut pluvia in vellus.

Quatuor descensus Dei ad hominem principales sacræ Scripturæ testimonio astruere possumus, quorum primus est liberationis, secundus eruditionis, tertius consolationis, quartus examinationis. Primo liberamur ab Ægypto, secundo erudimur in deserto,

C tertio confortamur in pugna, quarto judicantur uniuscujusque merita. Si sit in nobis, fratres charissimi, qui cor vivum habeat et spiritum Dei non hominis imitari studeat, profecto in his mens provida inveniet unde materiam timoris eliciat, unde etiam spei erecta solatio tempus miserendi et diem visitationis suæ recognoscat. Quis enim advertens Deum ad terras descendere pro salute hominum desperare potuit? Aut quis expectans judicem tam terribilem securus unquam fuit? O quam caute quam curiose ambulandum, ubi unus et idem Dominus fortis propugnator ad salvandum, et tam districtus judex ad unius cujusque opus quale sit discutiendum! Cum igitur miserationum tuarum Domine, quæ a seculo sunt (*Psal.* XXIV), in memetipso recordor, dico:

D Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam (*Psal.* LXXII). Cum autem ad judicium respicio, libet abscondi jam in inferno donec pertranseat furor tuus (*Job* IV). Si tamen constituas mihi tempus in quo mei recorderis, quia tamen misericordia superexaltat judicium. Fugiamus ad dominum servi, ad redemptorem captivi, ad consolatorem miseri dicentes cum propheta: Recordare, Domine, quid acciderit nobis, intuere et respice opprobrium nostrum (*Thren.* V), liberasti nos de Ægypto, et murmuravimus dicentes: Utinam mortui essemus in Ægypto cum sedebamus super ollas carnium (*Exod.* XVI), dedisti nobis legem et diximus: Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus

(*Sap.* III), venis ad nos per gratiam ut solvas a peccatis, sed nos ingrati beneficiis dicimus: Quis est hic qui etiam peccata dimittat? (*Luc.* V.) Nil sine te possumus, et tamen te sequi tecum esse recusamus.

Prosequamur igitur, si placet, quatuor illos descensus Dei ad hominem, quos superius notavimus, et Dei beneficia, et nostras iniquitates in sinu memoriæ altius reponamus. Videns, inquit, vidi afflictionem populi mei qui est in Ægypto, descendi liberare eum (*Exod.* III). Si ad moralem intelligentiam velimus recurrere, Ægyptus ista est vita hominum carnalis facientium curam carnis in desideriis. Cum enim corpus quod corrumpitur aggravet animam, et deprimat terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (*Sap.* IX), qui vitiis et concupiscentiis quamdiu est in hoc mortali corpore superatur, profecto Ægyptiis in luto et latere et palea servire compellitur. Venit enim ex Ægypto bellatrix quædam quæ dicitur carnis concupiscentia et dicit: bonum est frui deliciis et uti bonis. Quis enim unquam naturæ fuit inimicus? quis unquam carnem suam odio habuit? et respondet anima misera: ecce adsum, recte indicasti. Eia inquit avaritia, congrega argenteos, amplifica loculos, parce vivas, multa possideas, quantum enim habes tantum vales: et respondet infelix anima: Hæc omnia servavi ab adolescentia mea (*Luc.* XVIII). Et superbia inquit: Ascende in montem hunc excelsum valde, apprehende arma et scutum, et exurge in adjutorium mihi (*Psal.* XXXIV); studeamus minores contemnere, pares opprimere, majoribus derogare, non advertent simplices, non insurgunt patientes, dissimulant sapientes, non prævalebunt rebelles, et respondens dicis: ecce festino, propero, sequar te quocunque ieris (*Matth.* VIII). Ecce quam miserabilis servitus. Veniunt Ægyptii et dicunt animæ nostræ, incurvare ut transeamus, et nos exhibentes obedientiam sine mora, contradicere aut nolumus aut non valemus. Forsan istæ sunt tres civitates quas filii Israel ædificaverunt Pharaoni, quarum una dicta est Ramesse, secunda Phitona, tertia vero Heliopolis (*Exod.* I). Ramesse *commotio tineæ*, Phithona *os* sive *profundum abyssi*, Heliopolis vero interpretatur *civitas solis*. Per Ramesse igitur avaritiam intellige, quæ prohibetur in illo loco ubi dicitur: nolite vobis thesaurizare thesauros in terra, ubi tinea et erugo demolitur, et fures effodiunt et furantur (*Matth.* VI). Per Phithonam vero, quæ os sive profundum dicitur, carnalia desideria et cæteræ passiones prohibentur, de quibus Scriptura dicit: Quia impius cum venerit in profundum vitiorum contemnit (*Prov.* XVIII). Per Heliopolim vero quæ civitas solis dicitur, superbiam accipe, quæ comitante vana gloria vult longe lateque radiare, et detrahendo, commovendo alios incessanter urere. Et quis nos ab hac servitute liberabit? Si filius, inquit, nos liberaverit, tunc vere liberi erimus (*Joan.* VIII). Sed induratum est cor Pharaonis (*Exod.* VII),

A nec dimittet nos nisi in angelo percutienti, nisi in manu forti. Volens itaque nos eripere de manu pessimorum, mittit angelum suum, qui percutiat primogenita Ægypti, id est timorem, qui accusante conscientia minetur pœnam æterni supplicii. Et quis vestrum (inquit timor) habitare poterit cum flamma devorante? (*Isa.* XXX.) Quis permanebit cum ardoribus sempiternis? (*Isa.* XXXIII.) Dum igitur timor pœnæ æternæ animæ peccanti vias suas malas ad memoriam reducit, profecto primogenita, id est prava opera in priori tempore perpetrata, in gladio contritionis occidit. Iste fortassis est angelus qui percusso latere Petri excitavit eum dicens: Surge velociter (*Act.* XII). Ad Petrum namque, qui agnoscens interpretatur, angelus ingreditur, dum
B quilibet peccata sua recognoscens formidine pœnæ concutitur: quem a latere percutit, dum præteritas delectationes, in quibus sibi quiescere videbatur, relinquere compellit. Surge, inquit, homo, quasi diceret, hora est jam te de somno surgere. Surge qui dormis, ne forte damneris cum impiis in adventu judicis.

Quælibet igitur fidelis anima angelo percutiente ab Ægypto liberata, secundo descensu Dei opus habet, quo legem Domini immaculatam et convertentem animas in corde ejus scribat, et viam mandatorum Domini ipsum currere doceat, ne per varios circuitus erroris iterum revertatur in Ægyptum, hoc est, in mare et fluctus vitiorum. Unde etiam et Moysi, qui sumptus vel salvatus ex aquis
C interpretatur, lex Domini data fuisse prohibetur. Ei profecto mandata Dei et disciplina sunt utilia, qui conversus a via sua pessima vitia detestatur, et Pharaoni servire contemnens carnalia desideria in se extinguere conatur. Ut autem lex ista ab inquietatione sit libera, datur non in Ægypto, sed in eremo, id est in claustro, in sanctæ religionis loco, ubi erepti ab hoc seculo psallunt spiritu, psallunt et mente, et scrutantes testimonia ejus (*I Cor.* XIV) in lege Dei meditantur die ac nocte (*Psal.* CXVIII). Iste autem descensus Dei ad hominem ubi legem accipit, fit in caligine, in tonitruo, in fulgure, et in igne. In caligine peccatorum recordatio, in tonitruo peccatorum afflictio, in fulgure terror discor-
D diæ et seditionis, in igne vero affectus fraternæ dilectionis. In caligine itaque nos docet ex recordatione peccatorum humiliari; in tonitruo pro eisdem in fame et siti, vigiliis et jejuniis affligi; in fulgure viam religionis et disciplinam in timore et mansuetudine suscipere; in igne vero studio charitatis eadem opere implere. In his profecto quatuor omnis via religionis continetur: in interiori contritione, in exteriori afflictione, in mansuetudine conversationis, et in vinculo fraternæ charitatis. Hinc est quod Abraham immolaturus filium, fertur secum tulisse ignem et gladium (*Gen.* XXII): per gladium qui incidit ex utraque parte, pœnitentiam interiorem et pœnitentiam exteriorem possumus intelligere. Interior enim pœnitentia incidit per contritionem

cordis, exterior per castigationem corporis. Similiter et in igne duo inveniuntur, scilicet splendor et calor. In splendore potest intelligi mansuetudo conversationis, de qua dicitur : Luceat lux vestra coram hominibus (*Matth.* v). In calore vero ardor supernæ dilectionis. Qui ergo vult seipsum offerre Deo, sacrificium secum ferat, scilicet ignem et gladium, ut per gladium seipsum corripiat, et per ignem pacem proximi custodiat et nutriat.

Isti sunt custodes super Jerusalem constituti, qui tota die ac nocte non cessant laudare nomen Domini. Huic siquidem nostræ civitati quatuor isti custodes sunt deputati, scilicet dolor in corde, labor in corpore, mansuetudo in conversatione, amor in supernorum dilectione. Custodit igitur dolor fideliter, labor viriliter, mansuetudo suaviter, charitas confidenter.

In hac nostra Jerusalem duæ sunt turres munitissimæ quadris lapidibus ab imis et deinceps ædificatæ, quarum una dicitur turris fortitudinis, reliqua vero domus pacis. Prima est curiosa, secunda pacifica. Primam tenet Martha, secundam Maria. Unde Dominus : Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima (*Luc.* x). Sollicita es labore, turbaris dolore, si ergo custodia hujus turris est Marthæ, procul dubio custoditur dolore et labore : dolore per contritionem cordis, labore per exhibitionem boni operis. Sed Mariæ non est curæ quod relinquit sororem suam solam ministrare. Audi quid dicat Scriptura : Maria, inquit, domi sedebat, sedebat quieta, sedebat secura : quieta per virtutem mansuetudinis, secura per virtutem charitatis. Secura quidem, quoniam perfecta charitas foras mittit timorem (*I Joan.* IV). Hæc sunt illa quatuor ostiola, de quibus in ingressu templi positis Regum loquitur historia, quæ hoc modo erant disposita (*III Reg.* VI). Ut unum duplex ostium constituerent duo et duo ad se invicem conjuncta, ut si forte placeret ea aperiri quodam modo sese celantia, alterum post alterum posset duplicari. Unum igitur duplex ostium, dolor et labor constituunt, qui adeo connexi sunt, quod vel raro vel nunquam sese derelinquent. Reliquum vero duplex ostium ex charitate et mansuetudine construitur, quæ etiam adeo connexa sunt, ut ex charitate mansuetudo generetur. Illud autem duplex ostium, quod est ex labore et dolore, per vinculum fortitudinis conjungitur : quia nisi adsit fortitudo animi, labor quandoque ab interiori contritione separatur. Reliquum vero quod est ex mansuetudine et charitate, vinculum patientiæ connectit : quia si non adsit patientia, mansuetudo quandoque a charitate recedit. Volvuntur autem ista ostia in cardine humilitatis, clauduntur repagulo discretionis, ut per humilitatem jactantiam caveant, et per discretionem intemperantiam sive stultitiam non admittant. Est igitur ostium istud humilitate volubile, fortitudine durabile, discretione mensurabile, patientia laudabile, dolore circumspectum, labore solidum, charitate splendidum, mansuetudine levigatum. Fecit enim, inquit, ostia duo de lignis abiegnis : et utrumque duplex erat, et se invicem tenens aperiebatur (*ibid.*). Abies, ut dicitur, arbor est in superficie pulchra, proceritate alta, ramis dilatatis circumquaque diffusa. Hæc igitur ostia debent esse de lignis abiegnis, hoc est, pulchra in spiritus hilaritate, alta longanimitate, lata pietate, sive proximi compassione. Sed jam lege Domini in sancta professione accepta, tertius Dei descensus ad hominem, quem consolationis diximus, est necessarius, cujus eo magis egemus præsidio, quanto fortior est pugna cum adersario. Cum enim novus Christi miles securum esse se credit, et jam in propositi sui via viriliter incedit, ecce ex adverso impetus fortium insurgunt in circuitu ejus, undique fugiendi viam obstruunt et acutissima tela jaciunt, quæ non solum corpus, verum etiam animam afficiunt. Ingerit se illa nimium amabilis spes sive copia divitiarum, occurrit crebra et vehementer importuna memoria litterarum, seculares illæ et jocundæ recreationes, sed et carnales infestant tentationes. In hoc tempestatis periculo venit ad nos Dei sapientia confortando per gratiam consolationis, et illuminando per cognitionem veritatis. In hoc tempestatis articulo confortat pusillanimem, consolatur desperantem, fatiscentem recreat, proficienti opem fidei ministrat, sicut de eo conscriptum est : Quia calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non extinguet (*Isa.* XLII). Audi ergo tu quia jam segregatus es a sæculo, qui novisti votum Deo Jacob, qui tentationibus in diversum traheris, quem delectat vitæ præteritæ, ut æstimas, felicitas, quem terret sanctæ religionis asperitas, audi, inquam, quid loquatur in te Dominus Deus : quia, ut æstimo, loquetur pacem in plebem suam (*Psal.* LXXXIV). Primum volo te argentum, aurum, ornatum vestium, et cætera quibus delectatur humana curiositas, ante faciem tuam ponere, et oculo intellectuali non carnali diligenter examinare : quod si feceris non consolationes, imo potius maximas desolationes invenire poteris. Quæ enim in eo felicitas esse potest, quod cum labore acquiritur, cum timore possidetur, cum dolore amittitur? Unde quidam irridens talem felicitatem ironice exclamavit dicens : O præclaras opum divitias, quas cum adeptus fueris, securus esse desistis. Memento illius divitis qui in Evangelio amplificare horrea sua præparabat, cui dictum est : Stulte, in hac nocte animam tuam tollent a te, et hæc quæ congregasti cujus erunt? (*Luc.* XII.) Et ita factum est. Et propheta David de his qui gloriam hujus mundi dilexerunt, ait : Et dominabuntur eorum justi in matutino, et auxilium eorum veterascet in inferno a gloria eorum (*Psal.* XLVIII). Secundum mensuram enim gloriæ, qui usi sunt gloria hujus mundi, justo Dei judicio cum mortuis deputati, suscipient in inferno angustias tormenti. Unde et duo philosophorum peritissimi, cum hujus mundi gloriam et sanctam conversationem, quæ est in Christo Jesu vel-

lent typice figurare, alter eorum inferni ingressu arborem habentem ramum aureum descripsit : alter vero catenam auream de cœlo in terras dependentem somniavit. Quid aliud, quæso, per ramum illum aureum, quam mundi hujus decor et gloria significatur? quæ et in introitu inferni ideo esse dicitur, quia per amorem hujus mundi ejus amatores ad infernum transmittuntur. Timeat ergo omne semen Israel hanc arborem contingere, quia facilis descensus Averni. Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras, hic labor, hic gemitus. Sed et alter per catenam auream vitam sanctorum voluit significare, quæ in terris constituta cœlestibus tantum jungitur sancta meditatione, pia devotione, sicut dicit Apostolus : Nostra autem conversatio in cœlis est (*Philipp.* III). Et si enim viri religiosi in terra sint positi, virtutum tamen gradibus et bonis operibus quasi per catenam sunt connexi.

Quod si amor litterarum te tentaverit, illud primum recole, quoniam indocti plerumque cœlum rapiunt, et viri periti cum litterarum notitia multoties ad profundum inferni descendunt. Sed ipse qui in te loquitur, a te scire desiderat, an in hoc tuo desiderio finem constituas vanitatis, an cognitionem veritatis? Sed quid si vanitatem tibi finem ponis, erras et te ipsum decipis, cum illis deputandus, qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, et ideo stulti facti sunt et defecerunt in vanitatibus suis (*Rom.* I). Si autem per scientiam veritatem investigare conaris, in hoc etiam erras et teipsum decipis, et cum Pilato quærens quid est veritas (*Joan.* XVIII), ipse tamen veritatem deprehendisti. Ego, inquit, sum via, veritas, et vita; via in ditione, veritas in cognitione, vita in fruitione. Via in merito, veritas in promisso, vita in præmio. Ego, inquit, sum via, veritas, et vita. Et Propheta : Beatus quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum (*Joan.* XIV). Ipse enim quippe est qui docet hominem scientiam (*Psal.* XLIII), non per inanem philosophiam aut in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in spiritu Dei (*I Cor.* I), legem divinam scribit in libro cordis. Sed et si veram sapientiam, hoc est, sapientiam sanctam quæris, melius hanc tibi revelabit exercitium orationis quam studium lectionis. Sed delectabit fortassis te facundia Tullii, sapientia Platonis, ingenium Aristotelis, qui sapientes nescios, et stultos peritos reddit. Sed quæ est conventio Christi ad Belial? Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris vestri domum negociationis (*Joan.* II); non enim regnat spiritus Christi, ubi damnatur spiritus Aristotelis. His et hujusmodi consolationibus confortatos, Christus, qui nos eripuit mundo, non patietur nos supra id quod possumus tentari, ne cum semel miserimus manum ad aratrum, respicientes retro indigni efficiamur regno Dei (*Luc.* IX). Muniti ergo, fratres dilectissimi, per opera justitiæ a dextris et a sinistris præparemus viam Domini, rectas faciamus in hac solitu-

A dine semitas Dei nostri, et currentes viam mandatorum ejus, in mansuetudine disciplinæ, et obsequio obedientiæ in anteriora semper extendamus, ingredientes de virtute in virtutem mereamur videre Deum Deorum in Sion (*Psal.* LXXXIII). Non simus ei ingrati qui liberavit de Ægypto, hoc est, de præsenti seculo, teneamus legem quam nos docuit in deserto, id est in hoc terrestri paradiso, scilicet monasterio. Veneremur adventum nostræ visitationis, ubi in se suscipit nostra infirma, hoc est, consolatur nos in omni tribulatione et angustia nostra, ut illum ultimum adventum examinationis secure possimus expectare, quando filius hominis veniet in virtute magna et majestate (*Matth.* XIX). Quod nobis præstare dignetur idem judex noster creator et
B redemptor noster Jesus Christus, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SERMO V.

IN ADVENTU DOMINI.

Descendere faciam ad vos imbrem matutinum et serotinum, et reddam vobis annos quos comedit locusta et brucus, rubigo, et eruca (*Joel* II). Verbum quod audistis, fratres dilectissimi, promissum tenet nostræ liberationis et affectum paternæ consolationis, utpote transmissum nobis a Deo patre orphanorum, et judice viduarum.

Pater etenim misericordiarum annum benignitatis, diem remissionis, tempus miserendi annuncians, imbrem matutinum et serotinum promittit in abundantia, ut in stillicidiis ejus fœcundata aperiatur
C terra et germinet salvatorem. Descendere, inquit, faciam ad vos imbrem matutinum et serotinum : imbrem intellige non corporalem sed spiritalem, de quo Propheta : Descendet sicut pluvia in vellus (*Psal.* LXIV). Et Isaias : Sicut imber descendit de cœlo et inebriat terram, et infundit eam, sic erit verbum quod egreditur de ore meo (*Isa.* LV). Imbrem Verbum Dei, Filium Virginis significare voluit, qui instar pluviæ criminosos lavat, novellas plantationes in domo Dei educat, sitientes justitiam (viros perfectos loquor) potat. Lavat igitur in compunctione, educat in provectione, potat in consummatione. Vis videre hunc imbrem lavantem? Accipe lacrymas Mariæ peccatricis, pœnitentia Pauli per-
D sequentis, confessionem Petri negantis, deprecationem latronis supplicantis. Si abluerit, inquit propheta, sordes filiarum Sion, et sanguinem Jerusalem laverit de medio ejus in spiritu judicii et spiritu ardoris (*Isa.* IV), quasi dicat, tunc sanctus vocabitur omnis qui relictus fuerit in Jerusalem. Attende, si placet, consequenter educantem, et adjuvabit, inquit, eos Dominus, et liberabit eos, et eruet eos, a peccatoribus et salvabit eos, quia speraverunt in eo (*Marc.* XIV). Quos adjuvabit? Eos utique quos segregavit a seculo, et vocavit per gratiam suam, qui cum ipso ferventes spiritu stant in acie dicentes cum Petro : etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo : fortes quidem proposito sanctitatis, infirmi tamen constantia virtutis. Hos, inquam, ad-

juvat Dominus in pugna hostium, liberat a ser .pida vitiorum, eruit a peccatoribus, hoc est, a scan. .it proximorum : tandem salvabit eos, quia speraverunt in eo. O quam suavis est educatio hæc, quæ ducit a flore primævæ conversationis usque ad fructum extremæ remunerationis' Vis hunc imbrem videre potantem? Recordare quantum ad historiam fontem Agar a facie dominæ suæ fugientis (*Gen.* XXI), vas aquæ Heliam reficientis (*III Reg.* XVII), aquas murmurantis populi in deserto (*Exod.* XV), aut demum nuptias architriclini (*Joan.* II). Sic certe spiritaliter alios potat magnitudine revelationum, alios profunditate Scripturarum, quosdam exercitio sanctæ meditationis, alios suavitate devotionis. Et imber quidem talis est, sed ubi est ejus descensus? Sic enim dictum est : descendere faciam. Parvum ne descensum existimas Filium Dei pannis involvi, pendere ad ubera matris, incarnari, demum crucifigi? Audi descensum : Similis, inquit, factus sum pellicano solitudinis, factus sum sicut nycticorax in domicilio (*Psal.* CI). Pellicanus avis est macilenta, et corpore tenuis : nycticorax avis est nocturna, et colore deformis. Et ipse quidem similis factus pellicano, quando nostræ naturæ assumpsit maciem : factus est sicut nycticorax, quando pependit in cruce non habens speciem nec decorem. Et alibi : Traditus sum et non egrediebar, oculi mei languerunt præ inopia (*Psal.* LXXXVII) : Traditus sum, id est, expositus passioni, secundum infirmitatem corporis, non egrediebar demonstrando potentiam divinitatis.

Magnus est iste descensus, magna humiliatio, magna demum dignatio medici intrare infirmariam ægroti. Et multi quidem infirmi in ea jacebant, utpote socrus Petri (*Luc.* IV), filius reguli (*Joan.* IV), puer centurionis (*Matth.* VIII), sed et multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum (*Joan.* V), desiderantium salutaris medici adventum. An non vere cæcus qui ait : Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum (*Psal.* XXXVII) Similiter et aridus qui dixit : Dies mei sicut umbra declinaverunt, et ego sicut fœnum arui (*Psal.* CI). Et alibi de claudis dicitur : Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis (*Psal.* XVII). Et cæci quidem ignorando Deum, claudi per defectum bonorum operum, aridi sine humore virtutum. Intravit itaque Dei Filius hanc infirmariam, id est, nostræ mortalitatis miseriam, quando languores nostros ipse suscepit, et nostræ naturæ participium in beata Virgine sibi univit. Unde hujus infirmariæ januam recte dixerim beatam virginem Mariam : ipsa etenim est porta de qua propheta dicit : Porta hæc clausa erit et non aperietur, et vir non transibit per eam, quia Dominus exercituum ingressus est per eam (*Ezech.* XLIV). Sed quando, vel ubi introivit per hanc portam? Interrogemus archangelum Gabrielem qui et ingressum diligenter observavit, et ab initio annunciavit : Ave, inquit, Maria, gratia plena; Dominus tecum (*Luc.* II). Dominus tecum per protectionem, Dominus in te per inhabitationem, Dominus ex te per incarnationem. Ecce ingressus paulo ante cum patre in cœlis, modo incarnatus in utero virginis : Ave Maria, inquit, gratia plena, Dominus tecum. Quid est ave? Forsitan hoc est, sine væ. Eva mater prævaricationis, væ multiplex in pœnam inobedientiæ excepit. Et primum quidem væ : Multiplicabo ærumnas tuas : secundum, in dolore paries filios : tertium, sub viri potestate eris (*Gen.* II). Et quid horum in beata Virgine reperies? Neque ærumnam in conceptu, nec dolorem in partu, sed nec viro subdita perpetuæ virginitatis obtentu.

Hoc est ergo quod dicit angelus : Ave Maria, hoc est, sine væ, quæ gratia plena, id est Spiritu sancto fœcunda fuit : Plenam siquidem gratia esse expedivit per quam quasi per carnale quoddam fons divinæ gratiæ ad universitatem humani generis redundavit. Ipsa etenim est terra de qua fons ille scaturivit, de quo in Genesi scriptum est : Nondum enim Dominus pluerat super terram, nec erat homo qui operaretur terram, sed fons ascendebat de terra qui irrigavit superficiem terræ (*Gen.* II). Fons equidem de terra ascendit, quando splendor gloriæ et fons vitæ Dei Filius de beata Virgine nasci voluit. Superficiem terræ irrigavit, quando ipsos peccatores et abundantes in seculo, tam Judæos quam gentiles ad fidei gratiam convertit, et non solum convertit, verum etiam a laqueo mortis redemit, sicut scriptum est de ipso : Quia venit filius hominis quærere et salvum facere quod perierat : et animam suam dare in redemptionem pro multis (*Luc.* XIX). Et fortassis expressius pro omnibus dixerim : quia peccaverant omnes et egebant gloria Dei (*Rom.* III), ideoque clamaverunt ad Dominum dum tribularentur, et de necessitatibus eorum liberavit eos (*Psal.* CVI). Quid aliud quæso significant quatuor versus illi in nocturnis laudibus, primo responsorio accantati, nisi commune omnium desiderium pro communi liberatione? Primus siquidem versus, Quique terrigenæ et filii hominum, (*Psal.* XVIII) pertinet ad homines terrenos qui fuerunt ante legem. Secundus, Qui regis Israel intende (*Psal.* LXXIX), ad Israelitas qui legis acceperant cognitionem. Tertius, Excita potentiam tuam (*ibid.*) ad homines gratiæ in secundo adventu quærentes mortalitatis liberationem. Quartus id est Gloria patri, communem omnium in æternitate jocundam felicitatem. Et imbrem quidem et ejus descensum jam charitas vestra audivit, sed quomodo matutinum et serotinum?

Ut autem ad nostram ædificationem hæc referamus, dies nostra est claritas piæ conversationis, de qua dicitur: luceat lux vestra coram hominibus (*Matth.* V). Mane hujus diei bonæ vitæ inchoatio, sero ejusdem consummatio. Quid ergo aliud dixerim imbrem matutinum, nisi quod cum se infundit Deus

: Qui A fort xix).

peccatori per compunctionem : vel imbrem s num, nisi cum bene inchoatum ducit in virum fectum consummatione virtutis? Quasi enim imb tempestivus de terra semen producit, quando cor terrenum et animale per spiritum compunctionis Deus in lachrymas resolvit. Imbrem serotinum effundit, cum jam totus homo conversus in spiritum dolet habitare cum habitantibus Cedar, cupiens dissolvi et esse cum Christo. Vis videre imbrem matutinum? Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Et Jeremias : Oculus meus deducens aquam, quia longe factus est a me consolator convertens animam meam (*Rom.* VIII). Audi et imbrem serotinum : Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Jam enim desiderio vitæ æternæ perfusus, non corpus mortale, sed mortis appellat. Quia omne id mortem æstimat quidquid a vita æterna, quæ est Christus, retardat vel separat. Hunc imbrem serotinum in anima beati Job distillasse arbitror cum diceret : Elegit suspendium anima mea et mortem ossa mea (*Job* VII). Suspendium significare volens celsitudinem contemplationis : mortem ossium, mortificationem carnis.

Et certe dulce est suspendium oratione cœlum pulsare, sancta meditatione penetrare, mirari angelorum felicitatem, venerari justorum beatitudinem, devotione Deum quærere, dilectione apprehendere. Utinam spiritus assumat me cum propheta inter cœlum et terram, ut qui assurgere nequeo ad celsitudinem contemplationis, saltem a terra paulisper elevatus, non appropinquem ad portas mortis. Expergiscere, anima mea, et quæ non potes ad alta Dei assurgere, infirma ejus (incarnationem loquor et passionem) virtute qua vales amplexare : quæ ad Dei sublimia cum viris perfectis non potes assurgere, dirige mentis aciem ad fixuram clavorum, ad cicatrices vulnerum, depone de cruce mortuum, quem non potes intueri regnantem super choros angelorum. Vade et tu, peccator, quem accusat testimonium conscientiæ, præpara cor tuum ad imbrem matutinum, ut reddat tibi annos quos comedit locusta, et brucus, rubigo et eruca. Hæc sunt quatuor vitia quæ Jerusalem et Judam ventilant in omnem ventum, quæ nec te nec alium intentatum relinquunt, quæ omnes in via Dei ambulantes quantum valent impediunt. Locusta saltus dans et cito cadens, superbiam signat : brucus qui totus est in gutture, gastrimargiam sive gulam : rubigo, impacientiam ; eruca quæ est vermis fœtidus, luxuriam. Surgit enim primo superbia et dicit intra se : Cum eras in seculo, cingebas te et ambulabas ubi volebas, libere currebas ad exitus viarum, ad conventicula chorearum, et postremo ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebaris, nec revertebaris cum ambulares. Durum est in statum parvuli reduci, increpationes sustinere, flagellis dorsum exponere, semper portare formam servi, per omnia obedire alienæ voluntati. Sic caro machinatur ca-

pl in illicitis desideriis : gula sobrietati, in ... potibus superflue appetendis : impatientia ...nsuetudini, in detractionibus et contumeliis. Sed tu, vir bone, qui vovisti votum Deo Jacob (*Psal.* CXXXI), ne adquiescas eis. Attende miseriam hujus carceris, brevitatem temporum, quam sit mors repentina, quam sit pœna peccati diutina. An nescis quia fur ille evangelicus quotidie perfodit domum tuam? Frequenter corpus febre corripitur, caput dolore vexatur, caligant oculi, languor se ingerit frequenter incurabilis, mors festinata, sepulchrum in evidenti. Cur ergo non vigilas? Quis paterfamilias videns parietes ruinosos, ligna putrefacta, laquearia diruta, debile fundamentum, tectum undique perforatum, non timeat latrones, non fugiat
B hostes? Fugiamus ergo, fratres dilectissimi, hostes animæ humanum sanguinem sitientes, tendentes in insidiis laqueos, plurimos capientes. Fugiamus (dico) orantes secundum consilium Domini, ne fiat fuga nostra hyeme vel Sabbato (*Matth.* XXIV). In hyeme fuga est laboriosa propter intemperiem frigoris, in Sabbato illicita propter transgressionem legis. Est autem hyems obstinatio mentis : fuga, pœnitentia : Sabbatum, requies æternitatis.

Non est differenda pœnitentia usque in hyemem, quia tunc obstat peccati dominium : neque in Sabbatum, quia in futuro pœnitentia non habet locum. Quomodo ergo fugiendum?

Principiis obsta, sero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

C Occidenda sunt primogenita Ægypti, resistendum est in principio illicitæ suggestioni. Percussisti (inquit) caput de domo impii, denudasti fundamentum ejus usque ad collum, maledixisti sceptris ejus (*Habac.* III). Caput impii, id est origo impietatis, recordatio est nostræ pravæ conversationis : fundamentum, occultum est illicitæ cogitationis : sceptrum, quod est insigne regiæ potestatis, peccati est dominium. Percutiendum ergo est caput de domo impii, ne recordatio pravæ conversationis nos afficiat : denudandum est fundamentum, ut confiteamur occulta cogitationis : maledicendum sceptris, per detestationem pravæ operationis. Ergo, si placet, fugam Heliæ nobis proponamus. Videa-
D mus qualiter ipse fugerit, ut et nos ita faciamus. Scriptum est de Helia, quia fugit a facie Jezabel in solitudine, ibi projecit se sub umbra juniperi et obdormivit, postmodum refectus pane subcinericio et potu aquæ, in fortitudine cibi illius ambulavit usque ad montem Dei Oreb (*III Reg.* XIX). Jezabel quæ *sterquilinium* vocatur, Heliam persequitur, quando quilibet amator castitatis, a carnis concupiscentia impugnatur. Fugiendum est ergo in solitudinem, id est solitariæ vitæ habitaculum, sive in claustralis vitæ conversationem, ubi nec oculus videat quod concupiscat, et ipsa solitudo inanis gloriæ occasionem præcidat. Sed nec ibi tutus eris, nisi projicias te sub umbra juniperi, id est nisi conformeris humilitati et passioni Jesu Christi. Ju-

niperus arbor est humilis, contemptibilis, hispida et infructuosa, et Christum designat. Ipse enim fuit contemptibilis, incarnatus. Unde propheta: Vidimus nec reputavimus eum (*Isa.* LIII). Hispidus, id est spinis coronatus: infructuosus secundum multorum existimationem cruci appensus. Unde dixerunt: Nos autem sperabamus quod ipse esset redempturus Israel (*Luc.* XXIV). Sub umbra hujus juniperi debemus nos projicere, ejus conversationi nos conformare, in laboribus et ærumnis, in vigiliis et oratione. Sed de junipero quid dicit poeta?

Surgamus: solet esse gravis residentibus [cantantibus] [umbra Juniperi.

Umbra juniperi gravis et infirma est corpori, sic certe laboriosum est et grave e vestigio Christum imitari, corpus macerare, orationibus et vigiliis insistere, æquanimiter ferre silentium claustri, duritiam lectuli, diuturnitatem vigiliarum, tractus et dispendia horarum, et propterea plerique cum Jona fugimus a facie Domini in Tharsis, quod sonat explorationem gaudii. Declinamus ab umbra juniperi, ne gravem feramus corporis laborem. Ideoque terrenas et transitorias consolationes quærimus dicentes: quia bonum est uti delitiis et frui bonis. Hæc tamen est via, hæc est arcta illa semita, quæ ducit ad vitam (*Matth.* VII): quia nonnisi per multas tribulationes intratur in regnum cœlorum. Quid denique magnum sine labore conquiritur? Sic certe inter pericula navis ad portum dirigitur, æs multis tonsionibus in aurichalcum vertitur. Bissus multa attritione in candorem mutatur, et vasa figuli probat fornax, et virum justum probatio tribulationis (*Eccli.* XXVII). Projiciamus ergo nos sub umbra juniperi, reficiamur potu aquæ et subcinericio pane. Panis subcinericius est memoria mortis: vas aquæ, lachrymæ devotæ confessionis. In hujus cibi formidine ambulabimus usque ad montem Dei Oreb, id est usque ad cœlestem Jerusalem, propter indeficientem sanctorum charitatem. Memoria etenim mortis custodit nos ne peccemus in via, sicut dicit sapiens: Fili, memorare novissima tua et in æternum non peccabis (*Eccli.* VII). Lachrymæ confessionis ad viam reducunt post delicta. Ergo, fratres dilectissimi, dum tempus habemus, ambulemus hac via, quia brevis est via, et transitoria vita. Supplicemus Mediatori nostro Jesu Christo ut ipse sit dux viæ et largitor gratiæ, donec perveniamus ad montem Dei Oreb, id est ad cœlestem Jerusalem, ipso præeunte et conducente Jesu Christo Domino nostro, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum, Amen.

SERMO VI.

IN NATALI DOMINI.

Dum medium silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus, Domine, a regalibus sedibus venit (*Sap.* XVIII).

Multifarie multisque modis locutus est homini Deus A ab initio, ut familiaritate colloquii creatura Creatorem agnosceret, et omni subtracta silentii occasione nunquam cessaret a laude Dei sui. Tria igitur verba principalia locutus est Deus, quibus homo instrueretur ad vitam. Primum fuit verbum mundi creationis, secundum fuit verbum prophetalis prænunciationis, tertium fuit verbum humanæ reconciliationis. Primum verbum, id est immensitas creaturarum prædicabat invisibilem Dei virtutem (*Rom.* I), quatenus tam potentem timeret homo offendere per culpam. Secundum verbum, id est vaticinium prophetiæ venturi Salvatoris bonitatem prænunciabat, ut peccator speraret veniam. Tertium verbum quod caro factum est et habitavit in nobis promittebat homini beatitudinem, ut juste et pie vivendo festi-
B naret ad gloriam.

His tribus verbis tria successerunt silentia. Primum silentium fuit defectus humanæ rationis: medium silentium fuit desiderium adimplendæ promissionis: tertium silentium fuit secretum internæ contemplationis. Post primum enim verbum homo siluit, quia succumbente humana ratione invisibilia Dei per creaturas cognoscere non poterat, et ideo longe projectus est a Deo, non laudans neque invocans nomen ejus. Post secundum verbum similiter homo conticuit, quia accepta repermissione illum solum desiderabat, cujus erat repositum, in quo finem acciperet peccatum et tolleretur prævaricatio, et veniret justitia sempiterna, Christo vero in
C carne apparente. Tertium subintravit silentium, id est pax et tranquillitas cordis, in quo silentio viri sancti requiescunt a strepitu hujus mundi: qui a vana conversatione sua et operibus mortuis ad Deum conversi sunt: et illi serviunt in jocunditate spiritus et affectu bonæ voluntatis. Dum ergo medium silentium tenerent omnia. Quæ omnia? Certe elementa mundi hujus Christi adventum desiderabant, ut Creatori suo impenderent servitutem. Homo Christi adventum desiderabat, ut captivus acciperet libertatem. Angelus Christi adventum desiderabat, propter angelicæ ruinæ reparationem: et, si dici liceat, ipse Deus Christi adventum desiderabat, propter adimplendæ promissionis veritatem. Dum ergo medium silentium tenerent omnia, et nox in
D suo cursu medium iter haberet, nox peccati primum iter in cœlo habuit, quando merito suæ superbiæ, dejectus est prævaricator angelus. Medium iter habuit in mundo, quando ante adventum Christi omnia erant conclusa sub peccato, nec erant qui de meritis suis possent gloriari. Tertium iter habuit in inferno, ubi filii Adam ratione delicti pœnali subdebantur supplicio. Vides quantus cursus noctis hujus erat, quæ cucurrit a summo cœli usque ad profundum inferni. Dum ergo nox ista medium iter haberet, omnipotens sermo tuus, Domine, a regalibus sedibus venit. Sedes Christi natura est divina, in qua sedet per stabilitatem æternitatis. Unde dictum est: Sedes tua, Deus, in seculum seculi (*Psal.* XLIV). Sedes Dei sunt et angelici spiritus in quibus sedet

per quietem contemplationis. Unde dictum est : Qui sedes super cherubin manifestare (*Psal.* LXXIX). Sedes Dei sunt animæ justorum in quibus sedet per gratiam justificationis. Unde dictum est: Anima justi sedes est Dei (*Sap.* VII). A regalibus ergo sedibus venit ad nos Christus, quando præsentiam suam quam beatis spiritibus exhibebat per divinitatem, homini etiam ostendit per assumptæ humanitatis dignationem. Dum ergo medium silentium tenerent omnia, per desiderium adimplendæ promissionis, et nox in suo cursu medium iter haberet, id est dum peccatum omnia suo subdidisset imperio, omnipotens sermo tuus a regalibus sedibus venit. Dum Christus angelicis spiritibus cognitus secundum naturam divinam, hominibus se manifestum præbuit secundum naturam humanam. Sermo autem iste ideo omnipotens, quia Dei sermo est. Sermo autem Dei, Deus est, id est Christus.

Nunc ergo diligenter audi sermonem istum et eum in corde tuo quasi in libro scribe : quia non in vanitate multiloquii, non in verborum sublimitate, sed in via humilitatis et infirmitatis conscientia, et paupertatis exemplo docet te viam salutis. Proponit tibi sermo iste Christi humilitatem, ut cum ipsum humilem et despectum videris, despicias et tu quidquid hoc mundo videtur superbum et sublime. Proponit tibi infirma Christi, ut cum videris eum tantis vallatum infirmitatibus et miseriis, contemnas omnia mundi hujus fortia, quæ promittunt aliquam in se firmitatem. Proponit tibi sermo iste paupertatem Christi, ut cum videris eum vilibus pannis involvi, non habentem ubi reclinet caput suum, nec etiam dignum æstimatione judices quidquid in hac vita amabile et jocundum possidetur. Verumtamen hanc vivendi viam ipsa natura te docuit ab initio, quæ multis circumdatum doloribus nudum introduxit in hanc lucem. Sed semitis quibusdam erroneis seductus es, et ad tempus ab ea deviasti. Accessit enim intus ad te quædam præsumptio spiritus, ut altum de te sapiens infirma tua non cognosceres. Accessit foris ad te rerum visibilium species, quibus et iterum illectus es, ut nativæ paupertatis tuæ oblitus in illis felicitatem æstimares : et propterea sermo Dei ad te directus est, ut reducat te ad viam quam perdidisti, quatenus dum in via mortalitatis hujus nihil appetendum docuerit, et libentius audias, et firmius commendes memoriæ verba salutis. Vis audire quæ verba ? Pauca sunt verba sermonis hujus : quia brevis et compendiosus est, in tantum ut sex verborum numero consummatus sit.

Primum verbum sermonis hujus, est ablutio culpæ, secundum restitutio gratiæ, tertium evasio exilii, quartum consecutio regni, quintum consortium divinitatis, sextum adeptio æternitatis. O utinam tu qui multum discis, vel unum ex verbis istis retinens, et non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in verbis quæ justificant impium, et justum beatificant disceres gloriari. Scrutare modo angulos cordis tui, et loquere cum conscientia tua si forte aliquod ex verbis istis murmuret in illa. Si planxisti scelera tua, si vera confessione et digna satisfactione illa diluisti, primum verbum, quod est ablutio culpæ, sonat in corde tuo. Si jam justificatus ambulas in mandatis Domini et facis opera justitiæ, secundum verbum, quod est restitutio gratiæ, pervenit ad aures cordis tui. Cætera verba quæ sequuntur, in hac vita loquuntur tibi tantum ad consolationem, ne forte deficias in tribulationibus hujus seculi, quia in futura vita melius illa cognosces, quando audiens ea vives in eis. His verbis sermo Dei dictante divina sapientia tibi loquitur, et verbis quibusdam fallacibus repellis ea a corde tuo, ut eo ipso gravius judicium portes, qui audiens verba Dei nolueris ea opere adimplere.

Sunt enim humanæ sapientiæ tres species, quæ sermoni huic penitus contradicunt. Prima est sapientia mundialis, de qua dictum est : Sapientia hujus mundi, stultitia est apud Deum (*I Cor.* I). Secunda est sapientia carnalis, de qua dicitur : Sapientia carnis inimica est Deo (*Rom.* VIII). Tertia sapientia animalis, pro qua dictum est : Animalis homo non percipit ea quæ Dei sunt (*I Cor.* I). Sapientia mundi pertinet ad superbiam quæ facit hominem ingeniosum ad ambiendum honores, ad sectandum lucra, ad dilatandas possessiones, et cætera hujusmodi, ut animus occupatus rebus transitoriis, dum nimis concupisceret temporalia, obliviscatur æterna. Sapientia carnis ad concupiscentiam pertinet, ipsa est quæ docet hominem facere carnis curam in desideriis, in comessationibus et ebrietatibus, in cubilibus et impudicitiis, et cæteris hujusmodi, quæ ad carnis pertinent voluptates, de quibus scriptum est : Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur (*Gal.* V). Sapientia animalis ad superbiam videtur pertinere, ipsa est magistra eorum, qui dictis et exemplis sanctorum Patrum dedignantur inniti, et ideo dogmatizant perversa, et fidei contraria : et dum singulari præsumptione spiritus sui gradiuntur mysteria Dei penetrare non possunt, quæ melius vivendo pie quam ratiocinando subtiliter intelliguntur. O quanti verba sapientiæ hujus, libenter audiunt, et, contempta sapientia Dei quæ de cœlo loquitur, omnem sensum et studium cordis sui ad hoc inclinare nituntur, ut in perficiendis voluptatibus, in supplantatione proximorum, et curis seculi sapientes esse videantur. Vere comparandi sunt hujuscemodi homines ei qui piscatur in hamo aureo, quem dum in aquam turbidam miserit aliqua re vili et infructuosa detinetur in profundum, nec poterit jactura illius aliqua præcedenti captura piscium instaurari. Quid enim aliud est aciem ingenii sui ad studia prava convertere, quam hamum aureum in aquam turbidam mittere ? Sed cum imago incorruptibilis Dei, id est humanus animus, qui recte per aurum significatur, in profundum vitiorum detentus fuerit, non poterit damnum hoc aliquo temporali commodo æstimari. Quid enim prodest homini si mundum

universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? (*Luc.* IX.) Nihil prorsus. Et fortassis hunc hamum aureum mittunt in aquam turbidam hi, qui figmenta poetica, et cætera scripta ethnicorum libenter discunt et docent, et legem Domini immaculatam et convertentem animas (*Psal.* XVIII) surda aure prætereunt. Frequentem sermonem habent de nuptiis Mercurii et philologiæ, rarum vel nullum de copula Christi et fidelis animæ. Diligenter scrutantur unde macula in luna, sed advertere nolunt si macula sit in conscientia. Certe metuendum est eis, ne cum illis in suppliciis ardeant, quorum studia tanta veneratione et diligentia voluerunt imitari.

Ecce sapientia Dei clamat, dicens : Plange, plange, resipisce, resipisce, et dicunt omnes : Durus est hic sermo, et quis potest eum audire? (*Joan.* VI.) Vociferatur sapientia humana : Fruere voluptatibus, sequere desideria cordis tui; et dicunt omnes, quoniam bene. Comedamus et bibamus, cras enim moriemur (*Isa.* XXII). Quid tibi, o misera anima, in fluctibus vitæ hujus, vel ipsa vexatio non dat intellectum (*Isa.* XXVIII), ubi non pax, non securitas, non ulla vitæ certitudo? Quis unquam in mari constitutus, ventis et procellis jactatus undique fracto gubernaculo de vita securus fuit? Certe tu in fluctibus maris hujus positus es, et ignorasti usque adhuc, vel forte potius dissimulasti. Nam quid aliud est vita humana quam navis quædam, quæ bonis operibus velut quibusdam mercibus onusta, ad diem futuri judicii tendere debet?

Hujus gubernaculum sermo Dei est, qui in mari vitæ hujus inter prospera et adversa, et varias tentationes, conducere eam debet ad portum salutis. Sed cum anima peccatrix verbum Dei repulerit a corde suo, tunc ventis et procellis irruentibus undique, quasi fracto gubernaculo periclitatur tempestate viciorum.

Ab oriente concutit eam ventus propriæ voluntatis, per inobedientiam. A meridie eam concutit ventus secularis conversationis, per inanem gloriam. Ab occidente concutit eam ventus alienæ vexationis per impacientiam. Ab aquilone concutit eam ventus diabolicæ suggestionis, per malitiam. Vides, ni fallor, quam periculosum sit tibi his jactari fluctibus. Sed una salutis via superest, quia terra continens præ oculis est. Tunica ergo præcinctus mitte te in mare, et hanc terram si potes apprehende.

In ea enim sunt montes excelsi, quibus conscendere expedit propter impetum procellarum. In ea sunt valles humiles, in quibus delitescere potes propter violentiam ventorum. In ea sunt cavernæ, in quibus abscondi potes propter metum hostium. Terra ista homo Christus est, qui terra de terra, homo de Virgine est genitus. Ipse est terra continens, quia contra omnem viciorum alluvionem firmus et stabilis permansit. Hujus terræ montes sunt, eminentiæ virtutum et miraculorum : valles, humilia et infirma nativitatis ejus : cavernæ sunt, loca clavorum et aperturæ vulnerum ejus, de quibus sanguis nostræ redemptionis emanavit. Ascende ergo in montes virtutum ejus, si magnus es. Delitesce in vallibus humilitatis et infirmitatis ejus, si parvus es. Abscondere in cavernis, id est respice ad medicinam vulnerum ejus, si formidolosus es. In Christo enim ubique salus, ubique protectio invenitur. Et ecce terra ista pro oculis est. Christus enim hodierna die nobis est natus, hodie a regalibus sedibus ad nos venit. Respiciamus ergo in ipsum oculis cordis nostri, ut timeamus ipsum judicem, et diligamus redemptorem. Suscipiamus illum manibus, ut operibus justiciæ et misericordiæ studiis serviamus illi. Suscipiamus inquam eum, nec dimittamus, donec introducat nos in domum matris nostræ, et in cubiculum genitricis nostræ (*Cant.* III), scilicet supernæ Jerusalem, ubi pax et securitas et lætitia sempiterna, in qua vivit cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

SERMO VII.

IN NATALI DOMINI

Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum (*Esdr.* VII).

Desideratam nati Salvatoris natalis diem devotione potius quam sermone loqui oportet, ubi profunditas rerum magnitudinis mole non solum linguæ, sed et sensus nostri premit officium. Sicut in libro Job scriptum est : Excelsior est cœlo et quid faciam? Profundior inferno, et unde cognoscam? (*Job* XI). Longior est terra mensura ejus et latitudo mari. Hinc est quod non loquitur ei Moyses nisi in caligine (*Exod.* XVI). Vidit Helias tamen posteriora transeuntis (*Isa.* LIII), nescit Isaias generationem ejus texere, non Joannes calciamenti ejus corrigiam solvere (*Joan.* I), hoc est, mysterium incarnationis ejus explicare. Quia tamen hodie carnis tectus cilicio nobiscum dignatus est discumbere, nobiscum epulari, accedam et ego cum invitatis ad regis nati convivium, recumbens vel in novissimo loco, ut cum catellis de mensa ejus aliquid accipiam, quod et vestræ proponam charitati, et propriæ subministrem devotioni. Libet ergo illud Isaiæ vaticinium attentare, in quo Verbi Incarnati mysteria continentur, ubi ait : Butyrum et mel comedet, etc. Sed quis iste est tam tenellus, tam delicatus filius, qui pane non pascitur, vinum fastidit, sed et cætera omnia quæ terra marique nutriuntur, tamen butyrum et mel comedet, quorum alterum saginat, alterum delectat? Ipse, ni fallor, magni est regis filius, quem Deus Pater constituit hæredem universorum, per quem fecit et secula (*Hebr.* I). Verumtamen quamdiu hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit Dominus omnium (*Galat.* IV), ideoque lautioribus ferculis pascitur : ne solidis cibis tenera indignata infantia potius ea vertat in fastidium quam in nutrimentum. Interim ergo butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare

malum et eligere bonum. Sed quod consequentiæ habere videtur, ut si butyrum et mel comedat, ideo sciat reprobare malum et eligere bonum? Quod ideo dictum intellige, quia, juxta sententiam philosophi, idem est sensus contrariorum, id est eo sensu quo unum contrariorum discernitur et reliquum, ut si tactu suave, tactu et asperum : si gustu dulce, gustu et amarum discernitur. Butyrum autem suave est, cui opponitur asperum : mel dulce, cui contrarium est amarum. Ergo Emmanuel noster butyrum et mel comedet, ut in his appetendo suave et dulce sciat eligere bonum, eorumdemque sensuum judicio damnet asperum et amarum, quod est reprobare malum. Quia tamen Emmanuelis nostri cibus spiritalis est, videamus quid significent ista fercula, quorum alterum, id est butyrum, de uberibus, reliquum, id est, mel, de floribus elicitur. Sicut ergo in melle Christi divinitas, ita et in butyro ejus humanitas significata est. Et congrua fortassis similitudine, per butyrum humana natura in Christo figuratur. Est enim butyrum pingue, suave, liquefactivum et nutritivum. Pinguedo itaque butyri refertur ad mysterium conceptionis, suavitas ad humilitatem nativitatis, liquefactio ad amaritudinem passionis, refectio ad sacramenta nostræ redemptionis. Nonne in conceptione quamdam butyri pinguedinem Christus homo videtur tibi accepisse, quando unctione charismatum unctus est præ participibus suis, quando vitulus ille saginatus in utero Virginis est præparatus, ut filio prodigo redeunti de terra dissimilitudinis pingue convivium instauraret, et usque adeo pingue, ut omnes electos ad illud convivium invitatos sua pinguedine saginaret? Suavitatem etiam hujus butyri advertere poteris, si recogites humilitatem nativitatis, præsepis diversorium, pannorum vilitatem, pastum mulierculæ, et quod demum is, qui est super omnia Deus benedictus, erat subditus illi. O necessaria suavitas, quæ et remedium pariter nobis attulit et exemplum! Quisquis ergo doloribus anxiaris, spinis peccatorum pungeris, si vis doloris mitigationem, appone butyri istius suavitatem. Si nobilitas te extollit, nihil Christo potentius. Si scientia inflat, nihil ipso sapientius. Si divitiis intumescis, nihil eo ditius. Et tamen adeo suavis et humiliatus in mundo apparuit, quod in propria venientem sui non solum non receperunt, sed etiam spreverunt eum. Tandem hoc butyrum igne passionis liquefactum, quædam stillicidia gratiarum in Ecclesiam transfudit : alios fecit charitate pingues, alios humilitate suaves : quosdam fortes constantia passionis, quosdam sacramenti refectione sanctificavit. Accepit Maria Magdalenæ ab hoc butyro unctionem pinguedine devotionis, David suavitatem virtute humilitatis, Petrus sensit ejus liquefactionem cruci appensus per amaritudinem passionis, et quotquot in Christo renati sunt, sacramentorum ejus participatione sunt refecti. Hoc butyrum de duobus uberibus, Judæa videlicet et gentilitate expressum est : quia de utroque populo Christus secundum humanam naturam descendit factus lapis angularis, qui fecit utraque unum, solvens medium parietem inimicitiarum in carne sua (*Ephes.* II). Neque enim tamen de semine David descendit secundum repromissionem, sed etiam missus est de petra deserti ad montem filiæ Sion. De petra deserti, id est de duricia et infidelitate gentilitatis. De his uberibus in Canticis sponsus ad sponsam loquitur dicens : Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis donec aspiret dies, et inclinentur umbræ (*Cant.* II). De ubere etiam Synagogæ, in lege Moysi scriptum est : Pecus cum genitum fuerit, septem diebus erit sub ubere matris, ab octavo autem die et deinceps poterit offerri Domino (*Levit.* XXII). Ubi per septem dies, vita carnalis, per octavum diem, vita spiritalis designatur. Filii etenim Synagogæ quandiu carnalibus serviebant cerimoniis, tanquam parvuli erant sub ubere synagogæ, donec Christus in carne apparens, fecit sacrificium Domino per vitæ spiritalis novitatem. Unde et Paulus dicit : Postquam placuit ei qui me segregavit ab utero, et vocavit per gratiam suam, ut revelaret in me Filium suum, continuo non acquievi carni et sanguini (*Galat.* I). De his uberibus non solum butyrum, sed et sanguis expressus est. Nam sicut dicit Salomon : Qui fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum, et qui nimis emungit, sanguinem elicit (*Prov.* XXX). Sanguis iste cruenti fuerunt Christi persecutores, qui dixerunt : Insidiemur ejus sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem, frustra deglutiamus eum sicut infernus viventem (*Prov.* I) : ad ultimum vociferati sunt : Sanguis ejus super nos et super filios nostros (*Matth.* XXVII). Unde et de sanguine fornicantis Jerusalem Ezechiel propheta dicit : Sanguis ejus in medio ejus, super limpidissimam petram effudit eum (*Ezech.* XXIV). Non est effusus super terram ut posset operiri pulvere. Sanguis enim ejus super limpidissimam petram effusus est, quando viri sanguinum in Christum, qui est limpidissima petra, suæ crudelitatis malitiam exercuerunt. Non est, inquit, effusus super terram, id est, super terrenum aliquem et peccatorem, ut posset operiri pulvere, hoc est, ut ratione delicti aliquam haberet imaginem excusationis. Vides in butyro suavitatem, quæ tanquam bonum eligenda, et in sanguine asperitatem quæ veluti malum merito reprobanda fuit. Ideoque Emmanuel noster butyrum comedit, ut sciret reprobare malum et eligere bonum. Nec tantum butyrum comedit Emmanuel noster, sed etiam et mel. Mel divinæ naturæ comparatur propter tria. Est enim mel purgativum, conservativum, et dulce. Siquidem et in gustu dulcedinem habet, et corruptiones purgat, et ea quæ in se suscipit, a corruptione illæsa custodit. Est ergo divina natura, mel purgativum, dum remissis peccatis justificat impium. Mel conservativum, quando augendo gratiam dirigit justum. Est et mel dulce, dum in perennis illius vitæ iocunditate largi-

tur præmium. Eo ipse intelligere potes quod Emmanuel noster mel comedendo reprobavit malum et elegit bonum : quia divinitatis suæ natura et mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo reparavit. Flores vero de quibus mel istud extractum est fuerunt opera Dei, quæ operatus est ab initio, ut notum faceret potentiam suam : sempiterna siquidem Dei virtus et divinitas, quæ in se æterna est, mundo quodammodo germinavit sub lege naturali, dum velut aurora quadam consurgente, tantum in creaturis vestigia Deitatis modica apparebant. Floruit vero mel istud tempore scriptæ legis, quando data lege multitudine præceptorum cognitio Dei amplior innotuit. Fructus vero hujus mellis provenit dum eminente plenitudine temporis terra nostra dedit fructum suum : et Christus factus est Emmanuel, id est nobiscum Deus, Deum pariter et hominem se demonstrans, ut in eo quod Deus butyrum comederet naturam humanam assumendo, et in eo quod homo mel comederet, divinitatis dulcedinem in se suscipiendo.

Nec te præterea quod est mel dulcedo et etiam mel dulcedinis. Est mel dulce et est mel quod dulcoratum potest appellari. Mel dulcedo divinitas est verbi. Mel dulcedinis, suavitas est evangelicæ prædicationis. Ideo autem mel istud dulcedinis dicitur, quia evangelica prædicatio a Christo dulcedine ædita est vel alias inspirata. Mel dulce est Scripturarum intelligentia spiritalis. Mel dulcoratum subtilitas est philosophicæ inquisitionis. De primo melle dicitur : Comedi favum cum melle meo (*Cant.* v). C Favus cum melle, humanitas est cum divinitate. De secundo melle Dominus ad Ezechielem dicit : Accipe librum istum et devora eum, et fiet in ore tuo dulcis tanquam mel (*Ezech.* III). Joannes etiam in deserto mel silvestre edebat (*Marc.* I), quando evangelicæ prædicationis dulcedinem incredulis ministrabat. Tamen sicut dicit historiographus, non revera mel fuit quo Joannes utebatur, sed sicut asserit, crescit in deserto Judææ arbor quædam humilis albentibus foliis, quæ confricata si gustentur, saporem habent mellis, et hoc ait esse mel sylvestre, quod Joannes in deserto comedebat. Nihil tamen refert dummodo per tale mel evangelica prædicatio figuretur. De tertio melle, quod est spiritalis intelligentia Scripturarum, Salomon dicit : D Fili, mel invenisti, comede quod sufficit, ne forte satiatus evomas illud (*Prov.* xxv). Comede, inquit, quod sufficit, hoc est, ad ædificationem non ad curiositatem arcana Scripturarum perscruteris. Sicut enim alibi dicit Salomon : Qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria (*Prov.* xxv). De quarto melle quod dulcoratum dixi, in lege fit mentio, cum mellis primitiæ prohibentur poni super altare Domini. Emmanuel itaque noster comedit mel dulcoratum, quando divinam et humanam naturam in unam personam univit. Mel dulcedinis comedit, cum prædicando vias vitæ mundo notas fecit. Mel dulce comedit cum Scripturarum mysteria disci- A pulis aperuit. Mel vero dulcoratum partim comedit partim reprobavit.

Si vis eum videre mel istud comedentem, reduc ad memoriam problema illud Sampsonis : De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo. Sampson etenim de terra Philisthiim volens uxorem ducere, dum esset in itinere occurrentem sibi leonem interfecit, et post modicum tempus ad cadaver revertens invenit in ore ejus examen apum et favum mellis, et extractum gradiens per viam comedebat eum (*Jud.* XIV). Sampsom iste ducens uxorem de terra Philisthiim, Christus est conjungens sibi Ecclesiam de perfidia gentilitatis. Ipse etenim dum esset in via hujus nostræ peregrinationis leonem interfecit, dum Verbum caro factum B est, humani generis inimicum videlicet diabolum prostravit, in quo dum appetiit [iste] escam carnis transfixus est aculeo Divinitatis, sicut dicit beatus Gregorius. Examen apum gentilium philosophorum est multitudo, qui ideo in ore leonis fuisse dicuntur, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, et ideo reprobi facti sunt et evanuerunt in cogitationibus suis (*Rom.* I). Favus mellis suavitas est philosophicæ inquisitionis. Hunc extractum de ore leonis Emmanuel noster comedit : quoniam quæ in sententiis philosophorum bene disputata fuerunt, quæ pertinebant ad honestatem, vel ad morum ædificationem, ad utilitatem Ecclesiæ, quæ est corpus Christi, convertit.

Unde et in lege Domini dicitur, quod virginem captam in prælio, rasis unguibus et capillis Judæus poterat uxorem ducere (*Deut.* XXI), quia secularem scientiam, quæ per virginem talem designatur, Christianus vere Deum confitens, potest ad eruditionem suam assumere, rasis tamen unguibus et capillis, hoc est præcisis figmentis et superfluitatibus, quæ in melle dulcorato ab Emmanuele nostro reprobata sunt, utpote quæ subversioni audientium magis proficiunt quam utilitati. Quid enim habet in se utile de ideis Platonis disputare, Somnium Scipionis revolvere, aut certe illa popularis sophismatum implicatio et cognitio rerum subtilium, in quibus multi finem in debitum statuentes perierunt et exterminati sunt? et omnia palato non sano licet amara sint, dulcia videntur, usque adeo quod amplius redditibus, spatioso patrimonio, et demum vitæ discrimine velint ea comparare. O Græci! Græci, semper pueri estis, nec ulla in vobis cana scientia est. An nescitis quia stultam fecit Deus hujus mundi sapientiam (*I Cor.* I), in qua pueris tantum radices proponuntur discendi, non provectis forma bene vivendi? Mel etenim dulcoratum permittitur parvulis, mel dulcedinis datur infirmis, mel dulce apponitur pueris, mel dulcedo reservatur beatis, qui in futuro oculis carnis videbunt eum ad gloriam, et spiritalibus oculis videbunt eum ad læticiam, quam nobis præstare dignetur Jesu Christus Dominus noster qui vivit et regnat, etc.

SERMO VIII.

IN NATALI DOMINI.

Verbum caro factum est et habitavit in nobis (*Joan.* I).

Satis est pro materia gaudiorum quod cœlestis Regis unicus Filius, hodierna die, de sinu Patris egressus, homo factus venit in hunc mundum quærere et salvum facere quod perierat : et quod humanum genus de meritis suis apud Deum invenire non potuit, ille hoc in thesauro indeficienti misericordiæ suæ clementer invenit. Vere ad reformandam pacem inter Deum et hominem Christus Jesus mediator idoneus, qui divinam naturam et humanam in unam personam socians, tanquam inter duo extrema sibi adversantia, medium se interposuit, in quo medio dum ipsa extrema, videlicet Deus et homo, per unionem concorditer convenerunt, Deus Pater humano generi quasi quoddam reconciliationis porrexit osculum. Nam ut loquamur juxta rerum similitudines, verbum Dei os Patris est, in quo locutus est mundo : homo assumptus, os est humani generis, qui secundum naturam humanam advocatus est hominis, et interpellat pro nobis. Os ergo ori conjungitur, et efficitur osculum : quia natura humana verbo personaliter unitur, et consummatur Incarnationis mysterium. Propter hanc mediationem etiam Filius Dei recte Verbum appellatus est : quia sicut in rebus gerendis et in causis diffiniendis verbum humanum intercurrit medium, sic in causa Dei et hominis Dei Filius mediator fuit : quia, solutis inimicitiis, Deum Patrem et hominem ad concordiam reduxit. Vel alia ratione Filius Dei Verbum appellatus est. Verbum enim in sua natura non visu, sed auditu percipitur.

Videamus ergo qualiter Verbum istud multipliciter sonuit, et per auditum usque ad cor humanum pervenit. Sonuit enim quandoque in secreto susurrio in mentibus Patrum per spiritalem revelationem, quibus mysterium Incarnationis Christi revelatum est, quod cæteri carnales audire non potuerunt. Sonuit verbum istud quandoque in jubilo, utpote in illis angelicis spiritibus, qui ab initio gaudio inenarrabili in Verbo Dei exultaverunt. Nam et jubilus sonus est spiritalis lætitiæ, qui præ magnitudine verbis explicari non potest. Unde Dominus in Job : Ubi eras, inquit, cum me omnes filii Dei laudarent, et jubilarent astra matutina? (*Job* XXXVIII.) Sonat hodierna die in cantico, cum sancta Ecclesia exultat et cantat spiritale canticum, de generatione Verbi Dei non solum æterna, sed etiam temporali. Siquidem de æterna ejus generatione vigiliis nocturnis canticum Ecclesiæ audivimus cum psallebat : Dominus dixit ad me, Filius meus es tu (*Psal.* II). Et alibi : Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum (*Psal.* CIX). Similiter et de humana ejus generatione canticum audivimus Ecclesiæ dicentis : Puer natus est nobis, et filius datus est nobis (*Isa.* IX). Et ibi : Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei (*Tit.*
A III). Omnes denique Filii Dei hodierna die cantant hoc canticum, qui spiritaliter gaudent de Christi nativitate. Nam qui gaudent inepta lætitia mundi hujus, utpote de voluptatibus carnis, de commessationibus, de fastu et superbia vitæ hujus, cantant vetus canticum, non novum, in quo non Filio Dei nato, sed inimico humani generis obsequium persolvunt.

Hoc igitur Verbum de quo diximus caro factum est. Nomine carnis, non solum homo sed infirmus homo significatur, ratione similitudinis. Caro enim res fragilis est, de facili subjacens corruptioni, utpote quæ modo inciditur, modo crematur, modo atteritur, vel quacunque alia deficit passione. Sic et Verbum Dei caro, id est homo
B infirmus, factum est nobis, infirmis consimilis, quod formam nostræ fragilitatis assumpsit. Nec aliam formam decebat eum assumere : quia ad visitandum infirmos in hunc mundum venerat. Sicut peritus medicus qui ad visitandum ægrotum ingreditur, formam assumit compatientis ut æger relevetur. Nam si cum risu, cum plausu manuum, cum inepta lætitia ad infirmum ingrediatur, non curat eum sed aggravat. Alia etiam ratione ad hominem languidum venit, magis in forma compatientis quam in forma majestatis. Forma siquidem majestatis terribilis est, et signum exigendæ ultionis. Forma vero humilitatis signum est piæ compassionis. Sed compassio de fonte misericordiæ Dei naturaliter procedit : ultio vero de justitia Dei tanquam
C a remoto provenit. Et ideo Filius qui non ad exercendam vindictam, sed ad exhibendam compassionem in carne apparuit, magis formam humilem quam terribilem nobis voluit exhibere. Cognosce persimile quod diximus : mater modo lactat et nutrit et fovet filium suum, modo flagellat et increpat eundem, magis tamen de pietate materni pectoris procedit nutrire et pascere, quam flagellare et increpare. Hoc enim naturali pietate facit, illud a filio provocata. Sic et Filius Dei naturaliter nobis exhibet pietatem, provocatus per scelera nostra infert ultionem. Unde in Isaia cum planctu dicit se criminosis hominibus illaturum ultionem, ubi ait : Heu consolabor de hostibus meis, vindicabor de
D inimicis meis. (*Isa.* I.)

Dicitur etiam Verbum caro factum, quia nutrit et pascit humanitas Christi ad similitudinem carnis : et sunt morsus quidam istius carnis conceptio, nativitas, passio, resurrectio et ascensio, quibus anima spiritaliter pascitur, dum fides nativitatis passionis et cæterorum, quæ diximus, mente retinetur. Ista caro, videlicet humanitas Christi, dum spiritaliter comeditur, carnium diversi generis nobis saporem et esum prætendit. Si enim ad similitudinem Christi innocenter et mansuete conversaris inter homines, carnes Agni comedisti. Si in prælatione constitutus ad Christi similitudinem habes diligentem curam gregis tui, spiritalia et temporalia solicite eis largiens, carnes arietis comedisti. Si injurias et tri-

bulationes pro Christo pateris, si carnem tuam crucifigis cum vitiis et concupiscentiis, sicut et Christus crucifixus est, carnes vituli comedisti. Si sancta devotione in cœlum defers peccata populi interpellans pro eis, carnes hirci emissarii comedisti. Si contemplatione cœlestia penetras, inter angelos conversaris, et Deo adhæres quasi unus spiritus cum eo effectus, carnes columbæ comedisti. Si suspiras præsentis vitæ tædio et amore futuræ quam desideras sicut ille qui dixit : Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est (*Psal.*, CXIX), carnes turturis comedisti. Sic ergo in carne Christi, id est in ejus humanitate, et compassionem pariter et refectionem invenimus.

Possumus et aliter intelligere quod dicitur, Verbum caro factum est. Siquidem Verbum Dei moraliter habet ossa, similiter et carnem. Ossa verbi virtutes sunt, et spiritalia charismata, quibus anima roboratur ad justificationem. Caro verbi sunt bona corporalia, quibus corpus reficitur ad consolationem. In spiritalibus ergo viris verbum spiritus est, qui Filium Dei propter seipsum diligunt, et contemptis bonis temporalibus ei adhærent in justitia et sanctitate. In amatoribus hujus mundi verbum caro fit, qui Filium Dei non propter se diligunt, sed propter bona temporalia, quæ ab eo accipiuntur : et omissa omnium spiritali dulcedine, bonis temporalibus adhærent summa intentione. Nonne tibi videtur Verbum caro factum in his qui tantum Christiani nominis participes, omni studio vacant voluptatibus vitæ hujus, comessationibus et ebrietatibus, carnis illecebris, divitiis congregandis? Nonne tibi videtur Verbum caro factum in his, qui de patrimonio Crucifixi viventes, exinde pascunt non pauperes sed canes, accipitres, histriones, et erogant illud in pravos usus et sacrilegos, quos verbis explicare inhonestum et audientibus forte scandalum inferret? O anima misera, quæ bonis istis temporalibus per amorem tam pertinaciter insedisti, disce quid facere debeas ab homine qui accipitrem portat in læva ut jactet eum ad dexteram et sic prædam capiat, cui insidias tetendit. Nam si evolare eum faciat ad sinistram, nihil proficit sed perdit operam et impensam. Sic et tu homo secularis, cujus cor in læva, id est, in bonis temporalibus per amorem requiescit, fac evolare accipitrem tuum, id est, animum tuum, ad dexteram, id est, ad capiendam vitam æternam, ut sic a læva ad dextram transeat dum bona temporalia in pias causas erogat : et sic adipiscitur summam illam beatitudinem quæ per dexteram significatur. Nam et isto etiam modo, Verbum caro factum est et habitat in nobis, dum sic diligimus bona temporalia ut in illis erogandis conemur ad cœlestia pervenire. Per virtutem siquidem Verbum habitat in nobis, sicut Paulus dicit : Christum per fidem habitare in cordibus nostris. (*Ephe.* VII.) Sed tu, homo, qui Christum vis in te habere habitatorem, et domum conscientiæ tuæ per fidem ei præparasti, vide diligenter an fides per charitatem

A vivat in te, sic enim Christus habitat in te. Nam si fides tua sine charitate est, fides tua mortua est, et sic Christus in te mortuus est. Nemo ergo sibi blandiatur de bona spe exterioris conversationis formam pietatis foris prætendens in bonis operibus, si conscientia criminosa est, si desideriis carnalibus intus æstuat, si odio vel invidia cæterisque vitiis spiritalibus intus obsessus est, quia bonis exterioribus Christus non pascitur, quæ charitatis pinguedine non informantur. Et sicut homo mortuus cibos delicatos si ei offerantur, non suscipit ad nutrimentum, sic et Dei Filius opera bona respuit, quæ facta per malos ad bonum finem non tendunt.

Sunt autem tria quæ hominem a domo sua materiali expellunt, scilicet fumus, stillicidium, et mulier

B litigiosa : et eadem tria spiritaliter intellecta Christum expellunt de cordibus nostris. Fumus ergo vanitas est rerum temporalium, quæ mutatibilitate, mortalitate vel omnimodo defectu tanquam fumus evanescunt, utpote divitiæ, honores, nobilitas, forma, et potentia hujus seculi, et cætera talia, quæ amatores mundi tanquam perpetua sine mensura super omnia diligunt : quæ dum sicut fumus pertranseunt replentes cor hominis amaritudine, Christum habitatorem de conscientia expellunt. Certe quicquid in mundo isto utile, formosum, vel delectabile apparet, possumus histrioni comparare, qui gestus modo lætantis, modo dolentis in se suscipit, ita ut videatur aliquando summa læticia, aliquando

C summa tristitia affectus. Sed qui perfecte eum cognoverit, in utroque gestu stultum et quasi dementem reputabit. Eodem modo et bona ista temporalia speciem nobis ostendunt histrionis, dum sua pulchritudine pariter et utilitate ad ineptam nos trahunt læticiam, et in defectu suo mentes nostras ad mœstitiam inducunt. Qui ergo sanum mentis habet oculum, sic ad ista temporalia visum dirigat ut contemnere ea potius velit quam amare. Nam si quis diligit mundum istum, non est dilectio Dei in eo (*I Joan.* II). Per stillicidium quod expellit hominem de domo sua, verba discordiæ et detractionum intelliguntur. Sicut enim guttæ stillicidii cum tectum penetrant non sinunt esse quietos illos super quos ceciderint, sic et verba hujuscemodi

D a quiete mentis hominem ejiciunt, cum a malevolis hominibus, in alios jaciuntur. Inde enim nutriuntur discordiæ, commoventur simplices, turbantur discreti, impatientes litigant, et malitiosi fomitem malitiæ suæ inde assumunt, sicque hujusmodi stillicidium pax illa mentis, quæ Deus est, ab homine expellitur : quia non nisi in pace habitat Deus, sicut scriptum est : Et factus est in pace locus ejus (*Psal.* LXXV). Quicunque ergo vult Verbum Dei in se habere habitatorem, domum suam oportet tecto pacientiæ protegere, ut stillicidium istud a tecto defluat in terram, ita ut per virtutem pacientiæ protecta quies, cum verbis malevolis non perturbetur. Mulier litigiosa quæ expellit hominem de domo sua, caro nostra est, per carnalia desideria

semper adversus animam militans. Caro enim concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. (*Gal.* v.) Ista ergo mulier litigiosa, id est, caro nostra, Christum expellit de cordibus nostris, quando carnales cogitationes, delectationes rerum temporalium et amor voluptatum hujus seculi dominantur in nobis. Si ergo experimentum vis capere an Christus in te habitet, considera si prævalent in te affectiones pravæ, si facis curam carnis in desideriis. Quia si hujusmodi passionibus subjectus es, Christum quem hospitem susceperas, in tui ipsius confusionem de domo tua expulisti. Econtra Christus habitans in domo tua, id est, in corde tuo, comites suos habet, qui sunt pax, pacientia, charitas, longanimitas, benignitas, bonitas, continentia, castitas, et cæteræ virtutes quæ testante Paulo ad fructum spiritus pertinent : quas si habueris, Christus in te habet mansionem, et cum istis tecum perseverat usque ad consummationem vitæ, ut cui in præsenti vita tu parasti mansionem, ipse in futura tibi largiatur æternam beatitudinem, quam nobis præstare dignetur Jesus Christus, Dominus noster, qui vivit et regnat, et cœtera.

SERMO IX.

IN EPIPHANIA DOMINI.

Hodiernæ solennitatis jubemur eminentia festivis occurrere gaudiis regi nostro adhuc parvulo et delicato, sed et magnifica præparare munera quæ deceant ætatem ipsius parvulam. ac etiam divinam in ipso manentem majestatem : equidem debitores sumus tale ei servitutis obsequium impendere. Quoniam ipse prævenit nos in benedictionibus dulcedinis (*Psal.* xx), prior ipse nobis offerens et largiens munera, ut tali liberalitate piis mentibus suum affectum commendaret. Quod evidenter ostenditur, si diei istius, quæ Epiphania dicitur, aliarumque solennitatum, quas jam præteritas recolimus id est natalis et circuncisionis beneficia velimus intueri. Die siquidem suæ nativitatis munus paupertatis nobis contulit Christus, quia pauper et modicus huic mundo natus non habuit ubi caput suum reclinaret. Die circuncisionis suæ, munus infirmitatis suæ nobis contulit, dum ipse signaculo circuncisionis præceptum legis implens (*Luc.* ix) per experientiam dolores et angustias humanæ infirmitatis in carne sustinuit. Die hodierna munus humilitatis nobis exhibuit, quando ipse Rex cœlorum et dominus servo suo Joanni in tantum humiliatus est, ut sacramentum baptismi ab eo suscipere dignatus sit (*Joan.* iii).

Videamus jam tria dona, quibus Christus ad nos veniens suæ adscriptos militiæ voluit locupletare, videlicet paupertatem, infirmitatem, humilitatem. Ecce parata sunt stipendia, sed jam prodeat in medium bonus Christi imitator et amator paupertatis, qui non vult habere præcepta vel mancipia, non administrationes vel dignitates : qui divitias habitas abjicit, oblatas contemnit : procedat, inquam, in medium, et suscipiat munus illud gloriosum paupertatis oblatum sibi a Domino. Sed non est qui titulo paupertatis suo regi velit militare, eo quod ignominiosum quivis æstimet cum Christo pannis involvi, et urgente inopia reclinari in præsepe Domini Dei sui. Nunc saltem inveniatur aliquis amator infirmitatis, quam Christus pro nobis voluit suscipere, qui pro nomine ejus dolores et angustias libenter sustineat, famem et sitim, labores et pericula, qui contumeliis affectus maledictioni non respondeat, et quibuslibet injuriis scutum patientiæ opponat, quia in his omnibus strenuitas apparet servi dominum suum qui hæc omnia fecit fideliter imitantis. Et certe omnes manus suas ab hoc munere excutiunt, quia plus videtur afferre oneris quam honoris. At præcipuum illud humilitatis donum, quod tertium in numero diximus, aliquis devotus suscipiet, eoque per illud fiet homo charus Deo et hominibus, dum scilicet humiliatur sub potenti manu Dei (*I Petri* ii), subjectus omni humanæ creaturæ propter Christum, dum vult ministrare omnibus (*I Petr.* v), a nullo ministerium accipere, eligens abjectus esse in domo Dei mei magis quam regnare in tabernaculis peccatorum (*Psal.* lxxxiii). Sed nec hujus muneris aliquis apparet cupidus, eo quod humanæ fecis habeat in se miseriam, elationis potius quam subjectionis amorem, nec sit aliquis qui cum Christo ministrare velit dummodo major cæteris possit æstimari. Liquet, ut arbitror, multos esse hujus regis ministros, si ad divitias et honores, mundique hujus delectationes inviteutur, sed paucos admodum si [ad] miserias et dolores et ad quæque abjecta pro nomine ipsius sustinenda fuerint invitati, nimirum si sit qui acuto intuitu defectus humanos velit respicere. Quia sicut fundamento existente infirmo tota ruit fabrica, sic conscientia languente exterioris conversationis opera prava admodum sunt vel omnino infructuosa. Respiciamus nunc ad radicem arboris, qua viridi et incolumi existente stipes ipsius robustus, rami extensi, densa folia apparent : sed et flores et fructus idonei ex ipsa proveniunt tempore opportuno. Quod si radicem aridam habuerit, truncus arboris stat inutilis, rami sine foliis, et exsiccati sine spe florum et fructus proventuri.

Ut autem simile, quod induximus, nobis adaptemus, bona radix, bona est conscientia : infirma radix, infirma conscientia : hæc Deum super omnia, illa mundum super omnia diligit. Infirmæ conscientiæ offer paupertatem, sed eam non suscipit, quia amor mundi et paupertas non conveniunt : nec dolores et miserias amplectitur, quia amatores mundi ista non appetunt. Rursus infirma conscientia humilitatem abjicit, quia in mundo vult apparere sublimis : econtra bona conscientia paupertatem appetit, quia ejus desiderium non in divitiis, sed in Deo est. Amat labores et molestias ferre propter Deum, quia non requiem quærit hominum, sed eam quæ in Deo est. Amat etiam humilitatem, quia hæc est via quæ ad Deum ducit et quæ ex Deo est. Ergo ad hoc ut diligamus dona illa, quæ Redemptor noster nobis præsentavit, necessarium est ut puram habeamus

conscientiam. Quia qualis est radix, talis est et fructus: et qualis conscientia, tale est opus ejus. Munda conscientia nunquam pravum opus facit, infirma conscientia nunquam opus magnum facit. Quia et si magna videatur facere, magna tamen non sunt, eo quod non bono animo nec bona intentione fiant. Deus autem pensat potius affectum quam censum, sicut scriptum est. Hinc est quod in vinea Domini (quæ est Ecclesia) multi multum laborant, multas faciunt eleemosynas, peregrinationes, orationes et jejunia, et tamen parum proficiunt. Alii parum laborant, pauca foris faciunt, et tamen, quia mundi corde sunt, multum perficiunt, et (ut expressius dicam quod sentio) multi gloriantes in operibus suis magis in profundum inferni demersi sunt, eo quod operum apparentiam magis quam munditiam conscientiæ fuerint secuti. Ipsa enim puritas conscientiæ apotheca est virtutum et bonorum operum, de qua omnis qui Deo vult placere, dona debet proferre ad obsequium illius.

De qua etiam hodie tres magi sive reges, qui nato Domino primitias spiritus acceperunt, venientes ab Oriente, aurum, thus et myrrham obtulerunt, nobisque eadem offerenda Deo docuerunt: quoniam non est ignobile exemplum, quia regia auctoritate nobis est commendatum. Obtulerunt, inquam, aurum preciosæ voluntatis, thus devotæ orationis, myrrham laboriosæ actionis. Hæc enim tria per tria dona quæ diximus hac ratione intelliguntur. Aurum enim fulget, thus redolet, myrrha est amara. Ergo per aurum recta voluntas significatur, propter ignem in ea lucentis charitatis. Per thus oratio, propter odorem sive affectum devotionis. Per myrrham bonum opus propter amaritudinem laboris. Tres reges munera ista offerunt, quorum primus est vigor rationis, secundus est præceptum sacræ eruditionis, tertius radius divinæ aspirationis. Istis regibus in hac vita mortali nos regi et gubernari expedit. Si quæras a ratione quæ Deo offerre debemus, respondet tibi, puram voluntatem, sanctam orationem, bonam actionem. Idipsum mandatum Dei et gratia aspiratrix acclamabunt. Reges isti veniunt ab Oriente, quia in ratione oritur nobis sol per judicium discretionis, in præcepto Dei oritur nobis sol per illuminationem veritatis, in gratia aspirante oritur nobis sol per infusionem virtutis. Quod si aliquis reges istos a magnitudine scientiæ magos velit appellare, non dissonat a prædictis: quoniam quæcunque in notitiam nostram veniunt præcipue adminiculo rationis mandato Dei, et gratia aspirationis innotescunt.

Nos ergo prædicta dona, scilicet aurum, thus et myrrham, Christo sic offerimus, ut corde, ore, et opere Deus glorificetur a nobis: et juxta dictum beati Augustini: Psalmis et hymnis, cum oramus Deum, hoc teneamus voluntate et corde quod ore proferimus, ne dissimilitudo in affectu cordis, tollat virtutem orationis. Verumtamen cogitatio cordis quandoque est in eo quod ore dicitur, quandoque est A ad id quod dicitur, quandoque est sub eo quod dicitur, quandoque est contra id quod est. Tunc autem cogitatio est in eo quod dicitur, quando intentio orantis in virtute psalmi vel alterius orationis, et nihil aliud directe respicit: quæ oratio animata est et Deo accepta, meritum habens juxta mensuram devotionis. Quandoque cogitatio fertur non in id quod ore profertur, sed ad aliud tantæ vel majoris æstimationis utpote ad pascendum pauperem, ad vestiendum nudum, ad ministrandum infirmo, quæ cogitatio est ad id quod ore dicitur, quia id ipsum obtinere contendit: et quoniam per Spiritum Dei promovetur, non minuit, sed auget frequenter meritum orationis. Sub eo vero quod ore dicitur est cogitatio, dum servo Dei orante, cogitatio ipsius ad aliB quam necessitatem corporalem relabitur: ut si post multum jejunium orans cogitet de refectione, post multas vigilias de somno, in infirmitate de proprio dolore. Et hæc cogitatio quia necessitate quadam absque peccato ingeritur, non tollit omnino virtutem orationis: quia tamen ad naturalia respicit, et supra naturam non meretur, ex parte minuit meritum orantis. Ista cogitatio est sub eo quod ore dicitur, quoniam hæc de spiritu hominis, istud, id est dictum oris, de spiritu Dei procedit. Contra id vero quod dicitur est cogitatio cordis, dum labiis Deum orantibus cor ad illicita et turpia cogitanda dejicitur, qualia sunt odia, perjuria, carnales illecebræ, mendacia, simulationes. Neque tunc vox, quæ ore profertur, oratio bona, sed simulatio debet appelC lari: quia simulata æquitas est duplex iniquitas, sic enim per simile videamus qualiter affectus cordis cum voce convenire debet, sic se habent adinvicem cogitatio et oratio, sicut vigil servans noctis vigilias ad eos qui sunt in castro. Si enim, hostili manu irruente, vigil ille solicite vociferetur ad eos qui in castro sunt, clamans ut surgant, ut evigilent, ut armentur, et se defendant et illi qui deintus sunt nihil horum faciant, ideoque ab inimicis fuerint comprehensi, nonne perit opera tota vigilantis? Tota prorsus. Eodem modo vox exterior quasi vigil et custos est hominis interioris. Dum enim psalmos vel alias orationes ore proferimus, ad hoc utique hoc facimus, ut interiorem hominem ad devotionem, ad D charitatem, ad serviendum Deo excitemus, ac si diceremus ei: Surge qui dormis, intende tibi, et illuminabit te Christus. Ad quam vocem si cor in vitiis obdormierit, nihil omnino profuit sonus orationis: nec aliud forte censendum est in his quæ zelo justitiæ videntur dici, utpote perversos corripere, vitia impugnare, malo resistere, et hujusmodi. Quia et in his etiam exigitur puritas conscientiæ, ut intendat his qui loquitur prodesse potius quam obesse, et concordiæ potius quam dissensionis fomitem ministrare. Sic enim et hoc loquendi genus Deo acceptum est, adeo, ut a pusillis et magnis justitiam zelari velit, et verbo defensionis malitiæ resistendo, maxime cum oppressa veritate prævalet falsitas, et injustitia opprimit æquitatem. Unde de

simplicibus quamvis sanctis scriptum est, quoniam quantum exemplo bonæ conversationis prosunt, tantum silentio obsunt. Resistere enim malo, iniquos corrigere, eleemosyna est singularis, quæ extinguit peccatum, sicut aqua ignem: quippe et eleemosyna, aqua Dei interpretatur. Et cum sunt tres species principales eleemosynæ, videlicet largitio temporalium, eruditio ignorantium, et correctio delinquentium. Ultima, de qua diximus, cæteris potior judicatur. Frequenter tamen accidit ut cor humanum sibi mentiens cogitata, dicta vel facta bona reputet, quæ tamen bona non sunt: quod exemplo quodam simplici ad præsens libuit demonstrare. Audivimus in annis puerilibus regem præpotentem concilium hominum et bestiarum adunasse, in quo cognosceret, quod animal parturisset venustiorem cæteris genituram. Quo facto simia in medium prodiit trahens natum suum cæteris deformiorem, et dixit illum speciosum præ filiis hominum judicandum. Quid rectius per simiam quam pravum cor accipitur? Cujus nati cum sint cogitationes malæ, stultiloquia et opera perversa, tamen quandoque recte se sentire judicat, ubi vero judicio probatur desipuisse. Probandi ergo sunt spiritus utrum ex Deo sint (*I Joan.*, IV), hoc modo, ut quandoque ad principium, quandoque ad finem rei, quam proponimus, respiciamus. Principium enim nostræ cogitationis quandoque adeo honestum est, ut statim ex ipso id quod intendimus approbari possit, ut dum cogitamus dicere vel facere, ad quod præcepto divino compellimur, quale est, Deum credere, patrem et matrem honorare. Quandoque principium nostræ cogitationis adeo vitiosum est, ut in ipso principio merito sit cum fine suo abjiciendum, ut dum cogitamus ea dicere vel facere quæ lege Domini prohibentur, ut homicidia, adulteria et his similia. Quandoque vero principia cogitationum nostrarum dubia sunt, ut vel bona mala, vel mala bona appareant: in his judicium ex fine accipiendum est. Sicut enim Sapiens dicit: Prudentia rerum exitus metitur. Quod si finis inchoatæ deliberationis tibi honestus, proximo utilis, Deo acceptus est, progredi expediens puta, sed cum ipse finis rei, tibi etiam honestum, proximo scandalum, Deo offensam parat, cessare in principio magis necessarium. Et ut prosequar ea quæ zelo correctionis dici videntur, et si amaritudinem foris sapiant, finaliter tamen ad concordiam et unitatem tendere debent, ut expugnatis vitiorum et discordiæ tumultibus, omnes servent unitatem spiritus in vinculo pacis. Unitas etenim custos est cordium, quæ amicos Dei facit etiam illos, qui ad perfectam conversationem attingere non possunt. Prima in reconciliatione cor humanum inhabitans, et ultima deferens, justificatum. Porro superna unitas per unum illum significatur, de quo scriptum est: Urbs de qua egrediebantur mille, egredientur centum, et de qua egrediebantur centum, egredientur decem, et de qua egrediebantur decem, egredietur A unus (*Amos* V). Ibi per millenarium perfectio exempli, per centenarium perfectio consilii, per denarium perfectio mandati, per unum, superna unitas significata est. Qui ergo non potest perfectionem exempli habere quam habuerunt apostoli et martyres, qui præceptis et consiliis aliquid in exemplum aliis addiderunt, teneat unitatem, et in ipsa Deum possidebit. Si non potest habere perfectionem consilii quam habuerunt hi, qui præceptis consilia addiderunt, teneat unitatem; si non potest assequi perfectionem mandati, ut omnia Dei mandata ad unguem custodiat, teneat unitatem: quam si non tenuerit, cum illa etiam cætera perdidit, quæ ad vitam illam conducere videbantur. Quia uno exeunte de civitate, remanet vastitas et desolatio. B Ex jam dictis, ni fallor, liquet, quod in divino obsequio cordis et oris, et eadem ratione cordis et operis concordia requiratur, et penes custodiam conscientiæ meritum omne consistere: quoniam ex ipsa vita procedit, et propterea huic custodiæ omnes operam dare debent.

Senes qui mundi cursu pene finito, quasi pedem unum jam extra portam hujus seculi posuerunt, ut purificata mente in gaudium Domini sui intrent (*Matth.* VII). Hoc media ætate gradientes facere debent, qui huic portæ jam appropinquaverunt, ne ducantur per viam illam spatiosam, quæ ducit ad perditionem. Hoc etiam juniores facere debent, qui velut medium suæ peregrinationis iter peregerunt, ne supplantati ab hostibus reliquum tempus vitæ C suæ in vanum ducere videantur. Scrutetur unusquisque vitam suam, si responsum habet bonæ conscientiæ, erumpat in confessionem laudis: si pungitur verme pravæ conscientiæ, plangat commissum crimen, accedat ad medicum, ostendat sua vulnera quamdiu prope est, qui ad hoc venit ut sanaret nostros dolores et dimitteret peccata. Nemo confidat in juventute vel in fortudine sua, post diuturnitatem temporis promittens sibi dies pœnitentiæ, et gratiam reconciliationis: quoniam qui hodie est, forsan non erit cras: et multi longa arripientes itinera, media via substiterunt. Et quid est magis a natura humana alienum, quam in infirmitate non quærere sanitatem, in dolore non appetere D gaudium, maxime cum sanitas offertur et gaudium promittitur? Et gaudium quidem illud gaudium est quod in tristitiam non convertitur (*Isa.* LIV), singulare, supereminens, summa omnium gaudiorum quod nec oculus vidit nec auris audivit (I *Cor.* II), etc. Non dicat aliquis in corde suo immensitatem hujus gaudii ad se non respicere, quod sui defectus miseria non meretur, a quo per hujus vitæ mortalitatem tanta distantia separatus est. Illi enim soli hoc gaudium non provenit, cui clausit introitum macula pravæ voluntatis. Sunt siquidem qui hoc gaudium violenter rapiunt, et sunt qui illud mercantur, et sunt qui hoc gaudium furantur, et sunt qui ad illud compelluntur. Violenter hoc gaudium rapiunt viri spiritales, qui contemptis hujus mundi

deliliis soli Deo contendunt placere et famulari. Qui mercantur illud sunt, divites rebus, et pauperes virtutibus qui gaudium illud cœleste, quod celsitudine vitæ non possunt attingere, largitate eleemosynarum sibi acquirunt. Qui vero gaudium istud furantur, sunt hi, qui post commissa peccata occulto pœnitentiæ fructu volunt accedere ad Dominum. In omnibus bonis quæ aguntunam gloriam et aspectus hominum declinantes, qui recte significati sunt per mulierem illam evangelicam, quæ stans retro tetigit fimbriam vestimenti Domini et sanata est (*Matth.* IX). Qui vero ad hoc gaudium compelluntur, sunt contemptibiles hujus mundi, qui urgentibus miseriis ab omni humano solatio destituti sunt, necessitate compellente ad Deum, qui neminem abjicit, convertuntur. Accedamus igitur omnes ad regem istum, qui propterea ad nos venit humilis, ut nobis daret hoc gaudium, et in eo nos faceret sublimes. Nec multum pensandum est si in vita ista præsenti suæ paupertatis, infirmitatis et humilitatis facit nos esse participes. Quia pro paupertate divitias inæstimabiles, pro infirmitate sanitatem, pro humilitate largietur gloriam, ipse splendor gloriæ et figura substantiæ Jesus Christus Dominus noster (*Hebr.* I), cujus regnum et imperium, etc.

SERMO X.

IN EPIPHANIA DOMINI.

Notum fecit Dominus salutare suum, in conspectu gentium revelavit justitiam suam (*Psal.* XCVII.)

Hodiernæ diei solennitatem, fratres charissimi, apparitionis festum vocat mater Ecclesia, tum quia hodie stella duce Deus Pater salutare suum, id est Filium suum magis notum facere voluit, tum quia ipse Filius se humilem et pannis involutum eis magis adorandum præbuit: vel quia in Jordane columba super eum descendens Dei Filium esse manifestavit. In prima igitur apparitione traxit exemplo novitatis, in secunda informavit exemplo humilitatis, in tertia, id est in baptismo sanctificavit sacramento necessitatis. Vis videre quo prima traxit apparitio? Stella nova excitavit admirationem, admiratio devotionem devotio obsequium, obsequium præparavit ad cultum. Secunda apparitio, quæ facta est in domo, mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentum in sinum nostrum contulit (*Luc* VI): quia is qui prius vivere dederat, ibi recte vivere edocuit. Quantam enim humilitatis formam tibi exhibuit, quando rex et regis filius formam servi accipiens semeptisum exinanivit? Quantam æstimas charitatem, quando pro impiis et peccatoribus tam vilem, tam despectum se exhibere voluit?

Attende singula. Sicut enim in ortu novi syderis potestas et claritas demonstrata est divinitatis, sic cum parvulus magorum oculis se exhibuit humilitas et charitas monstrata est humanitatis. Hoc opus profecto nostræ salutis ordo depoposcerat, ut humilitate vinceret superbum, charitate liberaret hominem captivum, potestate hostem spoliaret avarum, claritate glorificaret miserum. Humilitate igitur te docuit, charitate sanavit, potestate protexit, claritate in futuro glorificabit. Tertia in Jordane fuit apparitio, quando baptizandus venit rex ad militem, verbum ad præconem, dominus ad servum, sponsus ad paranimphum. Et hoc quare? Ut vim regenerativam aquis conferens homini perdito redderet innocentiam per peccatorum remissionem, conferret justitiam per gratiæ infusionem, sanctificaret per Spiritus sancti inhabitationem: et si hæc omnia largitus est nobis beneficio sacramenti, quid nobis contulit triumpho passionis? Ibi iter ad cœlum paravit, ibi januam regni aperuit. Quia fortassis non est hoc ex virtute sacramenti, sed ex sola virtute passionis, quæret forte aliquis quare in aquis hujus sacramenti virtutem ponere voluit? Hoc interim si placet, omissis aliis, pro ratione assignare possumus: quia aqua humida, frigida, vaga invenitur. In eo quod humida peccatum carnalitatis, in eo quod vaga peccatum vanitatis, in eo quod frigida peccatum maliciæ sive iniquitatis figuravit. Et hoc triplici genere peccati, si velit quis attendere, omne genus actualis peccati invenitur inclusum. Vides igitur quam rationabiliter hoc factum est, ut aqua quæ in suis proprietatibus omne genus peccati figuraret, tactu Dominici corporis sanctificata per Spiritum sanctum, omne peccati genus emundaret.

Habes igitur quomodo notum fecit Dominus salutare suum. Primo stellæ indicio, secundo cum a magis adoratus est in domo, tertio cum in Jordane baptizatus est a servo. Notum ergo fecit Dominus salutare suum. Primus tamen Deus Pater notum fecerat seipsum, postmodum notum fecit salutare suum. Prius enim Deus Pater severus nimis, et terroribus se innotescere voluit, postmodum notum faciens Filium minas et terrores dulcedine gratiæ temperavit. Notus enim factus est Deus Pater primis parentibus in gravi increpatione dicens uni: Maledicta terra in opere tuo (*Genes.* III). Alteri: In dolore paries filios (*ibid.*). Notus etiam factus filiis Israelis per signa et prodigia, cum in datione legis visa sunt fulgura, et audita tonitrua (*Exod.* XIX). Prophetis quoque notus factus est per visiones et somnia: ubique terror ubique comminatio. Primo in Adam et Eva, severæ sententiæ prolatio: secundo filiis Israel sine gratia adjuvante præceptio. Lex enim neminem ad perfectum duxit (*Hebr.* VII), quia præceptum gratiam adjuvantem non habuit. Tertio in prophetis obscura Salvatoris promissio. Unde de prophetarum obscuritate dictum est: Operuit montes umbra ejus, et arbusta ejus cedros Dei (*Psal.* LXXIX). Montes, sunt prophetæ, propter revelationis magnitudinem: umbra, velamen litteræ, propter obscuritatem. Igitur montes Dei umbra operuit, quando intellectum prophetiæ obscuritatis involucrum palliavit. Sequitur: Et arbusta ejus cedros Dei. Arbusta propter inutilitatem sunt legales ob-

servantiæ: cedri, altitudines promissionum patribus factæ. Arbusta ergo cedros Dei operuerunt, dum veritatem promissionis Dei umbræ legalis observantiæ cælaverunt. Vides ergo quantum ubique minæ, terrores, obscuritates. Sic Ægyptiis apparuit Deus Pater in sanguine, Jacob in luctamine (*Genes.* XXXII), Moysi in igne (*Exod.* III), Heliæ in turbine (*IV Reg.* II).

Tandem in fine temporum notum fecit Dominus salutare suum, non in virga furoris, sed in spiritu mansuetudinis. Quomodo? Ut sanaret contritos corde, captivis prædicaret indulgentiam et remissionem peccatorum. Unde dictum est: *In conspectu gentium revelavit justitiam suam* (*Isa.* LXI). Cujus suam? Suam Patris, vel suam salutaris, id est Filii. Ipse enim in conspectu gentium revelavit justitiam B suam, habendo innocentiam quantum ad seipsum, pacem ad proximum, devotionem sive dilectionem ad Deum. Vis videre innocentem? Ecce ego in innocentia mea ingressus sum (*Psal.* XXV). Vis videre pacificum ad proximum? Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis (*Joan.* XIV). Vis videre devotum? Et factus in agonia prolixius orabat, (*Luc.* XXII). Hæc omnia cœpit Jesus primum facere et postea docere, quando in conspectu gentium justitiam suam voluit revelare. Sed hominis quæ potest esse innocentia cum sit pulvis et cinis? Mihi ipsi loquor de me ipso. Quomodo custodiam innocentiam et videbo æquitatem qui totiens jaculis concupiscentiæ vulneratus, invidia distractus, inani C gloria sum perditus? Quotiens fratrem meum signo scandalizavi, verbo detraxi, opere contristavi? Mihi tamen sicut et cæteris dictum est: Custodi innocentiam et vide æquitatem (*Psal.* XXXVI).

Igitur, fratres dilectissimi, nostra debet esse innocentia, non quidem peccato carere, sed peccato non servire. Qui enim appetit peccatum, servus est peccati: omne autem mortale peccatum, adversarii nostri est obsequium. Unde, vir bone, qui posuisti manum ad aratrum, et jugum Domini suave et onus leve suscepisti, tibi, inquam, opus est pugna, si vis gaudere de innocentia. Si forte carnalis concupiscentia animam tuam invaserit, memento Scripturæ quæ dicit: Quia mors secus introitum delectationis posita est. Quippe cum hostis antiquus illicitæ de- D lectationi aperuerit januam cordis, jam securus est de fructu totius arboris, cujus radicem veneno pravæ delectationis sauciavit. Sicut enim voce prophetica dicitur: Quia sanguis sanguinem tetigit (*Ose.* IV), sic unum peccatum reliquum attrahit et inducit. Cum enim primum quasi de foris prava cogitatio animum pulsat, delectatio sequitur, quæ in lumine posita etiam virilem animum quandoque relaxat: tertio consensus enervat, quarto operatio maculat, quinto consuetudo ligat, sexto contemptus præcipitat. Isti sunt gradus quibus facili descensu pervenitur usque ad portas mortis. Quippe « facilis descensus averni. » Ergo in sensu delectationis siste gradum, si vis evadere periculum. Diligenter attende

A quomodo Abraham pugnaverit, quomodo Paulus in tentatione fortis extitit. Non solum enim ad imperfectos, sed etiam ad perfectos usque injuria ista pervenit. Quidnam esse putas quod scriptum est: quia dum Abraham fruitur angelorum colloquio, Sara ridet in tabernaculo (*Genes.* XVIII): quæ tamen dum ab angelo corripitur, repromissionem filii meretur.

Abraham igitur fruitur angelorum colloquio, quotiens pius animus intendit orationi, vacat sancto desiderio. Sed interim Sara ridet post ostium tabernaculi, quando illicitas suggerit delectationes caro repugnans spiritui, quæ postmodum correpta repromissionem accepit de filio: quia carne refrenata per spiritum etiam corpus suam mercedem accipiet in futuro. Sicut et propheta dicit: Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum (*Psal.* LXXXIII). Sic etiam Paulus dum a periculo maris eripitur, a serpente in terra invaditur, sed citius avertens periculum manum a bestia excussit, quo facto venenum evasit. Quis putas est Paulus qui de mari liberatur (*Act.* XXVIII), nisi bonus claustralis qui de malicia seculi eripitur, qui dum vult ligna in ignem mittere, ab ipsis lignis serpens egreditur? Qui dum priora mala flamma charitatis vult consumere, ex ipsa malorum recordatione tentationis origo generatur. Quid ergo faciendum? citius debet manum excutere, id est pravæ suggestioni consensum operis denegare. Quid plura? si vis innitens Christi vestigio tenere innocentiam jugem, non solum cum carne, sed etiam cum cæteris vitiis oportet te habere discordiam. De pace autem et concordia quid dixerim: Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum (*Psal.* CXVIII). Duo occurrunt præcipue quæ ad pacem et concordiam debent nos invitare, id est magnitudo remunerationis, et consideratio rei inferioris.

De magnitudine remunerationis dicitur: Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. (*Matth.* V). Quid majus hoc promisso? Si enim filii, et hæredes (*Rom.* VIII). Consideratio etiam rei inferioris debet nos trahere, ut qui ad exemplum nostri Redemptoris pacifici esse volumus, saltem a bestiis irrationabilibus formam vivendi sumamus. Cum enim cætera omnia quadam lege naturæ teneant concordiam, solus homo superbiendo paci contrarius suo infert Creatori contumeliam. O superbia, peccatum maximum, pestis mortifera, malum singulare! A te omnis peccati est initium (*Eccle.* X), in te etiam Christi sanguine redempti, aut pœnæ omnes patiuntur recidivum. Quælibet enim alia iniquitas, exercetur in malis operibus ut fiant, tu vero in bonis insidiaris operibus ut et pereant. Sicut enim ramusculus trunco superplantatus omnem terræ humorem, omnem virtutem arboris ad se attrahens, totius arboris fructum ad suam naturam reducit: sic quæcunque bona opera facias, si planta superbiæ adfuerit, totam massam corrumpit. Primum igitur

pacis et concordiæ vivum exemplum formica relinquit, quæ suam comparem forte plus justo oneratam, naturali quadam charitate alleviat, ne supra vires grandi pressum onere modicum corpus deficiat. Sic grues in aere disposito ordine literato præcedentem, et quasi venti portantem impetum, sociali quadam benignitate reficiunt, dum illam jam lassatam ponentes in locum posteriorem, et a violentia ventorum, quasi sub alis suis protegunt. Sicut cervorum multitudo dum loca mutare appetit, quilibet dorso alterius caput suum superponit, ut antecedens omnes sustineat, postremus ab omnibus videatur sustentari, et in hunc modum sibi invicem succedentes alterius portantes onera suo modo implent legem Christi. Conformemur in hoc articulo bestiis terræ, ut quod cor nostrum impœnitens ex beneficio sui Creatoris non vult accipere, saltem in suam confusionem, in re inferiori possit invenire. Vis tamen exemplo tui Salvatoris admoneri. Audi eum dicentem: Quod perierat requiram, quod abjectum fuerat reducam, quod confractum alligabo, quod infirmum sanabo (*Ezech.* XXXIV). Et Isaias de ipso : Ecce Salvator tuus venit et merces ejus cum eo (*Isa.* LXII). Ergo, fratres dilectissimi, tot exemplis admoniti tanta mercede invitati non blandiatur consideratio propriæ virtutis, non extollat nota alienæ infirmitatis, non distrahat studium inimicæ detractionis. Consideratio enim propriæ virtutis non vult habere socium, nota alienæ infirmitatis parit contemptum, virus detractionis pullulat in odium. Discamus pro Dei beneficiis humiliari, alienis infirmitatibus misereri, desperantes in Domino consolari, ut sic habitare possimus unius moris in domo. Ecce habemus aliquid de servanda innocentia similiter de pace et concordia.

Tertium dicendorum fuit dilectio Dei, in qua omnis virtutis est consummatio. Unde volenti vitam æternam possidere, primum mandatum dilectionis insinuatum est a Domino, cum dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et tota anima tua, tota virtute tua, et tota mente tua (*Deut.* VI). Hæc inquit Dominus, fac et vives (*Luc.* X). Vide quomodo in his vita, cor, anima, virtus, mens quatuor sunt : Et corde quidem de peccatis conterimur, anima vivificamur, virtute exercemur, mente sursum elevamur. Et qui toto corde Deum diligit, qui omni cordis affectu peccata sua deflet et plangit nihil inconcussum secundum prophetæ consilium : Effunde sicut aquam cor tuum coram Domino (*Thren.* III). Sicut enim aqua cum effunditur, nihil remanet in vase, sic ubi vera contritio, nihil remanere debet in occulto conscientiæ. Similiter tota virtute Deum diligit, qui totis viribus bonis operibus insistit, non improvidus inchoando, non tepidus agendo, non negligens omittendo, ne forte cum spiritu inchoaverit, carne consummatur. Ex qualium persona dicitur : Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos. Tota mente Deum diligit, qui quasi altior sæculo effectus calcatis terrenis omnibus tantum ad ea quæ Dei sunt toto mentis desiderio se convertit. Sed non omnes capiunt verbum hoc. Tota anima Deum diligit, qui in sancta conversatione perseverat quamdiu vivit. Anima enim vivimus, sicut jam dixi. Hæc quatuor sunt gradus quidam quibus in cœlum ascenditur: cordis enim contritio a peccato liberat, operatio virtutis offensam Dei placat, elevatio mentis sive contemplatio gustu suavitatis confortat, perseverantia boni confirmat, ut neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque fames, neque gladius, neque instantia, neque profundum, neque creatura aliqua possit separare a charitate Dei (*Rom.* IX), quousque comprehendamus cum omnibus sanctis ubi regnat cum Patre et Spiritu sancto, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

SERMO XI.

IN EPIPHANIA DOMINI.

Habemus ex Scripturis sanctis (*I Cor.* II), quod adulti solido cibo, sed parvuli lacte nutriendi sunt, et inde nobis significatur, quoniam simplicium corda simplici sermone, qui vero subtilium sunt ingeniorum et magnis eruditi scientiis, altiori quadam verbi Dei virtute sunt erudiendi. Et quoniam multi ex vobis per multam Scripturarum scientiam parvulorum intellectum abunde excessistis, libet ad præsens humili loquendi modo parvulis verbi Dei panem frangere : quoniam sicut non indigentibus dare supervacuum est, ita et indigentibus subtrahere avarum. Nec rusticitas eloquii cuiquam contemptum pariat, vel prurientem indignatione auditum : siquidem scrinia contemptibilia thesaurum quandoque preciosum continent, et vasa fictilia cibos delicatos, et sermo incompositus multa ædificationis suavitate et spiritali dulcedine quandoque repletus est. Sed neque præmiatoris summi donativa potest minuere defectus eloquii, si non sit in affectu synceræ voluntatis defectus, qui trium magorum parem devotionem pari coronavit præmio, cum tamen munera quæ obtulerunt videlicet aurum, thus et myrrham inæqualis essent æstimationis, et in his quidem muneribus si loquendi sumamus initium, multam nobis præbent materiam laxandi retia in capturam, eo quod plena sint mysteriis divinis. Nam auro rex, thure Deus, myrrha homo mortalis, ipse qui de Virgine natus est Christus Jesus, mystice designatur. Intuere modo, o anima, tuum Salvatorem, quam sublimis est, quam humilis, qui, in se rex omnipotens et Deus æternus, pro te homo mortalis fieri dignatus est. Certe si purificatæ mentis oculo velis ad ipsum respicere, videbis quoniam in eo quod rex, minatur et percutit : in eo quod Deus, justificat et coronat : in eo quod mortalis, admonet et instruit. Tu quoque redde quæ sunt hominis homini, quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo ; hoc est, regi timorem et spiritalem militiam, Deo amorem et venerationem, homini vero mortali, qui propter te mortem experiri voluit, gratias et redhibitionem.

Longe admodum profectus est a Deo et sui ipsius immemor, qui regem istum tam potentem non metuit, imo qui non contremiscit ad memoriam illius: eo quod terreat minis intolerabilibus, et plagas insanabiles sine misericordia imponat, non parcens ætati vel conditioni, gladio semper extenso transgressores puniens juxta scelera sua. Respiciant ergo amatores hujus seculi regem istum venientem ad se cum ira magna, et paveant indignationem tam crudeliter comminantis, tam aspere ferientis. Respiciant omnes voluptatibus et carnalibus suffocati desideriis ad regem istum, et paveant aspectum tam crudeliter comminantis. Respiciant ad regem istum omnes illi, qui omnium iniquitatum genere latam perditionis viam ingressi sunt, et paveant eum tam crudeliter comminantem, tam aspere ferientem. Neque enim comminatur tantum, sed sine misericordia, sine mitigatione eos subdit suppliciis, testante Propheta, qui ait: Quia non est respectus, id est, misericordia, morti eorum, et firmamentum id est firmitas et stabilitas, est in plaga eorum (*Psal.* LXXII). Et merito: quoniam enim in vita sua cum viris sanctis laboribus et ærumnis propter Deum se subdere noluerunt. Ideo cum ipsis temporaliter puniti non sunt, sed potius dæmoniorum cruciatui in futuro reservantur. Et hoc est quod subjungitur. In labore hominum, id est justorum, non sunt in hac vita, et ideo cum hominibus, id est cum justis, in vita præsenti, non flagellabuntur.

Volumus vobis exemplum proponere, si forte persuadeat memoria similitudinis quod non potest virtus imbecillis orationis. Fuit vir quidam qui plantavit arborem secus decursum fluminis cum impetu magno et velocitate decurrentis, quæ crevit et sublimis facta est multis decorata ramusculis, cujus etiam fructus pulcher et ad vescendum suavis erat. Advenit viator quidam transitum per eam faciens, qui fructus illius suavitate allectus ascendit in illam, et dum ramis ejusdem arboris innixus fructu illius avidissime delectaretur, venerunt volucres importunæ et pertinaciter ramum cui ille incumbebat corrodentes, et dum carpendis fructibus miser ille totus inhiat, ramus quo sustentabatur corrosus ab avibus evulsus est, et homo ille in flumen corruens impetu ejusdem fluminis in profundum absorptus est. Homo iste qui plantavit arborem, Deus est: arbor, mundus: cujus ramusculi, tempora quarumlibet creaturarum in genere suo accipiuntur: fructus, quælibet curæ et voluptates hujus seculi, quibus mundi hujus amatores libenter occupantur: viator, homo qui quasi fumus cito præterit: flumen vero, mortis impetus accipiendus est: aves, sunt anni et dies quibus vita humana semper corroditur, et ad defectum tendit. Dum ergo homo uni ex ramis istis innixus, longiora sibi vitæ promittens tempora, delitias mundi hujus carpit et colligit, in oblivionem salutis suæ deductus ex improviso ab hac vita præciditur, et in flumen mortis decidens cursu veloci, tandem in infernum demergitur. Sicut enim in diebus Noe factum est quod hominibus comedentibus et bibentibus et uxores ducentibus subitis aquis diluvii absorpti sunt: et sicut diebus Loth factum est, quod hominibus ædificantibus et plantantibus (*Matth.* XXIV), et voluptatibus hujus vitæ intentis repente supervenit eis sulphur et ignis de cœlo, et perierunt omnes qui erant in civitatibus Sodomorum: sic et de his qui curis et delitiis seculi hujus spreto Dei timore se involvunt, quasi improvidi ex ipsis voluptatibus suis abstrahuntur mortis discrimine, descendentes ad inferos nihil secum præter peccata portantes. O quanti fructibus hujus arboris nimis intenti obliti sunt Deum, qui salvavit eos, descendentes in profundum quasi lapis! Et ecce exempla in evidenti sunt. Cum enim homo dives et affluens bonis hujus vitæ factus fuerit, frequenter hanc solam sibi partem reputat, si diebus quos concessit ei Deus ad pœnitentiam utatur, faciens carnis curam in desideriis. Si nobilis et potens fuerit nomen habens juxta nomen magnorum qui sunt in terra, tunc ei cura præcipua ludere in avibus cœli, curialium sequi incuriam, canibus grassari in bestiarum libertatem. Si subtilioris forte fuerit ingenii ad Scripturas investigandas, tunc prætermissa frequenter lege Domini immaculata et convertente animas (*Psal.* XVIII), omnibus ad id studiis nititur, ut sciat quadrare circulum, et probare quod non contingit stadium pertransire. Aut certe fingit animam quam non creavit Deus altissimus studiis et vigiliis multis, ex dividua et individua substantia, ex eadem et diversa natura illam compingens, et suam ipsius animam, quæ ad imaginem Dei facta est, capacem summæ et beatæ illius divinitatis neque regit, neque immaculatam custodit propter hujusmodi curas et inquisitiones inutiles, quæ ad vitam perennem neminem perducere possunt. Vere non est timor cœlestis regis in hujusmodi, non sunt hæc arma quibus spiritalis militia summo imperatori persolvatur: quin potius hæc et his similia arma sunt iniquitatis, quibus melius dæmoniis quam Deo militatur.

Revocemus, si placet, ad memoriam quibus armis David militiam cœlestis regis agens contra Goliam, id est diabolum, dimicaverit (*I Reg.* XVII). Legimus quoniam David contra Goliam dimicaturus cum esset indutus armis Saul, quæ militiæ hujus seculi competebant, deposuit illa quoniam onerosa erant, et accepta funda cum lapide prævaluit Philisteo, et eum interfecit. Certe per Saulem homo quilibet secularis, qui judicio eorum qui terrena sapiunt momenti alicujus videtur, significatus est, utpote si dives, si potens, si nobilis fuerit aut sapientiam mundi hujus præ aliis sit assecutus. Arma vero Saul, curæ et occupationes vitæ hujus et delitiarum appetitus quæ omnia gentes inquirunt. Se l David, id est quilibet vir spiritalis, contra Goliam, id est diabolum, pugnaturus, arma Saul, quæ ponderosa sunt, deponit, id est, omnia quibus seculo huic militatur abjiciens timore Regis æterni et ac-

sumpta funda cum lapide Philisteum prosternit. Lapis Dei præceptum est : funda vero, sancta meditatio, quæ Dei mandatum semper memoriter tenet : manus vero, qua funda vertitur, bona operatio intelligitur : quoniam qui bene Regi cœlesti militare intendit, oportet ut in lege Dei meditetur die ac nocte (*Psal.* I), et quod in sancta meditatione conceperit bene operando, hoc pie vivendo exequatur. His igitur armis, præceptis scilicet divinis, sancta meditatione, bona operatione Regi cœlesti militare debemus. Sicut Scriptura alibi loquitur dicens : Sol et luna steterunt in habitaculo suo, in luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ (*Habac.* III), hoc est, in splendore bonæ operationis de longe coruscantis. Sol et luna, id est, Christus et Ecclesia steterunt in habitaculo suo : ibunt, hoc est proficient, electi in Ecclesia : in luce sagittarum tuarum, id est in justitia mandatorum tuorum : in splendore fulgurantis hastæ tuæ, hoc est in splendore bonæ operationis de longe coruscantis. Nec te terreat qui Regem cœlestem times, labor hujus militiæ : quia larga sunt hujus regis donativa, larga sunt præmia. Si quæris quæ ? Id in promptu est dicere : quia singulis militibus suis dat singulos denarios. Vel si hoc parvum munus æstimas, divitias gloriæ suæ omnes tibi proponit : imo donat secundum desideria cordis tui, ut eas in delitiis tuis possideas, dummodo timor ejus semper maneat apud te, nec desistas juste et pie vivendo illi militare. Neque tamen in timore Regis hujus finis ponendus est nostræ spei, eo quod ipse rex Deus sit, cui debemus amorem, utique ut ipsum diligamus super omnia, et propter ipsum cætera charitatis affectu amplectamur.

Et quidem amor iste charitatis ignis spiritalis est sicut ipse Dominus dicit : Ignem veni mittere in terram (*Luc.* XII). Et Propheta : Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescit ignis (*Psal.* XXXVIII). Ignis autem materialis, sicut nostis, tria habet in se : videlicet ardorem, calorem, et splendorem. Ardet enim ea quæ in se sunt, calefacit quæ prope sunt, et illuminat quæ longe sunt. Similiter et iste ignis spiritalis facit. Ardet enim ignis charitatis vitia, quæ sunt in homine per pœnitentiam et veram contritionem : calefacit eos, qui prope sunt per verbum vitæ et spiritalem consolationem : illuminat eos, qui longe sunt a via justitiæ, per bonam operationem. Anima ergo illa quæ Deum diligit, primo necesse est ut igne charitatis consumat vitia quæ in se invenit divinæ voluntati contraria, quæ juxta dictum Apostoli tria esse dicimus, videlicet lignum, fœnum, et stipulam (*I Cor.* III). Lignum perversæ operationis, fœnum pravæ locutionis, stipulam inordinatæ cogitationis. Igne ergo charitatis perversa opera consumenda sunt, eo quod gehennam ædificent animæ pereunti : quoniam opus perversum aut est iniquum, id est, contra æquitatem et aufert homini proximum, aut est impudicum, et aufert homini seipsum, aut certe simulatorium, et aufert homini Deum. Sic etiam sermo pravus igne isto comburatur necesse est : quoniam aut est supervacuus carens utilitate et ratione, aut est detractorius in proximorum corrosione, aut est adulatorius in falsi illius olei effusione, de quo scriptum est : Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum (*Psal.* CXL). Inordinatas similiter cogitationes quicumque Deum puro amore diligit exterminare debet, eo quod separent hominem a Deo, nec Spiritui sancto possit esse domicilium in conscientia quæ vulnerata est per inordinatæ cogitationis affectum.

Sunt autem tria genera cogitationum quæ præcipue adversus animas nostras militant. Aut enim sordidæ et turpes sunt cogitationes cordis nostri, et habent originem a luxuria, aut res transitoriæ nimis appetuntur vel retinentur, et habent originem ab avaricia, aut corda humana contra proximos inflantur vel supra eos eriguntur, et habent originem a superbia. Beatus omnino qui in nulla istarum cogitationum scandalizatus fuerit : quia ipsæ sunt quæ omnes aut pene omnes hujus peregrinationis incolas a via justitiæ exorbitare faciunt. Et quoniam istæ cogitationes magis infestæ sunt cordi humano quam aliæ, idcirco propheta jussus a Domino scrutari conscientiam hominis, magis istarum mentionem facit, quæ frequentius cordi humano se ingerunt et difficilius hominem relinquunt. Cum enim Dominus Ezechieli dixisset : Fode parietem, post paululum subjungit idem propheta : Vidi et ecce omnis similitudo animalium et reptilium, et idola domus Israel depicta erant in pariete (*Ezech.* VIII). Paries iste quem Dominus fodi jussit, obscuritas est conscientiæ quam sensus hominis hebetatus penetrare quandoque non prævalet, eo quod pondere peccatorum a luce veritatis longe relegatus nescit mala sua cognoscere, intelligere peccata sua, plangere infirmitates quibus opprimitur, ut revertatur ad Dominum et ignoscat ei. Iste profecto est paries quo plurimi putantes se religiosos et justos a via salutis exclusi sunt : quia seipsos non cognoscentes, et cæci effecti erraverunt in invio, et non in via (*Psal.* CVI). Perfosso ergo hoc pariete similitudo animalium et reptilium, et idola depicta inveniuntur in eo : quoniam dum subtilius homo cordis sui latebras rimari satagit, abominationes cogitationum, quæ a Deo separant invenit, ibidem multiplici affectione depictas, videlicet cogitationes luxuriæ, quæ designantur per similitudines animalium, cogitationes avaritiæ, quæ designantur per similitudines reptilium, eo quod omnino terræ incumbunt : cogitationes etiam superbiæ, quæ per idola recte intelliguntur. Sicut enim humilitas proprie virtus Christi, ita superbia vitium diaboli. In purgandis ergo vitiis cogitationum necesse est ut anima vigilet, eo quod in puritate conscientiæ vita et fructus exterioris operis consistat : quia sicut a radice procedit virtus totius arboris, sic a cogitatione virtus boni operis. Videmus certe frequenter, accidere, quod

dum radix arboris mala, et fructus ejus malus provenit : si radix bona, et fructus bonus : si radix arida et sicca, fructus ejus aut nullus est, aut omnino infructuosus. Eodem modo cogitationi conformatur opus exterius, ut malæ cogitationi opus malum, bonæ cogitationi opus bonum, aridæ vero cogitationi opus infructuosum superædificetur. Aridas appello cogitationes vanas, quæ non ex proposito vel studio, sed ex levitate, instabilitate cordis humani frequentes et numerosæ insurgunt : quæ licet damnabiles in se non sunt : fructum tamen boni operis aut tollunt aut minuunt. Sicut enim Psalmista dicit : Cogitatio hominis confitebitur tibi, et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi (*Psal.* LXXV). Quare potius cogitatio confitetur Deo quam sermo vel opus? non quin et opere et sermone Deo confiteamur, sed quia in cogitatione virtus utriusque illorum consistit. Reliquiæ vero cogitationis sunt opera bona, quæ diem festum Deo agunt, eo quod ei placeant et gaudeat de profectibus nostris. Consumptis ergo cogitationibus nostris inordinatis per ardorem charitatis, oportet ut is qui Deum vere diligit, ad eos qui circa se sunt, calorem hujus ignis, qui est charitas, emittat, ut doctrina et consolatione spiritali ab amore mundi hujus eos revocet et inflammet dulcedine Spiritus sancti.

Quia sicut terra fructificat secundum naturam jacti seminis, et sicut navis dirigitur secundum prosperitatem venti qui eam ducit, sic certe homo moribus informatur secundum modum magisterii quo foris eruditur. Exempli causa, modo ad navem respiciamus, quæ si prospero vento ducitur, incœpto itinere proficit, et velociter ad portum perducitur, quem gubernator disposuit expectandum. Si vero ventus fuerit contrarius, cito ad terram, de qua solverat gubernator, illam repercutit, vel quod deterius est, in mediis procellis tam diu colliditur quousque in profundum maris sine spe salutis absorbeatur. Eodem modo anima illa quæ bona doctrina regitur et consolatione spiritali gaudet, et proficit de die in diem, et quasi vento flante prospero pervenit ad portum salutis. Si vero perversis maculetur colloquiis, quæ etiam bonos mores corrumpunt (*I Cor.* XV), et hominem a Deo separant, quasi vento existente contrario, aut ad terram, id est, terrena et carnalia opera revertitur, aut si pravi operis deest opportunitas, tam diu procellis tentationum interius colliditur, quousque demergatur in barathrum desperationis, ut postremo in profundum damnationis absorbeatur. Si ergo in ipso charitatem habes, eam si potes in proximo tuo accende, doce illum qualiter debeat esse custos conscientiæ, amator disciplinæ, sedulus in ministerio aliorum, patiens in injuriis, paratus ad obediendum, humilis ad perficienda quæ a majoribus suis sibi fuerint imperata. Non sit tibi sermo communis cum infirmo de infirmitate spiritali, utpote cum avaro de divitiis, cum ambitioso de dignitate et honoribus, cum superbo de excellentia, cum eo qui rixas

A diligit de discordia, cum carnali de luxuria : neque cum guloso de mensæ deliciis confabuleris. Hoc enim non est calorem charitatis in eo fovere, sed potius extinguere. De hac ædificatione superna et spiritali in lege Moysi scriptum est : Quod si unus e duobus fratribus sine prole moritur, alter ducet uxorem illius, et suscitabit semen fratris sui : quæ si noluerit facere, mulier expuet in faciem illius, et discalciabit illum, et vocabitur domus illius in Israel domus discalciati (*Deut.* XXV). Homo qui mortuus est sine liberis, Jesus Christus est : quia dum in carne est passus, nondum discipuli ejus credebant in eum. Unde vox illa : Nos autem sperabamus quod ipse esset redempturus Israel (*Luc.* XXIV). Frater illius quilibet nostrum est, qui cum ipso identitatem

B illius naturæ habemus quam ipse assumpsit de beata Virgine. Debemus ergo fratri nostro defuncto id est Christo, filios generare seminando verbum vitæ in cordibus proximorum nostrorum, et excitando in eis charitatis affectum spiritali exhortatione. Quod qui noluerit facere, mulier, id est Ecclesia, expuet in faciem illius : quia opprobrium in Ecclesia sustinebit. Sed et mulier discalciabit illum. Calceamenta quæ fructus mortui animalis sunt, fructum beatæ illius vitæ significare possunt, quam Christus sanguine suo nobis acquisivit, de qua dictum est : Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos (*Oseæ.* VI). Qui ergo semen fratris sui verbum veritatis seminando, spiritaliter exhortando suscitare negligit, discalciabitur id est fructu

C vitæ æternæ privatus in facie Ecclesiæ et sanctorum angelorum apparebit, eo quod fratrem suum, quem spiritali doctrina lucrari potuit, perversa doctrina a via salutis separavit.

Sed dum ignis charitatis ardet intus per fervorem devotionis, et dat foris calorem in doctrina et exhortatione spiritali, consequenter oportet ut det splendorem honestate conversationis et exemplo bonorum operum, ut his qui bona faciunt bono exemplo perseverantiam nutriant, et qui male agunt de luce bonorum operum illuminati mala sua derelinquant. Lux autem ista bonorum operum quandoque radiat desuper candelabrum, quandoque lumine hebetato per vitream egreditur, quando-

D que vero lucet sub modio, ubi in se ipsa deficit nulli præstans commodi alicujus emolumentum. Candelabrum autem non hoc loco appellamus legalem obscuritatem, quæ significatur per illud candelabrum Moysi, in quo describuntur sphærulæ et lilia (*Exod.* XXV), sed neque prophetarum subtilitatem, quæ significatur per candelabrum illud de quo in Zacharia legitur, in cujus cacumine duæ olivæ describuntur (*Zach.* IV). Non etiam evangelicam veritatem, quæ significatur per candelabrum illud de quo Dominus in Evangelio dicit : Nemo accendit lucernam et in abscondito ponit, neque sub modio sed super candelabrum, ut omnes qui in domo sunt lumen videant (*Luc.* VIII) : Sed potius candelabrum hic dicimus sanctam Ecclesiam, sicut Joannes in

Apocalypsi ait: Septem stellæ, angeli septem sunt: et candelabra septem, Ecclesiæ septem sunt (*Apoc.* I). Lux ergo bonorum operum super candelabrum lucet, dum hi qui quodammodo super capita aliorum positi sunt, sive prælatione sive aliqua cura administrationis præsunt cæteris in solicitudine, et pro ipsis laborant, eisque prævident majori studio et alacritate quam sibi propria operarentur. Similiter et illorum opera super candelabrum lucent, qui operibus misericordiæ insistentes de aliis curam agunt, qui sibi in suis necessitatibus non possunt adesse. Et generaliter hi omnes super candelabrum lucent, qui proximorum onera in quacunque opportunitate portant: quia hæc est vera illa charitas de qua scriptum est: Quod non quærit quæ sua sunt (*I Cor.* XV), quia communia propriis, non propria communibus anteponit. Lucet etiam lux bonorum per vitream non adeo radianti lumine, ut illa quæ desuper candelabrum coruscat. Vitreæ vero sunt quædam spiritales, utpote virtus charitatis, per quam se infundit lux remissionis peccatorum. Humilitatis quoque puritas vitrea dicitur, per quam se infundit lux securitatis, et removet tenebras diffidentiæ. Similiter vitrea dicitur intellectus subtilitas, per quam se infundit lux divinæ cognitionis et repellit tenebras ignorantiæ.

Sunt etiam vitreæ corporales, de quibus modo loqui volumus, corpora videlicet humana ætate vel infirmitatibus debilitata, quæ sicut vitrum dure alicui allisum modo frangitur, ita laboribus videlicet, jejuniis, vigiliis cæterisque operibus ad macerationem carnis pertinentibus deficiunt et resolvuntur. Per has ergo vitreas illorum opera sunt et lucent, qui imbecillitate corporis ad strenue pro aliis operandum idonei non sunt, sed tamen in ipsa sua infirmitate id modicum quod sunt, in humilitate operantur: quales sunt senes illi virtutis qui longis libenter intersunt vigiliis, qui baculo subnixi divinis gaudent interesse mysteriis, et illi infirmi qui præ valetudine corporis lectuli spondam non valentes egredi, ibidem quo possunt modo Deum laudant et confitentur, reputantes beatos illos qui crucem Domini laboribus multis portare possunt, et se tanquam criminale aliquid fecerint judicantes quod pondus diei et æstus in vinea Domini nequeunt sustinere (*Matth.*, XX). Hi sunt qui vere inter filios Dei computati sunt, et bona aliorum quæ ipsi facere nequeunt, venerando et diligendo sua faciunt. Ex quarum persona propheta David verbum illud consolatorium dicit: Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua (*Psal.* CXVIII). Ecce jam habemus qualiter Regi nostro timorem, Deo amorem reddere debeamus. Sed in eo quod homo mortalis effectus est, debemus et nos ei redhibitionem. Nec aliam magis competere video, quam ut moriar pro illo, sicut et ipse pro nobis mori dignatus est. Et si forte tormentis vitam finire nolumus, saltem moriamur vitiis et concupiscentiis, ut justitiæ vivamus. Nam hoc ipso timorem regi, amorem Deo, recompensationem homini mortali exsolvemus Jesu Christo Domino nostro, cujus regnum et imperium permanet in sæcula sæculorum, Amen.

SERMO XII.

IN EPIPHANIA DOMINI.

Dissipa gentes quæ bella volunt, venient legati ex Ægypto: Æthiopia præveniet manus ejus Deo (*Psal.* LXVII). Audistis, fratres dilectissimi, Paulo nos erudiente, quod Christus est pax nostra (*Ephes.* II), pacificans ea quæ in cœlis sunt et quæ in terris. In cœlis pacem dedit, quando illum superbum et inquietum inde expulit: in terris, quando exsultavit ut gigas ad currendam viam, et lorica nostræ carnis indutus nobiscum stans in acie de inimicis, pace mundo reddita, triumphavit. Si enim veterum credimus historiis, ante Christi Incarnationem bella et opiniones bellorum mundum universum occupaverant, quod probaverunt immutationes regnorum, Judæorum dispersiones, terrarum exterminia, populorum mortes, quæ in serie Scripturarum vos exempliter didicistis. Sed hæc omnia sub silentio prætereo, bella vitiorum locuturus, quæ pacem cordium, in quibus Deus habitat, usque adeo turbaverant, ut illis undique irruentibus nemo posset de tranquillitate animi vel de puritate conscientiæ gloriari. In his bellis Samson ille fortissimus occubuit (*Judi.* XVI). Hic Salomon sapiens, suggerente filia Pharaonis, ad idololatriam ductus est (*III Reg.* II). Hic David sanctissimus prophetarum prostratus est, cum adulterium pariter et homicidium perpetravit (*II Reg.* II), sed et omnibus viris justis ante Christi Incarnationem hostes vitiorum plagas intulerunt. Quoniam autem in Christo pax erat mundo repromissa, ideo propheta David cum desiderio ejus auxilium invocat dicens: Dissipa gentes quæ bella volunt. Isaias propheta pacem in ejus adventu nunciaverat cum dixit: Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis (*Isa.* IX). Et alibi: Dabis nobis Domine pacem, quia in te speravimus (*Isa.* XXVI). Et David: Auferens bella usque ad fines terræ, arcum conteret et confringet arma, et scutum comburet igni (*Psal.* XLV). Usque ad fines terræ bella abstulit Christus, qui hominem intus et exterius pacificavit. Confregit arma et arcum, destruendo omnes versutias inimici. Scuta combussit igni, cum dura corda et pene impenetrabilia accendit flamma Spiritus sancti. Si vis scire qualiter Christus gentem vitiorum dissipavit, attende quomodo natus, quomodo conversatus, qualiter demum passus est. Dum enim nascitur in diversorio, dum vilibus involvitur pannis, formam dat paupertatis, per quam destruitur mundi hujus cupiditas. Postmodum vero cum ætate proficiens fuit subditus Joseph, cum tributum solvit Cæsari, cum a servo Joanne est baptizatus, exemplum dedit humilitatis per quam dissipata est vana hujus mundi gloria. Per hoc quod dolores et miserias sustinuit, voluptas hujus sæculi debellata est. Dicit ergo Propheta: Dissipa gentes, quæ bella volunt (*Psal.* LXVII). Putasne cupiditas gentem modicam pu-

gnaturam secum adduxit quam sequebantur violentiæ et rapinæ, usuræ et simoniæ mendacia et perjuria, doli et injusta judicia? Nec impari comitatu irruit in omnes vana gloria sequentibus illam elatione, superbia, arrogantia, insolentia, contentione, contemptu, contumacia, protervitate, indignatione, irreverentia et majorum inobedientia. Gentem quoque pravam atque perversam secum traxit voluptas, sicut impudicitiam, inhonestatem, inverecundiam, immodestiam, intemperantiam, prodigalitatem, gulositatem, ebrietatem, scurrilitates et vaniloquia, quæ omnia Christus forma paupertatis, exemplo humilitatis, pacientia tribulationum in electis suis destruxit.

Sed respiciamus modo ad statum nostri temporis, utrum aliqui inveniantur qui cum Christo procedant, amore paupertatis contra cupiditatem dimicaturi: quia et ipse ad paupertatem vos invitat cum dicit: Væ vobis qui in præsenti habetis consolationem vestram (*Luc.* vi). Et Paulus ad Timotheum scribens: præcipe, inquit, divitibus hujus sæculi non superbe sapere, nec sperare in incerto divitiarum (*I Tim.* vi). Procedat ergo in medium bonus Christi imitator, qui honores contemnat, non ambiat dignitates: qui relinquat divitias, nec studeat illas adipisci, omnia tanquam stercora reputans ut Christum lucrifaciat (*Philip.* iii): sed non est qui hic illum imitari velit, vilibus pannis indui, reclinari in præsepio domini sui. Si vero humilem quærimus qui eligat esse abjectus in domo Domini Dei sui (*Psal.* lxxxiii), omnium fieri peripsema, ministrare et non ministrari, et extrema vilitate contentus glorietur ab omnibus se contemni, respondet unusquisque: Fiant novissima mea talium similia: neque enim possum imitari istorum principium vel progressum, cum tamen ipse Dominus dicat: Si quis vult inter vos fieri primus, sit vester servus (*Mar.* ix). Et Isaias: Ingredere, inquit, in petram, abscondere in fossa a facie furoris Domini (*Isa.* ii): per fossam virtutem humilitatis volens significare. Si ad pacientiam tribulationum Christus invitat, ubi modo invenitur qui dolores et miserias, famem et sitim, injurias et persecutiones velit sustinere? Nusquam plane, cum tamen multæ sint tribulationes justorum, et Filii Dei voce beati prædicentur, qui patiuntur persecutiones propter justitiam (*Matth.* v). In libro etiam Regum dicitur (*III Reg.* vi), quod lapides templi antequam in ædificium ponerentur cæsi sunt et malleati, ita quod neque faber, neque securis audita sit cum in fabrica templi ponerentur. Hoc significante Spiritu sancto, quod qui in pace templi illius spiritalis, quod in cœlestibus est regnis, vult componi, hic prius tunsionibus et pressuris debeat expoliri.

Dicunt enim delicati nostri temporis: Christus pauper factus est, ut nos divites faceret; humilis factus est, ut nos exaltaret: tribulationes passus, ut nos ab illis liberaret. Sed et patrimonium Ecclesiæ quod suo sanguine acquisivit, divisit per dignitates et alia beneficia, ut nobis, qui in divinis ei

A militamus obsequiis, stipendia conferret. Esto quod tibi qui hæc loqueris Christus dignitates plures, præbendas quatuor, Ecclesias forte septem indulserit, quas tamen contra statuta canonum, contra legem charitatis in tuam ipsius pernitiem obtines. Nunquid concessit tibi sellas picturatas, calcaria deaurata, frena sericis loris dependentia, et thalamos variis coloribus depictos? Nunquid mutatoriis vestimentorum perticam fullonis voluit te vestire et nudum pauperem in asperitate frigoris non operire? Nunquid indulsit tibi in avibus cœli ludere, pascere mimos et joculatores, nutrire filios vel filias et concubinas, quarum non est numerus? Minime. Duplicis ergo sacrilegii necesse est reum te constituas. Primo, quia beneficia Dei male accipis. Secundo, quia in malos usus illa expendis.

B Quam ergo portionem in victoria Christi habere putas, quam virtute paupertatis, humilitatis et pacientiæ acquisivit electis suis? Ridiculum plane est si in ea aliquid tibi vendicare præsumas, sicut ridiculosum est si mulier, quæ domi columba julat, velit spolia cum milite dividere qui in bello fortiter expugnavit adversarium suum. O utinam exempla istorum justorum trahant te ad Christi imitationem, quo se vestigio olympi novum sydus imitaturos in exemplum amatoribus hujus sæculi propheta promittebat dicens: *Venient legati ex Ægypto.* Istos legatos primitias gentium, videlicet tres reges intelligimus, qui hodierna die venerunt cum mulieribus adorare Dominum. Legati fuerunt, qui a Spi-

C ritu sancto missi et ab eo inspirati: missi, inquam, non solum propter Christum, sed etiam propter nos, ut nobis prædicarent Christum natum, invitarent ad obsequium, suaderent cultum. Quod et fecerunt. Cum enim dicunt: Ubi est qui natus est rex Judæorum (*Matth.* ii), Christi nativitatem evangelizant: cum offerunt ei munera, suadent obsequium: cum procidunt et adorant, invitant ad cultum. Exeuntes de Ægypto, ubi sunt ollæ carnium, pepones et cucumeres, projiciunt voluptatem: offerentes aurum, thus et myrrham, quæ inter præcipua mortales desiderant, damnant cupiditatem. Dum humiliati procidunt, spiritum extinguunt elationis et inanis gloriæ, amplectentes Chri-

D sti humilitatem. Venient, inquit, legati ex Ægypto, hoc est, de tenebris infidelitatis ad lucem divinæ cognitionis. De tenebris inquit: Venerunt quidam de tenebris ad Christum, venerunt alii de luce ad Christum, alii venerunt de luce illuminati, alii de tenebris tenebrosi, filii de tenebris illuminati. Qui venerunt de luce illuminati, fuerunt justi viri sub lege qui cognoverant sibi per lucem legis et prophetarum repromissum, et ipsum venientem fideli devotione susceperunt, ut Simeon justus, Anna et multi alii. De luce venerunt ad Christum tenebrosi, qui Scripturarum noverant mysteria, ipsumque esse Messiam quem prophetæ prædixerant, et tamen iniquitate sua excæcati per invidiam tradiderunt eum, sicut quidam Scribæ et Pharisæi. Qui venerunt

de tenebris, tenebrosi gentiles fuerunt, qui nulla luce scientiæ illuminati, manentes in suis tenebris Christum crucifixerunt, videlicet Herodes et Pilatus. Qui venerunt de tenebris illuminati fuerunt tres magi, qui intus docti Spiritus sancti magisterio ex stellæ indicio, fideliter in Christum crediderunt : propter quod dicitur : venient legati ex Ægypto. Audiant amatores sæculi hujus qui tenebras peccatorum suorum adhuc diligunt, et delectantur sceleribus suis inquinari; audiant, inquam, et Christi mirentur clementiam. Dum enim cum legatis istis nolunt exire Ægyptum et Christum sobrie et pie vivendo suscipere, mittit eis legatos in Ægyptum tres, quos non incongrue timorem gehennæ, pudorem culpæ, præsumptionem veniæ possumus intelligere. Peccator enim in profundo vitiorum positus, dum recogitat supplicia, videlicet carcerem illum tenebrosum, fletus et stridorem dentium, catenas ferreas, vincula indissolubilia, quibus impii membris omnibus sunt alligandi, vermem qui non moritur, ignem qui non extinguitur, terram illam oblivionis, in qua præ angustia suppliciorum damnati non possunt Dei reminisci, eo quod (juxta Prophetam) non sit in morte qui memor sit tui (*Psal.* VI); dum, inquam, omnia ista peccator in Ægypto vitiorum positus ante oculos suos statuit, timore compungitur, et ipsa scelera sua abhorrere incipit, pro quibus obnoxius tenetur tantis generibus suppliciorum. Istum nuncium (quem timorem diximus) alius in vestigio sequitur, videlicet pudor culpæ. Dum enim impius quilibet recolit Dei erga se beneficia, quod eum in vitam istam perduxit, quod eum sanguine suo de morte redemit, quod eum habuit in periculis defensorem, in paupertate largitorem, quod tot beneficiis temporalibus eum consolatur, quod æterna præmia repromittit; dum, inquam, ista recolit, pudet eum culpæ, per quam offendit Dominum Deum suum, quem sibi tam propicium, tam beneficum, tam plenum pietatis visceribus meminit erga se exstitisse. Ex ipsa autem recordatione divinæ clementiæ, post pudorem tertius ad peccatorem mittitur nuncius, id est, præsumptio veniæ. Quis enim peccatorum non speret veniam, quando meminit latronis illius confitentis, Mariæ lacrymantis, publicani pectus suum tundentis, mulieris Cananææ peccata sua lugentis, Petri denique negantis, Pauli persequentis, qui omnes in plenitudine divinæ misericordiæ post tanta scelera non solum veniam, sed et gloriam consecuti sunt. His legatis peccator in Ægypto admonitus transit de Ægypto in Judæam, ut ad magorum imitationem ibi cum muneribus adoret Dominum.

Per Judæam siquidem transitus est illis, qui ad ipsum tendunt : quia in ea nascitur, et in ea invenitur. Judæa confessio interpretatur, in qua Christus invenitur : quia per veritatem confessionis exit homo de tenebris vitiorum, et attingit ad Christum, qui est verum lumen omnibus in se sperantibus. In hac Judæa, hoc est, in vera confessione, invenit homo tria munera, quæ nato Domino offerat, scilicet confessionem humilem, confessionem simplicem, confessionem fidelem. Qui enim nato Domino per confessionem vult appropinquare, primo oportet quod confessio ejus sit humilis, nullo elationis vel jactantiæ nevo polluta, quales aliquando audiuntur : ut cum scholaris confitetur se subtiliter socium suum duxisse ad finem redargutionis, advocatus in causa injusta se docte obtinuisse, dum claustralis se plangit tentatum vana gloria quod plus oret, plus vigilet, aut psallat quam cæteri, in quibus omnibus, quia aliquid elationis admixtum est, non vera confessio, sed confessionis simulatio dici potest. Similiter veram confessionem oportet esse simplicem, hoc est, sine excusatione vel attenuatione peccati. Neque enim illum vere confiteri dixerim, qui declinat cor suum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis : ut dum quis plangit se deceptum, se corruisse in peccatum luxuriæ : gula deliquisse propter familiaritatem et gratiam sociorum, superfluis uti indumentis propter exigentiam temporum. Non enim in his omnibus est vera confessio, ubi simplicitatem confessionis excusatio delinquentis excludit. Oportet etiam confessionem esse fidelem, ut veniam, quam postulant planctus et lachrymæ, peccator impetrare non diffidat ad exemplum filii illius prodigi, qui de loco horroris attritis pedibus ad patrem veniens, dum peccata sua plangit, accipit stolam primam, annulum in manu et in convivio vitulum saginatum (*Luc.* XV). Sic ergo, ut diximus, tribus legatis peccator in Ægypto visitatus transit in Judæam, tria Christo ibi offerens munera, id est, humilitatem, simplicitatem, fidelitatem veræ confessionis.

Satis prædictis consonat, quod sequitur *Æthiopia præveniet manus ejus Deo*. Manus ejus manus Dei sunt, una, severitas divinæ ultionis, de qua dicit Job : manum tuam longe fac a me (*Job.* XIII). Altera bonitas divinæ retributionis, de qua scriptum est : Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione (*Psal.* CXLIV). Tamen in eo quod dicitur præveniet, aliquid valde necessarium adjungitur, scilicet quod cum festinatione de Æthiopia exeundum, et manus illæ velociter anticipandæ sunt. Cum enim per Æthiopiam idem quod per Ægyptum significetur, videlicet nigredo et obscuritas iniquæ conversationis, quis inde exire non festinet? Æthiopia ista terra admodum arenosa est carens omni humore charitatis, et ideo ad fructum bonorum operum non proficit, habitatores ejus calore adusti, deterrimi facie, aspectu horribiles, conversatione dissoluti, et omnino peccatorum nigredine deformati sunt, et propterea non modico passu, non incessu lento, sed celeri cursu inde exeundum est. Multi enim passu parvo de Æthiopia exire volentes defecerunt, et in ea mortui sunt : quales illi fuerunt, qui repleti omni iniquitate, sola cogitatione

vix aliquando Dei meminerunt et interim a vitiis suis absorpti sunt. Incessu vero lento inde exire machinati sunt, qui post cogitationem bonam formam induerunt religionis, sed per commoda carnis et illicita desideria distracti, desides effecti sunt : et quanto amplius ætate profecerunt, tanto plus defecerunt religione. Restat ergo ut cursu veloci, hoc est, ferventi desiderio et multo studio bonæ operationis de Æthiopia exeamus et sic præveniamus ultrices manus Dei, scilicet pœnas suppliciorum : quia et tempus breve est et hora incerta et via periculosa per quam ambulandum est : tempus breve est, quoniam vita quotidie nos deserit : hora incerta, quia nescimus quando venturus sit Dominus, ut extendat manum suam in retribuendo (*Psal.* LIV) : via periculosa, propter multiplices tentationes et seductiones inimici. Exeundum, inquam, est velociter, ut inde egressi, stella, hoc est, puritate conscientiæ nos præcedente, per angustam viam mandatorum Dei veniamus ad domum illam non manufactam in cœlis, in qua est puer, hoc est, in qua impassibilis et invariabilis permanet gloriosus in sua humanitate et in divinitate perfectus, in quam nos perducat Jesus Christus Deus et Dominus noster, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SERMO XIII.

IN EPIPHANIA DOMINI.

Vidimus stellam ejus in oriente et venimus adorare eum (*Matth.* II). Non jam verbum istud tanquam ab ore magorum prolatum accipio, sed vox est gratulantis Ecclesiæ, quæ nato Salvatori lætabunda occurrit, et videntis stellam novi luminis, quæ præcedentis noctis terminum et sequentis diei lucem nunciat imminere. Quicunque in Christo spem salutis adepti sunt, videntes hanc stellam gaudeant gaudio magno valde : stellam loquor spiritalem, id est Christum, quæ magorum mentibus invisibiliter per fidem illuxit. Nec mirum si Christum nomine stellæ appello, cum etiam quilibet sanctorum in Scripturis sanctis vocetur hoc nomine. De quibus scriptum est in Daniele : Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti : et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates (*Daniel.* XII).

Et in Genesi Joseph patriarcha fratres suos stellas nominat cum dicit : Videbam quasi solem et lunam et stellas undecim adorare me (*Gen.* XXXVII). In Evangelio etiam Dominus dicit : Sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et erunt stellæ decidentes, et virtutes cœlorum movebuntur (*Matth.* XXIV). Sic etiam ipse Dominus in Apocalypsi stella matutina vocatus est (*Apoc.* II) : et in Job luciferi nomine appellatur, ubi de ipso dicitur : Nunquid adducis luciferum, aut vesperum super filios terræ producere poteris (*Job.* XXXVIII). Et alibi de ipso : Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel (*Num.* XXIV). Stella igitur Christus est, stella utique singularis, quoniam coruscat, radiat, et

A scintillat. Coruscatio stellæ istius est, splendor divinitatis, lux inaccessibilis, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I). De quo splendore Abacuc propheta dicit : Splendor ejus ut lux erit, cornua in manibus ejus (*Abacuc* III). et Isaias : Propter Sion non tacebo, donec egrediatur ut splendor justus ejus (*Isa.* LXII). Et Paulus : Qui cum sit splendor gloriæ et figura substantiæ, sedet ad dexteram majestatis in excelsis (*Heb.* I). Hoc ergo splendore coruscavit stella hæc quando totum divinitatis suæ lumen Christus assumptæ humanitati corporaliter, id est, integraliter infudit. Vis videre stellam istam radiantem? Primo considera quoniam radius non est immensitas luminis, sed pars. Neque enim radium solis vel lunæ videre di-
B cimur, quando lucent nobis in virtute sua : sed tunc, cum partem luminis sui per fenestram vel rimam usque ad nos dirigunt. Radiavit igitur stella ista in assumpta humana veritate, ubi infirmitate nostræ carnis divinitas obumbrata, per virtutes et opera tanquam radios quosdam suæ majestatis Christus foris nobis ostendit, vel radiavit de beata Virgine nascendo. Quia sicut radius non minuit integritatem sideris, ita nec Christus nascendo minuit integritatem Virginis matris. Vel ideo radiavit, quoniam sicut radius materialiter non est substantia sideris, ita Verbum Dei de Virgine nascens in eo quod Verbum non fuit de substantia Virginis.

Scintillavit etiam stella hæc dum Christus præ-
C cepta justitiæ, verba vitæ æternæ nos docuit. Quæ ideo scintillæ dicuntur, quia sicut scintillæ ignitæ sunt, et materiam sibi proximam exurunt, ita et verba Dei corda audientium igne divini amoris accendunt. Unde Propheta : Ignitum eloquium tuum vehementer, et servus tuus dilexit illud (*Psal.* CXVIII). Et discipuli euntes in Emmaus : Nonne, inquiunt, cor nostrum ardens erat in nobis de Jesu, dum loqueretur nobis in via? (*Luc* XXIV). Ideo cum loqueretur corda ipsorum ardebant, Quia verba illius ad amorem eos inflammabant. Propter has scintillas Ezechiel propheta de ipso dicit : Quia aspectus ejus tanquam scintillæ æris candentis (*Ezech.* I). Et alibi de sanctis scriptum est : Fulgebunt justi, et tanquam scintillæ in arundineto discurrent (*Sap.* III).
D Sicut enim scintillæ si arundines quæ in altum consurgunt apprehenderint, eas in cinerem redigunt, ita verba sanctorum per prædicationis instantiam, quidquid sublime fuit in hoc seculo quasi in nihilo redegerunt : Scintillat ergo stella hæc, dicit, ni fallor, mundi philosophus, quoniam stella si scintillat non est planeta. Scintillatio etenim stellæ, signum est quod remotior a terris, cæteris stellis altior et cœlo vicinior est. Vere stella de qua loquimur planeta non fuit, quia non erravit per latas hujus seculi vias, eo quod peccatum non fecerit, nec inventus sit dolus in ore ejus (*I Petr.* II) : quin potius à summo cœlo egressio ejus. Qui de cœlo venit super omnes est, Paulo attestante qui dicit : Qui est super omnia Deus benedictus in secula (*Rom.* IX).

De hac ergo stella filii Ecclesiæ in voce exultationis pronunciant : Vidimus stellam ejus. Hoc ita dictum intelligamus sicut dicitur, personam ejus, divinitatem ejus, lumen ejus, ita stellam ejus, hoc est, stellam quæ ipse est.

Quod sequitur (in oriente) duobus modis determinari potest. Vel ut dicamus positam in oriente, vel positi in oriente. Stella siquidem ista, quæ est Christus, quandoque posita fuit in oriente, quandoque in occidente, quandoque ad aquilonem, quandoque ad meridiem. In oriente posita fuit nascendo : in occidente, moriendo : ad aquilonem, ad inferos descendendo : ad meridiem, resurgendo. Ad orientem positam vident stellam, qui humilitatem nativitatis ejus imitantur, qui cum ipso vilibus pannis involvuntur reclinati in præsepio, qui omne quod despectum est et vile humiliter faciunt propter eum, qui se in tantum humiliavit, ut semetipsum exinaniret et formam servi acciperet (*Philip.* II). Ex quorum persona David dicit : Factus sum tanquam vas perditum, quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu (*Psal.* XXX). Sicut enim vas abjectum usibus quantumcunque vilibus adaptatur, ita servus Christi vere humilis dum aliis contemnitur et judicatur inutilis, exemplo humilitatis et patientiæ omnibus utilis invenitur. Ad occidentem positam vident stellam hanc imitatores passionis Dominicæ, qui mortificant membra sua super terram cum vitiis et concupiscentiis, ne serviant peccato (*Coloss.* III) : et velut Christum in cruce pendentem inter ulnas suas suscipiunt, dum in hac vita custodiendo vias duras non recedunt a vestigio passionis ejus. De quorum numero Paulus erat qui dixit : In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter (*II Cor.* XI). Et in Psalmo : Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis (*Psal.* XLII). Ad aquilonem positam vident stellam illi, qui fortes sunt contra tentationem diaboli, qui non superantur a carne, quos non allicit mundi vanitas, quos spiritales nequitiæ non seducunt, sed viriliter stant in prælio Domini fortes ad conterendam potestatem inimici. Ad meridiem vident stellam hanc positam contemptores mundi hujus, qui a terrenis affectibus per virtutem animi cum Christo surrexerunt : et seculo altiores per contemplationem Christum vident, ubi sedet in dextera Dei Patris.

Possumus etiam dicere quod videntium stellam hanc alii positi sunt in oriente, alii in occidente, alii ad aquilonem, alii ad meridiem. Ad orientem positi sunt, noviter conversi : ad occidentem, recidivi : ad aquilonem, obstinati : ad meridiem, perfecti. Nuper conversi ad orientem positi sunt, qui, relictis tenebris peccatorum, lumen gratiæ velut ortum cujusdam solis susceperunt : et isti dum per bona opera Deo reconciliari student, velut per desiderium justitiæ ad stellam respiciunt. Recidivi ad occidentem positi sunt, qui, relicto Sole justitiæ, se immerserunt vitiorum tenebris : et isti arguente eos conscientia pro ingratitudine beneficiorum Dei, cum servo illo nequam omne debitum præcedentium delictorum a Deo exiguntur. Obstinati ad aquilonem positi sunt, qui attriti frigore malitiæ et nequitiæ, nullum calorem divinæ gratiæ sentiunt : et concussi timore divinæ ultionis nullam Dei misericordiam, sed potestatem iræ ipsius in futuro expectant. Sicut enim nomen misericordiæ Dei suave et jucundum est justis, ita et nomen potestatis non solum sanctum, imo terribile his, qui peccando a Deo se elongaverunt. Perfecti ad meridiem positi, qui intus ardent amore et foris lucent bona operatione, exemplo bonæ vitæ cæteros illuminantes (*Joan.* XII). Unde et filii lucis dicuntur ubi dicitur : Ut filii lucis ambulate. Et Dominus in Evangelio : Filii hujus seculi prudentiores sunt filiis lucis in generationibus suis (*Luc.* XVI). Hic interim considerare libet, quo visu stella ista intuenda sit : neque enim visus iste corporalis est, sed spiritalis. Est igitur visus iste, quo Christum videmus, invisibilis illustratio mentis per gratiam, qua amando vel cognoscendo ipsum contemplamur. Triplici autem consideratione visus iste exercetur, videlicet consideratione spiritalis naturæ, consideratione corporeæ creaturæ, consideratione sacræ Scripturæ.

Consideratione spiritalis naturæ, quia in ea lucet vestigium divinitatis, eo quod capax sit cognitionis et dilectionis. Per cognitionem enim ad imaginem facta est, per dilectionem ad similitudinem ejus. Similiter consideratione corporeæ creaturæ visus iste exercetur : quoniam in eo quam immensa est Dei majestas, in eo quam pulchra est Dei sapientia, in eo quam utilis Dei bonitas invenitur. Et hæc sunt illa invisibilia Dei, quæ (sicut Paulus dicit) a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur (*Rom.* I). Consideratione sacræ Scripturæ exercetur visus iste, in qua non solum ejus divinitas, sed etiam humanitas intelligitur, quam sicut per prophetas repromissam, ita et per legem Evangelii nobis exhibitam videmus. Christus ergo Deus et homo ipse est stella, in quam visus mentis nostræ dirigi debet, imo in quam velut horizonte quodam terminatur, siquidem in humanitate ejus opus nostræ salutis videmus. Habet ergo visus spiritalis horizontem suum, sicut et corporalis. Horizon visus corporalis est, circularis illa conferentia, ubi ex defectu visus cœlum terræ quodammodo conjungi videtur. Et horizon visus spiritalis est, ubi celsitudo divinitatis ad suscipiendam humanam naturam inclinatur, si dicas quomodo visus ibi deficit. Similiter et hic mens humana capere non potest quomodo deitas et humanitas in unam personam uniantur. Christus ergo finis est desiderii nostri, quia, ipso habito, nihil ultra quærendum est. Nec infra finem istum visus mentis nostræ consistere debet, ne mundanis affectibus, vel quibuscunque illicitis desideriis repellatur a contemplatione sui Creato-

ris. Sunt autem multa impedimenta visus istius. Quandoque enim impeditur de superius, quandoque de inferius, quandoque de exterius. De superius per superbiam, de inferius per avaritiam, de interius per concupiscentiam, de exterius per letalem tristitiam impeditur. Et ut de superbia primo dicamus, quatuor sunt principaliter quæ hominem superbire faciunt, videlicet culmen potestatis, nobilitas generis, magnitudo scientiæ et elegantia formæ. Cum ergo anima misera istis tanquam quibusdam floribus hujus seculi se cæteris præminere videt, statim intus per elationem mentis quasi propria virtute considerata intumescit, et foris per jactantiam proximum suum despicit. Et sic dum superbia velut nubes quædam inter ipsum et Deum ponitur ad illum videndum visus mentis præpeditur. Ideo autem superbiam nube comparavimus, quia sicut nubes de montibus, ita superbia de tumidis cordibus provenit. Sed hoc superbis attendendum est : quia et fulmina montes feriunt, et superbi potenter tormenta patiuntur (*Eccle.* x). Per avaritiam visus iste de inferius impeditur, quoniam avarus, quo nihil est scelestius, bruto animali comparatus, sicut illud per gulæ desiderium semper oculos in terram defigit, ita et iste pro lucris terrenis, pro bonis hujus vitæ transitoriis oculos mentis semper ad terrena convertit. Qui hujusmodi est, non solum Dei, imo etiam sui ipsius oblitus est. Nec enim homo brutum animal, sed rationale mortale diffinitur. Animal dicitur, ut animam se habere cognoscat : rationale, ut recolens cœlestis suæ dignitatissursum ad Deum respiciat : mortale, ut in brevi se moriturum intelligens, bona hujus seculi non concupiscat. De interius per concupiscentiam visus mentis impeditur quia ipsa in homine habitat, et in ipso nascitur, sicut Paulus dicit : Video aliam legem in membris meis repugnantem legi Dei, captivantem me in legem peccati (*Rom.* VII). Dum ergo anima intus per pravas cogitationes, per illicita desideria æstuat, velut glutino quodam pravæ delectationis intercipitur visus mentis, ne per sanctum desiderium in Deum dirigatur. Unde David propheta conqueritur dicens : Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster (*Psal.* XLIII). Prius enim anima per pulverem malarum cogitationum humiliatur, postea sensualitas conglutinatur in terra, hoc est in carnalibus desideriis, ne ad spiritalem devotionem possit assurgere. De exterius per letalem tristitiam visus mentis impeditur, quando pro adversitate hujus seculi ita anima misera absorbetur tristitia, ut gaudiorum futuræ vitæ immemor ad Deum respirare non possit. Sed purgato mentis oculo filii matris Ecclesiæ, tanquam nullo obstaculo impediente, visum spiritalem libere in Christum dirigunt.

Vidimus stellam ejus in oriente et venimus adorare eum. Sicut visus pertinet ad exercitium mentis, ita venire pertinet ad corporis operationem. Et

A quoniam non omnes bene operando veniunt, dicamus quia alii veniunt, et stellam respiciunt : alii non veniunt, et stellam respiciunt. Primi sunt qui vitam suam tam sancte instituerunt, ut incedentes in omnibus mandatis Domini sine querela a via justitiæ non exorbitent et in dies seipsis meliores effecti per bona opera Deo appropinquant. Unde et venire dicuntur, non venisse : quia obliti eorum quæ retro sunt in anteriora se extendunt. Secundi id est illi qui non veniunt et stellam respiciunt, sunt qui multa vident et non custodiunt, qui dicunt et non faciunt, videntes Christum in libris et in conscientiis suis nihil invenientes. De quibus Propheta dicit : Fiat mensa eorum, id est Scriptura, coram ipsis in laqueum, et in scandalum (*Psal.*
B LXVIII). Isti sunt ficulnea illa sterilis, in qua cum Dominus fructum quæreret, non nisi folia invenit. Habent enim folia verborum tantum sine fructu bonorum operum. Sed vereor ne tunc sero fructum facere velint cum sententia erit prolata a Domino : Jam non nascatur ex te fructus (*Marc.* XI). Dic, anima misera quæ cognoscis Deum, et non sicut Deum glorificas, ubi est fons ille hortorum et puteus aquarum quæ fluunt impetu de Libano? (*Cant.* IV.) Aquæ siquidem sacræ Scripturæ, quæ fons dicitur, ubi est plana, et puteus ubi est profunda? Fluere de Libano, hoc est, de candore bonæ conscientiæ, non de immunditia vitæ : quod Joannes in Apocalypsi confirmat dicens : Et vox quam audivi tan-
C quam citharedorum citharizantium in citharis suis (*Apo.* XIV). Cujus enim vox docendo vel prædicando auditur, citharizare debet in cithara corporis sui, ut sonum vocis sequatur testimonium boni operis : sic enim veniet in comitatu fidelium adorare eum. Si dixerimus, quod adorare est Deo spiritaliter propter semetipsum servire, non errabimus. Quia tamen finem verbi simplicioribus fratribus volumus proponere, quid sit adorare, vel quomodo adorari debeat simpliciter dicemus : adorare igitur est orando salutem, vel ea quæ ad salutem pertinent, devote a Deo postulare. Tu ergo, vir bone, cum vis adorare Deum tria debes considerare, videlicet quis petat, quem petat et quid petat. Circa eum qui petit duo consideranda sunt, id est culpa et miseria.
D Culpa, ut pro peccatis suis is qui petit, ante oculos divinæ majestatis semper se reum statuat, sicut scriptum est : Justus in principio accusator est sui (*Prov.* XVIII); et in psalmo : Cogitavi vias et converti pedes meos in testimonia tua (*Psal.* CXVIII). Debet etiam is qui petit ante oculos ponere miseriam suam, ut defectu virium suarum consideratio de se ipso nihil præsumat, et sic his duobus id est culpa et miseria ante oculos positis, adorabit humiliter. Similiter circa eum quem petit, is qui adorat duo attendere debet, id est Bonitatem et potestatem. Bonitatem, quia justis precibus semper promptus est ad exaudiendum : potestatem, quia potens est ad tribuendum. Et hæc duo, id est bonitas Dei et potestas, faciunt nos orare fiduciali-

ter. Circa id quod petitur similiter duo consideranda sunt, quid sit bonum, et quid sit necessarium, et hæc duo faciunt orare perseveranter. Juxta tenorem ergo prædictorum, fratres charissimi, nos qui Christo in carne apparente gaudemus, mente illustrata videamus stellam ejus, et in oriente veneremur ipsius nativitatem, veniamus per bonam operationem, adoremus humiliter, fiducialiter, perseveranter ab ipso petendo salutem, ut is qui operatus est salutem in medio terræ, operetur salutem nostram in sua æternitate Jesus Christus Dominus noster, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SERMO XIV.

IN PURIFICATIONE BEATÆ MARIÆ.

Gaude et lætare Sion occurrens Deo tuo. Qui majoris gratiæ donum acceperunt a Domino, hodie cum sancto Simeone puerum Jesum portant in manibus, vel cum ipso ad templum sanctum suum venientes offerunt par turturum, aut duos pullos columbarum. Ego vero adhuc longe a Deo positus, et vetusta peccatorum rubigine adustus, e vicino ad ipsum accedere non præsumo: non dico ut accipiam eum in ulnas meas, sed neque ut tangam fimbriam vestimenti ejus.

Unum reperi mibi consilium, ut cum cæteris fidelibus, vel importunum me feram obvium Domino venienti, et sic celebrando hypapanti Domini præsentem qualemcunque affectum meæ devotionis. Obviabo, inquam, securus in spe, quia neminem devota mente sibi obviantem a misericordia sua excludit. Illos potius qui terga vertunt premit hostiliter, vel illos qui resistentes ei in faciem contradicunt mandatis ejus. Ut autem Græcum vocabulum quod est hypapanti, Latino nomine obviationem interpretemur, obviationum alia est reconciliationis, alia contradictionis, alia examinationis. Obviatio reconciliationis hodierna die facta est, quando sancta mater Ecclesia puerum Jesum diu desideratum devota suscepit, et sublato fœdere, quod pepigerat cum morte in Christo, pacem reconciliationis invenit. Obviatio contradictionis fuit, quando populus ille gravis iniquitate filii alieni mentiti sunt ei, et expuentes in faciem colaphis eum ceciderunt, et plectentes coronam de spinis super caput ejus genu flexo illudebant ei. Hoc enim et a justo Simeone prophetatum fuerat cum diceret: Ecce hic positus est in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur (*Luc.* II). Obviatio examinationis erit in die magno judicii, quando separabitur argentum a scoria, granum a palea, agni ab hœdis, reprobi ab electis. De qua obviatione in Evangelio dictum: Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit exite obviam ei (*Matth.* XXV).

Invitatur ergo sancta Ecclesia ad gaudium pro pace reconciliationis inventa cum dicitur: Gaude et lætare Sion: et multiplicabitur verbum exsultationis pro inventa multiplici pace reconciliationis.

A Est enim per Christum facta reconciliatio inter carnem et spiritum, inter hominem et angelum, inter gentilem et Judæum, inter hominem et Deum. Discordabant caro et spiritus, quia caro carnalia, spiritus cœlestia approbabat. Discordabant homo et angelus, quia homo qui primæ apostasiæ ruinam, quæ in angelis facta est, reparare debuerat, ipse quoque corruens cum tertia parte stellarum cœli in terram tractus est. Discordabant gentilis et Judæus, quia iste idolis, ille Deo serviebat. Discordabant homo et Deus, quoniam homo a servitio Domini sui recedens alienæ se subjecerat potestati. Sed omnes istæ discordiæ in Christo pacificandæ sunt, quando omnes creaturæ rationales per charitatem unitæ, factæ sunt unius spiritus participes et unius regni cohæredes. Propter hoc ergo, gaude et lætare Sion, occurrens Deo tuo.

Libet modo intueri qua via, quibus modis, quali devotione ei occurrendum sit. Viarum enim quibus occurritur Domino, alia est irrigua, alia est inaquosa, alia regia, alia lucida. Via irrigua est, pœnitentia: via inaquosa est, sanctimonia: via regia est, misericordia: via lucida est, sacra Scriptura. Per viam irriguam gradiuntur illi, qui, post multos lapsus criminum et circuitus errorum in se reversi, considerant in quantum profundum miseriæ devoluti sunt, et lachrymis peccata sua abluentes, cum filio prodigo revertuntur ad Deum dicentes: Pater, peccavi in cœlum et coram te, et non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum de mercenariis tuis (*Luc.* XV). Via inaquosa gradiuntur illi, qui non acquiescentes carni et sanguini servaverunt vestimenta sua candida, ne nudi appareant, et immaculatos se custodientes ab hoc sæculo, puero Jesu castitatem offerunt, illud Apostoli mandatum implentes: Habete sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum (*Heb.* XII). Via regia gradiuntur illi, qui pleni sunt operibus bonis et eleemosynis, et timorati in mandatis Domini Dei, pedes sunt claudorum, oculi cæcorum, manus debilium, patres orphanorum illud promissum expectantes: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur (*Matth.* V). Via lucida gradiuntur sacræ Scripturæ investigatores, legentes librum Dei legis intus et foris: intus per cognitionem veritatis, foris per exercitium boni operis. Intus in hoc libro scripta sunt multiplicia illa verba legis et prophetarum, mandata evangelica, dicta sanctorum Patrum, quæ omnia via sunt eundi ad Dominum. Foris in hoc libro scripta sunt in vita sanctorum bona opera, videlicet agonia martyrum, constantia confessorum, omnium justorum pia conversatio, quibus venitur ad cœlum Dei altissimi.

Qui per viam lucidam recte vult incedere, legat librum Dei legis intus per scientiam, foris per experientiam, ut probet quod sapiat maceratio corporis, pallor vigiliarum, patientia tribulationum,

siccitas jejuniorum, quorsum tendant pœnitentium lachrymarumque suspiria, asperitas disciplinæ: discant cum sancto David in vili habitu saltare ante arcam fœderis (*II Reg.* VI), et cum Paulo apostolo non solum abundare, sed etiam penuriam pati (*Philip.* IV). Qui enim legunt librum legis Dei intus et non foris, hoc est, qui dicunt et non faciunt, magis incubatores sacræ Scripturæ quam investigatores debent appellari. Triplici siquidem lumine per hanc viam incedentes debent irradiari, quorum primum est testimonium bonæ conscientiæ, secundum claritas intelligentiæ, tertium honestas disciplinæ. Testimonio bonæ conscientiæ debent intus illuminari per virtutem, claritate intelligentiæ per veritatem, foris radiare debent honestate disciplinæ per bonam conversationem. Sic ergo directe occurrunt Domino qui per has vias gradiuntur, non omnes tamen uno modo occurrunt ei. Alii enim attrahuntur, alii portantur, alii gradiuntur, alii vero currunt sibi obviam. Sunt multi criminosi in hoc seculo qui terrena quærunt, carnalia sapiunt, usque adeo sepulti in vitiis, quod nec etiam oculos possunt ad cœlum levare: et squalore peccatorum confecti obliviscuntur patriam cœlestem, ad quam deberent proficisci. Videres eos in voluptatibus vitam ducere, luxu hujus sæculi lascivire, cubilibus et impudicitiis operam dare, modo scandala, modo turpia operantes: et sanctum Israel blasphemantes statuunt idolum Veneris, ubi adoranda est sacrosancta passio Salvatoris. Quorum confusionem pariter et supplicium Propheta commemorat dicens: Contaminaverunt testamentum ejus, divisi sunt ab ira vultus ejus, et appropinquavit cor illius (*Psal.* LIV), Contaminaverunt, inquit, testamentum ejus, id est, promissionem vitæ æternæ polluerunt, quantum in ipsis est, male vivendo. Ideo, quia divisi sunt a justis et electis præ ira vultus ejus, et appropinquavit cor illius, id est, manifesta est de illis voluntas ipsius, ut manifestum fiat hic, qui modo latent occulti, quam justo Dei judicio in futuro suscipiant sententiam æternæ damnationis. Hos tamen non deserit Dei misericordia, quoniam quod facere non cupiunt libertate spontanea, quandoque flagelli asperitate facere compelluntur: et modo paupertate, modo infirmitate, modo alia tribulatione extrinseca, modo confusione quam pro sceleribus suis sustinent, violenter attracti ad Deum revertuntur (*Psal.* LXXXII). Sic enim scriptum est: Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum, Domine. Aliis tamen modis eosdem criminosos attrahit Dominus, videlicet exhibitione præcepti, ostensione exempli, inspiratione cœlesti. Exhibitione præcepti eos attrahit, quando doctrina verbi Dei a malis suis revocantur: ostensione exempli attrahuntur, dum per bona opera justorum ad meliora provocantur: inspiratione cœlesti attrahuntur, dum invisibili gratia intus illustrati gratis justificantur. Cum ergo quatuor prædictis modis peccatores attrahat Do-

A minus, primo modo, id est, asperitate flagelli violenter, reliquis tribus modis mitius attrahuntur.

Sunt alii qui portantur in occursum Dei, quales sunt illi qui renuntiaverunt operibus mortuis, et quodam fervore spiritus seculum deserentes Domino adhæserunt, sed turbine carnalium desideriorum et secularis vitæ retardati in via, qua ambulabant, procedere non sinuntur. Isti ergo exhortatione verbi Dei et consolatione spiritali portandi sunt; quibus denuo renovati, affectu mentis discant terrena despicere et amare cœlestia. Quid enim confert flos qui cito decidit, et gaudium quod in momento transit? Ecce quicquid in hoc mundo speciosum est, vilescit, nec aliquid delectabile in eo B permanet: quia juventus præterit, forma cadit, fortitudo debilitatur, potentia descendit, dignitas evacuatur, sanitas languescit, divitiæ non possunt permanere: gaudium vertitur in dolorem, et jocunda omnia fine amaritudinis consummantur. Respiciamus qui fuerunt ante nos, quid profuit illis superbia eorum et jactatio divitiarum? Nihil omnino, imo velut fumus pertransierunt. O quam miseri sunt, qui ad modicum nolunt servire ut semper sint liberi, qui modicum laborem subterfugiunt ut semper sint quieti, qui in hac vita plorare renuunt ut in æternum sint jocundi. Nec æstimari debent passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis (*II Cor.* III): quoniam et negociatores hujus seculi multo sumptu et labore mercimonia C temporalia comparant, in quibus lucri super abundantiam in futuro se sperant adipisci. Tendamus igitur ad pondus gloriæ quod vile est cum emitur, et preciosum cum possidetur, quo membra cum capite Christo felicitate perpetua perfruuntur.

Sunt alii plerique in seculo qui in occursum Domini gradiuntur passu temperato: quia adhuc amantes commoda vitæ hujus ad virtutum eminentiam nequeunt ascendere, sed tamen, quantum valent, declinant peccata gravia, et profundum vitiorum. Per plana ergo campi floridi inter duas aquas positi suaviter incedunt, ubi societas carnis et spiritus mutuo se foveant solatio. Verbi gratia, quando spiritus qui promptus est, festinantius in obsequium D Dei graditur, afflictione carnis cohibeatur et caro infirma, dum nimis commoda appetit, vivacitate spiritus ad anteriora promoveatur. Ambulant ergo per campum floridum mundi hujus amantes divitias, aurum et argentum possidentes, vestiuntur discoloribus, cæterasque delitias vitæ hujus non aspernantur, et sic eunt inter duas aquas virtutum et vitiorum in occursum ejus. Non tamen usque ad ipsum pervenire possunt, nisi amne transmisso (*Job.* XXVIII): quoniam ille non invenitur in terra suaviter viventium, sicut Scriptura dicit. Tenenda est ergo virga Moysi, qua percusso flumine et diviso (*Exod.* IV), sicco pede possunt pertransire: quoniam amatores vitæ hujus virtutem discretionis, quæ est virga Moysi, ita tenere debent, ut fluctus hujus seculi et

carnalia desideria, quæ vitiis et concupiscentiis admixta sunt, ita scindunt per medium, ut quod ibi vitiosum est, deorsum sinant fluere in mare, ita quod apud eos non maneat: reliqua vero quæ naturæ sunt necessaria, et corpori utilia, ex parte altera pro munimine teneantur. Sic enim, scisso flumine, sicco vestigio transiri potest ad Dominum, etiam ab his qui bona ista temporalia non spreverunt.

Restant adhuc alii, qui cursu rapido feruntur in occursum Domini, qui videlicet viam perfectionis ingressi sunt renunciantes seculo in omnibus pompis ejus, et fervore spiritus altiores seculo effecti, nihil haber cupiunt, præter ea quæ ad beatam vitam conducunt. Videres eos modo gaudere in Domino, quia segregavit eos a seculo, modo plangere tempora, quæ moram facientes in seculari conversatione inutilia sibi reddiderunt, modo devota precum instantia paradisi portas aperire, modo Scripturæ investigatione voluntatem Dei cognoscere: ad hoc solum studiosi, ut studium vitæ hujus sine Dei offensa possint pertransire. Currentium autem alii currunt cito, alii citius, alii citissime. Cito currunt, qui tota diligentia servant mandata evangelicæ doctrinæ: citius currunt, qui illis superaddiderunt custodiam regularis disciplinæ: citissime currunt, qui privato ducuntur spiritu, et quasi nihil satis sibi æstimantes adjecerunt onus singularis vitæ.

Modo non est prætermittendum quali devotione Domino occurrendum sit. Non enim debemus coram Domino vacui apparere, sed obsequio muneris protestari affectum nostræ devotionis. Ei qui inhabitat lucem inaccessibilem satis congruere videtur cæreorum bajulatio, quos hodie portat in manibus sancta Ecclesia, tum quia cæreus Salvatorem nostrum significat, tum quia in cæreo status humani conditio nobis ad memoriam revocatur. Quomodo cæreus figuram Salvatoris nostri teneat, tanquam notum breviter pertranseo: quoniam cæra ad humanitatem, stupeum ad mortalitatem, flamma ad divinitatem, lux quæ circumquaque diffunditur, ad virtutum illuminationem, quæ ab ipso est, cognoscitur pertinere. Illud magis intuendum qualiter in cæreo vitæ nostræ processus significatus sit. Cæra virginea et munda primum statum humanæ conditionis nobis repræsentat, in quo homo per innocentiam similis Deo factus est. Stupeum quod fragile est, mortalitatem nostram significat, per quam homo propter transgressionem punitus est: Lux quæ de flamma procedit, reparationem nostram figurat, quæ per Jesum Christum facta est: Flamma quæ naturaliter sursum tendit, gloriam futuram significat, quæ sanctis præparata est, Cum ergo, homo, vides cæram virgineam, recole dignitatem tuam in qua creatus es: cum vides stupeum incinerari, plange peccata tua propter quæ in condemnationem mortis projectus es. Quando luce irradiaris, lauda et gratias age Deo, per quem misericorditer reparatus es. Cum flammam intueris, festina ad illam glo-

A riam quæ tibi in cœlis præparata est, largiente Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

SERMO XV.

IN PURIFICATIONE BEATÆ MARIÆ.

Postquam ablactaverat Anna puerum, adduxit eum ad domum Domini in Silo (*I Reg.* I). Verba quæ proposui sumpta de libro Samuelis, Annæ loquuntur historiam, quæ diu infœcunda et sterilis multo desiderio et precum instantia filium petivit a Domino, quem susceptum et ablactatum adduxit eum in Silo ad domum Domini, ut maneret ibi jugiter.

Spiritaliter tamen intellecta hodiernæ festivitati possunt adaptari, eo quod adductio Samuelis ad domum Domini oblationem Jesu Christi in templo
B congrue designet, sed et Anna, quæ gratia interpretatur, sanctam Ecclesiam. Samuel vero, qui postulatio Dei dicitur, Christum signat, sicut diligenti Patrum explanatione manifestum est. Sicut enim Anna filium, ita et Ecclesia, quæ a primo Abel justo inchoata est, ante Christi Incarnationem, ferventissimo desiderio petivit a Domino dari sibi Sanctum sanctorum, virum unicæ felicitatis, singularis sanctitatis, in quo tolleretur prævaricatio, et auferretur peccatum, et veniret justitia sempiterna. Jam enim omnes voces prophetarum obmutuerant: quia diuturnis clamoribus jam raucæ factæ, non poterant exhibere eum quem promiserant: et ideo omnium vota, universorum desideria in Christum inhiabant,
C cui repositum erat, qui et ipse erat expectatio gentium (*Isa.* LXIII). Non tamen adhuc videre cupiebant in ea forma qua est speciosus præ filiis hominum, non formosum in stola sua ascendentem in cœlum in multitudine virtutis suæ, non proficiscentem ad illa speciosa deserti, ad flores rosarum et lilia convallium, sed potius desiderabant eum accipere, cum Isaia, despectum et novissimum virorum (*Isa.* LIII), et scientem infirmitates, cum Zacharia, sordidis indutum vestibus (*Zach.* III): qualem propheta David eum prænunciat (*Psal.* LXVIII), ubi ex persona ejus dicit: Ego sum pauper et dolens, salus tua Deus suscepit me. Qualem denique vir justus ex persona Ecclesiæ in libro Sapientiæ sibi dari postulat cum dicit: Mitte illam de sede magnitudinis tuæ, ut me-
D cum sit et mecum laboret (*Sap.* IX). Mecum sit, inquit, per similitudinem humanitatis, et mecum laboret, per experientiam passionis.

Ecce tantis motus precibus Dei Filius inclinavit cœlos et descendit, et in carne mortali mundo apparens nobis, imo universis datus est, si tamen diu desideratus cum desiderio suscipiatur. An non recte illum nobis datum dixerim, qui pro nobis est natus, pro nobis hodie in templo oblatus, pro nobis tandem mortuus? vis videre quomodo hæc omnia pro nobis? Certe nativitas nostra erat immunda, vita perversa, mors periculosa. Natus est ergo pro nobis, ut per suam nativitatem nostræ nativitatis immundiciam purgaret: oblatus est in templo pro nobis, ut legi subjectus vitam nostram obediendo infor-

maret : mortuus est pro nobis, ut sua morte mortem nostram destrueret. O anima misera, quæ tantum Dei gratiam in vacuum recipis, et Salvatorem tuum tibi oblatum male vivendo a te repellis, erubesce et confundere in temetipsa. Nam et si sanctorum desideria duritiam cordis tui flectere non possunt, saltem ipsa dignatio Filii Dei te monere debuit, sed et inæstimabilis illa Patris dilectio, qua, ut servum redimeret, Filium unigenitum exposuit passioni. Resipisce ergo, resipisce, et cum parvulo efficere parvulus, cum oblato subditus, et mortuo commoriaris ut carnem tuam crucifigas cum vitiis et concupiscentiis, ut cum Paulo dicere possis : Mortui sumus cum Christo, et vita nostra abscondita est cum ipso in Deo (*Colos.* III). Et ut superficiem capituli quod propositum est ab initio prosequamur, pro nobis etiam Christus ablactatus est, hoc est, a lacte separatus. A quo lacte? Testimonio Scripturarum lac triplex distinguere possumus. Lac humanæ naturæ, de quo Sponsus ad sponsam in Canticis : Mel et lac sub lingua tua (*Cant.* IV), hoc est, divinitas et humanitas sub carne tua. Lac simplicis doctrinæ, de quo Paulus : Tanquam parvulis lac potum dedi vobis, non escam (*I Cor.* III). Lac mundanæ oblectationis, de quo carnali Judæorum populo per Dominum fit repromissio cum dicitur (*Deut.* VI) : Dabo vobis terram lacte et melle manantem. Ut autem de lacte humanæ naturæ primo loquamur, ante Christi adventum sancta mater Ecclesia duo ubera habuit, videlicet legem et prophetas, in quibus lac humanitatis Christi per repromissionem continebatur. Siquidem lex figuris et sacrificiis hominem Christum significabat, prophetæ vero manifestis oraculis ipsum in carne venturum prænunciabant. Ab his uberibus verbum Dei lac extraxit, quando ipsum Verbum caro factum naturam humanam sibi univit. Unde lacte isto expresso eadem ubera aruerunt : quia in carne Christo apparente, illa suavitas spiritus, ille devotionis affectus, quem sancti Patres ex repromissione legis et prophetarum de Christo habebant, omnino defecit. Ecclesia vero Christum ablactavit, quando ipsum contra carnis jura genitum supra naturam humanam Deum credidit. Unde Evangelista : Quod enim nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei (*Luc.* I). Et Isaias de ipso : Vere tu es Deus absconditus, et absque te non est Deus (*Isa.* XLV). Et alibi : Vidimus stellam ejus in oriente, et venimus adorare eum (*Matth.* II). Est etiam Christus ablactatus a lacte simplicis doctrinæ, quando literalem legis superficiem spiritaliter intelligendam esse docuit. Possumus tamen et simplicem doctrinam largius accipere, ut simplex doctrina appelletur, omnis illa quæ spiritali intelligentia fœcunda non est : secundum quod lac dici debet philosophica doctrina, et quæcunque alia secularis scientiæ nomine censetur. Unde etiam illi qui lac istud sugunt, parvuli a quodam sapiente vocantur qui dicit : Græci semper pueri estis, nec ulla in vobis cana scientia, etc. Ab isto ergo lacte cum Christo om-

A nes adulti ablactandi sunt, ut secularia documenta relinquentes, spiritalibus præceptis tanquam solido cibo nutriantur. Quæ enim in lacte isto potest esse suavitas spiritus, si Platonem, si Tullium intelligis, cum ista scientia amaritudine multa respersa sit, quæ plerunque suis studiosis aufert spacium pœnitentiæ, fructum bonæ vitæ, coronam vitæ æternæ? Aut quis finis utilis et honesti, si Aristotelis fallacias subtiliter rimaris? Nisi forte finem tibi statuas, alium redarguere falso inopinabili, cæterisque nugarum ineptiis proximum circumvenire, et sic statuas finem studii attigisse metam falsitatis. Non est iste finis consummans, sed consumens; non perficiens, sed deficiens, hoc est trahens ad defectum virtutum. Ille ergo finis magis nobis quærendus B est, de quo David dicit : Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis (*Psal.* CXVIII). Et Paulus : Finis legis Christus est ad justitiam omni credenti (*Rom.* X). Non est finis iste a nobis longe positus, quoniam Christus in se infinitus, pro nobis finitus factus est, et prope positus. Siquidem inaccessibilis, jam aditur, incomprehensibilis manibus justi Simeonis suscipitur : et quem cœli cœlorum non capiunt, hodie parvulus in templo præsentatur.

Congaudeamus parvulo, qui nobis secum attulit gaudia æternæ salutis : ostendamus ei faciem hilarem, exhibeamus debitum obsequium, referamus pro beneficiis gratiarum actiones. Primo loco jocunda facies in hoc spiritali gaudio exhibenda est, C ut tamen faciem cordis sive conscientiæ, non corporis significari intelligas; ista facies, id est conscientia tua, hilaris et pulchra esse debet, a vitiis et concupiscentiis purgata, et virtutibus ornata : quia non placet servitutis obsequium, nisi videatur cordis facies spiritali jocunditate decorata. Et quidem geminus est decor animæ, quem homo Deo suo offerre debet, videlicet innocentia a vitiis, et virtus humilitatis. Primum decorem animæ a Deo habuit, sed eum peccando perdidit, quando in Adam omnes ita peccaverunt, ut nemo unquam fuerit vel esse possit, qui de innocentiæ puritate possit gloriari. Propterea ad secundum animæ decorem, quæ est humilitas, necesse habet homo confugere, ut pul- D chritudo conscientiæ peccatis denigrata, per matrem virtutum, id est humilitatem, reparetur.

Ad hoc autem triplex humilitas necessaria est, videlicet confessionis, subjectionis et propriæ abjectionis. Ut prima humilitas culpam diluat, secunda virtutes nutriat, tertia vero custodiat. Istæ tres humilitatis species in avibus, quæ præ Domino oblatæ sunt, hoc est turture et columba, significari videntur. Habent enim gemitum pro cantu, in quo exprimitur humilitas et dolor confessionis. Cedunt si ab alio animali impetantur, et in hoc figuratur humilitas subjectionis. Turtur vero, quæ, amisso compare, nunquam virentibus ramis, sed aridis insidet, humilitatem significat propriæ abjectionis. Hæc postrema, præcipua humilitatis species, omnibus

admodum necessaria est, ut sine ea non relinquatur etiam sanctis viris ulla spes salutis. Decorem hujus virtutis Paulus habuit cum diceret (*I Tim.* I) : Venit Christus in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Similiter et Petrus cum ait : Exi a me, Domine, quia homo peccator sum (*Luc.* V). Et mulier illa evangelica : Si tetigero, inquit, fimbriam vestimenti ejus, salva ero (*Marc.* VI). Quicunque igitur in conspectu Dei pulcher vis apparere, te ipsum vilem et despectum reputes, ita ut, consideratis propriis infirmitatibus, semper alium æstimes te meliorem. Debes enim peccata tua, quæ magna et multa sunt, ante oculos tuos ponere : virtutes vero si quæ in te esse videntur, eo quod tot peccatis permixtæ sint, judicare infructuosas. Aliorum vero bona, quæ manifesta tibi sunt, debes B venerari et magna æstimare; et eorum mala, quæ tibi occulta sunt, non debes judicare, vel, si nota tibi fuerint, excusare charitatis affectu : ut sic ex consideratione tuæ infirmitatis, quam manifeste intelligis, te judices despectum et vilem, proximum vero tuum, propter manifesta bona quæ in eo vides, semper judices te meliorem ; hæc est jocundi illa facies et hilaris, quam Christo debemus ostendere. Prosequamur modo debitum obsequium, quo ei servire tenemur. Sed de obsequio exhibendo legis mandata servanda sunt, quæ satis distinguunt quale obsequium Deo in templo maxime exhibendum sit, quæ etiam illi ad templum oblato debeant hodie exhiberi.

Jubentur siquidem per legem animalia super altare mactari, thus cremari, oleum purissimum arderi in honorem Dei. Primo ergo qui Christum ad templum venientem digne volunt suscipere, debent in altari cordis sui animalia, id est motus carnales, desideria concupiscentiarum, delectationes pravas occidere, jugulare eas cultro compunctionis, et cremare ea igne pœnitentiæ, ut sic exhibeant corpora sua Deo hostiam vivam, sanctam, viventem, Deo placentem (*Rom.* XII). Non enim simul conveniunt delectatio carnalis, et jocunditas spiritalis, quæ Deo exhibenda est : sicut non potest de eodem fonte emanare dulcis et amara aqua; nec eadem persona simul tristis et gaudens, ridens et plorans, nec contrariis passionibus uno momento D esse subjecta. Animalia igitur, sicut diximus, in templo Dei mactanda sunt. Nam qui bestias in feritate sua volunt aspicere, hi procul a templo Dei ad mundi hujus solitudinem recedant, in qua ursi, leones, aquilæ, quæ de rapto vivunt, reperiuntur. Ursi, inquam, hoc est fœtidi homines, qui luxuria, immunditia seipsos inquinaverunt; leones, id est cupidi et avari, qui rapina, furto, ambitione, simonia, cæterisque generibus avaritiæ tam Deo quam proximo suo injuriam intulerunt; aquilæ, quæ in altum volant et de rapto vivunt, ipsi sunt superbi, qui seipsos super se elevantes in oppressionibus et dejectione aliorum gloriantur. Thus etiam in obsequium Dei cremari præcipitur, in quo orationes

A sanctorum sunt significatæ congrua similitudine. Quando thus accenditur, tria concurrunt, fumus, odor, ignis, quæ tria et in oratione moraliter inveniri possunt. Qui enim fructuosam orationem Deo offerre intendit, primo miserias et iniquitates suas ante oculos statuere debet, unde oritur fumus compunctionis; secundo misericordiam Dei, quæ magna est, qui tam facilis est ad ignoscendum, pronus ad parcendum benignus ad præmiandum; quibus consideratis, fervor accenditur charitatis, ut homo ardenter eum diligat, sine quo nec evadere suas miserias, nec apprehendere bona illa potest quæ præparavit Deus diligentibus se. Devote ergo Deum orans ex consideratione suæ infirmitatis emittit fumum compunctionis. Considerata Dei misericordia dat odorem sanctæ devotionis ; ex quibus consideratis fervor dilectionis sive ignis accenditur, ut jam dictum est.

Ad hæc omnia necessarium est accendi oleum purissimum in lampadibus. Si lampades corda nostra velim appellare, oleum lampadarum non incongrue dixerim cordis dulcedinem, sive pietatis affectum. Sicut enim oleum olivarum ad usum triplicem se extendit, quia dolores mitigat, corpora pascit, et ardet in templo Dei : sic et spiritaliter virtus pietatis ad tria se habet. Ipsa enim dolores mitigat, quoniam subvenit miseris, consolatur pusillanimes, tristes confortat, ignorantes erudit, corrigit delinquentes. Pascit etiam animam refectione C spiritalis gaudii, quoniam congaudet alienis profectibus, applaudit proximorum virtuti, eosque dignitatibus sublimari, ampliari honoribus, crescere in religione desiderat, et quidquid gratiosum aliis accesserit, tanquam sibi proprium gaudet accrevisse. Ex his duobus, velut oleo purissimo nutritur, ignis charitatis, qui magis plerumque accenditur ex his pietatis affectibus quæ ad proximum pertinent, quam spiritalibus exercitiis, quæ immediate ad Deum respiciunt, quoniam lectio sine intellectu, oratio sine affectu est, quæ virtute pietatis non conditur. Restat ultimo, Christo nobis præsentato, gratias agere.

Et sunt duo pro quibus maxime illi gratiæ agendæ sunt, videlicet modus nostræ visitationis, et magnitudo remunerationis. Quis enim pii pectoris in laudes et gratiarum actiones non prorumpat, cum Dominum dominantium pro se factum fuisse servum, eum, cujus et orbis terræ et plenitudo ejus, factum egenum, incomprehensibilem, parvulum, et immortalem necessitati mortis addictum? Sic et magnitudo præmii ad gratiarum actiones nos invitat. Quid enim majus dare potuit nobis, quam potestatem suam, gaudium suum, et regnum? Potestatem suam illi habebunt, qui ipso largiente de hoc mundo judicabunt : gaudium habebunt, qui cum servo illo fideli et evangelico intrabunt in gaudium Domini sui : regnum, qui vocem illam audituri sunt : Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est a constitutione mundi (*Matth.*

xxv). A quo regno longe relegata sunt dolor et gemitus, infirmitas et miseria, peccatum et omnis malicia spiritalis, quod nunquam hoste concutitur, vel discordia turbatur, ubi tranquilla æternitas et jocunda tranquillitas : Ad quam nos perducere dignetur Jesus Christus Dominus noster, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SERMO XVI.

IN PURIFICATIONE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Mulier, si suscepto semine peperit masculum, diebus purificabitur septem triginta tribus (*Lev.* XII). Quid est, fratres et domini mei charissimi? quid, inquam, est, quod sermo incircumcisus eruditis sensibus perfectæ sapientiæ possit apponere. Quid est quod homo peccator et magnus peccator sanctitati B vestræ possit proficere ? Nihil plane. Siquidem bonorum meorum non indigetis, qui ab eo, qui dat affluenter et non improperat, tum legendo tum orando copiose tempore opportuno accipiatis

Vos enim estis illi veri adoratores, qui adoratis Patrem in spiritu et veritate (*Joan.* IV) : qui consepulti Christo, et mortui peccato passionem Jesu Christi portatis jugiter in corpore vestro. Odistis enim animas vestras in hoc mundo, et voce illius beatissimi Thomæ Didymi vociferati estis ardenti desiderio : Eamus et nos, ut moriamur cum illo (*Joan.* VIII). Mori mundo, et vivere Deo. Mortui igitur estis mundo, qui regnum hujus mundi et omnem ornatum seculi propter amorem Dei contempsistis : Vivitis Deo, quem mente geritis, opere quæritis, verbo prædicatis. Mihi vero in peccatis nato res versa est in contrarium : quippe quotidie reviviseo peccato ut quotidie moriar Deo. Vivo siquidem mundo per superbiam, per vanam gloriam : vivo carni per gulam, per concupiscentiam, vivo peccato per peccandi frequentiam et pœnitentiæ negligentiam. Quid ergo erit de me, Domine Jesu, responde pro me.

O utinam quæratur et mihi speciosa illa David adolescentula, Dei dico sapientia, quæ artus meos peccati frigore torpentes inspiratione divini amoris calefaciat : et quod tantæ solennitati sit idoneum, et vestræ congruum exhortationi, illuminatione veritatis edoceat. Ipsa enim sola est, quæ prestat loquenti fiduciam : quia sola præstat loquenti peritiam. Quoniam igitur ex me non sufficio, ipsa loquatur in me, ipsa imperfectum meum perficiat, quæ os Caiphæ peccatoris in verba prophetiæ aperuit (*Joan.* XVIII), et sermone diserta est per os bruti animalis (*Num.* XXII).

Mulier, inquit, si concepto semine peperit masculum. Auditis fratres charissimi, quo veteris legis præcepto mulieri parienti masculum, tempus purgationis quadraginta dierum injungitur, ut tandem die quadragesimo cum placatione hostiarum ad templum veniens legali ritu plene et perfecte purificetur. Verumtamen lex ista data est purificandæ, non purificatæ : peccatrici, non ab utero sanctificatæ : mulieri, non virgini : corruptioni, non inte- A gritati. Qua enim egeret purificatione quam Pater sanctificavit, quam Spiritus sanctus obumbravit, quæ solo verbo Filium Dei concepit, absque dolore peperit ? Nulla profecto opus est purificatione, ubi non præcessit aliqua macula culpæ. Debuit tamen, licet non purificari, tamen dies purificationis observare : quia et ipsa nata sub lege paritura erat masculum, qui venit non solvere legem, sed adimplere (*Matth.* V). Ipsa etenim est mulier, quæ concepto semine peperit masculum : Mulier dico conditione, non fragilitate : natura non mollitie. Mulier dicitur, quasi mollier [mollior] a mollicie, ergo non mollis fuit sed fortis ; fortis, inquam, illa quam Salomon quærebat dicens : Mulierem fortem quis inveniet? (*Prov.* XXX.) Fortis siquidem debuit esse quæ paritura erat masculum, principem hujus mundi foras ejecit : eripiensque inopem de manu fortiorum ejus, propria virtute gloriosos terræ humiliavit. Igitur mulier ista peperit masculum, conceptum tamen semine et quo semine ? Illo plane de quo dictum est Abrahæ : Quia in semine tuo benedicentur omnes cognationes terræ (*Gen.* XXIII). Hoc etiam semen significavit nobis Isaias, cum dixit : Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorra similes essemus (*Isa.* I). Semen denique non carnale sed spiritale, non culpæ sed gratiæ, non viri sed Verbi Dei, non corruptionis sed credulitatis. Semen quo Dominus dedit benignitatem et terra nostra dabit fructum suum (*Psal.* LXXXIV), ipsum est semen quod C cecidit in terram bonam, virginem dico Mariam : et attulit in aliis quidem fructum tricesimum, in aliis sexagesimum, et in aliis centesimum (*Matth.* XV) : in ipsa vero singulari privilegio simul tricesimum, sexagesimum et centesimum.

Tricesimum siquidem fructum semen hoc attulit, quando Christus sua præsentia nuptias consecravit (*Joan.* II) : sexagesimum fructum attulit, cum, tempore suæ prædicationis, continentiam prædicavit et docuit : centesimum, quando matrem Virginem Joanni virgini in cruce commendavit (*Joan.* XIX). Sed, quia nobis illa virgo Israel futura erat mater Dei, thalamus sponsi, dilecta dilecti, unica unici, ideo Dei Filius singulariter, imo mirabiliter in ipsa D voluit operari : ut quæ precium universitatis debeat parere, cum statu quolibet universitatis haberet aliquid commune. Et cum conjugatis quidem habuit partum prolis, cum continentibus votum castitatis, cum virginibus perseverantiam virginitatis, ut dum continentes et conjugatas et virgines pariendo redimeret, simul ei fructus tricesimus, sexagesimus, et centesimus proveniret. Sed, o tu vir religiose, qui sentis de beata Virgine in bonitate, non minorem in ea fructum tricesimum quam sexagesimum, vel centesimum intellige. Secure asseras, quoniam non plus meruit pariendo, quam virginitatem conservando : pro varia ergo in ipsa comparatione Dei fructus ei debitus varia sortitur, quantum ad ipsam appellationem. In aliis tamen non sic : quia neque

continent sine difficultate, neque pariunt sine cor- A rnptione. Huic expositioni ratio numeri quem præmisimus concordare alicui videbitur, qui continet dies septem, triginta tres. Triginta etenim ad conjugatos, ternarius, qui parem in sui divisione non recipit, ad continentes; septenarius vero qui sacratus est numerus propter septiformem gratiam, refertur ad virgines. Dies igitur purgationis beata Virgo observavit, non tam pro necessitate purificationis, quam pro sacramento, ut diximus, mysticæ significationis. Non solum autem Mariæ, sed etiam cuilibet fideli animæ verba præmissa morali expositione possunt adaptari.

Quælibet enim anima Deo devota, est illa mulier, quæ, concepto semine gratiæ spiritalis, parit ma- B sculum bonæ operationis. Hæc est mulier illa de qua in Apocalypsi legitur quod draco stabat ante mulierem quæ paritura erat masculum, ut cum peperisset, devoraret filium ejus (*Apoc.* XII). Ipsa est mulier Cananæa egressa de finibus Tyri et Sydonis, id est de profundo secularis conversationis, quæ clamat ad Deum pro filia, id est pro peccatrice conscientia dicens: Fili David, miserere mei (*Matth.* XV). Ipsa est mulier, quæ patiebatur fluxum sanguinis, id est effusa erat sicut aqua per illicita desideria carnis: tandem fimbriam vestimenti ejus tetigit et sanata est (*Marc.* V). Vestimentum Christi, habitus est virtutis: fimbria vestimenti, fructus est bonæ operationis. Sicut enim fimbria exornat C vestem, sic bona operatio exornat virtutem. Mulier ergo illa fimbriam vestimenti tetigit, quando anima peccatrix exemplo bonorum operum provocata, bene operando pristinos errores derelinquit. Hæc mulier tempus purgationis observare debet septem diebus, et triginta tribus, quæ in summa quadraginta constituunt. In quadraginta vero est denarius per quaternarium multiplicatus: quippe quater decem quadraginta efficiunt. Per denarium ergo propter legis mandata accipimus legem, per quaternarium quadripartitam legis observationem, id est historiæ, tropologiæ, anagoges, et allegoriæ.

Siquidem legis mandata neminem ad perfectum perduxerunt sine spiritali intelligentia (*Hebr.* VII): nam litera occidit, spiritus autem vivificat (*II Cor.* D III). Hinc est quod Moysi qui figuram legis gerit, terra promissionis ostenditur (*Deut.* XXIV), sed in ipsam non introducitur: quia lex ostendebat per quam viam homines legis ad veram et cœlestem terram promissionis deberent incedere, sed tamen in ipsam eos minime potuit introducere. Alibi quoque manus Moysi graves leguntur fuisse, sed auxilio Aaron sustentantur et eriguntur (*Exod.* XVII), quia carnalia legis opera, quæ per manus Moysi significata sunt, gravia erant et importabilia, nisi cum Aaron noster sacerdos, tamen secundum ordinem Melchisedech, illa temperabat et erigebat spiritali intelligentia. Ergo istorum quatuor observatio, id est historiæ, tropologiæ, anagoges, allegoriæ, quibus anima debet purificari, quibus Deo debet reconciliari, necessaria est.

Historia siquidem per mandatum homines foris instruit: tropologia per morum informationem animam intus regit: allegoria, quæ est in contemplatione cœlestium, ad perfectum perducit: historia viam bene operandi demonstrat: tropologia voluntatem informat: allegoria per fidem cor mundat: anagoge interiorem hominem sola ea quæ Dei sunt, contemplando purificat. In historia, propter præceptum invenitur obedientia: in tropologia, disciplina: in allegoria, fidei sinceritas: in anagoge invenitur charitas. Docet te historia qualiter per obedientiam ad superiorem vivas humiliter: tropologia, quomodo ad parem vel ad inferiorem socialiter: allegoria docet te credere fideliter; anagoge docet te amare perseveranter. Et duo prima, ostendunt viam justitiæ ad proximum: reliqua duo cultum pietatis ad Deum. Hæc sunt quatuor alæ cherubin, quarum duabus volant, et duabus tegunt corpora sua (*Ezech.* I). Sancti enim viri qui sunt cherubin, id est plenitudine divinæ scientiæ illuminati, duabus alis tegunt corpora, quando per historiam et tropologiam, præsentem informant conversationem: duabus alis volant, quando allegoria et anagoge per fidem et charitatem sursum eriguntur ad contemplationem. Istæ sunt illæ quatuor rotæ, quibus arca Dei de terra Philistiim ad tabernaculum fœderis reducitur: et hæc sunt illa quatuor quibus anima a regione dissimilitudinis ad gremium matris Ecclesiæ revocatur. Hoc etiam per tempus purificationis ostenditur, ubi nominantur dies septem et triginta tres: et inprimis quidem septem diebus admittitur ad consortium hominum, postmodum expletis triginta tribus diebus adducitur ad templum. Per septem itaque dies, quibus universum tempus volvitur, universitatem temporis intellige, quibus debemus ad communionem hominum admitti, hoc est, fraternæ charitati studere. Vide quomodo, si non habes quod tribuas, saltem quod potes, affectum pietatis omnibus benigne impendas. Esto misericors ad miseros, compatiens ad infirmos, consolator ad desperatos. Neminem injusta operatione concusseris, nulli detrahendo calumniam intuleris, non alicui malum pro malo reddas, injuriam tibi illatam in tribulatione gaudens patienter sustineas, benedic maledicentibus, ora pro persequentibus et calumniantibus, ut sis filius Patris tui qui in cœlis est. Semper in corde tuo habeto illam veritatis sententiam: *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (*Luc.* XXI). His et his similibus modis in hoc præsenti tempore purificaberis, si fraternæ charitati operam dederis per affectum misericordiæ et pietatis. Per dies triginta tres illud beatæ purificationis tempus intelligendum puto, quando quasi triginta trium annorum occurremus omnes in virum perfectum juxta mensuram ætatis plenitudinis Christi, quando ingrediemur in Sancta

sanctorum, id est in templum non manufactum in cœlestibus, quando, sicut scriptum est, purificabimur ab omni inquinamento carnis et spiritus (*II Cor.* VII). Ibi fratres, plene cognoscentes et cogniti, lux vestra non lucebit in tenebris, sed manifesta luce operum et cordium portabitis lucernas ardentes in manibus vestris: Lucernas dico non solum glorificati corporis, sed conscientiæ lumine divini amoris radiantis. Quod fortassis præfigurant luminaria quæ hodie offertis ad mensam Domini, hoc est ad altare, non sine lumine sed ardentia.

Attende, si placet, ceræ operatricem apiculam qualiter operatur, quomodo negociatur. Volat per plana camporum, per compita hortorum, et condensa nemorum, flores habentes in se sementem dulcedinis quærit: postmodum inventis floribus ore mordaci virtutem saporis ex flore sugendo extrahit, et revertens ad alvearia mirabili artificio favum id est ceram cum melle perducit, sed operatione aliena post modum melle a cera sejuncto, in cereum cera formatur, qui accensus igne ad altare Christi præsentatur. Omnia hæc, o anima fidelis, in te invenies, omnia tibi possunt assignari. Per apiculam enim in te sanctam accipe meditationem, quæ volando huc illucque discurrit, dum misericordias Domini in præsenti seculo, præmia justorum et supplicia malorum in futuro studiosa cogitatione retractat et revolvit. Hæc igitur apicula, id est, sancta meditatio duas alas habet, id est investigationem, et admirationem. Sunt enim quædam noscibilia Dei, quæ a nobis in hac valle miseriæ constitutis legendo, meditando, investigari et sciri possunt. Alia sunt profunda et inscrutabilia, qualia sunt quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt (*I Cor.* II), quæ omnia admirari quidem possumus, non scrutari.

Hoc enim est quod sponsus a sponsa in Canticis per fenestras et cancellos quasi laqueatus amore aspicitur (*Cant.* II): quippe per fenestras sive cancellos alium intuetur, nec totum se manifestat, nec totum se abscondit. Sic et Christus in hac vita sponsæ suæ, hoc est, fideli animæ, partim se occultat, ut habeat quo per desiderium se extendat: partim se manifestat, ut ex gustu divinæ suavitatis amplius in amorem ejus inardescat. Si enim totum sponsæ complexibus præberet, ex sui præsentia fortassis fastidium faceret. Sic et in Isaia, seraphin alis suis pedes et faciem Dei velare dicuntur, mediis tantum patentibus (*Isa.* VI) : quia sublimia quædam de Deo nobis incognita sunt et velata, aliis ad nostram noticiam pervenientibus.

Nostra igitur apicula duabus alis, id est investigatione et admiratione in campum pergit. In quem campum? In campum Scripturarum, de quo Dominus ad Ezechielem : Egredere in campum et ibi loquar tecum (*Ezech.* III). In Scripturis enim nobis Deus loquitur, cum per ipsas nobis ostendit quid agere debeamus. Iste campus est ager ille, ubi invenitur preciosa margarita, quam qui invenit, vendidit omnia quæ habuit et comparavit (*Matth.* XIII). Ipse est ager, in quo crescit flos campi et lilium convallium. Flos et lilium ipse Christus est: in campo invenitur, quoniam omnis sacra pagina ei testimonium perhibet : et flos quidem propter decorem, lilium propter odorem. Et decor quidem exterius visu dinoscitur : odor non sensu, sed affectu interius percipitur. Christus igitur flos est, per manifesta opera justitiæ : lilium est, per occultum desiderium cœlestis patriæ. Vel forte flos est in vita activa, lilium vero in contemplativa. In hoc igitur campo nostra apicula flores quærit diversarum sententiarum, a quibus succum dulcem extrahit : quia intellectum spiritalem ore memoriæ extrahens in alveario cordis reportat et deponit. Postea favum operatur sua industria in quo (sicut diximus) invenitur melle cera admixta. Per ceram humanæ naturæ fragilitatem intelligimus : quia sicut cera quamlibet imaginem facile in se suscipit, sic et nos imaginem modo veteris, modo novi hominis pro varietate temporis in nobis portamus. Unde Apostolus : Sicut portastis, inquit, imaginem terreni hominis, sic portetis imaginem cœlestis (*I Cor.* XV). Favum igitur, id est, mel in cera operamur, quando sapore virtutum et gustu quodam divinæ dulcedinis, quam in Scripturis divinis invenimus, fragilitatem nostram Dei cooperante gratia informamus. Quid plura? Tandem suffocata matre apicula, mel a cera sejungitur, et vitæ nostræ imminente termino omni meditationis cessante officio, anima, in qua sedes virtutum est, a corpore separatur. Cera in cereum aliena operatione perducitur, et natura nostra in die glorificationis in verum corpus reformabitur : cereus igne accenditur, et corpus per infusionem animæ iterum vivificabitur. Stupa et cera ab igne consumitur, quia et mortalitas, quæ per ceram intelligitur, virtute penitus exuretur. Modo enim corpus nostrum animale, tunc erit spiritale : tandem cereus ardens ad mensam Domini offertur ubi pane benedictionis reficimur, et nos ad ultimam cœnam illam vitæ cœlestis, quæ est tam interminabilis quam incomprehensibilis, admittemur. Ad quam nos perducere dignetur, quem cum beata matre et Virgine Maria hodierna die veneramur Jesus Christus Deus noster, judex et salvator noster, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SERMO XVII.

IN QUADRAGESIMA.

Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur (*Jonæ.* III). Multifarie multisque modis, fratres dilectissimi, loquitur nobis Deus, modo scripturis, modo sermonibus et exemplis erudiens nos, ut abnegantes impietatem et secularia desideria sobrie, juste, et pie vivamus in hoc seculo (*Tit.* II).

Ecce enim per vocem Domini salutarem jam omnes viam salutis audivimus qualiter ambulandum sit in ea, quæ præmia sint reposita gradientibus

per illam: sed his omnibus minus quam oporteret A affecti semper parvuli sensibus invenimur, recte comparati his qui audientes non intelligunt, vel cæcutientes superveniente lumine fiunt magis tenebrosi. Nam, etsi monita salutaria, exempla virtutum, viam perfectionis quandoque libenter audimus, sed non amore virtutis, sed non studio imitationis, sed in superficie tantum, more puerorum, qui belli Trojani picturas in parietibus libenter aspiciunt: in qua si aliquem picturatum hominem videant viribus et armis prementem adversarios, mortibus et plagis hominum sibi nomen comparantem, laudant illum et magnificant dicentes: quia rem fortem fortiter operatus est; verum si ad aliquid simile fuerint invitati dum steterint in acie, et viderint fundi sanguinem, solo timore resoluti deficiunt, et sine commissione pugnæ in fugam convertuntur. B Simili modo circa nos agitur, si defectus nostros perspicaciter velimus intueri. Nam ut omittens fortes agones militum Christi transeam ad minora, laudamus refectionem panis et aquæ, non in mensa propria sed aliena, placet asperitas cilicii, virga correctionis, sed non in dorso nostro: jejunia et vigilias bona esse dicimus, dummodo boni istius cohæredes non efficiamur. Non delectat nos æternæ illius promissionis jocunditas, non sustinemus tribulationes vitæ præsentis, per quas oportet in vitam intrare, sed in utroque deficientes, illud improperium puerorum ludentium in foro suscipimus, qui dicunt: Cantavimus vobis tibiis, et non saltastis: lamentavimus, et non plorastis (*Luc.* VII). Videns tamen propheta C in spiritu per dies pœnitentiæ reparandam esse peccatoribus viam salutis, repromissionem solatii secuIis supervenientibus confidenter denunciabat dicens: *Adhuc quadraginta et cætera.* Quasi diceret: Ducat jam in bonis dies suos, affluat delitiis, sequatur voluptates: adhuc tamen venient quadraginta dies in quibus Ninive subvertetur: Ninive, inquam, illa ampla et spaciosa itinere dierum trium, portis et muris similiter extructa, inclyta in regnis, caput imperii, domina populorum, talis, inquam, et tanta quadraginta dierum numero subvertenda est. Videamus primo, si placet, qualiter civitas ista sit extructa, postea quibus modis subvertenda.

Cum ergo per Niniven, quæ speciosa est interpretata, mundus iste accipiatur, quatuor sunt portæ per quas omnes in amorem hujus mundi ingrediuntur. D Prima est, secularis sublimitas: secunda, corporalis voluptas: tertia, habendi cupiditas: quarta, transitoria prosperitas. Nonne vides quomodo hæc quatuor omnia trahant ad se, qualiter currant et festinent omnes ingredi per portas has?

Ut enim de prima porta loquar, quæ est secularis sublimitas, jam non datur sanctitati reverentia, non honor defertur scientiæ aut virtuti: quin studiis et obsequiis unusquisque honorem sibi velit assumere, ne vilis et abjectus esse videatur: parumque est Deo fieri contemptibilem, dummodo sublimis in gloria mundi appareat. Et multi quidem per hanc portam intrant, sed plures per eam, quam diximus corporalem voluptatem: eo quod ingressus patentior, via planior et suavior quæ ducit ad illam: quod probant hi qui in comessationibus et ebrietatibus, in cubilibus et impudicitiis consumunt dies suos: qui induuntur purpura et bysso et epulantur quotidie splendide sternentes lectos suos et triclinia tapetibus ex Ægypto: qui varia oblectamenta foris sensibus ingerunt, et intus per illicita desideria distrahuntur. Videmus alios siti et cupiditate habendi æstuantes quæstum reputare pietatem, et nullam acquirendi avertere justitiam, dummodo quæsita possint adipisci (*I Tit.* VI), furantes idola Laban, id est Satanæ, quæ sunt cupiditas et avaricia: non ut more Rachelis sedeant desuper operientes ea per humilem confessionem (*Gen.* XXXI), sed ut adorent ea et venerentur, et faciant inde deos suos: et hi sunt qui intrant per tertiam portam, quam habendi cupiditatem appellavimus. Successu quoque terrenæ prosperitatis nonnulli radices altius figunt in seculo, dum cuncta prospera et salubria illis proveniunt: eo ipso projecti a Domino, quod non visitantur flagellis infirmitatum, nec foris aliquibus vexationibus pulsantur, arridet mundus, impendit solatia, gaudia multiplicat, ut transitoria prosperitate sepulti, obliviscantur maculas suas tergere, mundare conscientiam, componere mores, ordinare opera, regere vitam, disciplinam servare.

Ecce quatuor portæ Ninivæ, sed adhuc murus in circuitu ejus undique est, ne aliquis potens viribus in magnitudine virtutis suæ illam expugnare possit. Primum latus muri erigit corrupta sensualitas, quæ tantum vana et transitoria sensibus exterioribus percepta appetit. Secundum latus muri construit excæcata ratio, quæ tenebris ignorantiæ et pondere peccatorum depressa, miseriam suam non valet discernere. Tertium perniciosa securitas, quæ in profundum vitiorum veniens impunitatem sibi promittit. Quartum indurata perversitas, quæ tantis stipata periculis correctionem non admittit.

Et hæc civitas spaciosa itinere dierum trium. Iter primæ diei est, mundi lascivia, quæ per delectationem homines sibi attrahit: iter secundæ diei facit insidiosa fallacia, quæ attractos falsa felicitate decipit: iter tertiæ diei facit finalis malicia, quæ consummatos in malis sine misericordia ad tormenta transmittit. Habemus jam civitatem illam refugii, Niniven loquor, ad quam omnes rei et criminosi confugiunt, non ut salventur in ea, sed potius ut perdant animas suas. Et ecce adsunt quadraginta dies illi, in quibus subvertenda est, bona tamen subversione: ut destruatur in ea regnum peccati, et convertatur ad Dominum Deum suum.

Accedant ergo viri fortes, et prælientur bella Dei sui, portas effringant, destruant muros, habitatores ducant in captivitatem, ne ultra gloriari possit in veneficiis et impietatibus suis. In prima

acie stare debent viri religiosi, tanquam primi certaminis potentes, corrigendo vitia exemplo innocentiæ et sanctitatis : ut ipsi qui in specula hujus mundi sunt positi, coram Deo ambulent in justitia et sanctitate omnibus diebus suis : quatenus etiam ipsi peccatores et abundantes in seculo eorum bona conversatione ædificati glorificent Deum Patrem qui in cœlis est, dicentes, quoniam vere Deus est qui habitat in illis. Ad hoc hortatur eos religiosus habitus, secretum solitariæ conversationis, locus ipse Deo sanctificatus, in quo tanquam ad spiritales nuptias invitatus mansionem sibi prælegit. Vis videre quomodo manet cum illis? In oratorio per devotionem orationis, in claustro per studium lectionis, in capitulo per humilem confessionem, in refectorio per abstinentiæ parcitatem, in xenodochio per hospitalitatem, in infirmaria per fraternam compassionem, in eleemosyna per misericordiam, intus et foris per regularem disciplinam. Attende ergo vir bone, et circumspectus esto si operaris ad quod venisti : pone juxta sancti viri illius consilium, rationem cum operibus tuis, et vide si vitam tuam, imo diem transigis sine invidia, sine superbia, sine murmuratione vel detractione, si cibo vel potu, somno vel otio es resolutus, si minus legis, minus oras, minus plangis quam oportet, si incipientem aliquo exemplo tuo destruxisti, si majori tuo fuisti inobediens, si ira, vel gula, vel quocunque alio vitio superatus es. Hoc enim non est Niniven subvertere, sed ædificare.

Assistunt ex parte altera fortes auxiliarii, scilicet pœnitentes, exsecrando vitia per lamenta pœnitentiæ et confessionis, recogitantes annos suos in amaritudine animæ suæ, confitentes adversum se injustitiam suam Domino, abluentes planctu et lachrimis peccata sua, subjicientes servituti membra, quæ exhibuerunt arma iniquitatis ad iniquitatem. Istis dimicantibus vitia Ninivitarum subvertuntur, dum qui furabatur jam non furatur (*Ephes.* IV): superbus efficitur humilis, luxuriosus apprehendit castitatem, impatiens mitis, iracundus suavis efficitur, invidus et avarus cæterique operarii iniquitatis modum ponunt iniquitatibus suis. Sed in hac pœnitentium acie alii pugnant fallaciter, alii inutiliter, alii viriliter: quia pœnitentia alia simulatoria, alia frustratoria, alia fructuosa invenitur. Simulatoria est illorum pœnitentia, qui ex parte confitentur peccata sua, et ex parte nolunt ea confiteri : magis volentes ferre maculam conscientiæ in conspectu Domini, quam in facie hominum de peccatis suis erubescere.

Sunt tamen quatuor quæ hanc imperfectionem pœnitentiæ præcipue operantur, scilicet pudor, timor, spes, et desperatio. Pudor imperfectionem pœnitentiæ operatur, quando aliqui vident peccata sua ignominiosa, et præter communem peccandi legem enormia, ideoque erubescunt ea confiteri, de quibus dicitur: Confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos (*Psal.* XXXII). Timor etiam pœnitentiam impedit, quando aliqui ideo nolunt confiteri, quia timent se gravitatem satisfactionis sustinere non posse : quorum personam gerebat Adam ille terrenus cum diceret: Audivi vocem tuam in paradiso et timui, eo quod nudus essem, et abscondi me (*Gen.* II). Spes etiam imperfectionem pœnitentiæ operatur, quando aliqui sperant se aliquid emolimenti adepturos in seculo, quod timerent perdere, si hominibus quales sunt interius notum fieret, quibus dicitur : Divitiæ si affluant, nolite cor apponere, hoc est, in ipsis sperare (*Psal.* LXI). Desperatio etiam imperfectam facit pœnitentiam, quando aliqui peccandi consuetudine ligati, desperant se a vitiis abstinere posse; de quibus dicitur ab Apostolo: Quia venit ira Dei in filios diffidentiæ (*Ephes.* V).

Frustratoria est illorum pœnitentia, qui quadam consuetudine temporis tracti ad horam dicunt, sed non deflent peccata sua : quippe statim deponunt onus satisfactionis, revertuntur ad vitia, bibunt calicem confusionis usque ad fecem, et fiunt novissima talium pejora prioribus. Videres hujuscemodi homines, oblitos mandatorum Dei, etiam ipsos dies jejuniorum in derisum sibi potius, quam in fructum convertere : quia, etsi quandoque jejunent, neque integre, neque pie, neque sobrie jejunant. Non integre, quia semel aut bis in hebdomada jejunantes, cæteris diebus vacant comessationibus et calicibus epotandis : cum tamen omnes a quinto decimo anno et supra ad universum teneantur jejunium, nisi infirmitate vel alia certa et rationabili causa excusantur. Non pie jejunant, quia etsi abstineant a cibis, sed a vitiis nunquam, cum tamen infructuosa sit ciborum abstinentia cui comes non est abstinentia vitiorum. Eo etiam pie non jejunant, quia quod corpori jejunando subtrahunt, in arca reponunt, iterum ventri offerendum : quod jejunium, teste beato Gregorio, non Dei, sed ventris debet appellari : eo quod alienæ paupertati impendi debeat, quod per abstinentiam cibi nobis possumus defraudare. Non sobrie jejunant, quia aut avidius, aut splendidius, aut citius, aut abundantiore cibo et potu, quam oportet, jejunium solvunt. Avide enim comedere reprehenditur in Esau, qui propter avidam comestionem lenticulæ primæ geniture perdidit dignitatem (*Gen.* XXV). Sic etiam splendide nimium comedere reprehenditur in divite evangelico, de quo dicitur : quia epulabatur quotidie splendide (*Luc.* XVI). Citius etiam, quam oportet, jejunium solvere, ecclesiastica sanctio probat esse vitiosum, quæ stabilivit jejunandum esse usque ad horam nonam. Unde beatus Hieronymus dicit : Tertiam et sextam et nonam, vesperum quoque et diluculum nemo est qui nesciat, nec cibus ante sumatur, quam istæ orationes Deo solvantur. Quod utique de tempore jejuniorum recte intelligi potest. Abundantiore etiam cibo vel potu, quam decet, jejunium solvere, probat ipsa ratio esse vitiosum : quandoquidem hoc non est abstinere sed voluptati operam dare.

Fructuosa vero est illorum pœnitentia, qui et

odio vitiorum et amore virtutis plangunt et confitentur delicta sua, qui fructum pœnitentiæ secum deferunt, jejuniis et eleemosynis aliisque bonis operibus, præteritæ vitæ delectationem luctu et dolore commutantes : probatur hoc altis peccatorum suspiriis, ubertate fletuum, tonsionibus pectorum, voce lachrymosa, quibus his diebus resonat aula Dei, dum cessant chori et ludi theatrales, magnus laqueus diaboli projicitur alea, Deo et hominibus detestanda procul fiunt joculares illi gestus, quibus etiam viriles animi resolvuntur, silent cantilenæ Veneris, et obscena carmina quoddam idololatriæ genus repræsentantes. Ut tamen hæc pœnitentia perfecta sit, quinque debet habere comites, quæ sunt : Contritio cordis, confessio oris, maceratio carnis, correctio in opere, perseverantia in virtute.

Spiritualis enim languoris cura simile quiddam habet cum operibus curandis, quibus medici primo apponunt purgativa : secundo, mitigativa : tertio, sanativa : quarto, conservativa. Contritio cordis et confessio purgativa sunt, quia contritio peccatum abluit, ne animæ adhæreat per pravam affectionem, quod postmodum confessio purgat et expellit, ne intus remaneat ad pœnæ obligationem : sicut in vase sordibus affecto videmus accidere, cui aqua infunditur ut abluantur sordes, ne vasi adhæreant per viscositatem : quæ tamen postmodum ejiciendæ sunt, ne intus remaneant ad vasi impuritatem. Maceratio vero carnis dolorem mitigat, ne per carnis curam vitia reviviscant in nobis : quin hæc consuetudo familiaris illius inimici, quem semper nobiscum ducimus, scilicet nostri corporis, ut quanto ampliora beneficia ei impendimus, tanto acriorem in suggestione vitiorum illum sentiamus. Correctio vero in opere sanitatem operatur, dum ea tantum facit homo, quæ sibi salubria, proximo utilia, et Deo scit esse accepta : cujus sanitatis conservativa est perseverantia virtutis, sine qua omnis pœnitentia imperfecta debet judicari.

Hæc est vera illa pœnitentia per quam Ninivitarum vitia subvertuntur, cujus verbum pervenit usque ad regem, propter quam parcitur universæ civitati. Ecce enim rex Ninivæ, imo Rex cœlorum et Dominus descendens de solio paternæ majestatis induitur carnis cilicio, jejunat in deserto quadraginta diebus et quadraginta noctibus, ut formam pœnitentiæ suo exemplo ipse demonstraret. Quis enim audiens Filium Dei indutum cilicio, non metuat molli habitu et discoloribus indui ? Quis audiens eum usque ad esuriem jejunasse, non erubescat his diebus delitias et mensæ voluptates ? In deserto etiam jejunat, non in civitate, non in conspectu hominum, ut doceat nos in bonis operibus inanem gloriam et laudes hominum declinare. Neque enim ideo tentationes desunt nobis, quia tentator ipse invisibili specie non apparet nobis, quia verberibus et contumeliis nos non afficit, sicut antiquos Christi agonistas impugnare solebat : imo idipsum in confusionem nostram respicit, quod visibilem se non exhibet nobis : eo quod tanquam abjectos et viles nominesindignos nos violenta tentatione judicet, quos per superbiam et inanem gloriam, vel quibuscunque aliis etiam levibus vitiis a culmine virtutum videt præcipitari. Ut ergo planctu et gemitu Niniven possimus subvertere formam pœnitentiæ, nobis, præostensam a Domino teneamus, abstinentes non solum a cibis sed etiam a peccatis, quatenus carnem nostram crucifigentes cum vitiis per austeritatem pœnitentiæ, perveniamus ad delicias patriæ cœlestis, præstante Domino nostro Jesu Christo, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SERMO XVIII.

IN QUADRAGESIMA, LÆTARE.

Initium vitæ hominis aqua et panis et vestimentum et domus protegens turpitudinem ejus (*Eccl.* XXV). Quid est hoc, fratres et domini mei charissimi ? quid, inquam, est quod facere voluistis ? Quare hominem incircumcisum corde et auribus, in injuriam vestri dispensatorem verbi Dei constituistis ? Non sum ego medicus animarum et panis verbi Dei non est in domo mea (*Isa.* III), maxime vobis apponendus, qui pane suavi, pane spiritali soletis refici : præterea sacri temporis observantia, in qua non solum calamitatis nostræ, sed etiam liberationis et læticiæ fit recordatio, sermonem vivum et efficacem exigeret pertingentem usque ad divisionem animæ et spiritus (*Hebr.* VII). In eo enim quod facies Ecclesiæ immutatur tum in cultu, tum in divini obsequii varietate, tum in frequentia plangendi et jejunii universitate, nostræ miseriæ, quia per primum parentem incidimus, quasi captivitate suspirantes, recordamur. In eo vero quod vox hodie prorumpit in vocem exultationis, et læticiæ, quasi liberata de exilio dicens : Lætare, Jerusalem, et conventum facite omnes qui diligitis eam.

Memoria est illius jocunditatis, quam post hujus peregrinationis labores expectamus, transferendi in libertatem gloriæ filiorum Dei. Licet ergo ad hoc non sim idoneus, dicam tamen aliquid pro tempore, excusatus obedientia, et vestris adjutus orationibus. Et ut de nostræ calamitatis initio loquendi sumam principium : Et quare o Adam, homo perdite, induxisti super te, et super filios tuos peccatum grande ? Quare a deliciis paradisi in has exilii sedes devenisti ? Vere cum in honore esses, non intellexisti : quia cum in horto voluptatis omnia optata tibi succederent, ecce labor te cruciat, inedia macerat, servitus premit, dolor urit, periculum angustat, mors ad ultimum exterminat. Audi ergo, o fili hominis consilium, qualiter ad vitam redeas, qui in Adam mortis sententiam excepisti. *Initium vitæ hominis, aqua et panis et vestimentum.* Cibus per omnia jejunio et pœnitentiæ congruus, aqua et panis. Sed sunt aquæ quædam nocturnæ valde contrariæ his, qui volunt inchoare bonam vitam, de quibus sponsus in Canticis conqueritur dicens : Caput meum plenum est rore, et cicinni mei guttis

noctium (*Cant.* v) : signat ros iste sive guttæ noctium affectiones carnalium desideriorum. Est alia aqua maris salsa et impotabilis, quæ non vivificat, de qua Propheta : In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis (*Psal.* LXVII) : Et hæc est amaritudo iniquæ operationis.

Sed videmus alias aquas salubres, utpote quæ a venis terræ ab imo sursum scaturiunt. Item alias quæ desursum, id est a nubibus cœli ad terram usque descendunt. Tertias quæ super cœlos suis sedibus constitutæ usque ad nos non perveniunt. In primis aquis, quæ de terra sursum ebulliunt, significantur lachrymæ pœnitentiæ : quia, dum peccator quilibet malorum suorum reminiscitur, qualiter terrenis operibus semper intentus fuerit, nil Deo, totum se vixisse mundo, quandoque gratia Dei præventus compungitur : et sic evenit ut dum præterita peccata lachrymis abluit, quasi ab imo terræ aquæ fontem producit : Et istæ aquæ sunt initium vitæ hominis. Per secundas aquas quæ a nubibus ad terras distillant, accipimus exempla sanctæ conversationis, quæ a viris justis ad nos usque perveniunt : quia dum eorum vitæ peccatores bene agendo student conformes fieri, quasi ab altitudine nubium usque ad terram aqua descendit. Per tertias vero aquas quæ super cœlos sunt, affluentiam futuræ gloriæ intelligimus, de qua dicit Psalmista : Satiabor cum apparuerit gloria tua (*Psal.* XVI) : Istæ etenim terris sunt incognitæ : quippe quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se (*I Cor.* II). Potest tamen alicui historialiter videri, quod firmamentum aquas illas continens porosum sit, et per poros ejus guttæ roris ad terras usque perveniunt, in quo rore devotio mentis, quæ est futuræ vitæ prælibatio, non incongrue figuratur. Sicut enim ros quandoque figura est peccati, sicut supra diximus, sic et in bona significatione accipitur, ut ibi : Det tibi Deus de rore cœli, et de pinguedine terræ abundantiam (*Gen.* XXVII).

De hac aqua tripartita prima humectat, secunda lavat, tertia inebriat. Sed videmus multos aquis pœnitentiæ per contritionem cordis ad modicum humectari, qui secundis aquis non lavantur per studium boni operis : ideoque nec tertiis quæ super cœlos sunt inebriantur per adeptionem glorificationis. Ecce enim mundi amatores hoc sacro tempore observantiæ quodammodo tracti, statu temporis ad modicum compunguntur, sed, dum peccata sua debent redimere jejuniis, orationibus et eleemo ynis, victi sua prava consuetudine ad pristina peccata revertuntur. Toto enim tempore jejunii animus eorum est in patinis, et si jejunant semel in die, comedendo recompensant vices comestionum, tum præveniendo horam cœnæ, tum immoderate sumendo, tum lautioris cibi artificio, tum supra modum appetendo. Isti sunt quatuor satellites gastrimargiæ sive gulæ, quibus jejunii meritum minuit, aut certe omnino inutile facit. Corporale siquidem jejunium quatuor hæc observare debet, A videlicet horam jejunii, sobrietatem abstinentiæ, mediocritatem apparatus, et appetitus mensuram. Considerare ergo debet jejunans utrum aliquod istorum sibi desit ; quod si hoc est, non est hoc jejunium quod elegit Dominus; quin potius sinistra dexteræ commisceetur, potius jejunando ventri quam sobrietati. Jam habemus aliquid de aqua, quæ est initium vitæ hominis, sed ubi est panis? Initium, inquit, vitæ hominis, aqua et panis, etc. (*Eccli.* XXIX.) Quatuor panum genera in sacra Scriptura invenimus autentica : primo panem subcinericium, quem legitur Helias comedisse in deserto (*III Reg.* XIX). Item alios tres quod distinguit Moyses in Levitico, videlicet panem coctum in clibano, panem assatum in craticula, et tertium frixum oleo in sartagine (*Lev.* B II). Panis ergo subcinericius propter cinerem significat memoriam mortis, panis coctus in clibano significat tolerantiam tribulationis; ignis enim tribulationis signum est. Panis in craticula, ubi craticula inter ignem et panem media ponitur, affectum notat compassionis, quia dum aliorum calamitatibus viscera compassionis adhibemus, quasi craticula interposita, ignem tribulationis eorum temperamus. Panis vero quartus defrixus in oleo, dulcedinem notat divinæ consolationis. Vere itaque pœnitenti panis subcinericius admodum necessarius est, hoc est memoria mortis, ut in omni opere suo memoretur novissima sua, quam sit interitus festinus et dubius, quam mutabilis vita, quam sit hora C incerta, ut semper memoria mortis præcidat voluptates, quas mundus administraverit. Secundus similiter panis qui coctus est in clibano, et tertius assatus in craticula, ad bene vivendum pertinent, id est tolerantia tribulationis et compassionis affectus. Omnis enim volens bene vivere ad hoc studere debet, ne in illatis injuriis per impatientiam statum suæ mentis immutet, et ut etiam proximorum injuriis compassionis affectu condescendat. Ergo si verbum increpationis, si correctionis flagellum, si detractionis vel opprobrii jaculum per te transierit, patienter sustineas, quia quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis (*II Cor.* IV). Væ, inquit D Scriptura, his qui perdiderunt sustinentiam (*Eccli.* II). Qui enim malos patienter ferre non potuit, ipse sibi per impatientiam suam testis est, quia bonus non est. Vis audire affectum compassionis? Quis infirmatur, dicit Apostolus, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? (*II Cor.* XI.) Disce, homo, in membris corporis tui, quæ sibi invicem subveniunt, qualiter compassionis visceribus necessitate proximi tui debeas subvenire. Nunquid enim si aliquod de membris tuis infirmitate laboret, in ministerium illius oculus negabit visum, auris auditum, pes gressum, manus obsequium? (*I Cor.* XII.) Nequaquam. Vade ergo, et tu fac similiter erga proximum tuum. Sumus enim, sicut dicit Apostolus, alter alterius membra (*Rom.* XII). Quar-

tus panis, qui oleo est defrixus, suavitas est divinæ consolationis, qui non solum ad bonæ vitæ initium, verum etiam ad consummationem est necessarius; quod vos cæterique viri sancti bene nostis, qui gustatis quam suavis est Dominus. O panis delicate, o panis dulcissime, quis mihi det ut anima mea esu tuo reficiatur, ut interioris hominis esuries te cibante satietur? Tu es enim ille panis, qui cor hominis confirmas (*Psal.* CIII). Attendamus modo in quibus consistat panis hic spiritalis, videlicet suavitas divinæ consolationis.

Consistit plane in devotione sanctæ orationis, in meditatione divinæ lectionis, in promisso æternæ felicitatis. Quid enim suavius esse potest homini, quam orationis affectu cœlos pulsare, meditatione sancta secreta cœlestia penetrare, et in promissione beatitudinis exultare? Primus subcinericius est sine oleo, quia totus est in luctu; secundus, qui coquitur in clibano, et tertius qui ponitur in craticula, partim habent oleum, quia, sicut dicit legislator, debent esse oleo liti. Nam tolerantia tribulationis partem habet gaudii, partem mœroris, sicut de apostolis scribitur: Quia ibant gaudentes a conspectu concilii, quia digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati (*Act.* V). Similiter et compassio proximi oleum habet consolationis; non enim vere compatitur, qui, si potest, non consolatur. Ultimus vero panis et intus et exterius oleo est perfusus, quia totum palato jocundum est, quod infundit dulcedo divinæ consolationis. Et Ecclesia quidem adhuc militans in terris, interim oratione, meditatione, et spe promissionis, quam nondum consecuta est, se consolatur. Sed Jerusalem cœlestis, videlicet sancti qui regnant cum Deo, jam manducat hunc panem adepta æternitatis jocunditate. In cujus memoriam hodierna die exultat decantans canticum lætitiæ vox Ecclesiæ cum dicit: Lætare Jerusalem, et conventum facite omnes qui diligitis eam. Ac si diceret filiis suis: Consolamini, populе meus, quia adhuc modicum, et epulabimini cum fratribus vestris, et satiabimini ab uberibus consolationis vestræ. Jam habemus aquam et panem.

Tertium vero est vestimentum, quia initium vitæ hominis aqua et panis et vestimentum. Vestimentum hoc, ni fallor, est custodia humilitatis. Vestimentum per omnia necessarium quod nuditatem operit, arcet frigoris intemperiem, et nutrit calorem. Vis videre quomodo nuditatem nostram operit? Certe inter omnia malorum genera nihil magis infirmitatem nostram detegit, quam ventus immoderatæ elationis. Sed hanc nuditatem custodia humilitatis tegit, cum operatur in homine contemptum sui, ut non altum de se sapiat (*Rom.* XII), ut omnibus se inferiorem judicet, et non solum voce, sed habitu, vultu, gestu semper sit accusator sui dicens et verbo et opere: Ego sum vermis et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis (*Psal.* XXI). Arcet etiam hoc vestimentum intemperiem frigoris, id est seminarium æmulationis et discordiæ, quia

A eo ipso quod homo sui contemptor est, habet reverentiam proximi, ut paratus sit ad obsequium omnium, qui omnes se putat antecedere meritorum dignitate, et sic intemperies frigoris tollitur de medio, dum per reverentiam proximi studioso obsequio subjicit se omnium voluntati. Quia, ut dixit quidam, obsequium amicos, veritas odium parit. Nutrit etiam hoc vestimentum calorem per timorem Dei. Sicut enim Scriptura dicit: Bonarum mentium est ibi culpas agnoscere, hoc est timere ubi non sunt. Ut homo in conspectu Dei semper sit pavidus, ne ipsum aliqua interveniente culpa offendat, cui sociari toto mentis desiderio festinat; sicque fit ut dum metuit eum offendere quem diligit, semper magis et magis in ejus fervore dilectionis mens

B solidetur et crescat. Habet igitur vestimentum hoc, videlicet custodia humilitatis, tria hæc, contemptum sui, reverentiam proximi, timorem Dei. Videbitur forte durum alicui, scilicet humilem et despectum exhibere se omnibus, sed in hoc est consolatio, quia, ut dicit Apostolus: Disciplina in præsenti non est gaudii, sed mœroris, quæ in futuro fructum recipiet pacatissimum (*Hebr.* XII). Certe Rachel cum parturiret, egrediente anima, præ dolore, ut dicit Scriptura, vocavit filium suum Bennoni, hoc est filium doloris mei; pater vocavit eum Benjamin, hoc est filium dexteræ (*Gen.* XXXV). Rachel quippe, hoc est anima quælibet videns Deum per sanctum desiderium, non sine dolore parit fructum bonorum

C operum, quæ opera a Deo Patre vocantur filius dexteræ, quia propter ipsam consolationem recipient in æternitate, quæ per dexteram consignificatur.

Est ergo ad bonæ vitæ initium valde expediens non solum aqua et panis, sed etiam vestimentum, et præterea quartum, scilicet domus protegens turpitudinem hominis. Magna videtur hæc turpitudo, quam nec aqua omnino delet, nec vestimentum ex toto cooperire potest, ut amplitudine domus sit opus qua ista turpitudo possit cooperiri. Non est ista turpitudo in una parte humani corporis, quam unum indumentum non sufficit celare, quin potius usque adeo diffusa est, ut a planta pedis usque ad verticem capitis non reliquerit sanitatem; ipsa est corruptio peccati. De hac turpitudine beatus Job la-

D mentatur dicens: Induta est caro mea putredine, et sordibus pulveris (*Job* VII). Quomodo induta? Omnino circumdata. Offendit enim pes eundo, auris auditu, manus opere, lingua in verbo, visus in aspectu vanitatum, usque adeo, ut possimus cum illo gentili dicere: Non habet in nobis jam nova plaga locum. Hoc quidem jugum grave est super filios Adam a die nativitatis suæ usque in diem sepulturæ. Sub cujus onere gemit vir ille sanctus dicens: Quare exceptus genibus et cur ablactatus uberibus? Nunc enim dormiens silerem, et somno meo quiescerem cum regibus et consulibus terræ: aut quasi abortivum absconditum non subsisterem, aut qui concepti non viderunt lucem (*Job* III). Sed quid dicam? tenemus morbum, necessarium est

quærere remedium. Videmus ergo quæ sit domus illa tam necessaria, ut hanc turpitudinem possit protegere. Ipsa est, ni fallor, disciplina claustralis conversationis, quæ non solum conscientiam cordis, verum etiam omnia opera exterioris hominis moderatur et regit. Verbi gratia: Silentium linguam, claustrum pedem, obedientia manum, solitudo visum, divinus sermo informat auditum, ut in viris sanctis omnia foris fiant disciplinate, et intus pacifice. Quod enim est splendor in igne, serenitas in aere, tranquillitas in mari, amœnitas in terra, hoc est disciplina in congregatione, pax in corde. Hujus domus fundamentum sunt incipientes, parietes laborantes, tectum vero contemplantes. An non vere fundamentum ponunt, qui a mala conversatione conversi formam religionis suscipiunt? Similiter laborantes parietes sunt, qui postquam inchoaverint fortiter agendo non solum in spiritalibus, sed etiam corporalibus administratione, providentia, executione operis Ecclesiæ suæ viriliter subveniunt. Contemplativi vero tectum consummant, qui laverunt pedes suos cum sponsa, nec volunt surgere ut coinquinent illos (*Cant.* v). Quippe a terrenis occupationibus liberi coram Deo astant, et ei serviunt spiritu et mente, meditantes in lege ejus die ac nocte (*Psal.* I). Ecce, fratres dilectissimi, passer, id est quilibet infirmus, invenit sibi domum, et turtur nidum sibi, ubi reponat pullos suos (*Psal.* LXXXIII), id est spiritalis nidum. In hac siquidem domo et infirmus [sanat] morbum, et incolumis sanitatem custodit, quæ in præsenti mortalibus conceditur ad remedium donec ingrediamur in domum non manufactam, quæ in cœlis est, in futuro ad gaudium, cum abscondet nos in abscondito faciei suæ a conturbatione hominum, proteget nos in tabernaculo suo in contradictione linguarum (*Psal.* XXX); quo nos perducat Jesus Christus, rex noster, homo humilis, et Deus sublimis, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SERMO XIX.

IN QUADRAGESIMA.

Initium vitæ hominis aqua et panis, et vestimentum, et domus protegens turpitudinem ejus (*Eccl.* XXV). Sicut gradus sunt descendendi in mortem, sic et gradus ascendendi ad vitam inveniuntur. Et sunt tres gradus quibus in mortem descenditur, quorum primus est, mandata Dei negligere: secundus, voluptatibus carnis vacare: tertius, ad omnia vitia spiritalia pronum se exhibere. Similiter et tres gradus sunt ascendendi ad vitam, quorum primus est, devota conversio: secundus, bona conversatio: tertius, sancta consummatio.

Cum ergo initium vitæ hominis sit conversio ad Deum, dicuntur tamen panis et aqua initium vitæ hominis: quia converso ad Deum necessaria sunt aqua, videlicet pœnitentiæ, et panis sacræ Scripturæ. Primo aqua lachrymarum necessaria est: quia sicut purgat oculum, ita et lachrymæ purgant mentis affectum: si tamen in modum fontis de imo terræ scaturiant, id est si ex *recordatione terrenæ* A sive peccatricis conversationis procedant. Necessaria est admodum aqua ista, si tamen habeat comites qui fructuose pœnitentem debent comitari, videlicet suspirium, planctum, et plausum: Suspirium de cordibus, planctus de ore, plausus de manibus procedit: ut suspirium sit pro peccato cogitationis, planctus pro peccato locutionis, plausus pro peccato operis: quæ omnia in recordatione peccatorum delenda sunt.

Veruntamen, tu vir bone, qui ad Deum conversus es, scire debes, quoniam frequens peccatorum recordatio quibusdam perniciosa est, quibusdam bona. His siquidem, qui spiritu ferventes sunt, et fortes in opere, frequens recordatio peccatorum est utilis: quoniam ex eorum detestatione ad amorem Dei magis accenduntur. B Sed sunt alii, qui infirmam habent conscientiam, et ad resistendum vitiis imbecilles sunt, quibus frequenter recordari peccata sua non expedit. Quoniam sicut corpus ex fœtore alicujus cadaveris aliquando corrumpitur: ita ægra conscientia per frequentem recordationem peccatorum, contaminatur. Solent dicere physici, quoniam reliquiæ infirmitatum, quæ sunt in corporibus, subversiones faciunt, quod similiter evenit in reliquiis spiritualium infirmitatum. Nam sicut is, qui de infirmitate gravi convalescere incipit, si utatur cibo sibi contrario, quandoque recidivat, et in infirmitatem relabitur: ita et anima infirma per recordationem peccati affecta, plurimum ad peccati consensum trahitur.

C Panis etiam Scripturarum ad vitam necessarius est, de quo dicitur: Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis (*Thren.* IV). Et alibi de eodem: Quia cognoverunt Dominum in fractione panis (*Luc.* XXIV): de quo etiam pane in Evangelio Dominus multa millia hominum satiasse perhibetur. Sacra siquidem Scriptura voluntatem hominis informat, tum per cognitionem veritatis, tum per amorem virtutis. Iste tamen panis non omnibus uniformiter apponendus est, sed pro modo legentium et capacitate sensuum variandus. Sunt enim aliqui, qui multa sciunt, et parum diligunt: alii, qui multum diligunt, et pauca sciunt: alii, qui multa cognoscunt et multum diligunt: alii, qui et pauca cognoscunt, et parum diligunt. Qui multa D cognoscunt et parum diligunt, debent legere scripturas morales, quæ purgant affectum, charitatem accendunt: quales sunt scripta beati Gregorii, parabolæ Salomonis, liber Sapientiæ, et cæteræ tales, quæ pertinent ad morum ædificationem. Qui vero multum diligunt et parum cognoscunt, legere debent scripturas pro capacitate sensus sui, quæ ad cognitionem veritatis intellectum illuminant, ut Genesim, Exodum, librum Regum, Paralypomenon, et cæteras tales quæ pertinent ad scientiam veritatis. Qui multum cognoscunt et multum diligunt, legere debent scripturas sententiosas pariter et affectuosas, quibus intellectus et affectus simul nutriatur. Qui autem parum cognoscunt et parum diligunt, quamvis simplices scripturas licite possint legere,

tamen magis eis expedit audire verbum exhortationis ab eo qui scit exhortari in doctrina. Quoniam viva vox docet, et efficacior est ad eruditionem, quam serialis literæ susceptio.

Hanc autem exhortationem facere debent illi, qui non solum per scientiam illuminati, sed etiam per charitatem accensi sunt : quoniam prædicator primo debet filios parturire in visceribus charitatis, postmodum parere verbo prædicationis. Unde Paulus : Filioli, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus (*Gal.* IV). Criminosus vero, etsi multam habeat scientiam, silentium tamen ei indicitur. Sicut scriptum est : Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant (*Psal.* V). Quia etsi sciant recta loqui per cognitionem veritatis, tamen tortuosa et nociva frequenter loquuntur, impellente affectu pravæ voluntatis.

Et attende, claustralis, quia alio tempore lectione, alio tempore oratione, alio tempore meditatione utendum est. Tempore tribulationis, quando vir bonus in angustia, et persecutione, et quacunque tribulatione positus est, oratione uti debet, ut ab his liberet eum Dominus. Unde Daniel in captivitate oravit, et Judith contra Holofernem dimicatura : sed et Jacob fratrem suum Esau metuens, oratione contra periculum dimicavit. In tentatione vero peccati, id est quando aliquis in peccatum criminale lapsus est, tunc lectione uti debet : quæ ostendit homini viam justitiæ, mores instruit, aperit tentationes diaboli, et quomodo ei sit resistendum, quibus omnibus homo peccator ad gratiam Dei suscipiendam humilior efficitur. Tempore vero tranquillitatis meditatione utendum est, quæ totam mentem hominis sibi vendicare debet, ut neque exteriori tribulatione, neque tentatione interiori ab eo quod mente cogitat retardetur. Similiter ad vitam proficienti vestimentum necessarium est, ne nudus ambulet et appareat turpitudo ejus. Secundum autoritates Scripturarum triplex vestimentum distinguere possumus, videlicet vestimentum cilicinum, de quo legitur : quia rex Ninivæ indutus est sacco (*Jonæ* III) : Vestimentum nuptiale, sicut in Evangelio de quodam dicitur : Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem ? (*Matth.* XXII.) Vestimentum jocunditatis, sicut de Judith legitur : quia exuit se vestibus viduitatis suæ, et induit sese vestimentis jocunditatis suæ (*Judith.* X). Est ergo vestimentum cilicinum, dolor contritionis : vestimentum nuptiale, virtus charitatis : vestimentum jocunditatis, gravitas exterioris conversationis. Hoc triplex vestimentum omni claustrali decentissime congruit, videlicet ut dolore contritionis peccata sua defleat ; per charitatem ea quæ bona sunt affectuose diligat, per gravitatem conversationis aliis ad exemplum bene vivendo proficiat.

Tria quæ diximus, id est aqua, panis et vestimentum, tria vitia eliminant a claustralibus ; per quæ maxime retardantur in via perfectionis, quæ sunt : securitas de præteritis commissis, tepiditas in bonis agendis, levitas in gestu exterioris hominis. Videmus siquidem multos, qui quando ingressi monasterium debent sibi assumere plangendi officium, præteritæ culpæ jam immemores adeo securi fiunt, ut videantur non pœnitentiæ fructum, sed quoddam securitatis otium exhibere in sua conversatione. Disce, o claustralis, qui talis es, disce, inquam, in militia seculari quid te oporteat facere. Siquidem terreni imperatoris milites quando stant in acie, si agricolas, vinitores, si quicunque inepta lætitia exultantes videant, non eos movent hæc omnia, ad hoc solum soliciti, ut fortiter premant adversarios, et victoria potiantur. Quanto magis tu, claustralis, sollicitus esse debes et non securus, cui non est colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed potius adversus principatus et potestates, adversus hujus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus.

Docet te Jacob, cujus figuram tenere debes in supplantatione vitiorum, in conversatione tua te non debere esse securum. Luctatus est siquidem Jacob cum Esau in utero, luctatus est cum Laban in Mesopotamia, luctatus est in Bethel cum Domino. Cum Esau luctatur Jacob in utero, quando claustralis pugnat contra affectum carnalem, quasi secum genitum in utero pravæ voluntatis : cum Laban pugnat in Mesopotamia, quando in hoc seculo pugnat cum diabolo contra incentivam malitiæ, et secularis vanitatis : pugnat in Bethel cum Domino, quando vir religiosus in domo Dei, hoc est, in claustro, in vigiliis et orationibus, in fame et siti, aliisque laboribus plurimis a Domino regnum cœlorum, quasi per violentiam nititur obtinere. Sicut enim scriptum est : Regnum cœlorum, vim patitur, et violenti diripiunt illud (*Matth.* XI).

Secundum vitium, de quo diximus, id est tepor animi in bonis agendis profectui claustralium maxime contrarium est : quoniam fervorem spiritus extinguit, tollit fructum boni operis, omnemque diligentiam spiritalis studii desidioso quodam torpore et negligentiam divini obsequii corrumpit. Hunc torporem animi etiam ipse Dominus abominatur, his qui tales sunt, exprobrans ubi ait : Utinam esses calidus aut frigidus ; sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo ! (*Apoc.* III). Respice ad aquam tepidam, quæ gustanti nauseam provocat, et fumum de se emittit densiorem, quam aqua calore fervens non facit : Ita et illi, qui tepidi sunt in sua conversatione, dum operibus remissi, et animo pusillanimes, gestu inordinati sunt, velut fumum quendam teterrimum de se emittunt, quo intuentium oculos velut caligine quadam obnubilant, dum exemplum desidiæ præbent aliis, quo retardantur a conversatione spiritali. O quam miserabilis est vita illius claustralis, qui fratribus secum degentibus non lucem, sed tenebras infundit ! Tertium vitium, quod est, levitas gestus exterioris, claustrali admodum fugiendum est, non solum propter peccatum, sed etiam propter scandalum. Cum enim gestus et habitus illius quasi spe-

culum esse debeat eorum qui foris sunt, si sit ad risum facilis, in verbis jocularis, vultu immaturus, gestu incompositus, hæc omnia contra ipsum pronunciant, minus in eo esse virtutis, in quo foris apparent tot argumenta dissolutionis. Siquidem religiosam vitam professus, in fronte portare debet Thau, id est formam Crucifixi : quoniam qui dicit se in ipso manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare (*I Joan.* II). Sed quicunque ille est, qui foris habitu immaturum se exhibet, non Thau, sed lepram in fronte portat : et propterea sicut leprosus in facie de consortio hominum ejicitur, ita et claustralis, qui talis est, ne alios pravo suo exemplo corrumpat, de collegio justorum est ejiciendus. Tria ergo quæ ab initio diximus, id est aqua pœnitentiæ, panis sacræ Scripturæ, vestimentum maturæ conversationis, quasi tria remedia contra tria vitia (de quibus locuti sumus, videlicet securitatem, tepiditatem, levitatem exterioris habitus) claustralibus data sunt, ut sit dolor pœnitentiæ, contra securitatem : lectio sacræ Scripturæ, quæ illuminat et accendit animum, contra tepiditatem : vestimentum maturitatis, contra exterioris habitus levitatem.

Sed neque abs re est, quod tendenti ad vitam domus necessaria esse dicitur, quæ protegit turpitudinem ejus. Nam si domum istam velimus interpretari Ecclesiam sive congregationem fidelium, de qua dicitur : Sapientia ædificavit sibi domum (*Prov.* IX); et alibi : In domo Patris mei mansiones multæ sunt (*Joan.* XXIV), in tali domo manere valde necessarium est, valde fructuosum. In ea siquidem paterfamilias, id est, Christus, habet cœnaculum, in quo pascitur : habet thalamum suum, in quo requiescit : habet secretarium suum, in quo disponit consilia sua : habet et sedem judicialem, in qua discernit judicia. Cœnaculum istius domus, sunt viri misericordes, qui eleemosynis cæterisque operibus misericordiæ, quibus Christus libenter vescitur, studiose insistunt. Thalamus ejusdem domus, sunt viri contemplativi, in quibus a curis et voluptatibus hujus seculi revocatis, Christus per tranquillitatem et amorem cœlestium requiescit. Secretarium vero domus hujus, viri perfecti sunt, qui divina sapientia illuminati, dant aliis monita et consilia quomodo ad vitam debeant proficisci. Sedes judicialis in hac domo, sunt prælati Ecclesiarum, in quibus Christus sedet ad discernendum justa judicia, vel ad correptionem delinquentium, vel ad pacem justorum. Tu ergo quicunque maculam in te vides turpitudinis, id est peccati, in hac domo potes protegere illam. Si es immisericors, et proximi tui compassione non tangeris, transi ad cœnaculum domus istius, ut discas misericorditer operari. Si curis hujus seculi detraheris, transi ad thalamum domus hujus, ut discas vacare contemplationi. Si munus est tibi consilii vel scientiæ, ut nescias vitam tuam regere, transi ad secretarium domus istius, ut a viris perfectis accipias monita vitæ. Si in peccatum aliquod gravius corruisti, transi ad

A sedem judicialem hujus domus, ut a prælatis ecclesiasticis suscipias virgam disciplinæ. Et ut de prælatis Ecclesiarum dicam aliquid, ipsos tales esse oportet, ut dum alios judicant, per enormitatem vitæ non appareant judicandi. Sicut enim beatus Gregorius dicit : Nemo est qui in Ecclesia Dei magis noceat, quam qui perverse vivens solum nomen sanctitatis portat.

Quatuor ergo sunt quæ prælatum Ecclesiæ habere oportet : mundam vitam, sanam doctrinam, zelum justitiæ, amorem disciplinæ. Munda vita prælato necessaria est, ut sancte vivat : quoniam cujus vita contemnitur, necesse est ut et doctrina contemnatur. Sed et sana doctrina ei necessaria est, sicut dicitur de prælatis : Erudimini, qui judicatis terram
B (*Psal.* II); ut sive loquatur subditis ad exhortationem, sive doceat ad eruditionem, omnia secundum regulam catholicæ religionis faciat, ne in aliquo veritati videatur obviare, qui præco debet esse justitiæ et veritatis. Debet etiam prælatus habere zelum justitiæ, ut his qui inordinate ambulant, libera voce constanter contradicat, gladio verbi Dei defendens justos, et corripiens inquietos. Iste zelus justitiæ si prælato desit, omnino indignus est honore prælationis. Quartum eorum quæ ad prælatum pertinent, est amor disciplinæ, ut ipse forma sui gregis effectus disciplinam libens habeat, et ad omnia, quæ vitæ regularis ordo exigit, se exhibeat cæteris proniorem, ut quæ docet sermone etiam impleat operis exhibitione ; ne forte audiat in se
C directum illud evangelicum verbum : Quæ dicunt facite, opera autem ipsorum nolite facere (*Matth.* XXIII). His omnibus rite observatis, claustralis tam subditus quam prælatus, invenit quid eum oportet facere, qualiter de sancta conversione migret ad bonam conversationem, et inde ad perfectæ vitæ consummationem, quousque perveniat in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei : ubi servis bonis et fidelibus gaudium Domini sui datur, et in hac vita legitime certantibus coronam justitiæ largitur Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

SERMO XX.

IN ANNUNTIATIONE BEATÆ MARIÆ.

D *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion : dominare in medio inimicorum tuorum* (*Psal.* CIX).
Vellem, fratres charissimi, si benignus Jesus gratiam inspirasset, factis potius quam verbis sermonem vobis facere. Quippe plus ædificatione proficiunt facta quam verba : cum hæc suavitate quadam eloquii virtutis contineant exhortationem, illa vero exemplo bonæ conversationis trahant ad imitationem. Et ego quidem virtutis omnimodo vacuus, dum vestræ charitati qualecunque compellor exhortationis ministerium impendere, prudentis illius dicto me excusabo : Quia fungor vice cotis acutum Reddere quæ ferrum valet, exors ipsa secandi (*Hor. Art. poet.* v. 304). Sed nunquid, quia peccator sum solus, non accedam ad Dominum meum, solus nesciam ubi posue-

runt eum? Tu saltem vir bone, vir religiose, qui spiritali susurrio cum Deo tuo verbosaris die ac nocte, qui ad mensam consolationis ejus considerasti; tu, inquam, indica mihi ubi pascat, ubi cubet in meridie, et tu cum eum inveneris, renuncia mihi, ut et ego veniens adorem eum (*Matth.* XI).

Aut certe, juxta Salvatoris mei consilium, ne verbi Dei dispensationem inermis aggrediar, vendam tunicam meam, et emam gladium (*Luc.* XXII): tunicam peccati, tunicam vetustatis. Hanc pro meliori, hoc est, pro vitæ novitate commutabo, in qua accipiam arma justitiæ, et gladium spiritus, quod est verbum Dei (*Galat.* VI). Et a verbo quidem, quod proposui secundum congruentiam solennitatis, congruum mihi videbor sumpsisse exordium. A prophetico illo eloquio Verbi dicitur: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion*, etc. Quænam putas alia est virga, nisi beata Dei Genitrix, de qua processit flos ille campi, flos (dico) fructu, odore, pulchritudine singularis? De cujus fructu amica sponsi in Cantico amoris satiata, gratulabunda proclamat dicens: Sub umbra illius quem desiderabam sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo (*Cant.* II): fructum appellans charismatum dona. O fructus dulcis, o fructus suavis, quem appetit esuries sine tormento, manducat sine fastidio, quo satiatur sine superfluo, sanatur sine recidivo! O fructus bone, fructus sapidissime, omne habens delectamentum, omnem saporem suavitatis, his tamen qui gustaverunt, quam suavis Dominus! In aliis siquidem est manna propter dulcedinem, in aliis lignum vitæ propter æternitatem, in aliis panis propter fortitudinem, in aliis vinum propter compunctionem, in plerisque autem oleum propter spiritus consolationem. De odore autem istius floris in Canticis scriptum est, ubi fidelis anima loquitur ad Deum dicens: Trahe me post te, curremus in odore unguentorum tuorum (*Cant.* I). Et alibi: Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Deus (*Gen.* XXVII). Odor super omnia necessarius, utpote infirmis purgativus, proficientibus confortativus, perfectis vero sanativus. Ecce, inquit, odor filii mei sicut odor agri pleni. Nonne vides agrum istius mundi hoc odore plenum, cum videas alios justitia fortes, charitate ferventes, alios promptos ad obediendum et humilitatis obsequium, hos lachrymis irriguos, et ad eleemosynas profusos, plerosque in laudem prorumpere, non solum pro eo quod veniam consecuti sunt, sed etiam pro eo quod gratiam pro gratia receperunt? De pulchritudine vero floris illius sancta Ecclesia sibi applaudit in Canticis dicens: Dilectus meus candidus est et rubicundus (*Cant.* V): vere pulcher, vere speciosus, qui, licet rubicundus fuerit in passione, candidus tamen in essentia divinitatis permansit. Cujus etiam pulchritudinem Daniel propheta commemorans ait: Vestimenta ejus candida sicut nix, capilli albi sicut lana munda, corpus ejus sicut chrysolithus, thronus sicut flamma ignis (*Dan.* VII).

Hujus ergo floris fructu, odore, pulchritudine

A tam præclari, virga beata Dei Genitrix fuit, cujus sementem angelus Gabriel hodierna die jecit, quando Christum Dei virtutem, Spiritus sancti operatione de ipsa nasciturum annunciavit. Unde Propheta virgam virtutis ejus eam appellat (*Psal.* CIX): quia ipse Filius, qui est Dei virtus et Dei sapientia, sicut flos de virga, sic de beatæ Virginis natura secundum carnem processit. Vel virga virtutis appellata est, quia in humanitate, quam assumpsit de illa, hostem illum antiquum potenter prostravit: sicut et Abacuc propheta testatur dicens: Cornua in manibus ejus (crucis subintellige), ibi abscondita est fortitudo ejus (*Habac.* III). Dicit ergo propheta: O Christe Dominus emittet ex Sion, hoc est, de gente Judæorum, virgam virtutis suæ, videlicet beatam

B virginem Mariam: Hæc est virga illa Moysi, quæ dracones Ægyptiorum devoravit. Quippe beata Dei Genitrix quæ prænunciata est a Moyse et prophetis, venena peccatorum et tenebras hujus mundi per solem justitiæ de se procedentem illuminavit. Unde et in laudem ejus dicitur: quia cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo. Ipsa est virga Aaron, quæ in tabernaculo posita, inter cæteras tribuum Israel virgas floruit, et germinavit amygdala. Floruit plane pariendo Christum: germinavit amygdala, quando multa justorum millia suo exemplo ad vitæ novitatem convertit. Quod si diligenti oculo velimus advertere, quare Maria virga sit appellata, in hoc virgæ similitudinem videmus ei convenire, quia virga est flexibilis, gracilis, recta,

C eminens, statura uniformis: uniformis dico, non ramis vel foliis circunquaque diffusa. Certe sicut scriptum est: Iniquitas sedet super talentum plumbi: ponderosa enim est, non gracilis, non subtilis. Quoniam ergo beata Dei Genitrix ab hac ponderositate peccati Spiritus sancti virtute liberata est, recte per gracilitatem virgæ puritas innocentiæ ejus intelligitur: cujus caro sic purificata per prophetam nubes levis appellatur, cum dicit: Ecce Dominus ascendit super nubem levem (*Isa.* XIX). In virgæ autem flexibilitate, virtus obedientiæ accipitur, quam in Maria invenies ubi dicit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum (*Luc.* I).

Disce, o radix peccatrix, favilla ignis æterni,

D disce, inquam, exemplo Mariæ Deo humiliari, et esse subjecta omni humanæ creaturæ propter Deum! An nescis quid Esaias clamat de superbis, qui ambulant in mirabilibus super se: Pro eo, inquit, quia elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt extento collo, decalcabit Dominus verticem earum, et crinem nudabit (*Isa.* III). Digne sic punitur superbia, quia, sicut dicit Claræ illius vallis magister Bernardus, Nec etiam virginitas Mariæ sine humilitate Deo placuisset. In virgæ autem rectitudine opera justitiæ, in longitudine virtutis perseverantia, in eo quod uniformis, morum concordia figuratur. Ecce virga, quæ omni petenti patriam proponitur imitanda, videat unusquisque an velit eam imitari: quoniam in virga furoris flagellabit Dominus eos,

qui illam contempserint. Sunt enim et aliæ virgæ Domini, quædam ad justificationem bonorum, quædam ad vindictam malorum. Est enim alia virtutis virga, alia virga hæreditatis, alia virga directionis, alia virga furoris.

Virga hæreditatis est, generatio rectorum, qui sunt hæredes regni, et participes futuræ beatitudinis, de qua Psalmista dicit : Redemisti virgam hæreditatis tuæ (*Psal.* LXXIII). Hæc virga significata est in illo facto Jacob, quando sumpsit virgas populeas et amygdalinas et ex platanis, partimque eas decorticavit, et quasdam unius coloris retinuit, ut oves in aspectu earum, modo varios, modo uniformes conciperent fœtus (*Gen.* XXX). In his quæ partim decorticatæ fuerant, sanctos illos figurans, qui pellem pro pelle dederunt, passiones, tormenta, injurias sustinendo. In his vero quæ erant unius coloris, exprimens qui sine tormentis, orthodoxa fide, et doctrina, et morum pietate Ecclesiæ Dei lumen dederunt, quas virgas oves, id est simplices debent inspicere, ut in earum aspectu concipiant. Quia illorum exemplis debent addiscere modo injurias, contumelias, malorum vexationes libenter ac patienter sustinere, aut certe in aliis, modo humilitatem, modo obedientiam, modo mansuetudinem cæterasque virtutes saluti necessarias. Virga autem directionis, rigor disciplinæ accipitur, ut voce, vultu, gestu, habitu, verbo et opere, sancte, juste et pie conversemur. De hac virga dicit Propheta : Sedes tua Deus in seculum seculi, virga directionis, virga regni tui (*Psal.* XLIV). Virga furoris est diabolus et angeli ejus, per quos punit Deus eos, qui demersi sunt in lacu inferiori, et in umbra mortis, de qua virga dictum est : Virga furoris mei Assur, per Assur angelos Satanæ significando. Ergo virga virtutis, quæ in tentatione defendit infirmos (*Isa.* X) : virga hæreditatis, quæ dirigit justos : virga directionis est, quæ corrigit tortuosos : virga furoris est, quæ flagellat impios. Elige ergo tibi inter has virgas quam teneas, an velis inter amicos, an inter inimicos Dei computari ? Pro quibus dicitur, dominare, id est, dominaberis in medio inimicorum tuorum. Aut enim dominabitur eis convertendo eos ad justitiam, aut puniendo eos ad vindictam.

Sed sunt nonnulli, qui in domo Dei non virga sed columna immobilis volunt apparere. Si enim moneas eos, negligunt; si arguas, contemnunt; si obsecras, non exaudiunt : quin potius murmurant adversus Patremfamilias dicentes : Hi novissimi una hora fecerunt, et pares illos fecisti nobis, qui portavimus pondus diei et æstus (*Matth.* XX). Nos in vigiliis, inquiunt, nocturnis, nos in horis diurnis, nos in silentio claustri, nos in hymnis et canticis clamamus in cœlum, ut misereatur nostri Deus noster. O utinam, fratres charissimi, psallamus non solum voce, sed et spiritu et mente ! Sicut enim quidam ait : Cum vox vitam non remordet, dulcis est symphonia.

Plane musica ista vocalis ad laudem satis con-
A grua, sed est alia quam docet supernus ille musicus, et illa nostræ saluti magis est necessaria. Sed quæ est illa musica, quam docet Deus ? Ipsa profecto triplici specie subdistinguitur : alia est enim animalis, alia spiritalis, alia cœlestis. Animalis est musica, quando sensus exteriores nihil superfluum appetunt, et a ductu rationis nequaquam discordant, ut visus non aspiciat vana, non auris audiat detractiones vel judicium sanguinis, non odoratus quærat suavia, non gustus superflua, non manus extendatur ad illicita. Istæ sunt quinque vocales animalis musicæ facientes harmoniam, quæ dicitur diapente, quod sonat de quinque. Constituitur enim de quinque corporis sensibus ordinate constitutis, sicut jam dictum est. Spiritalis musica consistit in
B profectu virtutum, in gaudio spiritali et morum suavitate, in timore Dei et amore fraternitatis ; per quam harmonia efficitur, quæ diatessaron, hoc est, de quatuor, est appellata. Quatuor ergo virtutes principales illam efficiunt, videlicet fortitudo, justitia, temperantia, prudentia, ut sit in omnibus bene agendis fortitudo ad auxilium, justitia ad directionem sive ad judicium, temperantia ad solatium, prudentia ad consilium. Cœlestis vero musica consistit in contemplatione Dei, in adeptione æternitatis, in mentis jocunditate et immortalitate corporis : et facit hæc musica harmoniam quæ diapason dicitur, quod sonat de octo. Siquidem octo beatitudines eam efficiunt, cum paupertati regnum cœlorum,
C mansuetudini terra viventium, lugentibus consolatio, esurientibus satietas donatur, et sic de cæteris secundum quod in Evangelio describitur. His generibus musicæ, frater mi dilectissime, exercere, qua docet supernus ille musicus magis in concordia morum, quam vocum decantare, magis eligens fortitudinem mentis præ fortitudine corporis, sicut dicit vir ille sanctus : Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit Domino. Quid ergo beneplacitum est Domino ? Super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus (*Psal.* CXLVI).

Postremo, tu qui militas in castris Israel et fortis es in bello Domini, quæro ego a te a qua parte custodis tabernaculum Domini; utrum ad orientem,
D an ad meridiem, an ad aquilonem, an ad occidentem ? Certe, sicut scribit Moyses, ad orientalem plagam tabernaculi excubant Isachar, Judas, et Zabulon : ad meridianam, Ruben, Gad, et Simeon : ad aquilonis plagam, Dan, Neptalim, et Aser : ad occidentalem, Effraim, Manasses, et Benjamin (*Num.* II). Hæc omnia ad nostram doctrinam scripta sunt.

Per orientalem plagam tabernaculi significatur ortus, sive inchoatio religionis ; ibi excubat Isachar, qui interpretatur memoria Domini : et Judas, qui confitens, et Zabulon, qui habitaculum fortitudinis interpretatur. Omnis ergo qui vitæ novitatem aggreditur, debet habere memoriam Domini per cordis contritionem pro commissis : similiter et

oris confessionem in accusatione sui : debet etiam esse habitaculum fortitudinis, tolerando fortiter asperitatem satisfactionis.

Per plagam vero meridianam intelligitur profectus sive incrementum virtutis, ubi excubant isti tres, videlicet Ruben, qui videns filius, Gad, qui accinctus, Simeon, qui exauditio Domini interpretatur. Qui enim in domo Domini proficere vult in virtutibus, debet esse videns filius, id est, circunspectus, ut diligenter videat quæ sit voluntas Domini bona, beneplacens et perfecta : debet esse accinctus cingulo castitatis, per mundiciam carnis : debet etiam esse exauditio Domini, obediendo suo superiori secundum mandatum Dei.

Per plagam aquilonis significatur agonia tentationis, in qua excubant, Dan qui judicium, Aser qui beatitudo, Neptalim, qui dilatatio interpretatur. Quicunque enim in tentationibus vult esse fortis, debet ante oculos statuere judicium illud sine misericordia, ubi separabuntur oves ab hœdis : futuram etiam beatitudinem quæ debetur justis, sed et viam quæ conducit ad illam, scilicet latitudinem charitatis, ut et timor judicii ab illicitis abstineat, et promissa beatitudo in latitudinem charitatis inducat.

Per plagam occidentalem, non ab occasu, sed ab occisione moraliter sic dictam, tranquillitas mentis accipitur, quando occisis vitiis per mortificationem carnis, caro et spiritus subjiciuntur divinæ voluntati. In qua parte excubant Effraim qui *frugifer*, Manasses, qui *obliviosus*, Benjamin, qui *filius dexteræ* interpretatur. Quicunque enim mente tranquilla, interfectis jam vitiis vult Deo famulari, debet esse frugifer in operibus justiciæ, obliviosus per deletionem vitæ præteritæ, sed et filius dexteræ per desiderium felicitatis æternæ. Ipsa enim est quæ in Scripturis sanctis per dexteram nobis significatur. Sic ergo, o homo, qui de numero pugnatorum Israel te existimas, sis, inquam, Isachar, id est, memor Domini per contritionem cordis : Judas per confessionem oris : Zabulon, per laborem satisfactionis. Sis Ruben, per circunspectionem : Gad, per castitatem : Simeon, per obedientiam : Dan, per divini judicii formidinem : Neptalim, per dilatationem charitatis : Aser vero, in spe promissæ beatitudinis : Effraim, per studium boni operis : Manasses, per oblivionem præteritæ conversationis : Benjamin, per desiderium futuræ jocunditatis. Tales enim debent esse qui tabernaculo Dei deserviunt.

Quid ergo erit de illis, qui tabernaculum Dei destruunt per scismata ét scandala, per contumelias et detractiones? Timeo ne cum Dathan et Abyron descendant in infernum viventes, hoc est, iniquitatem suam intelligentes et cognoscentes ; quomodo enim ignorare possunt quod per Scripturas divinas, per lectiones nocturnas per psalmos et cantica audiunt et intelligunt? Ideo viri Ninivitæ exurgent in judicio contra generationem talem, qui ad prædicationem Jonæ egerunt pœnitentiam (*Matth.* XII). A Prædicavit Jonas subversionem civitatis, et omnes conversi sunt a viis suis malis ad Dominum. Minatur Christus damnationem æternæ mortis, et non est qui exaudiat. Ergo, fratres dilectissimi, ne in illo tremendo judicio Christus Dominus loquatur nobis dure, sumamus de optimis terræ fructibus, et feramus ei munera, videlicet, modicum resinæ, mellis, et stiracis, stactes, et terebinti, hoc est, virtutes et opera virtutum quæ per ista significantur : quia forsitan ignoscet et relinquet post se benedictionem. Deus autem meus faciat eum placabilem et remittat, et hunc fratrem vestrum qui loquitur, et eum quem tenet in vinculis, id est illos qui ad obediendum Deo vinculis disciplinæ se astrinxerunt, remittat, inquam, ad Patrem suum, ad summi et B æterni illius Patris visionem, ubi vita sine termino, et gaudium sine nubilo : quo nos perducere dignetur ipse Jesus, rex et salvator noster, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum, Amen.

SERMO XXI.

IN ANNUNTIATIONE BEATÆ MARIÆ.

Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi (*Luc.* I). Hodiernæ diei solennitas, fratres dilectissimi, Dominicæ Annuntiationis vocabulo honoratur, quia salutis nostræ exordia hodie beatæ Virgini creduntur denuntiata. Sapientia enim, quæ in arcano Divinitatis ab æterno luserat coram Patre, diadema carnis assumendo mundo etiam spectaculum facere voluit, sic attingendo a C fine usque in finem fortiter, a fine, inquam, majestatis summæ usque ad finem extremæ humilitatis. Quippe non satis erat ad restaurationem conditionis attigisse finem illum majestatis et gloriæ, quo erat angelicæ naturæ ad gaudium, nisi etiam finem humilitatis attingeret, quo peccatoribus fieret remedium.

Ad hujus spectaculi novitatem, videlicet incarnationis Verbi, omnis illa patriarcharum et prophetarum turba, per quos Spiritus sanctus mundo intonuit, venturam generationem invitavit, ut in carne Sanctum sanctorum agnosceret, quem sanctorum multitudo prænunciasset. Quid enim Abraham facto illo significavit cum dixit : Pone manum tuam sub-D ter femur meum, ut adjurem te per Deum cœli et terræ, ne accipias uxorem filio meo de filiabus Canaan (*Gen.* XXIV). Manum quippe, quæ in firmamentum fidei solet porrigi, subter femur ponere, est Christi humanitatem de Abraham descensuram fide tenere ; Jurare per Deum cœli et terræ, eundem esse Deum ore pronunciare, ac si diceret : Tange femur meum, et jura per Deum meum. Eandem Christi humanitatem lumbare illud Hieremiæ significabat, quod ad flumen Euphratem in petræ foramine absconditum computruit, ita quod nulli aptum usui videretur (*Jer.* XIII). Lumbare siquidem assumptæ carnis a Verbo ad flumen Euphraten, ad fluxum videlicet nostræ mortalitatis computruit, cum homo ille saturatus opprobriis, confossus pla-

gis, abjectio plebis factus est. Inde beatus Job ex persona Filii Dei dicit : Induta est caro mea putredine et sordibus pulveris (*Job* VII).

Nec hoc prætereundum puto, quod in foramine petræ lumbare hoc computruisse dicitur : Foramen siquidem munimentum solet esse eorum, quæ in ipso reponuntur, ne impetu auræ, vel quacunque ventorum violentia dissipentur. In petra ergo Christus, in foramine Christi accipitur obedientia, quæ ipsum ab omni forinseca perturbatione et tentatione custodivit : in quo tamen foramine lumbare computruit, quia factus est obediens Deo Patri usque ad mortem. Dominus quoque summo illi patriarchæ promittit dicens : In semine tuo benedicentur omnes cognationes terræ (*Gen.* XXIII): mysterium Incarnationis de semine Abrahæ venturum esse prænuncians. Veruntamen quod de semine Abraham sive David, Christus nasciturus esse dicitur, pia mens catholice debet accipere, non secundum seminis traductionem, neque enim Christus sic natus est ex virili semine, sed potius ex semine Abrahæ natum esse dicat secundum generis successionem.

Ipse enim angelus non de viro, sed de Spiritu sancto nasciturum esse Mariæ prædicit, ubi dicit : Spiritus sanctus superveniet in te, et cætera. Suscipe ergo virgo Maria verbum, quod tibi a Domino per angelum transmissum est. Non enim te alloquitur ut exterreat pavidam, ut circumveniat improvisam, ut concutiat infirmam. Quæ enim nosti in secreto cubiculi tui fabulari cum Domino, oratione penetrare cœlos, visiones angelorum videre, quid timeas in eorum colloquiis, vel dubites de promissis? Plane Spiritus sanctus superveniet in te, ut executio promissionis nuncii fidelitatem possit comprobare. Superveniet, inquit ; venit certe Spiritus ad Virginem per electionem, festinavit per sanctificationem, appropiavit per allocutionem, superveniens tandem, hoc est, superveniens per illam ineffabilem incarnationis operationem. Interrogemus omnes filias Evæ, quæ illarum ab illo triplici væ universæ carnis libera fuerat, quod Adam transmisit posteris suis : quorum primum fuit in corruptione carnis : secundum, in prævaricatione animi : tertium, in pœna damnationis. Nulli prorsus, donec Spiritus sanctus superveniens, super væ, inquam, iens a beata Virgine, totum illud væ abstulit, usque adeo, ut nec corruptio carnis impuram, nec prævaricatio mentis ream, nec damnatio miseram constitueret. O quam efficax Spiritus sancti medicina, quæ adeo sanam, adeo innocentem fecit illam! Puto quod in terra suaviter viventium inveniri non poterat, nec in nostræ convallis habitatione exordium sumpsit, et ideo supervenit; id est, desuper venit de summis ad infirma, ut natura nostra, quæ per causas inferiores tutari non poterat (omnis quippe caro corruperat viam suam), saltem in sui langoris remedium de supernis acciperet medicinam. Placet adhuc medicinæ hujus effectum intueri, et modum languoris cum illo comparare, si forte ex- A pediens fuerit tali morbo tali obviare medicamento

Erant quippe duæ infirmitates in nostra natura sanandæ, quarum una procedebat ex superabundantia humoris, reliqua ex vehementia frigiditatis. Superabundantia humoris, ipsa est inundatio carnalium desideriorum : frigiditas, desperatio cœlestium promissorum. His duobus duo contraria Spiritus sancti medicina in se habuit, videlicet calidum et siccum, quatenus contraria contrariis possent curari. Et calidum siquidem fuit, ardor sive desiderium cœlestium : siccum vero fuit virtus castitatis, sive virginitatis propositum. Apposuit ergo Spiritus sanctus in beata Virgine calidum contra frigidum, ut ardore cœlestium terrena despiceret. B Siccum quoque humido apposuit, ut proposito virginitatis et continentiæ carnalia desideria in ea prorsus extingueret. Unde etiam subjungitur : *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quod est, ab æstu carnalium desideriorum præstabit refrigerium. Sed si virtutem Altissimi Christum (qui, juxta Apostolum, est Dei virtus et Dei sapientia) appellamus, cum ipse Dei Filius lux inaccessibilis, sol justitiæ, lucifer sive stella matutina appelletur, videtur potius debuisse dixisse : Virtus Altissimi illucebit tibi, quam obumbrabit : cum ea quæ sunt lucida, magis claritatem quam umbram præstare soleant. Quod forte verum esset, ubi juxta formam rerum naturalium etiam Dei miracula pensare possemus. C Omne siquidem umbrosum corpus in natura rerum, suam umbram jacit in illud quod oppositum est ei, a quo claritas procedit. A simili attende qualiter virtus Altissimi obumbravit beatæ Virgini. Res siquidem, a qua splendor processit, fuit divinitas Verbi ; oppositum huic splendori, fragilitas nostræ mortalitatis ; Christi vero humanitas in conceptione unita Verbo suscepit in se splendorem Divinitatis : sicque Divinitati et nostræ fragilitati interposita non solum Mariæ, sed et universo orbi obumbravit, ut obumbrationem intelligas assumptæ carnis mediationem.

Et sicut radius solaris jubaris umbram oppositorum sibi corporum ad diversa loca transmittit, quod testimonio quotidianæ experientiæ comprobatur : D sic Christus sol justitiæ suæ humanitatis obumbrationem extendit ad diversas partes Ecclesiæ, diversis temporibus. Ad orientem etenim umbram fecit, cum in suæ conceptionis ortu sive principio formam servi assumens, dedit humilitatis exemplum : ad occasum fecit umbram, cum in passione contulit peccati remedium : ad aquilonem fecit umbram, cum descendens ad inferos momordit infernum : ad meridiem jecit umbram, cum ascendendo testes gloriæ suæ transvexit in cœlum. O si et nobis, fratres dilectissimi, velit Christus indicare ubi pascat, ubi cubet in meridie, quatenus et nos, non dico modo ut montes, sed tanquam arbusta illius umbra operiat. Quis enim in ea quievit, et est adustus? quis sedit sub illa, et non est pro-

tecius? Hic calor concupiscentiæ refrigerium, ventus elationis obstaculum, gastrimargiæ temperamentum; quæcunque alia infirmitas remedium invenit; sed est quædam obumbratio, quæ facit propter intemperiem frigoris torpidum: alia contra vehementiam caloris præstat refrigerium. Qui enim in hyeme, longe a nobis sole posito, umbram quærat, manifestum est quoniam eo fortius frigore arctatur. Si vero in diebus æstatis, cum sol nobis vicinius lucet in virtute sua, ad umbram quis transeat, obumbrationis habet solatium. An non similiter in illa obumbratione, quam facit virtus Altissimi ut his occasio sit periculi, aliis causa salutis? Est utique Christus, etenim quibusdam remotus per fervorem charitatis, quibus tamen obumbrat per sacramenta fidei, sub alis Ecclesiæ fovens eos, de qua ipsi B sunt litera non spiritu, titulo non studio. Hæc autem sacramentorum obumbratio, quia non adest fervor dilectionis, torpidos magis quam refrigeratos facit. Quia melius est viam veritatis non agnoscere, quam agnitæ veritati studiis et operibus pravis contraire (*II Petr.* II). Quos enim significant alios nisi fratres Joseph, qui ab eo frumento accepto, pecuniam, quam dare debuerant, et præterea scyphum argenteum, in quo dominus terræ augurari solebat, in saccis suis inclusos retulerunt? (*Gen.* XLIV,) Nomine quippe frumenti, eucharistiæ cæterorumque sacramentorum virtus accipitur, ut ibi: Cibavit eos ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos (*Psal.* LXXX). Pecunia vero ipsa, C sunt Dei dona, quibus ipsius beneficia, quæ in unitate percipiunt Ecclesiæ, recompensare debent; et scyphus argenteus in quo augurari solet Joseph, nitor est divini eloquii, in quo præmia justorum, pœnas malorum futuras prædicit. Sed non solum pecuniam, sed et scyphum argenteum in saccis abscoundunt, cum et dona Dei accepta, et sacræ testimonia Scripturæ, quæ intelligunt, executione bonorum operum foris non ostendunt. Unde etiam et Propheta suspirans conqueritur dicens: In salicibus in medio ejus (Babylonem loquens) suspendimus organa nostra (*Psal.* CXXXVI). Per salices quippe, quæ infructuosæ sunt arbores, homines peccatores et infructuosos accipimus, in quibus organa sacri eloquii, quasi inutilia suspenduntur, cum leges et D prophetas auditu percipiunt, sed tamen modulamine sanctæ devotionis et harmonia bonorum operum minime resonant.

Nunquid in laudem Dei resonare possunt, quos lingua, conscientia, facta quoque simul condemnant? Qui non offendit in lingua (dicit Scriptura) hic perfectus est vir (*Jac.* III), imo (ut dicam quod sentio) inter omnia quæ lege Dei prohibentur, non est aliud frequentius a Deo separans, quam peccatum locutionis. Vis videre quam frequenter? Inter eos siquidem, qui dicuntur susurrones in populis, sunt quidam, qui mala ex se ipsis concipiunt, et postea alii referendo parturiunt. Alii vero ab aliis mala accipiunt, et aliis eadem referunt. Tertii vero sunt, A qui quidem crimina aliorum non referunt, sed tamen libenter referentes audiunt. Quod genus detractionis notat Propheta cum dicit: Et opprobrium non accepit adversus proximos suos: (*Psal.* XIV) et hos omnes, quos unum genus mortalis peccati involvit, expectat una pœna damnationis, præsertim cum facientes et consentientes pari pœna plectendi sunt. Sed non ideo, inquies, consentio, quoniam audio loquentes, quos non possum prohibere, litigare non volo, non aurem avertere, ne eo ipso contristem fratrem meum. Imo consentis plene et peccatum detractionis omnino tu consummas, quia nisi esset auditor, non esset detractor. Vis consensum intelligere? sicut certe in aliis, ita hoc peccandi genere, consensus quatuor modis admittitur; videlicet instigando, cum quis alii suggerit ut opprobrium fratri suo objiciat; cooperando, cum defendit eum ut hoc dicendo impunitus maneat; tacendo, cum non admonet ut desistat præstando autoritatem, dum prælatus, qui debet corrigere errantes, detractorem non castigat: et ipse tanto gravius delinquit, quanto facilius posset corrigere, si operam fraterno profectui vellet adhibere. Es tamen vir sine detractionis nota, cum retractare potes crimen fratris tui. Quandoque enim retractatur causa correctionis, quandoque causa communis utilitatis, quandoque causa dejectionis.

Si ergo, te sciente, peccavit frater tuus, etiam occulto existente crimine, cum tuam forte correptionem non admiserit, aut ei qui tenet locum prælationis, aut alicui bono et sancto viro habenti testimonium religionis, vel certe ei qui pollet autoritate scientiæ, secreto potes hoc indicare, de quibus tamen firma opinione teneas quod et secretum custodiant, et charitatis visceribus correptioni fratris operam velint adhibere. Omnis enim, quem admittis ad conscientiam occulti criminis, talis esse debet, ut vel autoritate potestatis coercere, vel autoritate corrigere, vel autoritate scientiæ in his quæ agenda sunt, vel cavenda, instruere possit. Potest etiam causa communis utilitatis sine crimine crimen alterius retractari, ut si forte velint aliqui virum homicidam Ecclesiæ Dei præficere, vel aliquem publico notatum crimine in fraternum inducere consortium, licet his qui contradicere volunt in suæ contradictionis patrocinium crimen illius quod opinione publica celebratum est, in medium proferre. Si vero causa nocendi, ut scilicet vilior et dejectior habeatur, quis crimen illius sive publicum sive privatum retractet, ille qui hoc facit, eo ipso filius gehennæ effectus est, quod contra fraternam egit charitatem, et hoc de locutione.

Ut autem ad testimonium transeam conscientiæ, quis demum est adeo securus, qui non pungatur gladio conscientiæ, audiens illud humilitatis præconium in Evangelio: Si quis vult inter vos major esse, sit vester minister: et qui vult primus esse, sit vester servus (*Matth.* XX). Sicut Filius hominis

non venit ministrari, sed ministrare. O beata illa sanctorum tempora, in quibus doctrina humilitatis floruit in opere, ut quidquid propriæ excellentiæ amor, sive vestitus vanæ gloriæ administraret, totum puritas conscientiæ tanquam malum abjiceret! Virtutem quoque patientiæ ad salutem esse necessariam, nulli dubium esse debet, quam non solum per seipsum, sed et per servos suos prophetas nobis retinendam mandavit Dominus. Unde et David dicit : In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum ejus. (*Psal.* XLI) In die, inquam, prosperitatis mandavit Dominus ferre misericordiam suam, hoc est, patienter tolerare injurias, vexationes, incommoda, quæ etiam in beato Job nomine misericordiæ appellantur, ut ibi (*Job* III) : Nonne dissimulavi? nonne silui et jam quievi? et venit super me misericordia tua, Domine. In nocte vero adversitatis mandavit canticum ejus, hoc est, consolationem æternæ beatitudinis, ne deficiamus in tribulationibus. Consulat ergo unusquisque arcana cordis sui, et invenire poterit quod defleat. Si enim vindicare proprias injurias, in dura verba prorumpere, præceptis majorum contradicere, debent censeri nomine impatientiæ, putasne patientiam invenies super terram? Quandoquidem hæc rara avis est in terris, nigroque simillima cycno. Quis nostrum denique illam comminationem Evangelii timet : Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio : qui dixerit, racha, reus erit concilio : Qui dixerit, fatne, reus erit gehennæ ignis (*Matth.* V). Ubique subintellige, sine causa. Sed hoc semper sine causa fit, quando causa correctionis non intervenit, sive communis utilitatis. Et quoniam Domini legem acceptam opere non implemus, videtur illud Joannis in Apocalypsi jam in nobis impleri, ubi dicitur : Et factus est sol niger quasi saccus cilicinus (*Apoc.* VI). Quippe Scriptura sancta, quæ tanquam sol lucet nobis, ostendendo ea quæ ad salutem conducunt, abjecta et vilis, dum non est qui eam opere impleat, reputatur. Ecce enim clamat lex naturæ, quam Deus in corde hominis scripsit : Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris, et non advertimus : legem Moysi abjicimus, Evangelii mandata non custodimus. Super quo ergo percutiet ultra addentes prævaricationem super prævaricationem? Non habet in nobis jam nova plaga locum. O si redirent aurea illa secula, et sicut in primitiva Ecclesia, mitteret Dominus ignem illum Spiritus in terram, qui hanc vitiorum rubiginem consumeret, et ferrum induratæ mentis nostræ posset emollire, ut saltem tunsionibus et pressuris, quas quotidie experimur, ad usum Dominici operis posset elimari.

In rebus materiatis videmus, quoniam ea quæ duriora sunt in duobus, videlicet aqua et igne, temperantur, sic certe eisdem duobus spiritaliter acceptis, mentis duritia in suavitatem quamdam spiritalis dulcedinis emollitur, per ignem, inquam, charitatis, et per aquam compunctionis. Animadvertite et videte, quoniam faber ferrarius ferri A materiam emollire volens, in ignem eam ponit, et carbonibus ignitis aquam aspergit, non tamen ut ignem extinguat, sed ut amplius faciat reviviscere, donec tandem fervore ignis concepto, ferrum malleationibus ad voluntatem artificis dirigatur. Credo quod non dissimiliter is, qui mentis suæ faber curiosus esse desiderat, debet negotiari in igne et aqua, duram mentis obstinationem emolliendo, ut aqua contritionis et lachrymæ pœnitentiæ præterita peccata abluant, et ardor charitatis animum ad amorem virtutis accendat. Quid aliud sonant in Ecclesia gemitus contriti cordis, lachrymæ confitentium, tunsiones pectoris, virga disciplinæ, asperitas cilicii, crebra denique prostratio peccatoris? Omnia enim ista lachrymæ plangentium peccata sua B secum trahunt, ut tunsionibus hujusmodi homo peccator elimatus, tandem virtutis amator incipiat existere, quousque ignis ille modicus, qui præveniendo languescentem affectum animi excitavit ad compunctionem, profectibus quotidianis inardescens caminus fiat in zelo justitiæ et amore virtutis. Et quoniam hoc non est currentis neque volentis, sed miserentis Dei qui operatur velle et perficere in omnibus, conemur id prece qua possumus ab eo obtinere, quatenus peccati frigore exterminato, et igne charitatis in cordibus nostris accenso, suæ obumbrationis sentiamus refrigerium, donec tandem abscondat nos in abscondito faciei suæ a conturbatione hominum, ubi est vita sine termino, et gaudium sine nubilo, ipso donante Domino nostro C Jesu Christo, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum, Amen.

SERMO XXII

IN ANNUNCIATIONE BEATÆ MARIÆ.

Ave Maria gratia plena, Dominus tecum. Spiritus sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi (*Luc.* I). Verbum quod audistis, fratres charissimi, Dominicæ annunciationis continet historiam, in qua Verbum, quod erat in principio apud Deum, venturum in carne annunciatur, sicut Joannes dicit : Verbum caro factum est et habitavit in nobis (*Joan.* I). Ipsum est illud verbum abbreviatum, quod fecit Dominus super terram, imo vere brevissimum. Nam licet in natura suæ divinitatis D incomprehensibile sit et infinitum, in nostra tamen natura adeo breve factum est, ut tegeretur velamine modici corporis, pannis involveretur, et caperetur ab utero virginis, quod a diebus æternitatis totus mundus capere non potuit. Nec immerito Verbum, quod Christus est, annunciatur cum verbo salutationis, quia ipse Christus autor est nostræ salutis. Quod poteris intelligere, considerata ejus nativitate, vita, morte, et resurrectione. Nativitas enim ejus natura nostram purgavit, vita ejus vitam nostram instruxit, mors ejus mortem nostram destruxit, resurrectio ejus salutem nobis contulit.

Propterea cum voce salutationis angelus Virginem alloquitur dicens : Ave, Maria, tres salutatio-

nes celebres in evangelica serie invenimus. Salutat enim Christus discipulos suos cum dicit : Pax vobis (*Luc.* XXIV). Salutat angelus Mariam cum dicit : Ave, Maria, gratia plena (*Luc.* I). Salutat Maria Elisabeth sicut legimus : quia ascendit Maria in montana cum festinatione in domum *Zachariæ*, et salutavit Elisabeth. Hac triplici salutatione triplex concordia nobis significata est, videlicet Dei ad hominem, angeli ad hominem, hominis ad hominem. Discordabat enim Deus ab homine propter peccatum primæ prævaricationis. Discordabat angelus ab homine, quia, cum conservi in obsequio Dei esse debuissent, homo se subdiderat dominio diaboli. Discordabat homo ab homine, Judæus a gentili, eo quod iste Deum, ille vero idola coleret. In prima ergo salutatione significatur concordia Dei ad hominem, quia Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. In secunda significatur concordia angeli ad hominem, qui per Christum cohæredes vitæ æternæ facti sunt. In tertia significatur concordia hominis ad hominem, quia Judæus et gentilis mediante lapide angulari, qui Christus est, in una fide sociati sunt. Et quoniam hæc triplex concordia per beatam Virginem facta est, dicat Deus, dicat angelus, dicat homo : Ave, Maria. Hæc concordia, ut puto, in hoc etiam significata est, quod nomen primæ matris, id est Eva, mutatur in verbum salutationis. Siquidem hoc nomen Eva duas voces geminam miseriam humanæ naturæ prætendentes in se habet, videlicet, etc. Cum duplici enim miseria homo in hunc mundum nascitur, id est culpa et pœna. Quando ergo nomine illo converso Mariæ dicitur : Ave, per hoc datur intelligi quoniam, per beatam Virginem, et culpa in veniam, et pœna in gloriam commutata est. Et attende si placet quod, ave quandoque est vox optantis, quandoque vox orantis, quandoque congratulantis. Vox optantis est, cum dico proximo meo : Ave, quia opto ei salutem : vox orantis est, cum dico : Ave, crux preciosa. Non enim ligno salutem opto, quam habere non potest, sed oro ut virtus crucis mihi salutem operetur. Vox congratulantis est, cum modo dicit Ecclesia : Ave, Maria, vel cum dicit : Salve, sancta parens. Ac si diceret : Congratulor, vel congaudeo tuæ saluti.

Dicat ergo Ecclesia congratulando, dicat angelus optando : Ave, Maria, quod interpretatur, maris stella. O si detur illius copia, qui eam vocavit stellam maris : o si conserte cum eo loqui liceat : quoniam quisquis fuit ille deorum, qui eam sic vocavit, non solum verbosum, sed et contentiosum me ei impendam. Quare non magis eam cœli stellam, quare non magis eam mundi stellam vocavit? Certe nomen maris amaritudinis significativum est. Nunquid de eodem fonte hauriunt dulcem et amaram aquam? nunquid ipsa, quæ mater est misericordiæ et pietatis, mater est amaritudinis? Absit! Propterea ergo non immerito et cœli stellam, et mundi stellam, et demum stellam maris appellabo eam. Cœli stellam, propter eminentis gloriæ præ-

A mium : mundi stellam, propter justorum solatium : maris stellam, propter miserorum refugium. Stella cœli est, quæ sua claritate cæteros sanctos illuminat : mundi vero, id est justorum, qui propter munditiam cordis recte mundus vocantur : stella est, quia ipsi affectu devotionis ad illam respiciunt, contra pressuras hujus mundi consolationis beneficia consequuntur : maris vero stella est, quoniam omnes miseri, omnes in amaritudine criminum fluctuantes ab ipsa opem refugii exposcunt. Omnes ergo animæ Virgini matri devotæ lætabundæ dicant : Ave cœli stella, ave mundi stella, ave maris stella, ave Maria. Vel ut modo video recte stella maris vocata est. Tempore enim hujus salutationis nulli erant in cœlo beati, in mundo nulli justi, vel ad-

B modum pauci, sed omnes erant in mari, hoc est, in amaritudine peccatorum involuti. Et ideo juste maris stella, id est miserorum stella nuncupata est. Sicut enim stella hæc navigantibus in mari rectæ viæ inditium est, sic et Maria in hoc mundo tortuose viventibus, aliis rectam viam bonæ operationis, aliis rectam viam humilitatis, aliis rectam viam castitatis ostendit. Ob hanc miseriam tollendam Gabriel ad Virginem missus est, qui fortitudo Dei interpretatur. Siquidem opus erat fortitudine, ut genus humanum a tanta miseria liberaretur.

Et attende quia nuntians fortitudo, nuntius fortitudo, nuntiatus fortitudo, sed nuntians fortitudo Deus, nuntius fortitudo Dei, nuntiatus fortitudo

C deificata potest appellari. Nunciatum dicimus hominem assumptum a Verbo, qui deificatus est, id est Deus factus. Sicut enim magnus ille Hugo sancti Victoris dixit : Qui negat hominem assumptum esse Deum, negat eum assumptum esse in Deum. Nec obviat autoritas illa Hieronymi quæ dicit : Legimus Deum humanatum, non hominem deificatum : quæ sic intelligenda est, quia non prius homo, et postea Deus est factus, sed ex quo fuit, simul et homo et Deus fuit. Nuntius ergo fuit fortis, ut mandatum Dei fortiter impleret : nunciatus fortis, ut in carne assumpta diabolum fortiter vinceret : nuncians fortis, ut devictum diabolum fortiter alligaret.

D Ut autem ad stellam nostram revertamur, qui in mari sunt vident eam a remoto : qui in mundo, vident eam e vicino : qui in cœlo, vident eam e proximo. Qui aliquid videt a remoto, rem quidem videt, sed neque genus neque personam rei discernit : qui e vicino videt aliquid, rem et genus rei discernit, sed non personam : qui e proximo videt aliquid, et rem et genus rei et personam cognoscit. Qui ergo in mari sunt, stellam nostram a remoto respiciunt : quia homines in magnis criminibus velut in mari fluctuantes, quamvis timore supplicii, affectu tenui quandoque ad Deum, vel ad ea quæ Dei sunt respiciunt, tamen caligine peccatorum involuti, a contemplatione cœlestium repelluntur, sicque nihil spiritalis gratiæ in se experientes,

cœlestia quodammodo a longe vident, sed non statum nec præsentiam eorum possunt advertere. Justi vero qui in mundo, id est in mundicia cordis positi sunt, stellam hanc vident e vicino, quia dum sancte vivendo in cœlis habent conversationem, per stillicidia gratiæ futuram vitam prægustantes, etiam statum sanctorum pro modo hujus vitæ concipiunt. Qui vero in cœlo sunt, stellam istam vident e proximo, quia immediate Deo fruentes, oculo contemplationis serenato, perspicaciter sanctorum præsentia pariter et visione delectantur.

Et hoc, pro eo quod dictum est, ave Maria. Sed quid magnum, quid supereminens Virgini matri attribuitur, cum dicitur gratia plena? Nam et Christus plenus gratiæ et veritatis, Stephanus plenus gratia (*Act.* VI), et apostoli pleni gratia Spiritus sancti fuisse leguntur (*Act.* II). Idcirco hæc distinctio adhibenda est, quod est plenitudo æqua, est plenitudo apta, est plenitudo superfluens sive effusa. Plenitudo æqua est, cum in re impleta nihil vacuum relinquitur, ut in mensura vini vel olei. Plenitudo vero apta est, quæ replet secundum rei congruentiam, ut cum dicitur : Civitas vel Ecclesia plena populo, non quod ibi nullus locus vacuus relinquatur, sed quia secundum congruentiam ibi existentes loco sufficiunt. Plenitudo superfluens est, quando res quæ implet, mensuræ capacitatem excedit. In beata virgine Maria plenitudo æqua fuit, quoniam spiritali gratia in tantum repleta est, quod in ea nihil vacuum, id est nullus peccandi locus remansit. Unde Hieronymus dicit : Cum de peccatis agitur, nullam de beata Maria volo fieri mentionem. Ex quo enim Christum concepit, adeo est confirmata, quod peccare non potuit. In cæteris sanctis plenitudo apta fuit, non quod peccare non potuerint, quia et apostoli excutere pulverem pedum jussi sunt (*Matth.* X), sed quoniam gratiæ plenitudinem sufficientem ad salutem acceperunt. In Christo plenitudo superfluens fuit, quia ipse accepit gratiam sine mensura, ita ut de plenitudine ejus nos omnes acciperemus. Excellenter ergo Mariæ dictum est, gratia plena. Est autem gratia naturalium bonorum, est gratia spiritualium charismatum, et est gratia cœlestium donorum. Plena gratia fuit naturalium bonorum, quoniam Spiritu sancto ei superveniente, integritatem naturalium secundum dignitatem primæ conditionis sola inter filias Evæ accepit : Plena fuit gratia spiritalium charismatum, quoniam Christo incarnato amplius peccare non potuit. Cœlestium donorum gratia plena fuit, quia virtute contemplandi quodammodo patriæ donata est. Quantum enim distat inter odorem et gustum speciei aromaticæ, tanta inter contemplationem Mariæ, et aliorum sanctorum distantia est. Sicut enim singularem activam a Christo accepit, videlicet humanam ejus naturam portare, lactare, et involvere pannis, cæteraque humanitatis officia ei exhibere, sic (ut dicam quod ministrat cordis mei devotio) etiam dulcedinem suæ divinitatis matri singulariter experiendam indulsit. Unde subjunxit : *Dominus tecum.* Dominus Pater tecum, quia tu sponsa ejus : Dominus Filius tecum, quia tu mater ejus : Dominus Spiritus sanctus tecum, quia tu amica ejus. Neque enim ipse qui amor est, affectum amoris tibi ostenderet, nisi tu vicem dilectionis ei exhiberes. Pater ergo tecum, cujus Filium conceptura : Filius tecum, quem conceptura : Spiritus sanctus tecum, de quo conceptura es. *Quia Spiritus sanctus superveniet in te.* Primo veniet per sanctificationem virginis, postea superveniet per sanctificationem conceptus virginei. Superveniet in te, quia de Spiritu sancto concipies. Tu qui hoc audis, quomodo Maria de Spiritu sancto conceperit, fideliter sic intellige : Sicut verbum Dei imago Patris est, sic anima Christi imago est Spiritus sancti : Nec loquor modo de illa imagine, pro qua homo ad imaginem Dei factus esse dicitur. In rebus corporalibus imago alicujus esse dicitur, quod expresse formam illius, cujus est imago, habet. Sicut autem corporalia formas suas habent, ita et spiritalia. Forma autem Spiritus sancti gratia septiformis est, non forma quæ sit in Spiritu, sed quæ de Spiritu sancto : sicut claritas, quæ est in pariete, dicitur claritas solis, non quæ sit in sole, sed quæ est de sole. Homo ergo Christus de Spiritu sancto conceptus est, quia formam Spiritus sancti excellenter accepit, hoc est, septiformem gratiam. Ut ergo *de*, non sit materiale sed formale, Christus de Spiritu sancto conceptus est, non cui Spiritus sanctus materiam seminis attulit, sed cui formam sanctitatis inter omnes creaturas elegantius impressit. Sequitur : *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Virtutem hoc in loco accipe, de qua Psalmis a dicit : Notam fecisti in populis virtutem tuam, redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Jacob et Joseph (*Psal.* LXXVI). Et de qua Apostolus dicit : Christus est Dei virtus, et Dei sapientia (*I Cor.* I). Hæc ergo virtus Altissimi, quo Christus est, obumbravit quondam filiis illis nequam, populum loquor Judæorum, obumbravit beatæ Virgini, obumbravit etiam nobis. Umbra quæ obumbravit genti Judaicæ, literalis sensus velamen fuit, quo spiritalis intelligentia de Christo, et sacramentis ejus in lege velabatur, ne eam intelligerent. Unde cum Moyses loqueretur filiis Israel, velamen ponebat super faciem suam : quia non poterant in eum aspicere propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur. Hæc umbra significata est per umbram hederæ, sub qua sedebat Jonas juxta Niniven, ut videret quid accideret civitati. Umbra qua obumbravit beatæ Virgini, infirmitas fuit assumptæ carnis, qua splendor divinitatis ita temperatus pariter et obumbratus est, ut in hac obscuritate caperet eum uterus Virginis, quem in sua claritate omnium rerum amplitudo capere non potuit. De hac umbra ex persona beatæ Virginis in Cantico amoris scriptum est : Sub umbra illius quem desideraram sedi (*Cant.* II). Umbra vero qua obumbravit nobis. sicut ignominia passionis. quando

speciosus ille forma præ filiis hominum, deformis et umbrosus factus est, ita ut esset lividus plagis, pallidus morte, et omnimodis opprobriis saturatus.

Hæc circa ipsum mutatio, nostra obumbratio fuit, et cum multæ circa ipsum mutationes fuerint, hæc sola obumbravit nobis. Mutata est enim ejus sublimitas in humilitatem, quando formam servi assumpsit : mutata est infirmitas ejus in majestatem, quando assumpsit Petrum, et Jacobum, et Joannem, et duxit eos in montem excelsum, et transfiguratus est ante eos : mutata est ejus mutabilitas in æternitatem, quando a mortuis resurrexit : mutata est ejus speciositas in deformitatem, quando in passione pro nobis in cruce suspensus est. Et hæc est umbra qua nos obumbravit, per quam nos a servitute Ægyptiaca et potestate diaboli liberavit. Sub hac sedebat Helias in solitudine; quia et de eo scriptum est : Sedebat, inquit, sub umbra juniperi, et petivit animæ suæ ut moreretur (*III Reg.* XIX) : Juniperus enim arbor est humilis et hispida, et signat Christum humiliatum et despectum in passione. Ad hanc umbram invitamur omnes hoc sacro tempore Dominicæ passionis, ut sedeamus sub ea facti imitatores ipsius : nam qui dicit se in ipso manere, debet etiam post ipsum ambulare (*Joan.* II). Hac umbra modo obumbrata est sancta Ecclesia, dum cessant ab ore ejus cantus lætitiæ, cessat ornatus ministrorum, apparatus altarium, sed et animæ compunctæ super peccatis suis, quod lachrymæ et suspiria pœnitentium confitentur.

Nunc ergo, o anima Christiana quæ charactere Christi insignita es, reside sub umbra ista, converte gaudium tuum in luctum, et plange Dominum tuum : vel si non vis eum plangere, plange saltem mortuum tuum. Mortuus tuus spiritus tuus est, multitudine scelerum tanquam plagis multis extinctus : Mortuus, inquam, non quia subito casu comparuit, sed cui tu causam mortis intulisti. Nec est hic mortuus quatriduanus in sepulchro, qui a memoria tua jam exciderit : non est mortuus in porta qui jam evanescat ab oculis tuis, sed est in domo tua præ oculis tuis, ut semper cum videas, et horrore concutiaris, et indesinenter plangas mortuum, cui viventi parcere noluisti. Judicium æquum a te postulo, tu ne detraxeris veritati. Quidam vir nobilis, et ejus servus contumax in custodia tibi dati sunt hac lege, ut servum pane et aqua more servi, nobilem autem secundum dignitatem natalium suorum splendide procurares. Tu vero in contrarium operatus es, qui nobilem virum fame et siti multisque aliis injuriis confectum subegisti : servum vero omni deliciarum genere fecisti insolentem et superbum, qui insurgens in Dominum suum confossum vulneribus multis occidit eum. Quid respondebis ei, qui utrunque tibi commendavit? Tu hoc crudelis fecisti, tu, inquam, nobilem virum occidisti, qui spiritum tuum nullis virtutibus, nulla pinguedine devotionis, vel bonorum operum refecisti. Tu servum contumacem nutrivisti delicate, quando carnem tuam comessationibus, et ebrietatibus, cæterisque voluptatibus vitæ hujus delectasti. Propterea te porrigente manum auxilii caro insurrexit in spiritum, cum vitiis carnis, hoc est luxuriæ et immundiciæ, eum servire coegit. Et o utinam tibi sufficeret occidisse tantum virum et non illuderes mortuo, non sævires in extinctum, non infligeres vulnera vulneribus, quod faciunt omnes qui peccatum peccato adjiciunt. Revoca ad memoriam famosos peccatores hujus seculi, qui monstruosis vitiis, contumeliis naturæ, passionibus ignominiæ spiritum affligunt : Simoniacos Spiritus sancti prædones, qui patrimonium Crucifixi duplici sacrilegio, id est male acquirendo et male vivendo, possident : tales omnes grassantur in animam extinctam, in Creatoris injuriam.

Resipisce ergo, o anima misera, sede sub umbra Christi, conformare deformitati ejus, macera carnem tuam jejuniis et abstinentia voluptatum : quoniam per ista spiritus etiam extinctus reviviscit. Si enim umbra Petri potuit suscitare mortuos (*Act.* V), non poterit hoc ipsum facere umbra Christi? Certe si laborares infirmitate aliqua corporali, et mandaret tibi Hippocrates vel Galenus per clientulum suum abstinere a vino et saginatis, modicas oblationes sumere, libenter obedires pro consequenda sanitate corporis. Mandat tibi eadem Deus Pater per Christum suum, ut saneris in anima, et non exaudis : At magis oportebat Deo obedire, quam hominibus, sicut Petrus dicit (*Act.* V). Ne dicas : volo sedere sub umbra Christi, sed non comparet deformitas vel ignominia passionis ejus. Respice omnes tribulatos, infirmos, incarceratos, pauperes fame et siti horridos, in his omnibus Christum vides umbrosum et repletum despectione. Sede ergo sub umbra Christi per proximi compassionem, ut vestias nudum, frangas esurienti panem tuum. Da eleemosynam necessitatem patienti, da, inquam, patienti : imo potius reserva tibi, quia in futuro centuplum accipies, et vitam æternam possidebis. Si potens aliquis divitias multas tibi contulisset, et insurgerent in te inimici, qui propter tollendam pecuniam etiam vitam vellent auferre, et diceret tibi is, qui te ditavit : Commenda mihi pecuniam tuam, liberabo te ab hostibus, conservabo tibi vitam tuam, et pecuniam ad integrum resignabo, nonne multas gratias agens acquiesceres *illi*? Ecce bona temporalia accepisti a Christo, insurgit in te luxuria, partem illorum sibi vult vendicare, et vitam tibi auferre : hoc ipsum facit gula, comessationes et ebrietates appetendo : facit hoc superbia, luxum vestium et pompam secularem ambiendo. Da ergo pauperi bona temporalia, imo Christo in paupere ea commenda, quo facto vitam conservasti tibi, et recipies ea in die necessitatis. Et ne forte grave videatur diu sub umbra Christi residere, et conformari passionibus ejus, scito quia non solum in umbra, sed etiam in speculo, et quandoque in facie se

exhibet cernendum. Speculum sacra Scriptura est, in qua imaginem suam speciosam valde ostendit nobis ad consolationem. In speculo isto videt anima, quam sit pura Christi divinitas, quam dulcis ejus bonitas, quam diuturna ejus æternitas, quam inæstimabile gaudium, quod pro se patientibus repromittit. Nondum in speculo isto videtur species ejus sicuti est : ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus, sicut dicit Apostolus. Res siquidem, cujus imaginem in speculo videmus, retro nos est (*I Cor.* XIV). Sic et Christus cujus speciem in sacra Scriptura videmus, adhuc in magna gloria venturus est, quando videbimus eum facie ad faciem. Sed eamus ergo modico tempore sub umbra passionis ejus per imitationem, videamus formam ejus in speculo ad consolationem : ut tandem videamus eum in decore suo gaudium percipientes, quod nec voce exprimi, nec corde excogitari potest, quod nec luctu obumbrabitur, nec defectu finem accipiet, præstante Domino nostro Jesu Christo, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SERMO XXIII.

IN PASSIONE DOMINI.

Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus (*I Petr.* II). Ecce, fratres dilectissimi, Christianæ religionis vexillifer Christus Jesus pro salute hominum dimicaturus procedit : fortis utique propugnator ad salvandum, qui fortem illum armatum custodientem atrium suum, fortior ipse superveniens de cœtu sanctorum ejicit, ita ut non sit amplius in eo inventus locus. Hujus autem signum victoriæ in ligno crucis constituere voluit, quia et juxta dictum prophetæ, ibi abscondita erat fortitudo ejus (*Habac.* III) : in qua dum hostis antiquus appetiit escam carnis, transfixus est aculeo divinitatis. Et si vultis scire, quibus armis divinæ potentiæ Christus diabolum vicerit, ipsa fuerunt sapientiæ ejus plenitudo, charitatis amplitudo, humilitatis fortitudo, misericordiæ magnitudo.

Sapientiæ plenitudo superavit fraudulentum, qui dolosa suggestione hominem innocentem creatum seduxerat, sicut ex historia libri Genesis manifestum est : Charitatis amplitudine devicit invidum, qui hominem fraudulenter seductum ab æternitatis felicitate per invidiam dejecerat : Humilitatis fortitudine devicit superbum, qui hominem nihil sibi debentem in injuriam Creatoris sui contumaciter possidebat : Misericordiæ magnitudine devicit crudelem, qui hominem injuste possessum sine misericordia vexabat. Sed jam vertamus considerationis oculum, id diligentius attendentes, qua dispensationis ratione, Christus crucem subire voluerit, et tam ignominiosam mortem sustinere, quæ utique et Judæis scandalum, et Græcis stultitia reputata est. Tres interim rationabiles causæ videntur posse assignari, quare Christus crucem subire voluerit, quarum prima est, communis omnium miseria : se- A cunda, filialis, quam Deo Patri debebat, obedientia : tertia, singularis de hoste victoria. Primam causam, hoc est, communem omnium miseriam, propheta David commemorat dicens : Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum nunc exurgam, et manifestabor, dicit Dominus (*Psal.* XI). Ponam causam humani generis in salutari, hoc est, in Christo, et non tepide, imo fiducialiter agam in eo, quod in hora passionis factum est. Ista miseria tripartita fuit, quia ponderosa, quia generalis, quia perennis. Ponderosa fuit, quia hominem mole peccatorum adeo presserat, ut nec cœlum, nec cœli numina posset respicere. Unde Psalmista : Filii hominum, usquequo gravi corde ? (*Psal.* IV.) Et beatus Job de hac gravitate dicit : Utinam appenderentur B peccata mea, quibus iram merui : et calamitas, quam patior in statera, quasi arena maris hæc gravior appareret ! (*Job.* VI.) Et alibi : Grave jugum super omnes filios Adam a die nativitatis suæ, usque in diem sepulturæ (*Eccle.* XL). Illa etiam miseria generalis fuit, quia mors quæ per unum hominem in mundum intraverat, adeo late pervagata erat, quod omnes justos et injustos, bonos et malos pariter involveret : ut universos puniret unum supplicium, quos unum involvebat paternæ prævaricationis delictum. Fuit etiam illa miseria perennis, quia homo sine termino, et sine remedio illam miseriam sustinuisset, nisi mediator Dei et hominum Christus Jesus, morte sua interveniente, illi miseriæ finem imposuisset. Secunda causa C quare crucem subire voluit, fuit filialis, quam Deo Patri debebat, obedientia, de qua Apostolus dicit : Christus factus est Deo Patri obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philipp.* II). Et ipse Filius ad Patrem : Ego manifestavi te super terram : opus consummavi, quod dedisti mihi ut facerem (*Joan.* XVII). Pro ista obedientia crucem subire voluit, ut per eam primæ inobedientiæ piaculum solveretur : et Christus usque ad crucem humiliatus pro homine satisfaceret, qui superbiendo usque ad æqualitatem Creatoris sui per inobedientiam se extulisset. Tertia causa, quare crucem subire voluit, fuit singularis de hoste victoria, ut ipse moriendo mortis autorem evinceret : et victoria D potitus non solum ipse esset victor, sed etiam suos imitatores faceret victores. De qua victoria Joannes dicit in Apocalypsi : Vicit leo de tribu Juda, radix David (*Apoc.* V). Et Isaias : Quomodo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris ? corruisti in terram qui vulnerabas gentes (*Isa.* XIV).

Nunc ergo o anima Christiana, quæ vexillum tenes hujus victoriæ, sic portes crucem Domini, ut etiam crucifixum imiteris : quia vera crucis bajulatio, crucifixi imitatio est. Quatuor cornua crucis, quæ sunt longitudo, latitudo, sublimitas, et profundum, quatuor nobis passionum genera demonstrant, quibus Christum debemus imitari, quorum primum est, passio corporalis angustiæ : secundum, continua mortificatio carnalis concupiscen-

tiæ : tertium, patientia illatæ contumeliæ : quartum, renunciatio voluntatis propriæ. Primo passionum genere crucifixum imitati sunt fortes illi vitæ hujus triumphatores, quos neque mors, neque vita, nec periculum, nec gladius, nec creatura alia separare potuit a charitate Christi, tradentes corpora sua ad supplicia propter Deum, de quibus dictum est : Isti sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni (*Apoc.* VII). Secundo genere passionum imitantur illum, qui voluntaria attritione mortificant membra sua super terram : et ne peccatum dominetur in mortali ipsorum corpore, carnem suam crucifigunt cum vitiis et concupiscentiis. Tertio genere passionum imitantur illum, qui pro causa justitiæ sustinent injurias, opprobria et vexationes alienæ malitiæ, patientiæ virtute illum imitantes, qui tanquam ovis ad occisionem ductus est, et coram tondente se obmutuit, et non aperuit os suum. Quarto genere passionum imitantur Christum, qui cum mundo, et his quæ in mundo sunt, etiam propriæ renunciant voluntati, et nihil sibi de seipsis reservant : sed propter Deum alieno se subjicientes imperio, illius tenent vestigia, qui non venit ministrari, sed ministrare, et animam suam dare in redemptionem pro multis. Unde alibi ipse Salvator dicit : Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me (*Joan.* V). Qui his passionum generibus imitantur Christum, ipsi illius sanguinem venerantur quasi loco vulneris : cum tamen sint alii, qui venerantur Christi sanguinem distillantem in membris ejus. Nonnulli etiam sunt, qui venerantur ipsum Christi sanguinem, pulverulentum et dilapsum in terram. Sed Christi sanguis in loco vulneris triumphalis est : in membris ejus distillans, medicinalis : lapsus in terram, consolatorius et subsidialis est.

Qui ergo minus fortes cum Christo crucem ascendere nequeunt, ipsi venerantur illius sanguinem distillantem in membris ejus : quod fit cum in sacramentis Ecclesiæ, quæ de latere ejus effluxerunt, peccatorum quærunt veniam et causam salutis. Nam quod de latere ipsius sacramenta Ecclesiæ emanaverunt, ipse Evangelista testatur cum dicit : Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua (*Joan.* XIX). Quod verbum expositor manifestans ait : non dicit percussit, non dicit vulneravit, sed aperuit, ut in latere ipsius ostium panderetur unde sacramenta Ecclesiæ emanarent, sine quibus ad vitam non intratur. Membra vero illius sunt fideles quilibet, qui eodem spiritu cum capite suo vegetantur, et per charitatem in corpore Christi firmiter radicati, corporis illius, id est, Ecclesiæ, diversa gerunt officia secundum divisiones gratiarum. Oculus enim Christi est, qui locum regiminis bene administrat : lingua Christi est, quæ divinis affluens eloquiis, alios erudit et informat : auris, qui præceptis divinis et mandatis obedientiæ libenter auditum inclinat : humerus, qui in vinea

A Domini portat pondus diei et æstus : pes Christi est, qui satagit circa frequens ministerium ad subveniendum necessitatibus aliorum, et sic de cæteris. Per hæc igitur membra sanguis Christi decurrit, dum filii Ecclesiæ modo per aquam sanctificationis, modo per corpus et sanguinem ejus, modo percipiendo alia Ecclesiæ sacramenta, redemptionis illius fiant participes, quam in passione sua operatus est Dominus in medio terræ.

Sed occurrit verbum plenum doloris et angustiæ, quia sicut quidam juste et pie vivendo corpus Christi construunt, ita alii per vitæ enormitatem destruunt illud, eo utique Judaicam superantes perfidiam. Quoniam illi suspenderunt Jesum in patiB bulo, isti vero membratim illum dilaniant, et dejectum in terram conculcant pedibus suis. Manum siquidem in corpore Christi præcidunt fures, prædones, scelerati, contaminati, fornicarii, homicidæ, ignominiosi, quidam bonis operibus seipsos subtrahunt, quasi manum a corpore Christi præcidunt. Sunt alii mendaces, perjuri, blasphemi, detractores, verba turpia et scurrilia proferentes : et isti dum sanctis exhortationibus, et verbis ædificationis proximum non ædificant, procul dubio linguam a corpore Christi amputant. Aurem Christo opilat, qui obedientiæ mandatis auditum non inclinat, et de cæteris in hunc modum. Quid est anima misera quod agis? Ipse Pilatus veretur Christum crucifigere dicens : Regem vestrum crucifigam, C (*Joan.* XIX), et tu non times illum membratim dilaniare? Certe si videres hominem prope te assistere orbatum oculis, labiis præcisis, truncatis auribus, capulatum lingua, vel cruore suo perfusum undique, æstimo quia abhorreres aspectum illius, et detestareris autorem sceleris, qui hæc facere præsumpsisset. Quare similiter et tu non abhorres manum mittere in Christum Dominum, et cum Juda traditore conspirare in necem ejus? Certe vel hoc exterrere te debuerat, quod ipsa arma tua, quibus corpus Christi lanias, in te ipsum convertuntur, telis tuis confoderis, sagittis tuis vulneraris et ipsa scelera tua, quibus te a corpore Christi præcidis, animam tuam miseram membratim lacerant, et inflictis D vulneribus cruentant illam. Nonne putas membra quædam spiritalia animæ esse sensum, memoriam, voluntatem, rationem, et intellectum? Istis membris anima mutilatur, quando nec sensus Deum quærit, nec memoria recolit, nec voluntas appetit, nec ratio eligit, nec intellectus comprehendit, et sic anima misera, quam Deus tibi dedit sociam, ubicunque locorum fueris, si dormis, si vigilas, si ambulas, si sedes, contra te clamat volutata in suo sanguine quem tu effudisti. Revertere homo miserabilis ad Dominum Deum tuum. Nunquid cunctis filiis Israel in sanguine agni de Ægypto liberatis, tu solus Pharaoni servies? Nunquid petra producente aquas largissimas, ita ut bibant populus et jumenta, tu solus siti aresces? Nunquid patre-

familias vitulum saginatum occidente, tu solus expers hujus convivii fame peris?

Ecce vidua de Sarepta colligit duo ligna, ut de farinula, quam habet penes se reconditam, faciat panem subcinericium (*III Reg.* 17). Pete ab ea buccellam panis hujus, ne forte inedia consumaris. Panis iste subcinericius Christus est mortalis, vel potius pro nobis morti addictus : duo ligna quibus iste panis coquitur, crux Domini est, in aqua ipse passionis igne torretur. Istum panem vidua de Sarepta de subtili farinula conficit, cum de spiritali intelligentia legis et prophetarum Christum nasciturum et moriturum comprehendit. Panis vero istius buccellæ sunt Christi incarnatio, nativitas, passio, resurrectio, et ascensio. De his ergo buccellis vel unam postula, id est, Christi passionem, et eam in ore tuo rumina, et in ventre memoriæ diligenter recondе, si forte vel ipse Christi sanguis duritiam cordis tui possit emollire.

Sed etiam ipse Moyses in deserto erigit tibi serpentem æneum (*Num.* xxi), quem si vis aspicere, recipies sanitatem, et ablutionem criminum tuorum, medicinam vulnerum, augmentum virtutum : et perfectæ sanitati restitueris, si fideli mentis oculo velis illum intueri. In eo invenies fidei præsidium, spei solatium, charitatis solium, gratiæ titulum, pietatis augmentum, misericordiæ vehiculum, pacis vexillum. Hunc ergo serpentem æneum in pertica erectum respice, hoc est, Christum crucifixum fidei devotione recognosce. Respice illum oculo cognitionis, ut cognoscas eum verum Deum qui pro salute hominum missus est. Respice eum oculo dilectionis, ut charitate amplectaris eum qui pro te passus est : et sic sanguis illius super te quoque diffluet, si per charitatem membris illius unitus fueris.

Sunt alii qui venerantur Christi sanguinem non in loco vulneris, non distillantem in membris ejus, sed potius dilapsum in terram. Christi vero sanguinem tunc in terram distillasse dixerim, quando terrena ista et transitoria, quæ Christi patrimonium appellamus, videlicet amplas possessiones, statuta decimarum, oblationum proventus, et cætera stipendia Ecclesiæ, sanguine suo acquisivit, quæ ad consolationem illis dari voluit, qui essent cum ipso tribulationum participes, et imitatores passionum ejus. Illis etenim beneficia ista vult conferri, qui sic eis utuntur ut spiritalia non omittant : sicque comedunt peccata populi, ut obsequia mortuorum, celebria missarum, orationum, statuta solvendo pro animabus fidei intercessores inveniantur. Si, inquit Paulus, spiritalia vobis seminavimus, magnum est si carnalia vestra metamus (*I Cor.* ix). Et propheta David : Sumite, inquit, psalmum, et date tympanum, psalterium jocundum cum cithara (*Psal.* lxxx). Et ipse Dominus : Qui manducat, inquit, carnem meam, et bibit sanguinem meum, habet vitam æternam (*Joan.* vi). Christi carnem comedere est, corporalia Ecclesiæ beneficia ad consolationem

A percipere : sanguinem vero illius bibere est, tribulationibus illius et passioni communicare. O quanti in ecclesia Dei per characterem clericalem in sortem vocati Domini libenter comedunt, qui sanguinem ejus summopere detestantur, quæstu divitiarum clericos, habitu milites, conversatione neutros exhibentes, et dum ipsi corporalia beneficia ad voluptatem percipiunt, pro salute animarum semper benefacere cessant. Frequentius enim eos in foro, quam in choro videas, et sæpius carmina decantare, quam peccata sua plangere, soli Samaritano custodiam animarum, sibi vero summam voluptatum reservantes. Huc accedit, quod ecclesiastica beneficia, quæ non ad proprietatem, sed commodata pauperibus, pupillis et viduis eroganda acceperunt,
B non indigentes, sed potius canes, accipitres, parasiti, joculatores accipiunt, et in patrimonium Christi admittuntur non solum filiæ et filii, sed etiam consortes thori. Videres illos de eleemosynis pauperum comparare frena deaurata, calcaria nitentia, sellas picturatas, in quibus effigiatæ virgines gestiunt in lasciviam, vestes pictas variis coloribus, non compatientes Christo, qui pro ipsis in cruce suspenditur.

O amici Dei, qui per varia tormenta vitam finistis quare et nos per hanc viam delitiosam ad crucem Domini non accessistis? Sed iste modus adorandæ crucis nondum propalatus fuerat, Spiritu sancto temporibus istis eum reservante. Quid tu homo per-
C dite non consideras, quoniam crucifixus te videt? Videt certe modo, et in futuro arguet, et statuet contra faciem tuam, ut vel in tormentis agnoscas te non fuisse Christi hæredem sed violentum patrimonii ejus invasorem. Ubi exemplum, ubi vestigia, quæ nobis imitanda reliquit, vobis, inquit, relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus (*I Petr.* ii). Forte et adhuc aliqua inveniemus vestigia, si velimus ea imitari. Ut grossius loquamur nos, qui subtilia videre non possumus, vestigium est locus in quo pes viatoris ponitur, indicativus quodam modo prætereuntis. Et quis alius fuit iste viator, nisi Christus de quo scribitur : Exultavit ut gigas ad currendam viam (*Psal.* xviii). Et alibi : De torrente in via bibit, propterea exaltavit caput
D (*Psal.* cix). Pes ejus viatoris est, sanctum animi desiderium, equo trahuntur viri justi ad bene operandum, de quo pede scriptum est : Pes meus stetit in directo, in ecclesiis benedicam te Domine (*Psal.* xxv). Vestigia igitur Christi sunt, viri sancti, qui per sanctum desiderium ducuntur ad militandum Deo viventi. Vestigium Christi fuit Petrus per amorem voluntariæ paupertatis cum dixit : Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te (*Matth.* xix). Paulus fuit vestigium Christi per fortitudinem exercitii corporalis, qui ne aliquem gravaret, propriis manibus victum quæsivit. Joannes Baptista fuit vestigium Christi per abjectionem preciosi habitus, qui habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam ad lumbos suos. Helias fuit Christi vestigium

per austeritatem abstinentiæ, David per contemptum mundanæ vitæ, Job per virtutem patientiæ : sancti quoque martyres Christi fuerunt vestigia, quibus usque ad tolerantiam passionis pedem impressit. Talibus ergo vestigiis nos Christus ad viam revocat, ut si forte per amorem mundi, vel alias quascunque voluptates illicitas aberravimus, istorum exemplo ad viam redeamus, quæ Christus est : in quo et laboris nostri terminum, et perennis vitæ præmium accipiemus. Ipso præstante Domino nostro Jesu Christo, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SERMO XXIV.

IN DIE PALMARUM.

Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo (*Galat.* VI).

Vos fratres charissimi, quos ipsa unctio docet de omnibus, sed et universi vos, qui scripturas memoriter retinetis, et hoc etiam bene recolitis, quoniam est tempus flendi, et tempus ridendi, et hæc ipsa tempora spaciis quibusdam mediantibus a se invicem solent distingui. Verum hodie rationabili quadam discordia tempus flendi et tempus ridendi pariter conveniunt, dum facies Ecclesiæ modo dilatatur gaudio, nunc contrahitur dolore, ipso autore temporum per ea quæ circa ipsum gesta sunt, hujus varietatis causam nobis exhibente. Quia enim hac die Domino ingrediente in sanctam civitatem, pueri Hebræorum exierunt obviam clamantes: Hosanna filio David, aliis cædentibus ramos de arboribus, aliis sternentibus vestimenta sua in via (*Matth.* XXI) : inde gaudium festivæ processionis. Et recordatione vero Dominicæ passionis, in qua nobis revocatur ad memoriam quando is, qui peccatum nec fecit, neque inventus est dolus in ore ejus, saturatus est opprobriis : et ipse autor vitæ, qui morti nihil debebat, pro nobis gustavit mortem : inde causa doloris. Quamvis enim Christus hodierna die historialiter passus non sit, tamen hodie passio ipsius merito recolitur, eo quod ipse voluntarius hac die venit inter manus peccatorum, ipso Patre illum exponente passioni, qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Non incongrue tamen dicere possumus unam rem, scilicet passionem Domini, diversis de causis simul esse materiam doloris et lætitiæ. Doloris, quia nos illi fuimus causa mortis : lætitiæ, quia ejus passio fuit nobis causa salutis. An non etiam ad gaudendum in passione Domini nos invitat typica illa et legalis historia, quæ narrat agno paschali immolato populum Israel liberatum fuisse de Ægypto? Pharao siquidem ipse est diabolus, decem plagis, hoc est, decem mandatis divinæ legis percussus, ad plenum superatus non est, sed adhuc populum Dei in captivitate tenuit, quousque agno paschali immolato, hoc est, Christi sanguine effuso, populus Dei cum gaudio egreditur de domo servitutis in terram promissionis, sicut David propheta dicit : et eduxit

A populum suum in exultatione, et electos suos in lætitia (*Psal.* CIV).

Sic et mulier Sunamitis non gaudet de filio suo resuscitato, quousque Helisæus magnus ille propheta contrahitur ad mensuram pueri mortui, quo incumbente super puerum ille vitalem spiritum recepit. (*IV Reg.* IV) Helisæus etenim magnus ille propheta, hoc est, Christus, in natura suæ divinitatis immensus et infinitus, ad mensuram pueri mortui contractus est, quando pro nobis mortalis fieri, imo pro nobis in natura humana mori voluit : ipsoque incumbente super puerum, hoc est, passionibus humani generis communicante, ipse puer, videlicet genus humanum, vitalem spiritum recepit : oscitavitque septies quando in multiplices Dei laudes prorupit. Unde
B et mulier Sunamitis, hoc est, mater Ecclesiæ gavisa est. Symphonia quoque et chorus non audiuntur in domo patrisfamilias, donec, redeunte filio prodigo, vitulus saginatus occisus est (*Luc.* XVII) : quia Deus Pater gentili populo nonnisi in morte unigeniti Filii sui reconciliatur. His igitur exemplis quælibet anima ad lætandum in cruce Deum invitata dicat :

Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. Ibi enim ancora spei nostræ, pretium redemptionis, cataplasma vulneris, medicina sanitatis. Quis demum infirmus non gaudet de præsentia medici, aut vulneratus de medicina sanitatis? Vere ipsa Domini passio medicina fuit non solum sanativa, sed etiam penetrativa, et purgativa. Penetrativa,
C quia in morte ejus velum templi scissum est, terra mota est, et petræ scissæ sunt, et monimenta aperta. Penetrativa, quia portæ mortis per illam confractæ sunt, et cathenæ ferreæ, et vincula illa durissima, quibus captivi in inferno tenebantur, rupta sunt. Et carcer tenebrosus apertus est, quando dictum est his, qui in vinculis erant, exite, et his qui in tenebris erant, revelamini. Miror ego si et tu aliquando vim penetrativam hujus medicinæ non es expertus : tu, inquam, homo peccator, qui jacebas sepultus in sepulchro mordacis conscientiæ, et eras ligatus institis peccatorum, faciem habens velatam sudario illo pessimo oblivionis Dei, cum Lazaro jam fœtens in monimento (*Joan.* XI). Hæc
D siquidem medicina penetrativa effodit te de sepulchro turpis conscientiæ per contritionem cordis, rupit vincula peccatorum quibus ligatus eras per remissionem peccati : Sudarium vero abstulit, quando velamen iniquitatis, quod tanquam chaos magnum inter Deum et te positum fuerat, misericorditer removit, ut revelata facie ad Deum respiceres, qui aliquando oblitus fueras Domini creatoris tui. Omnis ergo anima Deo devota, qui passionem Domini fide tenet, et pio affectu veneratur, dicat :

Mihi autem absit gloriari, nisi, etc. Et quamvis omnes gloriari debeamus in cruce Domini, tamen sunt aliqui qui specialiter glorientur in Domino, alii qui specialiter glorientur in cruce Domini. Qui

specialiter in Domino gloriantur, sunt viri sancti et perfecti, quibus familiaritas ausum accedendi ad Deum contemptus rerum temporalium præbuit, etiam et aspiratio divinæ gratiæ dulcoravit affectum. Qui contemplantur naturam divinitatis, tanguntur spirituali dulcedine, oratione loquuntur cum Deo, devotione pulsant cœlos, et intersunt secretis cœlestibus, et cum Paulo dicere possunt : Nostra autem conversatio in cœlis est (*Philipp.* III). Sunt alii, qui rubigine peccatorum adhuc obscuratam habent conscientiam, et illicitis desideriis tracti a contemplatione Dei repelluntur, quos tantis delitiis indignos judicat Dominus, ut suavitate contemplationis futuræ vitæ gaudia possint prægustare.

Isti ergo tanquam infirmi devote respiciunt Christi humanitatem, in qua suæ salutis causam recognoscunt : stant juxta crucem Domini, et cum Thoma mittunt manum suam in loca clavorum, et devotissime suscipiunt sanguinem, qui effusus est in ablutionem peccatorum. Accedat igitur ad crucem Domini omnis, qui conscientia pavidus coram Deo reus assistit. Quo enim securius confugere poterit, quam ad refugium crucis? Ubi demum miles Christi tutior esse potest, quam sub vexillo sui imperatoris? Hic robur cœlestis militiæ, hic vulnerati in prima acie, et criminibus dejecti receperunt pristinam virtutem. Hic siquidem est justitia patriarcharum, hic constantia martyrum, hic omnium justorum innocentia, qui laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni : Hic etiam magni illi peccatores, qui prophetas occiderunt, qui Christum pupugerunt, qui Ecclesiam Dei sunt persecuti : et omnes consecuti criminum suorum veniam, tibi quoque dant fiduciam veniæ consequendæ. Quid ergo moraris? cur venire trepidas? nulla est enim peccati enormitas, quam Christi sanguis expiare non possit. Si terret te magnitudo supplicii, apprehende crucis profundum : si delectat te celsitudo præmii, apprehende crucis sublimitatem : si anima tua arida est, et indiges beneficio virtutum, apprehende crucis latitudinem ; si tentationibus pulsaris, apprehende crucis longitudinem. In profundo enim crucis exterminatio supplicii, in sublimitate celsitudo præmii, in latitudine amplitudo beneficii, in longitudine robur auxilii.

Cum ergo omnes ad crucem Domini invitentur, tamen sunt aliqui qui a cruce Domini se elongant, sunt alii qui eidem appropinquant. Qui autem se elongant alii sunt remoti, alii remotiores, alii remotissimi : et qui appropinquant alii prope, alii propiores, alii proximi. Remoti sunt a cruce Domini, qui dediti vanitatibus hujus seculi, velut e dorso crucifixum respiciunt, in passione ipsius pascentes oculos magis, quam illam imitantes. Dum enim ad vitæ hujus delitias per secularem conversationem se extendunt, quasi a cruce Domini elongantur. Sed quando in beneficiis ecclesiarum consequendis charactere crucifixi insigniri volunt, velut e dorso crucem Domini respiciunt. Tales sunt A delicati nostri temporis, qui in adeptione beneficiorum volunt esse clerici : in vestitu, principes : in tonsura, milites : in vita, nec hi nec illi volunt apparere. Neque enim pugnant ut milites, neque subditos suos regunt ut boni principes, et si de vita quæritur frequentius in choreis saltantium, quam in choro Deo psallentium inveniuntur. Quærat modo ab istis Christus, sicut olim a filiis Zebedæi, Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum (*Matth.* XX) : Quid respondebunt ei, nunquid dicent, possumus? Videamus ergo : Bibit Christus calicem patientiæ et laboris, bibit calicem angustiæ et doloris, bibit calicem lætitiæ et consolationis. Primum bibit quando maledicta, injurias, opprobria, et labores plurimos ante passionem in nostra B natura patienter sustinuit : ad cujus calicis potationem si invitentur illi de quibus jam diximus, prorsus illum fastidiunt : eo quod hanc partem suam reputent, uti delitiis, et frui bonis. Bibit Christus calicem doloris et angustiæ, quando sputa et vincula, spineam coronam et mortem crucis expertus est. Sed hunc calicem nequaquam bibere poterunt, eo quod in illo sit exterminatio omnis temporalis gaudii, quod illi summo studio sectandum decreverunt. Sed nunquid poterunt bibere calicem lætitiæ et consolationis, quem bibit Christus in resurrectione? Dicunt omnes, possumus. Sed hoc non esset calicem Domini bibere, imo potius confundere : quia juxta dictum sancti viri, tempora regnandi C non possunt prævenire tempora patiendi.

Sunt alii a cruce Domini remotiores, utpote illi qui disciplinam regularis vitæ devoti suscipiunt, sed eam obedienter non prosequuntur. Disciplina regularis recte cruci comparatur, quia sicut crux mundum reparavit ad vitam, ita vita regularis hominem reparat ad innocentiam : et sicut Christus in cruce obedivit usque ad mortem, ita et homo disciplinæ regulari debet obedire usque ad carnis mortificationem. Sed ab hac obedientia videmus quosdam remotiores fieri, quibus si injunguntur aliqua, ubi sint vestigia Dominicæ passionis, habentia gustum amaritudinis et laboris, nuditatis et paupertatis, et obedire renuunt, murmurantes cum Jona fugiunt a facie Domini, dicentes : Non est hic D homo a Deo qui talia mandata decernit. Si vero injungatur eis obedientia, in qua sit seculare gaudium, et locus quidam dominationis, illam non solum humiliter, sed et libenter et velociter suscipiunt. Obedientiam illam loquor, ubi horrea messibus, torcularia vino abundant, ubi curia frequens est famulis et fabulis, ubi mensa plena poculis et ferculis, ubi phase cum fermentato celebrant, et agnum paschalem comedunt sine lactucis agrestibus. Isti ergo, quia per disciplinam regularem ad morum perfectionem non corriguntur, recte crucem Domini quam assumpserunt projicere dicuntur. Disciplina tua, inquit David, correxit me in finem et disciplina tua ipsa me docebit (*Psal.* XVII). Habet certe malum finem suum, consummationem

virtutum. Disciplina ergo regularis corrigere debet in finem, quia hominem a profundo vitiorum perducere debet ad consummationem virtutum.

Remotissimi vero sunt a cruce Domini qui velut in profundo vitiorum absorpti sunt, et atrocitate scelerum, fœditate, immundicie, flammis cupiditatum longius cæteris a Christo recesserunt, et sicut enormiter vivendo sunt magis peccatores cæteris, ita etiam a crucifixo remotiores. Sed veniat Babylon illa magna quandoque in memoria ante Deum, quæ veneficiis et fornicationibus suis inebriavit terram, ut bibat de calice iræ Dei et fiat habitatio dæmoniorum, et omnis immundiciæ plangatque tandem in suppliciis, quod hic vestigia Dominicæ passionis noluit imitari.

Sunt alii prope crucifixum, utpote illi qui stant juxta crucem Domini : alii propiores ut illi qui membra supplicii myrrha et aloe condiunt. Proximi vero sunt qui bajulant crucem ejus. Juxta crucem igitur stant, qui affectu devotionis et desiderio patiendi ad Christum veniunt cupientes pro nomine ipsius injurias et tribulationes sustinere : sed, considerata infirmitate propria, quod sunt infirmi et debiles et impatientes laborum, hoc quod per desiderium affectaverant, per experientiam aggredi non præsumunt. Isti ergo ab effectu Dominicæ passionis omnino alieni non sunt, quoniam etsi per experientiam tribulationum illam non imitantur, tamen bonis quibusdam affectibus ad ipsum venientes desiderio juxta crucem stare videntur. Quatuor autem affectionibus hi, qui dura pro Christo pati non possunt, cruci approximare debent, videlicet recordatione peccatorum, memoria suppliciorum, consideratione hujus peregrinationis quod non habent hic manentem civitatem, spe futuræ retributionis. Recordatio siquidem peccatorum in conspectu Dei facit eos humiles, memoria suppliciorum facit eos solicitos ad bene agendum et in mandatis Dei obedientes. Consideratio hujus peregrinationis quod non habent hic manentem civitatem, revocat eos a nimio appetitu rerum temporalium. Spe vero retributionis quandoque suspenduntur in amore cœlestium bonorum. Et isti stant juxta crucem Domini. Alii tanquam propiores membra sepulti condiunt myrrha et aloe, ut Joseph ab Arimathia fecisse legitur (*Matth.* XXVII). Membra sepulti recte vocantur miseri, et contemptibiles hujus seculi, qui suis calamitatibus oppressi, quasi inter mortuos computantur : et sicut unione charitatis uniuntur membris Christi, ita et per angustias tribulationum illi consepulti sunt. Myrrha vero et aloe sunt affectus compatiendi, et solicitudo subveniendi. Qui ergo compatiuntur et subveniunt necessitatibus pauperum, anxietatibus oppressorum, perturbationibus tristium, doloribus infirmantium, cæterisque miserorum calamitatibus, Christi membra crucifixi myrrha et aloe recte condire dicuntur.

Qui vero sunt proximi, ipsi bajulant crucem *ejus. Ideo autem* dixi crucem ejus, quia non omnis

A crux, Christi crux appellari debet. Est enim crux latronis qui pendebat a sinistris : est crux latronis qui pendebat a dextris : est crux Salvatoris qui pendebat in medio illorum. Crux latronis qui fuit a sinistris, pœna est finaliter peccantium : crux latronis qui fuit a dexteris, pœna est post lapsum pœnitentium : crux Salvatoris est pœna innocenter viventium. Illi ergo bajulant crucem Domini, qui cum vitæ innocentiam teneant, et in justitia et sanctitate ambulent coram Deo, tamen ac si omnium criminum rei sint, tribulationibus multis et miseriis voluntarie propter Deum seipsos subjiciunt, aut vexatione alienæ malitiæ modo detractionibus linguarum, modo injustis oppressionibus : aut etiam a persecutoribus perfusionem sanguinis

B cum Christo mortificantur gloriantes in cruce Domini, per quem eis mundus crucifixus est et ipsi mundo. Mundi crucifixio contemptus est rerum temporalium : sicut crucifixio sanctorum tolerantia tribulationum. Sanctis ergo viris qui portant crucem Domini mundus crucifixus est, quia omnem terrenam gloriam propter ipsum despiciunt, omnia tanquam stercora reputantes, ut Christum lucrifaciant (*Philipp.* III). Sed et ipsi mundo crucifixi sunt, hoc est, amatoribus mundi a quibus sustinent amaritudines passionum. Et quoniam de reliquo reposita est eis corona justitiæ, gaudent evestigio conformes fieri Dominicæ passioni, scientes quod per patientiam tribulationum perveniunt ad gloriam

C Dominicæ resurrectionis, ipso præstante Domino nostro Jesu Christo, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SERMO XXV.

IN PASSIONE DOMINI.

Expandit librum coram me, qui erat scriptus intus et foris, et in eo scriptæ erant lamentationes et carmen et væ (*Ezech.* II). Vos fratres dilectissimi qui spiritum adoptionis filiorum accepistis, et sancta conversatione induistis Dominum nostrum Jesum Christum, memoria et moribus pariter retinetis, quod omnis Christi actio nostra lectio est, et propterea ipse recte libri censetur nomine, quia in ipso formam vitæ nostræ legere debeamus.

Sed hujus libri seriem, qui totam reparationis

D nostræ continet historiam, aliquis sanctus vir et pauper spiritu, cujus cor ardens esset de Jesu, melius exponeret : quia melius illam intelligit qui sanctius vivit : et lectione istius libri digni sunt, non hi qui pium nomen Domini Jesu summis labiis pronunciant, sed qui pietatem ejus vita et moribus assequuntur. Quia tamen silere non licet, et loqui nescio, loquatur in me Dominus Deus, et clavis David aperiat mysteria, quæ potest aperire librum et solvere signacula ejus. Liber ergo cujus habita est mentio Christus est, de quo in Apocalypsi dicitur : Vidi in dextera sedentis super thronum librum qui erat scriptus intus et foris, signatum sigillis septem (*Apoc.* V), de quo etiam in Daniele dicitur : In tempore illo salvus erit populus

tuus, omnis qui inventus fuerit scriptus in libro: et multi ex his, qui in terræ pulvere dormiunt, evigilabunt (*Dan.* XII). Ipse est liber de quo Ezechiel dicit: Expandit librum coram me et cætera (*Ezech.* II). Liber utique sufficiens omnibus qui et quantum delicatis ad delectationem proponit, et studiosis ad exercitium lectionem. Quantus libri istius ineffabilis illa unio Dei et hominis, ubi tanquam per septem reales voces ab imo usque ad summum ascenditur, ita ut humilitas hominis usque in Deum sublimetur, et econtrario descendendo, celsitudo Dei usque ad humilitatem hominis inclinetur. Vis audire septem sonos cantus istius? Recole quam humilis, quam despectus Christus nascendo apparuit, et reddit tibi cantus iste sonum humilem. Recole quam mansuetum, quam pium verbo et opere se exhibuit, et reddit tibi sonum dulcem. Ad memoriam revoca quantis signis et virtutibus claruit, et audis sonum subtilem: ad memoriam revoca, quod humanam et angelicam naturam in una charitate conjunxit, quod hominem Deo reconciliavit, et audis sonum concordem. Si recolis qualiter contumeliis affectus, vulneribus confossus, coronatus spinis, et tandem cruci affixus, reddit tibi cantus iste sonum gravem. Quando vero per divinitatis potentiam devicta morte resurrexit a mortuis, reddidit cantus iste sonum acutum: Quando vero victoriosus ascendit in cœlum, reddidit sonum superacutum. Et quidem cantus iste non delicatis hujus seculi, sed delicatis Dei proponitur, qui talia meditando delectantur sicut in omnibus divitiis. Lectio autem libri istius non minus necessaria: Neque enim docet decreta Gratiani concordare, non ponderare leges Justiniani, argutias sophismatum exsufflare, non semper discere et nihil proficere, sed potius docet culpas agnoscere, suspirare ad veniam, componere mores, ordinare vitam, salutem quærere, Deum invenire.

Estque lectio ista modo in evidenti, sed non ita semper. Fuit enim liber iste quandoque signatus, quandoque clausus, sed modo apertus est. Ante Christi incarnationem liber iste septem sigillis signatus erat, quia ejus repromissio quibusdam obscuritatibus adeo involuta erat, quod vel nulli, vel admodum pauci mysterium Incarnationis cognoscerent. Quid enim aliud, nisi sigilla quædam fuerant personales illæ patriarcharum exhibitiones, apparitiones angelicæ, oblationes hostiarum, imagines revelationum, quæ omnia Christum vel actu vel similitudine præfigurabant: quibus si adjicias obscuritates Scripturarum, dilationem promissionis, desperationem adimplendæ veritatis, in summa septem sigilla invenies, quibus liber iste ante Incarnationem signatus fuit. Christo vero incarnato liber iste apparuit, sed clausus tenebatur: quoniam potentia divinitatis ejus per infirmitatem humanæ naturæ obumbrata foras non prodiit. Quoniam et si propheta potens in opere et sermone diceretur, non hoc divinæ potentiæ, sed meritis virtutum sancti viri putabant adscribendum. (Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (*I Cor.* II). Tandem in passione liber iste apertus est, et sempiterna virtus et divinitas, quæ latebat in homine, foras erumpere cœpit, quando creaturæ Creatoris sui senserunt imperium, et petræ scissæ sunt, terra contremuit, velum templi scissum est a summo usque deorsum. Rejecto siquidem sacco cilicino, quo sol veri luminis claudebatur, idem sol lucere cœpit in virtute sua, ita ut radios suos circumquaque effunderet, et illuminaret non solum illos, qui sedebant in tenebris et umbra mortis, sed etiam cordibus multorum infidelium fidei lumen infunderet. Unde centurio ille evangelicus videns mirabilia quæ fiebant, clamavit, dicens: Vere Filius Dei erat iste.

Aperto ergo libro isto in passione, Scriptura ejus legi cœpit, erat autem scriptus intus et foris. Et fuit scriptura interior, verbum Dei quod in carne Christi scriptum fuit operatione Spiritus sancti: exterior vero scriptura fuit, quam impii persecutores injuriis et plagis, sanguinis effusione et crucis ignominia, non aureis sed tetris literis corpori ejus indiderunt. Ista ergo scriptura extunc lecta, sed non ab omnibus intellecta est. Habet siquidem scriptura hæc, sicut aliæ scripturæ tria, literam, sensum et sententiam. Et ut primo loquar de exteriori scriptura, litera ipsius est historialis passio Domini: sensus vero, qui ex illa litera concipitur, imitatio est Dominicæ passionis: sententia, quæ juxta sensum perpenditur, fructus est nostræ redemptionis. Qui passionem Domini sola fide, et non operando tenet, puer est, et quod legit non intelligit: qui autem passionem Domini patientia et laboribus propter nomen Jesu custodiendo vias duras imitatur, legit scripturam hanc, et intelligendo proficit: qui vero usque in finem perseverat bajulando crucem Domini, hic est qui scripturam istam perfecte cognoscit. Similiter scriptura interior tria hæc habet, cujus litera est, puritas fidei de verbo Dei: sensus est, affectus piæ devotionis: sententia, gaudium divinæ contemplationis. Hujus scripturæ lectio maxime perfectis convenit, quorum conversatio in cœlis est, qui contempta terrena consolatione amore cœlestium bonorum accenduntur. Et videmus quiddam mirabile circa hanc scripturam contingere, quoniam hic docet puer senem, insipiens prudentem, balbutiens disertum, magistrum discipulus, idiota literatum. Ecce aliquis vilis homuntio, pauper muliercula, carnem suam cilicio domant, vigiliis et jejuniis mortificantur tota die, panem, quem manu et arte quæritant, pauperibus distribuunt, et omnino non recedunt a vestigio Dominicæ passionis, cum econtrario nobiles et prudentes hujus seculi in luxu divitiarum, in voluptatum affluentia, et in desideriis hominum consumant dies suos, in tantum elongati a cruce Domini, ut illos soles qui-

veros reputent, qui Dominicæ passionis miseriam A fideliter imitantur.

Qui putas ex istis Scripturam, de qua locuti sumus, melius intelligunt? Æstimo quod illi qui melius afficiuntur, utpote qui melius affectu, quam intellectu comprehendunt. Sed jam utilius erit considerare, utrum aliquis librorum, quos legimus, ad exemplar libri vitæ scriptus sit: quoniam quod scripto commendatur, et frequentius quandoque inspicitur, et memoriæ melius commendatur. Nec incongruo omnes justorum conscientias, quæ virtutibus Christi bene institutæ sunt, libros dixerim, eo quod in illis imago quædam virtutum Domini Jesu repræsentetur, de quibus libris in Daniele dicitur: Sedit judicium et aperti sunt libri (*Dan.* VII). Et alibi: Audi Israel mandata Dei tui, et ea in corde tuo, B quasi in libro scribe. Et Propheta dicit: Lex Dei ejus in corde ipsius (*Psal.* XXXVI). Isti libri ad exemplar libri vitæ scripti sunt: quia de plenitudine ejus omnes accepimus, et quidquid boni, quidquid gratiæ in nobis aspicimus, totum ab ipso, tanquam rivulus a fonte, in nos usque derivatum est. Videat ergo unusquisque si liber conscientiæ ejus recte scriptus, bene virtutibus distinctus sit: ne falsarius ille qui mendax fuit ab initio, aliquam maculam criminis superduxerit scripturæ veritatis. Si enim odio vel livore torqueris, liber tuus mendosus est: si æstuas ambitione vel avaritia, liber tuus mendosus est: si quacunque immunditia corporis pollutus es, liber tuus mendosus est: imo quidquid in te inveneris C Christo contrarium, hoc in libro tuo reputa vitiosum. Tu ergo Christiane, diligenter inspice librum conscientiæ tuæ, et illum virtutibus Salvatoris tui inscribe: ut illum præsentem semper in corde teneas, cujus innocentiæ similitudinem per conscientiam mundam studes retinere. Nam quid prodest libros, quos in area reponimus, tam studiose ornare, tanto labore corrigere et librum conscientiæ, a qua vita procedit, relinquere incorrectum? Videmus multos in psalmis David preciosis coloribus citharœdum depingere, in prophetis senes quosdam canieie venerandos, et sparsim codices literis aureis facere preciosos, et librum conscientiæ adeo neglectum, adeo fœdum relinquere, quod lumine gratiæ suæ non dignetur illam inhabitare Spiritus D sanctus.

Sunt et alii, qui, abjecta vitali scientia Christi, toto studio seculari philosophiæ se tradiderunt, et ne quid desit officii, imposuerunt eam portandam in humeros hominum festino quodam comitatu eam prosequentes. Recole vehiculum illud philosophiæ, quod duobus pueris, qui sunt labor et amor, totidemque puellulis, quæ sunt vigilia, et cura, portandum commiserunt, hoc significantes, quod ad philosophiæ cognitionem non nisi per laborem et amorem, per vigiliam et curam potest perveniri. O labor infructuosus, o amor erroneus, o vigilia stulta, o cura superflua. Vere labor infructuosus est, qui nulla requie relevatur: amor erroneus, qui nullo igne spiritali accenditur: stulta vigilia, quam nulla sequitur utilitas: cura superflua, quam nulla comitatur securitas. Dic anima misera, quod in his omnibus solatium spiritus, quod boni adminiculum, quæ causa salutis? Nulla prorsus. Et propterea conscientiam tuam repara, librum vitæ intuere, ut quod in tuo minus invenis per illum docearis. Ibi siquidem verba quædam consolatoria, verba vitæ æternæ invenies, quæ te ad viam salutis reducant, a qua ambulando per latas hujus seculi vias deviasti.

Et cum in libro illo scripta sint lamentationes, carmen et væ, habet singulum istorum verba sua, quibus tibi loquitur, vel ad terrorem, vel ad correctionem, vel ad consolationem. Lamentationes igitur pertinent ad imitationem Dominicæ passionis: carmen, ad gloriam resurrectionis: væ, ad judicium extremæ ultionis. In lamentationibus invenies verba aspera, pertinentia ad labores pœnitentiæ, utpote: In sudore vultus tui vesci pane tuo (*Gen.* I). Effunde sicut aquam cor tuum coram Domino, planctu et gemitu te ipsum affligere, et in maceratione corporali corpus tuum redigere in servitutem, et cætera hujusmodi, quibus crucem Domini imitatur homo in hoc mortali corpore. In væ autem reperiuntur verba quædam terribilia, quæ sunt fletus et stridor dentium, acerbitas flammarum, tenebrarum densitas, crudelitas tortorum, et cætera tormentorum genera, quæ parata sunt diabolo et angelis ejus. Carmen vero loquitur verba consolatoria, verba jocunda, quæ sunt plena absolutio culpæ, restitutio gratiæ, evasio exilii, collatio regni, consortium Divinitatis, adeptio æternitatis. Si ergo adhuc peccator es, et in sepulchro mordacis conscientiæ cum Lazaro adhuc fœtidus jaces, lege verba illa terribilia, quæ ad væ pertinent: ut saltem terrore suppliciorum concussa, a sceleribus tuis resipiscas. Si vero super peccatis tuis contritione fructuosa compunctus es, respice ad verba aspera, quæ in lamentationibus reperies: ut per opera pœnitentiæ Deo, quem offendisti, satisfacias. Quod si bonis operibus jam justificatus es, intende verbis consolatoriis, quæ ad carmen pertinent, in præsenti vita proposita ad consolationem, in futura, ad plenam jocunditatem. Omnis ergo Christi imitator, cui adhærere Deo bonum est, sic in libro vitæ exerceatur, ut evitatis gehennæ suppliciis, per tribulationes multas, et angustam viam tendat ad vitam, in qua omnes sancti evacuato quod ex parte est, librum vitæ perfecte intelligentes, cognoscent Christum sicut ab eo cogniti sunt: ad cujus cognitionem nos perducat ipse Jesus Christus, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SERMO XXVI.

IN RESURRECTIONE DOMINI.

De torrente in via bibit, propterea exaltavit caput (*Psal.* CIX). Inter tot Christi triumphantis præcones laude impari, quasi voce quadam discordi, metuo dissimilis apparere: et dum Hosanna filio David digne cantare non valeo, ab his qui præcedunt in-

crepari potius ut taceam, quam ad confessionem laudis invitari. Veruntamen cæci illius informatus exemplo, vel verecundus, vel importunus sedebo et ego juxta viam et clamabo, et cœlesti turba Jesum re urgentem suscipiente cum gaudio sequar affectu, sequar desiderio, dicens: Fili David miserere mei. Neque enim aliter sequi possum, quousque torrens iste, de quo et Christus bibit, separat me ab illo, qui in tantum præceps, in tantum profundus est, ut qui volunt hinc transire ad Jesum non possunt, neque inde huc transmeare.

Est autem torrens iste, decursus hujus vitæ mortalis, qui decurrit a propagine conceptionis, in carcerem mortalitatis, et inde in miseriam nativitatis, unde rursum progreditur in angustias mortis. Ad ultimum vero terminantur, nisi subveniat misericordia supplicio æternæ damnationis. Periculosus est torrens iste plane, et ideo magis periculosus est, quoniam aquis quibusdam accessoriis excrescit in fluvium magnum. Unde et beatus Job hunc torrentem nomine fluvii appellat, cum de serpente illo antiquo loquitur dicens: Absorbebit fluvium, et non mirabitur: et spem habet, quod Jordanis fluat in os ejus (*Job* XL). Quasi diceret, non magnum, non mirum reputat hostis humani generis si fluvium, hoc est, humanam naturam, peccatis et criminibus irretitam absorbeat secum in partem suæ damnationis: sed etiam spem habet quod Jordanis, id est, populus in Christo renatus, influat in os ejus.

Ascendunt itaque, ut dixi, aquæ quædam insipidæ ad hunc torrentem, quæ intumescere faciunt fluctus ejus. Hinc aquæ palustres, quæ ipsum limosum et turbulentum faciunt: illinc aquæ marinæ, quæ illum faciunt amarum: inde aquæ nivium, quæ præ nimio frigore eumdem impotabilem reddunt. Sunt autem aquæ palustres, carnalia desideria, quæ hunc torrentem, id est, hujus vitæ decursum, limosum quodammodo et turbulentum faciunt: quia quotiens anima a contemplatione sui creatoris carnis delectatione repletur, totiens quasi limosis quibusdam aquis corporeæ paludis ingurgitatur. Aquæ vero marinæ, sunt curæ et occupationes hujus seculi, quibus anima vacans inquietudine quadam distracta, in se ipsa amarescit velut absinthium, dum amor hujus impellit, ut cupiat: labor, ut acquirat: timor anxiat, ne perdat: dolor si vel affectata non obtineat, vel acquisita derelinquat. Aquæ vero nivium sunt affectatæ malitiæ cordis humani, utpote invidiæ, sectæ, hæreses, odia, et fraternæ unitatis discordia: quæ ideo magis frigidæ cæteris dicuntur, quoniam amplius a fervore charitatis recedunt. Vides quod aquæ nivium desursum in terram descendunt, eamque diutius occupant, nisi caloris beneficio resolvantur. Spiritalia etenim vitia sursum, id est, in angelica natura, prius nata suggerente auctore ipsorum diabolo in terram, id est, in terrenos, et peccatores homines descendunt, eosque diutius detinent, nisi flante clementiore spiritu per contritionem cordis relaxentur. Ecce quam limosus, quam amarus, quam frigidus torrens iste est, et quis unquam bibit de illo? Christus utique, sed de torrente non de fluvio. Torrens enim respicit cursum naturæ, fluvius vero prævaricationem culpæ. Bibit, inquam, de torrente hoc Christus, dum infirma humanæ naturæ assumpsit, dum gustavit amaritudinem passionis: Bibit, inquam, et pertransiit, et invitat te ut sequaris ipsum.

Si ergo vis expeditus transire, ne forte demergat te tempestas hujus aquæ, vel absorbeat te profundum, fac tibi pontem de lignis levigatis, columnas in eo eriges, et utrinque impones illis latera, tabulata sternens desuper, et firmabis clavis, sicque consummabis eum. Sunt autem columnæ istæ, viri sancti, viri perfecti, quos in torrente hujus vitæ sursum erigere, id est ante mentis nostræ aciem statuere debemus: ut quicquid laboris, quicquid tentationis in hac vita nobis provenerit, æquanimiter tolerantes exemplo virtutis eorum in bono opere non deficiamus. Et recte columnis tales comparantur: Sicut enim columnæ non violentia ventorum, non alluvione imbrium, non procellarum impetu, a stabilitate sua moveri possunt: sic istos non tribulatio, non angustia, non periculum, non gladius, non demum calamitas aliqua separare potuit a charitate Christi. Istæ, ni fallor, sunt columnæ, quas Dei sapientia in domo, id est in massa humani generis, septem numero excidit: quia per septem mundi ætates nunquam defuerunt viri sancti, qui exemplo bonæ conversationis infirmiores quosque ad cœlestia desideria provocarent, de quibus columnis in Apocalypsi scriptum est: Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei (*Apoc.* III).

Istis columnis superponi debent latera, ut ab ipsis portentur, et tabulata desuper portent. Hæc sunt duo latera candelabri illius aurei, hoc est duo testamenta in Christo fundata, de quorum utroque tres calami egrediuntur, id est historiæ, tropologiæ, allegoriæ, trinus intellectus. Hæc sunt duo latera scalæ Jacob, quæ inferius terram tangere dicuntur, sursum vero cœlos (*Gen.* XXVIII). Eloquia enim Dei quasi inferius terram tangunt, quando per comminationem pœnæ terrenos homines in timorem concitant: cœlos vero tangere videntur, dum per repromissiones Dei justorum corda ad amorem cœlestium inflammant. Portant autem prædictæ columnæ hæc latera quasi sinistra parte, dum viri sancti testimonio Scripturarum ostendunt impiis quæ sit ira venientis judicis, tenebræ carceris, crudelitas tortoris, immanitas supplicii, diuturnitas æternæ illius damnationis. Quasi a dextera vero parte columnæ istæ hæc latera portant, dum secundum promissa Dei denunciant electis quæ sit vita illa interminabilis, beatorum societas, immensitas præmii, jocunditas regni, quod paratum est sanctis a constitutione mundi. Quibus columnis et lateribus sic ordinatis, tabulata debent poni desuper: quia bona opera, quæ per tabulata accipiuntur, præceptis divinis de-

bent inniti, ut ea studeat facere strenuitas militis, quæ voce præconaria mandari sibi noverit jussu imperatoris. Mandata siquidem Dei decreta quædam sunt summi regis, quæ præcones verbi Dei mundo huic intonuerunt, ut facientes ea vivant in eis, contemptores vero puniantur: quia quantumcunque recti speciem teneant opera, si formam evangelicæ doctrinæ non tenent, a summo judice reproba judicantur.

Sunt certe nonnulli singularis vitæ, qui jejuniis, vigiliis, orationibus extraordinariis multa sibi facere bona videntur, quæ tamen bona non sunt: quia occasione scandali contra divina præcepta inveniuntur: alius immoderatum habens zelum justitiæ, contra voluntatem Apostoli (*Rom.* XIV) judicat servum alienum, alius specie mansuetudinis zelum subvertit justitiæ et æquitatis. Quæ omnia mala sunt, licet bona videantur, quia contra divina præcepta inveniuntur. Hoc est quod in templo Salomonis mare æneum dicitur poni, in quo sacerdotes oblaturi hostias, manus suas lavabant. Ubi per mare æneum lex divina, per manus operationes accipiendæ sunt. Quicunque ergo sacrificium dignum Deo vult offerre, debet manus suas lavare in hoc mari æneo, id est operationes suas secundum præcepta divina dirigere: hoc mare alibi crystallo comparatur, ut in Apocalypsi: Et in conspectu sedis, inquit, erat tanquam mare vitreum simile crystallo. Sicut enim crystallus lapis clarissimus, objectu solis scintillulas ignis ex se emittit, sic lex divina opere adimpleta, exemplo bonorum operum in cordibus fidelium ignem charitatis accendit.

Sunt etiam et clavi necessarii, ut firmiter cohæreat machina totius operis, qui sunt quatuor virtutes principales: justitia, fortitudo, prudentia, temperantia, in quibus vita bonorum operum consistit, ut in his quæ bene agenda sunt, justitia præbeat rectum judicium: fortitudo, auxilium: prudentia, consilium: temperantia, solatium. Ponte igitur hoc sic consummato, torrentis hujus patet transitus: nec est jam cur desperet pusillanimis, cur desistat debilis, cur deviat ignarus, cur paveat formidolosus cur non incipiat parvulus, cur non perveniat adultus. Christus enim dux viæ factus est fortis, ut custodiat: sapiens, ut dirigat: potens, ut perducat.

Si ergo vis hunc torrentem pertransire, si Christum cupis imitari, per hujus pontis medium iter tuum dirige; et si vis cavere præcipitium, non declines ad dexteram vel ad sinistram. Sunt enim aliqui, qui per hunc pontem e transverso gradiuntur, et ideo corruunt: alii per ipsum oblique gradiuntur, et deficiunt: alii directe, et pertranseunt. Qui e transverso super hunc pontem gradiuntur, sunt illi qui per lamenta confessionis et pœnitentiæ vias suas mala deserentes, iter bonæ vitæ quod ad Christum ducit, arripiunt: sed in ipsis principiis ad vitia, quæ reliquerant, revertentes, modo luxuria dissoluti, modo superbia elati, modo ambitionibus cæte-

A risque vitiorum tumultibus distracti, quasi e transverso gradientes in præcipitium ruunt, de quibus in psalmo scriptum est: Verumtamen propter dolos posuisti eis, dejecisti eos dum allevarentur (*Psal.* LXXII). Propter dolos, inquit, hoc est, quod dolosi sunt et in veritate non persistunt, posuisti eis delectationes istas temporales, ut in ipsis fallantur: dejecisti eos in ipsis suis delectationibus, dum alleviarentur, id est dum sibi alleviati viderentur. Qui vero oblique per hunc pontem incedunt sunt hi, qui multa devotione bona opera incipiunt, et assiduitate bonæ conversationis Deo serviunt: nec recedentes a templo ejus die ac nocte, sed tempore tentationis imminente, dum vultus incipit pallere vigiliis, corpus jejuniis marcessere, dum hinc asina B gemit sub onere, illinc quandoque pungit vexatio alienæ maliciæ, retardari incipiunt, et in tentatione, ubi fortes esse debuerant, ibi a bono opere desistunt, de quibus scriptum est: Filii Ephrem intendentes et mittentes arcum, conversi sunt in die belli (*Psal.* LXXVII). Filii Ephrem, id est fructificationis, qui fructum facere debuerant, intendentes et mittentes arcum, hoc est, pugnam fortiter aggredientes, conversi sunt retrorsum in die belli, hoc est, in tempore tentationis. Qui vero directe per ipsum gradiuntur sunt hi, qui in terra hujus mortalis vitæ adhuc positi torrente interposito terram viventium voto et desiderio respiciunt: et exemplis sanctorum accensi, mandatis divinis eruditi, virtutes et opera, quæ mente conceperunt, student C bene vivendo adimplere, bibentes cum Christo de torrente passionis, ut cum ipso inebrientur gaudio futuræ resurrectionis. In hoc enim Christus de torrente in via bibit, in hoc exaltavit caput, ut hi qui per hujus seculi agones, per amaritudines passionum in præsenti vita humiliantur, in jocunditate futuræ gloriæ cum ipso capite suo exaltentur. Est autem caput istud Christus, de quo dicit Apostolus, quod constituit eum caput Ecclesiæ, quæ corpus ipsius est (*Ephes.* V). Caput Ecclesiæ autoritate creationis, caput Ecclesiæ plenitudine gratiæ et veritatis, caput Ecclesiæ principio Christianæ religionis. Hoc caput quatuor modis a nobis exaltatur: primo, immensitate suæ majestatis; secundo, velamine no- D stræ infirmitatis; tertio, cruce voluntariæ passionis; quarto, per gloriam hodiernæ resurrectionis. Immensitate suæ majestatis a nobis exaltatur, quoniam in sui natura immensus et infinitus omnem creaturam excellit, unde Job: Excelsior est cœlo, et quid faciam? profundior inferno, et unde cognoscam? Longior est terra mensura ejus, et latitudo mari (*Job* XI). Velamine nostræ infirmitatis a nobis exaltatur, quoniam anima humana nube corporeæ infirmitatis a nobis obscurata, non nisi per speculum et in enigmate ipsum contemplari prævalet, unde David: Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus (*Psal.* LIII). Hoc est quod sponsa sponsum in Canticis per fenestras et cancellos, quasi stantem retro parietem, intuetur

(*Cant.* II). Per fenestras quippe et cancellos, hoc est, ex parte cum respicit, quem pariete sive muro suæ infirmitatis interposito ad plenum non comprehendit. Hoc etiam est, quod transeunte Domino Helias pallio suo vultum operuit. Iste transitus aspiratio quædam divinæ gratiæ, qua anima ad horam visitatur, accipiendus est. In quo transitu Helias, id est vir quilibet contemplativus, pallio vultum suum cooperit (*III Reg.* XIX), quando velamine humanæ infirmitatis interposito, cognitionem, quæ per vultum accipitur, ad Deum plenarie non extendit.

De exaltatione voluntariæ passionis in Evangelio scriptum est : Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum (*Joan.* XII). Et de hac exaltatione sponsus in Canticis dicit : Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus (*Cant.* VII). De exaltatione vero hodiernæ resurrectionis præsens solemnitas multa profert testimonia, quæ non solum scientia, sed etiam firmiter tenent hi, qui a vana sua conversatione abstracti, justitia et sanctitate Christum induerunt : et in mortali corpore adhuc positi, profectu virtutum et bonorum operum cum ipso capite suo spiritali quadam resurrectione exaltantur. Si enim solum caput exaltatur, ubi pedes et manus? ubi cætera Ecclesiæ membra, quæ capiti suo desiderant copulari?

Exaltantur igitur et electi quatuor modis : primo, cum per contemptum mundi a terrenis affectibus abstrahuntur : secundo, dum ad invisibilia Dei per fidem et cognitionem eriguntur : tertio, dum ad Deum quem super omnia diligunt, affectu devotionis sublevantur : quarto exaltabuntur, cum utriusque stolæ, corporis videlicet et animæ jocunditate cum capite suo fruentur. Istæ sunt exaltationes, quas sanctus ille vir in psalmo nobis significavit, dicens : Beatus vir, cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum, in loco quem posuit (*Psal.* LXXXIII). Istæ etenim exaltationes sunt gradus quidam, quibus a vita ista mortali ad Deum ascenditur, dum a contemptu mundi transitur ad Dei cognitionem, a cognitione ad amorem, ab amore ad fruitionem. Tres primæ exaltationes habentur in valle ista lachrymarum, in loco videlicet hujus nostræ peregrinationis. Quarta vero reservatur in loco illo quem posuit, id est, in loco quem ad fruendum Deo sanctis suis præparavit, in quo modo regnat Christus cum angelis, et in futuro regnabit cum omnibus sanctis, cujus regni cohæredes nos faciat ipse Jesus Christus, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SERMO XXVII.

IN GENERALI CAPITULO.

Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso (*Psal.* LXVII). Quando per rerum similitudines de Christo loqui volumus, convenientius id facimus per infirmas creaturas, quam per eas quæ sunt excellentioris dignitatis : quoniam in his hoc est abjectioribus

A creaturis, comparatio similior quandoque invenitur. Quamvis ergo Christum solem appellem, (Quia sicut sol mundum, ita ipse illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum) aptius secundum aliquid cum Propheta illum vermem appellabo, qui ex persona ipsius dicit : Ego sum vermis, et non homo (*Psal.* XXI) : quia sicut vermis de terra sine patre nascitur, ita Christus de beata Virgine sine virili operatione progenitus est. Eodem modo et causa simili, rectores ecclesiarum convenientius plerunque per indigniores creaturas figurantur. Licet enim eos boves recte appellare possimus, quia prædicando, operando, ministerium implendo, terram Domini, hoc est, corda fidelium fortiter excolant, expressius tamen illos canes appellabo : quia

B canum ad illos major similitudo invenitur. Unde ipse Dominus in Evangelio canes eos appellat, ubi de Lazaro dicit : Sed canes veniebant, et lingebant ulcera ejus (*Luc.* XVI). Et Propheta : *Lingua*, inquit, *canum tuorum ex inimicis ab ipso*. Quod est dicere, ex inimicis tuis fiant canes tui, et hoc a te ipso et non ab alio. Tobiam quoque euntem in Rages, civitatem Medorum, canis prosequitur (*Tob.* VI) : quia Christum in hunc mundum venientem, doctorum multitudo comitatur. Et videte similitudinem animalis. Canis enim animal blanditiis domesticum, latratu extraneum, morsu lupum insequitur, lingua sanat, et cura diligenti noctis excubias observat. Ut autem ista omnia prælatis et subditis assignemus, sicuti per canes ecclesiarum rectores, ita

C per domesticos boni ordinis observatores, per extraneos infirmi ordinis transgressores, per lupos contumaces ordinis invasores intelliguntur. Lingua canis, medicina pœnitentialis : cura excubiarum, solicitudo pastoralis est. Usualiter domesticum solemus appellare eum, qui per affectum præcordialem, habitationem communem, vitam socialem conjunctus est. Sic et in Ecclesia domesticum recte vocamus illum, qui charitate omnibus est devotus, in congregatione assiduus, bona operatione quasi vita sociali omnibus acceptus. Talis ergo domesticus canum, hoc est, prælatorum blanditiis foveri debet, videlicet dulci affectu animi, impensa corporalis beneficii, exhibitione spiritalis solatii. Non enim

D debent prælati sanctos viros opprimere terrore potestatis, sed potius amicos et socios se illis exhibere. Quia sicut lex non est justo posita (*I Tim.* I), ita nec potestas, quæ magis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum ordinata est. Unde beatus Gregorius dicit, quod conditione naturæ omnes homines æquales sunt, sed quia statu meritorum sunt dispares, necesse est quod ad vitia comprimenda alii ab aliis regantur. Antiqui etiam patres nostri non reges gentium, sed pastores ovium dicti sunt. Noe etiam et filiis ejus a Domino dicitur : Sit terror et tremor vester super cuncta animantia et bestias terræ (*Gen.* IX). Non dicit super homines, ut ex hoc detur intelligi, quia non sancti viri et justi, sed potius bestiales et criminosi terrore potestatis pre-

mendi sunt. Inter ipsos tamen sanctos viros quidam sunt parvuli, quidam adulti, quidam provecti. Parvuli vocantur simplices illi, qui multam habent sanctitatem, et modicam discretionem : adulti, qui sanctitatem habent pariter et discretionem : provecti vero, qui cum his diuturnam habent bonorum operum exercitationem. Qui multam habent sanctitatem et parvam discretionem, dilectione quidem et beneficiis fovendi sunt, sed in his quæ minus discrete dicunt vel faciunt cum severitate quadam sunt reprimendi, ut ex tali repulsa vel correptione prudentiores et magis discreti fiant : Sicut magister scholarium parvulum innocentem postulantem ne vapulet, non exaudit, sed potius flagellat eum et corrigit, ut asperitate verborum et verberum ad meliora postmodum enutriatur. Qui vero sanctitatem habent cum multa discretione, illos esse arbitror, qui de profunda sæculi conversatione ad vitam claustralem venerunt, in qua seculari conversatione seculi prudentiam, et astutiam rerum gerendarum didicerunt. Sed postquam vocati sunt a Domino et justificati relicta seculi vanitate, prudentiam seculi retinuerunt, de quibus dictum est a Domino : Quoniam filii hujus seculi prudentiores sunt filiis lucis in generationibus suis (*Luc.* XVI). Et isti non solum diligendi, sed etiam magis familiares cæteris haberi debent eo quod Ecclesiæ magis utiles sunt. Qui autem longa exercitatione bonorum operum sunt provecti, ipsi sunt specularia quædam sanctæ Ecclesiæ, in quæ lumine divinæ gratiæ excellentius coruscante, alii se mirari debent et respicere : ut ex tali speculorum intuitu corrigant in se quod vitiosum, et reservent quod virtuosum est. Et isti honore et reverentia magis digni sunt. Extranei autem sunt illi, quos neque unio charitatis, neque unitas communionis, neque uniformitas actionis nobis conjungit. Extraneum ab unione charitatis faciunt odia, invidiæ, iræ, rixæ, dissensiones, et scissuræ mentium, in quibus non habitat Deus : Extraneum ab unitate communionis faciunt lautiora cibaria, stramenta molliora, vestes inordinatæ, tonsuræ irregulares, quorum contraria ad communionem pertinent : Extraneum ab uniformitate actionis faciunt singularia jejunia, intempestivæ vigiliæ, insolitæ orationes, et cætera hujusmodi, quæ in libertate Spiritus juste videntur posse fieri. Tales ergo latratu canum, hoc est, duris prælatorum increpationibus corripiendi sunt, primi propter peccatum, quia scindunt regnum charitatis : secundi propter periculum, ne illorum exemplo cæteri trahantur : tertii corripiendi sunt propter scandalum, quia væ homini per quem scandalum venit (*Matth.* XVIII). Oritur tamen scandalum quandoque de malis, quandoque de necessariis, quandoque de indifferentibus. Si de malo scandalum oritur, statim malum resecandum est : si de necessariis, hoc est, de his quæ ad vitam æternam sunt necessaria, scandalum oritur, ibi melius admittitur scandalum, quam veritas relinquatur. Sed si de indifferentibus, id est de his, quæ licite fieri vel omitti possunt, scanda-

A lum oriatur, distinguendum est. Si enim de talibus oriatur scandalum universitati, vel magnæ parti universitatis, tunc ab hujusmodi etiam bonis cessandum est. Quod si pro nobis indifferentibus, quæ facio uni alicui, oriatur materia scandali, non propter hoc cessabo satisfacere propriæ devotioni.

Corripiendi sunt ergo tales extranei, diversis tamen modis secundum diversitatem delinquentium. Sunt enim alii qui peccantes, qui timore Dei postposito, peccatum non metuunt : sunt alii, qui concupiscentiis illecti, nimis ardenter peccare diligunt : sunt alii, qui ita peccant, quod peccata sua non intelligunt. Illum, qui timore Dei postposito peccare non metuit, tu qui solus etiam peccatum illius nosti, corripe : non tamen per te, imo per alium, ut si B privatus es, intimes illud prælato Ecclesiæ, ut ab eo correptus coerceatur timore potestatis. Illum, qui peccare nimis, ardenter diligit, tu qui solus nosti peccatum illius, intimare potes alicui sancto viro, ut ab eo correptus trahatur in odium peccati exemplo sanctitatis. Illum, qui peccatum suum non intelligit, etiam si solus nosti peccatum illius, per virum aliquem sapientem et literatum corripere potes, ut ab eo correptus et instructus veniat ad cognitionem delicti sui.

Lupi vero morsu canum insequendi sunt. Lupi sunt contumaces, justitiæ invasores, qui non tracti infirmitate præcepta Dei transgrediuntur : sed potius per rebellionem et contumaciam, quasi hostes ea C diripiunt, parum æstimantes se ipsos a justitia cadere, nisi statum justitiæ videant secum pariter corruisse. Qui lupis propter duo comparandi sunt : lupus enim non solum lacerando laniat, sed etiam hominem, quem prius aspexerit, visu venenato raucum facit, ita quod non nisi voce obscura et imperfecta loqui possit. Similiter contumaces, justitiæ invasores, non solum vivendo corpus Ecclesiæ laniant, sed etiam malis colloquiis semine discordiarum, jaculis detractionum, cæteros adeo elingues reddunt, ut in causa Dei pro libertate justitiæ loqui non possint. Tales ergo lupi morsu canum, id est severitate disciplinæ ecclesiasticæ appetendi sunt, ut modo per excommunicationem, modo per suspen- D sionem, aliquando disciplina corporali, aliquando tædio silentii, quasi dentibus quibusdam fracti et comminuti correptiores in corpus Ecclesiæ trajiciantur. Sic enim cera durior ad ignem liquefacta, in quamlibet imaginem facile vertitur, sic rubigo de ferro excutitur, sic vasa Domini inter malleum et incudem fabricantur, sic byssus attritione multa in candorem vertitur : et vinea quæ longo astricta gelu gemmas emittere non potuit, adveniente calore postmodum fructum facit uberrimum : et peccator qui longo peccatorum gelu induratus est, accedente æstu tribulationis, et cum illo calore gratiæ, postea emendatior efficitur. Lingua canis medicina pœnitentialis est, qua sanantur illi, qui post graves lapsus peccatorum et criminum fortiores resurgunt. Dum

enim a prælatis ecclesiarum fructuosæ pœnitentiæ visitantur consiliis, quasi linguatu canis pristinæ restituuntur sanitati. Ad hanc sanitatem consequendam duo præcipue necessaria sunt, vera scilicet humiliatio delinquentis, et pia compassio pastoris : ut dum is qui deliquit, planctu et gemitu, confessione et lachrymis se ostendit correctum, bonus prælatus sic humiliatum et compunctum pia compassione benigne suscipiat, et consolatione paterna mulceat justificatum, quem prius amiserat criminosum. Sic bonus ille pastor ovem perditam reportavit in humeris suis gaudens, sic pater filio suo prodigo ad se revertenti occidit vitulum saginatum (*Luc.* xv), sic Petrum lachrymantem Dominus misericorditer respexit, et Mariæ Magdalenæ dimissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multum (*Luc.* vii). Et si per B similitudinem rerum loquimur, bonus agricola terram, quæ spinis extirpatis copiosum fructum portat, magis diligit, quam illam, quæ nunquam spinas habuit, et nunquam uberem fructum fecit. Solet etiam dici, quoniam corvi pullos suos dum vident eos nigrescere, et sui similes effici, diligenti solicitudine provident illis et pascunt eos, sed quam diu vident eos albescere et recedere a forma paterni coloris, in providendo illis alimoniam non sunt soliciti. Eodem modo prælatus Ecclesiæ dum videt subditum suum contritionem et operibus pœnitentiæ nigrescere, et confundi in peccatis suis, debet illum consolatione spiritali, et consilio salubri pascere, et in melius enutrire. Si vero criminosum subditum prælatus C videat albescere, hoc est, seipsum justificare, aliis se anteferre, et tanquam re bene gesta cæteros judicare, hunc non blanditiis, sed potius flagellis et scorpionibus cædi justum est. Quia cum laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur, exacerbat Dominum peccator.

Super hæc omnia solicitudo pastoralis necessaria est. Ut autem de hac solicitudine pastorum colligamus aliqua ex rerum similium collatione operæ pretium est : Bonus bubulcus, qui terram suam bene vult colere, diligenter aratrum suum sequitur, minat boves ut perficiat opus diei : ne forte torpens somno vel otio non recipiat fructum laboris sui, provida solicitudine boves aliquando cantu recreat, aliquando pungit aculeo, aliquando pabulo reficit, D ut his omnibus adjuti, terram bene excolant reddituram fructum suum in tempore opportuno. Eodem modo bonus pastor sive prælatus gregi suo cura pastorali debet assistere, ut forma gregis sui per exemplum bonæ conversationis efficiatur. Sic cum fratribus in claustro ad lectionem, in oratorio ad orationem, in refectorio ad cibos communes, in dormitorio ad duriciam lectuli, in capitulo ad correctionem culparum, et ea quæ ipse jubet alios facere, opere primus adimplere : habeat in ore suo cantum, id est promissionem futuræ beatitudinis, societatis angelicæ, ut ex tali promissione illi qui juste et sancte vivunt, in laboribus suis recreentur. Teneat etiam aculeum hoc est comminationem æterni supplicii A ignis inextinguibilis, ut male conversantes timore supplicii a sceleribus suis coerceantur.

Debent etiam pabulo reficere, id est doctrina sana et spiritali exhortatione confortare pusillanimes, qui minus ferventes in divinis obsequiis inveniuntur, ut sic in prælato Ecclesiæ facta et dicta, vita et doctrina conveniant : ne si forte dicat et non faciat, audiat illud verbum Domini contra se directum : Super cathedram Moysi sederunt scribæ et pharisæi, quæ dicunt facite, opera autem illorum nolite facere (*Matth.* xxi). Dic quæso quid mihi proderit si tu bibas aquam puram, mihi vero porrigas illam turbidam, et pedibus conturbatam? Hoc non est me reficere, sed magis potum mortis propinare. Cum ipsi, inquit propheta, aquam lympidissimam biberetis, reliquam turbabatis pedibus vestris, et oves meæ quæ conculcata erant, vescebantur, et quæ pedes vestri turbaverant, hoc bibebant (*Ezech.* xxxiv). Pastores siquidem aquam lympidissimam bibere est, rectores ecclesiarum præcepta Dei, viam veritatis mente retinere. Eandem vero aquam pedibus conturbare est, ipsos Ecclesiæ rectores quæ recta dicunt vel sapiunt malis operibus confundere. Oves vero aquam pedibus conturbatam bibunt, quando subditi non ex his quæ prælati recte sapiunt, sed ex his quæ male faciunt, formam vivendi accipiunt. Sunt ergo in vestimento Aaron malogranata inserta tintinnabulis, id est virtutum et bonorum operum adunatio cum sono prædicationis, ne forte alios volens instruere, seipsum judicare videatur.

Vis ergo scire qualis doctrina prælati esse debet? Necesse est ut cum usuali moneta habeat aliquid commune. Moneta usualis tria habere debet, materiam, pondus, et formam : Ut sit materia probata, pondus æquale, forma autentica. Similiter doctrina pastoris hæc tria debet habere, ut sit probata, id est, justa ut non doceat nisi ea quæ justa et bona sunt : ut sit etiam ponderosa, id est, ut ipse cum pondere doctrinam proponat, hoc est, ut studeat ea facere quæ verbis vult dogmatizare. Similiter necesse est, ut doctrina prælati sit autentica, id est, autoritati sanctorum Patrum in nullo contraria, sed ea doceat quæ autoritas sanctorum protulit, vel quæ Christi veridica sententia promulgavit. Propter quod in rationali, quod pontifex legalis gestabat in pectore, duodecim nomina filiorum Israel inscripta erant, cum his duobus nominibus doctrina et veritas, ut eo ipso significaretur doctrinam prælati sanctorum Patrum vestigiis debere inniti. Sic ergo rectores ecclesiarum exemplo bonæ operationis subditos trahere et sana eruditione informare debent, ut bene vivendo et recta docendo sibi ipsis præmium, subditis vero provectum acquirant, et pro bona administratione temporalis officii in die retributionis una cum subditis mereantur intrare in gaudium Domini sui, præstante Domino nostro Jesu Christo, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

mendi sunt. Inter ipsos tamen sanctos viros quidam sunt parvuli, quidam adulti, quidam provecti. Parvuli vocantur simplices illi, qui multam habent sanctitatem, et modicam discretionem : adulti, qui sanctitatem habent pariter et discretionem : provecti vero, qui cum his diuturnam habent bonorum operum exercitationem. Qui multam habent sanctitatem et parvam discretionem, dilectione quidem et beneficiis fovendi sunt, sed in his quæ minus discrete dicunt vel faciunt cum severitate quadam sunt reprimendi, ut ex tali repulsa vel correptione prudentiores et magis discreti fiant : Sicut magister scholarium parvulum innocentem postulantem ne vapulet, non exaudit, sed potius flagellat eum et corrigit, ut asperitate verborum et verberum ad meliora postmodum enutriatur. Qui vero sanctitatem habent cum multa discretione, illos esse arbitror, qui de profunda sæculi conversatione ad vitam claustralem venerunt, in qua seculari conversatione seculi prudentiam, et astutiam rerum gerendarum didicerunt. Sed postquam vocati sunt a Domino et justificati relicta seculi vanitate, prudentiam seculi retinuerunt, de quibus dictum est a Domino : Quoniam filii hujus seculi prudentiores sunt filiis lucis in generationibus suis (*Luc.* XVI). Et isti non solum diligendi, sed etiam magis familiares cæteris haberi debent eo quod Ecclesiæ magis utiles sunt. Qui autem longa exercitatione bonorum operum sunt provecti, ipsi sunt specularia quædam sanctæ Ecclesiæ, in quæ lumine divinæ gratiæ excellentius coruscante, alii se mirari debent et respicere : ut ex tali speculorum intuitu corrigant in se quod vitiosum, et reservent quod virtuosum est. Et isti honore et reverentia magis digni sunt. Extranei autem sunt illi, quos neque unio charitatis, neque unitas communionis, neque uniformitas actionis nobis conjungit. Extraneum ab unione charitatis faciunt odia, invidiæ, iræ, rixæ, dissensiones, et scissuræ mentium, in quibus non habitat Deus : Extraneum ab unitate communionis faciunt lautiora cibaria, stramenta molliora, vestes inordinatæ, tonsuræ irregulares, quorum contraria ad communionem pertinent : Extraneum ab uniformitate actionis faciunt singularia jejunia, intempestivæ vigiliæ, insolitæ orationes, et cætera hujusmodi, quæ in libertate Spiritus juste videntur posse fieri. Tales ergo latratu canum, hoc est, duris prælatorum increpationibus corripiendi sunt, primi propter peccatum, quia scindunt regnum charitatis : secundi propter periculum, ne illorum exemplo cæteri trahantur : tertii corripiendi sunt propter scandalum, quia væ homini per quem scandalum venit (*Matth.* XVIII). Oritur tamen scandalum quandoque de malis, quandoque de necessariis, quandoque de indifferentibus. Si de malo scandalum oritur, statim malum resecandum est : si de necessariis, hoc est, de his quæ ad vitam æternam sunt necessaria, scandalum oritur, ibi melius admittitur scandalum, quam veritas relinquatur. Sed si de indifferentibus, id est de his, quæ licite fieri vel omitti possunt, scanda-

A lum oriatur, distinguendum est. Si enim de talibus oriatur scandalum universitati, vel magnæ parti universitatis, tunc ab hujusmodi etiam bonis cessandum est. Quod si pro nobis indifferentibus, quæ facio uni alicui, oriatur materia scandali, non propter hoc cessabo satisfacere propriæ devotioni.

Corripiendi sunt ergo tales extranei, diversis tamen modis secundum diversitatem delinquentium. Sunt enim alii qui peccantes, qui timore Dei postposito, peccatum non metuunt : sunt alii, qui concupiscentiis illecti, nimis ardenter peccare diligunt : sunt alii, qui ita peccant, quod peccata sua non intelligunt. Illum, qui timore Dei postposito peccare non metuit, tu qui solus etiam peccatum illius nosti, corripe : non tamen per te, imo per alium, ut si
B privatus es, intimes illud prælato Ecclesiæ, ut ab eo correptus coerceatur timore potestatis. Illum, qui peccare nimis, ardenter diligit, tu qui solus nosti peccatum illius, intimare potes alicui sancto viro, ut ab eo correptus trahatur in odium peccati exemplo sanctitatis. Illum, qui peccatum suum non intelligit, etiam si solus nosti peccatum illius, per virum aliquem sapientem et literatum corripere potes, ut ab eo correptus et instructus veniat ad cognitionem delicti sui.

Lupi vero morsu canum insequendi sunt. Lupi sunt contumaces, justitiæ invasores, qui non tracti infirmitate præcepta Dei transgrediuntur : sed potius per rebellionem et contumaciam, quasi hostes ea
C diripiunt, parum æstimantes se ipsos a justitia cadere, nisi statum justitiæ videant secum pariter corruisse. Qui lupis propter duo comparandi sunt : lupus enim non solum lacerando laniat, sed etiam hominem, quem prius aspexerit, visu venenato raucum facit, ita quod non nisi voce obscura et imperfecta loqui possit. Similiter contumaces, justitiæ invasores, non solum vivendo corpus Ecclesiæ laniant, sed etiam malis colloquiis semine discordiarum, jaculis detractionum, cæteros adeo elingues reddunt, ut in causa Dei pro libertate justitiæ loqui non possint. Tales ergo lupi morsu canum, id est severitate disciplinæ ecclesiasticæ appetendi sunt, ut modo per excommunicationem, modo per suspensionem, aliquando disciplina corporali, aliquando
D tædio silentii, quasi dentibus quibusdam fracti et comminuti correptiores in corpus Ecclesiæ trajiciantur. Sic enim cera durior ad ignem liquefacta, in quamlibet imaginem facile vertitur, sic rubigo de ferro excutitur, sic vasa Domini inter malleum et incudem fabricantur, sic byssus attritione multa in candorem vertitur : et vinea quæ longo astricta gelu gemmas emittere non potuit, adveniente calore postmodum fructum facit uberrimum : et peccator qui longo peccatorum gelu induratus est, accedente æstu tribulationis, et cum illo calore gratiæ, postea emendatior efficitur. Lingua canis medicina pœnitentialis est, qua sanantur illi, qui post gra[illegible]
pe[illegible] fortiores [illegible]

enim a prælatis ecclesiarum fructuosæ pœnitentiæ visitantur consiliis, quasi linguatu canis pristinæ restituuntur sanitati. Ad hanc sanitatem consequendam duo præcipue necessaria sunt, vera scilicet humiliatio delinquentis, et pia compassio pastoris : ut dum is qui deliquit, planctu et gemitu, confessione et lachrymis se ostendit correctum, bonus prælatus sic humiliatum et compunctum pia compassione benigne suscipiat, et consolatione paterna mulceat justificatum, quem prius amiserat criminosum. Sic bonus ille pastor ovem perditam reportavit in humeris suis gaudens, sic pater filio suo prodigo ad se revertenti occidit vitulum saginatum (*Luc.* xv), sic Petrum lachrymantem Dominus misericorditer respexit, et Mariæ Magdalenæ dimissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multum (*Luc.* vii). Et si per B similitudinem rerum loquimur, bonus agricola terram, quæ spinis extirpatis copiosum fructum portat, magis diligit, quam illam, quæ nunquam spinas habuit, et nunquam uberem fructum fecit. Solet etiam dici, quoniam corvi pullos suos dum vident eos nigrescere, et sui similes effici, diligenti solicitudine provident illis et pascunt eos, sed quam diu vident eos albescere et recedere a forma paterni coloris, in providendo illis alimoniam non sunt soliciti. Eodem modo prælatus Ecclesiæ dum videt subditum suum contritionem et operibus pœnitentiæ nigrescere, et confundi in peccatis suis, debet illum consolatione spiritali, et consilio salubri pascere, et in melius enutrire. Si vero criminosum subditum prælatus C videat albescere, hoc est, seipsum justificare, aliis se anteferre, et tanquam re bene gesta cæteros judicare, hunc non blanditiis, sed potius flagellis et scorpionibus cædi justum est. Quia cum laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur, exacerbat Dominum peccator.

Super hæc omnia solicitudo pastoralis necessaria est. Ut autem de hac solicitudine pastorum colligamus aliqua ex rerum similium collatione operæ pretium est : Bonus bubulcus, qui terram suam bene vult colere, diligenter aratrum suum sequitur, minat boves ut perficiat opus diei : ne forte torpens somno vel otio non recipiat fructum laboris sui, provida solicitudine boves aliquando cantu recreat, aliquando pungit aculeo, aliquando pabulo reficit, D ut his omnibus adjuti, terram bene excolant reddituram fructum suum in tempore opportuno. Eodem modo bonus pastor sive prælatus gregi suo cura pastorali debet assistere, ut forma gregis sui per exemplum bonæ conversationis efficiatur. Sic cum fratribus in claustro ad lectionem, in oratorio ad orationem, in refectorio ad cibos communes, in dormitorio ad duriciam lectuli, in capitulo ad correctionem culparum, et ea quæ ipse jubet alios facere, opere primus adimplere : habeat in ore suo cantum, id est promissionem futuræ beatitudinis, societatis angelicæ, ut ex tali promissione illi qui juste et sancte vivunt, in laboribus suis recreentur. Teneat etiam aculeum hoc est comminationem æterni supplicii A ignis inextinguibilis, ut male conversantes timore supplicii a sceleribus suis coerceantur.

Debent etiam pabulo reficere, id est doctrina sana et spiritali exhortatione confortare pusillanimes, qui minus ferventes in divinis obsequiis inveniuntur, ut sic in prælato Ecclesiæ facta et dicta, vita et doctrina conveniant : ne si forte dicat et non faciat, audiat illud verbum Domini contra se directum : Super cathedram Moysi sederunt scribæ et pharisæi, quæ dicunt facite, opera autem illorum nolite facere (*Matth.* xxi). Dic quæso quid mihi proderit si tu bibas aquam puram, mihi vero porrigas illam turbidam, et pedibus conturbatam? Hoc non est me reficere, sed magis potum mortis propinare. Cum ipsi, inquit propheta, aquam lympidissimam biberetis, reliquam turbabatis pedibus vestris, et oves meæ quæ conculcata erant, vescebantur, et quæ pedes vestri turbaverant, hoc bibebant (*Ezech.* xxxiv). Pastores siquidem aquam lympidissimam bibere est, rectores ecclesiarum præcepta Dei, viam veritatis mente retinere. Eandem vero aquam pedibus conturbare est, ipsos Ecclesiæ rectores quæ recta dicunt vel sapiunt malis operibus confundere. Oves vero aquam pedibus conturbatam bibunt, quando subditi non ex his quæ prælati recte sapiunt, sed ex his quæ male faciunt, formam vivendi accipiunt. Sunt ergo in vestimento Aaron malogranata inserta tintinnabulis, id est virtutum et bonorum operum adunatio cum sono prædicationis, ne forte alios volens instruere, seipsum judicare videatur.

Vis ergo scire qualis doctrina prælati esse debet? Necesse est ut cum usuali moneta habeat aliquid commune. Moneta usualis tria habere debet, materiam, pondus, et formam : Ut sit materia probata, pondus æquale, forma autentica. Similiter doctrina pastoris hæc tria debet habere, ut sit probata, id est, justa ut non doceat nisi ea quæ justa et bona sunt : ut sit etiam ponderosa, id est, ut ipse cum pondere doctrinam proponat, hoc est, ut studeat ea facere quæ verbis vult dogmatizare. Similiter necesse est, ut doctrina prælati sit autentica, id est, autoritati sanctorum Patrum in nullo contraria, sed ea doceat quæ autoritas sanctorum protulit, vel quæ Christi veridica sententia promulgavit. Propter quod in rationali, quod pontifex legalis gestabat in pectore, duodecim nomina filiorum Israel inscripta erant, cum his duobus nominibus doctrina et veritas, ut eo ipso significaretur doctrinam prælati sanctorum Patrum vestigiis debere inniti. Sic ergo rectores ecclesiarum exemplo bonæ operationis subditos trahere et sana eruditione informare debent, ut bene vivendo et recta docendo sibi ipsis præmium, subditis vero provectum acquirant, et pro bona administratione temporalis officii in die retributionis una cum subditis mereantur intrare in gaudium Domini sui, præstante Domino nostro Jesu Christo, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SERMO XXVIII.

IN GENERALI CAPITULO.

Facies vectes de lignis setim, quos operies auro purissimo, inducesque eos per anulos aureos, qui sunt in lateribus arcæ ut portetur in eis (*Exod.* XXV). Quæ in lege Moysi historialiter scripta sunt et mandata, nos qui filii gratiæ sumus, spiritaliter debemus opere adimplere : ut facientes mandata Dei non secundum literam occidentem, sed secundum spiritum vivificantem ambulemus. Quid enim utilitatis confert nobis de arca fœderis, de vectibus quibus portatur, de anulis aureis, quibus vectes inserti sunt, de lateribus arcæ quibus adhærent anuli aurei, historialem habere noticiam, nisi et spiritaliter intelligantur. Per vectes igitur prælatos, per quatuor anulos aureos quatuor exercitia prælatorum, per arcam Ecclesiam, per quatuor angulos arcæ quatuor virtutes principales, id est prudentiam, temperantiam, fortitudinem, justitiam, per quas Ecclesia fortius roboratur, debemus accipere. *Facies*, inquit, *vectes*, etc. Ad vectem faciendum tria necessaria sunt, lignum, ferrum et humanum exercitium. In Scripturis per lignum vir justus frequenter significatur, sicut in libro Job : Lignum si præcisum fuerit, rursum virescit, et pullulant rami ejus (*Job* XIV). Et in Evangelio Christus dicit : Si hæc faciunt in viridi, subauditur ligno, in arido quid fiat? (*Luc.* XXIII.) Et in Psalmo : Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum (*Psal.* I). Ad vectem ergo faciendum lignum necessarium est, quia in prælatum vir justus et bonus est eligendus. Vectis iste non de quolibet ligno fit, sed de ligno setim. Lignum setim imputribile est et leve, albæ spinæ, ut dicitur, habens similitudinem : sic prælatus imputribilis esse debet per mundiciam mentis, id est a corruptione vitiorum immunis. Debet etiam esse levis, ut a pondere peccatorum liberatus, sursum feratur desiderio cœlestis beatitudinis. Prælatus etiam albæ spinæ comparatur : sicut enim spina pungit, ita et ille severitate disciplinæ vitia pungere debet zelo justitiæ, non livore maliciæ, quod notatur in eo quod non cuilibet spinæ sed albæ comparatur. Ferrum etiam ad vectem faciendum necessarium est, quod rami superflui præcidantur. Hoc ferrum judicium discretionis accipiendum est, quo prælatus delitias et voluptates hujus seculi a se præcidere debet, puta luxum, superfluitatem ciborum, verba et facta secularium hominum vitam redolentia : ne in istis tanquam in ramis quibusdam a sua conversatione procedentibus subditi ipsius offendant. Nam si quis in via ab hominibus frequentata lignum ramosum ex transverso poneret, transeuntes in illo pedibus offenderent et plerumque lapsum paterentur. Sic etiam prælatus qui alios in via Dei præcedere debet, si voluntate seculari tanquam ramis quibusdam vita ejus pullulaverit, offensionem præstat his qui debent eum imitari. Ponamus exercitum cum duce suo constitutos in acie, et cum hostibus congressuros, si dux

A belli forte oberraverit, milites in fugam convertuntur: Ita etiam prælatis et subditis cum steterint in prælio Domini contra spiritales nequitias pugnaturi. Hinc Dominus in Evangelio dicit : Qui scandalizaverit unum ex his pusillis, expedit ei ut mola asinaria suspendatur in collo ejus, et demergatur in profundum maris (*Matth.* XVIII) : testante beato Gregorio, per molam asinariam circuitus vitæ secularis, per profundum maris, extrema damnatio intelligitur : et est sensus, prælato qui prava conversatione scandalizat aliquem de pusillis, id est subditis suis, expediret ei magis in seculo solum perire, quam sibi subditos secum in pernitiem trahere.

Ad vectem etiam faciendum humanum exercitium exigitur, per quod exempla priorum Patrum debent
B accipi. Moderni enim prælati qui illis successerunt, vitam et doctrinam illorum debent imitari, ut potius imitatores illorum, quam in dignitate successores esse glorientur. Illi enim lucernæ sunt non sub modio, sed super candelabrum positæ, ut omnes qui ingrediuntur, lumen videant. Mandat etiam Moyses, ut vir fratris sui defuncti uxorem ducens suscitet semen fratris defuncti, ita ut liberi defuncti nomine nascantur : per quod significatur, quia prælati moderni tales filios nutrire debent, qui antiquorum Patrum vitam et mores imitentur, facies, inquit, vectes de lignis setim, quos operies auro purissimo.

Per aurum purissimum, divina sapientia designatur, per quam in præsenti vita erudimur ad san-
C ctitatem, et ad futuræ vitæ amorem accendimur, quam continet lex et prophetæ et Evangelia et cæteræ sacræ Scripturæ, de qua scriptum est : Sapientia quæ desursum est, primo quidem pudica, deinde pacifica (*Jac.* III). Hac scientia prælatus quodammodo operiri debet, ut sciens mandata Dei, faciat ea : quia intellectus est bonus facientibus eum. Hoc est, quod sacerdos legalis in pectore portabat rationale, in quo erat scriptum doctrina et veritas. In superhumerali quod et super humeres portabat, scripta erant duodecim nomina filiorum Israel : quia prælatus doctrinam et veritatem debet portare in pectore, et nomina filiorum Israel in humeris, id est exemplo eorum benefaciendo vi-
D vere. Est et alia sapientia, quæ dicitur industria in gerendis negotiis, de qua Paulus dicit : Quod oportet episcopum esse prudentem, et domus suæ bene præpositum (*I Tim.* III) : et ista sapientia prælato necessaria est, ut possit claustralibus, qui contemplationi vacant, necessaria ministrare. Dicitur etiam sapientia cognitio de causis creaturarum, quam Salomon habuisse legitur, ubi de eo scriptum est : Quia disputavit de omnibus ab hyssopo usque ad cedrum (*III Reg.* IV), id est de minimis et maximis. Aristoteles etiam hanc habuit sapientiam, qui dum causas rerum omnium sapienter investigasset, ad causam supremam quæ causa erat omnium causarum, inquirendo perveniens, dum causam illius causæ supremæ non inveniret

dixit : O causa causarum fac me tibi acceptabilem. Pastor ergo ecclesiasticus licet habeat industriam rerum secularium, vel cognitionem de causis creaturarum, non tamen in istis summam suæ religionis ponere debet, sed operire potius auro purissimo, hoc est divina sapientia, ut in omnibus quæ agit sive intus sive foris sit, semper in eo reluceat forma sanctitatis.

Ut autem prælatum Ecclesiæ ratione similitudinis auro purissimo comparemus, attende quod aurum in sole positum lucet, flammascit, et scintillat : sic pastor ecclesiasticus in sole, hoc est, in evidenti supra Ecclesiam Dei constitutus, lucere debet exemplo bonæ operationis, sicut scriptum est : Luceat lux vestra coram hominibus, etc. (*Matth.* v). Flammascere debet intus igne charitatis, ut sit lucerna non solum lucens sed etiam ardens, sicut Propheta dicit : Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis (*Psal.* CIII). Sic etiam et prælatus scintillare debet, ut sicut fomes ignis scintillas ex se emittit cum tangitur, sic et ille de igne charitatis scintillas sanctæ devotionis, et meditationis emittere debet, cum a Deo per gratiam visitatur. Operies, inquit, eos auro purissimo, non dicit argento, sed auro.

Sicut enim per aurum sapientia, ita per argentum eloquentia designatur. Non enim debent rectores ecclesiarum vacare eloquentiæ, allegationibus studere, tumultus causarum procurare, litibus a mane usque ad vesperum interesse, totum se aliis impendere nil sibi, quæ omnia magis Justiniani quam Augustini decent imitatorem. Jubentur autem vectes per quatuor anulos aureos induci.

Quatuor anuli aurei, quatuor sunt exercitia prælatorum in Ecclesia Dei : legimus enim in Levitico quatuor fuisse officia sacerdotum, scilicet imolare carnes animalium, aromata accendere, orare pro populo, semel in anno cum sanguine intrare in Sancta sanctorum. Is ergo qui præest primo debet carnes imolare per macerationem carnis, ut offerat corpus suum hostiam sanctam viventem, Deo placentem, ut castiget corpus suum et in servitutem redigat, ne cum aliis prædicaverit ipse reprobus efficiatur. Ad hoc valet experiri diætam refectorii, duritiam lectuli in dormitorio, longos tractus matutinorum, assiduitatem claustri, vestium asperitatem, et cætera hujusmodi quibus domatur corpus, et animæ subjicitur imperio. Debet etiam prælatus aromata accendere, hoc est, virtutes animi igne charitatis inflammare, ut dum omnes virtutes animi charitate moventur interius, reddant odorem suavissimum quo delectetur Deus. Et attende quoniam aromata quandoque accensa in altari, quandoque in manu gestata, quandoque pilo contrita in pulverem, odorem reddunt. Igne accensa reddunt odorem in altari, quando charitate cooperante, virtutes in mente moventur affectu devotionis : in manu gestata reddunt odorem, quando foris moventur ad fructum bonæ operationis : pilo vero contrita reddunt odorem, quando homo virtutibus acceptis seipsum parvulum et humilem computat, et propria æstimatione in pulverem se redigit, ut Paulus : Venit, inquit, Jesus in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum (*I Tim.* I). Et Propheta : Ego sum vermis et non homo (*Psal.* XXI). Tertium prælati officium est, orare pro populo, ut sit mediator Dei et hominum et orando avertat indignationem illius ab eis. Talem ergo se exhibere debet is, qui præest ut delectetur Deus in orationibus ejus, et postulata tanquam filio delicato libenter tribuat, sive pro se, sive pro populo oranti. Nam scriptum est : Si is qui displicet ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur. Quartum prælati exercitium est, cum sanguine intrare in Sancta sanctorum, quod est sanguine fuso pro Christo regnum cœlorum obtinere. Sicut enim scriptum est : Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis (*Joan.* X), ut tempore tentationis imminente ipse magis velit mori in corpore quam permittat aliquem de subditis suis anima perire. Unde Beatus Gregorius exponens illum locum Apostoli, qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat (*I Tim.* III), dicit per bonum opus ibi martyrium designari. In primitiva enim Ecclesia tantæ perfectionis erant prælati, ut in ecclesiasticis dignitatibus magis coronam martyrii quam culmen honoris affectarent. Prædictis ergo anulis aureis vectes inseri jubentur, ut nunquam abstrahantur ab eis : quia prælato non sufficit vita interrasilis, id est, vita intercisa, ut modo bonus, modo malus sit, sed semper formam sanctitatis et bonorum operum debet habere, in quibus subditi eum imitentur.

Per quatuor angulos arcæ perfectos viros, qui in corpore sunt Ecclesiæ, per quos firmius consistit, intelligere debemus, qui etiam et ipsi quatuor spiritalibus vacant exercitiis quos superius prælatis assignavimus. Vel per quatuor angulos, quatuor principales virtutes accipiendæ sunt, scilicet prudentia, temperantia, fortitudo, justicia. Istæ enim roborant Ecclesiam contra quatuor vitia, quæ illam impugnant, quæ sunt ignorantia boni, immoderata delectatio seculi, timor adversitatis, affectus inordinatæ dilectionis. Sunt enim aliqui, qui tenebris ignorantiæ cæcati, viam vitæ ignorant, et ideo nec diligunt, nec sequuntur eam : quibus prudentia necessaria est, quæ illis depulsa ignorantia viam salutis et cognitionem veritatis, ostendit. Alii sunt, qui rebus hujus seculi ad usum sibi concessis immoderata delectatione abutentes in voluptates noxias dejiciuntur, quibus temperantia necessaria est, per quam rebus licitis utendo ad sobrietatem revocantur. Sunt etiam plerique, qui fracti adversitatibus hujus seculi, scilicet infirmitate corporis, sine damno rerum temporalium, vel quacunque alia tribulatione quæ in mundo sunt, intus virtutibus animi deficiunt : et istis fortitudo necessaria est, quæ ad toleranda adversa constantiam animi in eis

operatur. Trahuntur alii dilectione inordinata illorum qui natura sive affinitate, vel quocunque familiaritatis vinculo ipsis conjuncti sunt, et ideo a via rectitudinis deviant: quibus justitia necessaria est, quæ in neutram partem declinans unicuique quod suum est tribuit, et illibatum custodit.

Nec prætерire debemus, quod non solum vectes, sed et ipsa arca erat de lignis setim, quod non solum prælati, imo tota Ecclesia subditorum immunes a vitiis, et imputribiles virtutibus esse debent. Legimus autem (*Hebr.* IX) quod in arca fœderis tria hæc reposita erant, videlicet tabulæ testamenti, virga Aaron quæ floruit, manna quod de cœlo descendit. Cum autem per arcam, quantum ad ædificationem nostram, Ecclesiam, quæ nos sumus, possumus intelligere, non incongrue per tabulas testamenti duplex statutum ordinis accipiemus, quorum unum velut tabula una præcepta continet, quæ sunt ad solatium: alterum vero, velut alia tabula secunda, continet præcepta ordinis ad ædificationem mentis. Qui carnales sunt, in prima tabula legunt victus, vestitus, aliorumque quæ ad solatium corporis pertinent, scilicet loquendi, spaciandi quærunt abundantiam, sæpe fabulis magis quam canticis, ferculis quam jejuniis operam impendentes. Nam quod in secunda tabula est spiritale, vel in modico vel in nullo respiciunt, in qua studiosissime legunt viri spiritales, qui curam corporis postponentes, in jejuniis, vigiliis et orationibus serviunt Deo die et nocte. Claustralibus tamen utriusque tabulæ locutio necessaria, ut et temporalia habeant in præsenti vita ad subsidium, et spiritalia exerceant opera ad vitam obtinendam. Per virgam quæ in arca posita erat, disciplina regularis severitatis accipienda est, congrua satis similitudine. Virga siquidem recta est, gracilis, et flexibilis, sic et disciplina seu vapulationis, seu clamoris, sive increpationis, vel quæcunque alia ad correctionem fratris in medium venerit, recta, id est, justa esse debet, ut non ex malignitate cordis prodeat, sed potius ex radice charitatis. Sic et disciplina gracilis esse debet, id est, humilis quantum ad sustinentem, ut humiliter pœnam sustineat, quæ ipsius diluit culpam ne si forte rebellis et impatiens fuerit, etiam proferendo disciplinam magis provocet iram Dei quam misericordiam. Sicut autem virga flexibilis est, ut ad voluntatem tenentis hinc inde flecti et curvari possit, sic et disciplina claustralis flexibilis, id est, non nimis rigida esse debet: ne immoderata severitas deteriorem faciat eum qui corripitur, et vulnus fiat de medicina. Manna in arca repositum, quod in ore comedentis dulce erat tanquam mel, consolatio divinæ gratiæ est in Ecclesia, per quam inter labores vitæ præsentis viri justi spiritaliter reficiuntur, ut mundi hujus tribulationes patienter sustineant, quousque ad bona æterna et invisibilia finito vitæ hujus stadio perveniant. Hoc cibo (quem manna diximus) nutrita est omnis illa sanctorum constantia, qui intus per gratiam Dei consolati tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. Iste est cibus religiosorum, qui propria voluntate ad sustinendam famem et sitim, frigus et nuditatem, vigilias aliosque labores plurimos in claustrali carcere seipsos sepelierunt. Quæ enim virtus hominis ad hæc toleranda sufficeret, nisi gratia divinæ consolationis roboraret hominem interiorem? Deus ergo in præsenti Ecclesia electos suos roborat per gratiam, quibus daturus est in futuro vitam æternam, quæ nullo dolore turbatur, nec aliquo termino finitur, præstante Domino nostro Jesu Christo, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SERMO XXIX.

IN GENERALI CAPITULO.

Est puer unus hic qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisces (*Joan.* VI). Non invitamus vos, fratres dilectissimi, ad mensam illius divitis, qui epulabatur quotidie splendide, non ad ollas carnium, vel ad vitulum saginatum, quia hæc cibi delicatorum sunt, sed potius ad cibum tenuem spiritalibus viris idoneum: non procuratum a multitudine servulorum, sed quem puer unus secum attulit, habens quinque panes hordeaceos et duos pisces.

Puerum istum virum religiosum sive claustralem sive prælatum intelligi volumus, qui per vitæ innocentiam pueri debet imitator existere. Tria siquidem puero necessaria sunt, nutrimentum naturæ, puritas innocentiæ, custodia disciplinæ. Primo ergo claustralis debet habere nutrimentum naturæ, ut victum et vestitum habens his contentus sit, quatenus is qui in vestigio crucifixi pedem posuit, voluntaria paupertate teneat formam crucifixi. Sed debet etiam puritatem habere innocentiæ, quia et puer a puritate est dictus, ut mente et corpore purus immaculatum se custodiat ab hoc seculo, et sic innocenter vivendo se ipsum offerat hostiam sanctam, viventem, Deo placentem. Debet etiam habere custodiam disciplinæ, ut regularia præcepta diligenter custodiens ab istis excessibus abstineat, et sancta conversatione aliis exemplum proficiendi exhibeat. Ista pueritia claustralis tria bona habet sibi adminiculantia, spiritum libertatis, gaudium securitatis, fortitudinem dilectionis. Spiritum libertatis, ut spiritus liber ab interioribus vitiis, mente non serviat legi peccati: gaudium securitatis, ut per bona opera exteriora securus, non pertimescat maliciam alienæ iniquitatis: fortitudinem dilectionis, ut Deo fortiter adhæreat per affectum charitatis. Sicut enim scriptum est, fortis ut mors est dilectio (*Can.* VIII): quia sicut animam separat a consortio carnis, ita dilectio Dei separat animam a carnalibus desideriis.

Sed sunt tria vitia, quæ tribus supradictæ pœnitentiæ bonis adversantur, avaricia, quæ adversatur necessitati naturæ: concupiscentia, quæ adversatur puritati innocentiæ: negligentia quæ adversatur cu-

studiæ disciplinæ. Avaricia corrumpit necessitatem (A) naturæ, quando claustrales superflua appetunt, et contempta forma paupertatis honores, prælationes, et divitias habere volunt, quando prælati de usuris et rapinis munera accipiunt, quando pro susceptione novitiorum proventus quærunt, quando de re communi, de thesauro Dei indeficientes loculos sibi faciunt : qui potius mercenarii quam pastores debent appellari, eo quod quærunt quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi ; de talibus scriptum est : Nihil est iniquius, quam amare pecuniam et hi venalem habent animam suam, quoniam in vita sua projecerunt intima sua (*Eccle.* x). Qui etiam comparantur recte idolo Dagon, quodjuxta arcam fœderis positum, truncatum manus et pedes in terram projectum est (*I Reg.* v). Quid enim per arcam fœderis, nisi san- (B) ctorum collegium intelligitur? Et quid per idolum Dagon, nisi quilibet avarus designatur? Unde et avaritia, idolorum servitus dicta est (*Coloss.* III). Idolum ergo Dagon juxta arcam fœderis collocatur, quando quilibet avarus sanctorum collegio sociatur. Quod truncatum manus et pedes in terram projicitur, quia avaro temporalia bona, quæ per avaritiam appetit, præciduntur, et in terram mortuorum, ubi internus interitus est, in fine præcipitatur.

Concupiscentia vero adversatur puritati innocentiæ, dum claustralis a concupiscentia sua abstractus et illectus, desideria carnis sequitur, et miserabili commercio puritatem innocentiæ in maculam luxuriæ commutat. Talis recte significatur per ipsum (C) Moysen, qui a matre Hebræa genitus, et contra persecutionem Pharaonis in alveo fluminis positus, a filia Pharaonis invenitur, a qua adoptatus in filium matri Hebrææ denuo traditur nutriendus (*Exod.* II). Puer a matre Hebræa genitus, claustralis est ab ecclesia in novitate vitæ institutus : nomine fluminis, affluentia disciplinæ regularis intelligenda est : alveus fluminis, carceralis custodia claustri. Persequente ergo Pharaone puer iste in alveo fluminis ponitur, quando contra tentationes diaboli mancipatur carceralis custodiæ claustri. Qui evadens persecutionem Pharaonis ibidem a filia ejus, quæ est concupiscentia carnis invenitur. Quoniam frequenter accidit, ut qui non superatur a tentationibus diaboli, enormiter succumbat tentationibus carnis. (D) Adoptatur ergo a filia Pharaonis in filium, et tamen matri Hebrææ nutriendus datur : quia talis claustralis bonis temporalibus foris ab Ecclesia nutritur, et tamen intus ei concupiscentia carnis dominatur.

Negligentia vero custodiæ disciplinæ adversatur, dum claustrales inordinate viventes regularia præcepta non custodiunt, dum prælati negligentes in custodia subditorum, pro excessibus suis illos non corripiunt : et qui se ipsos omnibus formam vitæ exhibere debuerant, potius exemplum dissolutionis, quam exemplum religionis prætendunt. Triplici siquidem solertia gregi suo intendere debuerant, correptione, consolatione, oratione. Correptione, corripiendo inquietos : consolatione, consolando pusillanimes : oratione, ut pro suis subditis jugiter deprecentur Dominum, ne a tentationibus inimici seducantur. Quod etiam per prophetam recte nobis demonstratur, ubi dicit : Suscitabo super eam septem pastores et octo primates, et in gladio depascent terram Assur (*Mich.* v). Per septem pastores et octo primates universi prælati ecclesiæ intelliguntur, qui gladium verbi ex utraque parte incidentem habere debent, hinc per increpationem, inde per consolationem, et sic depascere terram Assur, id est, terrenos diabolo servientes, per verbum prædicationis eos ad viam veritatis convertendo. Prædictis ergo vitiis, id est, avaricia, concupiscentia, et negligentia remotis a claustrali, recte potest de eo dici : Est puer unus hic, etc.

Attende quod claustralis unus debet esse unitate, unus uniformitate, unus unanimitate. Unitate unus esse debet, ut mens et vita, conscientia et opera conveniant, ne per hypocrisim vel per simulationem alius sit intus, alius exterius speciem religionis ostendendo hominibus ut videatur ab eis, magis hominibus quam Deo placere desiderans. De illis enim, qui sua opera in facie hominum per hypocrisim faciunt, dicit Dominus in Evangelio : Quia receperunt mercedem suam (*Matth.* VI). Et contra hypocritas propheta David de justis dicit : Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exsultabunt tota die, et in justitia tua exaltabuntur (*Psal.* LXXXVIII). Sicut stulti in lumine vultus tui ambulant, dum errore vel ignorantia decepti secundum suam æstimationem mala pro bonis eligunt, sic hypocritæ ambulant in lumine vultus hominum, dum bona quæ faciunt foris, pro laude humana commutant. Sed justi in lumine vultus Dei ambulant, quando per bona opera quæ faciunt, soli Deo placere volunt, cum Paulo dicentes : Si hominibus placeremus, servi Christi non essemus (*Gal.* I).

Debet etiam claustralis esse unus uniformitate, ut morum gravitate æqualem conversationem semper habeat, ne secutus levitatem animi sui in nullo certo domicilio conversationis fundatus esse videatur. Tales enim multos videmus, qui in claustro verecundi, in plateis dissoluti sunt : inter clericos apparentes, inter milites seculares, inter pueros pueriles, inter stultos insipientes : qui per hanc formam conversandi magis histriones, quam claustrales imitantur.

Debet etiam claustralis esse unus unanimitate, ut cum cæteris concordiam habens sollicitus sit servare unitatem spiritus in vinculo pacis, ad quam unitatem ipse pater Augustinus nos invitat ubi dicit : Primo propter quod in unum congregati estis, ut unanimes habitetis in domo, et sit vobis cor unum, et anima una in Deo. Et in Actibus apostolorum : Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una (*Act.* I), ubi etiam scriptum est : Erant omnes unanimiter perseverantes in orationibus cum mulieribus, et parvulis, et Maria matre Jesu. Ista unanimitas bonorum, fundamentum

est religionis, nutrimentum virtutum, consummatio bonorum operum, in qua omnes religiosi pacifice viventes, filii Dei appellantur.

Est alia unanimitas malorum, qua mali in persecutione justorum confœderantur, quæ est fundamentum dissolutionis, nutrix scelerum, malleus justorum. Per hanc unanimitatem multi justi usque ad mortem vexati sunt, per hanc religio claustralis frequenter destructa est, et (quod sine gemitu dici non debet) per hanc multa monasteria acervus lapidum facta sunt. Unde sicut concordia bonorum, ita et discordia inter malos optanda est : discordia malorum, pax bonorum esse debet. Quod egregius prædicator Paulus sciens, cum a Pharisæis et Saducæis unanimiter impeteretur, nisus est inter eos discordiam facere dicens : Ego Pharisæus sum filius Pharisæorum, de spe et resurrectione judicor hodie (*Act.* xv) : quod audientes Pharisæi, qui credebant resurrectionem, cum saducæis qui eam non credebant, facti sunt discordes, et solutum est concilium : sicque factum est ut Paulus qui in unanimitate illorum impetebatur ad mortem, per discordiam illorum illæsus evaderet. Ille ergo claustralis vere unus est, qui unitatem, conformitatem, et unanimitatem bonorum tenet, de quo dicitur : Est puer unus hic, etc.

Demonstrativa dilectione ad locum disciplinæ, qui est capitulum, fit demonstratio, in quo puericia claustralis tribus modis reformatur et custoditur, videlicet confessione, correctione, vapulatione. Confessione, dum claustralis pure, integre, ordinate ibi peccata sua confitetur Domino : pure, id est sine admixtione falsitatis, simulationis, et excusationis : integre, id est sine truncatione veritatis, ne sit dimidiata confessio, nec ibi conscientiæ quærat angulum, ubi omne delictum suum Deo facere debet manifestum. Nemo enim, sicut in Evangelio Dominus ait, mittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus : alioquin vestimentum vetus rumpitur, et pejor scissura fit (*Matth.* ix). Vetus vestimentum, peccatrix conscientia est : novus pannus, lamentum exterioris pœnitentiæ est. Si ergo exteriori pœnitentia, quæ novo vestimento comparatur, videlicet confessione oris, ubertate lachrymarum, gemitu et tunsione pectoris peccata sua quis plangat, et interius conscientiam criminosam occultando peccata sua retineat, quasi novum pannum veteri vestimento conjungit, et vetus vestimentum rumpitur : pejor scissura fit, cum deterior fit macula conscientiæ per occultationem veteris culpæ. De tali conscientia propheta dicit : Ibi foveam habet ericius (*Isa.* xxxiv). Ericius qui plenus est spinosis aculeis, peccatori qui callide occultat peccata sua, comparatur. Siquidem ericius cum comprehenditur, caput, pedes et cætera membra quasi in unum globum contrahit, et cum prius distincte viderentur omnia, quando comprehenditur ab occultis evanescunt universa. In hoc ergo ericius recte peccatori similis est, qui peccata sua in corde
A suo abscondit, dum timet ea manifesta fieri. Frequenter enim accidit ut peccata alicujus signis vel indiciis aliorum manifesta fiant, sed dum in confessione sua a prælato suo super illis convenitur, ille se totum excusando, imo celando, quasi in unum angulum conscientiæ se contrahit, et qui prius erat manifestus per certa indicia criminis callida tergiversatione totus ab oculis evanescit. Confessio etiam debet esse ordinata, ut claustralis suo prælato, et non alii culpas suas notas faciat : quia illius præcipue est adhibere remedium, qui in cura suscepit ægrotum. Si enim princeps terrenus in singulis civitatibus suis singulos judices ordinaret, qui ibidem causas emergentes decidant, peccata
B puniant, nonne ille, qui prætermisso judice suæ civitatis ad alium transiret, apud principem pariter et suum judicem reum se constitueret? Sic certe summus ille imperator et Dominus, dum in singulis Ecclesiis prælatos ordinat, quibus curam animarum committit, Dei ordinationi resistunt, qui, alios judices conscientiæ suæ quærendo, suis pastoribus peccata sua abscondunt. Sed est aliquis claustralis, qui in diversis monasteriis frater effectus licite putat se confiteri prælato cuilibet, qui in consortium suæ fraternitatis eum admisit : quod omnino esse illicitum et contrarium veritati, ratio evidens demonstrat. In illa enim Ecclesia claustralis tenetur ad debitum confessionis, in qua habet titulum pro-
C fessionis : quia in aliis Ecclesiis, in quibus canonicatus est, tantum habet fraternitatis consortium, nec tenetur in illis ad alicujus subjectionis vel confessionis debitum.

Reformatur etiam in capitulo pœnitentia claustralis correctione, quæ fit tribus modis, arguendo, denunciando, proclamando. Arguendo, cum quis corripit fratrem suum inter se et ipsum solum : denunciando, cum aliquis fratris sui delictum prælato occulte denunciat, quem per se intelligit corrigi non posse; hoc enim non est perditio criminis, sed correctio, dummodo bona intentione fiat : proclamando correctio fit, dum quis pro excessu suo proclamatur in capitulo coram universis, qui voluntaria confessione noluit confiteri per se. Sed hæc proclamatio de venialibus tantum fa-
D cienda est : quia de criminibus in capitulo non debet mentio fieri, nisi frater confessus, vel a duobus, vel a tribus testibus prius convictus fuerit.

Sunt alii in claustris, qui paci suæ potius, quam aliorum utilitati studentes, clamores facere subterfugiunt, dicentes illum non debere clamorem facere, qui seipsum videt culpa simili, vel majori esse obligatum, in sui erroris patrocinium proferentes in medium Scripturas, quæ hoc videntur astruere. Primo illam evangelicam autoritatem quæ dicit : Ejice primo trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui (*Matth.* vii). Et alibi : Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat (*Joan.* viii). Et Paulus : In quo alium judicas, teipsum condemnas (*Rom.* ii).

Sed istæ auctoritates contra illos sunt, qui non A zelo justitiæ alios corripiunt, sed magis ea intentione, ut cum iniqui sunt, justi appareant ex aliorum reprehensione. Licet ergo claustrali etiam occulte criminoso fratrem suum in manifesto proclamare, dummodo suam justitiam statuere nolit, sed principali intentione fratris sui quærat correctionem. Verum manifeste criminosi proclamatio talis interdicitur, quia [quando] in eo non est correctio fratris, sed scandalum universitatis. Vapulando etiam in capitulo pœnitentia claustralis reformatur, cum pro delicto suo quis punitur pœna corporali. Hoc tamen diligenter omnes notare debent, quod vapulatio hic non passive, sed active intelligenda est : ut dicatur vapulatione puritatem innocentiæ reformari, non quia pœna claustrali infligitur, sed quia B patienter sustinet ipsam pœnam corporalem. Qui enim pro excessu suo punitur, si non tamen patienter sustinet, non tantum non meretur, sed murmurando et se defendendo pœnam murmurantium incurrens, etiam deterior efficitur. His ergo secundum formam prædictam servatis dicamus :

Est unus puer hic, qui habet quinque panes hordeaceos et duos pisces. Per quinque panes hordeaceos, quinque principalia vota intelligimus, quæ claustrales in initio suæ conversionis faciunt, quæ sunt renunciatio seculi, renunciatio proprietatis, votum castitatis, votum obedientiæ, votum communis vitæ. Quæ panibus hordeaceis bene comparantur, quia sicut de hordeo, quod frigidæ naturæ C esse dicitur, fit potus et esca febricitantibus ad caloris refrigerium, sic prædicta vota observantur contra incentiva vitiorum. Vel ideo, quia sicut hordeum foris paleam habet tenacem et intus granum utile, sic vota prædicta foris austeritatem continent, sed observata intus fructum habent suavissimum, sicut Paulus dicit : Omnis disciplina in præsenti videtur esse mœroris, sed in futuro fructum habet pacatissimum (*Hebr.* XII).

Primus panis hordeaceus est renunciatio seculi. Multi hoc votum facientes, seipsos non intelligunt, eo quod nesciant quid seculi nomine debeant intelligere. Si enim seculum machina mundi intelligatur, si non renunciamus seculo, quo cum cæteris hominibus fruimur : vel si seculi nomine peccata D secularia intelligantur, illis non solum nos, sed et omnes boni jam renunciaverunt. Dicimus ergo quod seculum ibi appellatur secularitas, id est forma vivendi seculariter. Renunciamus ergo seculo, cum propter Deum abjicimus formam vitæ secularis. Forma autem vitæ secularis est, quod homo vivit pro arbitrio suo : indumenta, cibos, lectualia, somnum, vigilias, iter, et actus, seria et otia, et omnia quæ ad ipsum pertinent, pro arbitrio suo disponit. Huic formæ vitæ secularis claustralis ex voto renunciat, dum ista abjecta certam formam vivendi propter Deum assumit, in omnibus quæ ad ipsum pertinent certam et determinatam tenens regulam, et hoc non pro suo arbitrio, sed pro alieno.

Secundus panis est renunciatio proprietatis. Claustrali proprietas est, quidquid habet contra præceptum regulæ vel ordinis institutum, nisi per indulgentiam prælati excusetur : claustralium autem alii sunt officiales, alii simplices claustrales. Officiales, qui bona Ecclesiæ recipiunt et custodiunt, et non habent ea tanquam propria, sed tanquam deposita. Quia sicut de deposito aliquid fraudare apertissimi sceleris, ita si officialis de rebus Ecclesiæ, præterquam officii necessitas, vel forma sibi data ab Ecclesia requirit, quid expendat, instar sacrilegii est. Sunt tamen officiales, ex quorum officio non pendet receptio vel custodia temporalium, quibus præter formam prescriptam ab ordine habere nihil licitum est. Simplices igitur claustrales nihil, præterquam necessitas ordinata requirit, habere debent, nisi forte aliquid spiritalis operis eis injungatur, ut scribendi, libros ligandi, vel aliquid tale. Tunc enim etiam licentia non accepta, licet eis habere ad usum ea sine quibus quod injunctum est non perficitur, ut cultellum, pergamenum, incaustum, etc. quæ ad hujusmodi officium pertinent. Sicut autem proprietas nummi omnibus inhibetur, ita et proprietas vestimenti. Macula proprietatis a vestimento multipliciter contrahitur, aliquando a substantia rei, aliquando a colore, aliquando a subtilitate, aliquando a forma. A substantia rei contrahitur proprietas, ut si quis per agnina pellicia vulpinam vel leporinam induit : a colore vestimenti proprietas contrahitur, si claustralis vestem aliter coloratam habeat, quam ordo vel usus Ecclesiæ ordinaverit : a subtilitate macula proprietatis contrahitur, si claustralis subtilioribus indumentis quam cæteri uti velit. Verbi gratia, si camisia, si tunica, si cappa pluvialis de subtiliori vel meliori materia fuerint quam consuetudo requirat : A forma vestimenti macula proprietatis contrahitur quando claustralis aliam formam vestimentis suis præ cæteris impingi facit, ut si calciamentis, caligis, aut etiam manicis strictioribus quam cæteri singulariter uti velit. In quibusdam istorum dispensatio non debet admitti, utpote vel in substantia vel in colore, quia nulla hoc exigit utilitas vel necessitas, cum et ibi etiam sit materia scandali. In subtili vero aut forma honesta, dum subest et justa causa, potest dispensari.

Sunt et aliæ proprietates, videlicet propriæ voluntatis, et privatæ familiaritatis. Inveniuntur siquidem claustrales, qui dum propriam voluntatem in omnibus retinere volunt, prælatis inobedientes, et fratrum suorum contradictores non metuunt fieri. Ex hac proprietate iræ, rixæ, dissensiones, et contumeliæ frequenter emergunt, dum eam habere volentes suam justitiam statuere volunt, et ideo justitiæ Dei non sunt subjecti. De quibus Paulus dicit, quod obscuratum est insipiens cor eorum, et evanuerunt in cogitationibus suis, et putantes se esse sapientes, stulti facti sunt (*Rom.* I). Proprietatem privatæ familiaritatis retinent claustrales, qui familiaritates cognatorum, sociorum quos habebant

in hoc seculo, vel principum secularium segregati a seculo habere cupiunt. Ista proprietas admodum perniciosa est, quoniam ex ea proveniunt peccata multiloquii, negligentia divini servitii, fastidium claustri, dissidium fraternitatis, et quandoque affectus inordinatæ charitatis. Debet ergo claustralis renunciare non solum proprietati rei, sed etiam proprietati propriæ voluntatis et proprietati privatæ familiaritatis.

Tertius panis est votum castitatis, id est continentiæ. Vovit autem claustralis continentiam actus, non affectus corporis, non mentis. Unde si per cogitationes, vel quæcunque desideria carnis usque ad consensum carnalis operis perducatur absque opere, peccat quidem mortaliter, sed votum non transgreditur : Sicut virgo, quæ vovit virginitatem, non est rea voti si consentiat in animo nubere vel fornicari, dummodo in actu servet integritatem corporis. Sicut autem vir religiosus vovet continentiam distincte, ita et in voto quinto, quod est communis vitæ, vovet abstinentiam non distincte, sed implicite : per quæ duo vota, scilicet continentiæ et abstinentiæ, dignitas corporis reformatur, sicut per duo vitia illis contraria, videlicet appetitum gulæ et fluxum luxuriæ, corporalis dignitas corrumpitur. Continentia siquidem refrenat fluxum luxuriæ, abstinentia appetitum gulæ.

Obedientia quæ ad quartum pertinet votum, tantum de bonis est. Quia si prælatus subdito præcipiat aliquid, quod ad peccatum pertinet, eo ipso quod in præcepto errorem suum exprimit, nullam vim habet ejus jussio, et ideo nulla obedientia debet comitari. Sicut si prælatus excommunicet subditum suum pro eo quod faciat pietatis opera, quod credat in Deum, eo ipso quod stulticiam suam exprimit, non ligat ejus excommunicatio. Sed neque in bonis omnibus subditus tenetur obedire prælato suo. Si enim ei præcipiat, quod ponat se in carcerem pro aliquo ibi captivo, quod ad vitam arctiorem transeat, quod eat in Hispanias prædicare verbum Dei, et si ista omnia sint bona, non tamen tenetur subditus obedire : quia obedientiam tantum secundum instituta ordinis et consuetudines Ecclesiæ promittit. Unde cum vovet obedientiam et communem vitam, in fine votorum istorum additur, secundum instituta Ecclesiæ, vel quæ jam instituta sunt, vel quæ in futuro de consensu Ecclesiæ instituentur, quæ terminatio non solum ad communem vitam, sed etiam obedientiam referenda est. Quintum votum est communis vitæ, et appellatur ibi vita, non vita qua vivimus, sed modus vivendi secundum quem vivimus, ut dicatur ibi vita communis ille vivendi modus, secundum quem omnes vivimus aut vivere possumus sine justa reprehensione. Hoc ideo adjunxi, quia alium modum vivendi habent in cibis, in lectualibus infirmi in infirmaria, quam sani in congregatione. Infirmi tamen communem vitam tenent, quia sani pro simili causa *vivere possunt* sicut illi, sine reprehensione. In A conventu autem si in cibis vel vestimentis aliqui delicatius quam cæteri tractantur, hoc non est vita communis, sed vitæ communis dispensatio. Attenditur autem præcipue vita communis in his tribus, videlicet cibariis, vestimentis, lectualibus. In quibus communem servare debent, nisi indulgentia dispensationis excusentur. Secundum prædicta videbitur prævaricator voti, qui aliis bibentibus vinum ipse aquam biberit, qui aliis comedentibus pisces utitur herbis, qui aliis camisias induentibus ipse induitur cilicio : quoniam hunc vivendi modum non tenent cæteri. Sed non potest dici voti transgressio, quod voti est melioratio. Non ergo ille qui talia facit, reus est voti, cum homini proficere in melius licitum sit, nisi propter scandalum pro- B ximi desistere cogatur. Si enim propter vitam austeriorem aliquis fratribus scandalum facit, ad communem vitam redire debet de necessitate, non propter transgressionem voti, sed propter vitationem scandali. Quod si absque infirmitate vel alia justa causa aliquis delicatius vivat quam cæteri, ut dum alii vinum positivum ipse superlativum bibat : dum alii fabam, ipse gallinam comedat : et dum gobione alii, ipse psalmone utatur, ille prævaricator voti est, quia sine justa causa a rigore communis vitæ discedit. Vere vota prædicta de substantia ordinis sunt, personis in statu suo permanentibus sine peccato mortali relinqui non possunt, nisi quantum in voto ultimo, quod est communis vitæ, C pro necessitate emergente dispensative toleratur.

In primis siquidem quatuor votis, videlicet renunciatione seculi, renunciatione proprietatis, voto castitatis, voto obedientiæ, personis claustralibus in suo statu permanentibus non admittitur dispensatio, quia circa illa non emergit justa causa dispensationis. In quinto, quod est communis vitæ, Regula beati Augustini dispensat, ita quod prælatus non sit dispensator, sed executor dispensationis. Circa communem vitam ipsa regula dispensat cum dicit : Si his qui venerunt ex moribus delicatioribus, aliquid alimentorum, vestimentorum datur, quod aliis fortioribus et ideo felicioribus non datur, cogitare debent quibus non datur, quantum illi a sua D seculari vita ad istam descenderint, quamvis usque ad aliorum frugalitatem, qui sunt corpore firmiores pervenire non potuerint. Et alibi : Qui infirmi sunt ex pristina consuetudine, si aliter tractantur in victu, non debet aliis molestum esse : quia non æqualiter omnibus dandum, cum non æqualiter valeant omnes. Sicut Augustinus dicit : Vide quoniam in his omnibus dispensat Regula, sed sic ut prælatus pro qualitate personarum executor sit dispensationis.

Omnes reliquæ traditiones conventualis observantiæ scriptæ vel non scriptæ, non sunt vota vel præcepta vivendi, sed demonstrationes : quia demonstrant claustralibus formam honestæ conversationis : et licet in omissione illarum non sit trans-

gressio, quæ est præcepti aut voti, tamen in earum omissione delinquent illi, qui secundum tales traditiones vivere instituerunt. In omissione tamen aliarum traditionum non mortaliter, sed venialiter peccant claustrales, nisi ex contemptu omittantur. Contemptus vero est, quando claustralis ex proposito non vult eas servare. Ut si dicat in corde suo : Nolo servare silentium, nolo interesse processioni, nolo sedere, stare, ambulare sicut cæteri; tunc siquidem in talibus omissionibus peccatum mortale facit contemptus pravæ voluntatis. Cum quinque panibus hordeaceis habentur, et duo pisces. Pisces, sicut notum est, nutriuntur in aquis, sed non omnibus vesci licitum est secundum legem, sed illis tantum qui saltum dant super aquas. Per aquas vero Scripturam sacram intelligimus, sicut ibi : Imple hydrias aqua (*Joan.* II). Et alibi : Fons hortorum, puteus viventium quæ fluunt in Libano.

In his aquis Scripturarum duo pisces nutriuntur, id est, allegoricus et moralis intellectus. Qui duo pisces secundum mandatum legis saltum dant super aquas, quia inspectorem Scripturarum extra literalem sensum ad altiora provocant. Allegoricus siquidem intellectus Scripturarum claustralem divinæ Paginæ vacantem, per mysteria Christi et Ecclesiæ pascit ad roborandam fidem, quia justus ex fide vivit. Moralis vero intellectus, qui ad morum informationem pertinet, pascit eum ad bonam operationem. Sic ergo vir religiosus cum quinque panibus hordeaceis debet habere duos pisces, ut fide et operatione in Deum tendens, tandem cursu consummato in fine apprehendat, cui se probavit, Dominum nostrum Jesum Christum, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SERMO XXX.

IN GENERALI CAPITULO.

Facies candelabrum ductile ex auro purissimo, calamos et scyphos et sphærulas, et lilia ex ipso procedentia (*Exod.* XXV). Vobis, fratres dilectissimi, quibus datum est nosse mysterium regni Dei, qui mel de petra, spiritum de litera, lucem evangelicæ veritatis de umbra legis novistis elicere, vobis, inquam, notum putamus quod omnia fere præcepta legis Mosaycæ fuerunt umbra futurorum, et Ecclesiam vel ea quæ geruntur in Ecclesia, mystice significabant.

Ex quibus unum est quod, jubente Domino, in figuram Ecclesiæ, candelabrum aureum præcipitur, quæ etiam candelabri nomine in pluribus Scripturarum locis designata est. Unde Joannes in Apocalypsi ad angelum Ephesi scribens dicit : Veniam cito, et movebo candelabrum tuum de loco suo (*Apoc.* II). Ubi per candelabrum Ecclesiam spiritaliter vult intelligi. Et Dominus in Evangelio : Nemo, inquit, accendit lucernam, et in abscondito ponit, neque sub modio, sed super candelabrum, ut omnes qui ingrediuntur, lumen videant (*Matth.* V). Ubi per lucernam lumen evangelicæ prædicationis, per candelabrum Ecclesia designatur. Siquidem super candelabrum lucerna accenditur, quando Ecclesia præsens, quæ in imo posita est luce evangelicæ prædicationis ad cœlestia desideria accenditur. Congrua autem similitudine Ecclesia candelabri nomine vocatur : sicut enim candelabrum ex se non lucet, sed lucernam sibi superimpositam portat, sic et Ecclesia ex natura humanæ fragilitatis quodammodo tenebrosa radio divinæ gratiæ cœlitus irradiante, luce virtutum splendida redditur et illuminata. Sicut ergo per candelabrum Ecclesia, sic et per hastile candelabri Christus homo, per calamos prælati, per scyphos literati viri capaces verbi Dei, per sphærulas simpliciores in Ecclesia, per lilia æternæ vitæ remuneratio recte figurantur; quæ omnia dicuntur esse ex auro purissimo.

Primo videndum est quare prælati Ecclesiæ auro comparantur, ut eamdem rationem similitudinis ad cætera coaptemus. Et quidem illi aurum dicuntur propter splendorem sanctitatis, sicut in Hieremia scriptum est : Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus (*Thren.* IV). Et alibi de cœlesti Jerusalem dicitur : Plateæ ejus sternentur ex auro mundo (*Apoc.* XXI). Propheta etiam David auri nomine sanctos viros per Arabicam gentilitatem designans dixit : Dabitur ei de auro Arabiæ (*Psal.* LXXI). In tribus ergo comparationem auri ad prælatos Ecclesiarum intellige, tum quia purum, tum quia fulgidum, tum quia preciosum. Purum est aurum, quoniam in terra depositum, neque rubiginem, neque maculam a terra contrahit, sed suam omnimodo servat puritatem : sic etiam prælatus Ecclesiæ in terra, id est inter terrenos et peccatores conversans, nullam maculam peccati ab illis contrahere debet, sed omni diligentia servans cor suum, mundiciam mentis, et puritatem conscientiæ retinere. Si enim manus, quæ sordes ab aliqua re extergere debet, munda non fuerit, sed inquinata, in eadem re potius sordes auget quam minuit. Sic et ille qui aliis prælatus est, si immundam gerat conscientiam, a subjectis immundicias tollere idoneus non est.

Est enim aurum fulgidum usque adeo, quod radio solis reverberatum res sibi vicinas fulgentes facit : Sic et prælatus fulgere debet exterius bona operatione, ita tamen ut radio divinæ gratiæ opera ipsius luceant, et tali luce illuminata cæteros ad bene agendum illuminent et accendant. Lux siquidem divinæ gratiæ ipsa est, quæ opera hominum vere lucida facit, quod propter quamdam falsam lucem hypocrisis et simulationis adjecimus, quæ fucata et adulterina specie quorundam opera videri facit bona cum sint mala, longe distantia in veritate ab operibus quæ prætendunt in simulatione. Donum siquidem divinæ gratiæ facit videri opera justorum qualia sunt, hypocrisis vero facit videri opera malorum qualia non sunt. Nam si quæras ab hypocrita qualis ipse sit, vel opera ejus, teste conscientia sua dicere compelletur quoniam et ipse malus, et opera ejus mala sunt. Non ergo opera simulatorum ful-

mendi sunt. Inter ipsos tamen sanctos viros quidam sunt parvuli, quidam adulti, quidam provecti. Parvuli vocantur simplices illi, qui multam habent sanctitatem, et modicam discretionem : adulti, qui sanctitatem habent pariter et discretionem : provecti vero, qui cum his diuturnam habent bonorum operum exercitationem. Qui multam habent sanctitatem et parvam discretionem, dilectione quidem et beneficiis fovendi sunt, sed in his quæ minus discrete dicunt vel faciunt cum severitate quadam sunt reprimendi, ut ex tali repulsa vel correptione prudentiores et magis discreti fiant : Sicut magister scholarium parvulum innocentem postulantem ne vapulet, non exaudit, sed potius flagellat eum et corrigit, ut asperitate verborum et verberum ad meliora postmodum enutriatur. Qui vero sanctitatem habent cum multa discretione, illos esse arbitror, qui de profunda seculi conversatione ad vitam claustralem venerunt, in qua seculari conversatione seculi prudentiam, et astutiam rerum gerendarum didicerunt. Sed postquam vocati sunt a Domino et justificati relicta seculi vanitate, prudentiam seculi retinuerunt, de quibus dictum est a Domino : Quoniam filii hujus seculi prudentiores sunt filiis lucis in generationibus suis (*Luc.* XVI). Et isti non solum diligendi, sed etiam magis familiares cæteris haberi debent eo quod Ecclesiæ magis utiles sunt. Qui autem longa exercitatione bonorum operum sunt provecti, ipsi sunt specularia quædam sanctæ Ecclesiæ, in quæ lumine divinæ gratiæ excellentius coruscante, alii se mirari debent et respicere : ut ex tali speculorum intuitu corrigant in se quod vitiosum, et reservent quod virtuosum est. Et isti honore et reverentia magis digni sunt. Extranei autem sunt illi, quos neque unio charitatis, neque unitas communionis, neque uniformitas actionis nobis conjungit. Extraneum ab unione charitatis faciunt odia, invidiæ, iræ, rixæ, dissensiones, et scissuræ mentium, in quibus non habitat Deus : Extraneum ab unitate communionis faciunt lautiora cibaria, stramenta molliora, vestes inordinatæ, tonsuræ irregulares, quorum contraria ad communionem pertinent : Extraneum ab uniformitate actionis faciunt singularia jejunia, intempestivæ vigiliæ, insolitæ orationes, et cætera hujusmodi, quæ in libertate Spiritus juste videntur posse fieri. Tales ergo latratu canum, hoc est, duris prælatorum increpationibus corripiendi sunt, primi propter peccatum, quia scindunt regnum charitatis : secundi propter periculum, ne illorum exemplo cæteri trahantur : tertii corripiendi sunt propter scandalum, quia væ homini per quem scandalum venit (*Matth.* XVIII). Oritur tamen scandalum quandoque de malis, quandoque de necessariis, quandoque de indifferentibus. Si de malo scandalum oritur, statim malum resecandum est : si de necessariis, hoc est, de his quæ ad vitam æternam sunt necessaria, scandalum oritur, ibi melius admittitur scandalum, quam veritas relinquatur. Sed si de indifferentibus, id est de his, quæ licite fieri vel omitti possunt, scandalum oriatur, distinguendum est. Si enim de talibus oriatur scandalum universitati, vel magnæ parti universitatis, tunc ab hujusmodi etiam bonis cessandum est. Quod si pro nobis indifferentibus, quæ facio uni alicui, oriatur materia scandali, non propter hoc cessabo satisfacere propriæ devotioni.

Corripiendi sunt ergo tales extranei, diversis tamen modis secundum diversitatem delinquentium. Sunt enim alii qui peccantes, qui timore Dei postposito, peccatum non metuunt : sunt alii, qui concupiscentiis illecti, nimis ardenter peccare diligunt : sunt alii, qui ita peccant, quod peccata sua non intelligunt. Illum, qui timore Dei postposito peccare non metuit, tu qui solus etiam peccatum illius nosti, corripe : non tamen per te, imo per alium, ut si privatus es, intimes illud prælato Ecclesiæ, ut ab eo correptus coerceatur timore potestatis. Illum, qui peccare nimis, ardenter diligit, tu qui solus nosti peccatum illius, intimare potes alicui sancto viro, ut ab eo correptus trahatur in odium peccati exemplo sanctitatis. Illum, qui peccatum suum non intelligit, etiam si solus nosti peccatum illius, per virum aliquem sapientem et literatum corripere potes, ut ab eo correptus et instructus veniat ad cognitionem delicti sui.

Lupi vero morsu canum insequendi sunt. Lupi sunt contumaces, justitiæ invasores, qui non tracti infirmitate præcepta Dei transgrediuntur : sed potius per rebellionem et contumaciam, quasi hostes ea diripiunt, parum æstimantes se ipsos a justitia cadere, nisi statum justitiæ videant secum pariter corruisse. Qui lupis propter duo comparandi sunt : lupus enim non solum lacerando laniat, sed etiam hominem, quem prius aspexerit, visu venenato raucum facit, ita quod non nisi voce obscura et imperfecta loqui possit. Similiter contumaces, justitiæ invasores, non solum vivendo corpus Ecclesiæ laniant, sed etiam malis colloquiis semine discordiarum, jaculis detractionum, cæteros adeo elingues reddunt, ut in causa Dei pro libertate justitiæ loqui non possint. Tales ergo lupi morsu canum, id est severitate disciplinæ ecclesiasticæ appetendi sunt, ut modo per excommunicationem, modo per suspensionem, aliquando disciplina corporali, aliquando tædio silentii, quasi dentibus quibusdam fracti et comminuti correptiores in corpus Ecclesiæ trajiciantur. Sic enim cera durior ad ignem liquefacta, in quamlibet imaginem facile vertitur, sic rubigo de ferro excutitur, sic vasa Domini inter malleum et incudem fabricantur, sic byssus attritione multa in candorem vertitur : et vinea quæ longo astricta gelu gemmas emittere non potuit, adveniente calore postmodum fructum facit uberrimum : et peccator qui longo peccatorum gelu induratus est, accedente æstu tribulationis, et cum illo calore gratiæ, postea emendatior efficitur. Lingua canis medicina pœnitentialis est, qua sanantur illi, qui post graves lapsus peccatorum et criminum fortiores resurgunt. Dum

enim a prælatis ecclesiarum fructuosæ pœnitentiæ visitantur consiliis, quasi linguatu canis pristinæ restituuntur sanitati. Ad hanc sanitatem consequendam duo præcipue necessaria sunt, vera scilicet humiliatio delinquentis, et pia compassio pastoris : ut dum is qui deliquit, planctu et gemitu, confessione et lachrymis se ostendit correctum, bonus prælatus sic humiliatum et compunctum pia compassione benigne suscipiat, et consolatione paterna mulceat justificatum, quem prius amiserat criminosum. Sic bonus ille pastor ovem perditam reportavit in humeris suis gaudens, sic pater filio suo prodigo ad se revertenti occidit vitulum saginatum (*Luc.* XV), sic Petrum lachrymantem Dominus misericorditer respexit, et Mariæ Magdalenæ dimissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multum (*Luc.* VII). Et si per B similitudinem rerum loquimur, bonus agricola terram, quæ spinis extirpatis copiosum fructum portat, magis diligit, quam illam, quæ nunquam spinas habuit, et nunquam uberem fructum fecit. Solet etiam dici, quoniam corvi pullos suos dum vident eos nigrescere, et sui similes effici, diligenti solicitudine provident illis et pascunt eos, sed quam diu vident eos albescere et recedere a forma paterni coloris, in providendo illis alimoniam non sunt soliciti. Eodem modo prælatus Ecclesiæ dum videt subditum suum contritionem et operibus pœnitentiæ nigrescere, et confundi in peccatis suis, debet illum consolatione spirituali, et consilio salubri pascere, et in melius enutrire. Si vero criminosum subditum prælatus C videat albescere, hoc est, seipsum justificare, aliis se anteferre, et tanquam re bene gesta cæteros judicare, hunc non blanditiis, sed potius flagellis et scorpionibus cædi justum est. Quia cum laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur, exacerbat Dominum peccator.

Super hæc omnia solicitudo pastoralis necessaria est. Ut autem de hac solicitudine pastorum colligamus aliqua ex rerum similium collatione operæ pretium est : Bonus bubulcus, qui terram suam bene vult colere, diligenter aratrum suum sequitur, minat boves ut perficiat opus diei : ne forte torpens somno vel otio non recipiat fructum laboris sui, provida solicitudine boves aliquando cantu recreat, aliquando pungit aculeo, aliquando pabulo reficit, D ut his omnibus adjuti, terram bene excolant reddituram fructum suum in tempore opportuno. Eodem modo bonus pastor sive prælatus gregi suo cura pastorali debet assistere, ut forma gregis sui per exemplum bonæ conversationis efficiatur. Sic cum fratribus in claustro ad lectionem, in oratorio ad orationem, in refectorio ad cibos communes, in dormitorio ad duriciam lectuli, in capitulo ad correctionem culparum, et ea quæ ipse jubet alios facere, opere primus adimplere : habeat in ore suo cantum, id est promissionem futuræ beatitudinis, societatis angelicæ, ut ex tali promissione illi qui juste et sancte vivunt, in laboribus suis recreentur. Teneat etiam aculeum hoc est comminationem æterni supplicii

A ignis inextinguibilis, ut male conversantes timore supplicii a sceleribus suis coerceantur.

Debent etiam pabulo reficere, id est doctrina sana et spiritali exhortatione confortare pusillanimes, qui minus ferventes in divinis obsequiis inveniuntur, ut sic in prælato Ecclesiæ facta et dicta, vita et doctrina conveniant : ne si forte dicat et non faciat, audiat illud verbum Domini contra se directum : Super cathedram Moysi sederunt scribæ et pharisæi, quæ dicunt facile, opera autem illorum nolite facere (*Matth.* XXI). Dic quæso quid mihi proderit si tu bibas aquam puram, mihi vero porrigas illam turbidam, et pedibus conturbatam? Hoc non est me reficere, sed magis potum mortis propinare. Cum ipsi, inquit propheta, aquam lympidissimam biberetis, reliquam turbabatis pedibus vestris, et oves meæ quæ conculcata erant, vescebantur, et quæ pedes vestri turbaverant, hoc bibebant (*Ezech.* XXXIV). Pastores siquidem aquam lympidissimam bibere est, rectores ecclesiarum præcepta Dei, viam veritatis mente retinere. Eandem vero aquam pedibus conturbare est, ipsos Ecclesiæ rectores quæ recta dicunt vel sapiunt malis operibus confundere. Oves vero aquam pedibus conturbatam bibunt, quando subditi non ex his quæ prælati recte sapiunt, sed ex his quæ male faciunt, formam vivendi accipiunt. Sunt ergo in vestimento Aaron malogranata inserta tintinnabulis, id est virtutum et bonorum operum adunatio cum sono prædicationis, ne forte alios volens instruere, seipsum judicare videatur.

Vis ergo scire qualis doctrina prælati esse debet? Necesse est ut cum usuali moneta habeat aliquid commune. Moneta usualis tria habere debet, materiam, pondus, et formam : Ut sit materia probata, pondus æquale, forma autentica. Similiter doctrina pastoris hæc tria debet habere, ut sit probata, id est, justa ut non doceat nisi ea quæ justa et bona sunt : ut sit etiam ponderosa, id est, ut ipse cum pondere doctrinam proponat, hoc est, ut studeat ea facere quæ verbis vult dogmatizare. Similiter necesse est, ut doctrina prælati sit autentica, id est, autoritati sanctorum Patrum in nullo contraria, sed ea doceat quæ autoritas sanctorum protulit, vel quæ Christi veridica sententia promulgavit. Propter quod in rationali, quod pontifex legalis gestabat in pectore, duodecim nomina filiorum Israel inscripta erant, cum his duobus nominibus doctrina et veritas, ut eo ipso significaretur doctrinam prælati sanctorum Patrum vestigiis debere inniti. Sic ergo rectores ecclesiarum exemplo bonæ operationis subditos trahere et sana eruditione informare debent, ut bene vivendo et recta docendo sibi ipsis præmium, subditis vero provectum acquirant, et pro bona administratione temporalis officii in die retributionis una cum subditis mereantur intrare in gaudium Domini sui, præstante Domino nostro Jesu Christo, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SERMO XXVIII.

IN GENERALI CAPITULO.

Facies vectes de lignis setim, quos operies auro purissimo, inducesque eos per anulos aureos, qui sunt in lateribus arcæ ut portetur in eis (*Exod.* XXV). Quæ in lege Moysi historialiter scripta sunt et mandata, nos qui filii gratiæ sumus, spiritaliter debemus opere adimplere : ut facientes mandata Dei non secundum literam occidentem, sed secundum spiritum vivificantem ambulemus. Quid enim utilitatis confert nobis de arca fœderis, de vectibus quibus portatur, de anulis aureis, quibus vectes inserti sunt, de lateribus arcæ quibus adhærent anuli aurei, historialem habere noticiam, nisi et spiritaliter intelligantur. Per vectes igitur prælatos, per quatuor anulos aureos quatuor exercitia prælatorum, per arcam Ecclesiam, per quatuor angulos arcæ quatuor virtutes principales, id est prudentiam, temperantiam, fortitudinem, justitiam, per quas Ecclesia fortius roboratur, debemus accipere. *Facies*, inquit, *vectes*, etc. Ad vectem faciendum tria necessaria sunt, lignum, ferrum et humanum exercitium. In Scripturis per lignum vir justus frequenter significatur, sicut in libro Job : Lignum si præcisum fuerit, rursum virescit, et pullulant rami ejus (*Job* XIV). Et in Evangelio Christus dicit : Si hæc faciunt in viridi, subauditur ligno, in arido quid fiat? (*Luc.* XXIII.) Et in Psalmo : Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum (*Psal.* I). Ad vectem ergo faciendum lignum necessarium est, quia in prælatum vir justus et bonus est eligendus. Vectis iste non de quolibet ligno fit, sed de ligno setim. Lignum setim imputribile est et leve, albæ spinæ, ut dicitur, habens similitudinem : sic prælatus imputribilis esse debet per mundiciam mentis, id est a corruptione vitiorum immunis. Debet etiam esse levis, ut a pondere peccatorum liberatus, sursum feratur desiderio cœlestis beatitudinis. Prælatus etiam albæ spinæ comparatur : sicut enim spina pungit, ita et ille severitate disciplinæ vitia pungere debet zelo justitiæ, non livore maliciæ, quod notatur in eo quod non cuilibet spinæ sed albæ comparatur. Ferrum etiam ad vectem faciendum necessarium est, quod rami superflui præcidantur. Hoc ferrum judicium discretionis accipiendum est, quo prælatus delitias et voluptates hujus seculi a se præcidere debet, puta luxum, superfluitatem ciborum, verba et facta secularium hominum vitam redolentia : ne in istis tanquam in ramis quibusdam a sua conversatione procedentibus subditi ipsius offendant. Nam si quis in via ab hominibus frequentata lignum ramosum ex transverso poneret, transeuntes in illo pedibus offenderent et plerumque lapsum paterentur. Sic etiam prælatus qui alios in via Dei præcedere debet, si voluntate seculari tanquam ramis quibusdam vita ejus pullulaverit, offensionem præstat his qui debent eum imitari. Ponamus exercitum cum duce suo constitutos in acie, et cum hostibus congressuros, si dux

A belli forte oberraverit, milites in fugam convertuntur: Ita etiam prælatis et subditis cum steterint in prælio Domini contra spiritales nequitias pugnaturi. Hinc Dominus in Evangelio dicit : Qui scandalizaverit unum ex his pusillis, expedit ei ut mola asinaria suspendatur in collo ejus, et demergatur in profundum maris (*Matth.* XVIII) : testante beato Gregorio, per molam asinariam circuitus vitæ secularis, per profundum maris, extrema damnatio intelligitur : et est sensus, prælato qui prava conversatione scandalizat aliquem de pusillis, id est subditis suis, expediret ei magis in seculo solum perire, quam sibi subditos secum in pernitiem trahere.

Ad vectem etiam faciendum humanum exercitium exigitur, per quod exempla priorum Patrum debent B accipi. Moderni enim prælati qui illis successerunt, vitam et doctrinam illorum debent imitari, ut potius imitatores illorum, quam in dignitate successores esse glorientur. Illi enim lucernæ sunt non sub modio, sed super candelabrum positæ, ut omnes qui ingrediuntur, lumen videant. Mandat etiam Moyses, ut vir fratris sui defuncti uxorem ducens suscitet semen fratris defuncti, ita ut liberi defuncti nomine nascantur : per quod significatur, quia prælati moderni tales filios nutrire debent, qui antiquorum Patrum vitam et mores imitentur, *Facies*, inquit, *vectes de lignis setim, quos operies auro purissimo*.

Per aurum purissimum, divina sapientia designatur, per quam in præsenti vita erudimur ad sanC ctitatem, et ad futuræ vitæ amorem accendimur, quam continet lex et prophetæ et Evangelia et cæteræ sacræ Scripturæ, de qua scriptum est : Sapientia quæ desursum est, primo quidem pudica, deinde pacifica (*Jac.* III). Hac scientia prælatus quodammodo operiri debet, ut sciens mandata Dei, faciat ea : quia intellectus est bonus facientibus eum. Hoc est, quod sacerdos legalis in pectore portabat rationale, in quo erat scriptum doctrina et veritas. In superhumerali quod et super humeres portabat, scripta erant duodecim nomina filiorum Israel : quia prælatus doctrinam et veritatem debet portare in pectore, et nomina filiorum Israel in humeris, id est exemplo eorum benefaciendo viD vere. Est et alia sapientia, quæ dicitur industria in gerendis negotiis, de qua Paulus dicit : Quod oportet episcopum esse prudentem, et domus suæ bene præpositum (*I Tim.* III) : et ista sapientia prælato necessaria est, ut possit claustralibus, qui contemplationi vacant, necessaria ministrare. Dicitur etiam sapientia cognitio de causis creaturarum, quam Salomon habuisse legitur, ubi de eo scriptum est : Quia disputavit de omnibus ab hyssopo usque ad cedrum (*III Reg.* IV), id est de minimis et maximis. Aristoteles etiam hanc habuit sapientiam, qui dum causas rerum omnium sapienter investigasset, ad causam supremam quæ causa erat omnium causarum, inquirendo perveniens, dum causam illius causæ supremæ non inveniret

dixit: O causa causarum fac me tibi acceptabilem. Pastor ergo ecclesiasticus licet habeat industriam rerum secularium, vel cognitionem de causis creaturarum, non tamen in istis summam suæ religionis ponere debet, sed operire potius auro purissimo, hoc est divina sapientia, ut in omnibus quæ agit sive intus sive foris sit, semper in eo reluceat forma sanctitatis.

Ut autem prælatum Ecclesiæ ratione similitudinis auro purissimo comparemus, attende quod aurum in sole positum lucet, flammascit, et scintillat: sic pastor ecclesiasticus in sole, hoc est, in evidenti supra Ecclesiam Dei constitutus, lucere debet exemplo bonæ operationis, sicut scriptum est: Luceat lux vestra coram hominibus, etc. (*Matth.* v). Flammascere debet intus igne charitatis, ut sit lucerna non solum lucens sed etiam ardens, sicut Propheta dicit: Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis (*Psal.* ciii). Sic etiam et prælatus scintillare debet, ut sicut fomes ignis scintillas ex se emittit cum tangitur, sic et ille de igne charitatis scintillas sanctæ devotionis, et meditationis emittere debet, cum a Deo per gratiam visitatur. Operies, inquit, eos auro purissimo, non dicit argento, sed auro.

Sicut enim per aurum sapientia, ita per argentum eloquentia designatur. Non enim debent rectores ecclesiarum vacare eloquentiæ, allegationibus studere, tumultus causarum procurare, litibus a mane usque ad vesperum interesse, totum se aliis impendere nil sibi, quæ omnia magis Justiniani quam Augustini decent imitatorem. Jubentur autem vectes per quatuor anulos aureos induci.

Quatuor anuli aurei, quatuor sunt exercitia prælatorum in Ecclesia Dei: legimus enim in Levitico quatuor fuisse officia sacerdotum, scilicet imolare carnes animalium, aromata accendere, orare pro populo, semel in anno cum sanguine intrare in Sancta sanctorum. Is ergo qui præest primo debet carnes imolare per macerationem carnis, ut offerat corpus suum hostiam sanctam viventem, Deo placentem, ut castiget corpus suum et in servitutem redigat, ne cum aliis prædicaverit ipse reprobus efficiatur. Ad hoc valet experiri diætam refectorii, duritiam lectuli in dormitorio, longos tractus matutinorum, assiduitatem claustri, vestium asperitatem, et cætera hujusmodi quibus domatur corpus, et animæ subjicitur imperio. Debet etiam prælatus aromata accendere, hoc est, virtutes animi igne charitatis inflammare, ut dum omnes virtutes animi charitate moventur interius, reddant odorem suavissimum quo delectetur Deus. Et attende quoniam aromata quandoque accensa in altari, quandoque in manu gestata, quandoque pilo contrita in pulverem, odorem reddunt. Igne accensa reddunt odorem in altari, quando charitate cooperante, virtutes in mente moventur affectu devotionis: in manu gestata reddunt odorem, quando foris moventur ad fructum bonæ operationis: pilo vero contrita reddunt odorem, quando homo virtutibus acceptis seipsum parvulum et humilem computat, et propria æstimatione in pulverem se redigit, ut Paulus: Venit, inquit, Jesus in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum (*I Tim.* i). Et Propheta: Ego sum vermis et non homo (*Psal.* xxi). Tertium prælati officium est, orare pro populo, ut sit mediator Dei et hominum et orando avertat indignationem illius ab eis. Talem ergo se exhibere debet is, qui præest ut delectetur Deus in orationibus ejus, et postulata tanquam filio delicato libenter tribuat, sive pro se, sive pro populo oranti. Nam scriptum est: Si is qui displicet ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur. Quartum prælati exercitium est, cum sanguine intrare in Sancta sanctorum, quod est sanguine fuso pro Christo regnum cœlorum obtinere. Sicut enim scriptum est: Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis (*Joan.* x), ut tempore tentationis imminente ipse magis velit mori in corpore quam permittat aliquem de subditis suis anima perire. Unde Beatus Gregorius exponens illum locum Apostoli, qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat (*I Tim.* iii), dicit per bonum opus ibi martyrium designari. In primitiva enim Ecclesia tantæ perfectionis erant prælati, ut in ecclesiasticis dignitatibus magis coronam martyrii quam culmen honoris affectarent. Prædictis ergo anulis aureis vectes inseri jubentur, ut nunquam abstrahantur ab eis: quia prælato non sufficit vita interrasilis, id est, vita intercisa, ut modo bonus, modo malus sit, sed semper formam sanctitatis et bonorum operum debet habere, in quibus subditi eum imitentur.

Per quatuor angulos arcæ perfectos viros, qui in corpore sunt Ecclesiæ, per quos firmius consistit, intelligere debemus, qui etiam et ipsi quatuor spiritalibus vacant exercitiis quos superius prælatis assignavimus. Vel per quatuor angulos, quatuor principales virtutes accipiendæ sunt, scilicet prudentia, temperantia, fortitudo, justitia. Istæ enim roborant Ecclesiam contra quatuor vitia, quæ illam impugnant, quæ sunt ignorantia boni, immoderata delectatio seculi, timor adversitatis, affectus inordinatæ dilectionis. Sunt enim aliqui, qui tenebris ignorantiæ cæcati, viam vitæ ignorant, et ideo nec diligunt, nec sequuntur eam: quibus prudentia necessaria est, quæ illis depulsa ignorantia viam salutis et cognitionem veritatis, ostendit. Alii sunt, qui rebus hujus seculi ad usum sibi concessis immoderata delectatione abutentes in voluptates noxias dejiciuntur, quibus temperantia necessaria est, per quam rebus licitis utendo ad sobrietatem revocantur. Sunt etiam plerique, qui fracti adversitatibus hujus seculi, scilicet infirmitate corporis, sine damno rerum temporalium, vel quacunque alia tribulatione quæ in mundo sunt, intus virtutibus animi deficiunt: et istis fortitudo necessaria est, quæ ad toleranda adversa constantiam animi in eis

die ac nocte. Dum enim his qui in tenebris sunt A ignorantiæ, orthodoxa eruditione lumen divinæ cognitionis infundunt, quasi ab oriente flatum spiritalem emittunt. Venti flantes ab occidente sunt hi admiratores secretorum cœlestium, qui pondus æternæ gloriæ non sufficiunt capere, et ideo intellectu velut sole quodam intelligibili in eis occidente, conversi in admirationem tanquam ab occasu flatum mittunt : venti flantes ab aquilone sunt, qui inter tribulationes et mala præsentis vitæ suspirantes, desiderio futuræ patriæ ad Deum respiciunt : venti flantes a meridie sunt hi qui, remoto omni turbatione et nubilo, mente tranquilla velut cœlo sereno flatum sanctæ devotionis tanquam a meridie emittunt.

Habent autem venti isti pennas suas, videlicet B investigationes Scripturarum, admirationem cœlestium, desiderium dilectionis, contemplationis gustum, quibus spiritali quodam volatu ad cœlum ascendunt. Sed his pennis altior est, qui ponit nubem ascensum suum, qui ambulat super pennas ventorum. Videbitur forsan alicui, quod Salvator noster non uno modo super has pennas ascendit : quoniam quandoque sedet, quandoque ambulat, quandoque volat super pennas ventorum. Sessio autem Christi in natura humanitatis, ambulatio in sacramentis, volatus in natura divinitatis consideratur. Cum enim intellectus, sive quilibet affectus cordis nostri circa humanam Christi naturam, aut ea quæ gessit in corpore versatur, quibus se inclinans nostræ cognitioni se voluit manifestare, tunc sedet super pennas C ventorum. Quando vero circa sacramenta ejus corde versamur, in quibus sensus noster infirmus est, ubi ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus, tunc ambulat super pennas ventorum. Per celsitudinem vero divinitatis, qua omnem humani generis capacitatem supergreditur, nec ad noticiam nostram pervenit, volat super pennas ventorum. Tu ergo si volantem sequi non potes, tene sedentem, sequere ambulantem. Quoniam et si super te est divinitate, sed certe juxta te est humanitate. Juxta te, inquam, est, ut si te ostendas miserum, si plangas tua peccata, faciat tecum misericordiam. Super te est ut faciat tecum judicium sine misericordia, si inveniat contumacem et a via justitiæ alienum. Et D propterea fugiamus omnes ad misericordem, qui prope nos est, ut in ipso consolati et confortati in futuro non metuamus judicem, sed expectemus beatitudinis, quam repromisit nobis, cohæredem Jesum Christum Dominum nostrum, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SERMO XXXII.

IN ASCENSIONE DOMINI.

Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt (*Apoc.* XIX). Videntur nuptiæ istæ inauditis quibusdam delitiis eminere In quibus non vinum electum, non fercula hujus creationis, non sacietas corporis, non temporalis lætitia, sed beatitudo repromittitur, et talis beatitudo, quæ est pax æterna, thesaurus indeficiens, summa gaudiorum, consummatio omnis consummationis.

Non ergo accipiendæ nuptiæ illæ hominis regis, quas fecit filio suo, quia ad illas cæci et claudi, et quique debiles compelluntur intrare (*Matth.* XXII); non illæ quæ factæ sunt in Cana Galilææ (*Joan.* II), ad quas vocatus est Jesus cum discipulis suis, quoniam ibi deficiente vino, aliquid minus inventum est, sed potius nuptiæ Agni, sunt æterni Regis delitiæ, ad quas Christus cum victorioso beatorum spirituum agmine hodierna die assumptus est. Multum ergo distant nuptiæ istæ a prædictis, quia ad primas vocantur miseri, ad secundas justi, ad tertias vero beati. Quod si et nomine et numero nuptias velimus distinguere, dicemus tria esse genera nuptiarum : primas desponsationis, secundas propagationis, tertias consummationis. Nuptias desponsationis appellare possumus, primam reconciliationis gratiam, qua anima peccatrix ad Deum revertitur, ut jam legi peccati non serviat : nuptias propagationis, vitæ innocentiam, quando jam justificata fructum bonorum facere contendit : nuptias consummationis, futuræ vitæ gaudia, cum jam intraverit ad præsentiam Domini sui.

Ut autem de primis nuptiis primo loquar, quæ sunt desponsationis, jam nunc, o anima misera, quæ sola ad has nuptias vocata es, jam, inquam, ingredere secretum cordis tui, et considera qualis fuisti antequam ad nuptias istas vocata esses, quando in rota hujus mundi movebaris sine stabilitate, laborabas sine requie, currebas sine perventione, vivebas sine ordine, usque adeo criminum tuorum squalore confecta, ut nec etiam ulla imago Dei tui in te reluceret. Vilis utique tunc eras et fœda, et longe projecta a facie Dei tui, nec immerito. Ut enim statuam te ante faciem tuam, tu es quæ super caput Sponsi tui posuisti coronam spineam, et data in manu ejus arundine, flexo genu illudebas ei. Quod melius intelliges, si coronam spineam, aculeos peccatorum et circuitus erroris tui, caput vero Christi bonæ vitæ principium velis accipere. Sicut enim in corpore materiali initium corporis caput est, sic et in corpore spiritali, quod est vita bona, principium bonæ vitæ caput Christi non incongrue appellatur. Tunc ergo spineam coronam posuisti super caput ejus, quando bonæ vitæ principium, quod per sacramentum regenerationis sive per lamenta pœnitentiæ Deus in te operatus fuerat, reversus ad vomitum male vivendo destruxisti. Similiter virgam illam ferream inflexibilis justitiæ Dei, in arundinem quæ intus vacua est, commutasti, dum justum Dei judicium quod iniquis pro sceleribus suis repositum est, temeraria præsumptione veniæ evacuandum existimasti. Quid demum aliud est genuflexio quam humiliatio corporis, vel illusio, quam contumacia mentis? Ergo genuflexio Deo illudere fuit, corpore laboribus pœnitentiæ humiliato, per rediviva vitia mente contumaci Deo ingratum existere. Et ecce tam honorabilis facta es in

conspectu Dei, ut non solum te tam vilem redimere, sed etiam in sponsam sibi sociare voluerit, nisi forte tam pertinacis sis impudicitiæ quod nuptiis ejus et ferculis tibi præparatis nolis delectari.

In ipsa ergo desponsationis tuæ die tibi tria fercula apponit Sponsus tuus, quorum primum est ablutio criminum, secundum æmulatio virtutum, tertium reparatio bonorum naturalium. His epulis pasci te oportet, ut Sponso tuo placeas, cui te probasti. Primo ut per ablutionem criminum munda et immaculata appareas in conspectu ejus, quia non ad hoc tam deformem redemit ut talis remaneres, sed ut lotam aquis pœnitentiæ sine omni nævo fœditatis sponsam sibi possideret. Nec solum mundam a vitiis, sed etiam virtutum æmulatione oportet te esse ornatam : quia totus pulcher totam pulchram desiderat. Et ipse speciosus forma præ filiis hominum, ad hoc ut et tu speciosa sis te concupivit, et ne aliqua forte excuseris inopia jubet Sponsus de thesauris suis tibi proferri ornamenta, dicens : Cito proferte stolam primam et induite illam, et date anulum in manum ejus, et calciamenta in pedes ejus (*Luc.* xv). Hic per anulum signaculum fidei, per calciamenta mortificationem carnis, per stolam primam, consolationem futuræ repromissionis debemus accipere. Tunc ergo anulum in manu tua dat Sponsus tuus, quando fides, quæ per defectum bonorum operum in te fuerat mortificata, studio bonæ operationis reformatur. Calciamenta vero dat in pedes tuos, dum per mortificationem carnis castigas corpus tuum et in servitutem redigis, ut membra quæ exhibuisti arma iniquitatis ad iniquitatem, serviant justitiæ in sanctificationem. Stola prima indueris, dum in pressuris et laboribus hujus mundi futuræ vitæ repromissione consolaris. Et, ut melius te ipsam cognoscere possis, vultum, gestum, habitum, in speculo sacri eloquii vult te faciem tuam componere, et admirari : quia sicut in speculo materiali forma et deformitas cognoscitur, sic et in speculo verbi Dei virtutes et vitia cognoscuntur. Ibi ergo oportet te ornatum quærere, ut in mandatis Dei cognoscas qualiter vivendum, vel in via Dei ambulandum sit, quid tibi, quid Deo, quid proximo debeas, et omnino ea quæ ad electionem et fugam pertinent, id est sive ad amorem virtutum, sive ad odium vitiorum. Postea tertium apponitur ferculum, quod est reparatio bonorum naturalium; ipsa sunt memoria, voluntas, ratio et intellectus : ut videlicet memoria Deum recolat, voluntas appetat, ratio inquirat, intellectus comprehendat.

Jam nunc ad secundas transitur nuptias, scilicet propagationis, in quibus nihil amarum, nihil injocundum, nihil inhonestum reperitur : quippe sponsa in secretarium Sponsi sui admissa, illum cogitat, illum amat, et castis ejus inhæret amplexibus dicens : Dilectus meus mihi, et ego illi (*Cant.* II). Jam longe sit antiqua peccatorum delectatio, cessat amor mundi, non trahit illam affectus sanguinis, vel quicquid desiderari potest super terram : quia in illo omnia se possidere æstimat, quem in omnibus et super omnia præelegit. In his ergo nuptiis similiter apponuntur tria fercula sponsæ delicata valde, quorum primum est, sacræ disciplinæ eruditio : secundum, orationum supplicatio : tertium, supernæ vitæ prælibatio. Istis ferculis anima per amorem Deo firmiter adhærens, pascitur ad fructum bonorum operum faciendum, quia sacræ disciplinæ eruditio docet eam bona cognoscere, orationum supplicatio bona custodire, supernæ vitæ prælibatio bona amare docet : ut, sic in via mandatorum Dei usquequaque perfecta, jam non sterilis sed fœcunda in Israel nominetur. Videres hic multiplicem propagari sobolem, scilicet æstimationem propriæ infirmitatis, humilitatem subjectionis, comparationem melioris, reverentiam Creatoris. Is enim qui vere Deum diligit, primo infirma sua ante oculos ponit, ut nihil de se altum, nihil sublime sapiat : quin potius veretur omnia opera sua, semper portans secum conscientiam infirmitatis suæ, et cum omnia benefecerit, dicet se esse servum inutilem, et pigrum operarium in ministerio Dei sui. Post hanc nascitur humilitas subjectionis, ut is qui parvus est in oculis suis, humiliet seipsum subditus propter Deum sublimiori potestati, et totum se alieno imperio committat, nihil propriæ reservet voluntati. Tertio nascitur comparatio melioris, ut in omnibus bene agendis semper æstimet alium se meliorem, aliorum bona, sua mala ante oculos ponat, ut, perspectis bonis aliorum, amet et veneretur proximum : propriis vero malis consideratis, in conspectu divini Judicis accuset seipsum. In hoc enim vere differunt isti, et illi qui falsam sectantur justitiam, quod isti parvi in oculis suis seipsos humiliant, illi magnificantes seipsos, cum nihil sint, cæteros omnes se æstimant inferiores. Reverentia vero Creatoris est, ut omnia quæ bene fecerit homo, Deo et non propriæ virtuti attribuat, illum rectorem viæ suæ et auxiliatorem ponat : et si quid dubium vel suspectum, si quid laboriosum vel periculosum provenerit, illum primo loco æstimet consulendum.

Et quidem ad has nuptias invitati justi sunt, sed beati, qui ad cœnam Agni vocati sunt. Forte ideo beati, quia non esurient neque sitient amplius : eo quod Agnus, qui in medio ipsorum est, reget illos, ipse præcinget se et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. Et in his ergo nuptiis tria fercula sponsæ apponuntur, quorum primum est naturæ incorruptio : secundum, corporis glorificatio : tertium, perennis Dei visio. Quid hac beatitudine beatius esse potest, in qua incorruptio vitium, glorificatio incommodum, Dei visio luctum et dolorem tollit? Beati ergo qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt, in qua plena satietas, consummata voluptas, et beata jocunditas invenitur, ut convivæ illius cænæ extra illam nihil possint appetere, qui Deum, qui est omnia in omnibus (*I Cor.* xxviii), perfecte ibi noscuntur possidere. Beati ergo

in spe, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati, id est prædestinati sunt : vel beati in re, qui ad cœnam illam vocati, id est admissi sunt. Ideo autem futuræ vitæ gloria cœnæ comparatur, quia sicut cœnam alia non sequitur refectio, ita et futuræ vitæ alia non succedit. Ecce, fratres dilectissimi, nuptiæ istæ præparatæ sunt, ad quas Christus hodierna die, cum beatis spiritibus hominum et angelorum recedit, nos similiter ad illas invitans, dummodo evestigio viam, per quam ad illas ascendit, tenere velimus.

Et quidem via, qua exaltatus est, via fuit orientis, sicut de eo scriptum est : Qui ascendit super cœlum cœli ad orientem (*Psal.* LXVII). Unde et omnes qui ad nuptias illas cum ipso discumbere volunt, per viam orientis oportet eum imitari. Consideret B ergo unusquisque viam suam per quam ambulat, ne forte gradiatur in invio, et non in via : quia sicut diversa sunt hominum genera, ita et diversæ vivendi viæ reperiuntur. Alii enim tenent viam orientis, alii viam meridiei, alii viam occidentis, alii aquilonis. Via orientis bona est, eo quod securior, rectior, et brevior fit cæteris : via meridiei periculosa est, quia nimio calore viatorem suum exurit, et debilitatum deficere facit in via : via occidentis periculosior, quia tenebræ ab occidente emergentes claritatem diei tollunt, ut is qui per illam graditur, pedibus offendat : via aquilonis periculosissima, quoniam frigus nimium ab illa cœli plaga veniens, adeo induratum et pigrum reddit gradientem, ut nec etiam aspirare velit ad viam illam rectam, C quæ respicit ad orientem. Est autem via orientis, via Salvatoris, quia de eo scriptum est : Ecce vir oriens nomen illi (*Zach.* VI). Via meridiei, delectatio carnis, ut in Canticis dicitur : Indica mihi ubi pascas in meridie (*Cant.* I). Via occidentis cæcitas est ignorantiæ, ut per Salomonem dicitur : Oritur sol et occidit, et ad locum suum revertitur (*Eccl.* I). Via aquilonis frigus est malitiæ, sicut in Ezechiele dicitur : Vidi, et ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone (*Ezech.* I).

Qui ergo per viam meridiei gradiuntur sunt hi, qui amant carnis suæ desideria et voluptates hujus vitæ, vacantes comessationibus et ebrietatibus, omnibus hujus mundi delitiis, quæ ad delectationem D corporis pertinent, se totos offerentes, ex qua voluptate calor immoderatus accenditur, videlicet affectiones malæ, carnales voluptates, luxuriæ et immundiciæ, quæ ita exurunt animam miseram, ut nulla consolatione vel delectatione spiritali recreari possit. Nam sicut spiritus et caro inter se contraria sunt, sic delectatio carnalis et delectatio spiritalis, in tantum, ut quantum augetur in anima spiritalis delectatio, minuatur in illa delectatio carnalis, et quantum crescit in illa delectatio carnalis, minuatur delectatio spiritalis. Hinc est quod hujus viæ sectatores magis carnales homines quam spiritales diligunt, jocos magis quam seria, turpia verba quam honesta magis accepta habent : quia unus-

A quisque id magis diligit, quod moribus suis magis aptum esse cognoscit.

Qui vero per viam occidentis gradiuntur, hi sunt, qui mala sua non vident, et ideo non pœnitent, neque bona cognoscunt : et ideo non diligunt illi, qui periculosius errant quam cæteri, eo quod nesciant quærere viam salutis : sicut in ægro videmus accidere, quod hi qui morbum suum non sentiunt, et ideo non quærunt remedium sanitatis, periculosius laborant quam illi qui graviter quidem infirmantur, sed morbo cognito subvenire student consilio medicinæ. De hoc genere hominum sunt hi qui errantes in tenebris impios justificare, et pios opprimere student, mortificantes animas quæ non moriuntur, vivificantes animas quæ non vivunt. Inter cæteras B vero ignorantias illa deterior est, dum homo vult ignorare quod potest et debet scire : ut si avertat quis aurem a mandatis Dei, ne, cum intellexerit, obnoxius sit ea adimplere : vel cum vult ignorare delictum proximi sui, quia [non] vult illum corrigere : vel gratiam ipsius negligit, quia non vult illum commendare.

Qui vero ad aquilonem vadunt, hi sunt, qui malitia cordis, id est, odio, invidia, rancore animi, adeo indurati sunt, quod proximum suum, sicut Deus præcipit, amare non possunt, tota intentione in id semper tendentes, ut aliis noceant, et illos supplantent : quod si forte non possunt in opere, tamen id faciunt studio perversæ voluntatis, de quibus dicit beatus Augustinus : Videmus in quibusdam vitia C cessare, non deesse. Cessant in eis, dum non implent ea opere, quia non valent : nec tamen in eis desunt, quia perversæ voluntatis studio illa amant et cupiunt. Tales ergo recte ab aquilone veniunt, quippe ab illa cœli plaga quandoque et ver serenus, et ventus frigidus perpenditur. Sic et hujus viæ sectatores exterius plerunque speciem bonæ conversationis protendunt, sed intus frigore iniquitatis astricti adeo projecti sunt, ut nihil horum acceptum habeant, quæ bona videntur in exteriori conversatione. Sicut enim potens homo obsequium exterius et studiosum ministri sui contemnit, quem erga se habere cognoscit odii affectum, ita et Deus illos judicat, qui foris obsequium se ei præstare si- D mulant et per cordis malitiam longe ab eo sunt separati. Ecce tres vias habemus distinctas, quæ ducunt hominem ad perditionem. Nec volo ut aliquis me austeritatis arguat, eo quod illas distinguendo asperius forte quam debui sum locutus. Sicut enim ille qui virgam tortuosam vult dirigere, quandoque in alteram plus justo eam reducit, quia reflexum metuit : et ita illi qui vitia persequuntur, quandoque plus justo invehuntur in illa, quia timent recidivum.

Restat ut viam teneamus orientis, id est, vitam imitemur Salvatoris nostri. Vita autem ipsius fuit, seipsum abjicere et alios exaltare. Quomodo autem se ipsum abjecerit, cognosces si in qua paupertate natus, si quales persecutiones et contradictiones

sustinuit, si deinde improperium crucis velis attendere. Similiter quomodo alios exaltavit liquidum est, si et vitam justorum in hoc seculo, et gloriam in futuro perpendere velis. Ut ergo vitam imitemur Salvatoris nostri, viles et abjectos nos esse oportet, quia talem vivendi modum ipse nobis præfixit. Mortui estis, inquit Apostolus, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo (*Coloss.* III). Si mortui sumus, et mortui imaginem tenere debemus, qui contumeliis affectus non exasperatur, non provocatur injuriis, nulla demum vexatione attrectatus immitem se ostendit, quin potius omnia suffert, eo ipso nobis vivendi modum repræsentans, ut et nos abjectos et viles reputemus in contumeliis et pressuris, et in omni demum adversitate patientes, magis parati ministrare quam ministrari, et injurias ferre quam inferre : quia hæc est via illa orientalis, quæ ad nuptias cœlestis regni perducit. Legitis de quodam philosopho, quod dum iret per viam stipatus lateribus comitum, mulierem fatuam panem in manu sua tenentem obviam habuit, a qua dum instanter panem peteret repulsus est, et adhuc perseverans in petitione multis verborum contumeliis ab illa objurgatus est. Cumque a sociis interrogaretur, cur hoc faceret? respondit : Disco repulsam ferre, in virtute patientiæ viam considerans esse perfectionis.

Nec solum debemus nos abjicere, sed etiam et alios exaltare, proximorum mala corrigentes, et illorum bonis congaudentes, docere eos qui nesciunt, supportare eos in Domino qui minus possunt, ut semper velimus aliis facere, quæ ab ipsis nobis fieri postulamus. Respicite fundamentum ædificii, quod in loco viliori, id est terra fundatum est, et tamen totam fabricam parietum, et ipsum tectum portat et exaltat, vento autem vehementi irruente frequenter accidit, ut tecto et pariete ruentibus, fundamentum immobile perseveret. Similiter est de illis, qui seipsos viles æstimantes, cæteros propter Deum exaltant et sustinent, quando vento tentationis irruente cæteris succumbentibus illi immobiles confirmati a Domino perseverant. Stat inconcussa illa sententia Domini qua dicit : Qui se humiliat, exaltabitur (*Luc.* XIV). Exaltat enim vere humiles illa exsultationis via, qua per orientem convivas cœlestis regni ad cœnam nuptiarum Agni perducit Jesus Christus Dominus noster, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SERMO XXIII.

IN ASCENSIONE DOMINI.

Comedite, amici mei, et bibite, et inebriamini, charissimi (*Cant.* V). Hodie, fratres dilectissimi, Redemptor noster super cœlos exaltatus, et in locum æterni illius convivii ingressus, electos etiam suos ad divitias gloriæ suæ invitat, ut et ipsi edant et bibant super mensam ejus in regno Dei.

Non enim tantæ beatitudinis convivium capere poterat locus iste horroris et vastæ solitudinis, A cujus amatores quotidie appetunt, et quotidie fastidiunt, utpote qui egestati præparatus est, non satietati. Omnia siquidem quæ in regno hujus mundi dulcia videntur, fine clauduntur amarissimo, usque adeo ut nec gustanti sapiant, nec reficiant esurientem, suæque amaritudinis secum ferentia testimonium, modo noxia sunt, modo injocunda, vel si quid invenitur in eis quod delectet, quia momentaneum est et cito transit, inter fugienda reputandum. Unde Paulus apostolus ab amore talium nos revocans, et ipse etiam ad delitias æternitatis nos invitat dicens : Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram (*Coloss.* III). Sicut enim Christus mortuus pro peccatis nostris, et resurrexit propter justificationem nostram, ita B quoque ascendit, ut nos ascendere faceret de his tenebris in admirabile lumen suum ad illas beatitudinis delitias, quas præparavit electis suis a constitutione mundi.

Quia tamen durum est et difficile valde homini adhuc mole corporea prægravato æquis passibus imitari Deum, qui ponit nubem ascensum suum et ambulat super pennas ventorum (*Psal.* CIII), duo adhuc alia convivia præparavit ei Deus, ne deficeret in via, ut sic triplici edulio tandem consummaretur. Fuit autem primum convivium in paradiso voluptatis, secundum est in hac valle peregrinationis, tertium erit in beatitudine futuræ felicitatis. Primum fuit ad auxilium, secundum est ad remedium, tertium erit ad gaudium. Ad primum convivium invitati sunt C primi parentes nostri inter quos serpens ille antiquus, quasi architriclinus medius consedit, qui lignum fœtidum male eis ministrando seduxit eos per oblivionem Dei, unde prævaricatores constituti tunicam immortalitatis perdiderunt et vestem nuptialem. Et fructus quidem ejus, o Adam, dulcis gutturi tuo, sed timeo ne faciat amaricare ventrem tuum. De prima enim eadem arbore subsecutus est alius fructus amarus valde, imo amarissimus. Vis videre qualis? Languor naturæ, afflictio spiritus, appetitus mali, calamitas supplicii, ut sit languor sine remedio, afflictio spiritus sine solatio, appetitus mali sine modo, pœna supplicii sine termino. Jam ipsa vexatio potest tibi dedisse intellectum, ut per experientiam sentias ficus malas, malas valde, quas conD viva tuus hostis humani generis tibi apposuit, quarum gustu malum perversitatis expertus es in culpa, postmodum vero malum adversitatis in pœna. Ecce mors in olla tibi oblata est, et non cognovisti. Comedisti enim et mortuus es. Quanto prudentius filii prophetarum olim convivati sunt, qui dum sylvestres herbas amaritudine plenas in ollam concidissent, consilio Helisæi mortem, quam in olla invenerunt, admixtione farinæ dulcoraverunt, usque adeo ut nihil amaritudinis apposita farina remaneret (*IV Reg.* IV). An non etiam tibi mors in olla apposita est, quando suggestio venenata serpentis præmeditatione, quasi in olla decocta, præceptum Dei tui prævaricari te fecit (*Gen.* II)? Sed consilio

Helisæi, videlicet Dei prohibentis ne de fructu ligni comederes, debueras hanc mortem admixtione farinæ, id est subtili rationis examine temperasse, ut quodam modo dulcis tibi fieret dum victrix conscientia de hoste triumphato tentationi non consentiendo gauderet.

Sed jam tardum est consilium postquam corruisti, sed nec tamen adhuc obliviscitur tui misereri Deus, quoniam et in præsenti miseria, secundum tibi convivium præparavit, et pro ligno vitæ quo in paradiso voluptatis conservare debueras vitam temporalem, aliud quoddam lignum vitæ tibi offert, cujus fructus longe melior, excellenter efficacior est, utpote cujus esu æternam beatitudinem assequeris. De hoc ligno Joannes in Apocalypsi scribit dicens : Qui vicerit dabo ei edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei (*Apoc.* II). Hoc lignum vitæ, ni fallor, crux Christi est sive imitatio passionis ejus. Hoc lignum plantatum est in paradiso Dei, videlicet in Ecclesia ut de ejus fructu omnes laborantes et onerati reficiantur : et qui in Adam mortui sunt, extendant manum ad hoc lignum et vivant in æternum. De hoc ligno beatus Job dicit (*Job.* XIV) : Quia si præcisum fuerit, rursum virescit, et pullulant amplius rami ejus : quippe quilibet gerens crucem Domini in corpore suo, et existens imitator passionis ejus, dum per corporales molestias atteritur, spe futuræ remunerationis revirescit fortior effectus, et sic pullulant amplius rami ejus, dum propter ipsum, cui se probavit, ad ampliora et majora sustinenda, animus per patientiam roboratur.

Est igitur fructus istius ligni, quo secundum hominis convivium instauratur, opprobria sustinere, paupertatem amare, laboribus et ærumnis corpus macerare, pro fratribus in necessitate animam ponere (*Luc.* XIX). Comedit de fructu hujus arboris Zachæus, quando factus amator paupertatis, dimidium bonorum suorum dedit pauperibus, et in quo aliquem defraudavit, restituit quadruplum. Similiter et illi de hoc fructu comederunt sustinendo opprobria, de quibus Apostolus scribit, dicens : Sustinetis, inquit, si quis in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis vos in faciem cædit (*II Cor.* XI). Joannes quoque Baptista, vestitus pilis camelorum, et pastus melle silvestri, ad hoc convivium resederat per macerationem carnis. Sic et autor vitæ eodem convivio refectus est, quando pro fratribus animam posuit. Plura sunt exempla talium, sed nunc tibi loquor, homo, qui vovisti votum Deo Jacob : dum contumeliis afficeris, dum vilibus pannis te indutum aspicis, dum pallet vigiliis vultus, dum jejuniis corpus atteritur, placet ne convivium hoc ad quod Christus te invitavit? O utinam placeat, et non fastidias in præsenti sic convivari, ut in futuro fructum recipias pacatissimum : quia licet gustus hujus refectionis amarus sit, est tamen fructus dulcis. Sic certe potio amara dum sumitur, cauterium pungit cum inciderit, pu- A gna in agone periculosa est dum committitur, et tamen hinc adeptio sanitatis, illinc mitigatio doloris, inde vero jocundus victoriæ finis consequitur.

Sed non omnes capiunt verbum hoc. Quippe diversi diversis modis fructum ligni, quem prædiximus, comedunt. Alii enim comedunt et amplius appetunt, alii comedunt et fastidiunt, alii vero non comedunt sed contemnunt. Comedunt et appetunt veri imitatores Christi, quos delectat silentium claustri, labor corporis, parcitas ciborum, diuturnitas vigiliarum, rigor disciplinæ, libertas inopiæ, non æstimantes condignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in eis. Comedunt et fastidiunt illi, qui pondus diei et æstus portant, sed tamen quasi rota plaustri murmurant B sub onere, prælatis inobedientes, cum æqualibus discordes, ad minores contumaces, impatientes disciplinæ, amatores discordiæ. Et ut de ciborum loquar fastidio, si apponas eis fabam, non placet, quia nutrit melancholiam : si porros, fastidiunt propter choleram ; caseus obest pectori, indigestionem pariunt fructus arborum, et ut brevi verbo cætera comprehendam, hoc solum diligunt, quod sederit arbitrio propriæ voluntatis.

Tertii vero, qui de hoc convivio non comedunt sed contemnunt, sunt reges gentium, principes provinciarum, pastores Ecclesiarum, imo desertores cæteri quoque amatores hujus seculi, qui mollibus vestiuntur, et epulantur quotidie splendide, quibus C parum est vestigia passionis Christi non imitari, nisi vita et conversatione crucem Christi quantum in ipsis est persequantur ; horum plane convivium figuratur recte in illo Herodis facto, de quo in Evangelista legitur : Cum adesset enim dies natalis ejus, fecit convivium principibus, et tribunis suis, et primis Galilææ, quibus convivantibus, Herodias saltavit coram rege, et placuit simul discumbentibus, cui dum rex offerret munus pro arbitrio, illa petiit caput Joannis Baptistæ (*Matth.* XIV). Herodes *pelliceus*, Herodias *gloriosa*, Joannes *Dei gratia* interpretatur. Natalis Herodis successus est terrenæ prosperitatis : principes et tribuni et primi Galilææ, præeminentes sunt animi virtutes, per quas de vitiis ad virtutes debeat transmigrare : Galilæa D enim transmigratio dicitur. Igitur Herodes est quilibet homo vitæ voluptatibus et desideriis carnis involutus, unde et pelliceus congrue dicitur : pellem, inquit Job, pro pelle, et omnia quæ possidet homo dabit pro anima sua : pellem vocans divitias et voluptates, quibus voluptuosi quique in hac vita foventur. Iste Herodes natali suo primatibus suis convivium facit, quando in successu terrenæ prosperitatis animus carnalis virtutes animæ, videlicet rationem, memoriam, voluntatem, ad delectationes rerum temporalium inducit. Herodias, quæ interpretatur gloriosa, ipsa est superbia : saltat coram discumbentibus, quando mentes pravorum eo ipso quod voluptatibus et illicitis desideriis effluunt, ventum inanis gloriæ quærunt et favorem

humanæ laudis : sicque evenit, ut ad petitionem illius, Joannes decolletur. Joannes Dei gratia dicitur. Caput ergo Joannis est recta intentio virtutis. Joannes ergo, ad petitionem Herodiadis, decollatur, dum pulsante superbia mentes secularium, intentio operis ipsorum in nullo virtutis corpore solidatur.

Ergo de convivio Jesu sancti viri comedunt et appetunt, falsi fratres comedunt et fastidiunt : seculares vero non comedunt, sed contemnunt. Ideoque non perveniunt ad tertium illud æterni Regis convivium, cujus in principio mentionem fecimus, quod hodie caput nostrum principiumque præcessit, in quo præcinget se Jesus, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. Cujus beati convivii Salomon meminit dicens : Exultabimus et delectabimur in te, memores uberum tuorum super vinum (*Cant.* I). Et David propheta : Satiabor cum apparuerit gloria tua (*Psal.* XVI). Ne autem aliquis ab hoc convivio esset excusatus, misit Paterfamilias servos suos prophetas, qui annunciarent in populis, et notum facerent. Venit demum architriclinus hora cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia tauri et altilia occisa sunt, et parata sunt omnia (*Matth.* XXII). Vere parata sunt omnia, nisi illi qui invitati sunt fuerint imparati. Quid enim deesse potest illi convivio, in quo charitas satiat, jocunditas inebriat, prudentia dispensat, justitia ministrat, immortalitas vestit, impassibilitas custodit, sanitas appetit, æternitas impendit, veritas illuminat, concordia pacificat. Ecce, fratres dilectissimi, ad hoc convivium vocavit nos Dei Filius et venire tardamus, compellit intrare et renitimur, præcessit ascendendo in cœlum et non imitamur.

Certe si exisset edictum a Cæsare Augusto ad principes et tyrannos, ad quosque terrigenas, et filios hominum, ut se præsentiæ suæ præsentarent, urgerent, festinarent, concurrerent omnes regio edicto parituri, ubi forte laboribus essent periclitandi, vel morituri in bello, vel pro crimine læsæ majestatis, rei familiaris vel honoris discrimen essent perpessuri. Similiter si decretum concilii a sede Romana processisset, videres rectores Ecclesiarum non jam asinas sternere, sicut in diebus antiquis, sed equos et mulos quibus non est intellectus, de thesauris Ecclesiæ marsupia imprægnare, quatenus honorati apparerent, in conspectu sui judicis, tristem forte sententiam audituri. Et tu, o anima Christiana, ad delitias Regis æterni invitata, quare non festinas ingredi in illam requiem, ubi mors non erit, neque luctus, neque clamor, neque ullus dolor, quæ priora transierunt ? An nescis quoniam quo vocat te Redemptoris tui gratia, etiam natura cœlestis te adducit ? Cœlestem enim habes originem, quæ imaginem summi Regis portas, scilicet rationem et intellectum. Unde Paulus : Scimus, inquit, quoniam filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus. Philosophus etiam mundi tuam tibi denuncians originem de te tuisque similibus dicit :

Ignea vis illius est et cœlestis origo,
Seminibus (hoc est animabus) *quantum non noxia* [*corpora tardant* (4),
Defessique gravant artus moribundaque membra.

Attende ergo, o anima misera, et vide, si dolor similis sicut dolor tuus. Omnes enim creaturæ legi naturæ obediunt : quippe oritur sol et occidit, et ad locum suum revertitur naturaliter : intrant flumina in mare, et ad fontem suum revertuntur, ut iterum fluant. Omnia gaudent in suis similibus, tu sola facta ignobilis, a conditionis tuæ dignitate te dejecisti, quia terrena in habitatione prægravata, passionibus carnis compelleris deservire. Quod et poeta ille Mantuanus ostendit, dicens :

Hinc metuunt, cupiunt, gaudentque, delentque, nec [*auras*
Aspiciunt, clausæ tenebrisque et carcere cæco (5).

O utinam vel in hoc carcere constituta saperes et intelligeres, quia eo ipso quod in miseriis non subsistis, quod labore et dolore fatigaris, eo ipso, inquam, admoneris non tibi statuere hic manentem civitatem, sed futuram inquirere. Et ut de visibilibus ad invisibilia fiat collatio, sicut dicit quidam :

Serum [cum] *bene sit clausæ cavea Pandione natæ* [hoc est Philomelæ
Nititur in silvas illa redire suas.
(Ovid. *De Ponto*, l. III, v. 39 40.)

Sume quamvis aviculam et include eam in caveam, largire potum, ministra cibum in abundantia, non his omnibus mansuescit : quin dilectas sibi solitudines repetat, si habeat locum effugiendi. Quare hoc ? quia suæ naturæ magis videt competere deserta quam urbana. Et tu, o anima Christiana, non dico modo in cavea, sed in horrendo ergastulo corporis captivata, non festinas redire ad tuum principium a quo processisti ? Sed quid dixi festinas, imo nec sursum respicis, confecta squalore carceris et putredine pulveris, quem induisti. Vellem ego exemplo tuæ siccariæ, hoc est carnis quam inhabitas, disceres qualiter te oportet conversari. Nam de ea dicit Aristoteles in Metaphysicis, quod fatigato corpore, contraria positione solvitur. Quod est dicere, quod fatigatio corporis contraria positione recreatur, ut si corpus fuerit fatigatum sedendo, recreatur stando : si jacendo, recreatur surgendo : si ambulando, recreatur quiescendo. Oportebat similiter, te, o anima misera, hæc custodire, ut tu fatigata, contraria positione recreareris, quærens in labore requiem, in timore securitatem, affluentiam in penuria, felicitatem in miseria, in infirmitate remedium, in dolore gaudium.

(4) *Igneus est ollis vigor et cœlestis origo*
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus moribundaque membra.
(Virgil. *Æneid.*, l. VI, v. 731-33.)

(5) *Hinc metuunt cupiuntque, dolent, gaudentque,* [*nec auras*
Dispiciunt, clausæ tenebris et carcere cæco.
(Ibid., v. 734-35.)

Vade ergo, o piger homo, non dico modo ad formicam, quæ tamen in exemplum vitæ homini proponitur, sed ad phœnicem avem Arabiæ, quæ natura mirabilis est, id est essentia singularis, hæc dicet tibi quid te oporteat facere. Nam cum quingentis et eo amplius annis vixerit, videns se senio deficere, collectis lignis aromatum struem extruit, et conversa ad radium solis exagitatis alis ignem voluntarium sibi facit, et in ignem se projiciens tota exuritur, et redacta in pulverem, de ipso cinere postmodum vivificatur, sicque multo periculo et discrimine mereatur vitæ novitatem. Nos ergo, fratres charissimi, qui defectu vitæ hujus corruptibilis quotidie ad similitudinem phœnicis in interitum tendimus, colligamus et nos ligna aromatum, hoc est odorem virtutum et bonorum operum et cooperatores Dei effecti accendamus in nobis ignem spiritus Dei, quo exurantur mala nostra quæ militant adversus animam, ut, veteri homine accinerato, resurgamus in illam vitæ novitatem, ubi Christus sedet in dextera Dei Patris, quo nos perducere dignetur Jesus Christus, qui nos invitavit, Dominus noster, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SERMO XXXIV.

IN DIE PENTECOSTES.

Vidi angelum fortem descendentem de cœlo, amictum nube, et iris in capite ejus, et facies ejus ut sol, et pedes sicut columna ignis (*Apoc.* x). Hodie, fratres charissimi, maledictum terræ antiquum immutatum est, cum tempore propitiationis imminente pluvia voluntaria, quam segregavit Deus hæreditati suæ, descendit super terram : et bonus ille cultor cordium Spiritus sanctus, rore quodam spiritalis gratiæ terrenam gratiam in habitudinem fœcundavit, ne tanquam sitientem et aridam agricola in fructum non possit eam excolere.

Hanc pluviam salutarem Joannes apostolus in nube illa sciebat contineri, de qua dixit : Vidi Angelum fortem descendentem de cœlo amictum nube, Angelum magni consilii de sinu Patris descendentem, et indutum carne. Hæc nubes a sole vaporaliter attracta et ventorum collisionibus diu multumque propulsata, tandem caloris beneficio in pluviam resoluta est. Vis videre quomodo ? Attraxit certe sol invisibilis nubem istam, cum Spiritus sancti radio utero Virginis se infundente sub nube carnis latens, visibilem se exhibuit, ne oculis ægris odiosa lux fieret, cum aspicerent Filium Dei sub carne, solem sub nube, radium in umbra, lumen in laterna. Quomodo autem nubes ista ventorum turbine concussa sit manifestum est, si ad memoriam revocemus ventum Herodianæ persecutionis, quo urgente Dominus in Ægyptum fugatus est (*Matth.* II) : ventum diabolicæ suasionis, quo in deserto est tentatus, cum audivit : Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant (*Matth.* IV). Nonne etiam validissimi venti fuerunt scandalum crucis, lancea militis, lingua proditoris ? Sed jam tempestate sedata, nubes ista

A caloris beneficio in pluviam resolvitur, quia propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, charismatum donis mentes fidelium uberes fecit, ut non germinent spinas et tribulos peccatorum sicut in diebus antiquis.

Vere cessavit exactor, quievit tributum, cum homo libertati restitutus et reconciliatus Deo, signum fœderis, pignus hæreditatis, arram propitiationis accepit, quæ eo ipso significata est, quod iris in capite angeli esse perhibetur. Iris arcus cœli est apparens in die pluviæ, de quo Dominus dicit : Ponam arcum meum in nubibus, et erit signum fœderis inter me et terram (*Gen.* IX). Certe cum radius solaris ad elementa hujus mundi pervenit, idem radius in nubem repercussus talem colorem nubi imprimit, qualem in obstaculo a quo repercussus est invenit, utpote a terra terreum, ab aqua ceruleum, ab aere hyacinthinum, ab igne vero igneum. Quæ quatuor varietates in arcu illo gloriæ reperiuntur. Cum igitur arcus ille signum sit propitiationis, nonne colorem terræ divini consilii propitiatio sumpsisse tibi videtur, cum terram nostræ carnis et defectus mortalitatis nostræ induit, ut participatione miseriæ nostræ miseriam nostram sanaret ? Nonne etiam quasi aquæ colorem traxit, quando diluvium illud nostræ sanctificationis, aquam videlicet baptismi, de latere suo super terram inhabitare fecit, ut culpam nostram tolleret et innocentiam repararet ? Similiter et aeris colorem, qui et ipse color cœli est, induit, quando terrenis affectibus mitigatis fide, spe, et charitate animos fidelium erexit ad appetenda cœlestia, cum Apostolo dicentium : Nostra autem conversatio in cœlis est (*Philip.* III). Color vero ignis divinæ propitiationis non defuit, cum hodierna die corpus suum, id est Ecclesiam igne Spiritus sancti accendit, usque adeo, ut hi qui primitias Spiritus acceperant, confortati nihil trepidantes portarent nomen ejus coram gentibus et regibus, et coram filiis Israel. Quare enim pedes dicti sunt apostoli, nisi quia portaverunt ? Eorum quippe ministerio facies ejus, hoc est, cognitio, sicut sol facta est : quia cum prius tantum in Judæa notus esset Deus, prædicatione apostolorum non solum Judæis, sed etiam gentibus lumen fidei, et Evangelii veritas illuxit. Attende si placet quod iris non in nube, sed in capite angeli esse perhibetur. Cum enim caput Christi sit Deus (*I Cor.* XI), iris recte in capite angeli esse dicitur : quia propitiationem nostram operatus est Deus secundum naturam divinitatis mediante, tanquam instrumento, natura humanitatis. Unde Apostolus : Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi (*II Cor.* V).

Pedes ejus, inquit, sicut flamma ignis. Ignium interim tres species occurrunt, tria Spiritus sancti dona figurantes. Est enim ignis ardens, ignis fovens, ignis lucens. Ignis ardens est, qui subjectam materiam consumit, sicut in quotidianis incendiis videmus fieri : ignis fovens est, calor ingenitus, qui corpora subjecta mulcet et nutrit : ignis lucens est,

splendor lucidorum corporum qui expellit tenebras et inducit claritatem. Nonne hoc igne triplici tria dona Spiritus sancti recte figurantur? Per eum enim ignem, qui dicitur ardens, accipitur spiritus amoris: per eum qui appellatus est fovens, spiritus consolationis: per tertium vero qui dicitur splendens, spiritus veritatis. Primi spiritus calore urebantur, qui dicebant: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Jesu, dum nobis loqueretur in via (*Luc.* XXIV). Spiritum consolationis habebat propheta David, cum diceret: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam (*Psal.* XCIII). De spiritu autem veritatis dicit Dominus: Cum autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis (*Joan.* XVI). Primus spiritus operatur in desiderio cœlestium, secundus in patientia tribulationum, tertius in eruditione sive illuminatione prædicantium. Quæ tria figurata sunt per hoc quod Spiritus sanctus in linguis igneis super apostolos descendit (*Act.* II). Lingua enim doctrinam prædicationis notat; ignis in eo quod ardet, fervorem sancti desiderii; in eo quod lucet, suavitatem divinæ consolationis. O quam dulcis Paracletus, quam bonus consolator, qui calefacit et confortat quod metuit, illuminat quod tenebrescit! Unde vobis talis nuncius? a quo mittitur? cui infunditur? Certe Christus Dominus eum de cœlo mittit, et servo infundit, ut per eumdem Spiritum illuc perveniat humilitas servi, ubi sedet majestas imperantis. Esto ergo circumspecta, o fidelis anima, et sic curre ut comprehendas, quatenus in eo tuum finem constituas, a quo Paracletus tuus, dux viæ tuæ et gubernator, processit.

Finis autem tuæ peregrinationis debet esse Christus finiens vero tu vel quilibet alius justus, finitor Spiritus sanctus. Putasne finitor iste parum est necessarius? nequaquam. Ipse siquidem visum mentis conducit ut in eum finiatur cui se homo probavit, infra quem nihil optimum, supra quem nihil appetendum, ad quem Propheta disiderans pervenire dicit: Notum fac mihi, Domine, finem meum (*Psal.* XXXVIII). Sed sunt nonnulli qui ad finem debitum non tendunt, quia non habent finitorem qui eos conducat Spiritum sanctum, sine quo nesciunt quo vadunt, sine quo non possunt viam scire. Sicut enim homo spiritualis Christum sibi ponit finem ita et carnalis finem sibi constituit voluptatem, sæcularis, vanitatem. Malus est iste finis qui non consummatur, sed potius consumit, de quo dicitur, quia finis eorum interitus et gloria in confusionem (*Philip.* III). O homo insensate, radix amaritudinis, vas contumeliæ, inimica honestatis, ut quid tibi cordi est relinquere finem omnis consummationis, videlicet Christum, et torqueri ambitione, intumescere honoribus, negligere disciplinam, perdere castitatem? cum novissima eorum amara sint quasi absinthium, et acuta quasi gladius biceps; eorum, in-

A quam, qui in cubilibus et impudicitiis consumunt dies suos, studentes ferculis, et saporibus, et calicibus epotandis, ac perficere curam carnis in desideriis.

Vis audire quomodo mentitur iniquitas sibi? Veni, inquit, alter alteri, satiemur uberibus, fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies (*Prov.* VII). Quis enim novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et spiritus jumentorum descendat deorsum? (*Eccl.* III) Nostrum, inquiunt, totum est quod vivimus. Quid ergo? pone merum et talos, pereat qui crastina curat. Vellem ego merum quod tibi apponi præcipis non esset de vinea Ægypti, sed de vinea Sorech, vel certe de vinea Engaddi. Vinea enim Ægypti generat vinum confusionis, quod operatur oblivionem Dei in hominibus, vinea Engaddi vinum

B compunctionis, vinea Sorech vinum exsultationis. An experimentum quæritis quomodo vinum Ægypti operatur oblivionem Dei? Tradidit eos, inquit Apostolus, in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, invidia, homicidiis, contentione, dolo, malignitate; susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos: sine affectione, absque misericordia (*Rom.* I).

Quousque, anima misera, vino isto Ægypti ebria eris? Quin potius transfer te ad vinum, quod propinat Engaddi vinea, vinum scilicet lacrymarum et

C compunctionis. De hoc genimine vitis bibit Petrus, cum recordatus est verbi, quod dixerat Jesus, et egressus foras flevit amare (*Matth.* XXVI). De hoc bibit et ille publicanus, qui percutiebat pectus suum dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori (*Luc.* XVIII). Tunde similiter et tu pectus tuum, funde lacrymam per diem et noctem, quia irritasti iram Dei et malum fecisti in conspectu ejus. Nunquid in vanum fundis illas? Nequaquam. A maxilla enim ascendunt usque ad cœlum, nec est alia hostia magis acceptabilis in conspectu Dei. Tristicia vestra, inquit Dominus, vertetur in gaudium, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis (*Joan.* XVI). O dolor necessarius, tristicia fructuosa, quæ vertitur in gaudium, et tale gaudium in quo recumbentibus

D propinatur de vinea Sorech vinum lætitiæ et exsultationis. Sorech enim interpretatur *electa* vel *optima*. Ipsa est vinea quæ germinat illud vinum bonum, de quo architriclinus ad sponsum dicit: Tu autem servasti vinum bonum usque adhuc. (*Joan* II). Ecce in futuro gaudium expectat te vinum hoc jocunditatis, expectat te panis ille angelorum, et vitulus saginatus, in cujus crassitudine delectetur anima tua, ita tamen si ejusdem vituli sanguine in præsenti fuerit expiatus [expiata]. Nam, sicut cives cœlestis patriæ hujus vituli saginantur adipe, sic et in præsenti dam expiantur ejus sanguine. Alii nutriuntur carnibus, alii ventilantur cornibus. Expiantur ejus sanguine qui stigmata passionis ejus portant in corpore suo in vigiliis et abstinentia, et aliis bonis operibus

parati ad omnes injurias pro nomine Jesu sustinendas: carnibus ejus nutriuntur, qui viam peregrinationis suæ muniunt fida perceptione sacramentorum ejus in remissionem criminum, et incrementum virtutum. Cornibus ejus ventilantur, qui passionem Christi scandalum sive stultitiam reputantes, crucis ejus persecutionem patiuntur, dejecti in tenebras exteriores, ubi est fletus et stridor dentium. Intellexistis, fratres dilectissimi, jocundam illam mansionem, quam Deus vobis præparavit, misit Spiritum sanctum vobis qui vos conducat ad illum, et vix est qui sequatur illum. Venit alius nuncius, de potestate tenebrarum, videlicet spiritus carnis, quæ trahit ad supplicium, et omnes sequuntur illum. Transi, homo, ad insulas Cedar, ad regna Cethim, et ad barbaras nationes, nunquid aliquem invenies adeo hostem naturæ, contemptorem felicitatis, doloris cupidum, et amatorem paupertatis, ut si proveniant gaudia, abnuat: si divitiæ, contemnat: si felicitas, non suscipiat illam. Ecce quod in nullo aliquo alio quod in te ipso, o Christiane, invenis, qui in filium Dei adoptatus regni hæreditatem non quæris a Deo tibi præparatam, a Deo et repromissam, quin potius tibi ipsi factus adversarius hostem tuum foves et pascis, ipsum amas, illum sequeris, nec est aliquis tibi familiaris super illum. Quem hostem? Carnem tuam, sicariam pessimam, cui impendis curam super omnia, non solum necessaria sed etiam superflua offerendo. Unde enim ira Dei venit in filios perditionis, vermis qui non moritur, ignis qui non exstinguitur, nisi propter opera carnis? Cum enim mollibus induta fuerit, lectulum ejus straveris tapetibus ex Ægypto, et omnibus deliciarum generibus enutrita fuerit, statim insurgit in spiritum, suadet desidiam, voluptates ingerit, perficit carnis desideria, finemque suæ constituit victoriæ eum, qui benefecit sibi, præcipitasse. O si solus civis Babylonis hunc hostem sentiret, et non David, neque alicui religioso quandoque prævaleret?

Legitur David tres hostes habuisse, videlicet Goliam Philisthæum, Saul regem, et proprium filium. Golias hostis fuit extraneus, Saul civilis, filius domesticus. Per Goliam, manifestæ intelliguntur insidiæ eorum, qui foris sunt: per Saul, familiares vexationes falsorum fratrum: per filium, ingenitæ affectiones carnalium desideriorum. Quis istorum hostium plus nocuit? Certe David Goliam occidit, Saul patienter sustinuit, sed a filio de sede regni ad tempus ejectus est. Quandoque enim contingit ut, dum aliquis vir religiosus exteriorum insidias vicit, injustas vexationes fratrum patienter sustinuit, de sede regni per filium expellitur, quoniam per innata sibi desideria illicita a culmine virtutum præcipitatur. Quoniam igitur, fratres dilectissimi, spiritus carnis Spiritui sancto semper resistit, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, et ei qui hodie replet orbem terrarum præparemus secreta cordium nostrorum, ut eo ducente et docente, velimus quærere et amare finem illum, quem cupimus apprehen-

A dere, Dominum nostrum Jesum Christum, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SERMO XXXV.

IN DIE PENTECOSTES.

Emittet verbum suum et liquefaciet ea, flabit spiritus ejus, et fluent aquæ (*Psal.* CXLVII).

Scio, fratres dilectissimi, quoniam hodiernæ solemnitatis sublimitas et reverentia vestræ sanctitatis strenuum dispensatorem verbi Dei exigeret, ut qui testimonium resurrectionis Jesu Christi, et adventus Spiritus sancti virtute magna perhiberet.

Oporteret enim, ipso docente Spiritu, a viro spirituali hoc fieri, qui gustasset quam suavis est Dominus, qualem insinuat Apostolus dicens: Ipse spiritus
B testimonium perhibet conscientiæ nostræ quoniam in ipso manemus (*Rom.* VIII). Utinam ergo obmutuissem et non aperuissem os meum, præsertim cum non sit speciosa laus Dei in ore peccatoris, ipso Spiritu sancto dicente peccatori: Quare tu enarras justitiam meam, et assumis testamentum meum per os tuum? (*Psal.* XLIX.) Quia tamen annus Jubilæus nunc est, id est, remissionis, spero et ego, secundum præceptum Dei, liber reverti ad Dominum meum, suæ innitens promissioni quæ dicit: Gratis venundati estis, gratis redimemini (*Isa.* LII). Vere annus remissionis iste, et tempus gratiæ, quando ager hujus mundi diu infructuosus Spiritum sanctum cultorem suscipit, et violento possessore exterminato
C in libertatem spiritus corda fidelium ad Dominum suum revertuntur. Emisit enim, id est de cœlo misit in terras Deus Pater Verbum suum et Filium suum et liquefecit ea, id est liquida fecit, cum per verbum Unigeniti sui et operationem Spiritus sancti, corda prius dura et lapidea ad obediendum Deo emollivit. Unde subjungitur: *Flabit spiritus tuus, et fluent aquæ.* Illum accipe Spiritum, de quo per Apostolum dicitur: Charitas enim diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (*Rom.* V). Et alibi: Effundam de Spiritu meo super omnem carnem. Iste spiritus flavit flatu multiplici. Primus flatus fuit, in creatione mundi: secundus, in Incarnatione Verbi: tertius, in renovatione hominis. De primo flatu dictum est,
D quia Spiritus Domini ferebatur super aquas (*Gen.* I), quo spirante fluxerunt, hoc est, confluxerunt, id est in unum locum fluxerunt. Quia congregatæ sunt aquæ, quæ sub cœlo erant, in locum unum, ut appareat arida. Elementa siquidem hujus mundi naturali quadam confusione sibi erant adversantia. Quippe frigida pugnabant calidis, humentia siccis, donec tandem Spiritus sancti magisterio stabili fœdere pacis consederunt, sollicita suo modo servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Quippe terra aquam in gremio suo suscepit instabilem per se et vagam. Aqua terram rigat per se sitientem et aridam, ignis caloris beneficio fructus terræ educit, aer sua temperie inviolata conservat.

Secundus flatus Spiritus sancti fuit, cum Verbum

Dei Filius Patris hominem assumpsit, et assumptæ naturæ Spiritus sancti operatione plenitudinem gratiæ infudit. Nec solum flavit tunc iste spiritus, sed et conflavit. Quippe duas naturas, tam diversas Dei et hominis sua spiratione in unam personam redegit. Hujus autem fabricæ artifex fuit persona Patris : officina, uterus Virginis : folliculus, angelus annuntians : flatus, Spiritus sanctus operans, natura humanitatis, massa ignis rubiginem purgans flamma divinitatis. Hoc autem flante Spiritu fluxerunt aquæ, id est emanaverunt testimonia Scripturæ. Ante incarnationem enim Verbi hortus fuit conclusus, et fons signatus. Hortus fuit conclusus, quia sacramenta Ecclesiæ nondum manifestata fuerant : sed et fons signatus, quia spiritales intelligentiæ Scripturarum nondum emanaverunt.

Tertius flatus sancti Spiritus est, suavitas quædam divinæ inspirationis, quæ cordibus virorum spiritualium se infundit, et secundum divisiones gratiarum alium sic, alium autem sic in via mandatorum Dei deducit. Hoc autem flante Spiritu quasi per septem rivulos fluunt aquæ, quia secundum mensuram donationis Christi unicuique confertur donum gratiæ. De primo rivulo bibunt pauperes Spiritu, qui eligunt abjecti esse in domo Dei magis quam habitare in tabernaculis peccatorum (*Psal.* LXXXIII) : et ipsi parati ad obediendum, studiosi ad ministrandum, honore alios prævenientes, honoris et gloriæ ipsi contemptores. De secundo rivulo hauriunt mites, de quibus dicitur : Mansueti autem hæreditabunt terram, et inhabitabunt in sæculum sæculi super eam (*Matth.* V), qui sunt in verbo temperati, in aspectu pudici, in gestu compositi, in operatione tranquilli. De tertio bibunt lugentes, de quibus Job : Antequam comedam suspiro, et tanquam inundantis aquæ sic rugitus meus (*Job* III) : et tales sunt ex conscientia peccatorum pavidi, suspiriis anxii, lacrymis perflui flagellis et verberibus attriti. De quarto misericordes bibunt, de quibus dicitur : Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur (*Matth.* V). Et isti ad ignoscendum faciles, ad subveniendum hilares : compatientes miseris, congaudentes his qui prosperantur in via virtutis. De quinto rivo hauriunt esurientes justitiam, ex quorum persona propheta dicit : Domine, memorabor justitiæ tuæ solius. Et isti sunt spiritu ferventes, et operatione fortes, æmulatores justitiæ, custodes, imo cultores disciplinæ. De sexto rivo, scilicet munditia cordis, bibunt mundi corde, ex quorum persona beatus Job dicit : Non reprehendit me cor meum in omni vita mea (*Job* XXIV), et isti sunt mundis cogitationibus puri, meditatione erecti, operatione discreti, oratione devoti. De septimo inebriantur pacifici, de quibus Propheta : Pax multa diligentibus legem tuam (*Psal.* CXVIII). Isti sunt in prosperis quieti, in adversis securi, et carne non repugnante spiritui ab omni tentatione vitiorum abstracti. Istæ sunt aquæ spiritales, de quibus bibunt viri spiritales,

A quas hodierna die biberunt apostoli, cum acceperunt virtutem supervenientis spiritus, qui eos inspiratione divini amoris inflammavit, cognitione veritatis illuminavit, certitudine præmii roboravit. Hæc tria videntur fuisse significata per hoc quod in igne, quod in linguis, quod tali dierum numero id est quinquagesimo Spiritus sanctus apparuit. Ignis enim, signum est divinæ dilectionis : lingua, cognitionis : numero quinquagenarii, quo secundum legem fiebat remissio, signum est libertatis sive remunerationis. Hæc tria sunt quæ visum interioris oculi semper in Deum dirigunt, nec ullis intervenientibus tenebris ipsum aberrare permittunt. Videmus ad exteriorem visum tria esse necessaria, scilicet lumen interius, quod per fenestras oculo-

B rum emittitur : lumen exterius, scilicet claritas quæ interiori, de qua diximus, sociatur : res aliqua corpulenta, in quam visus ipse dirigitur. Lumen siquidem interius non proficit ad videndum sine exteriori, quod probatur in tenebris, sed neque exterius sine interiori, quod manifestum est in cæco. Sed neque ista duo conjuncta aliquid valerent, nisi aliquid videndum obtutui nostro obviaret. Similiter ad illuminationem interioris hominis tria oportet convenire, scilicet lumen interius, quod est radius divini amoris : lumen exterius, hoc est, quod extra nos debet dirigere cognitio veritatis. Sed et res, in quam spiritalis visus debet dirigi, certitudo est remunerationis. Tolle lumen interius, hoc est, flammam charitatis, et lucerna tua cito

C extinguitur, et cum virginibus fatuis audire mereberis : Amen dico tibi, nescio te. Adsit lumen exterius, scilicet cognitio veritatis, sine charitate quid proficit? Nihil. Ubi est, inquit Esaias, verba legis ponderans? (*Isa.* XXXIII.) Et Apostolus : Si habuero omnem scientiam et omnem fidem, ita ut montes transferam, sine charitate nihil sum (*I Cor.* XIV). Desit certitudo remunerationis, existimo quia cito deficit lumen charitatis. Attendat ergo quilibet apostolorum filius, si igne divini amoris intus ardeat. Iste enim in altari cordis nostri debet esse perpetuus, nec unquam extingui, quandiu in hac vita militamus.

Audistis quia filii Aaron offerentes ignem alie-

D num coram Domino, mortui sunt (*Levit.* X). Quis est iste ignis alienus? Ignis alienus est luxuria, qui est in cubilibus et impudicitiis : ignis alienus est iracundia, qui est in dissensionibus et contumeliis : ignis alienus est invidia, qui est in detractione alienæ virtutis. De hoc igne per Prophetam dicitur, quia incensa igni et suffossa ab increpatione vultus tui peribunt (*Psal.* LXXIX). Discutiat quilibet vestrum cor suum, si cognitione veritatis diriguntur opera sua ad debitum finem, id est ad bravium æternæ remunerationis, ut nulla interveniat ruga duplicitatis, nullus dolus simulationis. Balaam ille qui cadens apertos oculos habebat, et vidit revelationes Domini, dixit : Non est idolum in Jacob, nec simulacrum in Israel (*Num.* XXIII). Per

Jacob qui *supplantator* dicitur, supplantatores vitiorum; per Israel, qui *vir videns Deum* interpretatur, contemplativos volens significare. Est autem idolum proprie statua, quæ propter formarum diversitatem nullius creaturæ tenet similitudinem, ut forte Humano capiti cervicem pictor equinam Jungere si velit. (HORAT. *Art. poet.* v. 1-2). Unde etiam dicit Apostolus quia idolum nihil est (*I Cor.* VIII), hoc est nullius creaturæ similitudinem tenet. Simulacrum vero, quod a simulando dicitur, statua est ad alicujus creaturæ similitudinem facta. Per idolum ergo intelliguntur opera prava, qui nullorum bonorum operum similitudinem habent: per simulacrum opera mala, qui tenent bonorum operum similitudinem, non etiam veritatem. Non est ergo idolum in Jacob, quia veri supplantatores vitiorum criminalia non admittuntur: Nec simulacrum in Israel, quia veri contemplativi simultates operum non recipiunt. Quia Spiritus sanctus disciplinæ effugit fictum, nec habitat in corpore subdito peccato, et hoc de spiritu libertatis dixerim. Sunt enim alii spiritus errorum, qui Spiritui sancto semper resistunt, et inimici libertatis misera servitute hominem sibi subjiciunt. Primus est spiritus hujus mundi, qui captivat in servitutem vanitatis; secundus, Spiritus carnis qui trahit in servitutem voluptatis; tertius est Spiritus adversarii, qui facit servum iniquitatis. Quam multi sunt in sæculo, qui Spiritum mundi prona mente sequuntur, in hoc se liberos æstimantes, si dies suos in vanitatibus hujus vitæ consumant, non reducentes ad memoriam, quoniam extrema gaudii luctus, occupat, et novissima talium in interitum vadunt. Induuntur siquidem sericis, palatia exstruunt, convivia instaurant, munera largiuntur. Et ista quare? Ut faciant sibi nomen, juxta nomen magnorum, qui sunt in terra (*Prov.* XIV). Nomen dico inane, quod est, vapor ad modicum parens, fumus deficiens, nebula pertransiens. Ubi enim sunt illi famosi a sæculo et potentes viribus, qui hunc spiritum vanitatis secuti sunt? Periit memoria eorum, et si aliqua forte adhuc superest non in benedictione, sed in maledictione relicta est. De talibus recte per Prophetam dicitur : Erraverunt in solitudine in inaquoso, viam civitatis habitaculi non invenerunt (*Psal.* CVI). Erraverunt in solitudine quia soli, id est a Deo derelicti : in inaquoso, id est in arido, id est corde rore Spiritus sancti non irrigato. Unde et viam civitatis habitaculi non invenerunt. Invenerunt quidem viam civitatis tabernaculi, id est viam hujus mundi, quæ est instabilis et transitoria, sicut olim tabernaculum mutabiliter ferebatur de loco ad locum, sed non invenerunt viam civitatis habitaculi, id est viam perpetuæ habitationis, de qua Apostolus : Non habemus hic manentem civitatem (*Hebr.* XIII). Et utinam hoc spiritu vanitatis contenti essent, et non sequerentur spiritum carnis, qui eos distrahit per illicita desideria carnis, voluptatis. De eis etenim per Ezechielem dictum est : *Ubi erat* impetus spiritus, illuc gradiebantur (*Ezech.* I). Et certe impetus bestiæ spiritus carnis est, qui ad illicita quæque et turpia miserum hominem in desideriis animæ suæ abducit. Sed unde tibi, homo insensate, radix peccatrix, hæc infatuata sapientia, ut rei rationalis ductu postposito, bestiam imiteris? quis inde non stupeat? quis inde non expavescat? Statue tibi hominem exsulem a patria, viam ignorantem, nonne tibi abusivum videbit, si relicto tramite, quem vir sapiens ei indicaverit, pecudum et bestiarum invia comitetur? Invia plane, quia relicta via veritatis abducunt ad invia æternæ damnationis. Unde in libro Machabæorum de bestia scribitur, quæ ab Eleazaro Mathathiæ filio perfossa occubuit, quod suo casu turrim et armatos, quos ipsa ferebat, secum præcipitavit (*Mach.* I, VI). Sic et spiritus carnis cum morte præventus fuerit, sibi insidiantes, id est quoscunque carnales carnis suæ impetum sequentes, ad inferni profunda demergit.

Assumunt autem et hi duo spiritus, tertium scilicet diaboli secum nequiorem se, et ingressi habitant ibi. Fiunt quoque novissima hominis illius pejora prioribus. Pejora quo? Insidiatur enim adversarius, ut in fine rapiat cum peccatorem reddit, aut desperatione induratum, aut præsumptione securum. Horum damnationem propheta intelligens, in spiritu dixit : Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian. Vidi, inquit, hoc est spiritu intellexi tentoria Æthiopiæ (*Habac.* III), id est corda iniquorum, quæ sunt receptacula dæmonum. Æthiopes enim dæmones significant. Et quid amplius vidisti, prophetarum sanctissime? pro iniquitate turbabuntur pelles terræ Madian. Quæ sunt istæ pelles, et quod est terra Madian? Madian interpretatur judicium. Terra ergo Madian, quilibet terreni in judicio æternæ damnationis addicti : pelles, quæ abstrahuntur de animalibus mortuis, opera sunt mortua sine virtute charitatis. Ergo pro iniquitate turbabuntur, id est punientur pelles terræ Madian, id est opera iniquorum, qui jam per judicium sententiam æternæ damnationis acceperunt. Hoc enim, id est præsumere de misericordia vel desperare de venia, peccatum est, quod scribitur stilo ferreo et ungue adamantino quod neque dimittitur hic, neque in futuro, nisi in sonitu spiritus vehementis, id est væ adimentis, qui solus illustrat cor peccatoris ad pœnitentiam. Ipse enim ubi vult spirat, et a medio Babylonis peccatis servientem ad libertatem gratiæ revocat. Revertamur ergo, fratres dilectissimi, ad cor, quæramus hunc spiritum dum inveniri potest, invocemus eum dum prope est. Quæramus eum per humilitatem pœnitentiæ et confessionis, invocemus eum per instantiam devotæ orationis. Ecce enim prope est. Jam Spiritus Domini replet orbem terrarum, replet hodierna die corda fidelium. Supplicemus huic Spiritui veritatis, ut qui orbem terrarum replet per sui præsentiam, corda nostra visitet per inhabitantem gratiam, donec cum quem videmus

per fidem, in futuro cognoscamus per speciem, Dominum nostrum Jesum Christum, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SERMO XXXVI.

IN FESTO PENTECOSTES.

Surge, aquilo, et veni, auster, perfla hortum meum, et fluent aromata illius (*Cant.* IV). Inter cætera amoris cantica hoc magis videtur congruere solemnitati hodiernæ ubi sponsa dilecti sui desiderio fatigata, non jam quærit sicut a principio, ut ipse osculetur eam osculo oris sui, sed ne absentia ejus pariat divortium. Pignus amoris postulat spiritum oris sui, parvum ne pignus existimas spiritum oris ejus? Des aurum, des argentum, quidquid humano satis est desiderio, parum est. Unum est quod amanti sufficit, dum sponsus veniat, spiritus oris ejus. Sed quid sibi vult quod tam aspera increpatione contra aquilonem erigitur, cum dicit : Surge, aquilo! quasi diceret, recede, tuum fugio consortium, detestor præsentiam, pavesco duritiam, laboravi sustinens. Credo quod in aliquo molestus ei fuit, quem tanto conamine a se repellere contendit. Quid mirum si molestus? Sicut enim austri nomine Spiritus sanctus, ita nomine aquilonis, si ejus proprietates velimus advertere, spiritus malignus intelligitur. Est enim aquilo ventus frigidus, violentus, et siccus. In frigore vero gelu infidelitatis, in violentia æstus persecutionis, in siccitate defectus gratiæ spiritalis intelligitur. Quis enim alius ventus fuit de quo in beato Job legitur : Quia ventus irruit regione deserti, et concussit quatuor angulos domus, et oppressit filios Job et mortui sunt (*Job* I). Quatuor profecto angulos domus scilicet Ecclesiæ, quibus Ecclesia contra spiritalia nequitiæ roboratur, sunt incarnatio Verbi, passio, resurrectio, ascensio : qui anguli per impietatem infidelitatis flante aquilone, id est suggerente diabolo corruerunt, quando filii Job, id est hi, quos Deus in filios adoptaverat, fidem Verbi incarnati non receperunt. Ideoque sub ruina suffocati sunt, qui in infidelitate sua morientes secum nihil præter peccata portaverunt. Vis videre violentum turbinis? Et vidi, inquit Ezechiel, et ecce ventus turbinis venit ab aquilone (*Ezech.* I). Quando? Quando alii ludibria et verbera experti, alii eculeo suspensi, alii ignibus traditi, alii in occisione gladii mortui sunt. De siccitate vero aquilonis dicit Salomon : Quia ventus aquilo dissipat nubes (*Prov.* XXI). Et quæ sunt istæ nubes, nisi spiritalis intelligentia legis, et prophetarum? Certe istæ nubes per aquilonem dissipatæ sunt, quando, sicut dicit Scriptura, tenentes legem nescierunt (*Jer.* II), et ea quæ secundum spiritum de Christo prænuntiata fuerant, omnino evacuantes, ab omni pinguedine spiritali, quæ in lege continebatur, sicci et vacui remanserunt. Intellexit charitas vestra qualiter ventus aquilonis Ecclesiæ adhuc infideli contrarius extitit, sed postea prædicatione apostolorum edocta, miraculis excitata, promissione erecta, clamat ad Dominum a facie tribulationis, et

A jam se nil scire judicans, nisi Dominum Jesum, et eumdem crucifixum (*I Cor.* II), quem præsentem habere non potest in corpore, præsentem in spiritu vult habere cum dicit : *Veni, auster.* Austri nomine, si ejus proprietates advertantur, Spiritus sanctus recte intelligitur. Est enim ventus humidus, lenis et calidus. Hæc tria sunt quæ omnem terræ fructum enutriunt : calore siquidem et humore omnia procreantur, lenitate sive temperie conservantur. Fomentum enim est ex humore, incrementum ex calore, firmamentum vero habent ex temperie. His tribus, triplex Spiritus sancti donum accipitur. Primum purgans, quod significatur per calorem : secundum inflammans, quod significatur per humorem : tertium pacificans, quod significatur per lenitatem sive per temperiem. Et primum quidem

B peccata abluit, secundum per sancta desideria sursum rapit, tertium per quietem animi cor hominis in pace disponit. Et ut de primo gratiæ dono loquar, quod purgans appellatur, datum est illud aliis in effusione proprii sanguinis, aliis in fonte baptismatis, aliis in sola contritione cordis. In primitiva Ecclesia, apostolis et martyribus per effusionem proprii sanguinis sui : et si quid maculæ fragilitas humanæ conditionis intulit, totum pii cruoris effusio detersit, emundavit. Et apostolorum et martyrum filiis collatum est hoc donum in fonte baptismatis, qui ex aqua et Spiritu sancto renati, remissionem peccatorum consecuti sunt, et vestem

C innocentiæ sancta conversatione immaculatam servaverunt. Nobis vero qui post regenerationem baptismi, recidivum passi sumus, datur hoc munus gratiæ in contritione cordis. Non enim nostri temporis est palma martyrii, non iteratur remedium sacramenti. Unicum igitur nobis superest remedium, pœnitentiæ et compunctionis.

Secundum etiam Spiritus sancti donum, quod inflammans appellavimus, triplici specie subdividitur. In aliis enim Spiritus sanctus est flamma, in aliis lux, in aliis scintilla. Unde Ezechiel dicit : Quoniam in medio quatuor animalium erat ignis, et de igne fulgur egrediens, et scintillæ quasi aspectus æris candentis (*Ezech.* I). Per ignem flamma intelligitur, naturaliter sursum tendens : per fulgur,

D lux in latum se diffundens : per scintillas, ignei quidam carbunculi, qui levi aliquo impulsu sursum feruntur, sed in se cito deficientes ad ima iterum relabuntur. His ergo qui primitias Spiritus acceperunt, quasi flamma datus fuit, quia desiderio cœlestium præmiorum sursum erecti, toti tendebant ad coronam : postmodum Ecclesiæ doctoribus spiritus quasi lux fuit, dum verbo doctrinæ, et semine fidei in latum se extenderunt, usque adeo, ut per quatuor mundi partes novos Deo filios generarent. Nostro vero tempore spiritus scintillulæ comparantur, quia, etsi sunt qui bona affectione animi quandoque ad Deum respiciunt, tamen continuum annuum fervorem non habentes, a suo proposito cito tepescunt. Tertium similiter Spiritus sancti donum,

quod pacificans dicitur, aliis datur ad pacem reconciliationis, aliis ad pacem mutuæ dilectionis, aliis ad pacem æternæ felicitatis. Ad pacem reconciliationis apostolis, de quibus canitur : Quia erant portantes pacem. Deus enim erat in ipsis mundum reconcilians sibi. Universis autem datum est ad pacem mutuæ dilectionis, quibus datur servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unde dicitur : Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis (*Joan.* XIV). Solis autem electis in futuro dabitur ad pacem æternæ felicitatis. Habemus jam donaria illa, quæ a Sponso suo in dotem accepit Ecclesia. Quid restat ? Ut probet seipsum homo, qui filium Ecclesiæ se nominat, si ipsa donaria jure hæreditario suscepit, quibus dotata est Ecclesia in die desponsationis suæ, utrum videlicet per donum purgans fleat quod commisit, utrum per donum inflammans desideret quod perdidit, utrum per donum pacificans, quod in se discordat pacificat et componit. Sed quomodo probabimus nos habere hæc dona ? Respiciendum est ad ipsa opera. Siquidem ipsa opera fenestræ quædam sunt Spiritus sancti, per quas foras erumpit, et in homine esse cognoscitur. Et ut mihi videtur, lux ista visibilis habet similitudinem aliquam cum luce spiritali, id est, gratia Spiritus sancti. Cum enim lux ista, quam videmus domum hanc orationis, vel aliam quamcunque radiis suis percutit, satis videtis quia non solum foris, sed etiam intus viam sibi facit, per ostia intrat, fenestras penetrat, foramina circuit, et ubicunque invenit aditum, lumen suæ claritatis infundit. Eodem modo, fratres dilectissimi, fenestræ quædam Spiritus sancti sunt in nobis, per quas lux ejus foras egreditur, scilicet bona opera, manus, pedes, oculi, lingua, quæ in ministerium Dei sanctificata semper habere debemus : ut lingua loquatur ad exhortationem, manus operetur ad ædificationem, oculi videant ad circumspectionem, pedes ambulent ad utilitatem. Quid demum aliud in viris religiosis sunt signa ista exteriora, nisi fenestræ quædam Spiritus sancti ? Utpote expansio manuum, flexio genuum, tunsio pectoris, inclinatio capitis. Expansio manuum enim desiderium significat cœlestis gratiæ : flexio genuum signum est reverentiæ : tunsio pectoris, pœnitentiæ : inclinatio capitis, obedientiæ. Verumtamen multos videmus dona Spiritus sancti accipere, quæ quia ad debitum finem non referunt, occasione gratiæ qua boni esse debuerant, deteriores fiunt. Quod et Propheta nobis significat cum dicit : In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis, et vestigia tua non cognoscentur (*Psal.* LXXVI). In mari quod salsum est et amarum, peccata illa significantur, quæ secum amaritudinem afferunt, utpote iræ, rixæ, dissensiones, invidiæ, contentiones, æmulationes. Per alias aquas quæ dulces sunt, cæteræ passiones animi, quæ secum afferre videntur delectationes : ut fornicatio, immunditia, luxuria, comessationes, *ebrietates et cætera talia.* In hoc ergo mari et in his aquis quandoque est via Dei sive semita per collationem donorum, sed vestigia ejus non cognoscuntur, quia per ipsa dona Deus non sicut oporteret glorificatur. Quis dubitat dona Spiritus sancti esse peritiam Scripturarum, facundiam verborum, legere distincte, cantare acute? Et tamen, cum his donis multi sunt sermone impudici, aspectu lascivi, dissoluti in opere, incompositi habitu et conversatione. Quid ergo prosunt ista ? imo magis obsunt. Quod ex verbis Ezechielis etiam conjici potest, qui dicit se vidisse librum, in quo scriptum erat, lamentationes et carmen et væ : Expandit, inquit, librum coram me, qui erat scriptus intus et foris, et in ipso scriptum erat lamentationes, et carmen, et væ. Certe lamentationes spectant ad veniam, carmen ad gloriam, væ ad gehennam. His itaque Scripturæ sunt lamentationes, qui in ipsis sive legendo, sive cantando, sive orando materiam plangendi peccata sua inveniunt. Illis sunt carmen, qui cum attestatione bonorum operum, per promissiones Scripturarum spem futuræ gloriæ concipiunt. Illis autem sunt væ, qui dum legendi sive psallendi gratiam accipiunt, eo ipso vanitatem sectantes in cogitationibus suis evanescunt. Vis ergo bene psallere? ad psalmum necesse habes adjungere psalterium. Quod ergo psalmus sonat in ore, psalterium consonat in corde. Nec loquor modo psalterium decem chordarum, quo olim psalmi decantabantur in Veteri Testamento, imo aliud quoddam psalterium septem chordarum, psalterium spiritale, quo psalmi in Novo Testamento decantantur, scilicet spiritum septiformis gratiæ. Ipse ergo Spiritus sanctus est psalterium : septem chordæ ipsius, septem dona Spiritus sancti, scilicet spiritus timoris Domini, spiritus pietatis, spiritus scientiæ, spiritus fortitudinis, spiritus consilii, spiritus intellectus, spiritus sapientiæ. Primum donum spectat ad humilitatem, secundum ad mansuetudinem, tertium ad cordis contritionem, quartum ad desiderium justitiæ, quintum ad affectum misericordiæ, sextum ad munditiam cordis, septimum ad quietem contemplationis. Ergo prima chorda reddit sonum gravem, secunda suavem, tertia lugubrem, quarta sonorum, quinta concordem, sexta acutum, septima vero superacutum. Tange ergo primam chordam psalterii, et psalles humiliter ; secundam, et psalles suaviter : tertiam, et canes prudenter : quartam, et canes viriliter : quintam, et psalles concorditer : sextam, et psalles sinceriter : tange septimam et sic psalles sapienter.

Concordent ergo necesse est psalmus et psalterium, verba ad animum. Si enim verbis tantum (nam et virtutibus et factis honoramus) timeo ne forte dicatur nobis : Vox quidem vox Jacob est, sed manus, manus sunt Esau (*Gen.* XXVII), quasi diceret : Verba quæ profertis, verba quidem Dei, sed opera, opera sunt carnis. Manus enim pertinet ad operationem. De manu quidem dicitur : Manus, inquit, Esau pilosæ sunt ; pili sunt pravæ cogitationes,

illicita desideria; nec reprehenduntur manus Esau, quia in ipsis pili oriebantur, sed quia non præcidebantur. Erant enim pilosæ, id est plenæ pilis; possumus enim facere, ne pravæ cogitationes in nobis prævaleant, sed non possumus facere ut non surgant. Unde Levitis præcipitur (*Num.* VIII), pilos carnis suæ radere, non evellere. Quomodo ergo cum illicitis desideriis dimicandum? Certe bonus campi doctor, dum adversarius ejus jacula intendit, manum objicit, ut declinet vulnus cordis. Similiter homo quilibet qui spiritu Dei agitur, ne jacula inimici suscipiat in corde, manum objicere debet, hoc est, boni operis exercitationem; circumeat altaria non tantum pede, sed devotione, pulset precibus aures Dei, suffragia sanctorum interpellet, fratribus suis benignum, prælatis promptum, Deo vero pium exhibeat obsequium; et cum tali opere securus invocet Spiritum sanctum, cultorem hortus sui dicens: *Veni, auster, perfla hortum meum.* Quis est iste hortus? hortus Ecclesiæ, congregatio fidelium; horti singulorum secreta sunt cordium. Dicat ergo Ecclesia, dicat quælibet fidelis anima, perfla hortum meum. Primo infla per inspirationem, effla per sanctam conversationem, perfla per virtutum consummationem; perfla dico, et fluent aromata horti.

Et quæ sunt aromata horti, quæ Spiritus sanctus excolit? Interrogemus apostolum Paulum: Fructus autem Spiritus est, inquit, gaudium, charitas, pax, patientia, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, modestia, continentia, castitas (*Gal.* V). Quomodo fluunt aromata, in quibus est fructus spiritus? Gaudium in Spiritu sancto facit hilarem, charitas ferventem, pax quietum, patientia probatum, longanimitas perseverantem, benignitas gratiosum, bonitas sanctum, fides securum, modestia disciplinatum, continentia purum, castitas pudicum. Hæc est, fratres dilectissimi, prælibatio quædam spiritus, quæ in præsenti vita datur ad consolationem, in futuro cum apparuerit Christus, vita nostra, dabitur ad satietatem. Sicut enim dicit Salomon in Proverbiis: Vir non est in domo sua, sed abiit via longissima, sacculum pecuniæ secum tulit, in die plenæ lunæ reversurus (*Prov.* VII). Vir id est Christus, non est in domo sua id est in Ecclesia per corporalem præsentiam, sed abiit via longissima, quando in cœlo ascendit; sacculum pecuniæ secum tulit, quia in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ, et scientiæ, quæ secum referet in die plenæ lunæ, id est in die judicii, id est in consummatione Ecclesiæ, quando est reversurus, ut qui in præsenti sponsæ suæ contulit gratiam, in futuro largiatur gloriam, quam nobis præstare dignetur Jesus Christus Deus et Dei Filius, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SERMO XXXVII.

IN FESTO PENTECOSTES.

Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc, quod continet omnia, scientiam habet (Sap. I) A *vocis.* Sicut Joannes Evangelista nos docet: In hoc scimus quoniam in Christo manemus, quia de spiritu ejus accepimus. Et utinam mihi pars sit in sermone hoc, ut ego in Christo manens, de spiritu acceperim, præsertim de Spiritu sancto locuturus quia nemo nisi in Spiritu Dei loquens dignus laudator illius potest inveniri. Tangat igitur idem Spiritus cor meum dulcedine præsentiæ suæ, imo sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, et unctio spiritalis doceat omnia, quæ et tantæ solemnitati congruant, et nostræ proficiant devotioni. Et quidem ista unctio spiritus multifarie promissa est, videlicet singulari, spiritali, et generali promissione. Singularis promissio Christo facta est, qui singulariter Spiritum sanctum accepit, ubi B dicitur: Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis: et replebit eum spiritus timoris Domini (*Isa.* XI). Specialis promissio facta est apostolis, qui primitias Spiritus acceperunt sicut in Actibus apostolorum legitur, ubi dictum est de illis: Et accipietis virtutem Spiritus sancti supervenientis in vos, et eritis mihi testes in Judæa, et Jerusalem, et usque ad ultimum terræ (*Act.* I). Generalis promissio omnibus in Christum credituris facta est, ubi dicitur: Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ (*Joel.* II). His autem gradibus promissionis ordo donationis figuratus est, quia a Christo in apostolos, et per illos in C omnes filios Ecclesiæ Spiritus sanctus erat descensurus.

Continet autem capitulum quod præmisimus generalem Spiritus promissionem: et non solum generalem, imo et generalissimam, ita ut per orbem terrarum vel Ecclesiarum universitas, vel universitas creaturarum intelligatur. Secundum ergo generalem promissionem per orbem terrarum, Ecclesiarum universitas accipienda est et repletio spiritus. Illa spiritalium charismatum est abundantia quæ tempore gratiæ in filios Ecclesiæ facta est. Hanc vero repletionem triformis spiritus operatur in Ecclesia, qui tamen in se unus est, id est, spiritus compunctionis, spiritus compassionis, spiritus adoD ptionis. Terra peccatorum quæ inculta est, spinas et tribulos germinans, repletur spiritu compunctionis: terra miseriarum quæ arida et tenuis est, repletur spiritu compassionis: terra perfectorum quæ pinguis et fecunda est, repletur spiritu adoptionis. Ad spiritum compunctionis pertinent suspiria et gemitus, afflictio corporalis, ubertas lacrymarum, labores pœnitentiæ, et luctus illi, pro quibus beatitudo et consolatio repromittitur, ubi dicitur: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (*Matth.* V). Ad spiritum compassionis pertinet subvenire anxietatibus infirmantium, calamitatibus oppressorum, necessitatibus pauperum, sed et omnia opera misericordiæ quæ misericordes impendunt miseris, quibus et ipsi misericordiam conse-

quentur. Spiritus vero adoptionis perfectorum est, A et specialiter filios Dei facit sicut Apostolus dicit : Non accepistis iterum spiritum servitutis in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, hoc est, per quem adoptati estis in filios, et arram æternæ hæreditatis accepistis. Habet iste spiritus opera sua, quæ sunt gaudere lætitia spiritali, fervere spiritu, devote orare, vigilanter insistere lectioni, et sancta meditatione rimari cœlestia et alia hujusmodi, quibus in tantum dulcoratur anima, ut vilescat ei mundus cum delectationibus suis. Si spiritalia cum corporalibus velimus comparare, dicemus quia spiritus compunctionis ferramentum est : spiritus compassionis, unguentum : spiritus adoptionis, electuarium. Spiritus compunctionis ferramento comparatur, quia sicut medicinale ferrum morbum corporis B pungit et præcidit, ita et spiritus compunctionis morbum animæ pungit per dolorem et quodam modo expellit per humilem confessionem. Spiritus compassionis unguento comparatur, quoniam, sicut unguentum ad mitigandos dolores corporis foris apponitur, ita ad sublevandas necessitates miserorum opera misericordiæ exterius apponuntur. Spiritus adoptionis recte dicitur electuarium, quod ex speciebus aromaticis conficitur et dulce est palato, et conservativum sanitatis; quia præ cæteris spiritalium gratiarum habet abundantiam, quibus anima dulcoratur, et vigorem accipit internæ sanitatis, sicut Paulus dicit : Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, C bonitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas (*Gal.* v). Et, quoniam hanc multifariam plenitudinem unus Spiritus operatur in Ecclesiis Dei, dictum est :

Spiritus Domini replevit orbem terrarum. Hoc est Ecclesiarum universitatem. Quod dicitur replevit, præteritum pro futuro positum intellige, propter certitudinem adimplendæ promissionis, sicut alibi legitur : Omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis (*Joan.* v), et in multis aliis locis simile invenitur. Attende quia spiritus ab initio non orbem terrarum, sed angulos quosdam hujus mundi implevit. Angulos autem terrarum mundi dixerim viros justos, patriarchas videlicet et alios, qui fuerunt in antiquis seculis paucitate rari, et obscuri D præ multitudine malorum inter quos conversabantur. In quibus spiritus Dei manens dum neque prophetali voce, neque miraculorum signis foras prodibat, finibus interioris conscientiæ contentus, velut angulos quosdam replebat. Antiquis ergo temporibus Spiritus sanctus parcus quodammodo fuit, ne dicam avarus, quia tunc nobis thesaurizavit et congregavit divitias, ut tempore gratiæ illas exponeret, et fons divinæ bonitatis per gratiam abundantius emanaret : et unctio spiritalium charismatum cum omni plenitudine in filios Ecclesiæ descenderet. Quomodo enim non descenderet? In vertice montis positum erat, ad cujus radicem campi et valles undique, accessit ignis, et liquefactum est unguentum, sicque ad omnia mentis confinia decucurrit [decurrit]. Mons siquidem Christus erat; mons, inquam, ille coagulatus et pinguis, in quo misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt : in quo unctio spiritalium charismatum posita fuit cum omni plenitudine. Accedente autem igne Spiritus sancti unguentum hoc a vertice montis in plana descendit, quia pro operationem sancti Spiritus a Christo in omnes Ecclesiæ filios Spiritus sancti gratia effusa est. Hoc denique est unguentum unctionis, quo tabernaculum et omnia vasa ejus inunctum est (*Exod.* xxx), hoc est unguentum quod a capite in barbam Aaron, et inde in oram vestimenti ejus descendit (*Psal.* cxxxii). Merito utique descendit a barba in oram vestimenti, quia unguentum non erat barbæ sed capitis. Caput autem non tantum barbæ, sed omnium membrorum erat : ideoque unguentum recte a capite in barbam, et a barba in cætera membra debuit effluere.

Videtis, ut opinor, quomodo Spiritus Domini replevit orbem terrarum spiritalium charismatum plenitudine, qui sive dicatur spiritus Domini, hoc est, Dei Patris, vel Domini, id est, Christi, una veritas est. Si verba prædicta generalissimam contineant promissionem, tunc per orbem terrarum universitas creaturarum est intelligenda, et sic illa universitas distinguenda est, ut dicamus : quia est terra mundanæ fabricæ, est terra præsentis Ecclesiæ, est terra cœlestis patriæ. De prima dicitur : In principio creavit Deus cœlum et terram etc. (*Gen.* i). De secunda dicitur : Visitasti terram, et inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam (*Psal.* lxiv). Et in Job : Qui extendit aquilonem super vacuum et appendit terram super nihili (*Job.* xxvi). Terram siquidem super nihili appendere, est Ecclesiam super gentes dilatare, quæ nihilum in Isaia appellantur ubi dicitur : Omnes gentes quasi non sint sic sunt in conspectu Dei, et tanquam nihilum et inane reputatæ sunt (*Isa.* xl). De terra cœlestis patriæ scriptum est in psalmo : Credo videre bona Domini in terra viventium (*Psal.* xxvi). Si vis scire quomodo hæc terrarum universitas repleta sit, considera opera Dei : quia sunt opera conditionis, opera restaurationis, opera reparationis. Opera conditionis sunt, cœlum et terra et quæcunque continentur in illis; opera restaurationis sunt, per quæ homo in sanctitatem vitæ reformatur, ad quæ pertinent Christi incarnatio, passio, resurrectio, et omnia opera interiora, quæ electi faciunt a tempore incarnationis Christi, usque ad finem seculi; opera reparationis sunt, quæ totum innovant hominem in futura vita, ad quæ pertinent glorificatio corporis, jocunditas mentis, et felicitas gaudiorum, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Inter opera restaurationis et opera reparationis hæc distantia est, quia hæc faciunt ut quæ perdita fuerant perdita non sint, illa ut quæ restaurata sunt, beata sint. Spiritus ergo Domini replevit terram mun-

ituæ fabricæ per opera conditionis, terram præsentis Ecclesiæ per opera restaurationis, terram cœlestis patriæ per opera reparationis. Non mireris quod opera conditionis Spiritui sancto attribuimus, cum Patri potius ascribenda videantur secundum Augustinum, qui dicit : Si quæris per quem? per Verbum : si quæris quare? quia bonus est, quasi diceret propter Spiritum sanctum, et sic idem spiritus non videtur esse auctor, sed causa creaturarum. Absque dubitatione tamen verum est, quod Pater et Filius et Spiritus sanctus sicut sunt in substantia unum, ita nihil habent in operatione divisum. Unde Dominus in Evangelio : Pater meus usque modo operatur et ego operor (*Joan.* v). Et in Ecclesia canitur : Te laudent, te glorificent omnes creaturæ tuæ, o beata Trinitas. Recte ergo dicitur, quod spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis. Per hoc generalis sit demonstratio, non personalis, id est, ad multa, non ad unum, sicut in Ecclesiaste, ubi dicitur : Deum time et mandata ejus observa, hoc est omnis homo (*Eccl.* xii). Ibi enim ad omnem hominem fit demonstratio, non ad unum solum, quasi diceret Salomon : Non quæras cui loquar, cum dico : Deum time et mandata ejus observa. Non enim loquor uni, sed omni. Eodem modo intelligendum est hoc, id est, universalis Ecclesia, quæ continet omnia, id est, omnem spiritus plenitudinem. *Scientiam habet vocis.* Cujus vocis? Tria sunt hic : sonus, vox et verbum. Sonus est strepitus ille qui sine instrumento linguæ et adminiculo oris efficitur ut collisio lapidum vel aliquid tale. Vox autem est sonus, qui instrumento linguæ et oris formatur. Verbum vero est significatio vocis, quæ in ejus prolatione concipitur in mente rationali. A principio mundi usque ad Moysen sonus fuit, a Moyse usque ad Christum sonuit vox, ab incarnatione Christi usque ad finem seculi sonat verbum. Vis scire quomodo sub lege naturali sonus sine adminiculo linguæ et oris fuit? Lingua Dei Spiritus sanctus est, de qua dicitur : Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis (*Psal.* xliv). Os vero est sapientia Dei, id est, Christus, de quo dicitur : Osculetur me osculo oris sui (*Cant.* i). Et in prophetis sæpe legitur quod os Domini locutum est. Quia ergo loquela, qua utebantur homines ante legem, nullam Dei sapientiam, nihil spiritalis gratiæ continebat, quasi ad tumultum sæculi, tantum sonum sine adminiculo linguæ et oris faciebant. Sub lege scripta vox sonuit, et fuit ista, lex et prophetæ, quæ velut oris et linguæ adminiculo, id est sapientia Dei dictante et Spiritu sancto docente, edita sunt. Illis autem qui legem acceperunt, vox tantum sonuit, quia mysteria legis, et spiritalem intelligentiam non accipiebant. Hoc est quod Urias Ethæus epistolam mortis suæ signatam secum tulit, quia populus Judaicus accepit sacram Scripturam, et spiritali intelligentia sibi clausam ad cumulum damnationis suæ (*II Reg.* xi). Hoc significabat velamen

A quod erat super faciem Moysi dum loqueretur filiis Israel (*Exod.* xxxiv), imo usque hodie velamen super corda ipsorum positum est, dum filius ille senior foris stans audit symphoniam et chorum, id est, spiritalem lætitiam Ecclesiæ in Scripturis repromissam, quam non intelligens intrare contemnit.

Tempore gratiæ verbum sonat, quia filiis Ecclesiæ mysteria legis et prophetarum patefacta sunt, ut jam non carnaliter, sed spiritaliter ea intelligant. Hoc est ergo quod dicitur : *Quod continet omnia, scientiam habet vocis.* Hoc est verbum vocis, id est, spiritalem intelligentiam legis et prophetarum, sacramentorumque Christi et Ecclesiæ, quæ per Spiritum sanctum in Scripturis sunt revelata. Vel cum dicitur : Hoc quod continet omnia, per hoc
B demonstratio fit ad cor humanum, quod hac ratione continet omnia. Primo Spiritum sanctum continet, qui ei invisibiliter illabitur, angelicam naturam continet per similitudinem creationis, quia rationem et intellectum, cognitionem Dei et dilectionem accepit in sua creatione. Continet etiam omnem corpoream creaturam per cognitionem causarum, eo quod causas omnium scrutetur et intelligat. Secundum hoc ergo cor humanum continens Spiritum sanctum, contentum dicere possumus. Est ergo cor humanum quasi vas quoddam gratiæ Dei, et necesse ut vas purum et politum sit quod tantum thesaurum debet continere.

Respiciat ergo unusquisque ad vas suum utrum sincerum sit, et utrum factum sit in honorem an in
C contumeliam. Vasorum enim hujus modi aliud est purum et politum, aliud purum et non politum, aliud politum et non purum, aliud nec politum neque purum. Vas purum et politum habet, qui intus mundus est mente, et foris honestus religiosa conversatione, ut in ipso quodammodo luceat gratia divina, ita ut cum videris eum, dicere possis quia Deus habitat in illo. Vas purum et non politum habet, qui virtutibus animi bene institutus est, sed, dum sæculari quadam conversatione in victu et vestitu, et mundanis negotiis se egerit inter homines foris, quodammodo est impolitus. Vas politum et non purum habet falsus religiosus, qui, virtute animi vacuus, simulatam quamdam speciem religionis portat in corpore, gestu humilitatem, verbo benigni-
D tatem, vultu simplicitatem, mentiensque, eo usque apparens religiosus, quousque nacta opportunitate vere iniquus esse possit. Effunde enim vas illius, et invenies invidias, detractiones, dolosas machinationes, exquisitas malitias, absque eo quod intrinsecus latet, et ita spiritali dilectione alienum invenies, ut nec etiam diligentes se possit diligere. Vas neque politum neque purum habet, qui intus per vitia, et foris per scandala deformatur, et iste manifeste malus est.

Cor ergo humanum quod continet omnia, scientiam habet vocis. Attende quod Deus ab initio docuit creaturas duas voces : unam vocalem, alteram realem. Vox vocalis fuit, qua omnes homines ab

initio usque ad divisionem linguarum usi sunt. Vox realis fuit dignitas conditionis creaturarum, per quam Deus ostensus est laudabilis. Omnis autem creatura habuit in sua conditione unde Deus vere laudari posset. Unde scriptum est : Laudant illum cœlum et terra et mare, et omnia reptilia in eis. Hujus realis vocis scientia soli homini ad exemplum vivendi data est : Ut intelligens qualiter aliæ creaturæ servata dignitate suæ conditionis Deum loquerentur, ipse quoque in sua dignitate perseverans, Deum reali voce prædicaret. Sed ecce mirabile quid, imo miserabile factum : quia, cæteris creaturis servata naturali conditione Deum loquentibus, in solo homine labium universæ creaturæ confusum est, ita quod nullum naturæ donum sit in eo, quod dicere possit Deo, tale me fecisti. Vide criminosos homines, in quibus iniquitas monstrifero quodam tumultu confundit omnia. Nonne in quamdam confusionem linguarum videntur incidisse, cum, spiritalibus vitiis contra carnalia, et carnalibus contra spiritalia tumultuantibus, imaginem Dei prorsus deformatam, etiam ad quid facti sunt non possint agnoscere? O quanti stuporis, imo quanti pudoris, imo quanti sceleris est, imaginem Dei, hoc est, animam Christianam sic deformare, ut species ejus etiam histrionem non deceat, quæ summi Regis formam debuerat exhibere. Quis denique summi Regis filiam, regalibus dignam nuptiis, prostituit meretricari, et fuit impunitus? Anima Christiana summi Regis est filia, quia et ipsa eum Patrem nominat cum dicit : Pater noster qui es in cœlis (*Matth.* VI). Hanc revera homo nefarius venundatus sub peccato prostituit omni spiritui immundo, dum alius polluitur luxuria, alius superbia, alius avaritia, et postremo in tantum barathrum vitiorum demergitur, ut honesta vitia dedignantur ei dominari, sed horrendis et ignominiosis criminibus subjaceat, quæ vel nominare audientium esset injuria. Tu ergo, homo, [qui] per culpam sic deformatus es, et a voce illa, qua omnis creatura laudat Deum, obmutuisti, frange silentium, disce loqui, et usum vocis recupera, cujus scientiam retinuisti. Doceant te loqui creaturæ insensibiles, et bruta animalia, quæ in statu suæ conditionis manentia Deum laudant : et si parum est magisterii, doceat te Spiritus sanctus, qui per gratiæ infusionem auctor est nostræ regenerationis. Præpara cor tuum ad vitæ novitatem, ut accepta Spiritus Sancti gratia reparatis in te bonis naturalibus cum cæteris creaturis in præsenti vita laudes Deum : ut, stadio præsentis vitæ decurso, operante eodem Spiritu in futura vita cum sanctis omnibus Deum glorifices, præstante Domino nostro Jesu Christo, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SERMO XXXVIII.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

Domus mea domus orationis vocabitur (*Matth.* XXI). Verbum abbreviatum, fratres dilectissimi, vobis proponere disposui, quoniam festinata obedientia et A brevitas temporis, non sinebat diligentius procurare quod dicerem, eo quod hodiernæ diei exhortatio torrenti linguæ, et fœcundo pectori commissa fuerit. De cujus plenitudine sperabimus nos omnes accepturos.

Ne tamen tantæ solemnitati, vel potius charitati vestræ videatur injuriosum, si secundum morem diei verbum Dei non procedat, dicam aliquid, et in tabernaculo Dei, non quod volo, sed quod valeo, sumens in hoc loquendi fiduciam, quia Deus munus quantumlibet parvum non despicit, quod oblatum fuerit bonæ voluntatis affectu.

Et, ut a solemniis hodiernæ diei loquendi sumam principium, videtur festivitas Dedicationis aliquid habere cæteris eminentius. In quibus ornato sanB ctuario per cultum altaris, apparatu ministrorum, laudibus divinis in cœlum resonantibus satis est diem festum agere. Sed in hac tota templi superficies lumine illustrata nobis exhibetur jucundior, unde et universalis Ecclesiæ gaudia nobis hodie repræsentari videntur. Habet enim in ea anima peccatrix unde gaudeat, cui contra sævitiam inimicorum persequentium constituitur civitas refugii. Habet anima proficiens et justificata unde gaudeat, cui contra tentationes varias in auxilium defensionis construitur turris fortitudinis. Habet anima perfecta unde gaudeat, cui in secretarium contemplationis dedicatur domus orationis. Sive enim Ecclesiam, civitatem, sive turrim, sine domum oraC tionis appelles, non errabis, ut tamen dictorum causa ex rerum similitudine colligatur. Nomine civitatis appellatur Ecclesia prophetæ testimonio ubi dicit : Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion, latera aquilonis et civitas Regis magni (*Psal.* XLVII). Et alibi : Convertentur ad vesperum, et famem patientur, ut canes circuibunt civitatem (*Psal.* LVIII). Unde et in lege veteri Ecclesia per tres civitates refugii recte significata est. Tres, inquam, plurali numero, quia etiam una est Ecclesia, et plures Ecclesiæ, unde dicitur in Canticis : Una es columba mea, formosa mea (*Cant.* II). Et alibi : In Ecclesiis benedicite Deo Domino, de fontibus Israel (*Psal.* LXVII). Est ergo una unione charitatis, plures propter diversas fidelium congregationes.

D Possumus tamen dicere quod Ecclesia per tres civitates refugii significata est propter tria remedia quæ in ea peccatoribus conferuntur, videlicet regenerationis, confessionis, et conversationis. Ista tria remedia contra væ triplex instituta sunt, videlicet væ originale, væ actuale, væ pœnale. Remedium regenerationis contra væ originale institutum est, ut culpa nativitatis, per quam natura filii iræ omnes efficiuntur, non noceat illis qui per sacramentum baptismi Christum induerunt : remedium confessionis contra væ actuale institutum est, in qua peccata actualia relaxantur et restituuntur merita priora, ne remaneat macula criminis, quam humilitas lacrymosæ confessionis detersit. Remedium conversationis contra væ pœnale institutum

est, væ, inquam, ignis gehennalis, vel ignis purgatorii, ut hi qui, abjecta sæculari conversatione, laboribus pœnitentiæ et bonorum operum exercitiis peccata sua in seipsis puniunt, et post excessum vitæ hujus nihil puniendum in se relinquentes, sine impedimento dirigant spiritum ad Deum qui fecit illum.

Est etiam Ecclesia turris appellata in Canticis ubi comparatur turri, quæ ædificata est cum propugnaculis (*Cant.* IV). Et alibi : Vos qui in turribus estis, aperite portas, quia nobiscum Deus (*Judith.* XIII). Comparatur autem turri propter tria, quia munita, quia sublimis, quia fortis. Munita est Ecclesia, non solum quia super montem constructa, sed quia flumine et muro vallata est; supra montem, inquam, constructa est coagulatum et pinguem, coagulatum passione, pinguem charitate : de quo monte Esaias dicit : Venite, ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus (*Isa.* I). Mons iste Christus est, in quo tanquam in fundamento Ecclesia fundata est, unde scriptum est : Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus (*I Cor.* III). Flumen quod Ecclesiam circuit, est spiritalium donorum abundantia, qua fideles irrigantur secundum mensuram donationis Christi, de quo flumine Propheta dicit : Fluminis impetus lætificat civitatem Dei (*Psal.* XLV). Murus, quo civitas ista ambitur, fortitudo est continentiæ, qua in Ecclesia Dei sancti viri contra desideria carnis muniuntur. Sublimitas autem turris, quam Ecclesiam diximus, altitudo est ecclesiasticæ dignitatis : fortitudo est rigor ecclesiasticæ severitatis. Tu ergo, anima proficiens, quæ in hac turri vis defendi, sic in Ecclesia Dei conservare, ut his qui in dignitate supra te positi sunt humilieris per obedientiam, in excessibus tuis corrigendis disciplinæ te subjicias per patientiam, insuper virtutibus munita vitæ teneas innocentiam.

Est etiam Ecclesia domus orationis his, qui, relicto sæculari tumultu, soli Deo vacare desiderant, et, purgata conscientia ab omni inquinamento carnis et spiritus, non solum voce, sed sancta devotione, pio mentis affectu psallunt Deo in cordibus suis. Illis etenim Ecclesia spiritaliter est domus orationis, qui linguam, affectum, studium orationi impendunt, quos ipse Dominus in Evangelio (*Joan.* III) veros adoratores appellat, qui adorant Patrem in spiritu et veritate. Tale profecto orationis genus propheta David postulabat, cum diceret : Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, et labiis exultationis laudabit os meum (*Psal.* LXII). Et alibi : Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo (*Psal.* CXL). Quare sicut incensum? Incensum cum accenditur, fumum, flammam, odorem ex se emittit : sic et oratio Deo grata, modo fumum compunctionis per recordationem peccatorum, modo flammam charitatis per amorem cœlestium, modo odorem devotionis per bonum mentis affectum in Deum emittit. Quid enim valet littera sine spiritu,

A vox sine sensu, cibus sine appetitu, oratio sine affectu? Nam si spiritalium ad corporalia fiat comparatio, sicut cibus corporalis refectio est corporis, ita et oratio cibus est animæ. Certe, si absque appetitu cibum corporalem accipias, magis detrimentum quam nutrimentum tibi acquiris, eo quod superflue infusum aut noxium fiet aut injucundum. Simili modo oratio sine affectu, quæ cibus debet esse animæ, illam non reficit, quia sine fructu est oratio, quæ immundis fœdata cogitationibus, et spiritalibus plagis odii, invidiæ, elationis, et cæterorum talium sauciata, caret devotione. Tibi ergo loquar nunc, o anima mea misera, quæ in domo orationis, imo inter orandum, tot turpia, tot curiosa, tot vana cogitasti, quid respondebis Deo tuo cum
B tecum ponet rationem, quod opus suum feceris fraudulenter? quid respondebis piis animabus, quarum peccata portare debueras, quarum bona percepisti in vita tua, ut averteres indignationem Dei ab illis? quid demum angelicis spiritibus respondere poteris, quorum non es reverita præsentiam, contempsisti auxilia, officia neglexisti? solent enim spiritus angelici orantibus assistere, non solum ut defendant eos ab infestationibus inimici, sed etiam ut orationes illorum ante thronum Dei repræsentent, sicut Propheta dicit : Prævenerunt principes conjuncti psallentibus in medio juvencularum tympanistriarum (*Psal.* LXVII). Principes siquidem isti; qui sunt angelici spiritus, psallentes præveniunt
C modo auxiliando, modo suggerendo quæ postulent, et hoc in medio juvencularum tympanistriarum, id est, Ecclesiarum, carnem suam per abstinentiæ virtutem, et labores plurimos mortificantium. Et alibi in id ipsum Propheta consonat, dicens : Principes Juda duces eorum, principes Zabulon, principes Neptalim (*Psal.* LXVII). Angelici siquidem spiritus, qui aliis juste et pie viventibus principes sunt, regendo eos et auxilium præbendo, orantibus etiam duces dicuntur, eo quod in hoc amplius veris oratoribus [vere orantibus] sint propitii, quod illorum devotionem pariter et preces ante Deum dirigant et deducant. Unde dicitur quia principes Juda duces eorum, id est, confitentium; principes Zabulon, hoc est, continentium; principes Nephtalim, hoc est, contemplantium
D sunt duces eorum, hoc est psallentium. Judas enim, qui interpretatur confitens, significat confitentes : Zabulon, qui interpretatur habitaculum fortitudinis, significat continentes : Neptalim, qui interpretatur cervus emissus, significat contemplantes. Istorum ergo principes sunt duces devote orantium in his quæ Deo placita sunt eos dirigentes. Timeo vehementer ne animas pias pro quibus fideliter non intercessisti, invenias accusatrices tui ante Deum, angelos testes, ipsum Deum judicem experiaris, qui in divinis obsequiis tam negligens tam indevota convinceris extitisse.

Resipisce ergo tandem, anima mea, et quæcunque es mei similis anima peccatrix, ut in divinis officiis sedula psallas spiritu, psallas et mente, et, relictis

his quæ adversus te militant, subdita esto Domino, A et ora eum, ora, adora, exora. Ora sinceriter, adora fideliter, exora perseveranter. Si in domo orationis es, ora: si meritis tuis exigentibus foris es, pulsa ad portas domus hujus, et aperientur tibi. Sicut autem in domo orationis diversæ sunt mansiones, ita et portarum diversitates. Domus siquidem Dei, quæ est Ecclesia, tribus mansionibus distinguitur. Prima est intrantium, secunda pugnantium, tertia regnantium. Primæ ergo mansionis portæ sunt sacramenta Ecclesiæ, per quæ criminosi quicunque in gremium Ecclesiæ recipiuntur, de quibus portis dicitur: Diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Jacob (*Psal.* LXXXVI). Portæ secundæ mansionis sunt doctrinæ et veritatis, scilicet Evangelii, legis et prophetarum, per quas erudiuntur B Justi ad opera justitiæ, et pie vivendum in hoc seculo, de quibus dicitur: Aperite mihi portas justitiæ et ingressus in eas, confitebor Domino (*Psal.* CXVII). Portæ tertiæ mansionis sunt virtutes, videlicet charitas, pax, bonitas, et cæteræ quæ permanent hic et in futuro. Et istæ sunt portæ æternales, de quibus dictum est: Attollite portas, principes, vestras; et elevamini, portæ æternales, et introibit rex gloriæ (*Psal.* XXV). Ingressi ergo has portas ad mansiones omnes adorant, sed non uno modo. In prima enim mansione orantes prosternuntur pedibus Domini, in secunda adorantes quasi elevati inhiant manibus ipsius, in tertia exorantes erecti respiciunt faciem ejus semper.

Qui in prima mansione adorant prostrati, sunt C nuper conversi qui adhuc malorum suorum conscii, carnalibus obnoxii desideriis, vallati tentationibus, lacrymosas preces pro peccatis fundunt ad Dominum. Nec enim illi qui recentes adhuc cicatrices criminum suorum aspiciunt, præsumere debent postulare a Deo puritatem angelicam, vitam illam beatam, quam nec oculus vidit, nec auris audivit; sed potius cum lacrymis veniam peccatorum, spacium pœnitentiæ, lacrymarum imbrem, quibus laventpeccata sua, debent postulare. Hanc orandi formam docuit nos propheta David, cum diceret: Amplius lava me, Domine, ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me (*Psal.* L). Similiter et beata illa peccatrix, quæ prostrata in faciem suam, lacrymis lavit pedes D Domini, et capillis suis extersit. In secunda vero mansione adorantes justificati manibus inhiant Domini, manum defensionis et auxilii ab eo postulantes. Dum enim viri justi adhuc in præsenti vita militantes a Deo postulant contra carnis desideria fortitudinem continentiæ, contra injurias sibi illatas virtutem patientiæ, velut manibus Dei intendunt, per quas sibi beneficium ab ipso donari cupiunt, unde scriptum est: Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione (*Psal.* CXLIV). Adorantes in tertia mansione, quæ est triumphans Ecclesia, respiciunt in faciem ejus semper, affectu laudationis et exultationis, Deo semper adhærentes, pro nobis etiam voto et desiderio supplicant, et quos aliquando habuerunt socios tribulationum, regni etiam quandoque habeant cohæredes, largiente Domino nostro Jesu Christo, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SERMO XXXIX.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere (*Luc.* XIX). Festivo quodam gaudio, et, ut ita dicam, gaudio gaudiorum hodiernæ diei solemnitas suscipienda est, quia diebus cæteris, etsi cujuslibet sanctorum digne pro merito recolitur gloria, sed certe in hac totius Ecclesiæ gaudia sunt nobis repræsentata.

Ipse enim templi materialis decor, qui oculis nostris foris ingeritur, templi spiritalis, quod est Ecclesia, nobis figurat sanctificationem, quam nomini suo per sanguinem redemptionis consecratam, quasi quoddam salutis refugium, animæ cui benedixit Deus, in medio terræ collocavit. Hoc est quod ipsa Ecclesia, in Scripturis, modo domus refugii, modo turris, modo domus orationis appellata est. An non ipsa est domus refugii, ad quam de potestate tyranni, de carcere mortis, de peccatorum vinculis rei confugiunt et liberantur? Hæc est quæ in lege veteri (*Deut.* IV,) per tres illas civitates refugii significata est, ad quas rei confugientes tam diu morabantur, quousque in morte summi pontificis vel anno jubilæo ad possessiones pristinas redirent. Ipsæ quippe tres civitates refugii Ecclesiam figurabant propter tria remedia, videlicet regenerationis, confessionis, et conversionis, quæ peccatoribus in Ecclesia conferuntur contra triplex væ quo mundus corruit. Quorum primum, videlicet regenerationis, contra væ originale; secundum, id est confessionis, contra væ actuale; tertium, id est conversionis, contra væ pœnale institutum est. In his civitatibus, quæ sunt in Ecclesia Dei, rei commorantes ad possessiones pristinas, quæ sunt præsentis vitæ innocentia et gaudia futuræ, tandem revertuntur, quia et hic per mortem summi pontificis, id est Christi ad innocentiam, et in anno jubileo, qui resurrectionis gloriam præfigurat, ad felicitatem beatitudinis reformabuntur. Est etiam Ecclesia turris vocata propter tria, videlicet propter altitudinem, fortitudinem, et pulchritudinem. Et spectat altitudo Ecclesiæ ad sublimitatem dignitatis, fortitudo ad sæveritatem potestatis, pulchritudo ad venustatem virtutis. Unde per Salomonem turri comparatur, quæ ædificata est cum propugnaculis. Mille, inquit, clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium (*Cant.* IV). Propugnacula hujus turris, sunt perfecti viri et Ecclesiæ doctores, qui in sublimi constituti exemplo bonæ vitæ cæteros regunt et defendunt: clypei vero dependentes sunt quique inferiores, qui scuto humilitatis et patientiæ ab incursu hostium seipsos custodiunt. Domus etiam orationis ecclesia dicitur, propter eos qui vel pro conscientia delicti, vel desiderio præmii obsecrationibus et orationibus vacantes, non recedunt a templo Dei die ac nocte. De

qua domo scriptum est: Etenim passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi ubi ponat pullos suos (*Psal.* LXXXIII). Ubi per passerem volatus contemplativi viri, per turturem gemitus peccatoris designantur.

Hæc est domus illa, in qua Christus cum Zachæo vult manere dicens: *Zachæe, festinans descende*, etc. Sed quæ est arbor de qua jubetur descendere Zachæus antequam recipiat Christum in domum suam? Ipsa est sycomorus, ficus videlicet fatua exuberans, cortice et foliis fructum ferens inutilem. Et significat hujus vitæ delectationem ferentem ficus malas valde, ficus, inquam, voluptatis, corticem vanitatis et folia levitatis. Fructus arboris hujus plenius noverunt, qui implicuerunt se voluptatibus hujus vitæ, ducentes in bonis dies suos, et hanc sibi partem statuerunt uti deliciis et frui bonis. Sed, o Zachæe, quis te docuit de hac arbore descendere? quis fugere a ventura ira. Ipse certe, qui te justificavit. Zachæus enim justus vel justificatus interpretatur. Justificatus plane, et hoc justicia triplici, scilicet justicia præcepti, justicia exempli, justicia consilii. Justicia præcepti est, secundum mandata Dei vias suas dirigere, quod Zachæus fecit, sicut de seipso dicit: Et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Justicia exempli est præter mandata Dei ad exemplum virtutis imitandæ relinquere testimonium boni operis, ut ibi: Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus. Justicia vero consilii est, spretis rebus transitoriis Deo firmiter per contemplationem adhærere, sicut de Zachæo scriptum est: Et descendit festinanter, et excepit illum gaudens. Et certe prædictis verbis nobis qui per Zachæum signati sumus, in Zachæo loquitur Christus, jubens nos prædictis passibus justiciæ de arbore sycomoro descendere, ne aliqua remaneant in nobis vestigia voluptatis, vanitatis, sive levitatis, quibus domus nostra, id est ecclesia sordidata advenientis offendat reverentiam majestatis.

Oportet ergo domum hanc in qua Christus vult manere triplici apparatu præparari, ut sit domus pulchra, mensa locuples, idonei ministrantes. Ad domus hujus pulchritudinem sufficit proponere, quod universus lapis preciosus in structura ejus locatur, jaspis, saphyrus, chalcedonius, smaragdus, sardonyx, sardius, chrysolitus, beryllus, topazius, chrysoprasus, hyacinthus et amethystus. Jaspis qui colore est mediocriter viridis, et in fundamento hujus domus primo ponitur, imperfectos quosque significat in Ecclesia, qui summam virtutum viam nondum attingentes, sola fidei virent simplicitate, quibus scriptum est: Justus autem meus ex fide vivit (*Habac.* II). Huic superponitur saphyrus, qui colorem habens aerium maculis quibusdam distinguitur, significans eos qui plerumque rapiuntur desiderio cœlestium, sed terrena sollicitudine et negotiis hujus seculi, quasi quibusdam maculis afficiuntur. Tertium locum obtinet chalcedonius colorem habens rubeum, sed obscurum, qui si cavatus fuerit,

A eum colorem quem prius habebat obscurum exhibet clarissimum: significans eos qui parati sunt ad omnia pro nomine Jesu sustinenda, tempore tranquillitatis obscuri, sed si æstus persecutionis eos pupugerit, tunc quales intus latuerint, patientia et pugna manifestum faciunt. Quartus smaragdus fundamentum perficit, qui colore usque adeo est viridis, quod circumjacentes herbas et folia viriditate sua afficit: significans sanctos Ecclesiæ doctores, qui fidei vigore perfecte virentes, verbo prædicationis et exhortationis cæteros afficiunt, et ad viam veritatis convertunt. Quintus sardonyx hujus domus parietes erigere incipit, qui colore candidus, et quodammodo vergens in colorem rubeum, figurat sanctos viros in Ecclesia, qui licet innocentia et
B puritate vitæ sint candidi, tamen vigilando, jejunando, cæterisque tribulationibus voluntarium sibi martyrium, quod per rubeum colorem exprimitur, propter Deum imposuerunt. Huic superponitur Sardius, qui totus rubeus, significat sanctos martyres, qui per multas persecutiones et injurias, tandem hostiam vivam sanguine suo perfusos seipsos Deo obtulerunt. Septimus chrysolitus totus est aureus, in auro vero cœlestis donum sapientiæ exprimitur, et significat iste lapis eos qui hoc donum divinitus perceperunt, ut Joannes in Apocalypsi, et Paulus qui per revelationem, et prophetæ qui per inspirationem Christi et Ecclesiæ mysteria ordinaverunt. Octavus est beryllus eximiæ claritatis colorem cœruleum ha-
C bens admistum, viros significat claustrales et religiosos, qui sancta conversatione puri, tamen ne aliqua seculi contagione maculentur, se ipsos a terrenis occupationibus, soli Deo vacantes, sequestraverunt. Parietibus vero consummatis, tectum domus inchoat. Topazius, qui aerio et aureo colore intermistus, eos designat, qui in utraque vita perfecti, ab activa ad contemplativam transierunt. Color enim aerius, qui et cœlestis, designat contemplationem. Color vero aureus eo quod ad rubeum accedat colorem vitæ activæ tribulationes, ut in isto loco: et quandoque fulgorem miraculorum ut in sequentibus dicetur, designat. Decimus aut chrysoprasus viridi aureoque colore distinguitur, virtutem habens (aiunt physici) medi-
D cinalem, et significat eos, qui præter fidei virtutem, etiam operationem miraculorum acceperunt, ut illi qui sanare infirmitates, suscitare mortuos, fugare dæmones meruerunt. Undecimus est hyacinthus qui totus cœlestis sive aerii coloris est, et significat viros summæ contemplationi deditos, solum Deum et ea quæ Dei sunt meditantes, totique absorpti in spiritum, corpore sunt in terris et conversatione in cœlis. Duodecimus amethystus tectum consummat, purpureum habens colorem; purpura vero regum ornamentum esse solet, et propterea per amethystum apostoli recte designantur, qui verbo et martyrio Christum per universum mundum circumferentes præ cæteris singulariter mundo eum innotuerunt. Et hæc de domus pulchritudine.

Mensa vero hujus domus est sacra Scriptura, de qua Salomon ait : Sedisti ad mensam divitis, diligenter attende quæ apponuntur tibi, ut et tu similia præpares (*Eccli.* XXXI). Hæc est mensa veteris tabernaculi super quam duodecim panes propositionis ponebantur, quibus sacerdotes et eorum filii reficiebantur (*Lev.* XXIV). Duodecim illi panes apostoli fuerunt et cæteri viri apostolici, qui in mensa divinæ Scripturæ meditati sunt die ac nocte, cæterisque Ecclesiæ filiis verbum vitæ ministraverunt, cibantes illos pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potantes illos. De qua aqua et cibo alibi Propheta dicit : Flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio ejus (*Psal.* LXIV). Hujus mensæ quatuor fercula distinguere possumus, videlicet sensum historialem, qui instruit ad veritatem, moralem, qui informat voluntatem ; allegoricum, qui roborat fidem ; anagogicum, qui sursum trahit per contemplationem. Vel possumus secundum Apostolum hujus mensæ fercula aliter distinguere. Divisiones, inquit, gratiarum sunt. Alii enim datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii interpretatio sermonum, alii mysteriorum revelatio, alii prophetiæ, quæ omnia fercula apponit unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult (*I Cor.* XIV). Possumus et aliter mensam hanc intelligere, videlicet sacramentum altaris, de qua scriptum est : Ponam in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me (*Psal.* XXII). Et de qua Apostolus : Non potestis communicare mensæ Christi, et mensæ dæmoniorum (*I Cor.* X).

In hac mensa diligenter attendenti quatuor panum genera sunt quæ apponuntur. Primus est sacramentalis, de quo Apostolus : Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Domini est ? (*I Cor.* X.) Secundus corporalis, de quo propheta dicit : Mittamus lignum in panem ejus (*Jer.* II). Tertius spiritalis, ipse est Verbum Dei, de quo dicitur : Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi (*Joan.* VI). Quartus intellectualis, ipse est vinculum ecclesiasticæ unitatis, de quo dicitur : Crede et manducasti. Primus panis foris per speciem nutrit fidem, secundus naturæ humanæ exhibet veritatem, tertius intus operatur justificationem, quartus ecclesiasticæ charitatis fovet unionem. Sic et vini diversitates scrutator diligens poterit invenire.

Domo igitur et mensa præparatis, restat disponere ut hujus mensæ ministri sint idonei ad exhibendum obsequium, Christo discumbente. Vere omnino idonei esse debent, qui astant ante Dominum terræ, qui gestant puerum Jesum, qui ponuntur mediatores inter Deum et homines, ut propitietur iniquitati eorum. Quanto autem virtutum decore minister altaris ornatus esse debeat, veteris sacerdotii cultus mystice figurat. Sacerdos siquidem legalis octo ornamentorum generibus in figuram A virtutum utebatur : quæ erant fœminalia, tunica byssina, baltheus, tunica hyacinthina, superhumerale, rationale, cidaris, et lamina aurea (*Exod.* XXVIII). In fœminalibus ergo significata est munditia carnis, in tunica byssina munditia mentis, in baltheo quo vestes stringuntur, utriusque custodia, in tunica hyacinthina virtus contemplationis, insuper humerali fortitudo boni operis, in rationali, quod erat ornamentum pectoris, discretio scientiæ, in cidari, qua caput tegebatur, regimen quinque sensuum, qui præcipue in capite sedem habent, in lamina aurea, quæ imminebat fronti memoria sive crux Dominicæ passionis, ut sacerdos nihil agat per contentionem vel inanem gloriam, sed omnia ejus opera in nomine Domini fiant. His or- B namentorum generibus ad mensam Christi debet quisque accedere, his signis et armis regi suo militare, ut et ex ipso cœlesti habitu militiæ manifestum sit quo tendat finis victoriæ.

Certe hi, qui terreno imperatori militant, signa quædam portant singularis militiæ, ut puta alii aquilas, alii leones, quidam rosas vel lilia, quidam lunulas, et cætera in hunc modum, ut cum aliquid strenue gesserunt, cujus nomini ascribi debeat per hæc indicia cognoscatur. Tu quoque, qui cœlesti regi militas, tua signa tecum portare debes, ut sit tibi pro aquila eminentia charitatis, pro leone fortitudo operis, pro rosa patientia tribulationis, pro lilio candor castitatis, pro lunula perseverantia perfectionis. Qui autem virtutibus hujusmodi ornatus C non est, ille idoneus minister Christi esse non potest : quippe maculam habet, et ideo a ministerio Domini repellendus est. Unde et in lege Domini a sacerdotio talis prohibetur, ut scriptum est : Sacerdos de semine Aaron maculam habens non ministret in tabernaculo, neque offerat panes Domino Deo suo : ut, si fuerit cæcus, si claudus, si grandi vel parvo vel torto naso, si fracto pede vel manu, si gibbosus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem, si ponderosus (*Lev.* XXI). Non enim debet sacerdos ministrare ad mensam Domini, si fuerit cæcus per ignorantiam divinæ legis ; si claudus, per dissimilitudinem conversationis, ut quod verbis dicit, contradicat factis ; si parvo naso per indiscretionem boni et D mali ; si grandi vel torto naso, per nimiam prudentiam secularem ; si fracto pede, id est sine affectionibus misericordiæ, et veritatis ; si fracta manu, id est sine exercitio boni operis ; si gibbosus, id est oneratus vitio curiositatis ; si lippus, id est mente turbatus carnalibus desideriis ; si albuginem habens in oculo rationis ; si jugem scabiem per scandala luxuriæ ; si impetiginem, per æstum avaritiæ ; si ponderosus, occultarum cogitationum pondere depressus. Hinc est quod in lege homo pollutus nocturno semine id est occulta maculatus cogitatione, jubetur immundus esse usque ad vesperam (*Lev.* I). Nam, si alicujus talium sibi conscius quis mensam Domini frequentare præsumit, benedictio-

nes ejus in maledictiones sibi convertuntur, quia non dijudicat corpus Domini.

Quicunque ergo offers laudes Deo sive missarum solemnia, sive diurnas horas, sive nocturnas, immaculato corpore et mundo corde imple ministerium tuum, ne si alterum defuerit, illa Pharisæorum comminatio intonet adversum te : Væ vobis, Scribæ et Pharisæi, qui mundatis quod foris est calicis, intus autem immunditia plenum est (*Matth.* XXIII). Psallas ergo voce, psallas opere, psallas et mente. Sicut enim debes Domino horas vocales, sic debes horas reales, et spiritales. Horæ vocales sunt septem, quæ in Ecclesiis Dei singulis diebus decantantur, de quibus dicitur : Septies in die laudem dixi tibi (*Psal.* CXVIII). Horæ reales sunt, quæ bonis operibus non verbis decantantur, ut largitio eleemosynæ, peregrinorum susceptio, vestire nudum, visitare infirmum, sepelire mortuum, et his similia. Horæ spiritales sunt virtutes animæ, quæ ipsam movent ad bene agendum, ut humilitas, charitas, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, modestia, continentia, castitas, et cæteræ in hunc modum. In his virtutibus in præsenti jugiter exerceri, et in futuro earum fructum feliciter apprehendere nobis concedat Conditor noster Jesus Christus, Dominus noster, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SERMO XL.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem (*Prov.* IX). Non est, fratres dilectissimi, domus ista materialis sed spiritalis, in qua sponsus sponsam, dilectus dilectam, speciosus speciosam, spiritali sibi nectit matrimonio, despondens eam uni viro virginem castam exhibere Christo.

Ne igitur per vicos et plateas quæreret eam quam anima sua diligit, præcepit domum sibi fieri in qua solemnia nuptiarum fiant, ubi filiæ Jerusalem regem Salomonem in decore suo conspiciant, ubi denique laudent eum in choro, in tympano et psalterio psallant ei. Nec ad hoc opus consummandum sapientem aliquem, sed ipsam sapientiam, quæ est Verbum Patris, virtus et fortitudo, direxit, ut verbum operetur velociter, fortitudo, sapientia eleganter. Sapientia igitur ædificavit sibi domum. Domum istam sapientia sibi ædificavit, quoniam quidquid proprietati Sponsi accedit a possessione suæ sapientiæ nequaquam recedit : quia cum ipso genita ejusdem essentiæ, pari voluntate et potentia semper ei assistit. Domus hæc triplici mansione distinguitur. Prima est laborantium, secunda desiderantium, tertia vero fruentium. Ut autem de prima mansione primo dicamus, laborantium alii sunt inferiores, alii superiores (*Exod.* III). Primi sunt qui ad similitudinem Moysi a filia Pharaonis adoptati, et in flumine Ægypti repositi, postmodum adoptionem ejusdem detestantur, et Ægyptios relinquentes ad filios Israel revertuntur. Per carnis enim concupiscentiam in flumine vitiorum enutriti, A cum adulti fuerint, non secundum carnem, sed secundum Spiritum ambulare incipiunt, et vias suas malas relinquentes, ad filios Israel, id est ad videntes Deum redire cupiunt : attendentes enim in quos fines seculorum, hoc est, fines secularitatis deveniunt, quasi in se ipsos invectiva facientes, voce prophetica exclamant, dicentes : Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam quam retribuisti nobis, (*Psal.* CXXXVI), de filia Babylonis, hoc est, de voluptate carnis, conqueruntur dicentes ei : Beatus est qui dignam recompensationem tibi exhibuerit, ut sicut tu spiritum in carne mortificasti, sic et tu per spiritum in carne mortificeris. Abjiciunt ergo gregem porcorum, quem pascebant in regione dissimilitudinis, et in domum B Patris sui, ubi mansiones multæ sunt redeunt, et conventione facta ex denario diurno, id est pro vitæ æternæ præmio, operarii fundamenti in domo Dei constituuntur. Primo ergo terram effodiunt, postea ordine tripartito lapidum fundamentum disponunt. Terram effodiunt, dum quidquid terrenitatis latet in corde, per confessionem oris manifestum faciunt. Fundamentum tripartita distinctione lapidum ornant, dum primo per compunctionem animi, secundo per detestationem mali, tertio per cautelam mali futuri se in proposito bono confirmant. Cæmentum de lacrymis et fervore devotionis conficiunt, ne imminente tentatione et spiritu procellarum sibi disjungi possit tanti operis artificium. Attende tamen quia et hoc fundamentum C terræ profundius infixum, a terra hinc inde colliditur : quam is qui a consuetudine prava in novitatem vitæ evadere nititur, exterius per mundi oblectamenta, interius per illicita desideria frequentissime pulsatur. Istæ sunt aquæ exteriores et interiores, quæ nostræ domui frequenter allidunt, quæ tamen ad spiritalem ingressum Dei ad cor hominis metuunt et recedunt. Viderunt, inquit, te aquæ, Deus, viderunt te aquæ et timuerunt, et turbati sunt abyssi (*Psal.* LXXVI). Est abyssus interior, et est abyssus exterior. Interior abyssus est, abyssus cordis: exterior abyssus est, abyssus mundi. Aquæ abyssi interioris, vanæ cogitationes, pravæ delectationes ; aquæ abyssi exterioris, vana gloria, concupiscentia D oculorum et superbia. Istæ ergo aquæ primo vident Deum, quando judicium metuunt, et hoc est : Viderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ et timuerunt. Turbantur abyssi, dum pace vanitatis interrupta, cor retrahi incipit ab amore mundi.

Sunt et de alio genere laborantium, qui, etsi non gradiuntur per viam universæ carnis (*Gen.* VI), hoc est, universæ carnalitatis (quippe omnis caro viam suam corrumpit), per sensum tamen exteriorem delectationes hauriunt, quæ inter sensum exteriorem et sensum interiorem positæ, animam usque ad invisibilia Dei ascendere non permittant. Audi Hieremiam conquerentem de illa sensus delectatione : Oculus meus, inquit, deprædatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meæ (*Thren.* III), nec

solum visus, verum etiam quilibet alius sensus in A his delectatur. Siquidem visus reficitur in cursu fluminum, risu camporum, condensis nemorum, et cæteris hujusmodi quæ ad nostræ mortalitatis spectant solatium. Auditus in hymnis et canticis, in verbis quandoque otiosis, in lyris et tympanis, et cæteris musicis instrumentis. Gustus in olla carnium cum Ægyptiis, in numero volatilium cum Hebræis. Cum Esau in edulio lenticulæ, cum Loth in sapore vineæ raro, cum Elia appetit convivium panis subcinericii, nunquam cum filiis prophetarum ollam Elisei. Similiter et alii sensus, utpote odoratu redolentia, tactu suavia et lenia. Secundum autem vanitates sensuum effectus dirigatur operationum. Vult enim operari visus quod recreat, auditus quod delectet, gustus quod sapiat, odoratus quod afficiat, tactus quod B mulceat. Hujusmodi delectatio sensuum quandoque animam omnino dejicit, quando a gradu perfectionis ex parte retrahit. De primo habemus exemplum in Dalida [*sic*] illa de terra Philisthiim, quæ Samsoni fortissimo crinem fortitudinis abscidit, qui supervenientibus inimicis captivatus et privatus est oculis (*Judic.* XVI). Dalida enim interpretata paupercula, hoc est, delectatio brevis et transitoria, Samsoni, hoc est cuilibet viro forti crinem fortitudinis abscidit, dum quoslibet viriles animi motus ad exsecutionem perfecti operis ascendere non permittit. Unde et supervenientibus inimicis privatur oculis: primo oculo rationis ne possit verum cognoscere, postmodum oculo contemplationis, ne possit Deum diligere. De secundo habemus exemplum in Genesis historia de C Juda (*Gen.* XXXVIII), quia, cum vellet in Thamnas ascendere ad tondendas oves, Thamar ei in via occurrit, et depositis viduitatis vestibus, bonis ornata indumentis ipsum in amorem suum traxit. Judas confitens, Thamar amaritudo, Thamnas signum vel opertum interpretatur. Dum ergo quilibet corde et opere confitens vult in Thamnas ascendere id est, profectu virtutum priores excessus operire, bona conversatione signum et exemplum se aliis præbere, mollitiem rerum temporalium ab operibus innocentiæ separare, Thamar in bivio occurrens in amorem suum trahit, quia delectatio rerum temporalium, quæ vere est amaritudo animæ, inter sensum exteriorem et sensum interiorem media interve- D niens, a gradu perfectionis retrahit. Hi tamen, etsi vanitate rerum temporalium delectantur, per opera tamen pietatis et misericordiæ de his quæ citra perfectionem egerint, Deo reconciliantur.

Secunda vero mansio mirabili quodam disponitur artificio, secundum Ezechielis disertionem, quanto prima mansio est altior, tanto eadem est humilior. Viri enim contemplativi quanto cæteris sunt charitate excellentiores, tanto paupertate spiritus omnibus sunt humiliores. Excelsi siquidem charitati vacant, sanctæ meditationi student, imo desiderant eum qui salvos se fecit a pusillanimitate spiritus et tempestate. Hi sunt qui phiolas odoramentorum plenas ante conspectum Dei semper offerunt, et incensum devotionis super aram cordis sui, igne charitatis accendunt. Omni quoque creaturæ propter Deum se subjiciunt, et in humilitate spiritus ambulantes, alieno imperio semper addicti propriæ voluntati nihil relinquunt. Ea itaque, quæ sursum sunt sapientes, tanquam fortes armati atrium suum custodiunt, et in equis suis ascendentes in arcu et sagitta, in funda et lapide inimicis suis prævaluerunt.

Quorum victoriam et fortitudinem Joannes in Apocalypsi descripsit, cum diceret: Et ecce, inquit, equus albus, et qui sedebat super eum habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens ut vinceret (*Apoc.* V). In equo sensualitatem, in sessore rationem accipe: quæ ratio super equum sedere dicitur, quoties nec caro adversus spiritum, nec spiritus adversus carnem concupiscit. Sed quidquid animale est in homine, imperio rationis usquequaque subjicitur. Et qui sedebat super illum habebat arcum. In arcu duo, lignum scilicet et chorda inveniuntur. In ligno ergo, quod per se non flectitur, propriam accipe voluntatem: in chorda, obedientiæ necessitatem. Per chordam lignum intenditur, dum ex præcepto obedientiæ, libertas voluntatis a finibus suis recurvatur. Huic arcui tres sagittæ sunt necessariæ; prima est, obedire humiliter: secunda, obedire velociter; tertia, obedire sapienter. Obedientia enim humilis vulnerat superbiam, velox desidiam, sapiens maliciam. Hoc arcu non quilibet obediens utitur, sed tantum ille qui in hoc obediendo Simonem Petrum imitatur.

Tria enim obedientium genera Simonis nomine, qui obediens interpretatur, nobis in Evangelio designantur. Legitur enim de Simone Cyrenæo, de quo dicitur: quoniam hunc angariaverunt ut tolleret crucem ejus (*Matth.* XXVII). Legitur etiam de Simone leproso, in cujus domo Jesus discubuit, cui dictum est: Oleo caput meum non unxisti, aquam pedibus meis non dedisti (*Matth.* XXVI). Legitur etiam de Simone, qui cognominatus est Petrus, qui propria passione passionem Christi est imitatus. De primo obedientium genere sunt, qui portant quidem crucem Domini jejuniis, vigiliis et cæteris disciplinæ institutis, sed ad omne id quod fieri oportet nihil faciunt voluntarie, sed quasi serv entes ad oculum, non spiritus libertate, sed sola feruntur ordinis districtione. Unde et dicitur: Et hunc angariaverunt, id est, coegerunt, ut tolleret crucem ejus. De secundo obedientium genere sunt, in quorum domo discubuit Jesus, per inspirationem conversionis, sed adhuc leprosi apparent exemplo pravæ conversationis, minus habent devotionis ad Deum, parum, imo nihil dilectionis ad proximum, et quod apud Deum et homines est detestabile, lucem in tenebras, bonum in malum, bonis etiam insidiantes operibus student convertere. De quibus Psalmista loquitur: Quoniam peccatores intendentes arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde (*Psal.* X). De pharetra

etenim iniqui cordis sagittas mittunt mordacis detractionis. Audi qualiter: Ut sagittent, inquit, in obscuris rectos. Recte dicit in obscuris, quia dum aditum veræ reprehensionis non inveniunt, falsa tamen murmura quasi palpitando componunt. Caveat ergo unusquisque ne efficiatur similis viris Sodomorum pessimis, qui Loth habitantem in domo subvertere cupiunt, sed percussi cæcitate fores tabernaculi invenire non possunt. Viri siquidem iniqui dum Loth, hoc est declinantem a malo expugnare moliuntur (*Gen.* XIX), fores tabernaculi, hoc est aditum reprehensionis non inveniunt: quia cujuslibet honesti bona conversatione excæcati ad ipsum introire non possunt. Timeat unusquisque nostrum et caveat illam Isaiæ sententiam, quæ dicit: Quia dilatavit infernus animam suam et aperuit os suum absque ullo termino, et detractores descendent ad ipsum, et sublimium oculi deprimentur (*Isa.* V).

De talibus enim dicitur: Oleo caput meum non unxistis, id est desiderio devotionis ad dulcedinem divinitatis meæ non ascendistis. Oleo caput meum non unxistis, est oleum quo nos Christus, et est oleum, quo nos Christum inungimus (*Matth.* XXVI). Oleum quo nos Christus inungit, dulcedo est divinæ inspirationis, qua anima per se sicca et arida saginatur, dum gratia, qua prius carebat, sola Dei bonitate ei infunditur. Sicut adipe, inquam, et pinguedine repleatur anima mea. Duplex est oleum, quo nos Christum inungimus. Primum est oleum exultationis, dum quælibet anima jam percepta gratia, in spe futuræ gloriæ exultat et lætatur. Secundum est oleum devotionis, dum toto mentis desiderio oratio nostra, sicut incensum in conspectu Dei dirigitur. De quo maxime dicitur: Oleo caput meum non unxisti, quasi orationis devotione ad celsitudinem divinitatis meæ non ascendisti, et subjungitur: Aquam pedibus meis non dedisti (*Ibid.*). Sicut caput inungere spectat ad desiderium contemplativi, sic pedes lavare ad reconciliationem peccatoris: Duobus siquidem pedibus Deus ad peccatores venit, scilicet pede misericordiæ, et pede justiciæ. Pede misericordiæ venit, dum gratis immeritum impium justificat: pede justiciæ venit dum unumquenque pro merito justiciæ damnat aut coronat: quos pedes aqua illi non perfundunt, qui nec pro commissis suis Dei misericordiam implorant, nec futuræ examinationis judicium reformidant.

De tertio vero obedientium genere sunt qui in corde bono et optimo verbum obedientiæ audiunt, et quæ de his, quæ secundum Deum sunt, imperata fuerint, solo amore justitiæ implent et perficiunt. De tali autem obedienti recte subjungitur: Et data est ei corona, et exivit vincens ut vinceret (*Apo.* VI). Tres sunt coronæ, quæ vero obedienti donantur. Prima est corona victoriæ, secunda est dignitatis et potentiæ, tertia est gloriæ corona. Prima habetur de triumphato hoste, secunda pro imperii adeptione, tertia pro beatitudinis consecutione. Primam habent, qui pugnaverunt contra hostem et vicerunt. Secundam habent, qui seipsos regunt, se judicant, sibi imperant, ne aliqua causa vel occasione inimicus possit de cordibus eorum pacem tollere. Et exiit, inquit, vincens ut vinceret. Primo siquidem egrediuntur vincendo inimicos, postmodo egrediuntur et vincendo seipsos.

Tertia vero mansio, quam fruentium diximus, eorum est qui replentur in bonis domus ejus, et servo illi bono et fideli annumerati jam intraverunt in gaudium domini sui. Ut autem gaudium eorum sit plenum, agnus qui in medio eorum est, duplici eos vestimento induit, quorum primum est splendor æternæ claritatis, secundum jocunditas divinæ contemplationis. Si illuminarentur sine jocunditate, bonum esset imperfectum, si jocundarentur sine illuminatione, et hoc quoque bonum minus plenum esset: et ideo utrunque datur, alterum ad gloriam corporis, alterum ad jocunditatem mentis.

De refectione eorum Psalmista loquitur, dicens: Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos (*Psal.* XXXV). In præsenti quidem vita sancti reficiuntur, sed non inebriantur: in futura et reficiuntur, et inebriantur. Hic refectio particularis, ibi refectio universalis, cum præcinget se et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis (*Luc.* XII). Est una refectio animæ in sacramentis, secunda in Scripturis, tertia in virtute orationis, quarta in beatitudine glorificationis. In prima refectione vitulus saginatus occiditur, in secunda liber signatus septem sigillis aperitur, in tertia scala Jacob erigitur, in quarta cœna nuptiarum agni instauratur. In prima refectione anima in sacramenta passionis deponit vetustatem, in secunda per consolationem Scripturarum spes accipit fortitudinem, in tertia quasi per scalam graditur de virtute in virtutem, in quarta æterni illius convivii consequitur beatitudinem. Beatitudinem dico in corpore, et beatitudinem in mente, utraque enim substantia, scilicet corporea et incorporea, sua ibi habet bona. Duo sunt autem ibi bona præcipua, videlicet cognitio veritatis, et perfectio charitatis. Similiter et duo corporis, quorum unum est decor pulchritudinis, reliquum est integritas sanitatis: primum est in glorificatione corporis, secundum est in abjectione corruptionis. Istæ autem virtutes, etsi ibi inter se sint diversæ, in usibus tamen fortassis nullæ sunt differentiæ. Quia singulæ virtutes usum omnium, et omnes usum singularum habebunt, ut impleatur illud propheticum: Omnia ossa, id est omnes virtutes nostræ dicent: Domine, quis similis tui? (*Psal.* XXXIV.) Isti fortassis significati sunt per mulierem illam amictam sole, habentem lunam sub pedibus suis, et coronam de stellis duodecim (*Apo.* XII). Circumamicti siquidem sole justiciæ lumen inhabitant inaccessibilem, et nullam sui partem extra ipsum relinquentes. Lunam sub pedibus calcant, id est vitæ hujus mortalitatem, sive rerum mundialium vanitatem: unde et coronam de stellis duodecim

habere dicuntur. In corona neque principium neque finis, per quam potest gaudium intelligi interminabilis æternitatis. In stellis vita et doctrina apostolicæ prædicationis. Recte ergo coronam de stellis duodecim habere dicuntur, quia quorum vitam et doctrinam in hac vita sunt imitati, ad eorum similitudinem coronati sunt in cœlis. Hæc de triplici illa mansione secundum seriem propositi diximus. Multa alia adhuc dici possent de septem columnis, de ornatu sponsæ et sponsi, de apparatu convivii, si esset qui aurum de terra educeret, et instantia solennitatis pro reverentia debiti officii non urgeret. Interim igitur his omissis in illam cœlestem mansionem, in tabernaculum non manufactum, totam mentis nostræ intentionem, dirigamus, ut tandem ab hac servitute corruptionis transferamur in libertatem gloriæ filiorum Dei. Iter nostræ peregrinationis, fratres dilectissimi, in timore Dei et dilectione proximi proficiamus, ut in illa cœlesti patria mereamur fieri hæredes Dei, cohæredes autem Christi, præstante Domino nostro Jesu Christo, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SERMO XLI.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

Facta sunt encenia in Jerosolymis (*Joan.* x). Multos ex vobis, fratres dilectissimi, clavem scientiæ accepisse, et legem Domini immaculatam et convertentem animas digito Dei scriptam in cordibus vestris jamdudum agnovi. Siquidem illa clavis David quæ claudit et nemo aperit, aperit et nemo claudit, profunda Dei et mysteria Scripturarum vobis aperire voluit, vobis, inquam, quibus datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis. Me itaque sequentem ut parvulum, sapientem ut parvulum, lacte adhuc, non solido cibo nutriendum, timor dissolvit, ignorantia arguit, verecundia denique confundit. Inter perfectos enim loqui sapientiam, et spiritalibus spiritalia comparare oportebat, qui eorum quæ retro sunt obliti, toto sensu cogitant circumspectionem Dei, et in lege ejus meditantur die ac nocte. Quoniam ergo tantorum virorum præsentiam etiam verbo offendere summa injuria est, in vocem lamentationis potius quam sermonis libet erumpere, paratus quantum valeo fonte lachrymarum satisfacere his, quos necessitate obedientiæ licet invitus cogor offendere. Veruntamen quia viri estis misericordiæ, gens sancta, populus acquisitionis (*Oseæ.* vi), scientes quid est, misericordiam volo et non sacrificium, misericordiam vestram potius quam judicium respicio, magis securus de venia, quam formidolosus de offensa. Libenter enim suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes, quia vestræ virtutis est parcere, non punire, excusare non judicare, in his maxime quorum eventum urget necessitas, et finem exequendi prohibet rei imperatæ difficultas. Sed ne tum per sermonis incuriam, tum prolixitatis vitium, usque in fastidium decurrat oratio, studeamus finem brevitate apprehendere, ut qui subtilitatem ingenii, profunditatem sententiarum, pulchritudinem eloquii desiderant, accelerato fine orationis minus fastidire incipiant.

Facta sunt, inquit evangelista, *encenia in Jerosolymis.* Encenia quantum ad etymologiam nominis, quasi encenia dicuntur, quod sonat innovationem sive dedicationem. Hæc autem solennitas a Juda Machabeo instituta est (*II Macha.* viii) quantum ad veritatem historiæ, quando ejectis idolis et eorum cultibus de templo Domini, divino cultui illud iterum mancipavit. Scitis, fratres charissimi, quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt (*Rom.* xv), ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus. Vos maxime qui novistis vitulum Libani comminuere, et quinque de panibus hordeaceis multa millia hominum satiare; in hujus templi visibilis structura alicujus invisibilis templi investigatio, ni fallor, nobis proponitur. Quod ædificandum et post subversionem mundandum nobis insinuatur, ut sic omnis ædificatio constructa crescat in templum sanctum in Domino. Non inconvenienter ergo templum Dei animam justi dicimus, quæ imago et similitudo Dei est, et sacrarium Spiritus sancti. Primo ergo videamus quomodo templum istud tribus modis ædificatur. In altum surgit et consummatur, scilicet dilectione et bona operatione: cognitio in fundamentum jacitur, dilectio in parietes erigitur, bona vero operatio quasi tectum, parietes in summitate amplectitur. Sicut enim dicit Augustinus: Quantum cognoscis, tantum diligis, tantum operaris: non enim potest quis diligere quod non cognoscit, vel operari quod non diligit.

Tribus autem modis ad perfectam cognitionem pervenimus, scilicet meditatione, exercitatione, eruditione. Est autem meditatio frequens cogitatio animi in dubiis ad investigationem veritatis. Exercitatio frequens usus inquisitionis sive per seipsum, sive ad alterum. Eruditio autem est studiosa animi informatio, vel ad agendum quod oporteat, vel ad sciendum quod ignorat. Cognitio autem alia est sub homine, alia est de homine, alia vero supra hominem. Ea quæ est sub homine, est de rebus creatis propter hominem, per quam cognoscit homo dignitatem suæ conditionis. Per eam vero quæ est de homine, cognoscit homo vitium propriæ infirmitatis. Per eam quæ supra hominem, gratiam bonitatis. Per primam cognoscis quid acceperis, per secundam quid perdideris, per tertiam quid accepturus sis.

Post cognitionem dilectio quasi sapiens architectus, fundamentum erigit, in ingressu ponens discretionem, in capite devotionem, in sinistro latere compassionem, in dextro vero mansuetudinem. Primo ponitur discretio, ut sciamus discernere mundum ab immundo, sanctum a prophano, malum a bono, ne ex conjunctione virtutis et vitii prophanetur in terra sanctuarium Dei. Nam mala sunt vicina bonis errore sub ipso. Pro vitio virtus crimina sæpe tulit. (Ovid.)

In omni ergo sacrificio tuo sal offeras, hoc est discretionem habeas, sicut præcipit tibi Dominus (*Levit.* II), ne si onera importabilia alligaveris citius oneri succumbas : aut si inutiles collegeris lentiscas, et desidiosus fias sicut in Apocalypsi legitur : Utinam calidus esses, aut frigidus : sed quia neque calidus es neque frigidus, incipiam te evomere ex ore meo (*Apoc.* III). Post discretionem sequitur devotio in oratione, compassio in proximi infirmitate, devotio quantum ad Deum, compassio quantum ad proximum, mansuetudo quantum ad te ipsum. His quatuor parietibus omnis ædificatio constructa concrescit in templum sanctum in Domino, quoniam discretio ædificat sapienter, devotio diligenter, compassio misericorditer, mansuetudo decenter. Fructum vero mansuetudinis Propheta nobis aperit, dicens : Diriget mansuetos in judicio, docebit mites vias suas (*Psal.* XXXIV). Et in Evangelio : Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram (*Matth.* V). Et alibi : Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super mitem et humilem et cætera (*Isa.* LXVI). Isti sunt quatuor annuli aurei, qui erant in angulis arcæ testamenti, quibus elevabatur cum castra essent movenda, et deponebatur cum essent figenda tentoria. Sancta enim anima, quæ arca testamenti dicitur, quia legem Dei retinet corde, et implet bona operatione, his quatuor supradictis virtutibus a terrenis affectibus sursum erigitur, et devictis tentationum motibus, in tranquillitate mentis quieta custoditur. Ad devotionem nos exhortatur sponsus in Cantico amoris, dicens : Comedite et bibite, amici mei, et inebriamini charissimi (*Cant.* V). Comedite de fructu bonæ operationis, bibite de vino compunctionis, inebriamini in gaudio sanctæ devotionis. Compassionis exemplum dedit nobis Samaritanus ille misericors, qui prætereuntibus sacerdote et levita, fecit misericordiam in illum, et accuratis plagis ejus infudit oleum et vinum (*Luc.* X). Et quid aliud obstetrices Hebræorum nobis contulerunt, nisi compassionis exemplum, quæ non metuebant mandato Pharaonis contraire, ut filios Hebræorum de morte possent eripere (*Exod.* I)?

Sequitur de ultima parte spiritalis ædificii, hoc est, de bona operatione, legitur in historia veteri (*Levit.* I) tria animalium genera in sacrificio Domini offerenda, de animalibus, de pecoribus, et de avibus. In his tribus animalium generibus, tria genera operum insinuantur. Quædam enim agimus ad mortificationem carnis, quædam ad custodiam virtutis, quædam ad officium charitatis. Prima et ultima agimus propter nos, media vero propter proximos. Ea quæ sunt ad mortificationem vitiorum, debent esse laboriosa, et aspera in fortitudine animi, et humiliatione corporis, in fame et siti, in frigore et nuditate, in jejuniis multis, in charitate non ficta. Quæ vero sunt ad officium charitatis, debent esse pia, mansueta, plena misericordia, facta in hilaritate, studiose et absque dilatione.

A Quæ vero sunt ad custodiam virtutis, debent esse simplicia, casta cum dejectione sui, et contemptu seculi. Simplicia et casta quantum ad custodiam hominis interioris cum dejectione sui, et contemptu seculi, quantum ad cautelam hominis exterioris. Ea quæ primo loco diximus, referuntur ad sacrificium de armentis, quæ sunt laboriosa et fortia : quæ secundo loco dicta sunt, ad sacrificium de pecoribus, quæ sunt mansueta et innocentia : quæ vero tertio loco ad sacrificium de avibus, quod est in turture et columba, quia sunt simplicia et casta.

Ædificata est domus Domini prout potuimus, consequenter ejus dedicationem breviter perstringamus. In materiali templo tres legimus factas dedicationes. Unam sub Salomone, secundam post B captivitatis reditum de Babylone, tertiam vero per Judam Machabeum in templi desolatione. In hunc modum templum nostrum spiritale habet tres dedicationes. Unam in baptismate, secundam in renunciatione sæculi, tertiam in depositione carnis. In baptismate siquidem Deo dicata est anima rationalis, dum per depositionem vetustatis mundatur, per inhabitantem gratiam Spiritus sancti sanctificatur, per confessionem fidei armatur, per unctionem olei corroboratur. De secunda templi dedicatione Paulus gloriatur, cum dicit : Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo (*Gal.* VI). Videmus quosdam habere contemptum mundi, quos C non contemnit mundus, quosdam contemni a mundo, qui non contemnunt mundum, quosdam et contemnere mundum, et contemni à mundo, quosdam nec contemnere mundum nec contemni a mundo. Hi qui contemnunt mundum et non contemnuntur à mundo, sunt qui et si corpore sunt in mundo, conversatione tamen sunt in cœlo, quorum vitam admiratur mundus propter difficultatem, et veneratur propter sanctitatem. Qui vero contemnuntur à mundo et non contemnunt mundum, sunt quos abjicit mundus propter rerum paupertatem, pannorum vilitatem, personæ dejectionem, et vitæ enormitatem : qui et si relinquant mundum necessitate, omnia possident voluntate. Sunt et alii qui contemnunt mundum et contemnuntur a mundo, D quales fuerunt sancti, qui ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt pro Christo, per quem mundus eis crucifixus erat : quia propter ipsum mundum contemnebant, et ipsi mundo, quia propter Christum mundus eos abjiciebat. De his vero qui non contemnunt mundum, nec contemnuntur a mundo non oportet exempla subjicere, quorum et in misericordia est multitudo, et manifesta conversatio. Hanc secundam spiritus innovationem tribus modis oportet comparari, scilicet abjectione propriæ voluntatis, patientia tribulationis, et desiderio patriæ cœlestis, quæ tria et ipse Salvator præscripsit, dicens : Qui vult venire post me, abneget semetipsum et tollat

crucem suam, et sequatur me (*Luc.* IX). Abneget semetipsum, deponendo propriam voluntatem: tollat crucem suam, patientiam habendo tribulationis: et sequatur me, desiderio patriæ et operis imitatione. Qui enim dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare (*I Joan.* II).

Ultima innovatio spiritus est in carnis depositione, cum inebriabuntur ab ubertate domus suæ, et torrente voluptatis suæ potabit eos, cum ingredientur in lumine tuo ad videndum Deum deorum in Sion. Ista spirituum innovatio quanto est excellentior cæteris, tanto est cæteris magis admirabilis: tunc enim superveniet quod perfectum est, et evacuabitur quod ex parte est. Sive enim sensus destruetur, sive intellectus purificabitur, sive dona B gratuita perficientur et confirmabuntur, deposito siquidem corpore mortis hujus sensuum alii destruentur, et quantum ad usum, et quantum ad habitum, ut tactus qui spiritali creaturæ non convenit, cum tantum in rebus corporeis ipsum oporteat exerceri. Alii destruentur quantum ad usum, quem nunc habent, non quantum ad habitum, ut gustus et odoratus. Gustus etenim tunc erit, illa æterna beatitudine satiari: odoratus erit officium, in ea delectari: visus vero et auditus destruentur quantum ad instrumentum, non quantum ad usum vel quantum ad habitum. Animæ siquidem beatorum deposito corpore mortis, et vident opera hominum, et audiunt voces Deum laudantium. Ad hoc ut videamus quomodo purgetur intellectus, necessarium C est sumi de lignis Lybani ad ædificationem templi.

In Thimæo Platonis scriptum asserunt, quoniam intellectus solius Dei est, et admodum paucorum hominum: sed si paucorum hominum est intellectus, cum multi sint homines, consequens est ut aliqui sint sine intellectu. Sed intellectuum alius est ex creaturis, alius ex Scripturis, alius ex infusione supernæ veritatis. Primus est vulgi, secundus philosophi, tertius viri religiosi. Primus omnium, secundus multorum, tertius est admodum paucorum hominum. Tunc ergo intellectus noster purificabitur, cum non per creaturas intelligemus, sed ex sola infusione illius summæ veritatis, in quam et per quam omnia intelligentes erimus, sicut scri- D ptum est in prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei (*Joan.* VI). Sed et charitas tunc perficietur, quia nec aliud nec aliter quam debeat tunc diligetur.

Est autem duplex perfectio charitatis, una in constantia diligendi, altera in intentione dilectionis. Prima perfectio, ut fortis sit contra adversaria toleranda, ut paratus quis sit pro Christo in carcerem et in mortem ire, et pro proximo animam ponere. Secunda, ut tantum incensa sit, ut amplius inflammari non possit. Prima perfectio est viæ, secunda, patriæ. Habemus tres innovationes spirituum distinctas, primam jam accepimus, in secunda per gratiam ambulamus, tertiam vero adhuc expecta- A mus, quam nobis præstare dignetur Jesus Christus Deus et Dominus noster creator et redemptor, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SERMO XLII.

IN FESTO SANCTI VICTORIS.

Isti sunt qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni (*Apoc.* VII). Ab initio nascentis Ecclesiæ, quæ in sanguine justorum fundata est et plantata, sancti martyres spectaculum facti sunt mundo, et angelis, et hominibus. Et quidem spectaculum facti sunt mundo, quando tyranni et persecutores Christi in effusione sanguinis eorum delectati sunt: hominibus, cum justi et fideles in patientia eorum ædificati sunt: angelis, cum spiritus angelici de eorum victoria pariter et gloria gavisi sunt: Ad hoc spectaculum, fratres dilectissimi, nos invitat angelus, qui Joanni loquitur, et in Joanne omnibus conservis, et fratribus ejus habentibus testimonium Jesu. Invitat, inquam, cum dicit:

Isti sunt qui venerunt. Vos ergo qui ad spectaculum hoc invitati estis, intueamini agones martyrum, virtutes eorum, et gloriam eorum. Intueamini agones eorum et admiramini, quod in carne fragili, in vase fictili, in corpore mortis hujus, tanta potuerunt pati supplicia. Intueamini virtutes eorum, signa et prodigia, et mirabilia quæ Deus operatus est per eos, et in sanctis martyribus laudate Dei beneficia. Intueamini gloriam eorum, qua in cœlis perfruuntur, et implorate eorum subsidia. Nec estis ad hoc spectaculum de longe invitati, quod prope vos demonstratur, cum dicitur: Isti sunt, vere prope nos esse dicuntur, quos oculo spiritali videtis, crebris orationibus alloquimini, manibus per imitationem boni operis quoquo modo attrectatis, cordis devotione firmiter retinetis. Merito prope vos, quia spiritales estis, demonstrantur: quia spiritales viri ea quæ spiritalia sunt de prope vident, utpote quæ diligunt, quæ affectant et habere concupiscunt. Temporalia vero de longe vident, utpote quæ non concupiscunt, et quibus frui in hoc mundo non cupiunt, tanquam stercora ea reputantes, ut Christum lucrifaciant.

Hoc est quod quando spiritalibus viris loquitur Deus sive angelus, separat eos, et seorsum ducit a tumultu, et voluptate seculi. Sicut Dominus Jesus Christus, Petrum, et Jacobum, et Joannem duxit in montem excelsum solos, quando transfiguratus est coram eis (*Matth.* XVII), ita Dominus, quando Moysi legem dedit, separavit eum a turba, et in caligine montis locutus est ei (*Exod.* XIX). Eodem modo locutus est Deus cum Abraham, Isaac, et Jacob, et angelus cum Helia in solitudine, quibus omnibus docetur, quod hi qui spiritalia prope intuentur, longe fieri debent a temporalibus. Et contra, carnales homines, qui carnalia affectant et habere cupiunt, ea oculo cordis vicino intuentur. Sed spiritalia vident de longe, quia si cum carnali

homine de sanctitate, de religione, de vita futuri seculi conferas, videris ei quasi in somnis loqui, et oculum cordis ad ista non dirigunt, quia amore talium non afficiuntur. Legitur de Heli sacerdote, cujus caligaverant oculi quod non poterat videre lucernam Dei antequam extingueretur (*I Reg.* II). Quod ad litteram sic accipiendum est : Quia natura cæcutientium oculorum est, quod flammam lucernæ propter nimiam claritatem intueri non possunt, sed extincta flamma lucernæ carbonem melius intuentur. In flamma vero spiritales viri intelliguntur, qui intus ardent charitate, et foris lucent bona operatione. Per carbonem vero qui non lucet, quique carnales accipiendi sunt. Heli ergo per quem carnales designantur, non lucernam, sed carbonem lucernæ videre potest : quia carnales homines magis acutum habent visum cordis ad videndum carnalia, quam spiritalia, propterea quæ diximus, sancti martyres spiritalibus viris prope demonstrantur, cum dicitur : Isti sunt qui venerunt.

Sed attende quod spiritalis visus cordis duas exigit claritates, ad hoc ut spiritaliter sanctos Dei possit intueri. Unam exteriorem, in qua sancti sunt cum Christo in patria : alteram interiorem, quia justi viri per virtutes intus illuminantur in anima. Illi enim soli qui intus per gratiam illuminati sunt, illam claritatem per contemplationem intuentur, in qua sancti martyres, et alii justi gloriosi pariter et illuminati cum angelicis spiritibus in Christo vivunt. Qui ergo in tenebris est peccatorum, sanctos martyres in claritate positos non videt. Per tenebras siquidem nemo claritatem videre potest : imo per tenebras nec ipsas tenebras aliquis videt, eo quod per solam claritatem non solum claritas, sed et tenebræ videantur. Illuminatum ergo necesse est ut habeat oculum, qui ad spectaculum istud admittitur, ad quod invitati sunt illi quibus dictum est : Isti sunt qui venerunt ex magna tribulatione et cætera. Ubi et recte appositum est, sunt, qui ad verum esse pervenerunt, quod nec laboribus frangitur, nec infirmitate corrumpitur, nec mutabilitate transit, nec aliquo fine deficit, sed immutabilitate semper idem, æternitate sine fine subsistit : Isti ergo sunt, qui venerunt ex magna tribulatione. Prius tamen venerunt ad tribulationem, postea ex tribulatione. Ad tribulationem venerunt, quando tormenta passi sunt. Congrue dicitur venerunt, quia non attracti, non coacti, sed voluntate spontanea venerunt ad supplicia passionis. Sancti enim martyres ad hoc sponte nitebantur, ut in hac vita pro Christo patiendo cito ab hoc seculo eruerentur. Sicut e contrario carnales homines ad hoc nituntur, ut fugiendo tribulationes hujus vitæ, diu in hoc seculo radicentur.

Venerunt ergo sancti viri ad tribulationem vitæ istius, fugiunt carnales homines tribulationes vitæ hujus, nec tamen effugiunt, quia et si evadant tribulationes magnas hujus seculi, tamen ad maximas illas tribulationes æterni supplicii, non dico ve-

A niunt, sed funibus peccatorum suorum vel inviti pertrahuntur. Primo vide in luxuriosis verum esse quod dico, et attende in eis ardorem libidinis, ingluviem ventris, luxuriam vestium, resolutionem otiorum, quæ vincula quædam sunt, quibus ad tormenta mortis æternæ pertrahuntur. Idem invenies in avaris, si attendas rapacitatem eorum, inhumanitatem, contemptum Dei, oblivionem mortis, quibus quasi vinculis quibusdam ad pœnas gehennæ pertrahuntur. Similiter et in aliis peccatoribus, quia cum dixerint, pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus (*I Thess.* v). Ut autem exemplo vos doceam, quoniam martyres sponte ad tormenta venerunt, attendite invicti martyris nostri Victoris miram victoriam, flagellis B cæditur, suspenditur eculeo, equorum rabie per mediam trahitur civitatem, et in mola pistorali toto confractus corpore, ad ultimum gladio consummatus est. Sed hæc omnia sponte sustinuit, et est probatio in evidenti, quia manu angelica eductus de horrore carceris, sponte rediit ad locum passionis. Sic Laurentius insultat carnificibus, Vincentius invitat tortores. Hoc Dionysius et alii martyres fecerunt, qui per immanitatem tormentorum pervenerunt ad societatem angelorum. Venerunt etiam ex tribulatione, quando superatis tortoribus pariter et tormentis, victores et gloriosi ad cœlestia regna migraverunt. Victores plane fuerunt, et tortoribus suis superiores effecti, quando ipsis ad gloriam translatis, illi in æternis suppliciis demersi sunt. C Ubi vero et Maximianus, ubi Datianus, Fecenninus et alii martyrum persecutores certe victi sunt, et exterminati usque adeo, quod nec inter mortuos memoria eorum remansit.

Venerunt ergo sancti martyres ad tribulationem, venerunt ex tribulatione, utrunque istorum memoriter retinendum est. Quia pro utroque solennizat Ecclesia. In vigiliis sanctorum martyrum recolit Ecclesia, quod sancti martyres venerunt ad tribulationem, quando vigiliis, jejuniis, et aliis macerationibus carnis passiones sanctorum quodammodo imitatur. In diebus vero natalitiis eorum in gaudio spiritali recolit Ecclesia, quod venerunt ex magna tribulatione, dum solenniter decantat ea quæ spectant ad gloriam, sicut hodie facimus in laudem D beati Victoris martyris, quando dicimus : In virtute tua, Domine, lætabitur justus, posuisti super caput ejus coronam de lapide precioso, et alia hujusmodi quæ in laudem et venerationem ipsius hodierna die decantantur. Tertio videlicet in octavis eorum solennizat Ecclesia pro futura glorificatione corporum, in quibus tormenta pertulerunt. Tripliciter ergo pro sanctis martyribus solennizat Ecclesia. In vigilia, in natali, in octavis eorum pro causis quas diximus. Venerunt ergo ex magna tribulatione.

Magna tribulatio martyrum appellatur, respectu aliarum tribulationum hujus seculi, quæ respectu martyrii omnes parvæ non immerito esse dicuntur.

Dicitur autem pœna martyrii magna tribulatio, non propter diuturnitatem temporis, quia multæ aliæ pœnæ tempore longiores sunt, sed dicitur magna, tum propter acerbitatem, quia in hac vita nulla pœna acerbior est martyrio, tum propter effectum, quia nulla alia pœna seculi hujus tam efficax est ad peccatorum purgationem. Quantumcunque enim criminosus quis fuerit, si contritus corde et in fide Jesu Christi martyrium pertulerit, statim resecato per gladium martyrii quicquid in eo purgandum fuit, transit ad gloriam æternæ beatitudinis, quod in nullo alio genere supplicii generare invenitur.

Sed quid causæ esse potest, quod in pœna ignis purgatorii, quæ incomparabiliter major est quolibet martyrio, etiam illi qui minus peccaverunt non tam cito purgantur, sicut qui plus peccaverunt, et tamen per pœnam martyrii quæ multo minor est purgatorio, statim liberantur. Sed attendendum quod pœna martyrii purgatoria est, et meritoria, pœna purgatorii ignis purgatoria, et non meritoria : pœna gehennæ nec purgatoria nec meritoria. Pœna martyrii purgatoria est propter passionem, quam martyr patitur : meritoria est propter actionem, qua sustinet martyrium. Sustinere enim agere est. Nec est alia actio tam efficax ad merendum, quam homo statim in ipso martyrio meretur purgari, et consummato martyrio ad gloriam transferri. Sed ignis purgatoria purgatorii quidem est, quia purgatur quis eam patiendo, sed non est meritoria, quia nihil meretur quis, qui sustinet eam agendo, cum post hanc vitam non sit locus merendi : et ideo aliquem liberari de pœna purgatorii, non est de merito hominis, sed de sola ordinatione divinæ voluntatis. Quod vero pœna gehennæ nec purgatoria nec meritoria est, constat, quia nemo qui pœnæ illi addictus fuerit, ab ea potest ultra liberari.

Sicut ergo prædiximus : Venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas. Stola genus vestimenti, et possumus triplicem stolam distinguere. Quia est stola pœnitentialis, stola nuptialis, stola triumphalis. Stola pœnitentialis est satisfactio peccati, de qua dicitur : Cito proferte stolam primam, et induite illum (*Luc.* xv). Stola nuptialis est dilectio Dei et proximi, de qua stola scriptum est de Juda : Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum (*Gene.* XLIX). Stola vero triumphalis in qua sancti martyres triumphaverunt, indumentum est corporis, de qua hic dicitur : Laverunt stolas suas in sanguine Agni. Stola pœnitentialis lavatur aqua, quando peccator peccata sua plangit, et ubertate lachrymarum prævenit futurum fletum et stridorem dentium. Stola nuptialis lavatur in vino, cum sanctus vir diligens Deum et proximum, per fervorem spiritus devotior et magis ardens efficitur Fervor enim spiritus vinum illud est, de quo architriclinus in Evangelio dicit : Tu autem servasti vinum bonum usque adhuc (*Joan.* II). Dicitur autem charitas lavari vino, non ut macula

A charitatis diluatur, sed ut per fervorem spiritus sincerior et purior efficiatur. Stolam vero triumphalem sancti martyres sanguine laverunt, quando passionis Christi imitatores effecti, pro ipso sanguinem suum fuderunt. Et attende, quia sicut dicitur : quod Judas lavit in vino stolam suam, ita dici potest, quod Judas lavit in aqua stolam suam : similiter et quod Judas lavit in sanguine stolam suam. Cum enim Judas confitens interpretatur, triplicem confessionem distinguere possumus, confessionem criminis, confessionem laudis, et confessionem fidei. Judas ergo qui est confessor criminis lavit in aqua stolam suam. Judas, qui est confessor laudis et pro acceptis virtutibus Deum laudat et gratias agit, lavat in vino stolam suam. Judas vero
B qui est confessor fidei utpote beatus Victor et alii martyres, qui ante reges et præsides fidem Christi confessi sunt, laverunt in sanguine stolas suas.

Utrumque notandum est, quia dicitur laverunt stolas suas et dealbaverunt eas, lavatio enim spectat ad peccatorum remissionem. Siquidem tunc remissionem peccatorum consecuti sunt, cum in passionibus suis corpora sua in sanguine suo abluerunt. Dealbatio vero spectat ad glorificationem corporum, quam sancti martyres expectant in futuro. Hanc etenim glorificationem sanguinem suum fundendo meruerunt, et propterea dealbaverunt stolas suas in sanguine Agni. Illud forte movere potest aliquem quod dicitur : Laverunt stolas suas in sanguine Agni, cum potius in proprio sanguine laverunt et
C dealbaverunt eas ; sed non immerito sanguis sanctorum martyrum, sanguis Agni, sive Christi esse dicitur, qui sunt membra Christi. Sicut enim sanguis qui fluit de manu tua vel de latere, vel quocunque alio membro, vere sanguis tuus dicitur esse, ita et sanguis ille qui fluxit de membris Christi, scilicet beato Victore, et aliis martyribus vere sanguis Agni esse perhibetur. Vel ideo sanguis sanctorum martyrum, sanguis Agni esse dicitur, quia in martyrio eum Christo obtulerunt. Potest etiam per sanguinem Agni intelligi virtus passionis Christi cum dicitur : Laverunt stolas suas in sanguine Agni. Merito etenim passionis Christi abluti sunt sancti martyres, id est, a peccatis suis mundati. Ejusdem
D etiam passionis merito dealbati sunt, quia per eam glorificationem corporum in futura vita consequentur. Et hoc est quod dicitur, laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni, id est in virtute passionis Christi, cujus merito et in præsenti peccatorum remissionem, et in futuro glorificationem corporum assecuti sunt.

Nemo enim quantumcunque justus futuram gloriam potest promereri, et ideo totum illud bonum quod in alia vita sancti expectant, totum est de gratia, et de merito passionis Christi. Nemo quicquid boni faciat, quicquid supplicii patiatur, mereri potest futuram gloriam, ita quod ei quasi de jure debeatur, vel quasi Deus ei injuriam faciat, si non dederit. Quod hac ratione ostendi potest : Omnia

bona quæ facimus, dona Dei sunt, et ideo per ea non obligatur nobis Deus, sed nos magis Deo. Nam cum aliquis dona tribuit alicui, certum est non illum qui dat, sed illum qui accipit obligari. Recte ergo lavationem et dealbationem sancti martyres expectant de merito passionis, quam de propriis meritis habere non possunt sicut prædiximus. Sed quid speciale martyribus attribuitur, cum dicitur : laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni, cum non solum ipsi, verum etiam virgines, confessores, et cæteri justi merito passionis Christi sint loti a peccatis, et glorificati. Sed aliud est dicere, Christus lavit stolas eorum in sanguine suo, et aliud, ipsi laverunt stolas suas in sanguine Christi. Omnes enim justos virtute passionis suæ Christus lavit et dealbavit, sed soli martyres se ipsos laverunt, et dealbaverunt in sanguine Agni : quia sanguinem suum quodammodo sanguini Christi commiscuerunt, et in fide passionis ejus ad ipsius similitudinem corpora sua sanguine perfuderunt. Prius autem dicitur laverunt, postea dealbaverunt, quia sicut scriptum est : Tempora regnandi non possunt prævenire tempora patiendi. Et propterea sancti martyres per angustam viam martyrii incesserunt, ut eo ipso nobis ostenderent quoniam per multas tribulationes, iter nobis est ad cœlum. Quo itinere gradientes si in hac vita eorum fuerimus imitatores, in futura vita erimus gloriæ consortes, præstante Domino nostro Jesu Christo, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SERMO XLIII.

IN ASSUMPTIONE GLORIOSÆ VIRGINIS MARIÆ.

Quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol ? (*Canti.* VI.) Ordinem reparationis nostræ diligenter advertenti, videntur quædam salutis nostræ radiasse principia, cum beata Dei Genitrix velut aurora diei jam eminentis prænuncia, ortu suo mundo illuxit, et noctis præcedentis facta terminus, primitias quasdam spiritus, et dona gratiarum singulariter accepit. Ipsa etenim medio quodam noctis et diei exorta est confinio cum tetra mortis et peccati caligine, mundum involvente ante solis ortum, id est Christi adventum, mundo apparuit, ut paulatim crescente lumine, nox auroram, aurora vero solem produceret, qui exortus non solum ea quæ in cœlo sunt, sed et quæ in terra lumine claritatis illustraret.

Certe nox admodum longa ab Eva usque ad Mariam decucurrit, quæ licet peccatorum tenebris esset obscura, suis tamen vigiliis quasi fulgoribus quibusdam distinguebatur : quarum prima fuit illuminatio occultæ inspirationis : secunda, sanctio legalis eruditionis : tertia, certitudo propheticæ prænunciationis : quarta vehemens desiderium jam adimplendæ promissionis. Has noctis vigilias observabant sancti ab initio, non dico super gregem suum, sed quando hanc auroram aspicerent, sicubi pareret, si usquam sui proferret judicia, quia hanc et rebus mysticis præfiguratam, et prophetis pro- A missam esse intelligebant. Primam hujus noctis vigilam servabant Noe et cæteri illius temporis, qui occulta inspiratione fuerunt illuminati : secundam Moyses et alii sancti patres, qui per legem spiritaliter fuerunt eruditi : tertiam prophetæ, qui beatam Virginem nascituram prædixerunt : quartam sancti illi, qui velut in puncto jam erumpentis auroræ constituti, non solum ipsam, sed et Christum de ea nasciturum videre ardentissime gestierunt, sicut Anna, Elizabet, Simeon ille justus, et cæteri qui expectabant redemptionem Israel. Et ut illam figuris fuisse præsignatam per exempla ostendamus, quænam alia fuit columba illa, quæ de arca Noe tempore diluvii egressa ramum virentis olivæ in illam detulit? (*Gene.* VIII.) Columba etenim de B arca Noe, Maria est de Ecclesia orta, quæ ramum olivæ tempore diluvii in illam retulit, quia aquis vitiorum mundum involventibus, Christum de se incarnatum in Ecclesia effudit. Qui ramus bene virentis olivæ, quæ signum pacis et concordiæ esse dicitur, quia Christus pacificavit ea quæ in cœlo sunt et in terra, solvens medium parietem inimicitiarum in carne sua. De ipsa quoque Job oraculum texuit, dicens : Habet argentum venarum suarum principia, et auro locus est in quo conflatur (*Job.* XXVIII). Argentum quippe fuit Christi humanitas, quæ a sanctis patribus tanquam a venis quibusdam secundum carnem successive descendit. Aurum vero, Verbi fuit divinitas : et ejus conflationis locus, beata Dei Genitrix in qua Spiritus sanctus ineffabili C operatione divinam et humanam naturam, in unam personam conflavit.

Virga quoque Moysi per quam fecit signa in Ægypto (*Exod.* IV), Maria est, per quam Deus fecit mirabilia in mundo, e quibus unum de maximis est quod versa in colubrum dracones Ægyptiorum devoravit : quia cum de se Christum in similitudine carnis peccati genuit, omnia crimina, omnes hæreses impiorum quæ Ægypto hujus mundi illudebant, tum virtute prolis, tum exemplo suæ sanctitatis delevit. Nec aliam puto per amygdalum illam significari, de qua Salomon loquitur dicens : Florebit amygdalus, et impinguabitur locusta, dissipabitur caparis (*Eccl.* XII). Amygdalus enim quæ ante cæteras floret arbores, Mariam significat, D quæ præ cæteris sanctis, floribus virtutum emicuit, imo et ante cæteros florem illum specie et odore excellentem, Christum videlicet de se protulit qui dicit : Ego sum flos campi, et lilium convallium (*Cant.* II). In hujus ortu impinguata est locusta, quia instabilis gentilitas fœcunda est per gratiam : et dissipatus est caparis, quia Judæa aculeis peccatorum spinosa, a pinguedine spiritali vacua permansit. Sic in arca testamenti, quæ operiebatur auro purissimo significata est, ut ita loquar, Maria et ejus virginitas. In rubo ardente et non adusto, Maria et ejus fœcunditas. In throno Salomonis, cui alius in universis regnis comparari non poterat, significata est Mariæ regalis sublimitas. Tot ergo

rebus mysticis, et vaticiniis designatam Salomon videns in Spiritu, in vocem admirationis erumpit, dicens: *Quæ est ista quæ progreditur*, etc. Possunt tria ista, aurora, luna, sol, Mariæ sic adaptari, ut aurora ejus nativitatem, luna illam Spiritus sancti, quæ in ipsa fuit obumbrationem, sol vero gloriosam ejus assumptionem respiciat. Ideo autem aurora nativitati ejus congruit, quia illa surgente quodammodo, et nox lucida, et dies videtur obscura. Et solet plerunque per noctem mortalis vitæ fragilitas designari, sicut scriptum est: Anima mea desideravit te in nocte (*Psal.* XLI). Et per diem divinæ gratiæ illuminatio, teste Paulo, qui dicit: Nox præcessit, dies autem appropinquavit (*Rom.* XIII). Nascente ergo Maria quasi aurora quædam surrexit, quia et nox humanæ fragilitatis in ea fuit lucida per gratiam, et dies divinæ gratiæ quodammodo obscuratus fuit per fragilem naturam. Pulchra quoque ut luna propter hoc esse dicitur, quoniam sicut luna in se naturaliter obscura suscepto in se solis radio, alieno lumine accenditur; sic Maria in mortali adhuc corpore constituta, suscepto in se Spiritu sancto, tanquam summæ illius majestatis radio, vero lumine Dei Filio fœcundatur; luna lucet de nocte, et tenebras ejus imminuit, et Maria Spiritu sancto fœcundata tenebras peccatorum abstergit. Sicut autem luna lucet de nocte, ita et sol lucet de die. Per diem autem quandoque claritas futuræ vitæ designatur, ut ibi: Quoniam melior dies una in atriis tuis super millia (*Psal.* LXXXIII). Recte ergo electa ut sol esse dicitur beata virgo Maria, quia sicut sol claritate luminis et majoritate cæteris syderibus antefertur, sic in cœlestis vitæ gaudio illa sanctis omnibus jocunditate et gloria supraponitur. Fuit ergo quasi aurora consurgens in nativitate, pulchra ut luna in illa Spiritus sancti obumbratione, electa ut sol in sua assumptione.

Sed adhuc modicum auroram istam inspiciamus. Invenimus in ea tria quædam quæ nostræ ædificationi proficiant, scilicet terminum soporis, principium operis, et indicium sereni. Solent enim fortes operarii, surgente aurora, de somno surgere, et quasi sereno illucescente exire ad opus suum, ne forte veniens Paterfamilias inveniat eos stantes in foro ociosos. Unde rex Salomon hac aurora ponit finem sopori, et exit ad opus suum, intuetur speciosam, miratur immaculatam, laudat Mariam, dicens: Quæ est ista quæ progreditur et cætera. Ut autem moraliter tria ista intelligamus, potest referri terminus soporis ad pœnitentiam, principium operis ad activam, indicium sereni ad contemplativam. Si vis habere formam pœnitentis in Maria, lege eam stantem juxta crucem. Si vis habere formam activi, lege illam Elizabeth visitantem. Si vis habere formam contemplativi, lege eam cum apostolis orantem in cœnaculo, cum Gabriele colloquentem in cubiculo. Quicunque ergo criminum sopore jaces depressus, exemplo regis Israel pone et tu finem sopori, expergiscere et huc usque dormisse sufficiat, sta cum A Maria matre juxta crucem, et per labores pœnitentiæ passionem Christi quantum vales imitare, a te ipso cruciatibus exigens, quod male vivendo crucifixum denegasti. Intuere delicta tua, et memento unde excideris, sic tamen ea respice, ne tristicia vel diffidentia absorbearis; sic porta crucem latronis, ut paradisum expectes de promisso Salvatoris. Sunt enim nonnulli, qui peccata sua nimia luce intuentur, et hi præ magnitudine scelerum desperant de venia.

Alii sunt qui minima ea luce respiciunt, et dum prava vel nulla ea reputant, semper durant in culpa. Sed vere pœnitentes temperata luce debent peccata sua intueri, ut sic per lamenta ea defleant, ut spem concipiendo pœnitentiæ præmium se asse- B culturos confidant.

Hanc pœnitentiæ formam præsignavit nobis patriarcha Jacob, qui benedictionem patris volens hæreditare, tulit de grege duos hœdos optimos, pelliculasque eorum circumdedit manibus, et colli nuda protexit, indutusque vestibus Esau valde bonis, ad patrem ingressus est; a quo attrectatus, et tandem benedictione est confirmatus (*Gen.* XXVII). Hœdi quippe opera sunt pœnitentiæ, quibus Deus Pater libenter vescitur, qui debent decoqui aqua lachrymarum et igne tribulationis. Pelliculæ hœdorum sunt mortificatio carnis, et abjectio propriæ voluntatis, quas Jacob debet circumdare manibus: quia verus supplantator vitiorum nihil debet habere in C operibus pœnitentiæ, quod carni placeat, vel quod propriam delectat voluntatem. Protectio colli, cautela est futuri. Vestes vero Esau id est peccatoris, vitiis criminum hispidi et pilosi, quibus Jacob debet indui, sunt honestas vitæ, et maturitas disciplinæ. Qui enim vere vult supplantare vitia, oportet ut per honestatem vitæ, quod carnale est in se occidat, et matura conversatione proximorum oculos foris non offendat. Quibus gestis ad patrem ingreditur affectu devotionis, attrectatur a patre instinctu secretæ inspirationis, tandem benedicitur ab illo præmio æternæ remunerationis.

Habes nunc in aurora nostra terminum soporis, vide nunc principium operis. Est autem principium operis in aurora exemplum vitæ activæ in Maria, D idoneum valde hujus rei exemplum. In illa est quæ triplici activæ vitæ genere invenitur enituisse, quorum primum jocundum, secundum curiosum, tertium lachrymosum potest appellari. Ad primum pertinent opera illa quæ beata Virgo infantiæ Salvatoris exhibuit, qualia fuerunt, illum gestare brachiis, lactare et pascere, pannis involvere, quæ omnia et suavia et dulcia ac plena jocunditatis extiterunt. Ad secundum genus activæ pertinent purificatio in templo, hostiarum oblatio, visitatio Elizabeth, peregrinatio in Ægypto, et hujusmodi quæ plena fuisse curæ et laboris nemo est qui ambigat. Ad tertium pertinent opera illa Mariæ, quæ plena fuerunt doloris et miseriæ, ut puta astare crucifixo, plangere mortuum, declinatio persecutionum, et cætera his

similia. Tu ergo qui vis esse activus, sed non potes primum genus activæ vitæ attingere, quia supra te est, neque tertium, quia amarum est, saltem medium, quod curiosum diximus, velis attentare, et cum beato Job esto oculus cæco, pes claudo, pater pauperum, consolator pupillorum (*Job* XXIII). Vide si Christum peregrinum compulisti intrare, si cæcum mendicantem juxta viam misericorditer respexisti, si vulneratum qui incidit in latrones cum sacerdote et levita non præteristi, si in curam illius erogasti denarios: quia hæc sunt infirma Christi membra per quæ Deus vult tibi operari salutem, et illis per te impendi consolationem. Certe plerunque solet accidere ut membro quod vulnere, fractura adustione, vel livore attrectatum fuerit, molliora fomenta, et curam medicinalem majorem adhibeamus: Similiter est in Christo et Ecclesia, quia infirma membra sua majori obsequio vult foveri. Unde in vanum jactat silentium claustri, pondus diei et æstus, orationes, obsecrationes, qui affectu compassionis necessitatibus aliorum nescit inclinari. Neque enim dedignatur esse Anna cum Phenenna, non Rachel cum Lia, non Joannes cum Cepha, non Maria cum Martha, non dextera cum læva, non contemplativa cum activa, quarum utraque in beata virgine Maria auroræ nostræ excellenter fuit.

Contemplativa siquidem est serenitas illa, quæ cum aurora nostra apparuit, ideo sereno comparata, quia tranquilla est et quieta, quia habitat in silentio a perturbationibus seculi longe est remota. Unde et dictum est, quod Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Optimam dixit, non feliciorem forte, sed suaviorem: quia bonum quandoque suave appellatur, et secundum hoc nomen comparationis elective, non comparative accipiendum est. Sic enim contemplativa est suavis quod non activa, cum potius laboriosa et gravis sit. Illud potius movere potest, quod subjungitur, quæ non auferetur ab ea. Sicut enim alia est affectio animi rem desiderantis, et alia affectio animi ipsa re potientis, sic alius est sensus pomi dum odoratur, et alius dum gustatur. Sicut alia est visio imaginaria dormientis et alia visio præsentaria vigilantis, sic alia est contemplatio hujus vitæ quæ fit in enigmate, et alia futuræ quæ erit in spe. Sicut ergo fides evacuabitur, sic et spes in futuro non erit: sicut scientia destruetur, ita et contemplatio hujus vitæ auferetur. Quod ergo dicitur quod non auferetur ab ea, ad statum præsentis vitæ respicit, non futuræ. Cum enim contemplativa ad Deum, activa ad proximum pertineat, potest in hac vita auferri activa, quia deesse potest facultas et possibilitas bene operandi ad proximum. Sed in hac vita non potest auferri contemplativa, quia in quocunque statu hujus vitæ sit homo, habet facultatem contemplandi Deum.

Vel si velimus referre ad statum futuræ vitæ, quod dictum est non auferetur ab ea, ponamus tres species contemplationis, quarum duæ primæ auferuntur in hac vita, tertia vero manet in hac et in A futura. Prima est in creaturis, secunda in Scripturis, tertia in secretis divinis. Prima est investigationis, secunda illuminationis, tertia admirationis. Prima est quando per creaturas Creator inquiritur, et invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Quem modum contemplandi etiam philosophi gentium habuerunt, sicut Aristoteles qui in theologia sua causas rerum, imo causarum causas investigans, unam causam supremam reperit, cujus nulla alia causa, sed ipsa omnium causarum causa fuerat, de qua idem dixit: O causa causarum, fac me tibi acceptabilem. Secunda quæ est in Scripturis, fit, quando animus vel legendo ad cognitionem, vel orando ad devotionem illuminatur. Tertia vero fit dum ineffabilia Dei mysteria, quæ B animus humanus ratione non valet comprehendere, supra se facta intuetur et retractat devota admiratione, quale est quod manens Virgo filium peperit, quod Verbum Dei carnem assumpsit, quod immortalis est mortuus, quod temporalis factus est æternus, et hujusmodi quæ rationi magis sunt admiranda quam perspicua. Hunc contemplandi modum beata Maria habuisse legitur, cum ipsa dixit ad angelum: Quomodo fiat istud, angele, quoniam virum non cognosco (*Luc.* I). Neque enim hoc dubitando dixit, sed rei magnitudinem admirando. Quem etiam contemplandi modum forte Job habuit cum diceret: Elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea (*Job* VII). Suspendium quippe eligere est, secretis cœlestibus per admirationem inhærere. Hæc est C optima pars Maria quæ nec in futura vita auferetur ab ea, ubi quanto familiarius secretis divinis admittitur, tanto ferventius ea admiratur. Prima quæ est in creaturis, auferetur, quia est imperfectionis, id est, ex parte: tertia est perfectionis, quæ in hac vita inchoatur, et in futura perficitur, ubi erit admiratio jocunda, et jocunditas admiranda, præparata cohæredibus Christi, qui in sanctorum regno sunt ascripti, quod nobis præstare dignetur ipse Jesus Christus, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SERMO XLIV.

IN ASSUMPTIONE GLORIOSÆ VIRGINIS MARIÆ.

Revertere, revertere, Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te (*Cant.* VI). Hodie, fratres dilectis- D simi, ad commune gaudium ea quæ in cœlo et quæ in terra invenitur, cum beata Dei Genitrix mundi agone consummato, ad consessum Dei Patris assumitur, et festivus angelorum chorus ei occurrit, matre Ecclesia cum laudibus eam prosequente.

Magna nimirum læticiæ materia ubi Filius Dei, Verbum Patris, illam reginam inter choros virginum speciosam, in cunctis tribubus Israel prælectam, in cellam suam vinariam introduxit, divitias cœlestis Jerusalem ei communicans, in qua regnat Rex regum et Dominus dominantium. Neque tamen illum impari præconio extollendum dixerim, utpote divitiis copiosum, bonitate benignum, sapientia disertum, potestate cunctis viventibus tremendum, genere illustrem, forma desiderabilem

immensitate incomprehensibilem, æternitate indeficientem, cujus imperium attingit a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum. Talis itaque talem alloquitur, ut veniat hortatur, rogat ut non differat introire in cubiculum suum, ut revertatur de terra ad cœli curiam, de exilio ad patriam, de morte ad vitam, de miseria ad gloriam. Sed quæ est hæc virgo singularis in qua summæ majestati adeo complacuit, ut ad æterni Regis consessum hodie assumatur, et diadema regni, imo regnorum diademata accipiat, ne solum regina mundi, sed etiam cœlorum regina merito debeat appellari.

Ipsa est Maria utrique regno admodum necessaria. Et terris quidem regina hæc omnino appetenda, quæ in via hujus seculi, imo vitæ hujus dispendio triplici semita pœnitentes ad Deum convertit, videlicet interventu reconciliationis, exemplo imitationis, et auxilio protectionis : quatenus peccatori intercedendo impetret veniam, ignoranti exemplo bene vivendi ostendat disciplinam, fortiter agendi opem impendendo præstet fiduciam. O Maria, o maris stella, quæ recte viantes dirigis, errantes reducis, periclitantes ad portum salutis restituis. Juste maris stella appellata es, quæ ratione quadam similitudinis, sicut illa mari ita et tu mundo profutura eras. Plane ipsa, quam diximus, maris stella tribus modis stellis cæteris præeminere invenitur, videlicet altitudine, immobilitate, et luminis communione. Altitudine, quia in vertice mundi posita, sicut caput membris, ita et illa cæteris stellis super extollitur. Unde et poeta dicit : Hic vertex nobis semper sublimis, at illum (hoc est ejus oppositum). Sub pedibus styx atra videt manesque profundi. Immobilitate, quoniam quasi in centro firmamenti consti uta cæteris vario motu modo ad occasum tendentibus, ipsa immobilis persistit. Communione luminis, quia cæteris vicissim lumen suum præbentibus, hæc sine vicissitudine, semper æquali radio, quantum in se est, cunctis viventibus claritatem effudit. Hæc de stella, sed illa eadem diligens investigator invenies in Maria.

Universis quippe creaturis quæ in cœlo sunt et quæ in terra, illa est altior : quia cæteri sancti migrantes secundum meriti modum recipiuntur inter choros angelorum, Maria vero excellenti quadam majestate gloriæ exaltatur super choros angelorum. Vis videre Mariam cæteris sanctis altiorem? Vidi, inquit Isaias, Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et plena erat domus majestate ejus, et quæ sub ipso erant replebant templum (*Isa.* II). Certe hoc solium excelsum et elevatum recte videbor interpretari Virginis uterum, sessionem sedentis, mysterium Incarnationis : Vidi, inquit, Dominum sedentem super solium excelsum.

Adverte si placet tres Domini sessiones, et tria solia pro numero sessionum. Prima ejus sessio creaturæ perfectio, de qua dicitur : quia requievit Deus die septima ab opere quod patrarat (*Gen.* I). Secunda sessio est in mente rationali, Dei habitatio, de qua in Canticis : Cum esset rex in accubitu suo, nardus mea odorem dedit (*Cant.* II). Rex quippe in accubitu suo est, cum menti insidet per quietem contemplationis : nardus dat odorem, cum ex suavitate boni operis proximus provocatur ad æmulationem virtutis. Tertia vero sessio est Verbi Incarnatio, de qua dicitur : Tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam (*Psal.* CXXXVIII). Primæ ergo sessionis solium est fabrica hujus mundi, secundæ sessionis solium est anima justi, tertiæ sessionis solium est uterus Virginis. Primum solium est excelsum, propter dignitatem conditionis : secundum est elevatum, propter prærogativam virtutis : tertium, hoc est beatæ Virginis thalamus, superexaltatum propter unionem Verbi et humanitatis. Hujus tertii solii altitudinem propheta videns in spiritu, dicebat : Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum (*Isa.* II). Subintellige etiam superexaltatum, et assigna beatæ Virgini tria hæc. Non enim defuit ei dignitas conditionis, pro qua solium ejus fuit excelsum : non prærogativa virtutis, pro qua fuit per gratiam elevatum : non Filii Dei in se susceptio, pro qua superexaltatum et plena erat domus, hoc est Ecclesia majestate ejus quia de plenitudine ejus omnes accipimus, et ea quæ sub ipso sedente vel solio erant, hoc est, angelica et humana natura, replebant templum, hoc est consummabant, templum illud loquor ruinam passum, quod primo factum est ex novem ordinibus angelorum.

Vis etiam videre immobilem maris stellam, loquor beatam virginem Mariam? Verte ergo visum ad cæteros filios hominum, qui sua mobilitate corruerunt, et sic videre poteris qualiter immobilis illa immutata permansit. Quadripartito quippe motu homo a sua stabilitate motus est per superbiam, per inconstantiam, per impœnitentiam, per impatientiam. Per superbiam motus est, quando præceptum Dei prævaricator contempsit : per inconstantiam, quando tentationi serpentis succubuit : per impœnitentiam, quando peccatum suum obstinatus excusavit : per impatientiam, quando inter flagella divinæ ultionis rebellis murmuravit. Nonne ab his omnibus immunis tibi videbitur Maria? Si propositum, si actum vel animam ejus consideres, ipsa demum est immobile illud castellum quod intravit Jesus, cum mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam (*Luc.* X). Quadripartito plane robore castellum hoc stat immobile, videlicet fossa, flumine, muro, et colle. Hæc enim sunt quæ omnem munitionem insuperatam reddunt et immobilem, multo magis castellum illud quod intravit Jesus, principem hujus mundi et armatum fortem debellaturus. In fossa ergo ubi ejecta humo in unum tenditur, virtus figuratur humilitatis, sicut per Isaiam dicitur : Ingredere petram, abscondere in fossa a facie furoris Domini, et a gloria majestatis ejus (*Isa.* II). In flumine, quod in latum se diffundit,

latitudo studiosæ bonæ operationis intelligitur, sicut Job dicit: Qui scrutatur profunda fluviorum, et abscondita in lucem producit (*Job* xxviii). Muri firmitas, integritas virginitatis, sicut in Ezechiele: Vidi, inquit, et ecce murus in circuitu domus undique (*Ezech.* xl), cujus domus, nisi illius quam supra castrum appellavimus: sicut enim Dei virtus virginalem aulam introivit quo murum castitatis ejus non effregit. In collis celsitudine, sublimitas superni desiderii ac devotionis, sicut per Isaiam dicitur: Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion (*Isa.* xl). O castrum forte, castrum immobile, ubi humilitas superbiam, operatio desidiam expugnat, integritas corruptionem, sancti desiderii devotio vanitatem. Multo magis tamen fiet tibi mirabile, si hujus castelli incolas velis advertere, Martham scilicet et Mariam. Martha igitur civis hujus castelli, sollicitudo est boni operis: Maria, dulcedo divinæ inspirationis. Domus Marthæ pura conscientia, ut nulla se ingerat simultas in opere: domus Mariæ tranquillitas mentis, ne amarescat aliqua extrinseca perturbatione. Intravit Jesus hoc castellum, quando in Virgine carnem assumpsit, excipitur a Martha in domum suam, dum conformatur conscientia Virginis studio bonæ operationis.

Videamus modo tertium illud maris stellæ privilegium, quomodo cæteras stellas præcellit luminis communione. Et hoc quidem primo ad id pertinere videtur, quod cæteri sancti differenti modo impendunt mortalibus suffragia, quippe plus illis possunt prodesse, qui ipsis jure quodam patronatus specialiter sunt commissi, utpote Petrus Romæ, Thomas martyr Cantuariæ, Massiliæ Victor, Turoni Martinus, et de similibus similiter. Nam pro rege suo quilibet sanctorum plus potest in curia Altissimi, quam pro alieno. Maria vero sicut est omnium regina, sic et patrona, et quantum in se est, æque exorabilem se præbet omnibus, quæ super omnes plenitudinem accepit dignitatis. Ergo longe positos illuminat radio misericordiæ, eos qui prope sunt, hoc est viros religiosos consolationis suavitate, cæteros qui secum sunt in patria excellentia gloriæ. Sive enim justi, sive peccatores exorant Mariam, sive angeli, sive archangeli respiciunt in Mariam. Talis ergo est dilecta illa dilecti, quam vocat in amplexus suos summi regis Filius dicens: Revertere, revertere sunamitis et cætera. Sed cur totiens repetito reversionis verbo vocat, aut unde vocat? Videtur enim vis verbo sonare longe in exilio relegatam, quæ tanquam ad patriam reditura, consolationem accipiat captivitatis pariter et finem. Unde Sunamitis ibidem dicitur, quod interpretatur captiva.

Ne incongrue dicetur illam ab exilio revocari, cum humana natura, quam diu peregrinatur a Domino, quadripartito exilio sit damnata. Et primum quidem video exilium pœnalitatis, secundum voluptatis, tertium vanitatis, quartum curiositatis.

A Et mens quidem sana recte pronuntiare videbitur, quia in pœnalitatis exilio habet aliquid de homine jumentum amplius. Dum enim jumentum primo vitæ suæ capit initium, seipsum quodammodo regit, calcat terram, et super eam graditur, naturali vestitur habitu, sine adminiculo alterius accipit sufficientiam naturæ. Cum e converso homo natus de muliere, impotens sui, nudus corpore, alieno indigens auxilio, peccatis onustus, virtutis vacuus, et omni plenus miseria effundatur super terram. Sed utinam huic exilio sufficeret malitia sua, ne adhuc miserabilius dejiceretur in exilium voluptatis, tantis enim primi exilii vallatus miseriis voluptate quærit redimere quod patitur, ut dum voluptate mulcetur corpus, B tolerabilior fiat sarcina pœnalitatis quam portat. Vult itaque pretiosa indui, molli strato quiescere, fercula habere exquisita, effluere illicitis desideriis, loqui scurrilia, operari turpia, ac si diceret cum pagano: Jupiter esse pium statuit, quodcumque juvaret. Sed, o tu sceleratissime, qui in lege Jovis sic meditaris die ac nocte, quid dicis de mandatis Jesu, quæ prohibent omne dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei? Hæc est perverso pectore cura minor.

Sed ecce sequitur tertium exilium, quod adhuc longius a Deo projicit hominem, videlicet exilium vanitatis, quando videlicet incipit extra se in vanitatibus hujus mundi quærere quibus satisfaciat C suæ voluptati. Accedunt ergo mortis præambuli, videlicet possidere superflua, amare transitoria, impelli aura populari, honores ambire, paupertatem contemnere, regum fortunas laudare, cum tamen Salomon dicit: Quia melior est puer pauper et sapiens rege stulto (*Eccl.* iv), eo quod hic de carcere et cathenis quandoque ad regnum progreditur, et qui in regno natus est quandoque consumatur inopia. Attende ergo, homo ambitiose, homo superbe, quam digne Salomonis tibi præjudicet sententia, ut videlicet puer pauper et sapiens, id est quilibet innocens pauper spiritu et pacificus, de carcere subjectionis et cathenis obedientiæ egrediatur ad regnum prælationis, vel potius ad regnum consummatæ virtutis, cum tu in regno virtutum D natus per regenerationem, sponte dejectus consumaris inopia vitiorum. Nunquid enim si spiritu pauper, non ideo dignus regno? Certe sicut idem dicit Salomon: Stellio nititur manibus, et moratur in domibus regum (*Prov.* xxx). Est autem Stellio vermis, qui pennarum adminiculo non potest in altum extolli, sed tamen reptat pedibus in altum, ut in regum turribus faciat sibi mansionem. Sic quilibet humilis et parvus in oculis suis dum non pennis superbiæ, ambitionis, vel etiam scientiæ secularis in altum extollitur, reptando tamen manibus humiliter operando in domibus regum est, id est in consortio sanctorum.

Quartum et ultimum animæ exilium est, malum curiositatis, quippe multis vanitatibus animo affecto

sequitur cura superflua, et quod apud Salomonem difficillimum invenitur, investigat modo viam aquilæ volantis in cœlo, modo viam colubri super terram, modo viam navis in mari, modo viam viri in adolescentia sua (*Ibid.*). Circa ista quatuor præcipue curiositatis vitium videtur occupari, per aquilam vero volantem in cœlo, virum contemplativum : per colubrum super terram, quemlibet lubricum et criminosum : per navem in mari, negociatores seculi : per adolescentiam viri, bonæ conversationis initium. Quærunt ergo hi qui sequuntur curas superfluas, simultates in religiosis ut eos indicent, excusationes in criminosis ut illos justificent, utilitates in secularibus negotiis ut similia faciant, instabilitatem in noviter conversis, ut evertant, sicque fit ut dum se totos impendunt curis superfluis, circa ea quæ foris sunt nihil sollicitudinis sibi ipsis vel Providentiæ impendunt. Propter hæc igitur quatuor animæ exilia quadripartita vocatione reverti jubetur beata Dei Genitrix, cum dicitur : Revertere, revertere sulamitis et cætera. Sed nunquid ipsa supradictis modis, maxime voluptate, vanitate, curiositate, adeo credenda est exulata ? absit. Nam ab his vocatur exiliis non propter coinquinationem, sed propter cohabitationem quæ quasi unus spiritus per cœleste desiderium cum Deo effecta, captivitatem reputabat, habitare cum habitantibus Cedar, et differri ab illa corona gloriæ quam sibi repositam cognoscebat.

Vel quater iteratur verbum revocationis, quia si diligenter attendimus beatæ Virgini conveniunt quatuor genera assumptionis. Primo enim assumpta est per electionem, secundo per purificationem, tertio per confirmationem, quarto per sublimationem. Per electionem assumpta est, quando mulierem fortem, diu a Salomone quæsitam Gabriel invenit et elegit præ cæteris omnibus dicens : Benedicta tu inter mulieres (*Luc* I). Assumpta est per purificationem, dum a cæteris filiis hominum sequestrata, ab originali et actuali peccato Spiritus sancti mundatione est purificata : per confirmationem assumpta est, dum eandem virtutum confirmationem accepit in via, quam angelus bonus possidet in patria : per sublimationem assumpta est hodiernam, dum super omnem creaturam exaltata est in regno cœlorum.

Cum corpore dicam exaltatam, an sine illo? Vere dicam cum corpore, quoniam et si hac parte erravero, ipse error est mihi gratissimus, qui fonti pietatis Matri misericordiæ incumbit excusandus. Nunquid enim dicam Dei Filium honorem matri denegasse, quem servo noluit impendere? Elias in cœlum curru levatur igneo, et Mater Dei computruit in tumulo? Præterea si spiritu migrante sacro sanctum ejus corpus terra detinuit, cur Filius venerationem illam denegavit in terris reliquiis matris, quam cuilibet martyri vel confessori voluit exhiberi? Plane caput Joannis vel cujuslibet alterius A sancti reliquiæ in terris maxima veneratione voluit haberi, sed beatæ Virginis corpus nec in terris veneratione, nec in cœlis honore dignum voluit æstimari. Propterea nonne Dei Filius dedit hoc præceptum? Honora patrem et matrem, et magis de patre et matre quam de cæteris, quia major honor quam cæteris debet illis exhiberi. Sed ecce secundum eos qui æstimant eam non migrasse cum corpore, ipse suo præcipue præcepto videtur obviasse, qui majorem honorem voluit in terris exhiberi reliquiis martyris, quam sacrosancto corpori suæ Matris. Longe aliter sonare videtur illa universalis Ecclesiæ oratio, in qua de ipsa dicitur : Nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ Dominum nostrum Jesum Christum de se genuit in- B carnatum : quod si verum est, consequitur quod devicta morte, cum corpore glorificata ascenderit. Et, ut brevi verbo loquendi finem faciam, cum soluto mortis debito terræ constet cum corpore commendatam aut sepultam reddant, aut resurgentem, imo sublimatam cum corpore venerentur nobiscum orantes, ut ejus interventu mereamur transferri ad eandem gloriæ felicitatem, quam ipsa hodierna die ingressa est, præstante Domino nostro Jesu Christo, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SERMO XLV.

IN ASSUMPTIONE GLORIOSÆ VIRGINIS MARIÆ.

Plantaverat Dominus Deus paradisum voluptatis a C *principio, in quo posuit hominem quem formaverat.* De hodiernæ solennitatis præconio multa jam olim, fratres charissimi, diligenter pertractata cognovistis, quæ et foris verborum flore vernantia, et intus spiritali dulcedine plena sunt.

Tantis ergo laudibus aliquid minus idoneum adjicere, videbitur forsitan quibusdam derogatio potius quam cumulus laudis, ut si quis cimbalis concorditer sonantibus fracti tintinnabuli sonum adjiciat, melodiæ suavitas potius colliditur quam juvetur. Quia tamen aliorum divitias nostra paupertate scimus fœdari non posse, præsertim cum in tabernaculo Domini quidam aurum et argentum, alii hyacinthum, purpuram, et byssum, nonnulli etiam pilos caprarum, quæ res abjectæ sunt et viles, obtu- D lisse leguntur, nos pro vili portione offerimus Domino quæ possumus, et contenti hostia pauperum satis nobis arbitramur cessisse muneris, si quantulacunque devotione inveniamur occupati in laudibus Virginis matris.

Ut autem revertamur ad verbum quod præmisimus, tres paradisos voluptatis propter hominem factos sacræ Scripturæ meminit diligentia. Primus est paradisus terrestris, de quo scriptum est : Domine, audivi vocem tuam in paradiso, et abscondi me (*Gen.* III). Secundus est paradisus præsentis Ecclesiæ, de quo in Canticis dicitur : Emissiones tuæ paradisus malorum Punicorum (*Cant.* IV). Tertius paradisus est futuræ gloriæ, cujus meminit Paulus cum dicit se raptum in paradisum Dei, et

ibi audisse arcana verba, quæ non licet homini loqui (*II Cor.* XII).

In primo paradiso positus est homo creatus, in secundo positus est homo reparatus, in tertio ponendus est homo glorificatus. Sunt autem tres paradisi quasi tres quidam horti delitiarum, in quibus divinæ plantationis fructus crescunt, maturescunt, et colliguntur. Nam si humani generis primordia, primos scilicet parentes ad memoriam revocemus, ipsi fuerunt quædam divinæ plantationis virgulta in paradiso terrestri, ad hoc posita ut ibi crescerent, et bene operando fructum facerent in obsequium Creatoris sui. Sed postquam virgulta hæc primæ prævaricationis merito aruerunt et fructum fecerunt noxium, transplantata sunt in paradisum Ecclesiæ, ut igne charitatis quasi æstivo quodam sole desuper radiante crescerent, et fructum suum producerent ad maturitatem, et sic tandem per manum summi hortulani, qui Christus est, in tertium paradisum qui est gloriæ, cum fructibus suis transferentur. In hoc etenim paradiso Deus a principio posuit hominem, id est disposuit ponere eo loquendi modo quo dicitur, fecit quæ futura sunt et agnus qui occisus est ab origine mundi.

Quia tamen sine humore virgulta hæc crescere non poterant, accesserunt quatuor paradisi flumina, quibus irrigata fortius invalescerent, ut sic firmiter radicata nullo tentationis vento deinceps commoveri possent. Primum paradisi flumen, accipe mundationem sacramentorum : secundum, seriem divinarum Scripturarum : tertium, stillicidium spiritalium donorum lachrymarum : quartum, gratiarum dona in bonis confirmantia. Natura siquidem humana vitiis infecta, primo opus habebat, ut per sacramenta Ecclesiæ a peccatis purgaretur. Secundo quia viam ignorabat justitiæ, necesse erat ut per mandata Dei illuminaretur. Tertio expediebat ut accepta veritatis noticia, planctu et lachrymis bonis operibus exerceretur. Quarto, ut per dona gratiarum in bonis confirmaretur. Inter virgulta autem paradisi illius nobilis quædam virga exorta est, videlicet virgo Maria, ad quam fluvius spiritalium charismatum abundantius quam ad cætera derivavit, utpote quæ fructum meliorem et sublimiorem cæteris erat productura, quo in terris homines, et in cœlo spiritus angelici pascerentur. Quid enim aliud fuerunt Spiritus sancti obumbratio, plenitudo gratiæ, fervor fidei, castitas virginalis, quam stillicidia quædam gratiarum in ipsam descendentium ut cresceret et faceret fructum? Crevit itaque et fructum fecit, et in tantum crevit, ut jam non virga humilis, sed arbor sublimis et fructifera nominetur. Sublimis, quia super cœlos ascendit; fructifera, quia fructum fecit multiplicem, scilicet fructum amarum, fructum dulcem, fructum delitiosum.

Si vis scire ubi arbor ista fructum amarum, protulit, recole amaritudines illas amarissimas quas sustinuit, dum astitit crucifixo, dum vidit mortuum, dum secuta est fugientem in Ægyptum, dum persecutiones sustinuit cum cæteris qui fuerunt imitatores viarum ejus. In his omnibus fructum amarum protulit, quando per has et alias multas tribulationes secuta est præsentiam Creatoris sui. De hoc fructu amaro gustaverunt omnes sancti, qui modo regnant cum Christo, quorum vita fuit mundum contemnere, tolerare adversa, crucifigere carnem suam cum vitiis et concupiscentiis, opprobriis saturari, quæ omnia licet plena essent amaritudine, tamen in his expectabant fructum pacatissimum, id est visionem Dei sui. Sed jam via hæc ærumnosa videndi Deum per amaritudines vitæ hujus in solitudinem redacta est, quia nunc fugiunt homines a facie Domini, ut amara effugiant, ne inveniant tribulationes, ut delectationes et hujus vitæ dulcia consequantur, parumque reputant videre bona Domini in terra viventium, dum consolationibus vitæ hujus perfruantur. Annon vere est a facie Domini fugere, repellere mandata Dei, sequi concupiscentias, laxare frena pudicitiæ, et a nulla prohibere animum voluptate? Et in his quidem omnibus gustus in principio dulcis est, sed novissima eorum amara sunt tanquam absynthium, quia multas delectationes, multæ sequuntur miseriæ, et extrema gaudiorum luctu et dolore commutantur.

Tunc enim homo primo vinum bonum posuerit et eo inebriatus fuerit, tunc demum sequitur quod deterius est. Vinum bonum quod homo, id est quilibet carnalis ponit, principium læticiæ suæ, concupiscentia carnis est concupiscentia oculorum, et superbia vitæ, et cæteræ hujus vitæ delectationes, sed cum istis inebriatus fuerit, hoc est cum biberit calicem confusionis et ignominiæ usque ad fecem, tunc sequitur vinum quod deterius est. Quod vinum? stimulus pravæ conscientiæ, timor gehennæ, horror districti Judicis, obduratio mentis, desperatio salutis. Ecce dulcia vitæ hujus, ecce amara, formida ergo contingere dulcia, si vis vitare amara. Sic enim pisces, sic volucres, sic bestiæ capiuntur, quia modicus cibus qui delectat hamo aut vinculo imponitur, ut cum illum apprehenderint, postmodum ferri, aut vinculi amaritudine teneantur. Cave ergo ne tu fallaci cibo hujus vitæ inescatus captivus tenearis; quod si ita est, solve vincula colli tui, plange miseriam tuam, curre ad medicinam. Quis demum tam degenerantis naturæ insipientiam incurrit, ut si e duobus concedatur optio, melius non æstimet eligendum? Proponantur modo duo hæc, videlicet amaritudo hujus vitæ, et delectatio ejusdem, docet te mundi philosophus, utrum istorum melius debeat æstimari. Juxta documentum enim Aristotelis, si dubitetur utrum melius, respiciendum est ad consequens utriusque, et cujus consequens fuerit melius, illud etiam et melius æstimandum. Vide ergo quid sequitur ad delectationem hujus vitæ. Certum est quia luctus sempiternus, unde scriptum est : Extrema gaudii luctus occupat (*Prov.* XIV). Ad amaritudinem vero hujus vitæ, sequitur

gaudium æternum, unde dicitur: Tristicia vestra vertetur in gaudium (*Joan.* xvi). Melius est gaudium luctu sempiterno, quare amaritudo hujus vitæ potius quam delectatio eligenda. Omnimodo ergo dulcia vitæ hujus fugienda sunt, quorum finis tam amarus est, aut si dulcia delectant, mittant manum suam hi qui talia desiderant ad fructum illum, qui ad edendum dulcis est, et ad reficiendum necessarius.

Ecce enim arbor nostra fructifera, scilicet virgo Maria ramos suos extendit, in quibus fructum dulcem copiosissime invenire possint, nisi forte languente appetitu tanquam ægroti quæ suavia sunt et dulcia fastidiant. Sic enim plerunque solet accidere, quod palato non sano pœna sit panis, et ægris oculis odiosa lux est, quæ puris est amabilis. Tria siquidem beneficia beata Dei genitrix nobis contulit, de quibus velut ramis quibusdam omnia respiciunt opera justiciæ, et dependent fructus totius spiritalis exercitationis. Primum autem beneficium est, quod jugum antiquæ captivitatis a nobis abstulit: secundum, quod iram divinæ indignationis nobis remisit: tertium, quod notam humanæ iniquitatis delevit. Ecce captivus tenebaris o homo, et per Mariam liberatus es: offensam Dei tui incurrebas, et per Mariam reconciliatus es: iniquus et peccator fuisti, et per illam justificatus es. Quid est dulcius libertate post captivitatem, et reconciliatione post impietatem? Huc ergo omnis vita justorum, sancta desideria, meditationes, bonæ operationes, gratiarum actiones respiciunt, ut in his omnibus præcipue honoretur beata Dei Genitrix, quæ præ cæteris sanctis nobis operata est causam salutis. Nunc ergo age tu qui in tantis beatæ Virginis respiras beneficiis, ad ipsam vota tua et desideria converte, et dulce sit tibi sub umbra illius arboris quiescere, quia hactenus longo itinere pravæ conversationis laborasti.

Tria sunt quæ viatores ad arboris protectionem fugere compellunt, videlicet æstus, turbo, et pluvia. Similiter tria sunt quæ ambulantibus in via Dei, quietem animi auferunt, videlicet concupiscentia, superbia, et discordia. Et respicit æstus ad fervorem concupiscentiæ, turbo ad tumorem superbiæ, pluvia ad jurgia discordiæ. Protegit ergo beata Dei Genitrix ab æstu coucupiscentiæ exemplo castitatis, protegit a tumore superbiæ exemplo humilitatis, protegit a pluvia discordiæ exemplo mansuetudinis. Certe mala nostra quæ fecimus docere nos possunt, quam jucundum sit sub ramis hujus arboris quiescere, quam ignominiosum sit premi servitute diaboli, et quam dulce sit obsequium præstare Deo.

Quoniam nauta multis jactatus fluctibus in regenda navi sapientior efficitur, miles post multa susceptæ vulnera in congressu belli cautior redditur: gratior serenitas post imbrem, quies post laborem, et per experimenta malorum crescit amor virtutum. Respiciamus ad eos qui ad frugem dulcem spiritalis vitæ manum miserunt, et videbimus ve- A rum esse quod dicimus. Aliqui enim ex ipsis post multa forte scelera commissa in seculo ad Deum conversi sunt, alii vero cum ipsa vitæ innocentia quam tenuerunt, seipsos Deo sacrificium obtulerunt. Et videmus accidere quod hi qui fuerunt in seculo peccatores et magni peccatores, frequenter sunt in vigiliis promptiores, in abstinentia parciores, in oratione magis devoti, in bono opere magis soliciti, et in omni fructu vitæ spiritalis magis circunspecti, quam illi qui de puritate conscientiæ suæ gloriantes a tramite justiciæ nunquam ceciderunt. Nullus ergo timeat ad fructum dulcem spiritalis vitæ manum mittere, quoniam bonum quod tardius apprehenditur, quandoque ferventius acquisitum tenetur.

B Est et tertius fructus hujus arboris quem supra delitiosum appellavimus, et ideo forte delitiosus quia rarus, quia pretiosus est, et quoniam fructus iste in summitate ramorum colligitur, oportet eum qui fructu isto vescitur sursum ascendere, ut quod in eo mortale est, absorbeatur a vita, quod humile in gloriam, quod triste est in læticiam commutetur. Cæteri etenim fructus, id est amarus et dulcis, quos supra distinximus, finitimi terris sunt, utpote quibus vescuntur hi, qui adhuc induuntur corpore mortis hujus. Sed fructus delitiosus, quo soli fruuntur beati, sursum est in adeptione supernæ felicitatis, quem nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Et quidem his qui in vita ista C mortali adhuc peregrinantur a Domino, fructus iste futuræ beatudinis in spe repromissus est. His vero qui vitæ hujus cursu consummato vicerunt seculum, jam in re appositus, ut secundum repromissionem factam a Domino in cœlesti paradiso sint hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, Christi, inquam, qui est fructus benedictus, fructus singulariter delitiosus, in quo sunt omnes delitiæ sanctorum qui cum beata virgine Maria ad paradisum cœli assumpti sunt, cujus et nos participes faciat ipse Jesus Christus Dominus noster, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SERMO XLVI.

DE SANCTO AUGUSTINO.

D *Boves arabant et asinæ pascebantur juxta illos* (*Job* i). In re familiari provide gubernanda, quæ agriculturæ necessaria sunt, paterfamilias solerter acquirit, ut gleba studio et labore ad fructum exculta, futuri temporis inopiam annua fertilitate possit declinare.

Huic autem negotio boves et aratra præcipue necessaria sunt, in quibus cum terram operatus fuerit exeat qui seminat seminare semen suum, ut tempore opportuno aliud referat fructum tricesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum (*Matt.* xiii). Quod si juxta veritatem evangelicam semen est verbum Dei, sator autem Christus, non incongrue terram corda hominum, dispensatores verbi Dei accipiemus, ut Augustinum et cæteros Ecclesiæ doc-

tores. Quatuor enim sunt in bove per quæ doctoribus Ecclesiæ recte comparatur. Carnibus enim pascit, pelle munit, cornu pugnat, fimo terram sterilem impinguat. Et est caro exhibitio debitæ humanitatis, pellis custodia disciplinatæ conversationis, cornu rigor ecclesiasticæ severitatis, fimus verbum justæ increpationis. Hæc quatuor doctori Ecclesiæ necessaria sunt. Primo ut affectu humanitatis inferioribus condescendens, studeat eos pascere non premere, regere non diripere, et quodammodo carnalis affectus parvus cum parvulis, infirmus cum infirmis, omnibus omnia sit ut omnes Christo lucrifaciat. Custodia etiam disciplinatæ conversationis necessaria est, per quam et seipsum regere et aliorum mores bono exemplo informare possit : ut sit gravitas in vultu, mediocritas in habitu, B maturitas in incessu : in verbo veritas, in opere utilitas eluceat, nihilque fiat in omnibus quæ ad ipsum pertinent, quod cujusquam offendat aspectum, sed quod ipsius deceat sanctitatem. Nam et beatus Gregorius de ipsis doctoribus dicit : Quia nosse debent ex suscepto officio, nec peccandi licentiam, sed bene vivendi necessitatem se esse assecutos.

Sunt autem duo cornua quibus doctor Ecclesiæ pugnare debet. Primum est autoritas divinæ legis, secundum austeritas vindictæ pœnalis. Primo cornu, id est autoritate divinæ legis, hæretici extra Ecclesiam feriendi sunt, qui a nobis exierunt, sed non erant de nobis. Secundo cornu, id est austeritate pœnali, contumaces et rebelles qui nobiscum sunt, C in Ecclesia debent puniri.

Verbum etiam justæ increpationis necessarium est, per quod vitia et excessus inordinate ambulantium corriguntur, ut terra peccatrix verbo increpationis quasi fimo quodam fœcundata ad faciendum fructum boni operis magis idonea fiat. De hoc enim scriptum est : Stercore boum lapidandus est piger (*Eccle.* XXII). Neque enim aliud est stercore boum pigrum lapidare, quam per doctores Ecclesiæ peccatricem animam contumeliis afficere, vitia ejus ad memoriam revocare, contraire moribus, vitam redarguere, ut sic confusione plena a tali vexatione accipiat intellectum et formam pariter sanctæ conversationis. Isti ergo ad aratrum doctrinæ evangelicæ vinculis sapientiæ sunt ligandi, quibus astricti D forma gregis sui effecti, neque ad dextram neque ad sinistram declinare possunt. Sunt autem quatuor vincula sapientiæ, quibus doctores Ecclesiæ debent ligari, videlicet amor sanctitatis, zelus justiciæ, humilitas in prosperis, constantia in adversis. De istis vinculis in libro Jesu filii Syrach scriptum est : Fili, injice pedes tuos in compedes Domini, et non accidieris vinculis illius, et postea de vinculis sapientiæ subjungit : Decor enim vitæ in illa est, et in vinculis illius alligatura salutis (*Eccle.* VI). Primum vinculum, quod est amor sanctitatis, doctores Ecclesiæ cum bonis facit pacificos, et hoc vinculum stringit suaviter. Secundum, quod est zelus justiciæ, cum perversis facit severos, et A hoc vinculum stringit fortiter. Tertium quod est humilitas in prosperis, in tranquillitate facit gratiosum, et hoc vinculum stringit dulciter. Quartum quod est constantia in adversis, in tentatione facit probatum, et hoc vinculum stringit firmiter. Rebus istis ad aratrum Domini sic conjunctis, sequitur Paterfamilias, id est Christus qui regit illos, habens in ore suo cantum, cum dextera sua tenens aculeum, quatenus per suavitatem cantus, promittendo bona æterna, vitam immortalem, gloriam interminabilem, laborem illorum minuat, hæc est suavitas illa cantus. Et per aculei punctionem, id est per comminationem æterni supplicii, gehennæ inextinguibilis, pigritantes magis laboriosos efficiat. Videres boves istos ad aratrum Domini sic copulatos terram incultam, infructuosam fortiter excolere, nec retardat eos aliqua terræ species, non flos, non viriditas, non quæcunque alia amœnitas quin omnia scindant, omnia evertant, ut fructum faciant, imo quanto amplius jocunda apparent eo validius ea extirpare machinantur.

Tu ergo terra infructuosa et sterilis, homo, inquam, peccator, vel sero ad fructum te præpara, boves istos arantes libenter suscipere, et audi vocem speculatorum tuorum dicentium tibi : Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus tanquam flos fœni (*Isa.* XL). Non jam delectet te flos terrenæ prosperitatis, non viriditas fallacis juventutis, non amœnitas dignitatis hujus seculi, quæ omnia frequenter accedunt potius ad cumulum damnationis quam ad fructum salutis. Si quis enim in talibus color felicitatis apparet, fallax est, fucatus est, artificialis est, et cito præterit, imo non præterit, nisi prius immanitate scelerum et veneno mortifero, afficiat dilectorem suum. Recogita, quæso, et reduc ad memoriam quæ frequenter audisti et vidisti, quia loca florida et amœna frequenter ad fructum minus idonea sunt : imo sub specie florum quandoque latent scorpiones, lacertæ, et serpentes, et dum volueris capere florem, calcabis serpentem. Si ergo delectat te recreatio floris, terreat suspitio veneni : quia admodum fugienda est delectatio quæ periculo veneni comparanda est. Quod si sub flore isto venenum quandoque expertus es, cave tibi, et sollicitus esto ne quid deterius contingat, quia et pisciculi curiosius escas declinant, in quibus quandoque fallacis hami cauterium deprehenderunt. Si vero in delitiis hujus mundi adhuc innocenter vivis, doceant te exempla multorum, qui per talia abierunt in exterminium, doceant, inquam exempla, quoniam pestilente flagellato semper sapiens corrigitur, et verbera minus sentiuntur in dorso alieno.

Credisne ita esse ut dico? an adhuc vis exemplo doceri quam umbratilis sit felicitas hujus mundi, et quam miserabilis consummatio illius? Respice navem onerariam in multa superbia mare transvolantem, vides eam mercibus et deliciis opulentam, velo et remigiis diligenter munitam, nauta-

rum studio prudenter gubernatam, nec aliquod A periculum metuentem sibi imminere. Et ecce vento irruente turbatum est mare, et procellæ insurgentes allisæ sunt navi illi, et absorbuit illam mare in profundum, usque adeo quod nulla navis illius indicia super faciem maris inspectantibus appareret. Nonne recte navi huic videntur tibi comparari, qui in voluptatibus hujus vitæ consummati sunt, et hanc partem suam æstimaverunt uti delitiis, et frui bonis, non cogitantes indicium mortis et adventum gloriæ magni Dei? Ideoque absque sui nominis memoria in profundum inferni descenderunt. Quod si aliqua illorum superest memoria, certe non in benedictione, sed in maledictione remansit. Quoniam ergo speciosa istius mundi ad fructum vitæ non proficiunt, excinde illa et funditus evelle, ut B terra tua fructum faciat, ut segetes multas afferat, et in te eluceat fortitudo bovis laborantis, quia, ut dicit Salomon : Ubi plurimæ segetes, ibi manifesta fortitudo bovis (*Prov.* XIV).

Veruntamen et cum in terra tua fructum vis facere, considera quem in ea fructum facias : quia non omnis terra uni et eidem fructui convenit, sed hæc fructum unum, et illa alium melius facit : Est enim terra aspera et inculta, conveniens hordeo quo pascuntur servi : est et terra delicata conveniens frumento quo pascuntur domini : est terra mediocris, conveniens semitritico, quo pascuntur illi qui neque ad delitias dominorum ascenderunt, neque ad conditionem servorum dejecti sunt. Sunt autem terra aspera et inculta, peccatores sero ad C pœnitentiam vocati : terra delicata, sunt viri contemplativi : terra mediocris, sunt activi. Item hordeum, labores accipe pœnitentiæ : frumentum, fructus vitæ contemplativæ : semitriticum, opera misericordiæ. Terra ergo aspera fructificare debet hordeum, quoniam peccatores laboribus pœnitentiæ, scilicet vigiliis, jejuniis, et aliis castigationibus onerandi sunt : onus enim et palea asino, virga et opus servo debentur. Terra delicata fructificare debet frumentum, quoniam viri contemplativi fructus debent facere vitæ contemplativæ, scilicet orare, legere, meditari, et his similia, terra mediocris ferre debet semitriticum, quia activi debent facere opera misericordiæ, scilicet pascere D egenos, vestire nudos etc., quæ in Evangelio describuntur (*Matth.* XXV).

Liquet, ni fallor, quomodo ea quæ de proprietate bovis dicta sunt, venerabili Patri Augustino conveniant. Est adhuc aliud in bove quod eidem Augustino specialius assignari possit. Bos etiam escas devoratas iterum in os revocat, et ruminando subtilius eas comminuit, ut eas magis nutritivas efficiat. Hæc autem multiplex ruminatio multa et subtilis est Scripturarum disquisitio. In qua Augustinus cæteris Ecclesiæ doctoribus præeminuit. Quadripartita enim Scripturarum serie tanquam quatuor paradisi fluminibus faciem terræ irrigavit, quas si nominibus veiis distinguere, alia naturalis, alia juridicialis, alia speculativa, alia disciplinalis, potest appellari. Naturalis ad artes liberales pertinet, quæ omnes excepta grammatica et rhetorica naturales sunt, eo quod naturali quadam rerum connexione sibi cohæreant. Juridicialis est rhetorica, quæ ad legem fori, et controversias causarum pertinet, pro qua de Augustino dictum est, quia discipulos suos sine dolo docebat dolos. Speculativa est per quam scholares docuit divinæ legis veritatem. Disciplinalis est, per quam claustrales docuit religionis virtutem. Duæ priores sunt ancillæ, sequentes vero duæ sunt dominæ, eo quod illæ doceant hominem scire, istæ vero vivere.

Ex his autem studiis tam diversis, diversa imitatoribus suis studia Augustinus reliquit. Sunt enim alii qui discunt bene vivere et non scire, alii semper discunt scire et nunquam bene vivere, alii et scire et vivere discunt. Qui discunt vivere et non scire, sunt sancti et simplices viri, magis sanctitatis quam scientiæ cupidi, eo quod in multa scientia multa sit indignatio. Ideoque discunt ab alio humilitatem, ab alio patientiam, ab alio mansuetudinem. Ille docet eos silentium, ille gravitatem, alius frequens ministerium, sicque in schola virtutum exercitati, legem Domini immaculatam et convertentem animas, virtutibus non literis scribunt in cordibus suis. Istæ ni fallor sunt asinæ de quibus dictum est : *Boves arabant, et asinæ pascebantur juxta illos.* Asinæ siquidem sunt tales, quia primo mane intrantes vineam Domini portant pondus diei et æstus sine murmure et simulatione. Asinæ sunt, quia patientes in injuriis sustinent omnia pro eo cui se probaverunt. Asini sunt, quia extrema vilitate contenti gaudent abjecti esse in domo Dei, imo in hoc accipiunt responsum conscientiæ, si omnibus inferiores videantur.

Qui vero semper scire et bene vivere discunt, sunt illi qui tumentes inani philosophia, gaudent se multa subtiliter investigasse, scilicet genera problematum, angulos syllogismorum, dispositionem orbis terræ, verticem elementorum, initium et consummationem temporum, vicissitudinum permutationes, anni cursus, dispositiones stellarum, naturas animalium, iras bestiarum, vim ventorum, differentias virgultarum, virtutem radicum, et his similia : finem studiorum suorum in hoc constituentes, ut rerum causas perspicaci mentis oculo videantur attigisse. Verum causam illam causarum, quæ est principium et finis omnium, lippo, imo cæco oculo potius respiciunt, utpote quam non philosophando, sed bene vivendo oportet investigare : quod genus studii solis justis repositum nondum isti apprehenderunt, nisi forte bene vivere dicamus, eo modo quo perditi homines dicunt in seculo, quoniam bene vivit qui bene se pascit : vel eo loquendi modo, quo illi dicuntur habere bonum sæculum, qui de voluptatibus hujus vitæ in quantum valent nihil omittunt. O utinam tu qui multa discis, quandoque te ipsum doceas, nec a summo

cœli, sed potius a teipso philosophari incipias, ut videas quid es, quid esse debueras, et quid futurus es. Neque enim modica scientia est seipsum cognoscere, eo quod de cœlo descenderit γνῶθι σεαυτὸν, quod est: Cognosce teipsum. Forte si quæratur a te quid sis, philosophice respondebis animal mortale rationale, quia hæc vera hominis diffinitio est. Et ecce animal dat tibi peccati vetustatem, mortale pœnæ necessitatem, rationale cœlestem dignitatem. Cum ergo audis animal, plange miseriam tuam, quia animal et peccator es. Cum audis mortale, formida ignem æternum, quia in brevi moriturus es. Cum audis rationale, recole dignitatem tuam, quia ad imaginem Dei factus es. Audi homo et intellige, quod rationalis et mortalis appellaris, siquidem rationale ad vitam, mortale ad mortem pertinet. Ergo B si tuam ipsius diffinitionem intelligis, mors et vita circa te dimicant, cujus illarum potius futurus sis. Nunc ergo sapienter philosophare et circumspectus esto, utrum potius eligas, an filius mortis, an filius vitæ esse et nominari? Quod si magis vitam quam mortem eligis, cave ne male vivendo ab illo, qui vera vita est, discedat, ipso dicente: Ego sum via veritas et vita (*Joan.* x). Quoniam ergo et hoc oportuit facere, et illud non omittere, sic discas ut etiam bene vivas, sic ama sapientiam ne perdas justitiam. Nam et si discere bonum est, sed certe bene vivere magis necessarium. Ut ergo finem loquendi pariter audiamus, Deum timere, et mandata ejus observare, hoc est, omnis homo. Ideoque studii nostri propositum et vitæ progressum in hoc conemur consummare, ut scientia vitam nostram regat, et vita scientiam custodiat, ut sic in utroque proficientes recta via gradiamur ad illam beatitudinem æternam, in qua est plenitudo scientiæ et inæstimabilis jocunditas vitæ, quam neque oculus vidit nec auris audivit, neque in cor hominis ascendit, ut Deus præparavit diligentibus se. Quam nobis præstare dignetur ipse Dominus noster Jesus Christus, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SERMO XLVII.

IN NATIVITATE BEATÆ VIRGINIS MARIÆ.

Quasi oliva speciosa in campis, et quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis (*Eccli.* XXVII). Hodiernæ diei festivitas divinis laudibus et obsequiis nos monet esse intentos, in qua autor mirabilium Deus æternæ prædestinationis arcanum, et promissionis suæ veritatem per beatam Virginem mundo voluit reserare. Omnibus ergo animi votis amplectenda sunt gaudia, quæ Mariæ nativitatem festivam faciunt, ut non solum portemus ea in corpore, sed et mentis affectu interius, ac foris attestatione bonorum operum prosequamur, ne similes illis inveniamur qui ludos et gestus theatrales libenter aspiciunt: quos tamen judicio rationis improbantes eo quod merito in reprehensionem veniunt, minime cupiunt imitari. Et quæ potest major esse spiritalium gaudiorum materia quam nostræ redemptionis arram suscepisse, quæ paternæ prævaricationis delictum ablueret, repararet innocentiam, placaret iram districti Judicis, aperiret portam cœli, et captivis conferret libertatem. In ipsa enim omnis gratia viæ et veritatis, et in ipsa omnis spes vitæ et virtutis. Non talis mater illa quæ super faciem universæ terræ decretum maledictionis et væ quadrifarium induxit, quo premuntur omnes filii Adam a die ortus sui usque in diem sepulturæ suæ.

Si non recolis primum væ, quod per Evam damnata est humana posteritas, suggerit tibi illud languor corruptionis corporeæ. Secundum, temporalium pressurarum molestiæ. Tertium, occulti hostis insidiæ. Quartum, extremæ ultionis angustiæ. O Eva mater impia, quæ filias tuas ante necas quam parias, ut quid hoc fecisti? Quare induxisti super B te et super illas peccatum grande? Sed ad te beata Virgo Maria respiciunt ruinæ istius levamina, quæ jam olim in lege et prophetis repromissa, signis multiplicibus præostensa es, ut in tuo ortu spem veniæ peccatores ponerent et ex promissione jam facta de te patientius suæ miseriæ cumulum tolerarent.

Vis ergo, o peccator, audire Mariam tibi repromissam? Recole virgam Jesse de qua Esaias loquitur (*Isa.* II), et ecce in ea promittitur tibi nativitas Mariæ. Recole arcam testamenti, quæ operiebatur auro purissimo (*Exod.* XXXVII), et in ea figuratur tibi Mariæ virginitas. Recole florentem amygdalum, de qua Salomon loquitur, et ibi tibi significatur Mariæ fœcunditas. Recole ferculum Salomonis, cujus columnæ argenteæ, reclinatorium aureum, ascensus C purpureus (*Cant.* III), et ibi ostenditur tibi Mariæ regalis dignitas. Unde etiam et olivæ comparata est propter plenitudinem gratiarum, in capitulo quod præmisimus in hæc verba: Quasi oliva speciosa in campis et cætera. Si enim olivæ proprietatem inspiciamus, in hoc primo eleganter satis beatæ Mariæ congruit, quia viret hyeme et æstate, nec aliqua frigoris sive tempestatis, aut etiam æstivi caloris intemperantia speciem suæ viriditatis amittit. Æstate autem futuræ vitæ claritas accipienda est, sicut in Evangelio Dominus dicit de arboribus: Cum producunt ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas, quæ ideo æstati comparatur, quia ea adveniente, et mœroris nostri nubila transeunt, et D vitæ dies æterni solis claritate fulgescunt. Hyemis vero nomine præsens vita accipienda est, quæ et mortalitatis astringitur frigore, et diversis tentationum ventis impellitur, de qua in Canticis scriptum est: Jam enim hyems transiit, imber abiit et recessit. Oliva ergo nostra et æstate et hyeme virorem suum retinet, quia beata Virgo Maria humore spiritalium gratiarum perfusa præsentis vitæ torpore non aruit, et æternæ vitæ amœnitatem inter omnes filias Evæ gloriosa suscepit. In hac oliva ramos, folia, fructum, et oleum pariter considera. Rami siquidem ejus sunt viri justi, quos Dominus in Evangelio ramos vocat, ubi dicit de grano sinapis, quod factum est in arborem magnam, et volucres cœli requieverunt in ramis ejus (*Matth.* XIII).

Rami, inquam, sunt sancti viri, qui imitatione virtutis et sanctitatis proposito beatæ Virgini quodammodo inserti sunt, longitudine spei et latitudine charitatis circunquaque diffusi. Folia vero verba sunt evangelicæ veritatis, quæ ipsa apostolos et alios nascentis Ecclesiæ filios docuit. Hæc enim sunt folia ligni vitæ, de quibus in Apocalypsi dicitur, quia sunt ad sanitatem languentium (*Apoc.* XXII) : quia in verbis evangelicæ prædicationis medicina est, et salus languentium animarum. Fructus autem olivæ istius sunt opera activæ et contemplativæ, utpote aures Dei orationibus inclinare, secretis divinis interesse, puerum Jesum lacte pascere, et his similia.

De hac oliva oleum diversi generis emanavit, oleum videlicet effusionis, oleum puritatis, oleum lætitiæ, oleum unctionis. Oleum effusionis (de quo scriptum est : Oleum effusum nomen tuum [*Cant.* I]) innocentia est exterioris conversationis, qua cæteri ad vitam bonam invitantur. Oleum puritatis de quo præcipitur in Exodo, quod purissimum de arboribus olivarum ardeat in tabernaculo Domini (*Exod.* XXVII), et est puritas bonorum operum. Oleum lætitiæ (de quo scriptum est : Unxit eum Deus oleo lætitiæ præ consortibus suis [*Psal.* XLIV]) fervor est charitatis. Oleum unctionis quo jubetur inungi labrum illud æneum, in quo lavabant se sacerdotes ingressuri tabernaculum, affectus est misericordiæ et pietatis (*Exod.* XL). Labrum enim æneum cum aqua, pœnitentiam lachrymis irrigatam significat. Oliva igitur nostra, id est, beata Dei Genitrix, distillavit oleum effusum simpliciter viventibus : oleum purissimum, fortiter operantibus : oleum lætitiæ, ardenter amantibus : oleum unctionis, id est misericordiæ criminosis post lapsum redeuntibus.

Vides igitur quoniam oliva ista speciosa est in ramis, speciosa in foliis, speciosa in germine, speciosa in liquore. Sed quare potius speciosa est in campis, quam in sylvis? Idcirco quoniam sylvæ spinas et vepres nutriunt, et frondium densitate umbram faciunt, qua radius solis excluditur, et omnimodo sylvestres arbores utilitati hominum minus idoneæ reperiuntur. Quid ergo per sylvas, nisi mentes sylvestres peccatorum debemus accipere, quæ caligine vitiorum tenebrosæ solem justitiæ a se excludunt, et a fructu bonorum operum omnino steriles, vepres et spinas nutriunt? Pravæ conscientiæ metuentes in se immanitatem criminum, super se potestatem Judicis, subtus se crudelitatem tortoris. In hujusmodi sylvis prædones et sicarii et serpentes et scorpiones, id est vitiorum multitudo magna nimis invenitur, ut nullus possit ibi locus esse justitiæ, aut accessus sanctitati. Ne ergo in loco isto horroris et vastæ solitudinis inveniaris adæqua sylvam istam in campum, et præcide proceras illas vitiorum arbores quæ surrexerunt, fastum videlicet mundanæ elationis, ambitionis malum, flammam luxuriæ, invidiæ tabem, et cætera genera vitiorum, ut excisis vitiis campi æqualis facies, id est conscientia pura appareat, et sic libere olivam istam respicias, et sine nubilo possis intueri Mariam.

Campi siquidem mentes humiles, et a tumore secularis conversationis metu divini judicii adæquatæ intelliguntur, ut ibi : Ascendunt montes et descendunt campi, in locum quem fundasti eis (*Psal.* CIII). Sed forte in campo isto nondum apparuisti, eo quod in tenebris peccatorum sis usque adhuc, et lumen justitiæ non illuxit tibi. In ipsis tamen tenebris tuis eo quo potes respectu beatam Mariam intuere, in lectulo tuo illam cogita, et tene in memoria cordis tui : quoniam et res in quam directe radius solis non dirigitur, ex repercussione luminis quandoque irradiatur, et infirma conscientia quæ radio aspirantis gratiæ non tangitur, per vitam justorum et exemplo bonorum operum quandoque mutatur in melius. Quid enim aliud sunt justi cum impiis conversantes, quam fulgur quidem lucens in tenebris?

Fulgebunt, inquit Scriptura, justi, et tanquam scintillæ in arundineto discurrent (*Sap.* III). Fulgor iste, id est claritas sanctitatis cum ad injustos dirigitur, quandoque in eis excitat fumum, quandoque ignem, quandoque caliginem, Fumum, cum exemplo in se ipsis confunduntur, et scelera sua erubescere incipiunt, et sic in lachrymosam compunctionem resolvuntur (*Cant.* III). Fumus enim sanctarum mentium compunctio designatur, ut ibi : Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris? Quandoque vero fulgor iste ignem excitat in peccatoribus, ut quando audita vita illa beata invisibilium bonorum amore, velut igne quodam accenduntur, de quo igne Moysi præcipitur (*Levit.* VI.), ut in altari Domini jugis sit ac perpetuus. Aliquando etiam fulgor iste in reprobis excitat caliginem, ut dum visa justorum ardua conversatione, se ad illam ascendere posse diffidunt, et sic caligine desperationis excæcantur. De hac caligine in Psalmo dictum est : Inclinavit cœlos, et descendet et caligo sub pedibus ejus (*Psal.* XVII). Ex metu enim extremæ ultionis (quæ per pedes Domini recte accipitur) in reproborum mentibus oritur cæcitas desperationis.

Fulgebunt igitur justi, ut diximus, et tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Scintillæ vero viros sanctos significant, qui foris lucent bono opere, et intus ardent charitate. Arundo vero peccatores designat, qui omni virtutum humore siccati, merito suæ iniquitatis ignibus æternis sunt præparati. Sed in arundineto viri sancti, sicut scintillæ discurrunt, quia sicut scintillæ ignis arundines consumunt, et redigunt in favillam, sic viri sancti exemplo bonæ vitæ, quod animale et vetustum est in peccatoribus destruunt, et stipulam vitiorum adhibita flamma charitatis exurunt. Sic ergo mali inter bonos, sicut arundines juxta scintillas, et plateæ arentes juxta aquas positi sunt. Impii enim homines plateæ illæ sunt de quibus in planctu Hieremiæ scriptum est : Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, lapides sanctuarii dispersi sunt in capite

omnium platearum (*Jer.* IV). Ex his plateis quædam juxta aquam positæ sunt. Sunt enim plerique criminosi latas hujus seculi vias tenentes, qui aliquando per verba sanctæ exhortationis, aliquando per virtutum dona quæ in aliis aspiciunt, aliquando ad lachrymas et gemitus vere pœnitentium corde compunguntur. Qui ergo verba sacræ Scripturæ exhortationis devotus suscipit, etiam vitam præteritam non deserens, juxta aquam sacri eloquii positus est, de qua dicitur : Cibavit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potavit illum (*Eccle.* XV). Qui vero dona gratiarum quæ in se non habet, in aliis veneratur et diligit, juxta aquam gratiæ spiritalis positus est, de qua dicitur: Effundam super vos aquam mundam et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris (*Ezech.* XXXVI.). Qui ad lachrymas pœnitentium in seipso erubescit et confunditur, juxta pœnitentiæ aquam positus est, de qua scriptum est: Antequam comedam suspiro, et tanquam inundantis aquæ, sic rugitus meus (*Job.* III). Sic igitur et plateæ sunt, et tamen quodammodo juxta aquas ponuntur, quoniam etsi latas hujus vitæ vias teneant, eo quod Dei dona venerantur in aliis et diligunt, suscipiendæ gratiæ habiliores et promptiores fiunt.

Videre jam potes qualiter Virgo mater, quæ prius comparata est olivæ speciosæ in campis, sit quasi platanus exaltata juxta aquam in plateis, subintellige constitutis. Platanus siquidem arbor lata est, expansis ramis, umbram faciens uberiorem, quæ idoneum est umbraculum his qui calore solis intemperato fuerint fatigati. Umbra illius platani nihil aliud confidentius accipitur, quam incarnatio Verbi de qua dicitur: Et virtus Altissimi obumbrabit tibi (*Luc.* I.). Si enim umbræ naturam enucleatius inspiciamus, ex lumine et corpore efficitur. Tunc ergo platanus hæc umbram copiosissimam reddidit, quando lumen incorporeæ divinitatis in beata Virgine assumpsit corpus nostræ humanitatis. In plateis autem umbra platani hujus diffusa est, quoniam omnibus criminosis, et sub peccati onere gementibus, opem suæ protectionis porrigit, omnibus, inquam, post lapsum redeuntibus et desiderantibus viam salutis. Considerate modo omnes plantas, quæ de radice matris Evæ prodierunt, si aliqua tam sublimis sit, ut Maria, quæ, et si pro conditione naturæ æqualis sit cæteris, tamen donis et meritis supra omnes exaltata est. Tribus plane modis eam super omnes filias Evæ videmus exaltari, videlicet per sanctificationem, qua exaltata est ab omni affectu terrenæ corruptionis : per cognitionis plenitudinem, qua exaltata est ab omni nubilo erroris: per summam contemplationem, qua exaltata est ab omni tumultu mundanæ actionis. Nobis igitur, fratres charissimi, qui ad hanc virtutum eminentiam assurgere non possumus, sub umbra ejus pausandum est, ubi in æstu vitiorum refrigerium, in pressuris seculi umbraculum, et in omnibus laboribus quæ huic vitæ fastidium ingerunt, quietem assequamur. Fe-
A stinet ad umbram protectionis ejus qui longe est, teneat nec dimittat qui jam apprehendit : quia ipsa est dux securitatis peregrinantibus, et pervenientibus ad viam portus salutis, quam nobis ejus interventu largiatur Jesus Christus Dominus noster, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SERMO XLVIII.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Fiant luminaria in firmamento cœli, et dividant diem et noctem, et luceant in firmamento cœli, et illuminent terram (*Gen.* I).

Sicut ex Scripturis sanctis cognovimus, omnia opera Domini benedicunt ei, quoniam nulla creatura tam despecta est quæ non aliquo sin-
B gulari beneficio laudem Dei videatur continere. Excellentius tamen benedictus est in firmamento cœli, non solum quia cæteris creaturis supereminet, verum etiam quoniam stellarum aliorumque luminum ornatu multiplici, miram Dei potentiam mirabiliter ostendit : quæ in eo posita sunt, non tantum ut ibi luceant, sed etiam ut distinguant inter diem et noctem, et illuminent terram. Licet ergo in hoc firmamento visibili et ornatu ejus nobis occurrat multa materia laudis, tamen verba quæ præmisimus ad firmamentum spiritale, et luminaria spiritalia, in quibus magis elucet Dei virtus et Dei sapientia, libet convertere, ut et festivitati hodiernæ magis congruant et proficiant devotione. Firma-
C mentum ergo de quo loqui volumus, homo Christus Jesus est qui sicut firmamentum aliis operibus conditionis specie, magnitudine, sublimitate præminet: ita ipse cæteris sanctis præminet specie, quia ipse est speciosus forma præ filiis hominum; in magnitudine, quia magnitudinis ejus ipse est finis; sublimitate, quia ipse est super omnia Deus benedictus in secula. Ideo etiam Christus firmamentum appellatus est, quoniam sicut firmamentum naturam aquæ tenet, secundum beatum Gregorium quæ gelu constricta in glaciem, et postmodum in crystallum solidata est, ita Christus homo ante resurrectionem velut aqua fuit, qui fame, siti, multisque aliis infirmitatibus, videlicet nascendo, patiendo, moriendo, velut aqua defluxit. Unde Psalmista ex persona ejus : Sicut aqua
D effusus sum, et dispersa sunt omnia ossa mea (*Psal.* XXI). Post resurrectionem vero tanquam crystallus firmatus et solidatus fuit, eo quod impassibilis et immortalis, sicut David propheta dicit: Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, et super filium hominis quem confirmasti tibi (*Psal.* LXXIX). Unde Ezechiel propheta ipsum appellat firmamentum, et crystalli speciem dicit habere, ubi sic loquitur : Super capita quatuor animalium similitudo firmamenti, quasi aspectus crystalli horribilis extendit super capita ipsorum quatuor (*Ezech.* I.)

Luminaria vero hujus firmamenti omnes sancti sunt, qui in eo sunt fundati. Primo in hac vita fide, spe, charitate, cæterisque virtutibus, quas ab ipso acceperunt, et in illa cœlesti gloria sunt in eo ra-

dicati beata illa fruitione visionis ejus, unde ipse Dominus: Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum (*Joan.* xv.) Et Joannes: In hoc scimus, quoniam in ipso manemus, quia de Spiritu ejus accepimus (*I Joan.* iv.): Et Apostolus: Per ipsum et cum ipso, et in ipso sunt omnia (*Rom.* xi.). Sancti ergo omnes luminaria sive stellæ dicuntur, sicut Paulus dicit de eis: Inter quos lucens tanquam luminaria in hoc mundo, verbum vitæ continentes (*Philip.* ii). Et alibi: Stella differt a stella in claritate (*I Cor.* xv.). Et in Job Dominus loquens, ait: Ubi eras cum me jubilarent omnes filii Dei, et laudarent astra matutina? (*Job* xxxviii.) Qui ideo stellæ appellantur, quia sicut stella aliam modo pulchritudine, modo claritate, modo rubore, modo puritate antecedit, ita et inter electos Dei. Virgines enim commendat species, confessores claritas, rubor sive flamma charitatis apostolos et martyres, puritas vero naturæ spiritus, facit excellentiores.

Virgines ideo decore commendantur, quoniam in hac vita pudicitiam carnis et castitatem servaverunt, retinentes vestimenta sua candida, nulla corruptione concupiscentiæ carnalis ea inquinantes. Unde et sine macula sunt ante thronum Dei et sequuntur Agnum quocunque ierit (*Apo.* xiv). Ipse enim speciosus est, et speciosas libentius aspicit, alloquitur, tangit, osculatur, et amplexibus stringit, et illæ speciosi desiderio sequuntur eum quocunque ierit. Videt eas in hac vita oculo electionis, alloquitur promissione futuræ beatitudinis, tangit eas tactu divinæ aspirationis, osculatur osculo internæ dilectionis, amplexatur largitione supernæ contemplationis.

Confessores vero stellæ sunt cæteris clariores, qui doctrina sana et claritate verbi Dei illuminaverunt et eos qui erant in tenebris perfidiæ, ad lumen ecclesiasticæ fidei perduxerunt. Illuminaverunt sursum docendo quæ essent in cœlo justis præmia reposita, deorsum ostendendo quæ in inferno impios expectarent supplicia: a dextris monstrando virtutes et bona opera, per quæ ad vitam tenditur: a sinistris quando docuerunt vitare scelera, per quæ ad supplicium descenditur. Retro illuminaverunt, docendo cavere versutias et fraudes diaboli: ante, cum docuerunt nos spernere mundum cum delectationibus suis. Isti sunt montes illi, de quibus Propheta dicit: Illuminans tu mirabiliter, a montibus æternis turbati sunt omnes insipientes corde (*Psal.* lxxv). Sicut enim montes prius solis claritatem excipiunt, et ab ipsis montibus in vallem descendit, ita et montes isti æterni, id est vitam æternam annunciantes, mirabiliter, hoc est miraculis comitantibus, illuxerunt, dum ipsi velut altiores cæteris vita et merito fidei lumen susceperunt, et suo postmodum ministerio infirmis et ignorantibus id ipsum lumen communicaverunt. Quo respersi lumine turbati sunt insipientes corde, vitam æternam, de qua non audierant, stupebant annuntiari. Nec solum in vallibus, imo ubique locorum lumen istud radiabat: quia illorum doctrina fulguri comparata est, quod omnia circunquaque illuminat, sicut de sanctis animalibus dicitur: Ibant et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis (*Ezech.* i).

Stellæ vero ardentiores et igne charitatis magis inflammatæ, sunt apostoli et martyres, qui tanto fervore dilectionis Dei accensi sunt, ut sicut flamma materialis subjectum suum consumit et redigit in cinerem ita et eos flamma charitatis consumeret, quod utique factum est quando tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. Postmodum vero eadem flamma accinerati sunt, dum morte gloriosa vitæ hujus corruptibilis terminum, cum Christo cupientes vivere consecuti sunt: fervor autem charitatis, qui in sanctis martyribus eminuit, ratione similitudinis flammæ comparatur. Flamma etenim quandoque urit ardore, quandoque intuentes se excæcat nimia claritate, quandoque e vicino positos, et illustrat lumine, et calefacit calore. Simili modo ad flammam charitatis, quia ardebant apostoli et martyres, usti sunt persecutores et tyranni, qui eis pœnas et tormenta intulerunt: quia dum eos vita privari conati sunt, primo in anima malitiæ ardore sunt adusti, postmodum vero justo Dei judicio gehennæ incendiis mirabiliter sine remedio cruciati sunt. Alii ad aspectum flammæ illius cæci facti sunt, qui dum viderent sanctos Dei reserare carceres, solvere catenas, sanare infirmos, mortuos suscitare, non hoc divinæ virtuti sed magicis artibus ascribebant, et sic occasione luminis, quo illuminari debuerant, lumen perdiderunt. Cæteri vero qui devote illorum facta et dicta venerati sunt, per eos illuminati sunt ad fidem, et ipsorum exemplo accensi sunt ad dilectionem.

Sanctos autem angelos stellas puriores recte dixerim, qui eo quod spiritalis naturæ sint, subtilitate cæteris sanctis præponuntur. Unde et apostata angelus, quia prima puritate et subtilitate Deo erat similior, in superbiam elatus, aliam similitudinem quæ Deo erat inimica, habere concupivit cum dicit: Ascendam in cœlum, ponam sedem meam ad aquilonem, et ero similis Altissimo (*Isa.* xiv). In hoc Deo similis esse volens, ut sicut ille super se non habebat alicujus potestatis dominium, ita et ipse ab omni emancipatus dominio, ad Deum noluit habere alicujus obedientiæ respectum. Propter eam autem similitudinem, quam cum Deo habent angeli sui, qui majorem puritatem assecuti sunt, divinæ contemplationi semper assistunt. Alii vero qui in conditione sua minus subtilitatis acceperunt, quandoque ad terras ad consummanda Dei opera transmittuntur: sicut legimus de angelo, qui revolvit lapidem ab ostio monumenti (*Matth.* xxviii), de angelo, qui descendit in piscinam, dum moveretur aqua (*Joan.* v), de angelis, qui operati sunt incendium Sodomorum (*Gen.* xix), et in aliis multis locis. Alii ad nos destinantur, ut gerant curam salutis nostræ, suggerant nobis bona quæ agere debemus, præsentent orationes nostras ante Deum. Isti sunt principes qui astant

orantibus levantibus puras manus ad Deum, de quibus per Psalmistam dicitur : Prævenerunt principes conjuncti psallentibus in medio juvencularum tympanistriarum (*Psal.* LXVII). Sic ergo propter diversa eorum officia, alios contemplatorios, alios operatorios, alios administratorios spiritus possumus appellare.

His stellis spiritalibus quas in firmanento, quod Christus est, positas diximus, duas alias miræ pulchritudinis libet adjicere, quarum una stella maris, altera stella matutina nuncupatur. Stella maris est beata virgo Maria, quæ in mari hujus seculi nos regit et protegit, et meritis suis cum precibus ducit ad portum salutis. Stella matutina Christus est, quia sicut stella matutina mane oritur, et sequentis diei signum est, ita Christus mane ortus est, dum ipse primus resurrexit a mortuis, et sequentem diem, hoc est nostram resurrectionem, ipse resurgendo præsignavit. Neque eidem firmamento de quo locutus sum, lunam et solem deesse crediderim, quæ sunt luminaria illa magna, facta ut præsint diei et nocti. Et luna quidem ipsa est Ecclesia, de qua dicitur : Sol et luna steterunt in habitaculo suo (*Habac.* III). Et alibi : Fecit lunam in tempore, sol cognovit occasum suum (*Psal.* CIII). Hæc luna in firmamento posita est, quia in Christo constructa et fundata. Recte autem sancta Ecclesia luna appellata est, quia sicut luna non nisi a sole lumen accipit, ita Ecclesia non nisi a Christo habere potest lumen virtutis. Solem etiam, hoc est virtutem divinitatis, in firmamento jam dicto positam esse non ambigimus, quoniam in Christo homine, secundum verbum Apostoli, habitat plenitudo divinitatis corporaliter (*Coloss.* II). Sed licet sanctos cum Christo regnantes stellas dixerim, subtilius eos intuens possum vere dicere stellis omnibus eos clariores : quoniam sicut lux eos illuminans, quæ Deus est, omni alia luce est clarior, ita et per illam illuminata cæteris luminibus clariora sunt.

Siquidem in regno illo superno impletum est quod dixit, qui sedebat in throno cum ait : Ecce nova facio omnia (*Isa.* XLIII). Sancti etenim Dei ibi renovati sunt in ratione, quia perfecte Deum cognoscunt, ideoque sunt sine omni errore. Renovati sunt in voluntate, quia pacem plenam, quæ ex Deo est, assecuti sunt, ideoque Deum diligunt sine omni perturbatione. Renovati sunt in memoria, ut affectum suum semper in Deum dirigant, ideoque Deum cogitant sine intermissione. Ratio, inquam, renovata est, quæ solam illam scientiam ibi tenet per quam intellectus ad cognoscendum illuminatur, et affectus ad diligendum accenditur. Videmus in hac vita quod sicuti quædam claritas est sine calore, et illa illuminat et non calefacit, alia est cum calore, quæ et illuminat et calefacit, ita est in scientiis. Sunt enim quædam scientiæ quæ illuminant intellectum, et non accendunt affectum, quales sunt artes liberales, dogmata philosophorum, et his similia : et ista scientem faciunt, non sapientem. Est alia scientia quæ illuminat intellectum, et ad diligendum accendit affectum, qualis est scientia de Deo habita, et de statu cœlestis vitæ, quæ sola intellectu sanctorum tenetur et comprehenditur quantum ad usum. Omnis alia scientia, secundum dictum Apostoli, ibi destruetur, quoniam seculares scientiæ et si in cognitione ibi forte habendæ sunt, nullum tamen in scientibus habebunt effectum. Voluntas etiam in Deo pacificata erit ab omni perturbatione aliena, quia nec prosperitas secularis turbabit eam per ineptam lætitiam, nec adversitas per ingruentem molestiam, nec cupiditas affectando habere quod deest, nec timor metuendo perdere quod habet. De quibus quatuor passionibus philosophus dicit : Gaudia pelle, pelle timorem, spemque fugato, nec dolor adsit. Nubila mens est, vinctaque frenis, hæc ubi regnant. Et poeta :

Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque, nec [auras
Dispiciunt, clausæ tenebris et carcere cæco.

Sed et memoria ibi semper in Dei recordatione erit continua, ut quæ in hac vita longe a Deo relegata, per creaturas hujus mundi, quæ infinitæ sunt, cogitationibus infinitis distrahitur, tunc omnibus quæ hujus mundi sunt in oblivionem traditis, solum Deum diligat, ideoque Jesum solum meditetur. Tunc ergo adimplebitur quod dictum est, quia Deus erit omnia in omnibus (*Coloss.* III). Erit enim Deus in ratione claritas, in voluntate charitas, in memoria perennitas.

Unde satis evidenter colligitur quod sancti Dei non solum stellis similes, sed etiam stellis omnibus sunt clariores. Habemus ergo luminaria quæ posuit Deus in firmamento cœli, ut dividant diem et noctem, sicut in rerum natura videmus quod sol diem, luna et stellæ noctem illuminant. Nox autem vita præsens, dies autem futura vita intelligitur. Sol ergo diem illuminat, quia Deus qui est verus sol, vitam illam beatam supra præsentia clarificat, et sicuti ipse totus lux est, ita et illa vita tota est dies sine omni nube obscuritatis. Noctem vero illam luna et stellæ illuminant, quum in vita præsenti sancta Ecclesia, et sancti Dei in ea militantes sive triumphantes miraculis, eruditione, conversatione eam illuminant, longe tamen aliter, quam dies illuminata sit. Cum enim nox illuminatur, et claritas videtur quodammodo obscura et obscuritas clara : quoniam in vita præsenti, nec bona sine malis, nec vitia sine virtutibus omnino esse possunt, ita ut etiam justi quodammodo clari, et quodammodo tenebrosi esse videantur. Sicut enim macula semper est in luna, ita et in Ecclesia. Inde est quod propter nubem peccati, cœlum, et cœli lumina perspicaciter non possumus intueri, imo quod plangendum est, quandoque nec oculos ad cœlum levare possumus, ubi nostra spes reposita esse debuerat, peccatorum nubilo præpediti.

Ecce multi dum oculis corporalibus cœlum et stellas corporales volunt respicere, non valent, vel quia contracti, vel quia obstaculo præpediti, vel quia lumine privati sunt. Contractos illos esse

dixerim, qui cupiditate terrena curvati sola transitoria cupiunt, et ideo oculos cordis semper in terram figentes, eos ad cœlestia elevare non possunt: plane sicut amor ad faciem, timor ad manum, ita cupiditas ad terram semper oculum dirigit, verbi gratia: Filius semper intendit in faciem patris quem diligit, servus ad manum domini sui respicit, ne flagelletur pro excessibus quos commisit, avarus vero cor semper apponit divitiis, quoniam ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum (*Matth.* VI). Ipse etiam Dominus in Evangelio, ubi loquitur de semine quod in spinis cecidit, avaros significans ait: Hi sunt qui audiunt verbum et a sollicitudinibus et a voluptatibus vitæ euntes suffocantur nec referunt fructum (*Matth.* XIII). Qui vero obstaculo impediuntur ne cœlum videant, superbi sunt, et elati spiritu, qui superbiam mentis operimentum quoddam inter se et Deum statuerunt, sicut David propheta dicit: In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur (*Psal.* LXXXII). Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate et impietate sua, hoc est duplici superbia, ut impietas dicitur superbia, qua homo non humiliatur Deo: iniquitas, superbia qua homo cupit anteferri proximo. Superbia ergo operimentum est, quo impeditur homo ne Deum videat, in quo et se habere videtur illa beneficia, quæ a Deo per humilitatem erant impetranda. Dum enim elati cordis homo de virtutibus cogitat, dictante superbia, illas se habere præsumit; cum de scientia illam, arroganter sibi præ cæteris ascribit; cum de honoribus, aliis se æstimat omnibus digniorem; et infirmitatis suæ defectus non aspiciens, bona etiam quæ non habet in se ponderans, semper contemptor est aut æmulus alienæ virtutis. Quare hoc? Quoniam impediente superbia ad Christum respicere non potest, ut in ipso videat quam humilis, quam patiens, quam suavis, quam bonus est Dominus: ut sic ad suas infirmitates respiciens, deploret humiliter quod sibi intellexerit deesse, sicut beatus Job fecisse legitur cum diceret: Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te, idcirco ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam (*Job* XLII). Superbia igitur quoniam ad Deum non respicit, ut in lumine ejus tenebras suas agnoscat, ideo inter omnia peccata difficilius ad pœnitentiam inclinatur. Siquidem prima est in recedentibus a Deo et ultima in redeuntibus ad præassumptas virtutes, sicut Scriptura dicit. Inde est etiam quod diabolus principaliter superbis imperare dicitur, Scriptura attestante quæ dicit: Omne sublime videt, et ipse rex est super omnes filios superbiæ.

Sunt alii qui deficiente lumine oculorum tenebrosi cœlum videre non possunt, quales sunt simplices et idiotæ, omnes habiles quidem de ratione ut Deum cognoscant et diligant, et ambulent in mandatis ejus, sed deficiente lumine exteriori, hoc est, doctrina et prædicatione, quæ pastorum ministerio eis exhiberi debuerant, remanent in peccatorum tenebris, eo quod non sit qui salutem animarum ope-

A retur, et doceat formam sanctæ conversationis. Clerici enim nostri temporis qui cum ecclesiasticis beneficiis curas animarum suscipiunt, solo quæstu clericos, habitu milites, sed vivendo et prædicando neutros se exhibent, quod opera ipsorum loquuntur. Cum de eleemosynis pauperum regales equos, vestimenta secularia, calcaria et frena deaurata, stellas picturatas comparare non erubescunt, mensa ferculis, thalamus jocis impudicis jocundus est: in palatio ubique resonat cantus de gestis Hectoris, et in sancta Ecclesia silentio damnantur verba Salvatoris. Sic ergo evenit ut infirma Ecclesiæ membra, quæ pastorum antecedente lumine ad Deum conduci debuerant, subtracta eis prædicatione veritatis, in tenebris perseverent.

B Tollantur igitur necesse est de medio contractio avaritiæ, superbiæ operimentum, cæcitas ignorantiæ, ut Deum Deique sanctos mentis oculis possimus intueri, et tendere ad cœlestem illam gloriam, quam constat nobis esse repromissam. Ut tamen fructuose valeamus visum ad cœlum dirigere, oportet nos non retrorsum vel a latere, sed potius ante nos directe oculos ad cœlum levare: quoniam a dorso vel a latere cœlum respicientes aut offendunt pedibus, aut errant in via. A dorso vero cœlum respiciunt illi, qui in vita sua præterita et bonis operibus quæ fecerunt, nimis confidunt, cum magis ea quæ retro sunt deberent oblivisci, et se in anteriora extendere. Statuentes enim ante oculos
C suos quomodo vitia reliquerint, pugnaverint contra tentationes, majoribus fuerint sociales, quomodo demum disciplinam tenuerint, et portaverint pondus diei et æstus, eo ipso se dignos æstimantes in charitate tepere incipiunt, et dissoluti esse in disciplina et circa vitæ terminum cum ferventiores spiritu esse debuerant pene frigidi et sine virtute inveniuntur. Non sic certe exul qui tendit ad patriam, qui semper fortius iter agit donec perveniat: non operarius diurnus, qui continue laborat donec opus diei perficiat: non sic sitiens, qui fontem aquæ desiderat, quousque perveniat ad illum. Sed neque anima Deum sitiens cessare debet a cursu boni operis, quousque ad eum perveniat, quo frui concupivit. A latere vero cœlum respiciunt, qui propter
D bona temporalia et voluptates vitæ istius, in quibus quietem sibi habere videntur, Deum venerantur, largiuntur eleemosynas, et ecclesias frequentant, magis devoti Deo pro eo quod acceperunt, quam pro spe vitæ æternæ quam minus diligunt. De quorum numero Satan beatum Job existimans dixit: Nunquid Job frustra timet Deum? Operibus manuum ejus benedixisti, et possesso ejus crevit in terra (*Job* I); quasi diceret: Qui tot bona a Domino in terra accepit, non est mirum si pro eis innocenter se gerit. Qui ergo sic a latere Deum respiciunt, nequaquam visum mentis per viam dirigunt quæ ad Deum conducit. Via enim recta est, ut per illos labores, incommoda, persecutiones, et injurias sustineamus: quia a deliciis ad delicias tendere iter

omnino tortuosum est, nec viatorem aliquando ducit ad metam salutis.

Directe ergo ante faciem nostram cœlum nos respicere oportet, ut faciem, oculos, aures, os, manus, et pedes ad Deum convertamus : faciem ipsam, cognoscendo, oculos; mentis intentione in ipsum dirigendo, aures obediendo, os recta et bona loquendo, manus justa operando, pedes bona cogitando : nec aliquod membrum nostri corporis desit in ministerium sui Creatoris. Ut quid enim recta via non ambulemus? Siquidem et laboris præmium, et contra pericula subsidium a sanctis Dei nobis proposita sunt. De ipsis enim dicitur : quia lucent in firmamento cœli, et illuminant terram : lucere respectu luminis, illuminare respectu illuminati dicitur. Lucent ergo sancti Dei, quia claritatem visionis Dei jam assecuti sunt. Illuminant terram, dum miraculis, eruditione, conversatione, in terra peregrinantes informant, ut sic eorum exemplo et cœleste speremus præmium, et ab ipsis habeamus sanctæ vitæ documentum. Quis ergo tam inops est recti consilii, ut a paupertate non festinet ad sufficientiam, a tristicia ad lætitiam, ab angustiis ad voluptates? Hæc enim tria sanctis in præmium reposita sunt, videlicet æterna satietas de qua dicitur : Satiabor cum apparuerit gloria tua (*Psal.* XVI). Interna jocunditas, de qua scriptum est : Exultent justi in conspectu Dei (*Psal.* LXVII). Jocunda voluptas, de qua dicitur : Delectationes in dextera Dei usque in finem (*Psal.* XV). Ut qui in hac vita pro Christo fuerunt miseri, in illa vita recipiunt omnium bonorum sufficientiam, qui pro eo luxerunt perfectam consequantur lætitiam, et qui pro eo calamitates passi sunt, ibi delitias possident sempiternas, præstante Domino nostro Jesu Christo, cujus regnum et imperium permanet in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XLIX.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Duæ pennæ singulorum jungebantur, et duæ tegebant corpora eorum (*Ezech.* I).

Verbum quod audistis, fratres, et lætitiæ materiam in se continet, et doloris. Quod enim animalium illorum corpora pennis tegi dicuntur, indicium est infirmitatis : quod autem reliquæ jungebantur, signum est futuræ glorificationis. Quoniam ergo in vita præsenti mens peccati conscia opus habet protectione, monemur universi per verbum istud infirma nostra tegere, ne nudi appareamus, ut in futuræ illius vitæ gloria expediti, pennas assumamus præparatas non infirmitati, sed consummatæ sanitati. Anima igitur adhuc infirma pennis opus habet, non quibus volet, sed quibus se tegat et muniat, ut adhuc fragilis corpore, mente lubrica, dissidens moribus, errore implicita, ad studia iners, ad voluptates prona, tarda ad sapientiam, velox ad impietatem : de præteritis nuda, de præsentibus exigua, de futuris incerta, de nativitate rea, de vita labori et dolori addicta.

A Dantur itaque ei duæ alæ in hac vita sua, quibus nuda sua possit tegere, videlicet intellectus Scripturarum, quo se muniat per cognitionem veritatis, et speculatio creaturarum qua se muniat per vinculum charitatis. Sub his pennis manus habere debet, ut et cognitionem Scripturæ, et dilectionem creaturæ approbet semper testimonio boni operis, prius exercitio et labore ambulet, postmodum volet : quia prius laborandum, postmodum vero bravium accipiendum est. Sic prius occurrit Domino Martha, quam Maria : sic prius datur lex servitutis, quam lex libertatis : sic prius habitatur in Sion, quam in Jerusalem : sic prius nubit Lia quam Rachel : sic prius Petrus, quam Joannes a Domino vocatus est : sic demum a læva transitur ad dexte-

B ram : quibus omnibus demonstratur per exercitationem præsentis vitæ ad futuræ gloriæ quietem esse transeundum. Proponitur itaque homini divina lex, ut juxta illam informet vitam suam, et ambulet in ea, pennæ duplici ratione comparata. Duo etenim in penna considerantur, venustas et utilitas : venustas, quia ornat ; utilitas, quia protegit. Eodem modo mandata Dei venustatem habent in luce scientiæ, utilitatem in mandatorum adimpletione.

Diligens ergo scrutator mandatorum Dei primo in lege Domini debet illuminare intellectum suum, ut sciat qualis sit, quid desit sibi, quanta infirmitas propria, quis defectus virtutum, quam longa miseria, quam brevis consolatio, quot debet Domino suo,

C et quam pauca potest restituere. Istæ enim sunt divitiæ filiorum Adam a die nativitatis suæ usque ad diem sepulturæ suæ. O quam vilis thesaurus iste, quam reprobata pecunia ei qui decem milium talentorum debitor est, nihil nisi iram et indignationem sibi omnibus diebus thesaurizasse! Quid factura, o misera anima, quando reddes rationem negociationis tuæ? Respice adhuc ad thesaurum scientiæ tuæ, si forte aliquid ibi invenias quo possis hoc debitum redimere. Est ibi forsitan aliquid tibi admodum utile, quoniam scriptum est : Qui apponit scientiam, apponit dolorem (*Eccl.* I). Hoc probatæ monetæ denario filius ille prodigus, qui dissipaverat bona sua vivendo luxuriose, defraudatam pecuniam patri suo restauravit, dicens : Pater, peccavi in cœ-

D lum et coram te, et non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum ex mercenariis tuis (*Luc.* XV). Hunc denarium doloris repone in marsupio conscientiæ tuæ, hunc foris ostende per studium, intus per affectum, et a te ipso tormentis et cruciatibus exige, quod de commissa pecunia Domino tuo defraudasti. Certe si rogas ignoscit, si doles miseretur, si plangis et ipse parcit, si aperis ipse tecum commorabitur : quia ejus delitiæ sunt esse cum filiis hominum. Et in hoc præcipue divinæ legis tibi commendatur utilitas, ut ipsum qui docet illum tecum habeas commorantem.

Quod si diligenter velis intueri, triplici via tibi divinæ legis commendatur utilitas, scilicet per zelum, studium et affectum. Zelum intellige compunctionis,

studium operationis, affectum devotionis: ut per zelum compunctionis, quasi gladio, veterem hominem in te occidas, per studium boni satisfacias, per affectum vero ei semper adhæreas, quem expectas in præmium, ut nulla rerum temporalium ambitione retarderis quo minus festines, quo minus impetres, quo minus denique curras ut comprehendas. Sed hanc divinæ legis pennam quidam habent tantum ad venustatem, alii vero habent eam ad utilitatem. Ad venustatem illos habere eam dixerim, quibus mysteria Scripturarum sunt pervia, non latent eos præcepta virtutum, non prohibitiones vitiorum. Sed in his omnibus magis volunt illuminare intellectum, quam affectum mundare, non se legi inclinantes, sed potius legem sibi: non cor in lege, sed legem in corde retinentes: de mandatis Domini facientes non medicinam, sed pecuniam. Ut quid, o anima misera, mensa divinæ legis coram te in laqueum facta est? Ut quid fontem scaturire aspicis, et aquam non bibis? Ut quid favum in ore tenens, ceram conteris, abjiciens mellis dulcedinem? Utile tibi erat, ut juxta mandatum Domini sumeres librum istum et devorares illum, ut faceret amaricare ventrem tuum, et in ore tuo fieret dulcis tanquam mel (*Apoc.* x). Sumere certe debueras librum divinæ legis, et sancta meditatione devorare illum, ut in ore memoriæ dulcis fieret dum ventrem infirmæ conscientiæ ad amaritudinem compunctionis provocaret. Sicut enim speculum intueri et non componi, sicut ignem respicere et non calefieri, aut certe escam præparare et non refici, nihil habet in se utile: sic et in lege Domini nisi his solis, qui memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea. (*Psal.* cx). Intellectus enim bonus est facientibus eum. Sed o utinam hi tales velint meminisse Samaritani illius misericordiam, diligentiam stabularii, usum duorum denariorum (*Luc.* x)! Æstima quia et ipsi duos veteris et novæ legis denarios non reponerent in pecuniam, sed potius ægroto apponerent medicinam. Nonne profanum valde æstimares, si videres aliquem affectum veneno secum portantem antidotum, si non utatur illo? Clamat Apostolus omnem legem Domini eruditus nihil se scire nisi Dominum Jesum et eundem crucifixum (*I Cor.* II). Et Ezechiel de spiritali templo spiritaliter loquens: Quanto, inquit, erant altiora, tanto erant humiliora, hoc spiritu significante, quod quanto quis altiora percepit dona gratiarum, tanto humilior esse debet conversatione: ne inde oriantur vulnera, unde provenire debuit medicina.

Sicut enim qui bene vivit et bene docet, alium instruit quomodo vivere debeat: sic bene docens et male vivens, Deum instruit quomodo se condemnare debeat. Sic olim Urias Ethæus a David destinatus in prælium, epistolas mortis suæ secum ferens, ubi fortior erat belli impetus, occubuit: quia quilibet in Ecclesia Dei qui lucem divinæ cognitionis accepit (sic enim interpretatur Urias, lux mea Deus) sententiam suæ damnationis secum portat, dum legem Dei, quam corde, quasi in arca clausam tenet, foris opere non vult adimplere.

Sunt alii quibus mandata Dei potius ad utilitatem libet intueri, recte comparati columbæ residenti juxta fluenta plenissima: quia sicut illa in aspectu fluminis præcavet accipitris insidias, sic et isti insidias diaboli, delicias mundi, carnis illecebras, per mandata Dei præcavere utuntur, studiosi semper ad prosequenda illa quæ lege Domini vident sibi imperari, et ne hostis domesticus in aliquo eos retardare possit, corpus suum servituti subjiciunt, carnem suam crucifigentes cum vitiis et concupiscentiis. Vis ergo videre exempla, præsto sunt. Juxta hæc fluenta sedebant illi, de quibus dicitur: quod erant incedentes in omnibus mandatis Domini et justificationibus sine querela. Juxta hæc fluenta etiam sedebat Daniel propheta, cui Babylonii occasionem invenire non poterant, nisi tantum in lege Dei sui. Sic et ille qui dixit: In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi (*Psal.* CXVIII).

Isti comparantur a Joanne ligno afferenti fructum, cujus folia sunt ad sanitatem gentium: Ostendit, inquit, mihi flumen aquæ vivæ splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni. et ex utraque parte fluminis lignum afferens fructum, et folia illius ad sanitatem gentium (*Apoc.* XXII). Ligna quippe ex utraque parte fluminis posita, sanctos viros designant meditantes in utraque pagina Veteris et Novi Testamenti. Flumen enim mandata divinæ legis significat, fructus ligni exempla bonorum operum, folia verba exhortationum accipiuntur. Quæ tunc sunt ad sanitatem gentium, cum ea quæ per verba exhortationis aliis proponimus in nobis ipsis exemplis bonorum operum attestamur.

Speculatione vero creaturarum, quam secundam diximus alam, quia operiendæ infirmitati nostræ necessariam, ut tamen creaturæ nomine homo intelligatur, quasi cujusdam alæ expansione duobus modis nuda nostra protegimus, videlicet vinculo charitatis, exhibitione reverentiæ et timoris, quorum primum est ad subsidium necessitatis, alterum ad custodiam humilitatis. Vinculum siquidem charitatis ad subsidium necessitatis ideo esse dixi, quia nullus adeo sibi sufficiens, adeo nullius indigens est, qui hic charitatis vinculis cæteris non egeat copulari. Nam quamvis primo loco diligendus sit Deus per affectum dilectionis, magis tamen proximus diligendus in multis secundum exhibitionem operis. Adeo quippe charitas nobis erga proximum servanda est per exhibitionem operis ut etiam ab oratione, a sancta meditatione, ab hymnis et canticis spiritalibus cessare debeamus imminente proximi necessitate. Ecce ante mensam Domini oculis ac manibus in cœlum te intentum constitue, si videris Christum in paupere fame mori, nunquid non panem dabis illi? si fratrem tuum lecto decumbentem, in agone positum, non visitabis illum, vel eum cadentem in foveam non sustinebis illum? Facies utique, quia tibi alligatus est charitatis vin-

culo : nec, te præsente, corruere potest, nisi tu cum eo corruas, maxime si potes eum sustinere. Hujus exempla plurima sunt in sanctis martyribus, vivum nobis charitatis relinquentibus exemplar. Cum enim securi divinis colloquiis et oratione sibi soli vivere possent, elegerunt tamen prodesse aliis, exhortari, docere, sanguinem suum fundere, ut vitam illam beatam quam sibi solis in pace poterant quærere, vinculo charitatis astricti, per tormenta passionis aliis communicarent.

Ex hac radice charitatis emanare debet exhibitio reverentiæ et timoris, ut eos quos tanto charitatis affectu amplecti tenemur exhibitione reverentiæ et timoris offendere timeamus. Quod etiam in illo beatorum spirituum principatu docemur facere, ad quorum normam præsens Ecclesia disposita est, qui se ipsos secundum summæ illius potestatis dispositionem honore præveniunt, inferiores singuli superioribus suis obedientes, id sibi a summo illo imperatore imperatum reputantes, quod a præsidente potestate angelica sibi fuerit imperatum. Nam si angeli dicerent archangelis, throni dominationibus, aut certe cherubin ad seraphin : Non tibi obediemus, nolumus te præesse nobis, putasne placeret summæ illi majestati? nequaquam. Propter hoc enim præcipitatus est rex ille superbiæ, quia voluit esse similis Altissimo (*Isa.* XIV), non participatione deitatis, sed similis, hoc est sine dominio sicut ille, ne alicui superiori exhiberet reverentiam debitæ subjectionis. Nunquamne legisti quoniam David Sauli divertenti in speluncam, præcidit oram chlamydis? Unde et postea seipsum vehementissime reprehendit : cum enim in Saule gradus superior, in David vero inferior, et in chlamyde potestas intelligatur, oram chlamydis præcidere est debitæ reverentiæ sui superioris aliquid detrahere (*II Reg.* XXIV). Quam David Sauli abstulisse se doluit, quando in eum cui reverentiæ honorem debebat aliquid præsumpsisse pœnituit. Sic olim dum arca Domini a Gabaa deferretur in Jerusalem, dum arca inclinatur, Oza Levites manum apposuit, et ideo a Domino percussus interiit. Ubi per arcam prælati, per Ozam subditi accipiuntur. Arcæ vero inclinatæ Oza manum adhibet, dum prælatis aliorum ætati sive infirmitati condescendentibus subditus obviare præsumit. Ideoque a Domino percutitur, vel in præsenti ad correctionem, vel in futuro ad damnationem. Expedit ergo magis ut penna charitatis velemus infirma propria, sustineamus aliena, ne nudi appareamus cum id, quod mortale est, in nobis absorptum fuerit a vita : et pennæ illæ assumendæ sunt, quibus non protegi, sed sublevari necesse erit.

Et videntur istæ pennæ ipsum caput nostrum ad cœlos extulisse, quas si cognoscere desideras, ipsæ sunt innovatio naturæ, et consessus dexteræ. Ipse etenim Redemptor noster has alas primus assumpsit nobis in futuro eas collaturus, quando similes ei erimus. Unde et in Apocalypsi alæ aquilæ magnæ dicuntur, ubi scriptum est : Datæ sunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum locum : per aquilam Christum, per mulierem fidelem animam, per desertum cœlum volens significare. Hæc autem naturæ innovatio quæ erit in corpore, si ad naturam corporum respicimus, secundum elementa hujus mundi probatur attendenda. Videmus enim quod terra in præsenti ponderositate sua corpus aggravat, aqua humorum inæqualitate infirmat, aer spirandi necessitate affligit, ignis caloris immoderantia consumit. Ista ergo innovari necesse erit, non tolli de medio, ut non infirmitas quæ aggravat, sed naturæ veritas integra reformetur, sicut Dominus ait : Capillus de capite vestro non peribit (*Luc.* XXI). Habebunt ergo tunc corpora mortis hujus, imo vere mortua ab elementis hujus mundi, naturæ veritatem, non corruptionem, videlicet ut sint a terra palpabilia, ab aqua mobilia, ab aere levia, ab igne vero splendida. Magis tamen ab aere et igne accipient quam de reliquis, quia levitas eorum levitati cogitationum, et splendor ipsorum splendori stellarum comparabitur : dicente Apostolo : Stella differt a stella in claritate, sic et resurrectio mortuorum (*I Cor.* XV).

Sicut e contra reprobi, qui dilexerunt terrena super omnia, et passionibus concupiscentiarum se subdiderunt, de his inferioribus elementis, terra scilicet, et aqua, magis accipiunt ut in his quæ passionibus magis sunt accommoda corporum recipiant passiones. O quam infelix illa anima quæ triplici carcere, videlicet conscientiæ, corporis, et gehennæ torquebitur, ut nec intus sit sine angustia, nec foris sine pœna : cui immortalitas in essentia et possibilitas semper durabit in pœna : nec aliquod illius muneris accipiat, quod sanctis in impassibilitate conferet superni gratiam largitoris. Et erit impassibilitas et immortalitas supra naturam mirabilis, quibus vita et essentia, imo totus naturæ cursus erit naturalis, ut ipsa natura de sua integritate gaudeat, et in eo quod amplius accepit, in amorem largitoris amplius inardescat.

Sed huic reformationi nostræ naturæ accedet consessus dexteræ, qui consistit in plenitudine cognitionis, dilectionis, et jocunditatis : ut nec cognitio erronea, nec dilectio illicita, vel jocunditas tristia admittere possit. Ibi enim scientiam informabit justicia, ne sit elata : ibi charitatem diriget scientia, ut sit ordinata : ibi jocunditatem producet indeficiens æternitas, ne aliquo doloris nubilo quandoque possit obfuscari. Omnia ergo bona animæ in se nunc diversa in Deo tunc erunt unita, ut cognitio diligat et charitas cognoscat, et uno affectu in Deo finiantur omnia, quæ unum finem Christum sibi constituerunt. Hoc est quod mundi philosophus animam constare dixit ex dividua et individua substantia, ex eadem et diversa natura, quia et nunc divisos affectus habet, ad diversa se applicans : sed indivisæ sive ejusdem naturæ erit, dum cognitione et amore in Deum tota intendens, uno virtutum affectu in illo erit unita.

Unde etiam et Dominus omnes virtutes animæ, quibus Deo fruendum est, propter identitatem affectus sub uno cognitionis nomine comprehendit dicens: Est autem, inquit, vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, et quem misisti Jesum Christum (*Joan.* XVII). O si quando illius scientiæ veniat copia, cujus usus non ad investigationem, sed potius ad beatitudinem spectat: non enim illa scientia quæstiones involvit, non regulas proponit, non causas rerum naturalium, vel obscura manifesta facit, quia id solum ibi tenet scientia, quod facit ad fruitionem jocundæ illius beatitudinis. Triplex perfectio scientiæ ibi est, scilicet Creatoris, ut per creaturæ dignitatem laudemus Dei sapientiam: restaurationis, ut per assumptæ humanitatis opera laudemus Dei bonitatem: deitatis quoque perfecta erit ibi cognitio, ut in illa veneremur Dei majestatem. Ecce audivistis, fratres charissimi, qualis sit ille consessus dexteræ, qui sanctis omnibus repromittitur, quem accepit Christus, accepit et beata virgo Maria, accipiet et universalis sanctorum Ecclesia, sed differenti modo. Sedet enim Christus a dextris Patris, sed ipse solus sedet etiam in dextris Filii beata Virgo, sed ipsa sola. Ceteri vero sancti erunt omnes quidem a dextris ejus, sed non sedebunt a dextris ejus. Sedere enim a dextris Patris, hoc est esse æqualem vel esse in potioribus ejus bonis, quod solus Filius ejus accepit. Sedere in dextris Filii est præ cæteris, affluere charismatum donis, quæ singulariter accepit beata Dei Genitrix. Esse vero a dextris Dei, est participem esse illius gloriæ, sicut scriptum est: Tunc dicet rex illis qui a dextris ejus erunt (*Matth.* XXV). Hoc autem erit commune omnibus eis qui ad cœnam Regis æterni vocati sunt. Erunt ergo omnes beati a dextris Filii, imo sedebunt omnes ad dexteram ejus, non a dextris, attestante qui dicit: Sedere ipso Filio ad dexteram meam vel ad sinistram meam non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo (*Matth.* X). Sedere enim ad dexteram, ad gloriam spectat: sedere a dextris, ad gloriæ præminentiam, quam Christus hodie Matri suæ contulit, dum eam extulit super potestates angelicas. Ubi illa sedet regina beatorum spirituum, et mediatrix peccatorum semper interpellans pro nobis, ut et nos accipiamus eundem consessum dexteræ, quem ipsa accepit hodierna die migrans a corpore, quem nobis præstare dignetur Dominus noster Jesus Christus. Amen.

SERMO COMMUNIS L.

IN DIE OMNIUM SANCTORUM.

Reddet Deus mercedem laborum sanctorum suorum, et deducet illos in via mirabili (*Sap.* X.). Audiant verbum hoc omnes qui voluntarie pressuras mundi hujus sustinent, qui participes sunt pœnitentiæ et tribulationis Jesu. Audiant, inquam, verbum hoc et consolentur, quia finis laborum pariter et merces eis repromittitur non qualiscunque, sed quam præparavit Deus diligentibus se. Quid preciosius, quid appetibilius, quid majus hac mercede promitti potuit, pro qua sancti martyres, et alii justi certaverunt usque ad mortem, qua etiam sancti omnes qui regnant cum ipso præmiati sunt. Vos ergo qui intus vobiscum aliquid boni agitis, et propter verba labiorum ejus custoditis vias duras, non vos pœniteat laboris hujus: quia vita brevis est, laboris venit finis, supremus ille Judex imminet ut reddat mercedem laborum sanctorum suorum.

Mercedem, inquit, *laborum*. Laborant in seculo quibus vita ista dulcis est, laborant et illi quibus vita ista amara est. Quibus vita ista dulcis est laborant agendo, licita operatione providentes quid comedant, quid bibant, et corpori quo induantur, et hæc omnia ut seculo isto diu potiantur. Sed labor istorum reprehenditur Domino ubi dicit: Nolite solliciti esse quid manducetis vel quid bibatis, aut quo induamini (*Matth.* XV). Scit enim Pater vester quoniam his omnibus indigetis. Quibus autem vita ista amara est laborant patiendo, sicut laboraverunt sancti illi, qui fuerunt eculeo distenti, rigoribus algidi, carceribus squalidi, sanguine perfusi, plagis lividi, inedia macerati, ad ultimum morte consummati: et hæc omnia ut ab hoc seculo citius exciperentur.

Reddet ergo Deus mercedem laborum sanctorum suorum, illis qui in voluntaria sui afflictione, aut in violenta persecutione impiorum patientiam Domini Jesu imitati sunt. Non blandiantur igitur sibi homines criminosi, tanquam ipsi mercedem suam recepturi non sint, quia sicut Deus reddet mercedem justis, ita et injustis. Imo secundum quatuor genera hominum, quatuor mercedum genera inveniuntur. Est enim merces immoderate bona hujus seculi amantium, est merces enormiter mala hujus seculi committentium, est merces juste et pie in hoc seculo viventium, est et merces cum Deo regnantium. Prima merces est temporalis beneficii, de qua dicitur: Receperunt mercedem suam. Secunda est æterni supplicii, de qua dicitur: Secundum opera manuum eorum tribue illis, redde retributionem eorum ipsis. Tertia est spiritalis gratiæ, de qua ipse Dominus dicit: Qui reliquerit domum, vel agros, filios, aut parentes propter me, multo plura accipiet in præsenti seculo, et vitam æternam in futuro (*Matth.* XIX): per multo plura, dona gratiarum quæ sanctis in hac vita conferuntur, volens significare. Quarta vero merces est æternæ gloriæ, de qua dicitur: Ecce enim merces vestra multa est in cœlis (*Matth.* V). Quam multi homines sunt in hoc seculo vigilias multas, orationes et eleemosynas, et alia pietatis opera facientes, qui dum pulchritudinem creaturarum hujus mundi et earum delectationes attendunt, statim concupiscentia oculorum suorum capiuntur in eis, et velut patriam de exilio facientes, temporalia bona super omnia appetunt et diligunt, quæ tantum ad necessitatem in obsequium divinum illis collata sunt. Quare hoc? quia imaginem Dei, qui summe pulcher est, in seipsis non vident, et decorem amantis suo oculo excæcato intueri non possunt: quem si aspicerent, utique om-

nia ista exteriora contemnerent, quæ etiam ex suo defectu cito prætereunt, aut novis supervenientibus illorum comparatione vilescunt. His ergo hominibus dat Deus mercedem bona temporalia, quæ summo studio appetunt, ut in ipsis bona quæ faciunt, remunerentur. Sed væ illi infelici animæ, quæ in fine mundi, sanctis omnibus regnum percipientibus, pro consolatione auditura est: Recepisti mercedem tuam. Sed et illorum qui mala hujus mundi enormiter committunt, infinitus est numerus, quorum exempla sunt fures, prædones, fornicatores, immundi, Simoniaci, ambitiosi, et multa hujuscemodi monstra hominum, qui toto extincti spiritu festinant in interitum, ut sepulti in vitiis suis non adjiciant ultra ut resurgant. Quomodo enim resurgerent, qui scelera sua non abhorrent et quodammodo insensibiles effecti, etiam seipsos non sentiunt: propterea nec compunctione scinduntur, nec confessione lavantur, nec pietate molliuntur, non moventur precibus, non cedunt minis: imo si aliquando eos corripias, deteriores efficiuntur. Quæ creatura propter hoc non miretur? Ecce homo ad imaginem Dei factus Patrem suum in cœlis non agnoscit, et filii indignus nomine, cœlestem patriam jure hæreditario sibi debitam contemnit quærere et possidere: et toto studio in infernum demergitur, ut partem cum illis habeat, de quibus scriptum est: Dominabuntur eorum justi in matutino, et auxilium eorum veterascet, in inferno a gloria eorum (*Psal.* XLVIII). Plangite ergo, omnes angeli Dei, et vos animæ justorum concives vestros perditos, qui in regno Dei domestici vestri, et cohæredes Christi esse debuerant: quoniam, relicta terra promissionis, Pharaoni in luto et latere et palea servire decreverunt, et tanquam inter mortuos computati, deleti sunt de libro viventium, et cum justis non scribentur. Resipisce, anima misera, et vel sero convertere ad Dominum Deum tuum, quia sicut maternus affectus sordes infantuli sui non abhorret, ita Christi pietas non abhorret scelera tua dummodo ab illis velis mundari. Trahat te sursum signaculum naturæ, quia ad imaginem Dei factus es: trahat te sursum commissum fidei, quæ in specie bona invisibilia tibi repromittit. Quod si claustralis es, trahat te sursum titulus tuæ professionis, cujus vinculis ad servitium Dei mancipatus es. Si hæc omnia te non movent, respice ad corpus tuum fragile, vas luteum, dicet enim tibi quid te oporteat facere.

Ecce enim corpus tuum dignitatem conditionis suæ servans sursum erigitur, oculos ad cœlum levat, manus utrasque extendit ad Dominum, ut his omnibus te moneat desiderio ad cœlum aspirare. Obstupescite, cœli et omnes qui habitatis in eis, quoniam caro infirma quodammodo dedignatur consortium sui spiritus, quem tanta ignobilitate a sua dignitate videt degenerasse. Transeamus modo ad pie viventes in hoc seculo, qui et ipsi gemina mercede donantur, una in præsenti, altera in futuro. Accipiunt enim viri justi in hac vita dona gratiarum pro mercede ad consolationem, ne in tribulationibus deficiant, quod fit quando accenduntur charitate, quando tanguntur dulcedine devotionis, quando sursum rapiuntur ad eminentia contemplationis, multisque aliis modis quibus roborantur, ut pressuras hujus mundi possint sustinere. Quomodo enim nisi gratia Dei confirmati sancti martyres, et alii justi in causa Dei tam constantes esse potuissent, ut gladio imminente cervices flecterent, aperto carcere nollent evadere, mortem ultro appeterent, persecutores provocarent? Illud interius utilius erit considerare, qui gratia Dei in hac [via] præventi sunt, quibus modis vitam suam regere debeant, ut ad mercedem æternæ gloriæ possint pervenire.

Omnis ergo vir bonus recte Deo militans circa vitam suam quatuor circumspectiones habere debet. Primo, ut in expectatione finis sui sit suspensus: secundo, ut pro satisfactione peccatorum suorum sit timoratus: tertio, ut in opere Dei sit devotus: quarto, ut in multiplicatione talenti sit solicitus. Debet, inquam, esse in expectatione finis sui suspensus, et quia hora mortis nil est incertius, dicere in corde suo: Ecce dies mei prætereunt, hodie vel cras moriar, venit jam Judex ille supremus. Vigilabo ergo, vigilabo, præparabo me in occursum ejus, ne cum venerit inveniat me imparatum. Vigilabo prima noctis vigilia, ut præterita peccamina dolore et pœnitentia diluam: vigilabo secunda noctis vigilia, ut per bona opera Deo meo satisfaciam: vigilabo tertia noctis vigilia, ut caute in futuro similia non committam. Quod si venerit in prima vigilia, et si in secunda vel tertia venerit, et ita invenerit, beatus est servus iste. Debet etiam vir justus pro satisfactione criminum suorum esse timoratus, dicens intra se: O quoties Deum offendi, quot crimina commisi, credo quia nondum plene confessus sum, nondum satis planxi, adhuc projiciam me ad pedes Domini, et cum Publicano percutiam pectus meum, cum Petro negante flebo amare, ut ubertate fletuum abluam maculam peccati mei. Sit etiam vir bonus in opere Dei devotus, ut in omni actione sua, quam propter Deum facere [debet], affectu devotionis ad ipsum respiciat, ne opus Dei maculent prava desideria, curiositas et vana gloria confundant, sed potius ad illum dirigatur operis intentio, a quo expectat operis retributionem.

Sane affectus devotionis oculus animæ est, quo ad Deum respicere debet, de quo dicitur: Melius est tibi cum uno oculo intrare ad vitam, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis (*Matth.* V). Imo potius duo sunt animæ oculi, videlicet intellectus, et affectus, quorum altero, id est intellectu Deum videre debet per cognitionem, altero, id est affectu, per devotionem. Primus ergo animæ oculus illos scandalizat, qui cum multa de Deo cognoscant, prava conversatione ab ipso recedunt, de qualibus scriptum est: Qui cum cogno-

vissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, et ideo stulti facti sunt et evanuerunt in cogitationibus suis (*Rom.* I): quibus utique melius esset uno oculo, hoc est simplici affectu devotionis ad vitam intrare, quam duos oculos habentes mitti in gehennam ignis.

Multiplicatio etiam talenti necessaria est his, qui volunt ad vitam intrare. Talentum est omne Dei donum, sive corporale sive spiritale, quo homo salutem suam potest operari, quod tanquam pecuniam suam Dominus nobis committit, ut exinde a nobis usuras bonorum operum recipiat: sicut de servis fidelibus in Evangelio legitur (*Matth.* XXV), quoniam alius quinque talenta, alius duo superlucratus est. Sed sicut pecunia est a Domino, ita et usura bonorum esse a nobis debet. Qui ergo accepit divitias hujus mundi, sit solicitus in subveniendo egenis: qui potentiam, in subveniendo oppressis; qui accepit justitiam, in causa Dei det rectum judicium: qui prudentiam, det bonum consilium: qui charitatem, ostendat eam per exhibitionem boni operis: ne si in aliquo Dei dono multiplicando minus sit solicitus, improperium servi illius nequam audiat a Domino: Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut cum usuris utique exegissem illam (*ibid.*). Quoniam ergo continuatio bonorum operum necessaria est, nemo in præterita vita sua confidat, dicens: Fortiter operatus sum, modo quiescam. Fortis enim David, qui ursum et leonem manu propria interfecerat: blanditiis mulieris dejectus est Sampson, qui in mandibula asini mille viros stravit, oculis orbatus, privatus virtute ad molam ductus est. Filius mulieris viduæ, quem Helias suscitavit, in multa sanctitate nutritus, in sinu mulieris defunctus est. Quibus omnibus significatur quoniam multi bene inchoantes miserabiliter consumantur, et propterea multiplicatio talenti usque in finem exigitur Salomone dicente: Quicquid potest manus tua, incessanter operare (*Eccle.* IX), et maxime Domino præcipiente: Negotiamini, dum venio (*Matth.* XXV). Qui istis circunspectionibus vitam suam munierit, sicut a laboribus sanctorum alienus non est, ita et mercedis illorum particeps erit. Sed quid est illud gloriæ, quod in mercede sanctorum justi in hac vita tantum desiderant, quo in futura tanto cumulo felicitatis beatificantur.

Tria plane summe bona in illa mercede electi præstolantur, videlicet summam voluptatem, internam sacietatem, æternam jocunditatem. Tria dico summe bona, propter triplicem fruitionis experientiam, non propter rei essentiam, secundum quam unum solum summe bonum est, secundum quem modum septem dicuntur beatitudines, cum non nisi una beatitudo sit. Habent enim sancti in cœlesti patria summam voluptatem, ut deliciis Dei fruentes nulla amplius amaritudine exasperentur. Sicut scriptum est: Delectationes in dextera Dei usque in finem (*Psal.* XV). In sinistra Dei, hoc est in præsenti vita, sunt quædam delectationes, sed

A non usque in finem: quia omnis delectatio vitæ istius amaritudine terminatur. Sed in dextera Dei delectationes sunt usque in finem, amaritudinem consummantem, non deficientem, eo quod nulla amaritudine subsequente finiantur. Est enim finis sub fine et finis extra finem, sicut scholares dicere solent. Habent etiam sancti internam sacietatem, quia replentur in bonis donis Dei, et omne desiderium suum in seipsis habentem nullius rei defectu angustiantur. De hac societate Propheta dicit: Satiabor cum apparuerit gloria tua (*Psal.* XVI). Et in Canticis: Comedite, amici, et inebriamini charissimi (*Cant.* V). Lætantur etiam æterna jocunditate, quæ nullo dolore vel tristitia minui vel auferri possit, de qua Dominus in Evangelio

B dicit: Tristitia vestra vertetur in gaudium, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis (*Joan.* XVI). Erit autem voluptas in dulcedine mentis, satietas in visione Dei, jocunditas in plenitudine divini amoris. Una tamen merces omnium Christus erit, qui erit voluptas in mentis dulcedine, satietas in visione Dei, jocunditas in plenitudine divini amoris, ut sic impleatur quod scriptum est: Erit Deus omnia in omnibus (*Ephes.* IV). Et quia Deus mirabilis in sanctis suis, tunc deducet illos in via mirabili.

Via ista Christus est de qua dicitur: Viam pacis non cognoverunt (*Rom.* III). Et alibi: Ego sum via, veritas et vita (*Joan.* XIV). Si enim opera re-

C parationis nostræ attendamus, Christus in omnibus mirabilis apparuit. Quod enim Deus incarnatus est, mirabile fuit: quod impassibilis passus, mirabile fuit: quod mortuus resurrexit, mirabile fuit: ergo deducet illos in via mirabili, quia a fide incarnationis ad imitationem suæ passionis, et ab imitatione passionis deducet illos ad præmium resurrectionis. Possumus tamen per hanc viam, transitum sanctorum ab hac vita in requiem intelligere. Si enim ingressus in hanc vitam recte dicitur via miserabilis, dum ad labores et miserias hujus mundi nascimur, et progressus in hac vita recte dicitur via difficilis, in qua Deo reconciliamur (arcta enim est via quæ ducit ad vitam [*Matth.* VII]), non incongrue via mirabilis dicitur egressus ab

D hac vita. Mirabilis ideo, quia insolita et nova, et omni mortali homini in hac vita incomparata, quia demum egressus ille fit miris et invisibilibus modis. Deducet ergo illos in via mirabili, qua a mundicia ecclesiasticæ puritatis ad consortium angelicæ subtilitatis, et inde deducet illos ad visionem incircunscriptæ deitatis, in qua sancti omnes requiescent a laboribus suis, regnant cum Deo et Agnus Dei cum illis, ipso præstante, cujus regnum et imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SERMO LI.

IN NON FESTO.

Fovit perdix quæ non peperit, fecit divitias et non in judicio (*Jer.* XVII).

Sicut invisibilia Dei a creatura mundi, per ea quæ

facta sunt intellecta conspiciuntur (*Rom.* I), sic et A suas in creaturis figuras, et similitudines filius perditionis habere dinoscitur, in quibus et per quas exemplum malitiæ ejus de aliis ad imitationem, aliis vero ad cautelam Dei sic disponente judicio, proponitur. Quod in uno perdicis nomine satis datur intelligi, qui naturam ejus et actus morali ædificatione velit interpretari. Sicut enim aiunt hi quos agitat talis labor, perdix ova aliena furatur, fovet, cum diligentia nutrit pullos, et educat tanquam suos, non metuit conscientiam sceleris : quin potius gloriatur cum male fecerit, et exultat in rebus pessimis. Sed cum usque in animam viventem ea produxerit, parvulique ætatis beneficio in robur evaserint, consilio naturæ dolum furtivæ illius matris deprehendunt, eaque derelicta, na- B turales quærunt parentes et inveniunt et agnoscunt, quos amplectantes amore ingenito, jam ultra vocari filii sub nomine adoptionis detestantur et contemnunt. In perdice itaque filius ille perditionis, autor mortis, inventor fraudis, caput totius malilitiæ nobis significatur. Qui ova aliena furatur, et fovet, nutrit, et possidet, dum homine a Deo factum, nihil sibi debentem fraudulenter seducit tentatione, fovet delectatione, nutrit malo opere, libere possidet desperatione.

Fovit, inquit, *perdix quæ non peperit.* Duæ sunt alæ ejus quibus non solum impios, verum etiam sibi adunare nititur electos. Prima est delectatio peccati, secunda desperatio pœnitendi : prima a C dextris, secunda a sinistris. Prima ad fovendum utitur, dum voluptatis delectatione anima intra seipsam quodammodo delectatur : secunda, cum difficultate laboris et asperitate pœnitentiæ, quasi desperatione victa quævis anima terretur, ut juxta verbum Apostoli : Ira Dei veniat in filios diffidentiæ (*Rom.* I). Et alibi Scriptura dicit : Maledictus homo qui peccat in spe. Primo per delectationem affectu illicito intus corrumpitur, postea sensualitas ad appetendum illicita excitatur, ad ultimum ratio per concupiscentiam devicta voluntati carnis subjicitur. Unde Jeremias conqueritur dicens : Vetustam fecit, inquam, pellem meam et carnem meam, contrivit omnia ossa mea (*Thren.* III). Pellem siquidem vetu- D stam facere est, veteris hominis desiderio, sive prava delectatione affectum animæ corrumpere : carnem vetustam facere est, sensualitatem quæ ex carne inest, secundum voluntatem carnis dirigere : ossa vero conteri, virtutes animi sive viriles motus rationis per desideria prava ad nihilum redigere. Eam vero quæ a sinistris est alam filius perditionis extendit, cum primo pœnitentiæ asperitatem, secundo carnis timorem, tertio virium imbecillitatem, quarto consummationis desperationem ante oculos ponit. Primo excitat negligentiam, secundo ingerit carnis curam, tertio desidiam, quarto pravi operis perseverantiam. Statuere ergo debet homo ante aciem mentis qui hujusmodi circumvenitur tentationibus Pauli sententiam, qua dicit : Quoniam si vetus homo noster corrumpitur, tamen novus de die in diem renovatur (*II Cor.* IV). Quanto magis enim laboribus et ærumnis, fame et siti exterius caro atteritur, tanto magis per consolationem spiritus et augmentum virtutum anima saginata in Dei amore solidatur. Unde Propheta non vetustatem, sed potius juventutem renovandam animæ suæ promittit dicens : Renovabitur ut aquilæ juventus tua (*Psal.* CII). Vetustas est quicquid ex carne contrahimus, juventus est quicquid a Deo per infusionem gratiæ accipimus. Ex quo nobis evidenter significare voluit, quia non secundum carnem, quæ de terra et in terram ibit, sed potius secundum spiritum, qui de sursum est, ambulare nos expedit. Ut ergo, o homo, ab his tentationibus possis eripi, ad ipsum recurre qui non permittit te tentari supra id quod poteris, et dicas : Sub umbra alarum tuarum protege me (*Psal.* XVI) : prius tege, ut inimicum lateam : postea protege, ne sustineam violentiam. Tege quantum ad meam iniquitatem, protege quantum ad tuam pietatem. Si enim non subvenis, fovet perdix quæ non peperit.

Primo fovet, secundo educit, tertio nutrit. Dum fovet, partus adhuc latet : dum educit, jam apparet : dum editos nutrit, fœtus manifestus est. In his si sit qui attendat, tria tentationum genera nobis sunt significata. Prima enim est occulta, secunda apparens, tertia manifesta. Prima est, cum offendimus et nescimus : secunda, cum partim culpam cognoscimus, partim ignoramus : tertia est, cum culpam cognoscentes libere peccamus, et tamen resistere non possumus. Prima igitur tentatione circumveniuntur illi, qui zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, qui dum nimio zelo obsequium se Deo præstare credunt, vineam in labruscam, argentum suum in scoriam convertunt. Dum enim omnes homines sibi similes secundum Paulum esse volunt, infirmos corripiunt, debiles impellunt, ea quæ charitate sustinenda essent, per impatientiam fratribus suis objiciunt. Audi quid tibi præcipitur (*Exod.* XXIII) : Si videris bovem aut asinum fratris tui cecidisse in via, non despicies, sed sublevabis cum eo. In casu asini infirmitas corporis, et in ruina bovis defectus bonæ operationis potest intelligi. Ne ergo despicias, sed subleves cum eo, quia corporali infirmitati fratris tui obsequio et solatio debes subvenire, et infirmitatem animæ exhortando, confortando qualiter potes, et verbo et opere curare. Sed nec aliter tu offerre potes sacrificium Deo gratuitum, cum etiam alio loco (*Deut.* XVII) præcipiatur tibi : Non offeres Domino Deo bovem, et ovem habentem maculam, aut quippiam alterius vitii : est enim abominatio Domini. In bove igitur operatio studiosa, in ove vero puri cordis innocentia intelligitur. Si ergo dum tibi innocens in oculis tuis videris, alienum servum in anima tua judicare præsumis, jam ovem habentem maculam, id est innocentiam tuam offers Domino

in sacrificium, et te reum trangressionis constituens, in ipsa tua oblatione facis te pœnæ obligatum. Similiter si dum te aliquid fortiter agere æstimas alios provocare, imo scandalizare volueris, jam obscuratur aurum tuum, mutatur color optimus: quia jam tuo sacrificio habente maculam, Non est tale sacrificium quod elegi, dicit Dominus. Ut si forte aliquis vestrum jugum Domini ab adolescentia sua portaverit, fortis robore, potens et pondus diei et æstus sustinere, consiliatur in locutorio, litigat in claustro, clamat in capitulo: hunc queritur minus psallere, illum plus quam oportet claustro abesse, alium horæ non interfuisse: et tanquam criminale aliquid commiserit, subversorem vocat ordinis, si forte processioni non interfuit, sicque evenit dum magister ordinis videri appetit, efficitur turbo et auctor murmurationis.

Meminisse igitur debet qui talis est illius patrisfamilias, qui peregre profectus divisit suis servis bona sua, unicuique secundum propriam virtutem: uni dans quinque talenta, alii duo, alii vero unum. Sunt itaque quinque talenta quæ Paterfamilias servis suis distribuit (*Matth.* xxv): Primum est ut possis, secundum ut velis, tertium ut diligas, quartum ut facias, ultimum ut perseveres. Quæ omnia uni tribuit, dum voluntate et possibilitate bene operandi concessa bene operatur quis ex dilectione, et in bono perseverans, in virum perfectum consummatur sine boni operis intermissione. Duo vero tribuit, dum quis habita bona voluntate bona quidem opera facit, sed dum possibilitate virium destituitur, ad perfectionem consummationis nequaquam pervenit. Is vero qui potest et non vult, est ille qui accepto uno talento abscondit pecuniam Domini sui, quam quia ad usuram non exposuit, ligatis manibus et pedibus in tenebras exteriores retrudi meruit (*Matth.* xxv).

Quilibet ergo acceptam pecuniam studeat multiplicare, nec ei qui minus accepit velit onerosus esse: ne si nimium curiose alienum servum judicare præsumat, sui ipsius immemor, de talentis acceptis in reditu Domini sui rationem reddere non valeat. Sed et hoc potest contingere, quia si ille est fortior corpore, ille quem causatur sit sanior mente: si hic clamosior in choro, ille devotior in cordis cubiculo: hic per impatientiam in diversa scinditur, ille habens patientiam in infirmitatibus suis gloriatur: hic per superbiam omnibus se anteponit, ille per humilitatem omnibus se subjicit. Probemus igitur, fratres, spiritus utrum ex Deo sint an non. Si videamus nos habere æmulationem Dei, advertamus an sit secundum scientiam, si surgit calumniandi motus in animo, consideremus originem unde surgat, attendamus finem ad quem tendat. Investigemus in nobis an si in statu illius quem arguimus constituti essemus, nos de similibus juste calumniari possemus: et sic proprio judicio animi possumus dicere, quam fraudulenta sit ista inimici tentatio, qua nos impugnat tam occulte.

A Est alius tentationis modus, qui fit quasi a latere: quod a latere nobis est partim videmus, partim non videmus simili sunt quædam tentationes diaboli, quas quidem advertimus, quoniam vitium est talia agere, sed quoniam non esse mortalia arbitramur, negligimus ea corrigere: potius respicientes Dei misericordiam quæ remittit, quam ejus justitiam quæ pro offensis juste punit. Ut si forte homini abjicienti seculum in furore mentis suæ gratia intelligendi Scripturam data fuerit, si acumen ingenii in divisione gratiarum acceperit, frequenter plus appetit revolvere numerum quæstionum quam librum confessionum: plus versutias sophismatum inquirere, quam ruinas mentis circuire: frequentius disputare, quam orare: plus le- B gere quam canere, et (ut breviter dicam) legem vult habere in corde, non cor in lege: verba ejus bestiali more ruminans, saporem spiritus intus nequaquam sentiens. Cui recte dicitur: Hic homo labiis me honorat, cor autem ejus longe est a me (*Matth.* xv). Et alibi: Et cor ejus non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento ejus (*Psal.* LXXVII). Nolite ergo errare, fratres, Deus non irridetur, sicut scriptum est: Scrutans corda et renes Deus (*Jer.* XVII).

Loqui enim aliud in corde, et aliud ore promere, falsitatis est, tantum Deo loqui devotionis est, idem vero loqui corde quod ore, veritatis est. De eodem exemplum subjiciam: Est aliud genus ho- C minum qui dum benignitatis favorem quærunt, vitium dissolutionis incurrunt, plus amantes gaudere quam plangere, ridere quam lugere, loqui quam tacere, plus vagari quam contemplari: causantur asperitatem vestimenti, duritiam lectuli, tædium claustri, diuturnitatem silentii, prolixitatem vigiliarum. Aiunt Loth e Sodomis ereptum in Segor, quæ interpretatur parvula, salvatum, sic et se liberatos de mari magno hujus seculi, mediocri conversatione posse salvari. Ergo, fratres dilectissimi, cum talia nobis in mente veniunt, debemus illam Pauli sententiam ponere ante oculos mentis, qua dicitur: Quoniam non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis (*Rom.* VIII). Audiamus Prophetam D dicentem: Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis (*Psal.* XLIII). Si ergo inimicus noster percusserit in una maxilla, præbeamus ei et alteram: si percusserit in sinistra, objiciamus dexteram. In sinistra profecto maxilla nos percutit, cum tentationum molestias, vel per recordationem præteritarum delectationum, vel suggestionem præsentium incommodorum inducit, cui debemus dextram præbere, id est contra adversas tentationes, scilicet delectationes transitorias, gloriam sanctorum, æterna illa dona quæ legitime certantibus promisit Deus (*II Tim.* II), constanti mente objicere, ut quantitas præmiorum vincat angustias præsentium dolorum.

Revocemus ad memoriam quod in lege veteri

(*Num.* VIII) præcipitur Levitis in ministerio domum consecrandis. Jubentur enim purgari aqua lustrationis, radere omnes pilos carnis, vestimenta sua lavare, et postea duos boves, alterum pro peccato, alterum in holocaustum offerre. Qui enim se ipsos sacrificium Deo in odorem suavitatis offerre volunt, primo debent vehementi cordis contritione et fluvio lacrymarum imbre priores excessus corrigere, et sic per aquas lustrationis diluent et lavabunt maculas, quas peccando contraxerunt in mente. Deinde debent pilos carnis radere, hoc est omnes cogitationes superfluas et illicitas a facie mentis pro viribus amovere. Tertio vestimenta lavare debemus, id est bonæ opinionis testimonium intus et foris honesta conversatione comparare, ut luceant bona opera nostra coram hominibus, et glorificent Patrem nostrum qui in cœlis est (*Matth.* VI). Per duos boves quorum alter pro peccato, alter vero in holocaustum offertur, duo operationum genera nobis significantur, quorum primum spectet ad mortificationem carnis, alterum vero ad devotionem mentis. Cum enim corpus nostrum castigamus, et in servitutem redigimus, Deoque dignos fructus pœnitentiæ offerimus, bovem pro peccato mactamus. Cum vero igne charitatis inflammati per contemplationis affectum sursum elevamur, tunc bovem in holocaustum Domino sacrificamus. Si ergo Levitis quibus nondum via sanctorum nota fuerat, quos adhuc veritas sub umbra figurarum latebat, ista præcipiuntur, quanto magis ministri Novi Testamenti ista servare tenentur, quibus illud sacramentum angelis et archangelis tremendum, oculis videre, manibus tractare, ore contingere permittitur? Castigemus igitur vitium securitatis per flagellum timoris, quia nescit homo in hac vita an amore an odio dignus sit (*Eccle.* IX).

Tertia est tentatio, quam manifestam diximus, eo quod manifeste cognoscamus unde surgat, et ad quem finem quasi ad consummationem tendat. Tales sunt delectationes carnis, sive cujuslibet alterius impietatis, cum ex recordatione peccati, quod gessimus, vel etiam illicito affectu rei, quam sensu exteriori comprehendimus, misera anima afficitur, usque adeo, ut jocundum sit ei de talibus cogitare, et tanquam delitias voluptatis hæc et similia memoriæ altius imprimere. Hujusmodi autem delectatio si sit absque consensu et cito pertransierit est venialis: si autem diutius immoremur, fit procul dubio mortalis. Si ergo, fratres dilecti, per delectationem pravam inimicus erigitur, quasi in facie caveamus, ne per consensum.... nobis in capite. Vide, Domine, inquit propheta, et considera, quoniam erectus est inimicus meus (*Thren.* I). Ecce conqueritur quoniam inimicus ejus erigitur, id est per delectationem pravam in consensum; ideo auxilium Domini postulat, ne ad consensum perducatur. Contra hanc tentationem hæc sunt præcipue necessaria, scilicet exercitium operis, et solitudo conversationis; per exercitium custoditur animus, ne ad præterita per recordationem recurrat et per solitariam conversationem ne sensus exterior vanitatem hauriat. Si enim David cum cæteris contra hostes in bello dimicasset, non in amorem Bersabeæ per incendium libidinis exarsisset (*II Reg.* XI). Et si senes Babylonis visum a vanitate cohibuissent, non specie Susannæ deceptos concupiscentia cor eorum subvertisset (*Dan.* XIII). Quoniam ergo hostis ille humani generis suggestione sive tentatione iniqua animas multorum suo subjicit imperio, recte de eo propheta dicit: *Fecit divitias et non in judicio.* Divitias dico non pecuniarum sed animarum, non possessionum, sed possessorum, et non sibi. Quandoque etenim tibi divitias facis, o homo,..... quandoque sibi. Et tibi quidem divitias facis, quandoque cupiditate sive avaritia dominante per omnia illicita te distrahit, ut vel si gloria domus tuæ eo stimulante multiplicari possit, ut animam in divitiarum vanitate, quasi incarnatam, totam possideat, quam absque divitiis forsitan ad suum Creatorem quandoque respirare existimat. Has divitias tibi congregas, ut tuæ delectationi in illis per omnia satisfacias. Siquidem luxuriant animi rebus plerumque secundis, nec facile est æqua commoda mente pati. Et hæc omnia ad hunc finem tendunt, ut cum interieris non sumas omnia, neque descendat tecum gloria tua: quin potius omni virtutum fructu destitutum, portionem tibi destinet cum descendentibus in lacum, ubi absque spe liberationis possideat, absque remedio suppliciis afficiat: sicque fiat, ut jam tibi non faciat divitias ad consolationem, sed sibi ad maliciæ suæ qualemcunque executionem. Quod tamen ad majorem damnationis cumulum ei accidit, quia has divitias iniquitate et dolo, non in judicio sibi facit. Fecit, inquit, divitias et non in judicio. Judicium profecto tenet electionem justi, et abjectionem contrarii, id est injusti. Qui ergo autor est iniquitatis et injusticiæ, quomodo potest justo judicio quicquam vendicare? Facit ergo divitias, et non in judicio, cum primo callide mala suggerit, postmodum animam delectatione et consensu corrumpit, ex hinc consuetudine pravi operis ligat et constringit, ad ultimum libere, etsi injuste illam possidens, in loco horroris et vastæ solitudinis secum trahit. Hujus domini tam crudelis jugum, fratres dilectissimi, studeamus effugere, et semper vigilantes, animo, ei qui nos elegit in hæreditatem sibi, in timore Dei et amore proximi nosmetipsos commendare: ut in die ultionis impiorum evitantes sententiam, cum benedictis Dei Patris in vitam admittamur æternam. Amen.

ANNO DOMINI MCCIII

STEPHANUS

ABBAS S. GENOVEFÆ PARISIENSIS

POSTMODUM

TORNACENSIS EPISCOPUS

NOTITIA HISTORICA

(Edit. Opp. Stephani Tornacensis, curante R. P. Clandio du MOLINET, canonico regulari congregationis Galliæ. — Lutetiæ Parisiorum, sumptibus Ludovici Billaine, bibliopolæ Parisiensis, 1679, cum privilegio regis, in-4°.)

—

Stephanus Aureliæ in Gallia natus est (1), anno Domini millesimo centesimo tricesimo quinto. Haud facile dictu est quantum a prima ætate propensus fuerit ad pietatis exercitia, quantoque simul studio vitæ ecclesiasticæ amplectendæ exarserit. Hoc tam pium propositum parentes promoverunt, cum eum et optimarum artium notitia instrui, et omnium virtutum præceptis imbui diligenter curarunt. Ac primum elementa grammaticæ a viro æque sapienti ac erudito didicit. Hic autem monasterium Charitatis ad Ligerim ingressus, ut ibi Regulam sancti Benedicti stricte observatam sequeretur, Stephanum coegit cursum jam studiorum incœptum, in scholis ecclesiæ cathedralis Aurelianensis ac deinceps Carnotensis perficere.

Adeo ipsius fuit in libris evolvendis assiduitas, adeoque in horum scientia præmaturum ac subtile ingenium excoluit, ut brevi tum stricta tum soluta oratione loqui et scribere polite et eleganter didicerit. Non aliud hujusce veritatis argumentum afferam, quam opera nostri Stephani, de quibus ipsemet etiam loquitur in epistola 277 scripta ad unum abbatem ex amicis, a quo sibi cura commissa fuerat officii ad honorem sancti Gerardi componendi.

Tanta humaniorum litterarum notitia instructus, ad subliniora se contulit, totumque se philosophiæ ac theologiæ studio dedidit, in quibus non minorem famam eruditus magister æque ac doctor celebris est consecutus. Tam perfectam his omnibus conciliorum sacrorumque canonum cognitionem adjunxit, ut Summa composita canonum, editisque in Gratianum Commentariis, hanc scientiam publice cum magna gloria ac hominum plausu edocuerit. Quinetiam credibile est eum jus civile in Academia Bononiensi didicisse, cum in epistolis suis appareat quamplurimorum illustrium virorum amicitiam et favorem hic et alibi sibi conciliasse. Inter hos præcipue nominandus est Urbanus IV summus pontifex, et cardinalis Gratianus, ac Petrus a Sancto Chrysogono. Non hic equidem silentio prætereundum est quantum charus fuerit Guillelmo à Campania, filio Theobaldi comitis Trecensis simul et Blesensis, cujus soror regi Ludovico Juniori nupserat, ad archiepiscopatum Senonensem et Remensem evectus cum fuisset, perspecta æquali virtute ac rara nostri Stephani eruditione explorata, eum sibi ab eleemosynis et a secretis delegit.

Haud sane difficile in spem hanc adduci potuisset, ut partim suis meritis, partim favore sui domini potentissimi ad amplissimos Ecclesiæ honores veheretur, ni mens ab omni ambitione prorsus aliena, et avaritiæ expers, uni Deo quocunque impelleret, inhærere ac inservire statuisset. Qua de causa cum rescivisset Gruisium abbatem Sancti Victoris nonnullos e suis Aureliam misisse anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo octavo, qui disciplinam ecclesiasticam in monasterio Sancti Evurtii penitus collapsam restituerent; quique freti auspiciis celeberrimi viri Rogerii, primi hujusce domus abbatis, pium vivendi morem jam in urbe Balgentiacensi et Blesensi stabilitum sequerentur. Tum divino quodam instinctu ex aula se subduxit, habitumque canonicorum Regularium sive in abbatia Sancti Evurtii, sive Sancti Victoris assumpsit. Id porro contigit annum circa millesimum centesimum sexagesimum quintum. Vix ac ne vix quidem dici potest, quantum ipsius virtus admiranda emicuerit, cujus etiam radios perspexit sanctus Thomas Cantuariensis archiepiscopus, qui tum apud Gallos invidia inimicorum suorum compulsus exsulabat : huic adeo strictis amicitiæ vinculis Stephanus noster devinctus fuit, ut in epistola scripta ad Joannem Pictaviensem episcopum, qui ejusdem gloriosi martyris discipulus fuerat, suum magistrum, patronum ac familiarem amicum appellare non dubitarit.

Roberto autem Sancti Evurtii abbate vita functo, Stephanus in ipsius locum suffectus est; et hæc sane dignitas amplissima novam veluti coronam Stephano

(1) Vide epist. 191, ad abbatem Evurtii Aurel. : *Civitatis unitas quæ nobis et vobis nativitatis communionem, etc.*

adjiciens, hunc omnibus commendabat. Invisebant eum frequenter quotquot viri illustres Aureliam adibant, inter quos præcipue episcopus Aniciensis, jucundo Stephani colloquio delinitus, ipsi monasterium Doense in sua diœcesi situm obtulit, ut ibi eum ordinem, quem a suis observari viderat, deinceps stabiliret. Hac re feliciter peracta, piisque Roberti consiliis, cui successerat, ad finem usque perductis, animum intendit ad ecclesiam Sancti Evurtii, jamdiu eversam et collapsam, penitus reparandam. Hoc opus equidem tanto viro dignum, sed cui adimplendo ne suppar quidem videbatur; nihilominus Deo præpotenti ac immortali confidens, rem arduam et difficilem aggreditur. Nequeo vobis satis exprimere quantum pietas in hac occasione ingeniosa fuerit, quot graves pœnas sustinuerit, quot labores acerbos adierit; modo in templis, modo per plateas urbis Aurelianensis concionando, plebis opem, aut potius opes implorabat; modo nonnullos e suis urbem Turonensem ac alias vicinas civitates cum reliquiis dimittebat, qui eleemosynas à fidelibus huic ædificio absolvendo destinatas colligerent. Interim Petrus episcopus Claromontanus eum una cum Mauritio doctissimo Parisiensi episcopo consuluit, utrum baptismi sacramentum validum aut irritum haberi deberet, quod rustici homines ac imperiti in sua diœcesi hoc modo conferre consueverant. Infundebant àquam supra caput pueri, his verbis utentes: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti;* nec enim adjiciebant, *ego te baptizo*. Ea fuit Mauritii sententia, baptismi sacramentum non valere; huic Stephanus obstitit, sed tanta cum modestia, ut se rem non tam definire, quam ea quæ sentiret, aperire fateatur; quæ etiam judicio Parisiensis episcopi, eruditissimi æque ac sapientissimi viri, libenter submitteret.

Per id temporis mors cruenta Joannis decani triste et luctuosum Ecclesiæ Aurelianensi vulnus inflixerat. Is bona a nobili viro usurpata, capitulo suo, cujus erant, restituere totis viribus connixus, inimici furorem sensit; si quidem crudelis ille, immemor vitæ prius a decano sibi servatæ, hunc ferro aggressus est, multisque vulneribus in capite confossum interemit.

Tam gravem sibi illatam injuriam Ecclesia Aurelianensis ulcisci statuit; quapropter omni clero provinciæ in urbe Senonensi hac de re convocato, abbati Sancti Evurtii cura commissa est ut et causam ageret, et cœtum amplissimum ad vindictam admissi facinoris excitaret.

Nec sane parum in hoc vis eloquentiæ incredibilis enituit, si quidem Patres tum verbis, tum atrocitate rei ad vivum expressæ commoti simul vindicanda, justo quodam furore incensi, auxilium regis implorare, et causam ad ipsius justitiæ tribunal deferre, uno ore et consensu communi judicarunt. Stephanus electus est, qui litteras nomine omnium regi offerendas scriberet: sed res longe aliter evasit ac destinatum est; si quidem rei, captato curiæ favore, viaque justitiæ præclusa, non modo non scelus inultum est, sed etiam innocentiæ defensores ac vindices in odium regis incurrerunt; ac præsertim Stephano offensum se præstitit ob litteras conscriptas, quas tamen omnis cœtus in urbe Senonensi coactus perlegerat, ac suo judicio comprobarat. Hæc injusta regis indignatio furorem ac audaciam Ecclesiæ inimicorum confirmavit. Itaque Stephano direptionem bonorum, domus eversionem, ferrum, faces, ac mortem teterrimam, nisi ab incœpto desisteret, intentarunt. Ad quem opportunius eo miseriæ et calamitatis redactus confugisset, nisi ad Guillelmum a Campania, electum Carnotensem episcopum, cujus auctoritate et potentia munitus, se contra adversariorum iniqua consilia et nefarios conatus obfirmavit; ejusque demum opera se rursus in amicitiam regis, eo modo quo diximus imminutam, imo potius deperditam, insinuavit.

A Interea Stephanus non minus apud suos celebris ac venerandus exstitit: hunc etenim ob eximiam virtutem ac singularem in rebus agendis prudentiam ad maximos sui ordinis honores extulerunt. Mortuo Auberto Sanctæ Genovefæ Parisiensis abbate anno Domini millesimo centesimo septuagesimo septimo, Stephanus Sancti Evurtii abbas electus est, qui locum ipsius in administratione antiquæ et regalis hujus abbatiæ teneret. Haud facile dictu est quam ægre a prima sponsa (Ecclesiam Aurelianensem intelligo) fuerit sejunctus, quantoque cum dolore et tristitia a suorum filiorum amplexu charissimo et amœnissimo divulsus. At ipsi beneficiorum ab amantissimo Patre acceptorum haud immemores, actis propria manu consignatis, partem dimidiam redituum terræ de Gondrevilla quotannis in pensionem concesserunt.

Vix domum Sanctæ Genovefæ ingressus est, cum omnium animos singulari lætitia perfudit, ac veluti B quoddam novum sidus ac inusitatum montes illos sublimes ac arduos illustravit, partim majori regularis observantiæ jam stabilitæ incremento, partim ædificiorum collabentium necessaria reparatione, partim etiam bonarum artium studio inter religiosos excitato. Quapropter scholas privatim erexit, licet in vestibulo abbatiæ publice doceretur, in quibus nobilium juvenum animi auspiciis ipsius Deo se consecrantium, melius ac opportunius optimis tum scientiarum, tum multo magis omnium virtutum præceptis imbuerentur: nec enim suos externis scholasticis immisceri voluit, ne fides et pietas parum honestis moribus et exemplis offensa, et tantisper immunita, aliquid detrimenti pateretur. Hoc apparet epistola 80, quam ad Absalonem archiepiscopum Londensem in Dania scripsit. Is Stephanum obnixe deprecatus fuerat ut nepotem suum canonicum regularem ecclesiæ Sanctæ Genovefæ Parisiensis, qui postea episcopus et cancellarius Daniæ exstitit, in Academia Parisiensi studere per- C mitteret. Huic autem subjecit id alienum a suo instituto, minimeque bonis moribus conservandis accommodatum. *Quod autem de ipso nobis per litteras intimastis, vel in Monte, vel in Parisiensium sæcularium scholas, et venditores verborum mittendo, salva gratia vestra, non admittimus, quoniam institutioni nostræ repugnat et consuetudini, ne per ipsum præsentibus fratribus novum proponeretur spectaculum, quod futuris perniciosum trahatur in exemplum. Habet in claustris sapientia regulas suas, exigens sibi scholas suae veritatis, hinc virtutis.*

Stephanus non solum animis suorum excolendis, sed etiam ecclesiæ suæ ac domui exornandæ totus incubuit. Hæc porro frequentibus Normannorum incursionibus adeo commota et labefactata fuerat, ut celeberrimi templi opere musivo constructi, gloriosa vestigia vix superessent. Itaque muros reparari, fornicem et culmen, eo modo quo nunc exsistit firmari, claustra, capitulum et dormitorium D erigi, sacellumque beatæ Virgini a Misericordia nuncupatum ædificari curavit. Refectorii quoque et locorum huic adjacentium fundamenta jecit, et ad fastigium perduxit, quæ deinceps opera sicut alia quamplurima, tanto suorum applausu, et tanta utilitate perfecit, ut non immerito post regem Clodovæum abbatiæ Sanctæ Genovefæ fundator potius quam restaurator dici queat.

Auspiciis igitur clarissimi hujus ac sapientissimi abbatis domus Sanctæ Genovefæ restaurata, omnium bonorum abundantia ditata, æqualique virtutum et scientiarum exercitio decorata, mirum in modum effloruit; ut videre est in epistola 148, quam scripsit ad Guillelmum abbatem in Dania, his verbis: *Prosperè per Dei gratiam circa nos et fratres aguntur omnia, et non est occursus neque Satan, cum in summa tranquillitate et pace unanimes habitent in domo Domini sola contentione serviendi Domino sese invicem præcedere, cum omni humilitate cer-*

tantes. Spiritualibus occurrunt temporalia, peractis ferme spatiosis et speciosis regularibus officinis, et per villas rusticis ædificiis spatio simul et specie certantibus cum urbanis, sollicitudinem curamque nostram convertimus in renovandis et fulciendis antiquis Ecclesiæ parietibus vetustate et incendio putrefactis dissolutionem minantibus et ruinam. Comparavimus novam lignorum materiem ad sartatecta reficienda, quæ et superponatur parietibus, et laminis plumbeis supponatur. Neque vero tanti viri virtus immensa tam brevibus monasterii sui terminis circumscribi potuit, neque ardor ille eximius quo ordinem suum prosequebatur, diutius retineri debuit, quin erumperet in canonicos ecclesiæ cathedralis Remensis, qui regularem disciplinam prius observatam abjicere constituerant. Hac de re decanum monet, verbisque acribus adhortatur, ut tam novo ac pernicioso consilio impigre ac constanter obsistat. Eadem prorsus animi magnitudine nefarios adversariorum conatus repressit, qui aut bona suorum diripiebant, aut eorum quietem perturbabant, sicuti contigisse canonicis ecclesiæ de Burgomedo in urbe Blesensi, Sancti Samsonis Aurelianensis et aliis comperimus.

Cum autem quotidie Stephani fama magis increbresceret, negotia maximi momenti quæ id temporis agebantur, ipsius curæ studioque commissa sunt. Comes etenim adjungitur cardinali Alberico legato destinato, ad fugandum Albigenses et Coterellos, qui totam Provinciam ac Tolosarum partes veneno suæ hæresis inficiebant. Hoc certe periculosæ plenum opus aleæ videbatur. Itinera latrones obsidebant, parabantur insidiæ, hostes Dei et hominum manifesti, omnia ferro flammaque devastabant. Testis hujusce rei verissimus Stephanus in littera 73 missa ad Raimundum priorem Sanctæ Genovefæ Parisiensis.

Eodem fere tempore lis dudum exorta inter archiepiscopum Turonensem et episcopum Dolensem in Britannia renovata est. Hic titulo archiepiscopi assumpto sese et episcopos Britanniæ simul a jurisdictione metropolitani Turonum subtrahere ac subducere nitebatur; hac de re coram summo pontifice acriter disputatum est: hinc dux Britanniæ partes episcopi Dolensis tuebatur; inde Philippus Augustus rex Galliæ per legatos et litteras totis viribus contendebat ut archiepiscopus Turonensis antiquum dignitatis suæ honorem retineret. Nihilominus arbitris duci Britanniæ utcunque faventibus rex Galliæ tanta ira incensus est, ut novas ad papam per Stephanum litteras scriberet, quibus et de injuria sibi illata quereretur, et beneficia a suis proavis sedi apostolicæ collocata exprobraret, et minas insuper gravissimas intentaret, nisi sententiam rescindi quamcito imperaret.

Neque silentio prætereundum est Stephanum cum episcopo Parisiensi et abbatibus Sancti Germani, Sancti Victoris, Sancti Dionysii, Cisterciensi, et Clarævallensi, electum fuisse, qui controversias in ordine Grandismontis exortas dirimeret. Fratres enim conversi numerum clericorum hujusce religionis excedentes, eo quod sibi cura rerum temporalium committeretur, prætumidi, superiorum jussis minime obtemperabant. Quinetiam tum presbyteris, tum clericis per vim e domo ejectis, omnem potestatem sibi injuste attribuebant. Stephanus imminenti malo, cum aliis a summo pontifice delegatis consulturus, partim precibus, partim adhortationibus, partim vi auctoritatis suæ adhibita, nihil non eorum omisit, quæ ad pacem ordini Grandismontensi concedendam pertinerent. Itaque judices illi conversos rebelles, nisi quamprimum resipiscerent, anathemate percutiendos esse censuerunt, omnibusque clericis in primam dignitatem restitutis, minas excommunicationis, si deinceps aliquid hujuscemodi perpetrarent, intentarunt. His fulminibus nonnulli perterriti, penitusque contriti fuere; sed aliorum animus adeo pervicax ac obstinatus obduruit, ut ad eos in debitum obsequium redigendos etiam auctoritate regia uti necesse fuerit.

Rex Philippus Augustus anno Domini millesimo centesimo nonagesimo, itinere in Terram Sanctam suscepto, regni curam Guillelmo a Campania archiepiscopo Remensi, dum abesset, commisit. Hic cum opera et consiliis virorum sapientissimorum ac fidelissimorum in administratione totius Galliæ difficillima indigeret, ad societatem et consortium immensi laboris abbatem Sanctæ Genovefæ Parisiensis vocavit, utpote cum ipsius jamdudum esset in agendis negotiis et privatis et publicis eximia ac singularis prudentia, et sagacitas cognita et explorata. Neque vero regi ipsi minus quam avunculo acceptus fuit, siquidem ejus fidei sæpius res maximi momenti credidit, præsertim cum eum Romam semel legatum ad summum pontificem misit, cui merita nostri abbatis impressa his litterarum notis consignavit: *Et quoniam magnum et cordi nostro profunde insitum est negotium, mittimus ad vos prædilectum et familiarem nostrum Stephanum abbatem Sanctæ Genovefæ, discretum et fidelem regno, quem loco nostro benigne suscipite, et ei tanquam nobis in his quæ ex parte nostra vobis dixerit, indubitanter fidem habete.*

Idem Philippus Augustus virtutem Stephani majoribus et amplioribus gloriæ monumentis decoravit; eum enim inter omnes Galliæ præsules potissimum elegit, qui sponsoris, seu ut aiunt, patrini officio in baptismate filii primogeniti fungeretur. Huic autem Ludovici nomen indixit, qui octavus deinceps appellatus, regni principatum tenuit. Exstat adhuc nostri abbatis littera ad ipsum missa, in qua eum filiolum nominavit, triaque præcipue, nimirum pietatem erga Deum, honorem ac reverentiam patri debitam, ac litterarum studium commendavit.

At anno 1192 Stephanus ad episcopatum Tornacensem electus est, eo fere modo quo divus Ambrosius olim ad archiepiscopatum Mediolanensem assumptus fuerat; nam post mortem Erardi episcopi Tornacensis populus cum omni clero ad eligendum successorem convocatus, cœtus pars major oculos conjecit in Petrum Ecclesiæ Parisiensis cantorem, virum tum rara eruditione, tum innocentia vitæ conspicuum. Neque tamen hoc consilium archiepiscopo Remensi arrisit, qui id temporis et metropolitanus et Galliæ totius administer, electioni Petri fortiter obstitit, quam illicitam æque ac invalidam censebat. Huic in favorem Petri Cantoris sui amici Stephanus noster scripsit adjiciens insuper res ad electionem canonicam validas et requisitas in præsenti potissimum inveniri. Sed rationibus adductis Guillelmus minime cedendum ratus, abbatem nostrum tanto oneri haud imparem sustinendo proposuit; quod statim cum ingenti omnium etiam contendentium plausu et lætitia (si Stephanum unum excipias) acceptum est. Idque recenset in epistola 177, ad archiepiscopum Turonensem his verbis exarata: *Occulto Domini judicio vocatus ad Ecclesiam Tornacensem, vestris orationibus me commendo, ut ad quod non sufficio meritis propriis, proficiam suffragiis alienis. Et quoniam nescio, Pater, utrum dignus amore an odio ex tanta vocatione supplicium exspectare debeam vel præmium; ad primum hujus rumoris sonitum*

Obstupui, steteruntque comæ, vox faucibus hæsit.

Denique tanquam de gravi somno evigilans, totum negotium commisi Deo, cujus gratia si beneplacitum fuerit in ejus oculis, totum perficiet solidabitque. Archiepiscopus Turonensis huic humaniter rescripsit, ob dignitatem adeptam gratulaturus, simulque dono misit mitram, chirothecas et sandalia. Interim papa Cœlestinus, re comperta, Stepha-

numque humano potius favore quam Dei providentia ad episcopatum Tornacensem evehi suspicatus, hanc electionem ægre tulit; quod sentiens Stephanus, non modo animum summi pontificis exulceratum, his verbis obsequii ac reverentiæ notam præ se ferentibus gloriosam delinivit, sed etiam amorem ac benevolentiam ipsius singularem sibi comparavit: *Vocatus ad Ecclesiam Tornacensem loco et animo remotus et ignarus, nihilque minus sperans quam cathedram, cur excessi, si accessi? Quid peccavi, si non precavi? An deliqui, quia non dereliqui? Divinare certe non potui, placeretne an displiceret summo pontifici? Cujus placita sunt jura, in cujus dextra ignea lex. Sed quoniam bonarum mentium est ibi culpas agnoscere ubi culpa non est, et periculosum valde est filio separari diutius a conspectu patris, exceptiones omitto, veniam peto, gratiam quæro, misericordiam imploro*, etc.

Mirum quantum dolorem religiosis Sanctæ Genovefæ Parisiensis jactura tanti viri attulerit, qui tam moderate et prudenter quindecim annorum spatio domus curam habuerat. Nihilominus id mali ferendum fuit, simulque novi abbatis electioni mature providendum. Cecidit sors super Joannem, qui non tam ætate quam moribus provectus videbatur. Hunc Stephanus ad episcopum Meldensem duxit benedictionis cæremoniis initiandum die Dominica Palmarum, quem deinde Lutetiam reversum, monasterio Sanctæ Genovefæ præfecit, ac salutatis ultimum suis religiosis, secumque assumptis duobus, Gerardo et Marcello scilicet, viam ingressus est ut Tornaci solemnia Paschatis celebraret.

Ab archiepiscopo Remensi domino suo et amico consecrationis munus accepit: tum operi incumbens, statim clero tam regulari quam sæculari reformando totus fuit. His de causis convocata synodo, multas res disciplinæ ecclesiasticæ fovendæ perutiles instituit, præcipue prohibitum est canonicis duas præbendas possidere, et feminas domibus suis retinere, ac monachis parochias administrare.

Cum abbatia Sancti Martini Tornacensis a recto videndi modo deflexisset, regularisque disciplinæ amor exstinctus in ea fuisset, abbate insuper turpem ac pessimi exempli vitam agente, pastor vigilantissimus huic malo in dies succrescenti mature consulturus, religiosos ad viam virtutis reducere blandis sermonibus et exhortationibus contendit; quas cum inutiles et vanas esse prorsus sentiret, abbatem magis ac magis obdurescentem excommunicationis fulmine percussit.

Si tantam severitatem pastor vigilantissimus adversus pastores malos, et se ipsos potius quam gregem pascentes exercuit, quantam animi magnitudinem in defendendis ac tuendis bonis exercuit. Abbas quidam Sancti Amandi ac ordinis Sancti Benedicti, coram archiepiscopo Remensi a suis religiosis accusatus fuit, veluti parum versatus in ecclesiastica disciplina, parumque sui ordinis instructus cæremoniis videretur. Arbiter hujusce litis exortæ Stephanus eligitur, qui monasterium Sancti Amandi ingressus, auditisque utriusque partis rationibus, abbatem judicavit esse virum omni laude dignissimum, temperantia, charitate, parcimonia, patientia et demum cujuslibet virtutis gloria conspicuum, zelo tantum quo in vitiis coercendis et reprimendis utebatur, suis invisum, grande ipsi crimen intendebant, quod nesciret digitis exprimere fabas, caseum, ova et alia hujuscemodi, quæ signis quibusdam expeti et designari silentii tempore solebant.

Licet eximia pietas et amor singularis quo erga Deum et Ecclesiam Stephanus noster incendebatur, scientia et prudentia, quasi duobus validissimis propugnaculis muniretur, nonnulli tamen eum veluti juvenem effervescentem, nec curæ episcopalis capacem condemnabant. Stephanus autem, intelli-

A gens Cameracensem archidiaconum, alioqui suum amicum, sibi vehementius obstrepere et obluctari, se purgavit per litteras, in quibus præclarum et eximium quoddam vitæ episcopalis speculum oculis exhibuit. Hujus epistolæ 208 summa est: *Civitatem raro egredior, regulares horas cum aliis quantum licet frequento. Secundum gratiam mihi collatam Dei verbum parochianis meis annuntio. Contra novam hæresim cæteraque monstra id genus posse meo declamans, tanquam ad bestias depugno. Sacramenta quæ gratis accepi, gratis impertior. Manus meas si non ab omni munere, saltem ab illicito semper excutio. Venientibus ad me in confessione consilium, in pœnitentia remedium, in tribulatione solatium quantum Dominus permittit exhibeo. Horis vacuis et a foro feriatis, in loco ad hoc idoneo, sacræ Scripturæ intendo, legens et ruminans, quæ post lectionem decoquo, et ad memoriæ cellulam trajicio. In mensa nec solitarius nec obscurus esse volo, in qua facilius* B *est ut superfluitatem accuset natura, quam curiositas esuriem. Histrionibus et scurris patrimonium Christi non dispergo. Hæc exterius, occultorum autem cognitor est scrutans corda et renes Deus.*

Cum semper ad Dei templa decoranda, et ad suas sponsas exornandas, intelligo ecclesiam Sancti Evurtii et Sanctæ Genovefæ, animum suum applicuisset, non mirum videri debet si in Ecclesia Tornacensi tot opera mirabilia confecerit; si fornicem fieri, altare majus exstrui, tabula argentea decorari, vasis sacris et pretiosis ornamentis abunde ditari curaverit. Sacellum quoque in palatio episcopali Tornacensi, Sancto Evurtio, et Sanctæ Genovefæ nomine consecravit, vitris pictura et imaginibus eorum decoratis et redditibus donatis, ut ipsorum festum in Ecclesia sua celebraretur. Centum quoque libras pro anniversario suo cum septemdecim terræ jugeribus, et quarta parte juris sui super fluvium Scaldim legavit: sic bona sua præsul integerrimus C insumebat in iis omnibus quæ ad Dei honorem, ad Ecclesiæ suæ cultum, et ad solemnitatem divini officii adaugendam pertinerent.

Quamvis Stephanus tranquillo admodum et leni animo præditus foret, hunc tamen tribus horrendis turbinibus jactatum, periculosissimisque tempestatibus conflictatum conspicere est. Primos hujusce motus excitarunt ministri summi pontificis (quibus impositam pecuniæ summam non adhuc solverat). Conceptum ex injuriis sibi injuste illatis dolorem in auctores non effudit vir prudens, sed clanculum amicis suis detexit, et præcipue episcopo Suessionensi iisdem angustiis implicito, in cujus diœcesim sese receperat, scilicet in villam Marisiacam, quæ ad abbatiam Sanctæ Genovefæ pertinebat, ut binos sui episcopatus proventus annuos ad hujus debiti solutionem dimitteret. Hac sedata et compressa tempestate Tornacum rediit, cum ecce derepente nova tempestas exoritur. Balduinus civis Tornacensis, fundata in ecclesia cathedrali, quinta præ- D benda, quæ sacerdotibus majorem missam celebrantibus destinaretur, episcopus, regnante etiam capitulo, uni contulit ex canonicis S. G. quos secum adduxerat. Post annum elapsum in tranquilla beneficii possessione, nescio quo pacto in odium capituli incurrit, ita ut cum non modo beneficio privaverit, sed etiam ingressum ecclesiæ prohibuerit. Episcopus, id minime ferendum ratus, archiepiscopi Remensis auxilium imploravit, qui vehementibus litteris adeo canonicos commovit, ut exclusum in pristina dignitate restituerint. Cumulum his angustiis comes Flandriæ Balduinus adjecit; pace enim quam cum Philippo Augusto prius pepigerat, disrupta anno Domini millesimo centesimo nonagesimo octavo, cum ingenti exercitu provinciam Cameracensem ferro flammaque vastaturus invaserat. Archiepiscopus Remensis, sedis apostolicæ legatus, mandata summi pontificis simulque regis Galliæ episcopo Tornacensi misit, ut eum anathemate

percuteret, terrasque interdicto subjiceret. Res periculosa nimium videbatur; quapropter episcopus clerum hac de causa convocatum consuluit; in comitiis adfuit Bernardus Rohais, magnus Flandriæ ballivus, qui a sententia jamjam promulganda ad summum pontificem appellavit.

Stephanus interea Remensem archiepiscopum ea quæ gerebantur, edocuit, ac tantisper ab interdicto pronuntiando supersedendum esse censuit; sed cum in dies principis audaciam increscere sentiret, fulmina excommunicationis cum interdicto impigre et constanter in comitem ipsiusque fautores libravit. Princeps, hujus episcopi tam egregio facinore offensus, nihil omisit, quominus ab ipso pœna, bonorum direptione sumeret. Has autem mature vitaturus, Galliam subire decrevit; sed cum insidiarum metu non licuerit, se urbe sua inclusit, sicque contra multiplices insidias, vitæ suæ paratas, auxilio divino ac populi fide invicta communivit.

Quo gloriosius tanti præsulis, virtutis enutrita duris laboribus vita firmabatur, eo facilius vires corporis infirmitate senectutis et numero annorum (jam enim septuagesimum attigerat) exhaustæ deficiebant; id archiepiscopo Remensi testatus est, cum se per litteras excusaret quod adesse non valeret inaugurationi episcopi Catalaunensis anno millesimo ducentesimo tertio secundum Chronicon Alberici.

A Cum igitur frequentes morbos veluti mortis propinquæ nuntios esse sentiret, Augustinum in morte pariter ac in vita imitari voluit, animam exhalando inter hostiles impetus, et lacrymas justo pœnitentiæ motu elicitas. Ut enim ille doctor celeberrimus Vandalis Hipponem obsidione cingentibus, ne suorum ruinam videret, e vita excessit: ita episcopus Tornacensis, post luctuosa a comite Flandriæ vulnera urbi suæ inflicta, diutius superesse non potuit; et ut idem Augustinus animam pœnitentiæ fletibus omnino ablutam Deo offere voluit, ita noster episcopus sub vitæ finem sæpius in villam suam se recipiebat, ut orationi et precibus assiduis vacaret; quod præcipue apparet in epistola ad episcopum Remensem scripta.

Cum autem ultimum vitæ tempus adesse prospexit, patris officio erga suos fungi voluit, monita salutis duabus litteris inserens, quarum una ad canonicos Sanctæ Genovefæ scripta est, altera vero ad canonicos Sancti Evurtii Aurelianensis. B Tandem Stephanus tam illustris vitæ cursu confecto, multisque laboribus perpessis, tum ad ordinis decus et ornamentum, tum ad Ecclesiæ utilitatem, cum sexagesimum octavum ætatis ageret annum, reparatæ salutis millesimo ducentesimo tertio, nona die Septembris, in cœlum, Deo potiturus, migravit; corpus vero in ecclesia cathedrali magno cum apparatu sepultum est.

R. P. DU MOLINET.

PRÆFATIO

IN SUAM STEPHANI TORNACENSIS OPERUM EDITIONEM.

Majorum suorum monumenta renovare, Lector erudite, res est non minoris gratitudinis quam egregiæ laudabilisque pietatis plenissima. Si vero ullus unquam gratitudini, si pietati nostræ fuit locus, certe in renovandis ac recreandis Stephani Tornacensis Operibus mihi visus est amplissimus et ornatissimus.

Tanti etenim viri maxima nostram in domum Sangenovefeam promerita, quam abbas omnium, si paucos excipias, beneficentissimus, non dicam exornavit, verum de integro restauravit, cum mihi jamdudum non sint obscura, ad consecrandam æternitati tam chari parentis memoriam, me non mediocriter excitarunt.

Itaque plures per annos ejus opera studiosissime perscrutatus, in triplicis generis, nimirum in *Decretum*, *Conciones*, et *Epistolas* incidi. Decretum ampliori volumine in folio, ut vocant, complexum, subministravit bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis; quod attente perlectum, et a viris oculatissimis accuratius perspectum, Decretalium Gratiani meram esse interpretationem compertum est. At cum similes id temporis nancisci interpretes non sit rarissimum, veritus quoque ne plus æquo justum volumen infructuosis erudito lectori ejusmodi notis obrueretur, de hoc opere in hac ipsa editione tacendum satius cum amicis existimavi. Unicum itaque selegi Procemium, quo qui notum id sibi velint fieri, certo veluti specimine utantur.

Venio nunc ad Conciones Stephani, quarum triginta summatim in quatuor manuscriptis, cathedralis nempe Tornacensis, abbatiarum Sanctæ Ge-

C novefæ et Sancti Victoris, necnon et Regiæ Navarræ laudantur; quæ quidem qua olim fama floruerint, ex accurata earum collectione et conservatione liquido constat. Nihilominus tamen cum alia sit ætatis nostræ, alia superioris hujus elegantia, suis ipsæ Lectoribus ita insipidæ ac simplices, ne dicam pueriles interdum apparent, ut luce publica nequaquam dignæ visæ sint: quippe quæ non modo, nec eruditas sanctorum Patrum homilias, nec eorum in exponenda sacra Scriptura lucem et felicitatem, nec gravem illam moralem doctrinam purissimis eloquentiæ coloribus perpolitam redoleant. Verum imo vel ex intricatis divisionibus, vel ex insulsis fictionibus, argutius quam solidius commentatis, vel locis Scripturarum utcunque accersitis, vel denique ex allusiunculis quibusdam et acutulis verbis, vim totam et ornamentum hauriant. Quapropter nil mirum si præ humili et obsoleta dictione, præ doctrina morali jejuna et arida, D nauseam sui et fastidium pariant, cum nec ad placendum, nec ad persuadendum ullius fere sint succi aut ponderis. Duabus id abunde probabitur, ex quibus cæteras dijudicare non erit obscurum. Unam habuit ad canonicos die Pentecostes in hunc Sapientiæ locum (I. 4, 5.): *Spiritus disciplinæ effugiet fictum, et non habitabit in corpore subdito peccatis*, in qua Dæmonis cum Malitia et Hypocrisi connubium effingit; sponsas vestibus pro sua dignitate distinctas amicit et ornat; mensæ nuptiali varias superimponit epulas; pro liberisque diversa munia elargitur. Quid delicatis hisce temporibus frigidius dici potest? Alteram vero Christi Natalitio dictam in hoc

argumentum, *Verbum abbreviatum*, inusitatis hodie hujuscemodi leporibus exhilarat, quippe qui grammatice loquendo, Verbo divino conjugationes, tempora, et modos, levius quam vegetius assignare non dubitet. Cæterum graviores licet in illis quædam reperiantur, nullas tamen quæ Lectorem vel satis erudiant, vel oblectent, probe intellectum est. Quod quidem ævi potius inelegantiæ, quam auctoris imperitiæ ascribendum esse constat. His igitur concionibus consulto suppressis, unicam in synodo pronuntiatam, qua cæterarum, quas hic sub calcem operis indico, detur notitia, præstat sevocare.

In tertio Stephani opere, Epistolis nempe, laboris summam posui, quæ quidem in quarto, ut loquuntur, una cum scriptis Gerberti, necnon Joannis Salisburiensis, a Joan. Bapt. Massono archidiacono Baiocensi, fratre Papyrii, ejusdem nominis famosissimi, dudum evulgatæ, paulo post etiam in Bibliothecam Patrum, ita deformes ac obscuratæ, insertæ sunt, ut ad germanum auctoris sensum vix ulla lux accederet. Insuper cum magis magisque rarescerent, egomet tot tanti viri meritis patrocinaturus, nomenque clarissimum restauratoris domus Sanctæ Genovefæ Parisiensis posteris mandaturus, ad recentiorem Epistolarum ejus editionem scholiis, pro virili, illustrandam, studium, curas et cogitationes contuli. Sed quoniam suus cuique honos plane tribuendus, fateor me id operis eo libentius suscepisse, quod dominus Baluzius, publicæ utilitatis valde providus, partes sibi jam a se propositas mihi peramanter concesserit. Quanquam enim vir ille omni doctrinæ ac laudis genere excellens, in ipso epistolarum Lupi Ferrariensis limine, Stephani Tornacensis Opera una cum notis luce donaturum spopondisset, ex quo meum idem institutum intellexit, edoctusque plurima mihi esse in manibus ex abbatiis tum San, enovefæa cum Sancti Evurtii Aurelianensis deprompta, quæ ad Epistolas Stephani abbatis illustrandas plurimum conferrent, vir ille officiosissimus confestim ab incœpto destitit, laudemque operis mihi, licet ipsi in ea re longe inferiori, liberalissime delegavit. Hujus ergo permissu et hortatu factus audacior, cum in conscribendis Epistolarum primæ editionis scholiis incumberem, nullis quoque parcebam curis ut nondum editas, si quæ essent, exploratas haberem. Dum id unum

A persequor, monent amici reverendum P. Josephum Ignatium a S. Antonio, Strictioris Ordinis Carmelitam, in duobus manuscriptis Belgicis nonnullas offendisse : mox lætabundus, ad religiosum virum litteras quas potui studiosiores ac diligentiores de meo proposito Tornacum scripsi ; nihil ille cunctando, opportune mihi adfuit, et ut libere dicam, officiosiorem in benevolentia, vel in conferenda gratia promptiorem reperiri puto neminem : suam enim mihi operam in ea re libentissime pollicitus, sexagenas epistolas, quas e duobus Belgii cœnobiis eruerat, propria manu exscriptas, et ita congeneres consentientesque Stephani stylo, ut de illo ipso auctore dubium omne tollant, ocissime misit. Unum autem ex his Flandriæ manuscriptis ab illo minime discrepat, quod illustrissimus archiepiscopus et dux Remensis e bibliotheca abbatiæ Sancti Amandi habuit, cujus quidem, juxta et alterius et bibliotheca Thuana, non mediocri subsidio, quo scilicet usus
B fuerat Joan. Bapt. Massonus, quodque forsan ipsum dominus du Saussay in *Historia episcoporum Aurelianensium*, suo ævo repertum Carnuti in monasterio Sancti Petri testatur, nova veluti machina munitus, errores in primam editionem illapsos faciliori negotio emendavit.

Observatum velim me a prima Epistolarum serie ne vix quidem pedem retulisse ; cum enim sat belle tripartitæ viderentur, in eas nempe quas Sancti Evurtii, quas Sanctæ Genovefæ abbas, quas demum episcopus Tornacensis scripsit, tametsi recens detectas, habita temporum ratione, veteribus commiscere coactus fuerim, illis tantum ad discrimen asterisco notatis, eumdem etiam nunc mihi servandum ordinem operæ pretium duxi. At quoniam veterum numerus novorum additione, et interpositione immutatum reperies, indice, quo citationes olim de iis allatæ tibi præsto sint, omnemque caliginem commodius discutias, consultum ac provi-
C sum est.

Optimum denique factu censui, si Vitam auctoris præponendam ejus operibus fideliter curarem, qua melius tanti præsulis virtutes ac dignitates innotescant. Tota porro fides sit ejus Epistolis, necnon et tabulis abbatiarum Sanctæ Genovefæ et Sancti Evurtii, quas summa cum laude parique prudentia longos per annos administravit.

NOTICE

DES MANUSCRITS LATINS DE LA BIBLIOTHÈQUE DU ROI,

N° 8630 A, 8566 A, 2923,

Contenant les lettres d'Etienne, successivement abbé de Saint-Euverte d'Orleans, et de Sainte-Geneviève à Paris, puis évêque de Tournai.

PAR M. J. J. BRIAL [1*].

—

I

1° Le manuscrit 8630 A, Colbert 4367, *Regius* 4353, est un petit in-4° de cent feuillets, écriture du XIV° siècle sur vélin, dont on a arraché des feuillets en plusieurs endroits. C'est ce manuscrit qui a servi à la première édition des lettres d'Etienne de Tournai, publiée par Jean Masson, archidiacre de Bayeux, à Paris, l'an 1611, in-4°, à la suite des épîtres de Gerbert, qui fut pape sous le nom de Silvestre II, et de Jean de Salisburi, comme on peut en juger par les lacunes qui existent dans cette édition aux mêmes endroits que dans le manuscrit. Cette édition ne contient que deux cent quarante lettres.

(1*) *Notices des manuscrits de la Bibliothèque Royale*, tom. X, partie II, p. 66.

2° Le numéro 8566 A, appartenant originairement à la bibliothèque de l'abbaye de Saint-Martin, de Tournai, avait passé dans celle de Charles-Maurice Letellier, archevêque de Reims, et de là dans l'ancien fonds de la Bibliothèque Royale, n° 4083, 2. C'est un in-4° sur vélin, d'une belle écriture du XIII° siècle, composé de cent vingt-cinq feuillets ou deux cent cinquante pages : il ne contient que deux cent seize lettres arrangées dans un ordre tout différent de celui qu'elles occupent dans le manuscrit précédent. Ce n'est proprement qu'un choix de lettres, dont on a retranché les suscriptions ou adresses, pour y substituer des sommaires explicatifs des matières contenues dans chacune ; mais on y en trouve plusieurs de celles qui manquent au manuscrit déjà cité. C'est à l'aide de ce manuscrit et de l'édition de Jean Masson, corrigée de la main d'Etienne Baluze, que Charles du Molinet, chanoine régulier de la congrégation de France, entreprit une nouvelle édition des lettres d'Etienne de Tournai, avec des notes, qu'il mit au jour in 8°, Paris, Billaine, 1679, contenant deux cent quatre-vingt-six lettres.

On trouve à la fin de ce manuscrit un traité de Guibert, surnommé *de Tournai*, frère mineur, ayant pour titre *De reformatione pacis ;* mais ce n'est pas de quoi nous voulons nous occuper.

3° Le manuscrit 2923, après avoir appartenu à François Pétrarque, se trouve coté dans différents fonds de la Bibliothèque, 1702, 4353. C'est un volume in 4° de cent soixante-neuf feuillets, sur vélin, écriture du XIV° siècle : Il contient, 1° les lettres de Pierre Abélard, 2° l'apologie du même par Béranger de Poitiers ; 3° les lettres de Cassiodore ; 4° les lettres d'Etienne de Tournai, depuis le folio 94 jusqu'à 169. Notre Notice n'aura pour objet que ces dernières.

Ce manuscrit est en tout conforme au n° 8630 A, mais il est sain et entier, et peut servir à remplir les lacunes qui existent dans le premier : il contient trois cents lettres ayant toutes les suscriptions ou adresses qui manquent dans le numéro 8566 A.

C'est d'après ce manuscrit qu'Etienne Baluze, peu content de l'édition du P. du Molinet, avait conçu le projet de donner une nouvelle édition des lettres d'Etienne de Tournai dont il connaissait l'importance pour l'histoire civile et ecclésiastique de la fin du XII° siècle. Il est à regretter qu'un savant si versé dans la littérature du moyen âge n'ait pas fait jouir le public de son travail, que l'on conserve à la Bibliothèque du Roi parmi ses manuscrits. Une nouvelle édition était d'autant plus nécessaire, que l'édition du P. du Molinet fourmille de fautes, surtout dans les pièces qu'il a publiées pour la première fois, dont le plus grand nombre manquant de titre laissent à deviner à qui elles sont adressées. Cette édition est encore incomplète, soit parce qu'on y trouve, dans les anciennes lettres aussi bien que dans les nouvelles, des lacunes considérables, un grand nombre de mots et de phrases essentiels entièrement omis ; soit encore parce qu'avec le secours du manuscrit de Pétrarque le nombre des lettres peut-être beaucoup augmenté. Le P. du Molinet n'en a donné que deux cent quatre-vingt-six. Nous avons vu que ce manuscrit en contient trois cents, et Baluze en avait recueilli plus de trois cent vingt.

Le P. du Molinet avait adopté un plan qui, s'il eût été rempli, aurait jeté un grand jour sur ces lettres. Il devait les distribuer en trois parties, plaçant dans la première celles qu'Etienne écrivit, étant abbé de Saint-Euverte d'Orléans, depuis l'an 1167 jusqu'à 1177 ; dans la seconde, celles qu'il écrivit sur un plus grand théâtre, pendant qu'il fut abbé de Sainte-Geneviève, à Paris, depuis 1177 jusqu'à 1192, et dans la troisième celles qu'il composa après qu'il fut pourvu de l'évêché de Tournai jusqu'à sa mort arrivée en 1203. Pour se conformer à ce plan, l'éditeur a eu raison de déplacer quelques-unes de ces lettres, qui visiblement n'étaient pas à leur place ; mais comme dans la plupart des autres, dépourvues de la formule de suscription, l'auteur ne prend pas de qualité, il en a laissé à leur première place un plus grand nombre qui auraient dû être déplacées.

Ce n'est pas tout d'avoir démêlé à laquelle des trois parties chacune de ces lettres appartenait, il aurait fallu établir entre elles un ordre chronologique, et c'est ce que l'éditeur n'a pas fait. On peut dire que, plus il s'est écarté de l'ordre établi dans les manuscrits, plus il a mis de confusion dans l'arrangement de ces lettres relativement à la chronologie. C'est ce qu'on remarque particulièrement dans la troisième partie, où l'éditeur a rejeté presque toutes les nouvelles lettres qu'il donne ; on est vraiment choqué de voir qu'elles y sont presque toujours placées dans un ordre rétrograde : ce sont pourtant celles auxquelles il était aisé de fixer une date, étant presque toutes relatives aux événements connus de l'histoire publique.

C'est d'après toutes ces considérations qu'Etienne Baluze avait formé le projet de donner une nouvelle édition des lettres d'Etienne de Tournai, en les rétablissant dans le même ordre qu'elles ont dans les manuscrits, parce qu'il serait difficile d'assigner des dates précises à la plupart d'entre elles, et absurde de les déplacer sans être assuré de les rétablir dans un meilleur ordre. Son travail existe, et il serait possible, en mettant la dernière main à ses notes qui ne sont qu'ébauchées, d'en faire jouir le public, si le goût du siècle était favorable à ces sortes d'entreprises. Ne pouvant tirer de l'obscurité ce nouveau travail en entier, nous croyons faire une chose utile et agréable aux savants de publier, par forme de supplément aux éditions existantes, vingt lettres qui n'ont pas encore été imprimées.

Nous aurions aussi beaucoup de corrections à faire au texte, soit de l'édition de Masson, soit du P. du Molinet, mais ce minutieux détail nous mènerait trop loin : nous nous contenterons de réimprimer quelques-unes des lettres les plus maltraitées par le P. du Molinet, surtout celles où il a omis des passages, et quelquefois des pages entières et de rétablir les formules ou adresses qui manquent à son édition (2).

II.

Etienne Baluze ayant eu communication d'un manuscrit du chancelier Séguier, contenant les lettres, ou une partie des lettres d'Etienne de Tournai, en a extrait douze qui n'ont pas encore vu le jour. Ce ne sera pas nous écarter de l'objet que nous nous sommes proposé dans cette Notice, de les publier à la suite de celles qui n'ont pas encore été rendues publiques, et que nous venons de recueillir. La plupart de ces lettres étant sans adresse, nous avons tâché de découvrir par des conjectures le nom des personnes auxquelles l'auteur écrivait. Si l'on trouve qu'elles ne sont pas rangées dans l'ordre chronologique, c'est que nous n'avons voulu rien changer à celui qu'elles occupaient dans le manuscrit. Nous eussions désiré le retrouver, ce manuscrit, qui, de la bibliothèque du chancelier Séguier, aurait pu passer dans celle de Saint-Germain-des-Prés, et de là dans la Bibliothèque du Roi ; mais nos recherches à cet égard ont été vaines.

(2) Loca quæ ex mss. codicibus restitui D. Brial inter uncos in editione nostra posuimus. EDIT. PATR.

STEPHANI
TORNACENSIS EPISCOPI
EPISTOLARUM
PARS PRIMA.

Continens eas quas scripsit cum esset abbas S. Evurtii (2*) Aurelianensis, ab anno circiter 1163 ad annum 1177.

—

I EPISTOLA PRIMA.

Planctus Ecclesiæ Aurelianensis super interfectione Joannis (3) *decani, quem exposuit Senonis in concilio episcoporum ac cleri provinciæ.*

Soror vestra (3*), sancta filia sedis hujus, Aurelianensis Ecclesia, rorantes sanguine lacrymas, et aspersas amaritudine preces ministerio nostræ vocis effundit, planctum unigeniti movet, filium uteri sui, quem genuerat, maternis ejulatibus requirit, et ecce non comparet, **2** et ipsa quo ibit? Posita est quasi signum ad sagittam, facta est opprobrium vicinis suis, et qui eam vident, movent capita sua super eam. Ipsa autem gemens et conversa retrorsum clamat in aures Domini Sabaoth : *Vindica, Domine, sanguinem levitæ tui* (4), *qui effusus est.* Et quis eam, nisi sit demens, in funere nati flere vetet? quis videat lacrymas ejus in maxillis ejus et contemnat? quis attendat cruentas ejus exsequias, lamentabile feretrum siccis oculis prosequatur? Patres mei, factum est verbum in diebus nostris, quod quicunque audierint, tinnient ambæ aures ejus. Exierunt in dolo viri sanguinum et dolosi, et de fruticum latebris fruticosæ mentis homines impetum fecerunt unanimiter in ministrum altaris, servum simul et filium crucis (5). In manibus eo- A rum vasa mortis, cum nihil minus quam mortem exspectabat ab eis. Ipsum ducem scelestæ factionis illius, qui altero sese polluerat homicidio, de mortis faucibus et exsilii proscriptione suo redemerat interventu. Non timuit generatio prava atque perversa semen Chanaam, et non Juda, progenies viperarum, non timuit signum Dominicæ Passionis, quod raso desuper vertice singuli nostrum gerunt, in sacro Dei levita profundis arare vulneribus, et faciem ad cœlestis pulchritudinis similitudinem figuratam notis turpibus deformare. Virum egregium de grege hominum exemerunt carnifices et sicarii; virum qui in Ecclesia sua dispersa colligens, lapsa erigens, fatigata reparans, possessiones Ecclesiæ sic revocarat perditas, ut non perderet revocatas. B Joannem nostrum martyrem simul causa fecit et pœna; causa, rigor ecclesiasticæ justitiæ, pœna, dolor passionis illatæ. Quia dixerat Joannes, imo dominus papa per Joannem : Non licet tibi habere portionem fratris tui clerici; infremuit Herodes, et factus ipse spiculator, in capite Joannis crudele spectaculum **3** mundo exhibuit : at si quæ in eo terreni contagii maculæ inhæserunt, totum delevisse credimus, et abstersisse dolores mortis qui eum circumdederunt, Dominici corporis et sanguinis

(2*) Abbatia fundata fuit in honorem sancti Evurtii Aurelianensis pontificis sexti, in eodem loco, ubi prius capella sub invocatione B. Mariæ consecrata erat, et de Montibus dicta, in qua sacræ pontificis hujus reliquiæ conditæ fuerant. Illius Ecclesiæ Stephanus exstiterat primum canonicus sæcularis, C deinde canonicus regularis effectus in abbatem electus est. In concilio Senonis congregato hanc orationem habuit.

(3) Is est Joannes de Cathena S.-Crucis Aurelianensis decanus, qui sacrilegis sicariorum gladiis occubuit, cum possessiones et jura Ecclesiæ suæ contra nobilium ac aulicorum quorumdam injustas deprædationes tutaretur, anno 1163.

(3*) Vocat Aurelianensem Ecclesiam suam filiam Senonensis, et sororem cæterarum comprovincialium (quarum prælati et digniores clerici tunc aderant Senonis) quod Ecclesia Aurelianensis semper archiepiscopo Senonensi fuerit subjecta usque ad annum 1622. Tunc enim episcopatus Parisiensis in archiepiscopatum per Gregorium XV erectus est, et Ecclesiarum Aurelianensis, Carnotensis et Meldensis prælati, a metropolitano Senonensi segregati, Parisiensi archiepiscopo in suffraganeos conscripti sunt.

(4) Joannes ille, quamvis decanus, erat tantum diaconus : quod tamen prohibitum fuerat in concilio Claromontano sub Urbano II, 1095, et in Londinensi sub Honorio II, 1127, ut nullus fiat decanus in Ecclesia, nisi presbyter; nullus archidiaconus, nisi levita.

(5) Quia erat decanus S.-Crucis Aurelianensis, quam ut matrem colebat et tuebatur. Hæc autem ecclesia in honorem S. Crucis a beato Evurtio ejusdem urbis antistite constructa fuerat, ex munificentia Constantini, vel, ut magis placet Saussæo, lib. II *Annal. Eccles. Aurelian.*, num. 22, Constantii imperatoris. Quæ cum postea incendio consumpta fuisset, ab Arnulpho hujus sedis episcopo elegantiori opere anno circiter millesimo restaurata est. Exarsit iterum sacrilegis Calvinistarum facibus sæculo prætérito, nunc vero in pristinam formam, imo venustiorem, regum nostrorum liberalitate exsurgit.

sacramentum, quod ea, qua potuit reverentia, A suscepit inter profundos gemitus, inter alta suspiria contriti cordis et humiliati spiritus. Post susceptam eucharistiam, præsentibus nobis, fati munus explevit; et qui vidit, testimonium perhibuit, et testimonium ejus verum est. Vestra interest, speculatores domus Israel, custodes murorum Hierusalem, pastores ovium Christi, vestra interest, et remedium adhibere præteritis, et providentiam futuris. Et licet sero vobis offeratur illud, *Melius est in tempore occurrere, quam post exitium vindicari*, tamen, *Deus ultionum Dominus* (*Psal.* XCIII); *Deus gemitibus inenarrabilibus interpelletur a vobis* (*Rom.* VIII). *Clamabit vobiscum vox sanguinis fratris vestri Abel de terra* (*Gen.* IV); *clamabit, et commovebit non solum terram, sed etiam cœlum* (*Agg.* II). Profecto enim B quis locus tutus, aut quæ causa poterit esse excusata, si venerandi ministri altaris æstimentur sicut oves occisionis? Quem murum integritati aut vallum fidei providemus, si ferri rabies exsecranda penetralia veneranda cruentat? Quid denique cautum aut securum esse poterit, si columnas Ecclesiæ sacrilega manus impune confringit? Habemus et Cæsarem qui condolere possit et velit infirmitatibus nostris, cujus longas manus non effugient, qui non solum offenderunt Corneliam de sicariis (6), sed Juliam majestatis (7). Eduxit gladium divinitus sibi commissum, persequetur et comprehendet, et non erit qui eruat eos. Facillime enim in hoc summi Numinis speratur venia, per quod salus et C incolumitas multorum procuratur. Insurgant simul leges ecclesiasticæ, armentur jura cœlestia ut, concurrentibus duobus gladiis, quos in defensione Christi passuri suffecisse legimus, duplici confusione **4** conterantur. Moveant vos lacrymosa viduatæ crucis suspiria, commune discrimen omnium, causa propria singulorum; et sic remedium conferte nostro dolori, ut honestati vestræ simul providentis et saluti.

5 EPISTOLA II.

AD GUILLELMUM CARNOTENSEM ELECTUM (8).

Rogat eum ut gratiam regis infensi sibi concil'et, qui epistolam de morte Joannis decani Aurelianensis scriptam, in malam partem acceperat.

Sacris et majoribus negotiis occupatas aures tenere, non multum aut a sacrilegio recedit, aut a crimine majestatis. Hujus culpæ simulacrum timens, domino meo prorsum multitudinem compendio sermonis accingo. Injunctum est mihi, ut nostis, domine mi, a domino archiepiscopo (9), ut lamentabiles Ecclesiæ Aurelianensis preces et communem episcoporum querelam super morte Joannis (10) domino regi (11) scriberem, quo et moveretur ad misericordiam, et accenderetur ad vindictam. Scripsi breviter, et in auribus omnium vestrum litteras transcurri, quæ missæ **6** sunt regi. Quæsivimus bona, et ecce turbatio. Moleste tulit, et adversum me canem mortuum et pulicem vivum commotus est. Cujus indignationem et iram immissiones per angelos, vel per interpretes malos, nec animæ meæ pusillanimitas, nec Ecclesiæ nostræ paupertas poterit sustinere. Precor ergo, domine mi, Christe Domini mei, ut quoniam in litteris illis simplicem oculum habui, apud dominum meum vestro me excusetis interventu, et impetretis mihi gratiam quam sine mea culpa doleo perdidisse.

EPISTOLA III.

PONTII CLAREMONTENSIS EPISCOPI AD MAURITIUM PARISIENSEM EPISCOPUM ET STEPHANUM S. EVURTII ABBATEM.

Quærit ab ipsis an baptismus cujusdam e suis diœcesanis fuerit validus.

Reverendis in Christo dominis et Patribus suis MAURITIO Parisiensi episcopo, et STEPHANO S. Evurtii abbati, PONTIUS eadem gratia Claremontensis episcopus, salutem et totius dilectionis obsequium.

Vobis duobus specialiter nostram duximus quæstionem referendam, quos et spiritalis **7** commendat affectus dilectionis, quem erga vos habemus, et specialis intelligentia Scripturarum famosos reddit, et commendabiles apud omnes. Homo iste præsentium lator quamdam olim feminam amabat, quam quidem desponsaverat, sicut ipse dicit; sed, priusquam eam acciperet uxorem, fecundavit eam. Cum igitur puer natus esset, nec posset sacerdos ad baptizandum eum congrue reperiri, pater ejus immersit eum aqua, dicens: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII), et hæc est pessima consuetudo in terra nostra, ut in talis necessitatis articulo dicant, *In nomine Patris, et Filii*,

D

(6) Lex Cornelia a Lucio Cornelio Sulla dictatore lata est in homicidas, qui ferro cædunt. Sicarii enim, teste Josepho, *Antiq. Judaic.*, lib. XX, dicebantur latrones cultellis utentes magnitudine similibus acinacibus Persicis recurvis, et similibus iis qui a Romanis sicæ dicuntur; unde et qui latrocinantur, nomen sumpserunt. Hujus legis meminit Seneca, lib. I *De Provid.*

(7) Lex Julia a Julio Cæsare dictatore lata est in eos qui contra imperatorem vel rempublicam aliquid moliebantur; quæ quidem lex varia capita comprehendebat. De ea Tacitus, lib. I *Annal.* His autem duabus legibus contendit auctor probare cædis hujus conscios duplici titulo reos esse, et ratione personæ interfectæ, quæ magistratus munere, decanatus scilicet in Ecclesia fungebatur, et genere mortis, quæ ipsi proditorie a sicariis fuerat illata.

(8) Hæc epistola scripta fuit circa annum 1164, quo Guillelmus a Campania præpositus Trecensis electus est in episcopum Carnotensem, post decessum Roberti. De eo scribit Alexander III ad Ludovicum juniorem his verbis: *Dilectum filium nostrum Guillelmum Carnotensem electum ad nostram præsentiam venientem tum tuæ magnificentiæ obtentu, tum totius sanguinis sui respectu, et suæ honestatis ac probitatis intuitu, paterna benignitate suscepimus.*

(9) Hugone scilicet cognomine De Toussy, Senonensi tunc archipræsule.

(10) Consulenda epistola I et quæ ad ejus elucidationem diximus de interfectione Joannis de Cathena decani S.-Crucis Aurelianensis, de quo hic sermo.

(11) Ludovico scilicet septimo, Pio et Juniori dicto.

et Spiritus sancti, nec totam exprimant verborum formam quæ debet exprimi in baptismo, quod undelare vocant. Quærimus ergo utrum istud baptismus sit, vel utrum puer postea debeat baptizari? Utrum etiam homo iste mulierem illam accipere valeat uxorem, quoniam boni satis esse testimonii perhibetur? Et rogamus dignationem vestram ut per litteras vestras de his omnibus certificetis nos. Valete.

EPISTOLA IV.

MAURITII PARISIENSIS EPISCOPI AD PONTIUM CLAREMONTENSEM.

Quæsitis respondet, et aperit sententiam de validitate hujus baptismi.

Reverendissimo Patri et domino PONTIO Claremontensi episcopo, MAURITIUS Parisiensis Ecclesiæ humilis minister, salutem et obsequii plenitudinem.

Super quo celsitudo vestra nostram consuluit parvitatem, breviter respondemus, quia in quem modum forma baptismi tradi vel recipi debeat Scripturarum divinarum auctoritate, et sanctorum Patrum testimonio traditum habemus in hunc modum, scilicet: **8** *Ego te baptizo, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, et tanta est horum verborum vivacitas ut nihil immutari, nihil innovari oporteat. Nisi vero tota hæc verba simul a quocunque et quacunque lingua proferantur, baptismum esse non credimus. Quia ergo, sicut litterarum vestrarum testimonio cognovimus, præsentium lator in submersione filii sui *ego te baptizo* siluit, et tantum *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* protulit, baptismus non fuit, et ideo puer ille baptizandus est, quia baptismum nequaquam suscepit. Itaque de reliquo nulla superest quæstio. Vale.

EPISTOLA V.

STEPHANI AD PONTIUM CLAREMONTENSEM EPISCOPUM.

Mentem suam profert de eodem baptismo.

Sanctissimo Patri et domino PONTIO Claremontensi (12) episcopo, frater STEPHANUS de Sancto Evurtio, salutem et cum omni devotione reverentiam.

Premit, fateor, imperitiam meam et quærentis auctoritas et novitas quæstionis. Accedit moles verecundiæ meæ, Pater, quod in tanta consultatione vestra domino Parisiensi (13) me jungitis, camelo culicem, cedro carduum, Hylam Herculi comparantes (14). Scriba doctus in regno cœlorum proferens de thesauro suo nova et vetera, quæstionibus vestris, in profunditate sensus et sublimitate scientiæ, respondit, et cœleste oraculum suum facili vobis absolvit epistola, felix lingua. Divinam ejus responsionem, ut Thebais Æneida (15):

... *Longe sequor, et vestigia semper adoro.*

Moverer in contrarium (16), si absque sacris ejus apicibus mihi quæstio moveretur. Qui sacramentum instituit baptismi, formam tradidit baptizandi: *Ite*, inquit, *docete omnes* **9** *gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII). Qui baptizandi sibi potestatem retinuit, in hac forma ministerium aliis concessit. Nemo dixerit

(12) Corrigenda est antiqua hujus epistolæ epigraphe, et legendum Pontio, non Petro. Hic enim Pontius ex abbate V Clarevallensi electus est episcopus Claromontanus in Arvernia anno 1170. Henriquez in *Fasciculo sanctorum* ordinis Cisterciensis albo beatorum ipsum ascribit. Per nuntium consuluerat Mauritium episcopum Parisiensem, et Stephanum tunc abbatem S. Evurtii Aurelianensis, an minister baptismi qui fundit aquam proferens tantum hæc verba, *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, et reticens ista, *ego te baptizo*, valide conferat baptismum, ut cognoscitur per epistolam 3. Epistola autem 4 Mauritius mentem suam de hac quæst. aperit, et præsenti epistolæ 5 Stephanus quid sentiat exponit.

(13) Fuit is Mauritius LXVIII episcopus Parisiensis, Petri Lombardi successor, virtute et eruditione clarissimus: scripsit enim *Sermones ad populum*, et tractatum *De cura animarum ad presbyteros*. Basilicam beatæ Mariæ Parisiensis fere integram construxit, et sub finem vitæ apud S. Victorem secessit, ubi tumulatus est. De illo Rigordus sub annum 1196: *Eodem anno III Idus Septembris, Mauritius venerandæ memoriæ Parisiorum episcopus, pater pauperum et orphanorum, feliciter migravit ad Dominum. Hic inter innumera bona quæ fecit, quatuor abbatias fundavit, et propriis sumptibus devotissime dotavit, videlicet Herivaltem, Hermerias, Hederam et Gif, et alia quæ habuit pauperibus erogavit.* Habes in epistola 262 ejus epitaphium a Stephano nostro in ejus laudem exaratum.

(14) Hac comparatione sæpius utitur auctor noster, ut significet quanta sit disparitas inter hominem debilem et robustum, parvum et magnum, ignarum et doctum, qualis erat inter Hylam et Herculem. Fuit enim Hylas puer, quem peregrinationum suarum comitem Hercules habuit.

(15) Statius Papinius poeta scripsit duodecim libris poema epicum, ut omnes norunt, quod Thebaidem appellavit, Virgilium in sua Æneide secutus, non tamen assecutus, auctoris nostri judicio. Quod etiam ipse Statius vere agnovit his versibus:

.......*Nec tu divinam Æneida tenta,*
Sed longe sequere, et vestigia semper adora.

(16) In hac epistola sententiam suam circa baptisma profert Stephanus, dicitque hæc verba, *ego te baptizo*, non esse de necessitate sacramenti; quam tamen opinionem defendere et asserere non intendit, sed tantum eam proponere: *Opiniones*, inquit, *profundo, non assertiones*. Hoc autem argumento eam videtur astruere: Ad validitatem sacramenti id tantum requiritur, quod Christus præcepit fieri; sed præcepit solum baptizare, seu intingere puerum in aquam, *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*: ergo qui intingit puerum in aquam cum his verbis, *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, facit quod præcepit Christus, et vere baptizat; nec opus est ut exprimat verbis, *ego te baptizo*, cum exprimat factis. S. Thomas, parte III, Quæst. 66, art. 5 ad 1 et 2, huic argumento respondet. Condonandum est autem huic auctori, si quodammodo in hanc sententiam propendere videatur; nondum enim clare et distincte fuerat declaratum quæ verba essent de necessitate baptismi: quod quidem circa hæc tempora decretum fuit ab Alexandro III his verbis in *Decret.*, lib. III, tit. 42, De baptismo, cap. 1: *Si quis puerum ter in aquam immerserit in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, amen: et non dixerit, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, amen, non est puer baptizatus.*

A

quia quod dicitur, *Ite, docete omnes gentes*, vel sacramenti obtineat substantiam, vel exprimat formam. Teneamus quod sequitur: *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Nondum ibi legi, *Baptizantes eos, et dicentes: Ego baptizo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Si baptizare intingere, et baptismus intinctio est, quid aliud sunt baptizantes nisi intingentes? Intingens ergo cum intentione baptizandi, si proferat quod Veritas jubet, id est, *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, baptizasse videtur, et formam a Christo traditam complevisse. Etiam hæreticos, si hæc tremenda nomina protulerint, catholicam formam tenuisse dicemus. *Novatiani*, inquit Innocentius, *tremendis nominibus Patris, et Filii, et Spiritus sancti baptizant. Nec apud eos de unitate potestatis divinæ, hoc est Patris, et Filii, et Spiritus sancti, aliquando quæstio mota est.* Sed et Pater Augustinus de ecclesiasticis regulis: *Si qui*, inquit, *apud illos hæreticos baptizati sunt, qui in sanctæ Trinitatis confessione baptizant, et veniunt ad catholicam fidem, recipiantur quidem ut baptizati, ne sanctæ Trinitatis invocatio vel confessio annulletur.* Si ab hæreticis baptizati in confessione Trinitatis ab Ecclesia recipiuntur, ne Trinitatis invocatio vel confessio annulletur; quare non baptizatus dicetur, qui a laico catholico dicente: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, tertio mersus est (17)? Nam si hoc non admittitur, confessio vel invocatio Trinitatis, quæ ibi facta est, tanquam quæ nihil contulit, annullatur. Idem ad Orosium: *Idem baptisma est et hæreticorum, scilicet qui in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti baptizant et Ecclesiæ catholicæ: et ideo eos Ecclesia non rebaptizat;* **10** *quia in nomine Trinitatis baptizati sunt, et ipsa est profecto forma sacramenti.* Ecce quia formam sacramenti hanc esse dicit, immergere scilicet *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti:* non additur, *ego te baptizo*, vel immergo. Idem de unico baptismo: *Nequaquam dubitarem eos habere baptismum, qui ubicunque vel a quibuscunque illud evangelicis verbis consecratum sine simulatione, et cum aliqua fide acceperint.* Vides, Pater, quia solis verbis evangelicis consecratur baptismus. Nusquam autem in toto Evangelio lego: *Ego te baptizo, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, sed tantum BAPTIZANTES *in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti.* Sed et Zacharias papa Bonifacio episcopo: *In synodo Anglorum decretum et firmissime præceptum, et diligenter demonstratum esse dignoscitur quod, quicunque sine invocatione Trinitatis mersus fuisset, sacramentum regenerationis non haberet, quod omnino verum est; quia, si mersus in fonte baptismatis quis fuerit sine invocatione Trinitatis, perfectus Christianus non est, nisi in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti fuerit mersus.* Non ait, *nisi qui baptizat dixerit: Baptizo te in nomine Patris.* Plura possem colligere, Pater, quæ in hac parte me movent, et motæ quæstionis solutionem

B

promovent. Verum quia timeo et prolixitatis argui, et procacitatis notari, parco chartulæ, parco et famæ meæ. Opiniones profundo, non assertiones, paratus, ut dixi, summi et catholici viri domini Parisiensis sequi vestigia, non tamen addictus in alicujus jurare verba. Clausulam tamen quæ a baptizantibus solet et debet dici, scilicet, *ego te baptizo*, summa reverentia deosculor, summo studio amplector. Eam mater Ecclesia sic induxit ut esset de solemnitate ministerii, non de substantia sacramenti. Nam si aliud dixerimus, absque medio confitebimur damnatos, quos in necessitatis articulo **11** a laicis novimus baptizatos. Hoc enim solum dicere solent qui litteras ignorantes parvulos undaizant (18), *En nome Patres, et Files, et Esperites*

C

santes, in quibus verbis eamdem virtutem inesse quam in Latinis syllabis idem significantibus, et credimus et fatemur. Vehementer tamen arguendos et pœnitentia afficiendos dixerim sacerdotes, qui vel per negligentiam, vel per imperitiam aliquid omiserint de verborum solemnium dignitate. Qui præmissis rationibus fidem adhibuerit, baptizatum taliter, *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, non iterum baptizabit. Itaque qui sic eum baptizavit, et spiritalis pueri pater, et matris ejus compater effectus est. Unde et si uxor ejus prius non erat, impediente compaternitate, judicio meo cum ea non contrahet matrimonium, cum qua, etsi prius contraxisset, secundum quod Deusdedit papa (19) asserit, nullo modo sese in conjugio cum ea recipiet.

D

(17) Trina immersio olim in baptismo observabatur: legitur enim in can. apost. 49 et 50: *Si quis presbyter aut episcopus non trinam mersionem unius mysterii celebret, sed semel mergat in baptismate, quod dari a quibusdam dicitur in morte Domini, deponatur.* Postea tamen in Ecclesia usus fuit indifferens, ut modo trina, modo unica immersione baptisma conferretur, quod ait S. Gregorius epistola ad Leandrum lib. I, epist. 4: *Reprehensibile esse nullatenus potest infantem in baptismate vel ter vel semel immergere.* Tandem in concilio Tolet. habito sub Honorio I anno 635, can. 6, sublata fuit trina mersio, et ad unicam redacta: *Propter quod in Hispaniis* (verba sunt concilii) *quidam sacerdotes trinam, quidam, ut dicitur, simplam mersionem faciebant a nonnullis schisma esse conspiciebatur, et unitas fidei scindi videbatur; decretum fuit ut deinceps in baptismo una tantum fieret mersio.* Quod quidem statutum non statim receptum fuit in omnibus Ecclesiis; siquidem ex hac epistola patet hisce temporibus ritum baptizandi cum trina immersione adhuc viguisse per Gallias.

(18) Idem est ac quod Gallice dicimus, *Ondoyer*, cum baptisma privatim confertur absque cæremoniis et unctionibus ab Ecclesia præscriptis.

(19) Scilicet in epistola ad Gordianum episcopum Hispalensem, in qua hæc ait: *Nullus Christianus suam commatrem in conjugem suscipere debet: et qui præsumpserit, anathematis vinculo religetur in perpetuum, nisi pœnitentiam egerit digne. Mulieres, cum separatæ fuerint pro hac illicita re, a propriis viris totam recipient dotem, quam in die nuptiali receperunt, et post expletum annum recipiant alium virum, similiter et vir uxorem.*

A Nec obloquitur quod Joannes papa Anselmo episcopo scribit, capitulo *Ad Limina beati Petri*. Ibi namque de conjunctis, hic agitur de modo conjungendis. Et certe multa impediunt matrimonium contrahendum, quæ non dirimunt contractum. Nam et idem papa in eodem capitulo rationem subdit, quare conjuncti ob talem causam non separentur, quod fieri, inquit, nullatenus debet, dicente Scriptura, a Domino junctam esse viro uxorem, *et quod Deus conjunxit, homo non separet* (*Matth.* XIX). Ubi plane loquitur de conjunctis, qui forte aliter diceret de conjungendis. Valeat sanctitas vestra.

12-14 EPISTOLA VI.

AD ALDEBERTUM MIMATENSEM EPISCOPUM.

Purgat se de quibusdam dictis quæ ipsi falso fuerant relata.

B ALDEBERTO Mimatensi (20) episcopo, in adversis constantiam, in prosperis æquitatem.

Communis fere principum et nobilium morbus est (21) cito credere et condemnare. Primum leve, secundum crudele est. Utrumque vobis alienum faciat, qui in adventu suo fecit utraque unum. Quod de me credidistis, non facilitati, sed innocentiæ, quæ omni verbo credit, vestræ litteræ deputarunt. Propterea qui me vobis detulit, majus peccatum habet. Vestræ voluntatis judicia plenis deosculor labiis, plenis visceribus deamplector. Beneficiorum memor, quæ mihi exhibuistis, depono memoriam querelarum, offero me domino meo, et in ejus obsequium totus ibo; et quia laboris et studii C mei primitias noluistis, decimas vobis reservo. Non dubitet dominus meus vel jubere quod voluerit, vel quod jusserit obtinere. De reddita mihi gratia vestra gratias ago, si locus et tempus occurrerit gratiam pro gratia redditurus.

15 EPISTOLA VII.

AD GODEFRIDUM ABBATEM S. SATYRI.

Rogat ut quemdam suum canonicum apud se retineat.

Charissimo amico suo GODEFRIDO abbati S. Satyri (22) frater STEPHANUS minister S. Evurtii, plenitudinem salutis in obsequio sanitatis.

Auxilium a potente, consilium quæritur a perito. Hæc duo, si voluntas adfuerit, spei remedium pollicentur. Posse scire, et velle vos credimus quod preces nostræ continent, quod affectus desiderat, quod desiderium exspectat. Charissimum nobis et vobis filium ac fratrem nostrum Gislebertum mittimus, ut in necessitate sua, quæ et nostra, Patrem vos sentiat et patronum. Morbo tangitur occulto nobis, cui si non occurritur in primis, metuendum est in extremis. Excitetur affectus et effectus vester; charitas operetur et pietas, ut ei pristina salus vestro ministerio restauretur; et quia pusillanimitatem ejus scimus, etiamsi propere reverti voluerit, rogamus ut eum teneatis vobiscum, donec aut nos, aut nuntium nostrum videatis.

16 EPISTOLA VIII.

AD DECANUM S. MARTINI TURONENSIS.

Quærit eleemosynas pro ecclesia Sancti Evurtii reparanda.

Sollicitare compellimur amicos nostros, et in preces assurgere necessitas nos compellit. Combustam Patris Evurtii (23) renovamus ecclesiam, ubi, quia nostra non sufficiunt, aliena stipendia mendicamus. Eximus in publicum, nec sine rubore ruborem abjecimus, per vicos et plateas devotionem plebis, ut possumus, excitantes. Inde est quod hos fratres nostros cum sanctorum pignoribus misimus, quibus, obsecro, per auctoritatem vestram et operam detur copia in ecclesia S. Martini eleemosynas devoti populi corrogare. Non indignabitur pius et misericors confessor, sacerdoti suo vel præstare obsequium, vel hospitium præparare. Quem enim habet in cœlis concivem et socium, lætus in terris hospitem suscipiet, et amplexu gratissimo confovebit. Cum sanctorum pignoribus misimus, ut devotionum populi per aliquas ecclesias fiat oblatio, quæ offerentibus in meritum, accipientibus in solatium convalescat. Grande est quod petimus, sed hinc nostra compellit necessitas, inde vestra nos benignitas invitat.

17 EPISTOLA IX.

Scribit amico suo de ejusdem ecclesiæ restauratione.

Inter fumantes ecclesiæ nostræ cineres, et ambusta renascentium parietum ligna, flentes et attoniti, prodire cogimur in publicum, et attrita fronte stipis exteræ suffragia mendicare. Erigitur nova confessori Evurtio fabrica, quæ sic nostris inchoa-

D

(20) Fuit canonicus regularis secundum S. Augustini regulam, et præpositus Ecclesiæ Mimatensis, vulgo *Mande*, deinde ad sedem hanc episcopalem evectus anno 1151.

(21) Per hæc verba innuit hunc episcopum fuisse nobili genere ortum, nec immerito; siquidem ab illustri et antiqua familia de Tornello apud Gabalitanos ducebat originem.

(22) Ex canonico S. Evurtii Aurelianensis electus fuit in abbatem S. Satyri juxta urbem dictam Sacrum-Cæsaris, vulgo *Sancerre*, in diœcesi Bituricensi. Fundata autem fuit hæc abbatia anno 1113 a Mathilde, hujus loci domina in honorem S. Petri et S. Satyri, plurimorumque sociorum ejus martyrum, ad officium clericorum inibi canonice viventium, ut legitur in charta fundationis. Hæc monasterium unitum est postea congregationi Victorinæ, cujus erat canonicus Godefridus, ad quem hæc epistola et plures aliæ scriptæ sunt.

(23) Cum abbatia S.-Evurtii Aurelianensis esset extra muros urbis sita, bellorum patuit incursibus, unde cladem maximam perpessa est, præsertim a Normannis, qui eam ferro et face penitus deleverant. Cum Stephanus abbatis in ea officio circa annum 1174 fungeretur, zelo domus Dei reparandæ incensus, ut sumptus ad tantum opus necessarios compararet, misit quosdam e suis canonicis ad vicinas urbes, qui, ut tunc moris erat, secum deferrent reliquias beati hujus Ecclesiæ pontificis et patroni, quarum intuitu fideles eleemosynas suas largirentur, templi sui restaurationi impendendas. De hujusmodi reliquiarum delatione agitur, can. 12 concilii Pictaviensis his verbis : *Ut sanctorum reliquias causa pecuniæ et quæstus circumferentes, ad prædicationem non admittantur.*

tur impendiis, ut perfici desideret alienis. Misimus A hos fratres nostros cum sanctorum pignoribus, ut devotione populi per aliquas Ecclesias vel modi a fiat collatio, quæ et offerentibus in meritum, et accipientibus in solatium convalescat. Grande est quod petimus; sed hinc nostra nos compellit necessitas, inde vestra benignitas nos invitat.

EPISTOLA X.

AD CLUNIACENSEM ABBATEM (24).

Monet ut amoveat priorem (25) monasterii Pontis monachorum, qui ecclesiæ suæ bona dilapidabat.

Quæ præ oculis habemus facilius innotescunt; longe autem posita, quia rarius offeruntur, et tepidius mentem movent. Inde est quod, remotis domibus vestris, Pater, si qua minus idonee fieri contingat, tandiu vobis excusationem præstant, quandiu nesciatis : at, rei veritate comperta, non est locus excusationi **18** quam excludit cognitio. Est in territorio nostro monasterium quoddam vestrum, cujus prior, ut dicitur, non secundum ea quæ conveniunt ambulat, nec restaurationi domus intendens, nec utilitati fratrum, aut quieti, crebras a vicinis, et quibus fides haberi debet, conquestiones audivimus, et ipso gestu suo negotia perhibent veritatem. Excreverunt in immensum brevi tempore debita, cum nec ampliantur redditus, nec augeatur numerus fratrum, nec vetustate consumpta ædificia restaurentur. Tædet audita referre, quæ vicini, de quorum patrimonio monasterium sustinetur, miserabiliter nobis replicant et frequenter. Videat paternitas vestra, ut loco in desolationem vergenti provideatis talem priorem, qui et honorem Dei et ordinis diligat, et locum ipsum in meliorem statum reformet.

19 EPISTOLA XI.

AD GUILLELMUM (26) SENONENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Commendat ecclesiam S. Samsonis (27) Aurelianensis.

In te, Pater, respiciunt oculi totius Israel, ut eripias pauperem a potente et cornua peccatorum confringas. In hujus constantia clamat in aures Domini B Sabaoth filia Sion (28), ecclesia Sancti Samsonis, et contra mulierem improbam quasi alteram Jezabel sub umbra alarum vestrarum quærit requiem et solamen. Injuste possessionem ecclesiæ civilem et justam non solum turbat, sed et aufert, cum totius fere civitatis testimonium ejus miretur improbitatem, ejus impudentiam detestetur. Sententiam illam quam Ecclesia Sanctæ Crucis in eam protulit, canonicam credimus atque justam, et eam sicut dignum paternitati vestræ videtur, communi cum eis

(24) Cluniacum celeberrimum toto orbe monasterium in diœcesi Matisconensi, quod caput amplissimæ congregationis semper exstitit. Fundatum fuit sub Regula S. Benedicti a Bernone abbate, favente Guillelmo primo comite Arverniæ et Aquitanorum duce, anno 910, de quo Glaber lib. III, *Hist. Franc.*, C cap. 5, ait : *Monasterium cognomento Cluniacum, quod ex situ ejusdem loci acclivo atque humili, tale sortitum est nomen, vel etiam quod aptius illi congruit, a cluendo dictum, quoniam cluere crescere dicimus; insigne quippe incrementum diversorum donorum a sui principio locus idem obtinuit. Construxit igitur prædictum cœnobium primitus Pater monachorum Balmensis monasterii Berno, jubente Guillelmo piissimo Aquitanorum duce, in pago Matisconensi super Graonam fluviolum.*

(25) Pons monachorum est prioratus ordinis Cluniacensis, duodecim circiter milliaribus ab urbe Aurelia distans.

(26) Fuit filius Theobaldi Campaniæ comitis, primum Trecensis Ecclesiæ præpositus, deinde in Carnotensem episcopum electus, ut diximus, anno 1164; inde assumptus ad metropolim Senonensem 1169, et a Mauritio Parisiensi episcopo consecratus; demum ad Remensem archiepiscopatum vocatus anno 1175, purpura cardinalitia tandem donatus D est. Plures ad eum hic inscribuntur epistolæ.

(27) Hæc ecclesia in urbe Aurelianensi ab origine sancto Symphoriano martyri fuit dicata, et abbatiali dignitate decorata. At, cum canonici Dolenses metu Normannorum corpus beati Samsonis ex Britannia minori Aurelias deportassent sub annum 930, Hugo, comes Parisiensis et Aurelianensis marchio, dedit hanc abbatiam cum aliis ecclesiis, præfatis canonicis Dolensibus, annuente Anselmo Aurelianensi antistite. Postea Philippus I, Francorum rex, hanc abbatiam S. Symphoriani ac Sancti Samsonis tunc nuncupatam, una cum **20** medietate fori, quod statuit in loco ipsius monasterii, ascripsit canonicis Sancti Martini a Campis prope Parisios, in die dedicationis ejusdem ecclesiæ die 1 Novembris 1067, instrumento super his confecto.

(28) Vocat ecclesiam Sancti Samsonis filiam Sion, eo quod Ludovicus VII, anno 1152, ex Jerosolymitana expeditione in Galliam rediens, adduxerit secum quosdam canonicos regulares, qui in ecclesia patriarchali Montis Sion divinis vacabant, ut notat Jacobus de Vitriaco *Hist. oriental.*, cap. 18, quos in ædem Sancti Samsonis Aurelianensis, loco canonicorum ibi sæculariter et singulariter viventium, induxit, chartamque donationis hujus authenticam confici curavit, quam refert Saussæus, lib. X *Hist. eccles. Aurel.*, n. 4.

Hinc est quod in charta donationis cujusdam loci dicti *de Frameer* cum omni dominio suo, factæ ecclesiæ Sancti Samsonis, hujus ecclesiæ fratres dicuntur Jerosolymitani Sanctæ Mariæ de Monte Sion : quapropter operæ pretium duxi hic eam recensere; sic igitur habet :

A *et* Ω *principium et finis. Ea quæ sacris Dei ecclesiis pia liberalitate donantur, digno debent robore convalescere, ne quies et otium earum ecclesiarum, et personarum quibus conferuntur, ab aliquorum molestiis seu vexationibus aliquatenus valeant perturbari. Ex hoc ergo ego Herveus de Virsione, notum fieri volo tam præsentibus quam futuris, quod locum de Fraamer, qui situs est in confinio de Clinum et Briennum ecclesiarum cum appendiciis suis, pro salute progenitorum meorum et meo, Jerosolymitanis Sanctæ Mariæ de Monte Sion et fratribus ecclesiæ Sancti Samsonis Aurelianensis sub tali tenore duxi conferendum, ut nec prædictus locus, vel ejus possessiones sine assensu meo aut hæredum meorum qui mea hæreditate fuerint decorati, alienari possint, distrahi, vendi, vel quomodolibet obligari; ad hæc adjiciens : Eisdem fratribus nihilominus indulgeo, ut his libere possint uti quæ de feudo meo ad ipsius loci augmentum potuerint adipisci, præsentem utique paginam sigilli mei auctoritate præcepi corroborari, assistentibus testibus Actio Ciconio, Bricio præfecto, Rembaudo Combusto, et Venando fratre ejus, Mauberto Sanctæ Crucis canonico, Haimerico presbytero de Petra ficta. Actum publice, Ludovico rege regnante, anno ab Incarnatione Domini* 1175.

Hic locus *de Fraamer* titulo prioratus gaudet, quem hodie possidet unus e canonicis regularibus nostræ congregationis Gallicanæ, qui mihi hanc chartam suppeditavit.

desiderio suppliciter a vobis rogamus et petimus A confirmari.

21 EPISTOLA XII.

AD ALEXANDRUM III PAPAM.

Rogat ut se propitium præbeat Joanni clerico Aurelianensi (29).

Sanctissimo domino et Patri ALEXANDRO summo pontifici, STEPHANUS dictus abbas.

Parata sedes vestra, Pater, ut de plenitudine ejus omnes accipiant. Et profectum parvulis, et statum provectioribus pollicetur. Hæc de vestra misericordia præsumens juvenis quidam bonæ, ut nobis videtur, indolis, Joannes in Aurelianensi nutritus Ecclesia, et eruditus, devote a vobis et consilium expetit, et auxilium exspectat. Scimus eum de legitimo matrimonio et honestis parentibus natum, qui, etsi non sint facultatibus divites, moribus sunt insignes. Credimus eum idoneum qui vel in Aurelianensi, vel in alia Ecclesia, stipendia canonica mereatur.

EPISTOLA XIII.

AD GUILLELMUM SENONENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Rogat pro quodam clerico scholari ut ei sua possessio conservetur.

Charissimo domino et Patri GUILLELMO Senonensi archiepiscopo, frater STEPHANUS abbas, salutem et cum omni veneratione reverentiam.

22 Professioni simul et conditioni præsentium latoris compatiens, et revereor clericum, et pauperem deamplector. Ad bestias depugnat in laicorum foro, contra laicum de paterna hæreditate litigans, judices habens eos, qui et non noverunt litteras, et litteratos oderunt. Vestra, Pater, sententia non minus æqua quam justa, coram vobis agentem clericum in illius remisit curiam, cujus annua functione censum possessio profitetur. Eo salvo, prolata est definitio vestra, ut causa studiorum, qua contingit eum abfuisse, non debuerit obfuisse. In contrarium nititur judicare turba maledica, ne dicam maledicta, quæ nescit legere. Quarto convenerunt litigantes coram judice, et quarto filii hominum, qui judicant terram, ut vulgariter loquitur, judicium respectarunt. Pro certo didicimus eos non minus impudenter quam imprudenter primo consensu judicaturos, causam studiorum non esse justam absentiæ causam: ob quam aut ipso jure non fuerit læsus, aut restitui mereatur, cujus absentis et studentis hæreditas distracta est. Si sic reos proferre contigerit, et juri communi contrarium, et sententiæ quam dedistis, ut inimicum refragabitur et iniquum. Sed ad consequentiam trahi poterit in causis consimilibus, Pater, ut jam non sit, qui causa scholarum patrios lares exeat, ne, dum facultates quæsierit liberales, facultates amittat temporales. Placet vobis, Pater, in hoc articulo consilium et auxilium dare, non huic tantum clerico, sed et omnibus aliis, quoniam et communis causa est omnium, et propria singulorum. Bene valeat sanctitas vestra.

23 EPISTOLA XIV.

AD ALBERICUM BONONIENSEM LEGISPERITUM.

Supplicat pro Hugone Aurelianensi clerico, ut ei præsto sit.

Domno ALBERICO Bononiensi legisperito.

Absentiam vestram supplet mihi frequens nominis vestri memoria, et suavis morum vestrorum B recordatio jucundum animæ meæ plausum excitat, jocundam celebrat theatralium actionem. Inde est quod amicis et domesticis meis nomen vestrum frequenter insinuo, magnifico et extollo. Hac de causa misi securius ad vos charissimum amicum meum harum præsentium latorem, ut eum causa mei benevole simul et benefice vobiscum habeatis. Dignum enim credimus, cui et honorem exhibeatis et favorem.

EPISTOLA XV.

AD GUILLELMUM BONONIENSEM.

Commendat eumdem clericum Aurelianensem.

Domno GUILLELMO Bononiensi.

Hilaris opinio tua relatu commeantium, seipsam C in dies excedens, gratum mihi præbet spectaculum, gratam refectionem ministrat. Crescat, obsecro, et sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus, longe lateque diffusa, in adjutorium tuum remotas excitet nationes. Hoc et continuum de te votum meum, hæc deprecatio jugis, hæc indefessa voluntas. Interim dilectioni tuæ commendo hunc amicum meum charissimum Hugonem, ut eum causa mei benigne suscipias, et ei consilium et auxilium tuum libenter impendas.

24 EPISTOLA XVI.

AD QUEMDAM PRIOREM NEAPOLITANUM.

Commendat quemdam canonicum suum Neapoli commorantem.

D Charissimo amico suo totis præcordiis amplectendo Neapolitano priori, frater STEPHANUS, salutem et mutuæ charitatis obsequium.

Ea jucunditate simul et lætitia, frater amantissime, nominis tui recordor, quæ animæ veram amicitiam degustanti non minus afferat dilectionis commodum, quam delectationis condimentum. Inde est quod si quos videro, qui te, aut qui tecum sunt viderint, frequenter interrogo quis locus habitationis vestræ? qui vivendi modus? quæ domini car-

(29) Commendat hac epistola quemdam adolescentem, Joannem nomine, Alexandro summo pontifici, ut præbendam in Ecclesia Aurelianensi ipsi iubeat tribui, quod factum fuisse discimus ex epistola inferius scripta, ac diplomata pontificia ad id obtinuisse, quorum exsecutio Stephano nostro demandata est.

dinalis (30) circa vos sollicitudo? quæ denique fratrum nostrorum voluntas, aut ibi commorandi diutius, aut citius revertendi? Hæc autem diligentius inquiro, non ut adversis, quod absit! congaudeam, sed ut prosperis condelecter. Inter omnia et super omnia, dilectissime, fratrem nostrum R. tibi commendo, gratias agens de præteritis a te ei exhibitis beneficiis, preces porrigens de futuris. Memento, Pater et frater, illius filii nostri communis, et juventutem ipsius salubribus informa monitis, fove consiliis, robora documentis. Quidquid ei boni feceris, mihi collatum et in plateis et in angulis prædicabo.

25 EPISTOLA XVII.

AD ROGERIUM ABBATEM S. EVURTII.

Scribit se reversurum in monasterium, ut abbas mandaverat.

Domno ROGERIO (31) abbati S. Evurtii Aurelianensis.

Trinis, Pater, edictis et eo amplius accingor ad reditum, ne contumaciæ pœnas luam; peremptorio demum misso unum sufficeret pro omnibus, etiamsi nullum aliud præcessisset. Ne ergo identitatem 26 ipso jure non habeam, vel restitutionis auxilium non merear, vel exspectationis ope non adjuver, advolvor pedibus vestris, ut necessitatis inducias, quas hactenus objeci, contumaciæ non ascribatis, ne contrahatur heremoditium super me (32), ne procedat calculus in absentem, cujus absentia nostræ reipublicæ commodis elaborat. Moratoriis exceptionibus abjectis, domine Pater, id promitto, quoniam in Pascha, Deo volente, transitum faciam ad vos in grege Domini, et si non agnus, saltem ut hædus pascua ejus humiliter ingressurus. Præmisi puerum hunc ad me cito reversurum, cui si necesse fuerit, obsecro, assistatis, ne fratres ejus portionem paternæ substantiæ quæ ei contigerit, vi aut pravo judicio sibi usurpent. Jam maturassem reditum, sed subvectoria non habebam. Provideat mihi Deus, ut cum libris meis ad vos gemina possim æquitatura reverti. Temeritatis esset, Pater, in hoc articulo a vobis aliquid petere, sed pietatis esset, verecundiæ non petentis offerre.

27 EPISTOLA XVIII

AD GUILLELMUM SENONENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Rationem reddit cujusdam negotii sibi commissi.

Difficiles, et aut suam, aut regis Anglorum gloriam quærentes, ut credo, Turonensis provinciæ episcopos invenimus. Primæ diei congressu usque ad vesperam protracto potius quam tractato, sufficere sibi ad satisfactionem putabant, si canonici sese offendisse dicerent, ut veniam postulantes, promitterent se tale aliquid de cætero non facturos. Sed quoniam in his paucis verbis magna mali materia latebat, et dignitatem regni lædere in posterum posse videbatur, nec nos præbuimus consilium, nec illi præbuerunt assensum. Sequenti die jam nihil proficientes erant, laboribus aut sumptibus suis parcentes, aut personæ, ut ipsi dixerunt, deferentes. Utramque manus impositionem, ordinatoriam scilicet et consecratoriam, salvo jure suo, promiserunt.

EPISTOLA XIX.

AD ANICIENSEM (33) EPISCOPUM.

Rogat eum ut promissum teneat et compleat.

« Benedictus Deus, qui post tempestatem serenum facit, et post lacrymationem et fletum consolationem infundit. Et nunc quoniam reddita vobis tranquillitate et pace, in his quæ ad honorem et augmentum Ecclesiæ Dei sollicitum vos esse credimus et devo-

(30) Intelligit Joan. Pinzutum presbyterum cardinalem S. Anastasiæ, natione Neapolitanum, professione vero canonicum regularem apud S. Victorem: qui, cum ecclesia S. Petri ad Aram Neapoli restaurasset, duos e suis concanonicis, Petrum videlicet Petragoricum et Hugonem a S. Germano a Gruisio tunc S. Victoris abbate obtinuit, ut eos in novam suam ecclesiam induceret. At cum alter eorum fato functus fuisset, alter vero gravi oppressus infirmitate vix respiraret, his malis commotus Guarinus abbas S. Victoris, Gruisii successor, epistolam Joanni cardinali scripsit, quam ex codicibus Bibliothecæ San-Victorinæ depromptam Quercetanus inseruit tom. IV Scriptor. hist. Francorum, pag. 749, in qua hæc leguntur: *Tandem humanum dicam, secreta infirmitatum aperiens, mortem valde et propter terræ insuetam asperitatem, et aeris qualitatem corruptam fratres pavescunt. Quoniam si nostrates laici cum illuc vadunt, quive spatiandi, eundi et redeundi habent libertatem omnimodam, vix vel modicum vivere possunt isti claustro conclusi, quomodo vivere possent, has causas et occasiones fratres prætendunt, unde et gravissimum duco injungere; quod si fit, contra voluntatem suscipitur; si enim non fit, periculose valde negatur. Parcat igitur nunc, domine, infirmitatibus nostris vestræ clementiæ magnitudo, et Ecclesiæ instantes attendite necessitates. Ego enim in quibuscunque potero vestris sum paratus obedire mandatis.* Qu nvis aliquandiu restitisset abbas S. Victoris, victus tamen hujus cardinalis precibus et summi pontificis Alexandri mandatis (ad quem rescripsit epistolam, quam inibi apud Quercetanum videre est) misit novos canonicos apud Neapolim, inter quos fuit R. canonicus Sanctæ Genovefæ, de quo in hac epistola. Non diu tamen in Italia permansit, morte enim sublatus est, unde epist. 29 Stephanus commendat eum precibus abbatis S. Bartholomæi Noviomensis.

(31) Legendum est Rogerio non Roberto ut in priori edit., errore scilicet notarii, qui litteram R. Robertum pro Rogerio perperam interpretatus est. Fuit autem Rogerius canonicus regularis S. Victoris, a Gunthero ejusdem cœnobii abbate missus cum sociis in monasterium S. Evurtii Aurelianensis, ut ibi collapsam regularem disciplinam restaurarel, abbatisque in eo dignitate primus insignitus est. Sub eo Stephanus noster, mutata veste, canonici regularis animum et habitum induit.

(32) Idem est quod dicimus Gallice, *défaut*, et ne ideo calculus procedat in absentem, hoc est, ne ut contumax judicetur ac damnetur.

(33) Petrus Aniciensis episcopus, vulgo *Le Puy en Velay*, cum Aureliis versaretur, donavit Stephano abbati S. Evurtii monasterium de Doa, *de Doe*, in sua diœcesi situm, ut illud per suos canonicos regulares in meliorem statum reformaret; quorum ope tandem unitum est congregationi S. Victoris Parisiensis. Nunc vero canonicorum Præmonstratensium Regulæ subjacet.

tum, rogamus et petimus ut donum quod in capitulo **28** nostro, præsentibus quibusdam clericis nostris, Ecclesiæ nostræ et nobis fecistis, sine dilatione, si libet et licet, compleatis. Propterea misi ad vos canonicum nostrum, venturus et ipse si mandaveritis, et obsequium meum vobis et Ecclesiæ vestræ longe ac prope semper exhibiturus. Mandet mihi dominus meus, si quæ sunt contradictiones, quæ vel auferre nobis donum vestrum possint, vel differre. Tantum enim nos laborem frustra suscipere non nobis expedit, nec vos decet. Valete.

EPISTOLA XX.

AD B. ANICENSEM CANONICUM.

Petit ut benignum erga suos se præstet.

Memor antiquæ liberalitatis et amicitiæ vestræ, B diem et locum videre desidero, quando et ubi jucundo aspectu vestro frui merear et affatu. Causa præsto est, si eam promovere volueritis et fovere. Credo vos ab aliquo audisse, quod dominus episcopus, consensu quorumdam canonicorum vestrorum, domum Doe ecclesiæ nostræ concessit, ut in ea regularis ordo ad honorem Dei et profectum loci ferventius observetur, et ego, qui vester sum, possim vobiscum frequentius conversari. Proinde precor inclytam benignitatem vestram, de qua plene confido, ut sine dilatione rem faciatis ad effectum perduci, et si quæ contradictiones **29** ortæ fuerint, per vos et per amicos vestros studeatis exstingui.

EPISTOLA XXI.

C AD HUGONEM ABBATEM S. BARTHOLOMÆI NOVIOMENSIS.

Rogat ut quemdam canonicum profugum admittat.

Quoniam ovis quæ extra gregem est, luporum morsibus patet, nisi citius reducatur ad caulas, et pecudis simul periculum est et pastoris. Id attendentes impræsentium latore I. quondam canonico et fratre vestro, bonam ejus revertendi ad claustrum suscepimus et approbavimus voluntatem. Precamur misericordiam vestram, ut aditus supplicanti pandatur, colligatur vagus et profugus super terram, stolam primam et annulum redonet Pater, ne diutius aut porcos cogatur pascere, aut A eorum siliquas esurire. Movit nos ejus, pro quo supplicamus, supplicatio, qui ut evadat supplicia, supplet desiderio quod opere minus fecit.

EPISTOLA XXII.

AD JOTHONEM TURONENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Ipsius gratiam deprecatur pro Conseranensi electo.

Venerabili Patri et domino JOTHONI (34) Turonensi archiepiscopo frater STEPHANUS humilis S. Evurtii minister, plenitudinem salutis et gaudii.

Nihil honestius charitate, quæ et incognitos ligat, et conciliat separatos. Hæc Septentrionem **30** Orienti, Gades Oceano (35), Latinis barbaros salutis commercio fœderavit. Hujus officio dominus Conseranensis (36) electus nobis accessit, concordiæ filius, mansuetudinis hæres, virtutum, ut credo, non inquilinus, sed civis; non æstimator, sed judex. In eo prudentiæ sermo, temperantiæ risus, status fortitudinis, justitiæ motus, quadratum metiuntur exemplum. Non minus religiose quam studiose moram fecit nobiscum, in altero episcopus, in altero philosophus, in utroque maturus, in neutro dissolutus. Pro tanto vobis viro preces offerre tum charitati convenit, tum expedit honestati. Si quid gratiæ Stephanus vester habet in oculis vestris, abundet in viro præsenti, et oblatas communis amici preces sibi sentiat profuisse, nec solum pro eo de futuris preces porrigimus, sed et de præteritis plenas gratiarum referimus actiones.

31 EPISTOLA XXIII.

AD GUILLELMUM SENONENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Rogat ut tueatur cantorem et archidiaconum, ne adversus eos prævaleat ipsorum inimicus.

Solet innocentiam astutia supplantare, et veritati dolus insidians, conscientias simplices aggreditur, ut quæ non rapuerint exsolvant. Ista, Pater, attendit et vindicat veritatis et justitiæ minister, quoties aut condemnat subdolos, aut innocentes absolvit. Hæc me vobis preces fundere pro cantore et archidiacono compellunt, quorum fidem, et veritatem, et integritatem mores prædicant, fama clamat, et sincera religiosorum commendant testimonia, et quod non modicum est, magni patriarchæ præfert auctoritas (37), cujus consiliis et ob-

(34) Vocatur alias Gotho, vel Jolcius in Chronico Turonensi, vel etiam Gocius apud Matthæum Paris, anno 1166.

(35) *Gades*, inquit Plinius, lib. IV, cap. 22, *sunt duæ insulæ ultra fines Bæoticæ provinciæ, et in extremo nostri orbis versus occidentem, extra freti angustias, quibus Africa ab Europa dirimitur.* Harum major dicitur Erithia, a Pomponio, propter Tyrios ab Erythræo mari oriundos, qui in hac insula urbem condiderunt; unde Lucanus Gades Tyrias appellat. Huic adjacet altera insula minor Gadis appellata, unius tantum stadii Euripo interlabente ab altera dirempta, pascua habens pinguissima. Ibi templum famosissimum Herculi consecratum, ubi columnas posuisse dicitur, vocatusque est inde Hercules Gaditanus, ut videre est in nummo aureo Adriani imperatoris.

(36) Augustinus electus episcopus Conseranensis, de quo meminit epist. 18 his verbis : *Utramque manus impositionem, ordinatoriam scilicet et consecratoriam*, scilicet fecerunt episcopi provinciæ Turonensis, cum eum ordinarunt in presbyterum et D consecrarunt in episcopum.

(37) Ex epistola sequenti satis manifeste apparet hunc patriarcham non esse alium quam Petrum *de la Chastre* archiepiscopum et patriarcham Bituricensem, qui fato functus est anno 1171; cujus obsequio addicti fuerant cantor et archidiaconus Bituricenses, in quorum gratiam scribitur hæc epistola ad archiepiscopum Senonensem, ac sequens ad summum pontificem. Archipræsulem autem Bituricensem patriarchæ titulo ab antiquis temporibus decoratum legimus : sanctus enim Desiderius Cadurcensis episcopus scribens ad Severum Sulpitium, eum jam patriarchæ nomine affecit. Sed his temporibus solebant metropolitani omnes patriarchæ nomine designari, ut liquet de Prisco et Nicetio Lugdunensibus archiepiscopis apud Gregorium Turonensem. Nicolaus papa, scribens quoque ad Rodulphum archiepiscopum Bituricensem anno circiter 860, agnoscit eum primatem Aquitanicum, ac patriarchæ titulo afficit.

sequiis usque ad exitum vitæ fideliter astiterunt. A Pro his toto mentis affectu rogo, ut et vos pro ipsis domino papæ benigne scribatis, ne adversus eos prævaleat homo; ne mendacium veritati virtuti vitium, dolus fidei præferatur.

32 EPISTOLA XXIV.

AD DOMINUM PAPAM.

Preces fundit apud summum pontificem in gratiam eorumdem cantoris et archidiaconi.

Instar sacrilegii credimus esse vestram, Pater, velle fallere sanctitatem. Sed nec impunitam sibi fore mentiendi licentiam nosse debet, qui murum fidei, aut integritatis vestræ vallum, suo posse credit maculare mendacio. Quisquis ille est, suæ ferat astutiæ pœnas, et qui innocens est absolvatur. Explorate viros fidei et boni apud nos testimonii, can- B torem et archidiaconum, non vulgari modo relatione didicimus, sed sagaci inquisitione percepimus et præsentia corporali. Nam et in civitate ipsorum tot accepimus testimonia pro ipsis, tot indicia virtutis, tot innocentiæ consonas voces, ut de fide ipsorum maxime circa pecuniam beatæ memoriæ Petri patriarchæ sui, vel depositam, vel relictam, quasi nefas sit dubitare. Omnia sub luce fecit ille prudens testamenti sui conditor, et in abscondito locutus est nihil. Per manus religiosorum abbatum et clericorum bonæ opinionis, quorum nullus nisi fidelis et prudens circa pecuniam domini sui, et exclusa sunt omnia, et ecclesiis, ac monasteriis, et pauperibus, sicut ille magnus sacerdos eorum C fidei commiserat, erogata. Si quid dolo actum est, omnes illos attaminat hæc culpa, nec est qui se abscondat a dolo isto. Sed eos, Pater, sicut tanto scelere involvi religio prohibet, sic opinio credi vetat. Proinde sanctitati vestræ preces fundimus, ut eorum laboribus et pudori parcat paternitas vestra, et qui a fraude sunt extranei, a pœna sint
33 alieni. In hoc examine, Pater, nec severitatem sentiat veritas, nec honestas succumbat oneri, nec ignominiosa suspicio absorbeat bonum nomen.

EPISTOLA XXV.

AD JOANNEM A. S. LEGATUM.

Gratulatur de fausto reditu.

Sanctissimo et Patri JOANNI (38) Pictaviensi apostolicæ sedis legato, salutem, et quam mundus dare non potest pacem.

Peregrinationem vestram absentia tanti Patris mihi fecerat gravem, devotio tanti martyris (39) gratiosam. Redeunti summa gratiarum actione lætus occurro, quem summa orationum instantia tristis fueram prosecutus. Reditum desiderabam communi salute, pro pace principis minus sollicitus, quia minus solitus exorare. Cumulatius accessit votis meis salutationis officium, et pacis signum osculo oris sui vobis a principe datum (40) levis mihi nuntiavit chartula, gravis lingua. Crescat in dies, obsecro, gratia; quæ tamen gratiarum non displiceat auctori, nec dulia (41), quæ in quibusdam nostri temporis sacerdotibus latriam exclusit, vestram audeat opinionem tentare.

34 EPISTOLA XXVI.

AD PRIOREM ET FRATRES CONVENTUS CHARITATIS.

Supplicat pro quodam monacho fugitivo, qui suus præceptor exstiterat.

Charissimis dominis et Patribus suis priori de (42) Charitate, et sanctæ congregationi ejusdem Ecclesiæ, frater STEPHANUS S. Evurtii minister.

Movetur usque ad tempora nostra cribellum Satanæ, dum exspectat et expetit, ut frequenter excutiat filios excussorum. At non deficiet fides Petri, qui in casu suo nostram metiens infirmitatem, conversus aliquando fratres confirmat, sanat Æneam, Thabitam suscitat (43), bases et plantas consolidat eleemosynam postulantis. Hunc imitare qui præes, qui subes amplectere, ut tu dispersa revoces, tu colloces revocata. Exivit a vobis qui de nobis erat, olim noster charissimus A. et a tanto separatus collegio, minus probanda missione solutus est, nec tamen secutus est viam Balaam et Bosor (44), sed ad gregem albi (45) velleris 35 sese

(38) Joannes dictus *de Bellemains*, vir magnæ litteraturæ et eloquentiæ, ut vocatur a Roberto de Monte in Chronico, in episcopum Pictaviensem designatur anno 1162. Quam quidem Ecclesiam sanctissime rexit per 20 ferme annos, nam an. 1181 D in archiepiscopum Narbonensem assumptus est.

(39) Scilicet S. Thomæ Cantuariensis, ad cujus tumulum peregrinationem susceperat Joannes iste Pictaviensis episcopus, cujus olim amicus exstiterat, sicut et Stephanus noster. Erat autem Anglus natione, et canonicus Eboracensis ac thesaurarius fuerat antequam ad episcopatum Pictaviensem vocaretur.

(40) Videtur quod princeps ille fuerit Henricus II Angliæ rex, Joanni quondam infensus, quod partes S. Thomæ tueretur, sed modo ipsi reconciliatus, ut patet ex hac epistola.

(41) Cum dulia sit honor qui exhibetur regibus et principibus terræ, latria autem dicatur cultus qui redditur Deo, Regi regum: arguit quorumdam sacerdotum ignaviam, qui cultum principum mundi Dei obsequio præponebant. Et notat præcipue clericos et præsules Angliæ, qui a partibus S. Thomæ defecerant, ut regis votis, etiam iniquis, faverent.

(42) Charitatis insigne monasterium sub Regula Benedictina congregationis Cluniacensis, ad Ligerim situm, inchoatum fuit anno 1056 secundum Chronicon Vizeliacense, vel 1069 ex Chronico Malleacensi, fundatumque a Giraudo nobili quodam et pio viro, qui ibi vitam religiosam amplexus est.

(43) Agit de miraculis a B. Petro perpetratis ut habetur *Actuum* cap. III et IX: hæc repetit epistola 96.

(44) Alludit ad id quod dicitur *II Petri*, cap. II, secuti viam Balaam ex Bosor. Id est non declinavit a via recta et justa, ut sequeretur obliquam et perversam.

(45) Intelligit monachos Cistercienses, ad quos ille de quo hic agitur confugerat, perfectionis studio: at cum laboriosum et durum nimis vitæ illorum genus, qui culturæ agrorum propriis manibus vacabant, expertus esset, ad primam Charitatis domum reverti tentavit, et ut in ea benevole admitteretur, iterum preces Stephani quondam discipuli sui adhibuit.

conferens, difficiles et dissimiles vias prioribus obvias expertus est. Laudanda in hoc viri devotio, qui, cum exisset ab Jerusalem, non descendit in Jericho, sed in Bethlehem maluit commorari. Ibi tamen linguam quam non noverat audivit, nec diverterunt ab oneribus dorsum ejus. Occurrit ei novitas ignota, et a primæ contemplationis otio, in securi et falce dejecerunt eum; et qui nutritus fuerat in croceis eloquiorum sacrorum, manus ejus in cophino servierunt. Movet et monet eum conscientia mordax, ut ad sinum redeat Charitatis, et satietur ab uberibus ejus, qui cum scandalizatis uritur, cum infirmantibus infirmatur. Confitetur errorem, culpam persequitur et abjurat, et purgaturus excessum trahi desiderat ad victimam disciplinæ. Occurrat pater filio revertenti, deosculetur miserum, stolam primam et annulum reformet, ne, si adversum hominem obduraverit homo, Dominum sibi sentiat obdurari. Sed nec in fratribus obmurmuret revertentis ab agro senioris fratris crudelitas, quominus præveniant in benedictionibus dulcedinis, eum qui perierat et est inventus. Cogit nos in tantas assurgere preces, a primis litterarum rudimentis, prisca viri notitia, municipium commune (46), quod ambos edidit, et aluit, et, quod est majus, magisterium ejus, quod inter ipsa artis grammaticæ auspicia sortitus sum. Conciliant sibi precum instantiam mores hominis suaves, litterarum cumulus, pœnitentia quam prætendit. Si quid sum in oculis vestris, preces meas admittite, ut de collato fratri beneficio vobis in plenam gratiarum actionem totus assurgam. Impendetur mihi quidquid ei feceritis, cujus et adversis compatior, et prosperis coexsulto.

36 EPISTOLA XXVII.

AD SUBPRIOREM DE CHARITATE

Rogat pro eodem fugitivo, ut denuo admittatur.

Charissimo domino et amico suo A. subpriori de Charitate, frater STEPHANUS de S. Evurtio, orationis mutuæ commercium.

In prælatis gravitas, in subjectis humilitas commendatur. Primam temperat misericordia, secundam obedientia magnam facit. Utramque vos amplecti considero, qui grato religionis artificio et præesse nostis, et subesse. Inde est quod tanto confidentius preces vobis offero, quanto convenientius intelligo vos et errores corrigere, et infirmitatem portare. Amicus iste meus, et aliquando magister meus, post **37** exitum suum a vobis dura expertus, et suavium expers, in spiritu humilitatis et animo contrito revertitur ad matrem Charitatem, quæ nulli revertenti gremium suum claudere consuevit. Dolet se collegium sacrum dereliquisse, et pœnitentiæ notas indices lacrymas prodit tam confusio supplicis quam confessio supplicantis. Precor affectione qua possum; effundite corda vestra super illum, et a tenebris interioribus inducite eum in candorem lucis æternæ. Sentiat me de vobis, etsi non aliquid meruisse, obtinuisse tamen; me suscipite in illo, cui quidquid impensum fuerit, mihi impensum reputabo.

EPISTOLA XXVIII.

Amici sui favorem deprecatur pro eodem monacho.

Intercedere pro amicis et necessitas urget, et charitas persuadet. Ipsam autem charitatem dixerim necessitatem, quæ quamvis sit patiens et benigna, fortis tamen ut mors, quæ difficilia ad facilitatem reducere consuevit. Inde est quod pro præsentium latore amico quodam et magistro meo supplicare cogor et scribere, ut qui lapsus est, et erroris sui veniam postulat, si non sibi sufficit, pro nobis mereatur audiri. Totus in preces assurgo, totus in gratiarum actiones assurgam. State pro me, obsecro, in hoc conflictu precum, et ut matris reducatur in gremium, mecum, obsecro, postulate. Meum æstimo quidquid ei pro me beneficiorum et misericordiæ conferetis

(46) In eadem urbe, scilicet Aurelianensi, nati, communem patriam sortiti fuerant.

STEPHANI
TORNACENSIS EPISCOPI
EPISTOLARUM
PARS SECUNDA,

Continens eas quas scripsit cum esset abbas S. Genovefæ Parisiensis, ab anno 1177 ad annum 1192.

---

38 EPISTOLA XXIX.

AD ABBATEM S. BARTHOLOMÆI.

Narrat quid agatur apud canonicos Neapolitanos.

Abbati S. Bartholomæi, salutem, prosperitatem et pacem.

Ut impleatur quod dicitur : *Qui audit, dicat veni* (*Apoc.* XXII); et audisse nos dicitis, et ut veniam, me rogatis. Votum peregrinationis nullum feci, quam tamen non differrem, si occasio se offerret. Occasionem auferunt occupationes, **39** quarum malitia diei sufficit, quarum mali strepitus non solum Mariam meam impediunt, sed et Martham confundunt. Interim horas capto, momenta considero, si forte furari possum negotiis otium, quietem labori, faciem amici confabulationibus æmulorum. De Neapolitano nostro nihil aliud didici, nisi quod inter abbatem et priorem nescio quod monstruosum prælationis genus exprimens, sic utrumque portendit, ut neutrum exhibeat ; sic declinat in neutrum, ut alterutro non ornetur. De domo cardinalis in numero, et pondere, et mensura dispensatur eis ; unde mercenarii potius quam filii, stipendiarii quam milites, præbendarii quam canonici reputantur. Frater R., quem cum eis misimus, ultimum apud eos diem clausit, et eo nos reddidit tristiores, quo canticum Domini in terra aliena cantans, fratrum suorum non obtinuit sepulturam. Cecidit funiculus sortis, imo mortis hujus super nos, et super filium nostrum. Videat quid fecerit (47), qui tantis nos impulsionibus adegit, ut de sinu nostro talem juvenem eriperet violenter, quem in alieno solo solum præter alios sepeliret. Rogamus, Pater, ut animam ejus coram Domino Jesu et commendetis orationibus, et oblationibus adjuvetis.

40 EPISTOLA XXX.

Preces apud ipsum fundit pro quodam amico suo qui ejus ope indigebat.

AD MAGISTRUM ROBERTUM.

Charissimo amico suo magistro Roberto, salutis plenitudinem, et gaudii perfectionem.

Jucundo fruor spectaculo, quoties aut tui nominis audio sonum, aut tuæ recordationis ingredior cogitatum. Facit hoc et prisca studiorum nostrorum communio, et morum tuorum communi gratiæ conveniens habitudo. Inde est quod in negotio præsentis amici mei secura tibi supplico confidentia, ut ei pro amore meo consilium et auxilium impendas, quo et preces meas sibi sentiat profuisse, et in curia domini mei aliquem me amicum habere cognoscat. Causam habet coram domino meo, in qua quoniam mei copiam facere non possum ad eumdem, absentia, precor, mea per tui præsentiam suppleatur. Opinantur aliqui de me supra me, et aliorum æstimatio sic excedit conscientiam meam, ut exosam habeam quandoque confidentiam alienam. Talium est unus præsentium lator amicus meus, et in curia domini mei (48), in qua negotium habet, me posse aliquid confitens, et confidens, ut vos et cæteros amicos meos pro ipso sollicitem, sollicite me compellit. Dilectioni vestræ preces fundo, ut ei pro amore meo, et in agendo dictetis consilium, et in postulando patrocinium præbeatis.

41 EPISTOLA XXXI.

AD REMENSEM ARCHIEPISCOPUM, PRO ABBATE SANCTI BARTHOLOMÆI NOVIOMENSIS.

Rogat ut benignum se præbeat erga hunc abbatem.

Humiles vobis, Pater, porrexeram preces pro abbate Sancti Bartholomæi, viro simplici et recto, et timente Dominum, quas paterno, ut consuevistis,

(47) Loqui videtur de Guarino abbate S. Victoris, qui pro ea auctoritate qua pollebat in omnes congregationi Victorinæ ascriptas domos, R. can. Reg. S. Genovefæ, de quo epist. 16, misit Neapolim, coegitque Stephanum abbatem, eum retinere cupientem, invitum licet, dimittere.

(48) Is erat Guillelmus, archiepiscopus Senonensis ac deinde Remensis, cujus obsequio aliquando addictus fuerat, ejusque clericum se fuisse profitetur. Curia autem sumitur hic pro foro in quo causæ agitabantur, et judicia reddebantur.

animo benevole suscepistis. Homo senex et infirmus ac debilis, et quem multa circumvenerunt incommoda, si viam adversæ peregrinationis fuerit aggressus, viam universæ carnis facile est ingressurus. Parcite, obsecro, canis ejus, et ne homo Dei injuste vexetur, auctoritatem vestram opponite, molestantem comprimite, molestias cohibete. Confisus de benignitate vestri responsi virum retinui, viam distuli, securitatem promisi. Agite, Pater, obsecro, ut tantus altaris minister altare, de quo contenditur (49), quiete possideat; episcopum, qui contendit, pacatum sentiat; auctori pacis et fundatori quietis suæ gratias agat. Scio enim quia nec tantæ gratiæ vestræ erit ingratus, nec tantis beneficiis indevotus. Valete.

42 EPISTOLA XXXII.

AD ELEEMOSYNARIUM REGIS (50).

Rogat eum ut regis eleemosynarum beneficio frui faciat Judæum ad fidem conversum.

Raro accidit, ut de plebis incircumcisæ duritia in novam Ecclesiæ renatus infantiam fideliter aliquis conversetur. Quod si præter exempla quæ vidimus occurrerit, eo carius, quo rarius amplectendum. Pauper iste de Judæis ortus parentibus, Judæorum scandalum, crucem Christi non erubuit, et ab episcopo Legionensi (51) baptizatus, de massa perditionis inter catholicos et Ecclesiæ suæ canonicos translatus est, disciplinis et ministeriis C ecclesiasticis legendi simul et cantandi plurimum edoctus, in scholasticos sudores sese dedit, ubi vestris pariter, quoniam ei, Deo volente, manum semel aperuistis, et aliorum eleemosynis sustentatur. Precamur, Pater, si placet, ut in numero pauperum illorum qui pro domino vestro, domini regis nostri filio, aluntur, eum computari faciatis, quoniam et ipsius verecundia, et paupertatis A ac laborum voluntaria patientia, de ipso præsumimus fidei fructum et salutis ac laboris. Capicerius sanctæ Crucis (52), cum ad Sanctum-Jacobum iret, in capitulo Legionensi conversionis ejus bonum audivit testimonium, quo et ipse illi benefaceret, et nos ad beneficium ei devotius invitaret.

43 EPISTOLA XXXIII.

AD ABBATEM SANCTI BARTHOLOMÆI.

De contemptu temporalium pie disserit.

Grata est occasio, quæ ad correctionem vestram dedit mihi materiam rescribendi. Salutationis meæ formam notavit diligentia vestra, litterarum superB ficiem attendens, non medullam. Profiteor me sane spiritualibus pauperem, temporalibus abundantem, in utrisque tamen nihil in nobis tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Nunc tandem liber a jugo sollicitudinis et curæ, quæ cor urit et sollicitat, oratione delector et lectione, sciens et ruminans quia erit tempus quando nihil invenient omnes viri divitiarum in manibus suis. Ego autem videns paupertatem meam, cum Paulo dico, quia divites facti sumus in illo (*I Cor.* v), *qui dat omnibus affluenter, et non improperat* (*Jac.* I). Nec ætatis nostræ, nec propositi est, ut illas amemus divitias, quas ærugo et tinea demolitur, quas fures effodiunt et furantur. Idem et de vobis æstimo, vestram considerans prudentiam et ætatem.

44 EPISTOLA XXXIV.

AD REGEM HUNGARIÆ (53).

Quemdam adolescentem Hungarum vita functum, pie Parisiis degisse testatur.

Nobilissimo B. Hungariæ regi, STEPHANUS de Sancta Genovefa dictus abbas, totusque ejusdem ecclesiæ humilis conventus.

(49) Hæc vox *altare* non sumitur hic pro mensa in qua offertur sacrum et incruentum missæ sacrificium, sed, ut usurpatur a veteribus scriptoribus, pro sacerdotio seu parochia, de qua erat controversia inter quemdam episcopum et abbatem Sancti Bartholomæi Noviomensis Hugonem, coram archiepiscopo Remensi metropolitano.

(50) Eleemosynarii regis dicuntur illi clerici, quibus rex utitur in divinis, sacrorum ministerio et eleemosynarum largitione. Fit autem mentio eleemosynarii regis in capitularibus Caroli Calvi, apud Carisiacum conditis anno 877, in quibus rex sic loquitur: *Si nos in Dei sanctorumque ipsius servitio mors præoccupaverit, eleemosynarii nostri secundum quod commendatum habemus, de eleemosyna nostra decertent.* Nominantur autem illi eleemosynarii, quorum quidam erant præsules, ut Hincmarus archiepiscopus, Franco episcopus, Goslenus abbas; quidam etiam comites sæculares, ut Arnulphus et Bernardus. Invenitur etiam quod sub regibus secundæ stirpis, ille clericus, qui potior apud eos ministrabat, archicapellani titulo decorabatur. Nec eleemosynarii primarii dignitas inducta invenitur in palatium regis, ante Ludovicum juniorem, cujus Rogerius Sagiensis episcopus vocatur eleemosynarius a Sigeberto an. 1160. Illum autem ad quem hanc mittit epistolam Stephanus, arbitror esse prælatum aliquem, siquidem eum patris nomine interpellat, quo episcopos tantum et abbates afficere consueverat, ut in cæteris epis- D tolis licet adnotare.

(51) Legio urbs est celeberrima Hispaniæ, vulgo *Léon*, et caput totius regni Legionensis.

(52) Munus capicerii, Gallice *Chevecier*, in ecclesiis cathedralibus ac monasteriis est ut res sacras curet et custodiat, quem quidem alio nomine sacristam nominamus. Dicitur autem capicerius quasi capiens ceram, quod ejus officii sit ceros qui a fidelibus altari et sanctorum reliquiis pio cultu offeruntur, recipere, et ad usum Ecclesiæ præparare. Quidam eumdem fuisse capicerium ac primicerium arbitrantur, ob parem fere nominis significationem, quibus tamen non assentior ob officiorum disparem rationem.

(53) In epistolis editis titulus est R. Hungariæ regi illustri, sed male posuit R. pro B. per quod Bela Hungariæ rex designatur, qui hoc regnum administravit secundum Ranzanum in *Epitome rerum Hungariarum*, a 1172 ad 1190.

Manifestis ad nos venientium indiciis experti A sumus, quia justitiam diligitis, et colitis veritatem. Hæc est sublimitas regni vestri, hæc vestri gloria principatus. Inde est quod excellentiam vestram scire volumus, quia bonæ memoriæ adolescens Bethlehem (54), qui apud nos in Domino requiescit, in sancta confessione et fide catholica, coram omnibus, absque contradictione seu querela creditorum aut fidejussorum, in ecclesia nostra sepultus est. Sed et cum nuper ob hanc eamdem causam nuntii parentum ipsius ad nos venissent, diligenter inquiri fecimus, an aliquo debito, sive apud Christianum, sive apud Judæum obligatus Parisiis **45** teneretur. Facta circiter decem diebus hac inquisitione, non est inventus, qui vel principaliter, vel secundario prædictum adolescentem sibi diceret obligatum. Parati erant prædicti nuntii solvere, si quis sibi pro eo fateretur deberi. Verumtamen sicut non comparuit creditor, sic et defuit fidejussor. His interfuerunt clerici de regno vestro Jacobus, Michael, et Adrianus. Valeat sanctitas vestra, et regnum vestrum coram Domino roboretur.

EPISTOLA XXXV.

AD L. ET EJUS UXOREM.

Consolatur parentes afflictos de filii morte.

L. et Christianæ ejus uxori, salutem et frequentem in orationibus memoriam.

Contristari, sicut et cæteri qui spem non habent, super filio vestro bonæ memoriæ Bethlehem non debetis, quoniam in sancta confessione, in fide catholica, in spe communi, in charitate non ficta, in manu Domini spiritum suum commendavit. In ecclesia nostra coram clericorum et laicorum multitudine fideli, missis peractis et oblato pro eo vivifico sacrificio, sepultus est. Crediti aut debiti nulla mentio, nulla **46** commemoratio querelarum. Occasione rumorum quorumdam, quos postmodum falsos didicimus, venerunt ad nos nuntii vestri, et, sicut diximus, nihil eorum quæ dicta fuerant invenerunt, diligenter a nobis inquisitione facta per decem circiter dies, nec Christianus nec Judæus apparuit, qui sibi prædictum filium vestrum aliquo B debito diceret obligatum. Hæc vidimus, hæc testamur. De cætero vobis quotidianas et uberes gratias agimus super beneficiis vestris, qui primis secunda muneribus addidistis. Attulerunt nobis xenia (55) devotionis vestræ, duas casulas (56) scricas, et unum vexillum (57), et marcam argenti, cum nummo aureo, et quinque solidis (58) ad faciendum calicem, et equum album ad convehendos lapides in opus ædificii nostri liberaliter obtulerunt.

Retribuat vobis Deus in vita æterna, et pro tantis beneficiis vestris benefaciat vobis in æternum. Valete.

(54) Nomen proprium nobilis Hungariæ adolescentis, qui e vivis Parisiis sublatus in ecclesiæ Sanctæ Genovefæ sepultus est, cujus obitus notatur in Necrologio ejusdem in Kal. Decembris, his verbis : *Obiit Bethlehem clericus quidam de Hungaria, pro quo pater ejus et mater dederunt ecclesiæ nostræ pretiosa ornamenta.*

(55) Licet proprie xenia sumantur pro donis quæ amici sibi mittere consueverunt in anni primordio, accipitur tamen in hoc loco pro munere quolibet. Legitur in *Capitularibus* Ludovici Pii, cap. 5 : *Videant utrum episcopi in circumeundo parochias, si indebita xenia a præsbyteris exigantur.* De his xeniis seu muneribus mentio habetur in *Necrologio* Sanctæ Genovefæ, ut superius retuli.

(56) Casula est vestis illa exterior qua utitur sacerdos dum sacrum missæ sacrificium peragit, alio nomine planeta dicitur, ut legere est in concilio Tolet. sub Honorio I, cant. 27 : *Presbyter, si a gradu suo dejectus in sancta synodo recipiatur, accipiat de manu episcopi orarium et planetam.* Legitur quod planeta S. Petri apostolorum principis, ab Antiochia Parisios allata, in ecclesia Sanctæ Genovefæ quondam asservata fuerit, ubi paralyticum sanavit, præsente Hugone Cluniacensi, ut refertur in ipsius Vita apud Surium, de qua etiam mentio habetur sub nomine Casulæ S. Petri, in epistola Suggerii ad Eugenium papam apud Quercetanum, tom. IV.

(57) Vexillum apud Romanos erat signum militare, de quo Vegetius, lib. II, ait : *Cum centeni milites sequerentur non solum vexillum suum, sed etiam centurionem, qui signum habebat in galea.* Plinius, lib. X, inter ea notat aquilam, lupum, equum, aprum, quæ singulos ordines militares anteibant, *hastis affixa.* Caius Marius anno consulatus II, re- C liquis signis ablatis, aquilam tantum romanis legionibus dicavit; quam qui gestabat, aquilifer dictus est. Postea tempore imperatorum eorum nomina vexillis imprimebantur, ac imagines signis imponebantur. Suetonius in Vespasiano, cap. 6, ait : *Nomen ejus sine mora vexillis omnibus inscripserunt.* Et Tacitus : *Quorum imagines pro vexillis secuti forent, eos imperatores deligerent.* Unde Constantinus Christianus effectus, nomen Christi vexillis suis inscripsit, ut notat Eusebius, et nummi ejus ac filiorum fidem faciunt, quod in Constantini numismate ex nostro museo deprompto videre est, et hinc sacrorum vexillorum forma manavit, in quibus pictæ acu Christi et sanctorum imagines a Christianis deferuntur, cum ad supplicandum alicubi procedunt, ut notat Prudentius, lib. II, in Symmachum, vexillumque antiquo vocabulo labarum appellat :

D *Christus purpureum gemmato textus in auro*
Signabat labarum.

(58) Nummi aurei apud antiquos Romanos ii plane erant, quos etiam nunc servamus in cimeliarchiis nostris numismatum duplo Hispanico magnitudine et pondere non multum dispares, nec excedunt valore tredecim aut XIV libras Turonicas. Solidi vero aurei quales ii fuerunt de quibus hic sermo (siquidem nondum argentei in usu erant per Galliam) nummi nostri aurei pondus aliquantulum excedebant, acceduntque ad valorem sex librarum Turonensium aut circiter. Solidi aurei ejusdem modi æstimantur in lege Salica ad valorem XL denariorum. Servatur exagium solidi aurei antiqui in eodem cimelio Sangenovefæo.

47 EPISTOLA XXXVI.

AD PORTUENSEM EPISCOPUM (59).

Rogat ut petitiones decani et succentoris Carnotensis admittat, et curet adimpleri.

Ecclesia Carnotensis (60) inter comprovinciales et longe positas, sicut est auctoritatis præcipuæ, sic et erit opinionis præclaræ. Nam tanto profundius tenemur **48** diligere, quanto profusius ab uberibus consolationis ejus et blandimenta suscepimus, et fomenta. Colliduntur viscera ejus, et in quibusdam filiis suis reperit pravitatem. Hujus compassionis zelo permoti decanus et succentor Ecclesiæ Carnotensis, domini papæ misericordiam et expetunt et exspectant. Amici nostri sunt ex diuturno convictu, et honestæ conversationis suæ testimonium prisca nobis eorum societas repræsentat. Sanctæ paternitati vestræ preces fundimus pro utroque, quorum neutrum justo desiderio suo fraudari volumus, et alterum in alterutro confidimus adjuvari. Eorum petitiones sicut nostras suscipite, et in oculis domini papæ commendabiles faciat eos gratia vestra, qui de nobis confidentes mendicare suffragia nesciunt aliena.

49 EPISTOLA XXXVII.

AD PRÆNESTINUM EPISCOPUM.

Causam decani et succentoris Carnotensis ipsius curæ committit.

Prænestino episcopo (61) STEPHANUS de Sancta C Genovefa

Carnotensem Ecclesiam in regno Francorum commendabilem et communis opinio prædicat, et antiqua dignitas repræsentat. Ejus quietem et pacem tanto arctius diligere debemus, quanto altius beneficia ipsius et sensimus, et sentimus. Moventur in ea filii contentionis et rixæ, et minimas occasiones usque in maxima scandala protendere moliuntur. Compatientes matri suæ præ cæteris decanus et succentor, ad dominum papam supplices accedunt, ut inde injuriarum puniantur præsumpto-

A res, unde jura sumuntur. Specialiter eos diligimus, et diligimur ab eis, quorum antiquæ societatis et diuturni convictus reliquias sub honestæ recordationis memoria retinemus. Preces fundimus sanctitati vestræ, ut eorum desideria, petitiones, vota et suscipiatis benevole, et benefice compleatis.

50 EPISTOLA XXXVIII.

AD GRATIANUM CARDINALEM.

Rogat, ne quemdam canonicum quinquies ejectum recipere cogatur.

Venerabili domino digno Dei gratia GRATIANO cardinali (62) sanctæ Romanæ Ecclesiæ, STEPHANUS de Sancta Genovefa, salutem.

B Reliquiæ cogitationis meæ diem festum agunt mihi, quoties recolo me fuisse socium vestrum in auditorio Bulgari (63), quem modo lætus suspicio dominum meum in ministerio Petri. Et quoniam gratia vestra merita multorum excedit, et vota, quamvis erga vos aliquid videlicet meruerunt, precor ut quem benevolum videre merui, beneficum merear invenire. Quidam dissensionis et scandali filius, olim canonicus noster, qui propter intolerabiles et enormes excessus suos quinquies de ecclesia nostra ejectus est, dominum papam suo mendacio circumvenire pertentat. Mandato domini regis, qui perversa illius hominis opera noverat, regni fines abjuravit, verberavit plures e fratribus nostris, et ad ultimum priorem nostrum virum re-
C ligiosum et honestum repetitis ictibus pugno impie percussit. Mihi quoque multas et acerbas contumelias, postquam a curia reversus est, irrogavit. Manifestavimus domino papæ per litteras capituli nostri qualitatem hominis, quem ignorat, ut, agnita veritate, et ipse mandet quid voluerit, et nos quod mandaverit faciamus. Malumus enim, si domino papæ placuerit, pestem illam cum periculo nostro suscipere quam inobedientes apparere. Precor benignitatem vestram ut, pro Dei amore et Ecclesiæ nostræ **51** conservanda concordia, a tanto incommodo liberet.

(59) Portuensis antistes unus est ex sex cardinalibus episcopis sedis Romanæ suffraganeis. Portus autem civitas non longe ab Ostia quæ ab Urbe XVIII milliaribus distat. Hanc olim Claudius imperator ædificavit ad navigantium commodum. Callixtus vero secundus pontifex max., anno 1120 hujus urbis sedi univit episcopatum Silvæ-Candidæ. Nomen autem Portuensis pontificis, ad quem hæc epistola dirigitur, videtur fuisse Theodinus, qui secundum Ughellum hanc sedem tenebat tempore Alexandri III.

(60) Celeberrima est hæc ecclesia et omnium sacrarum ædium non solum per Gallias, sed etiam toto orbe Christiano antiquitate primaria : quippe quæ in honorem virginis pariturae dicata fuerit a Druidibus hujus gentis sacerdotibus, ducentis annis antequam B. Virgo Deipara nasceretur. Ac postea Christianis ritibus, cum fides in Gallias fuit invecta, consecrata est. Fulbertus episcopus in eam quam modo cernimus elegantiam anno circiter 1020 illam restauravit, largitionibus præsertim Cnutonis Angliæ regis, ut testatur Malmesburgensis lib. II *De gestis Anglorum : Rex Conut ad transmarinas ecclesias pecunias mittens, maxime Carnotum ditavit, ubi tunc florebat Fulbertus episcopus in sanctitate et philosophia nominatissimus.*

D

(61) Est Prænestinus episcopus unus ex sex papæ suffraganeis. Præneste autem urbs est antiquissima Latii, quæ XXV milliaribus abest Roma. Episcopus autem ad quem dirigitur hæc epistola, fuit, ut colligitur ex eodem Ughello, Bernaredus, quondam abbas S. Crispini Suessionensis, ad quem scribit Petrus Cellensis epist. 21, lib. VIII.

(62) Magister Gratianus Pisanus ex subdiacono et scriptore apostolico factus est diaconus cardinalis SS. Cosmæ et Damiani ab Alexandro III, et S. R. E. Cancellarius. In ejus devenit amicitiam Stephanus, cum ambo sub eodem magistro litteris operam darent.

(63) Fuit Bulgarus celebris juris doctor in academia Bononiensi, de quo alibi fusius agetur.

EPISTOLA XXXIX.

AD GUILLELMUM REMENSEM ARCHIEPISCOPUM (64).

Agit de celebri controversia inter Turonensem archiepiscopum et Dolensem episcopum, quod Dolensis archiepiscopi et metropolitani titulo et jure frui præsumebat.

GUILLELMO Remensi archiepiscopo, STEPHANUS de S. Genovefa, prosperum cum salute, etc.

Absentia vestra, Pater, magis interim nobis est lethalis quam læta, gravis quam grata, formidabilis quam formosa. Quod superest, quotidianas precum pro vobis et sociis nostris immolamus hostias, ut qui de recessu vestro merito tristes fuimus, de reditu vestro vel subito gaudeamus. Dominum et familiarem vestrum, et qui, ut credimus, intimo vos diligit affectu, Turonensem archiepiscopum ad sacrum concilium euntem Parisius vidimus (65), ægritudine chronica, plusquam credi possit, afflictum, et quasi in imagine pertranseuntem hominem, sine viribus virum procedere volentem, nec valentem. Certabat contra naturam suam homo impotens, certabat contra suorum consilium et voluntatem, ut proficisceretur sine profectu, **52** moreretur sine mora, pareret cum periculo, cum obitu obediret. Ejus tam evidens incommodum dominus rex aspexit nec despexit, et metropolitano suo compassus infirmitatem ejus jure metiens et non mentiens, eo retento causam absentiæ justissimam domino papæ, sicut debuit, et eum decuit, intimavit. Mihi quoque parvulo fideli suo Christianissimus rex noster dedit in mandatis, ut, sicut oculata fide perceperam, pro prædicto archiepiscopo, domino papæ scriberem, quod et feci. Scribo etiam paternitati vestræ fidelis ac devotus famulus vester, obnixe rogans et supplicans, ut in sacro concilio excusatum habeatis illum amicum vestrum, quem infirmitas retinet, non voluntas. De Dolensium autem causa (66), quæ auctoritate sanctæ Romanæ Ecclesiæ sopita est, miratur admodum dominus rex, et eam moveri sic movetur, ut non toleret promoveri. Satagat, obsecro, paternitas vestra, ut Ecclesia Turonensis, quæ usque ad senectutem sanctissimi regis nostri (67) super hac quæstione tranquillitatem habuit et quietem, quasi extremis diebus ejus non amittat, quam habuit dignitatem. Voluntatem ipsius et mentem novi; quia, quicunque in hac causa Turonensi Ecclesiæ adversati fuerint, suos æstimabit adversarios, quicunque pro ea steterint, sibi asseret astitisse. In fine loquar ad dominum meum, cum sim pulvis et cinis. Sic ergo habeat se, precor, sancta discretio vestra in negotiis quæ dominum regem contingunt, ut et in Laudunensi vos laudet, et non doleat in Dolensi (68)

(64) Rogat nomine regis archiepiscopum Remensem, qui Romam ad concilium generale Lateranense anno 1179 profectus fuerat, ut apud summum pontificem Alexandrum III excuset Bartholomæum archiepiscopum Turonensem, quod Romam proficisci per infirmitatem ipsi non licuerit. Agit etiam de controversia archiepiscopi ejusdem cum episcopo Dolensi.

(65) Ponit Parisius pro Parisiis; quod vocabulum erat maxime in usu apud antiquos, cujus quidem infinita proferri possent exempla, primo in antiqua moneta fabricata tempore Caroli Calvi : Parisius civis, cujus typum accipe. Secundo de Hulboldo Leodiensi, qui degebat tempore Roberti regis, dicitur : *Dum adolescentulus e scholari disciplina confugisset Parisius.* Tertio in *Diplomate* Eugenii III papæ : *Odoni primo abbati Sanctæ Genovefæ quæ secus Parisius est.* Inveni in antiqua epigraphe sepulcri, quæ mille annos excedit, *annus* pro *annis*, *Januarius* et *Julius dies* pro *Januarii* et *Julii die*, talis est inscriptio : *Leudelinus hic requiescit in pace, vixit annos* 50, *defunctus est, ubi ficit Genarius dies* 15. Ex adversa parte ejus uxoris cœnotaphium legitur his verbis : *Valdolina hic requiescit in pace, vixit annos* 30, *defuncta est ubi ficit Julius dies* 33. Hæ duæ inscriptiones habentur in tabula quadam lapidea inventa in sepulcro Ambiani prope monasterium S. Acheoli effosso, et ad me transmissa, cujus characteres peritorum judicio regum primæ stirpis ævum præ se ferunt.

(66) De hac sic loquitur *Chronicon* Alberici : *Hoc tempore causa Ecclesiæ et Joannis episcopi Turonensis (vel rectius Joscii Bartholomæi decessoris) ventilabatur coram papa de episcopis Britanniæ qui habebant archiepiscopum Dolensem, quos archiepiscopus Turonensis dicebat ad se pertinere de jure, et cum processum esset ad sententiam definitivam, procurator Turonensis Gaufridus archidiaconus obtulit archiepiscopo Dolensi coram papa, causa pacis, ut si vellet antequam daretur sententia mediante pace semper esset archiepiscopus, et semper unum haberet episcopatum quo recusante, ventum est ad judicium, et post multas altercationes papa dedit sententiam pro Turonensi, et Dolensis sublatus est archiepiscopatus.* Matthæus Paris ait anno 1199 controversiam hanc fuisse terminatam, quo tempore Bartholomæus episcopatum Turonensem gubernabat. Cum ergo Chronicon Alberici loquatur de causa hac Joannis seu Joscii episcopi Turonensis, supponendum est ab eo fuisse tantum motam, sed non finitam. Hæc enim habet Matth. Paris. sub annum 1199 : *Hoc anno decisa est causa vetustissima inter Ecclesias Turonensem et Dolensem. Roma a papa Innocentio per sententiam definitivam, archiepiscopo Turonensi ab episcopo Dolensi subjectionem exigente, et episcopo Dolensi contradicente.* Deinde seriem totius historiæ prosequitur, atque originem et causam istius controversiæ exponit, tum subjungit : *Inter episcopos Turonensem et Dolensem lis continua et contentio perduravit, donec anno præsenti, ut prædictum est, a papa præfato sententia definitum est, ut tam Dolensis quam cæteri Britanniæ episcopi, archiepiscopo Turonensi subjaceant, et in perpetuum præceptis ejus canonicis acquiescant. Unde papa memoratus in pronuntiatione sententiæ definitivæ, ut qui scientia erat magnus, audax et juris peritus, ita exorsus ait : Doleat Dolensis, et gaudeat Turonensis.* Consule epistolas sequentes.

(67) Ludovici scilicet VII, qui erat tunc natus 69 annos. Hæc enim epistola scripta est anno 1179, quo habitum est concilium Lateranense, et sequenti 1180 septuagenarius e vivis excessit, secundum Guillelmum Armoricum, licet Rigordus vitam ejus ad annum 1181 proroget. Sanctissimum eum appellat auctor noster, siquidem Pii cognomen præ cæteris nostris regibus sortitus est. Pietatem ejus erga Deum et subditos his paucis verbis exprimit Guillelmus Neubrigensis lib. III, *Hist. Aug.*, cap. 5 : *Homo intrepidæ devotionis in Deum, et eximiæ lenitatis in subditos, sacrorum quoque ordinum præcipuus venerator.*

(68) Cum Guillelmus Remensis archiepiscopus ad concilium Lateranense pergeret, duo illi præsertim rex exsequenda mandaverat, alterum scilicet, ut archiepiscopum Turonensem contra Dolensem epi-

53-55 EPISTOLA XL.

AD SUMMUM PONTIFICEM.

Rogat ut excusatum habeat Bartholomæum Turonensem archiepiscopum, quod Romam se conferre non valuerit.

Summo pontifici (69), STEPHANUS de S. Genovefa, salutem et devotam obedientiam.

Domesticum nobis ac cæteris filiis vestris gaudium est, Pater, quia beatæ paternitatis vestræ sinus sic extenditur ad singulos, ut suscipiat universos. Ab uberibus consolationis ejus et juvantur pusillanimes, et flebiles refoventur. In hujus spei virtute devotus filius vester B. Turonensis archiepiscopus, licet longa ægritudine afflictus, et supra humanum characterem extenuatus, ad sacrum concilium vestrum iter arripuerat, et quæ non poterat corpore, animo satagebat implere. Is cum venisset Parisius locuturus in transitu suo cum domino rege, recidiva correptus infirmitate, sine periculo mortis, ut credimus, iter incœptum, 56 etsi oportuit, non tamen potuit consummare. Infirmus infirmo testimonium perhibeo, de conscientia mea loquens; quia, si abiret, obiret; si proficisceretur, non proficeret; si non moraretur, moreretur. De cætero, Pater sancte, super negotio Turonensis et Dolensis Ecclesiæ volo vos voluntatem domini regis nosse, cujus merita et apud vos efficaciter vivunt, et sui memoriam vestris successoribus perpetuo derelinquunt. Qui læserit Turonensem Ecclesiam, pupillam oculi ejus lædet, et diminutio ejus vel modica, coronæ suæ maximum afferent detrimentum. Dolet admodum de Dolensium dolis, qui litem sopitam suscitare contendunt, et sanctam religionem vestram circumvenire pertentant. Parcite, Pater, obsecro, filio vestro regi sancto; parcite paci ejus et quieti; parcite regno Francorum, quod sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ in omni persecutione sua fidele semper exstitit ac devotum.

EPISTOLA XLI.

AD BARTHOLOMÆUM TURONENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Se excusat ob ægritudinem a concionibus habendis.

Post tenues diætas et noctes insomnes, quas in doloribus meis ægritudo chronica concepit et peperit, modicum quietis et refrigerii minus instantia mea quotidiana sollicitudo Ecclesiæ meæ mihi promittit et permittit. Hippocratis et Galeni discipulos, ut mihi consulant, consulo, incerta semper ab eis oracula reportans, qui in vase vitreo coloris et substantiæ peccata discernunt (70), 57 dum eorum opem et operam expetens exspecto, dum artem arctus attendo, dum ago ut ægritudinis meæ nodos incidant, ipsi nodosas incidunt quæstiones, dum mihi quasi sub periculo salutis inhibent studium ac laborem. Hæc sunt quæ impediunt, ne impendam supra posse velle, ne si voluero quod non possum, sic in alterutro non proficiam, ut deficiam in utroque. Hæc sunt quæ in sermonibus conscribendis (71) et desiderio desidiam afferunt, et auferunt voto vocem. Parcat, obsecro, mihi paternitas vestra, et usque ad plenitudinem salutis et convalescentiæ perfectæ super iis quæ postulatis inducias indulgete. Valete.

58 EPISTOLA XLII.

AD SUMMUM PONTIFICEM.

Rogat ut patrocinetur causæ abbatis S. Victoris, eumque benigne suscipiat.

Summo pontifici, STEPHANUS de Sancta Genovefa, salutem et devotam obedientiam.

Eam, Pater, ignorantiam facti credimus excusabilem, non quæ supinæ simul et crassæ mentis ho-

scopum defenderet in curia Romana; alterum vero, ut partes suas tueretur in concilio contra episcopum Laudunensem, Rogerium de Roseio, qui cum præsens illic adesset, conquerebatur quod rex episcopatum per injustam vim deserere coegisset. Causa autem regiæ in ipsum offensionis hæc erat, quæ notatur in *Chronico Laudunensi*, anno 1177: *Homines de Laudunesio in præjudicium episcopi et Ecclesiæ Laudunensis, data regi Ludovico æstimatione pecuniæ, communiam ordinaverunt habere, et sic perperam cogitantes a jugo servitutis cervices suas et hæredum suorum excutere, arbitrati sunt. At Rogerus egregius Laudunensis episcopus, per se et per amicos regis præsentiam adiit, et ut Ecclesiæ suæ misereretur, communiam servorum suorum deflendo, modis omnibus exoravit; rex vero, ut dicitur, sponsioni pecuniæ hærens, episcopum et suos non audivit; episcopus vero, ut erat magnanimus, videns se apud regem sæpe requisitum non proficere, proprium genus suum sollicitavit, ut per eos de servis sibi ingratis et rebellare volentibus ulcisceretur, confluentibus ad eum undique sui generis principibus, cum aliis amicis necessariis, scilicet domino de Avennis et comite de Rostolio. Pars autem adversa non ignara eorum adventum cum suis adjutoribus præstolabatur, armata venerant eis in auxilium, et aliis communiis plurimi, Galfrido Silvanectensi, tunc Laudunensi præposito procurante. Sex ex regis præcepto homines S. Medardi Suessionensis ad eorum auxilium confluxerunt; communia de Crispeto, communia de Velli in eorum auxilium convenerunt. Apparatis itaque hinc inde copiis armatorum, tota illa rusticana multitudo, solo nomine militum qui convenerant, territa, fugam consuluit. Cæsa fuit ibi multitudo non modica, sed eorum qui in aquis perierunt, incertus numerus. Sequenti vero æstate, rex Ludovicus ire parat..... stragem illorum de Laudunesio..... in fratrem episcopi Rainaldum dominum de Roseio; pervenit ad castrum comitis de Roseio, cui nomen Nisi, ubi amicis dicti domini de Roseio satisfacientibus regi pro eo intervenit reconciliatio; ita tamen ut castrum suum ab eo deinceps recognosceret tenendum. Venerabilis vero episcopus iram regis declinans, apud Galterum, tunc Lingonensem episcopum, latuit in Burgundia.*

(69) Hæc epistola videtur esse ea de qua sermo habetur in præcedenti ad Guillelmum archiepiscopum Remensem, quam scripsit ad summum pontificem regis nomine.

(70) Intelligit medicos, qui per inspectionem urinæ in vase vitreo contentæ, morborum qualitates et symptomata cognoscunt, eosdem vocat Hypocratis et Galeni discipulos. Hæc etiam repetit alibi.

(71) Inter concionatores sui ævi clarissimos et nominatissimos reputabatur Stephanus. Unde ejus sermones exquisite undequaque collecti fuerunt, ut ab injuria temporum vindicarentur. Non mirum ergo debet videri, si a multis prælatis ad munus prædicationis expetitus fuerit, ut hic ab archiepiscopo Turonensi.

minibus accidere solet, sed quam perfectis etiam et vere philosophantibus viris invidia temporum ingerit, aut locorum. Hujus insidias perpessus innocentiæ filius, et obedientiæ custos abbas Sancti Victoris (72), sacrum apostolatus vestri mandatum nec evitasse credendus est, nec elusisse dicendus. Cum enim divinas illas litteras vestras Kalendis Januarii, ut ex earum subscriptione constat, nuntius susceperit, secunda post octavas Pentecostes feria, præfato eas innocenti et simplici viro detulit ac porrexit : industria an incuria cujusquam factum fuerit nescimus; factum tamen nullatenus dubitamus. Et quoniam vir ille religiosus ac timens Deum, ad unius etiam jussionis vestræ vocem paratus est, et in carcerem et in mortem ire, excusabilem faciat eum apud vos innocentia propria, quem accusabilem forsitan reddit temeritas potius aliena. Clamat interim infirmitas viri ; clamat, et virtutis corporeæ defectum prætendit, ut in hac vocatione vestra, si placet, ei parcatis, ne non possit proficere, si cœperit proficisci. Quia tamen idololatriam et inobedientiam æquis passibus ambulare non ambigit, tam deforme simulacrum **59** et enorme abhorrens, spiritu quidem prompto, quamvis carne infirma, ut mandatis vestris mereamur obedire, non verebitur obire.

EPISTOLA XLIII.

AD PETRUM TUSCULANUM EPISCOPUM.

Postulat ut in suam clientelam suscipiat abbatem S. Bartholomæi Noviomensis.

Sanctissimo Domino magistro Petro Tusculano (73) episcopo, Stephanus de S. Genovefa, salutem.

Injunctum a vobis, Pater, obsequiolum prout potui complevi, quasi in silvam ligna ferens, quasi solem certans facibus adjuvare. Rogo ut puerilia mea quamvis digna sint risu, benevolo tamen suscipiatis aspectu. Juges orationum hostias offerunt pro vobis in ecclesia Beatæ Genovefæ filii vestri (74), tanquam pro salute vestra labiorum vitulos et cordis immolantes. Memor et ego beneficiorum vestrorum, quæ supra omnem mortalem mihi contulit benignitas vestra, memoriam vestri fixam in meis visceribus gesto, cum ea confabulans et colludens, cum ea delectationis meæ primitias ac decimas delibans ac degustans. Pro abbate Sancti Bartholomæi viro honesto et justo, paternitatem vestram **60** deprecor, ut in necessitatibus Ecclesiæ suæ benevolum ei consilium, et beneficum auxilium præbeatis.

A Valeat sancta vestra paternitas, et de bono in melius proficiens augeatur.

EPISTOLA XLIV.

AD ARCHIEPISCOPUM TOLETANUM.

Agit de quodam simoniace ordinato.

Eam prælatis imminere sollicitudinem decet, ut subditorum errores et doctrina corrigant, et corripiant disciplina ; nec debet deesse severitati serenitas, ubi profert sacerdos sententiam, Pater pœnam. Temperet in vicario Christi rigorem dispensatio, jus strictum æquitas, potestatem judicis sinus patris. Sacrificium ex adipe, simila oleo lita, misericordia superexaltans judicium commendatur. Hæc sunt, Pater, quæ circa pauperem spiritu præsentem filium vestrum nos movent : et ut ad compassionem vos
B invitemus, non invitos invitant. Delictum suum cognitum nobis fecit, et in suscipiendis sacris ordinibus aliquid de labe et **61** nube Simonis, quamvis simpliciter, sese bibisse confessus est. Munus ab obsequio quod peræque ac munus a manu in hoc sacro contractu reprobatur. Cuidam qui manum fecit ei imponi, et promisit, et exhibuit, annuum ei ex pacto servitium impendens, et quasi non ingratus gratiæ ; quæ tamen si gratis non datur, gratia non est. Fidei contrariam pollicitationem implens, erravit ex ignorantia, quæ forte in philosophum non cecidisset, sed excusat simplicitas, quem ignorantia juris accusat. Preces fundimus pietati vestræ, ut quia potestatem super eum ligandi atque solvendi
C accepistis, suscipiatis infirmum, et ei veniam præstetis de misericordia, quem fortassis de justitia damnare potestis. Valete.

EPISTOLA XLV.

AD ABBATEM SANCTI SATYRI (75).

Rogat ut remittat quemdam ex suis canonicis decumbentem.

Importunus est qui petit, beneficus qui largitur. Primum excusat necessitas, secundum liberalitas commendat. Hanc importunitatem meam vestra, quæso, supportet amicitia, et præsentem patrem, quem et vos in Christo genuistis, salubri consilio juvet, opere, et opera consoletur. Causam ignoramus morbi, et curam nescimus; acutam passus (76) diu decubuit, nec post crisim convaluit, quia prævaluit
D ægritudo : lentis adhuc uritur febribus, pulsu veloci et febrili; frequenter surgit, et recidit, facilius tamen ægrotare, quam convalescere videtur. Si quid potes adjuva illum, misertus nostri. Quid-

(72) Is est Guarinus, qui fuit V abbas S. Victoris Parisiensis, vir pietate et doctrina insignis, in abbatem assumptus anno 1172, ad quem epistolam gratulatoriam de ejus electione scribere dignatus est Alexander III pontifex maximus. Sermones eleganti et polito satis stylo exaravit, quæ adhuc in *Bibliotheca Victorina* asservantur. Fato functus est anno 1180.

(73) Petrus cardinalis episcopus Tusculanus creatus ab Alexandro III anno 1178; ad eum scripsit epistolam 6 lib. IX Petrus Blesensis. Rogerius vero Hoveden vocat illum Petrum Papiensem.

(74) Non video cur nuncupet canonicos Sanctæ Genovefæ Parisiensis ejus filios ; nisi forte quia, ut notatur ab Ughello, sub Lucio III in Romana Ecclesia administranda vices pontificias gessit, ideoque canonici hujus abbatiæ, qui ad sedem apostolicam speciali titulo pertinebant, eum Patrem appellarunt, ejusque filii dici potuerunt. Notatur autem ejus obitus in *Necrologio* S. Genovefæ his verbis : *Obiit piæ memoriæ Petrus Tusculanensis episcopus, qui dedit nobis* XXX *libras ad emendum terras.*

(75) Godefrido scilicet, de quo superius.

(76) Intelligit febrem continuam et vehementiorem.

quid ei bonum factum fuerit, meum reputabo. Consilium vestrum scribite, et mittite nobis **62** ipsum. Alibi quam apud nos nec morari volumus, nec mori. Morem nobis geret, si moram non fecerit apud vos

EPISTOLA XLVI.

AD PETRUM S. CHRYSOGONI PRESBYTERUM CARDINALEM (77).

Gratulatur de ejus ad cardinalatum promotione.

Jucundum mihi, fateor, spectaculum præbet recordatio vestra, dum quasi per graduum canticum ascendentem suspicio, dum a minoribus ad majora Petrum nostrum hinc virtutes sibi rapiunt, hinc honores. Gratia gratiam invocat, gloria gloriam, ut cortina cortinam trahit, et jam plene lucet omnibus qui in domo Domini sunt, quoniam de plenitudine sua vobis gratiam et gloriam dedit Deus. Hæc sunt quæ amicorum vestrorum exhilarant faciem in oleo, corda lætificant et confirmant. Hujus festi me participem gratulor, hujus glorior me consortem. Nam etsi inter vestros modicum obtineam locum, sed non modicum tantæ dilectionis simul et delectationis vindico mihi fructum. Amplector scholarem, prosequor archidiaconum, deosculor abbatem, assurgo episcopo, revereor cardinalem, his gradatim ascendentibus, et sibi accedentibus potius quam succedentibus articulis, arrident honores moribus, mores honoribus coexsultant. Vivat in aliis illud vulgare proverbium : *Honores mutant mores*. In vobis id tantum precor obtineat, ut si mutent aut moveant, eam motus speciem, quæ augmentum **63** dicitur, non excludant. Interim, Pater, immolo pro vobis, quales possum, hostias precum, columbas gemituum, vitulos labiorum. Confido, quia quem dilexistis privatus, non dediligetis promotus. Meipsum, si placet, in holocaustum obsequii vestri suscipite, quem ad libitum vestrum fortis ut mors dilectio mactet, et flamma charitatis accendat.

A

EPISTOLA XLVII

D ARALDUM ABBATEM S. BENEDICTI (78).

Commendat ipsi quamdam viduam et ejus filium.

Instantia et importunitate solita commendo dilectioni vestræ viduam nostram et orphanum, quorum res tenuis et substantiola modica de vestro pendet beneficio, de vestro patrocinio sustentatur. Inhiat super eos creditorum voracitas, ut de sinu viduæ pupillum tollant, et absorbeant scintillam ejus, cujus vita in amaritudine est, victus in penuria, in frigore et nuditate vestitus. Rogo, Pater, ut de æquitate potius quam de jure stricto judicium vestrum prodeat, et ejus **64** frater, qui pro sororis filio orphano satisdedit et satisfecit, tanquam potior in pignore

B auctoritate vestra cæteris creditoribus præferatur. Is enim et per manum vestram naturalem feudi detentionem habet (79), et sacramentum fidelitatis præstare paratus est, ut convenit.

65 EPISTOLA XLVIII.

AD ALEXANDRUM III PAPAM.

Certiorem facit se ejus mandatum, de cujusdam clerici pensione implevisse.

Sanctissimo domino et Patri ALEXANDRO summo pontifici, STEPHANUS de Sancta Genovefa, salutem et cum omni devotione et reverentia debitam obedientiam.

Ad unius jussionis vocem vestræ, Pater, obtemperans, filio Laxii de Archerio, sicut præsens coram

C vobis promiseram, absens exhibere curavi, quanquam sit vobis aliter per ejus vicinos intimos intimatum. Frumento et vino stabilivi eum, ut altero confirmaretur cor hominis (80), altero lætificationem sentiret. Superveniente nuntio mutatum est mandatum, et aggravatum præcepto, ut quotidianum victum in menstruam pecuniæ summam converterem, et decem solidos Parisienses per singulos menses puero numerarem. Factum, ut imperastis, cum et hæc et alia quæcunque jusseritis, ego et

(77) Cardinalis creatus est ab Alexandro III, antea episcopus Meldensis, ex abbate et archidiacono : sed cujus ordinis et monasterii fuerit abbas, aut cujus Ecclesiæ archidiaconus non constat. De ejus autem legatione ad Henricum Angliæ regem hæc habet Rogerius Hoveden anno 1179 : *Petrus tituli S. Chrysogoni presbyter cardinalis, apostolicæ sedis legatus, quondam Meldensis Ecclesiæ electus, venit in Franciam, et ab Alexandro papa in mandatis recepit, quod tota Normannia, et omnes terræ regis Cismarinæ et Transmarinæ sub interdicto ponerentur, nisi ipse permiserit Ricardum filium suum comitem Pictaviæ ducere in uxorem Alesiam filiam Ludovici regis Franciæ, quam ipse rex Angliæ tandiu et ultra quam inter eos convenerat, in sua custodia retinuerat.*

(78) Hæc epistola dirigitur Araldo abbati Floriacensi seu Sancti Benedicti ad Ligerim, in diœcesi Aurelianensi. Illud autem monasterium celeberrimum fundatum dignoscitur a Leobaldo S. Aniani abbate circa annum 623, in eoque reliquiæ S. Benedicti et cœnobio Cassinensi ab Aigulpho monacho asportatæ sunt anno 660 : unde postea nomen Sancti Benedicti sortitum est, cum Floriacum primitus vocaretur. Possidet autem abbas hujus loci omnimodam justitiam temporalem tam in villa Floriacensi quam in variis prædiis et dominiis circumjacentibus. Multos homines habet dominicæ clientelæ et justitiæ addictos, de quorum numero ille, in cujus gratiam scripta est hæc epistola, censeri debet.

(79) Feudum quod antiquitus vocabatur beneficium secundum Cujacium ad lib. I *Feud.*, tit. 1.

D part. X : *Est jus in prædio alieno, in perpetuum utendi, fruendi, quod pro beneficio dominus dat ex lege, ut qui accipit, sibi fidem, et militiæ munus aliudve servitium exhibeat.* Feudum igitur proprie non est prædium, sed jus in prædio. Feudum autem peperit rei militaris necessitas. Laborantibus enim priscis sæculis bellis gravissimis, imperatores, reges ac principes, ducibus ac, ut vocant, capitaneis, regiones integras, præsertim hosti finitimas distribuerunt, non tamen ut eas soli possiderent, sed ut in idoneas portiones, singulis militibus, habito personarum respectu, feudi, id est stipendii nomine, distribuerent, fide illorum accepta, ut patriam tuerentur, et militanti principi, in auxilium vocati, accurrerent.

(80) Alludit ad id quod scribitur Psal. CIII : *Panis cor hominis confirmet, et vinum lætificet cor hominis.*

fratres nostri parati simus et libenter suscipere, et A liberaliter adimplere. Sciat interim paternitas vestra, nos quibusdam clericis alendis (81), per aliquos dominos meos cardinales consimilia onera sustinere.

66 EPISTOLA XLIX.

AD A. R. E. CANCELLARIUM.

Rogat ut negotium suum æquis judicibus curet committi, cum hac clausula, «remota appellatione,» inserenda.

Sanctissimo domino et Patri A. Romanæ Ecclesiæ cancellario, frater STEPHANUS de Sancta Genovefa, salutem et cum omni devotione sinceram obedientiam.

Importunus est, et ab improbo non recedens, qui sermonibus vacuis dominum suum vel offendit B tranquillum, vel impedit occupatum. Id ne mihi accidat, oro, et impetrata venia loquar, cum nec opportunas temporum voces explorare valeam, nec ad explorandum longe positus excubare. Sollicitus erit in hac parte pro nobis clericus vester, amicus itidem noster Alvardus, quem experti sumus honesto consortio, et moribus gravem, et sumptibus non gravantem. Dignum eum credimus tanto Patre vel sanguine jungi, vel familiaritate vinciri. Si quid ei pro vobis contulimus, jucundum fecit tum accipientis humilitas, tum auctoritas imperantis. Petitiones nostras, obsecro, paterne admittatis, et adjecto, « remota appellatione, » articulo, faciatis eas, si placet, timentibus Deum judicibus demandari. C Valeat sanctitas vestra.

67 EPISTOLA L.

AD ALBERTUM, DOMINI PAPÆ CANCELLARIUM (82).

Certum facit se ejus intuitu pensionem cuidam clerico persolvisse.

In consummandis precibus vestris pro Ærnaudo clerico vestro mihi quandocunque oblatis, nec dissimulatio me fecit desidem, nec simulatio deceptorem. In illa ægritudine mea chronica, quæ plus minus anno dimidio me ferme usque ad extrema confecit, semel eum vidi, et cum ut reverteretur ei blando, non blæso, sermone dixissem, usque ad Pentecosten mihi nec comparere voluit, nec parere. Extunc per initia singulorum mensium intuitu vestro v solidos Parisienses ei conferri facio, nec dif- D ferri. Et hæc dixerim, non ut improbus mei commendator appaream, sed ne ingratus beneficiorum acceptor existam. Unde sciat sancta paternitas vestra, quoniam in petitionibus nostris, quæ nec multæ, nec magnæ domino papæ offeruntur, difficiles expertus sum, tam eos qui petitoria porrigunt, quam eos qui admittere debuissent communes litteras illas, quas de justitia appellant, in quibus Græcus, et Latinus, et Barbarus, et Scytha adjectionem «remota appellatione,» sese consequi gratulantur; nos qui speciales filii Romanæ Ecclesiæ dicimur (83), non potuimus obtinere. O modica adjectio (remota appellatione) quam speciosa facta es, quæ sic es difficilis filiis, sic facilis alienis!

68 EPISTOLA LI.

AD FRATREM JOANNEM DE SANCTO SATYRO.

Repetit ab ipso mutuo datam pecuniam.

Si communis peregrinationis et gratiæ, quam inter eundum et commanendum habuimus, meminisses, certe gratiam pro gratia reddere debueras. At vero cum ingratum te exhibueris, ut pace tua loquar, aut dissimulatio te facit desidem, aut simulatio deceptorem. Nosti quia cum ab Urbe recesserim, XL solidos Parisienses, quos et ego mutuo acceperam, tibi plurimnm roganti, et ut dicebas indigenti, non minus benevole quam benefice numeravi. Elapsus est annus, ex quo pro te creditoribus satisfeci. Si computaveris usuras, ut de centesimis taceam, etiam quinconces sortem facile consequentur. Nondum super hoc abbatem tuum conveni, nondum exposui causam, nondum querelam proposui, parcens verecundiæ tuæ, parcens famæ. Redde quod debes, ut quia patientiam habui in te, de mea patientia pœnam non patiar aut jacturam. Vale. Frater Guido repetit a te v sol. sub quæstione simili, sub indignatione pari.

69 EPISTOLA LII.

AD GODEFRIDUM ABBATEM S. SATYRI.

Se excusat quod eum invisere non possit.

Sanctissimo domino et Patri GODEFRIDO abbati Sancti Satyri, frater STEPHANUS, salutem et communes orationes in Domino.

Festum est mihi, quoties festiva memoria vestra, vel per nuntium mihi, vel per epistolam renovatur. Si quis hoc festum turbare voluerit, vel auferre, mihi, fateor, est infestus. Sane quod ad festum martyrum vestrorum me charitate benevola invitastis, communem lætitiam non recuso, sed ab-

(81) Solebant summi pontifices et cardinales præbendas quasdam, quas quæstuarias vocabant, pauperibus clericis et aliis quibus placebat, in ecclesiis cathedralibus conferre, pensionesque annuas in celebrioribus monasteriis assignare.

(82) Fuit natione Beneventanus, de Mora dictus, religione vero Cisterciensis, diaconus cardinalis S. Adriani, ab Adriano IV creatus. Legatus in Angliam missus est ad impertiendam absolutionem Henrico I', postquam de nece S. Thomæ se purgasset. Cancellarius S. R. E. institutus est ab Alexandro III. Ad eumdem plures scripsit epistolas Petrus Cellensis.

(83) Ecclesia S. Genovefæ Parisiensis dicta est apostolica, ut legitur in Vita S. Guillelmi apud Surium ad diem 6 Aprilis, sedique apostolicæ immediate fuit subjecta, etiam ante tempora canonicorum regularium denuo in eam inductorum anno 1148: quod quidem patet ex *Diplomate* Paschalis pontificis datum Meldis anno 1108, his verbis: *Ejusdem Ecclesiæ clerici cum patrocinio regis, etiam sedis apostolicæ tuitione congaudeant, claustrum quoque ipsorum in ea quam hactenus habuit libertate servetur.* Et in *Bulla* Eugenii III, anno 1150, hæc habentur: *Constituimus quoque ut nulli archiepiscopo vel episcopo, nisi tantum Romano pontifici, Ecclesia vestra subjaceat.*

sentiam excuso singularem. Illa die Remis coram domino archiepiscopo pro negotiis Ecclesiæ nostræ stare me oportet, et contra quosdam raptores nostros, et adversarios experiri. Cæterum communis Pater et abbas noster R. (84) me pariter, et charissimum senem bonum abbatem S. Bartholomæi paterno rogavit affectu, ut in octavas Purificationis ei nostram exhibeamus præsentiam. Credo quia et vos tantum filium suum in hac vocatione non omisit. Et quia tanto Patri præsenti, in necessitate sua non obedire nefas est, rogo, consulo, moneo, quatenus eadem die nobis fratribus vestris occurratis, ut funiculo triplici filiorum, qui difficile rumpitur, confirmetur imbecillitas senis Patris, et angustia, si qua fuerit, relevetur. Valete.

70 EPISTOLA LIII

AD EUMDEM.

Agit gratias pro collatis cuidam canonico suo beneficiis.

GODEFRIDO abbati S. Satyri

Præter alia quæ mihi sæpe, Pater, exhibuistis beneficia, annuum et gratissimum in fratre nostro (85) Ecclesiæ nostræ solatium contulistis. Condignas in eo vobis offerimus gratias, ut qui forte in postulando fuimus importuni, in obsequendo non inveniamur ingrati. Et quia tempus miserendi ejus venit, dilectioni vestræ preces porrigimus, ut eum ad commune Patris nostri Evurtii domicilium faciatis perduci, quatenus a sacrario martyrum (86) transeat ad montem virginis, per cameram confessoris. Valete.

71 EPISTOLA LIV.

AD DOMINUM PAPAM.

Ipsius patrocinium pro Ecclesia Corbeiensi (87) implorat.

Zelum domus Domini vos habere, et disciplinam in Ecclesia Dei sic observari vos velle credimus, ut temperata discretio vestra et superbos humiliet, et humiles amplectatur. Proinde sanctitati vestræ complaceat, ut contra quosdam rebelles et inobedientes contentionis et discordiæ filios, qui de Corbeia exierunt, accendatur fervor vester, moveatur indignatio, ultionis gladius educatur. Sicut a religiosis, et quibus fides haberi debet, viris audivimus, et qui præsentes aderant, et rem ut gesta A fuerat nobis intimarunt contra sacramentum de se et a toto Corbeiensi conventu coram comite Flandriæ, qui ex parte domini regis cum octo abbatibus ibidem aderat, super sancta Evangelia præstitum, prædicti notabiles, et non audiendi monachi incentivum schismatis et litigii seminarium, in monasterio Corbeiensi suscitare contendunt tam manifeste per viros et promissæ fidei corruptores, qui in matris suæ jacturam, et irreverentiam patris, illicite discurrunt : sacrosancta Romana Ecclesia nec in patrocinio debet suscipere, nec in negotio sustinere.

72 EPISTOLA LV.

AD SYLVANECTENSEM EPISCOPUM.

B *Profert litteras testimoniales et dimissorias pro canonico suo in presbyterum ordinando.*

Ad reditum vestrum (88), Pater, in tripudiis exsultant, et lætantur in jubilo filii vestri fratres nostri, assumentes sibi coronam pro cinere, gaudium pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. Duplicata consolatio nostra, Paracleti consolatoris in festo, et generale gaudium adventus Spiritus sancti, speciali lætitia vestri ad vestros adventus cumulatius adimplevit. Interim sanctæ paternitati vestræ mittimus fratrem nostrum Ricardum diaconum honestate vitæ et integritate famæ apud nos commendabilem, ut eum pro amore Dei et beatæ virginis Genovefæ, ipsius servilem, in presbyterum ordinetis. Valete.

C

EPISTOLA LVI.

AD GUILLELMUM REMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Conqueritur de monachis Longipontis, qui sibi erant molesti et infensi.

Festum mihi est, quoties sic infestor, ut ad judicium vestrum compellari compellar, cui tutius est 73 ad ipsum appellare quam appellare ab ipso. Unus e patribus de Longoponte (89) (nec enim sanctum illud collegium inde arguo) quasi sub nomine pietatis, pugno impie non impugnat, et tanquam loro me trahere credens ad judicem, proverbii vulgaris ignarus, securum me reddit, quia visurus sum Patrem. Dubium me facit nomen hominis et opus ejus, Droconem nescio eum rectius dixerim an Draconem. Tanta sese præditum charitate prædicat, ut non sufficiat ei sua pauperibus erogare,

(84) Existimo esse Rogerium primum abbatem S. Evurtii Aurelianensis, sub cujus regimine regularem vitam didicit et duxit cum Hugone abbate S. Bartholomæi Noviomensis, et Godefrido S Satyri, ut patebit ex epistola 285 ad abbatem S. Evurtii, in qua ait : *De gremio tuo assumpserunt Patres et pastores Ambrosius Bituricensis, Satyrus Sancerrensis, Bartholomæus Noviomensis, et, ut minus sapiens dicam, Genovefæ Parisiensis.*

(85) Is est Gislebertus canonicus Sanctæ Genovefæ Parisiensis, quem miserat in monasterium S. Satyri.

(86) Per sacrarium martyrum intelligit ecclesiam S. Satyri et sociorum; per montem Virginis, abbatiam S. Genovefæ, et per cameram confessoris, monasterium S. Evurtii Aurelianensis, qua transire debebat, ut a S. Satyro Parisios ac domum S. Genovefæ remearet.

D (87) Corbeia ad ripam Somonæ, leucis IV ab Ambiano, sita, insigne habet monasterium ordinis D. Benedicti, a beata Bathilde Francorum regina, et Clotario ejus filio in honorem SS. Petri et Pauli anno 662 fundatum.

(88) Mejerus, *Annal. Fland.*, lib. VI, dicit regem Philippum Augustum conjugem suam dimisisse omnium episcoporum consensu, præter quam Henrici Silvanectensis, ad quem regina confugit. Ideo forte a rege sibi infenso in exsilium pulsus est, ac deinde revocatus.

(89) Hæc abbatia sita est in diœcesi Suessionensi, fundata a Josleno ejusdem urbis episcopo, anno 1131, qui e divi Bernardi familia coloniam illuc induxit. Comitum autem Veromanduorum sepulcris pluribus nobilitatur. Charta subsequens ex tabulario abbatiæ S. Genovefæ deprompta huic epistolæ lucem præbebit. *Henricus Dei gratia Silvanectensis*

nisi et adjiciat aliena. De nostro contendit eleemosynam facere. Fructum cujus sibi nobisve concessurum dum non concedimus, non cedemus. Credo, Pater, quia Cistercienses de numero sunt eorum, qui violenti diripiunt cœlum, sed utrum violenter eis terram rapere liceat, nondum legi. Die data Remis coram officialibus vestris responsurus auctori copiam mei feci, sed quia paternam faciem vestram non vidi, timui sub alterius examine judicari. Gratias ago sanctæ paternitati vestræ, quia qui pro vobis sedebant ad invocationem nominis vestri, mihi usque ad octavas Nativitatis beatæ Mariæ virginis inducias indulserunt. Rogo, Pater, ut talem mihi puero vestro diem assignetis, qua vos Remis adfuturum non dubitetis et sessurum. Si coram alio litigare me contigerit, flebiliter dicam me tandem expertem gratiæ vestræ, quam jugiter sum expertus. Valete. Commendabilem vobis faciat, obsecro, Joannem nostrum Aurelianensem et ad serviendum idonea persona sua, et ad obsequendum devota supplicatio nostra.

74 EPISTOLA LVII.

AD HUGONEM ABBATI S. BARTHOLOMÆI NOVIOMENSIS.

Excusat se ob varias occupationes in jure dicendo quominus ad eum accedat.

Summa celeritate accederem ad vos, si desiderio necessitas non obstaret. Retinet me mandatum apostolicum, cui non parere, perire est; non obedire, obire. Hac **75** instante Dominica, de mandato ipsius triplicem habeo necessitatem sedendi, et in trium cognitione causarum judicis officium exsequendi. Non recipiunt causæ dilationem, quæ et per litis contestationem inchoatæ sunt, et ad postulationem partium, die proxima assignatæ. Expletis negotiis, quando vobis placuerit, tam libenter veniam ad vos quam licenter.

EPISTOLA LVIII.

AD DOMINUM PAPAM, SUB PERSONA ABBATIS S. BARTHOLOMÆI NOVIOMENSIS.

Ecclesiam S. Evurtii Aurelianensis a procuratione episcopi liberam esse testatur.

Ecclesiam Sancti Evurtii Aurelianensis in conspectu angelorum et hominum commendabilem faciunt et meritum confessoris, et testimonium ci- A vitatis. His accedit sancta conversatio fratrum regulariter inibi Deo servientium, qui vita sic eminent inter suos, ut fama excitent alienos. Tempore sæcularium canonicorum, ante quadraginta jam annos canonicus simul et cantor ejusdem Ecclesiæ fui, et mutato ipsius statu in regularem formam, postmodum et ipse Augustini discipulus, habitum in ea pœnitentiæ suscepi. Scio, Pater, et in veritate testificor, quoniam, quantum exstat in memoria hominum adhuc viventium, hac libertate et immunitate Ecclesia illa, et tres aliæ clericorum abbatiæ, quæ in eadem civitate sunt, scilicet Sancti Petri virorum, Sancti Petri puellarum, et Sancti Aviti, usque ad diem hanc gavisæ sunt, quod in nulla earum, quicunque fuerit Senonensis archi- B episcopus, procurationem suscepit. Hoc tota civitas novit, hoc **76** et clerus simul et populus attestatur. Et quoniam Senonensis archiepiscopus contra consuetudinem et Ecclesiæ libertatem in exigenda procuratione prædictam Ecclesiam fatigare intendit, sanctæ paternitati vestræ preces fundimus, ut alicui personæ religiosæ et discretæ cognitionem causæ hujus committatis, quoniam non est facile pauperi Ecclesiæ illi, testes suos ante præsentiam vestram ducere, et libertatem suam instrumentorum, et testium approbatione confirmare. Si quæ enim sunt onera, quæ in exigendis procurationibus suis Senonensis archiepiscopus prædictis quatuor abbatiis velit imponere, Aurelianensis episcopus de consuetudine multis temporibus appro- C bata, quoniam de mensa ipsius esse dicuntur, ea debet suscipere et implere. Vale.

EPISTOLA LIX.

AD EUMDEM.

Idem perfert testimonium pro eadem S. Evurtii ecclesia.

Domino papæ, STEPHANUS de Sancta Genovefa.

In ecclesia Sanctæ Crucis Aurelianensis a puero nutritus, et postmodum in ecclesia Beati Evurtii confessoris sub regulari disciplina religiosam vitam professus, utriusque ecclesiæ memoria dignas consuetudines sic recolo, ut in eis nec me falli æstimem, nec alios fallere me proponam. Inde est quod

dictus episcopus, omnibus ad quos litteræ istæ pervenerint, in Domino salutem. Cum ex mandato domini papæ cognosceremus de causa quadam quæ vertebatur inter ecclesiam Beatæ Genovefæ, et Droconem, Ascelini presbyteri fratrem, de firmitate Milonis, et Odonem clericum ipsius nepotem, super terra quam idem Ascelinus ad Carrucam suam coluerat, tandem facta transactione inter eos, in hunc modum pacis et concordiæ convenerunt, etc. *Hoc autem addendum est quod aliam terram quamdam, quantum uno modio seminari potest, prædictus Ascelinus prænominatis Droconi et Odoni, ut dicebant, sub ea conditione reliquerat, ut singulis annis* XL *solidi ad arbitrium abbatis de Longoponte minutis pauperibus distribuerent. Stephanus autem abbas Sanctæ Genovefæ id ei non licuisse asserens, et terram ecclesiæ tali onere premi non posse dicens, terram ipsam vindicabat, et ecclesiæ restituendam esse utpote propriam* D *asserebat. Cum autem prædicti Droco et Odo actores laudarent abbatem et monachos de Longoponte, et eos die sibi assignata defensores promitterent, diem assignavimus. Venientibus autem ad diem, prædicto abbate et canonicis beatæ Genovefæ, jam dictus Droco et Odo venerunt, sed neque abbas de Longoponte neque monachi, qui eos defenderent, adfuerunt; nos autem auctoritate mandati domini papæ de prænominata terra, quantum scilicet uno modio seminari potest, volentibus idipsum Odone et Drocone, in manu abbatis ecclesiam S. Genovefæ investivimus, et ei terram utpote suam reddidimus*, etc. Nec mirum videri debet si Droco ille, de quo agitur in hac charta, et qui dicitur monachus Cisterciensis, in præsenti epistola prædia aliqua hæreditario jure possederit: licitum enim et frequens erat apud monachos antiquos paterna hæreditate gaudere, eamque monasterii facultatibus ascribere,

jam secura conscientia in veritate testificor, quo- A
niam, quantum exstat in memoria, etc.

77 EPISTOLA LX.

AD REMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Commendat causam cujusdam Simonis, quæ in ejus curia agitabatur.

In oculis vestris, Pater, nec honestas mendicat gloriam, nec veritas interventum. Ibi virtus est pretium sui; et qui sibi merito suo sufficit, suffragio non indiget alieno. Inde est quod magistro Simoni, viro inter scholares cathedras egregio, non necesse est aut verbosas emendicare preces, aut laudum venalium coram vobis præconia corrogare. Gratiosum et commendabilem faciunt eum, hinc auctoritas morum, hinc peritia litterarum. Tales consuevit illustris clementia vestra vocare, diligere, promovere. B
Clamat hoc quasi ab ortu usque ad occasum totus orbis, cum Etruscos et Ligures suos Italia, Britannia major Anglicos, utraque Gallia Belgas et Celticos in curia vestra videant aut onerari divitiis, aut dignitatibus honorari. Impletur ad cumulum gloriæ vestræ quod veniunt ab Oriente et Occidente, et recumbunt in sinum vestrum. Vident et invident, quibus liberalitas displicet; quibus odio simul et tædio virtus est; quibus et honesti cachinnos provocant et nauseam litterati. Sed ne peccatoris oleo caput vestrum videar impinguare, prostratus ad pedes vestros, cum sim pulvis et cinis, loquor ad Dominum meum, pro magistro Simone preces fundens et supplicans, ut in negotio quod habet cum episcopo suo, et cum ca- C
nonicis suis, tam benevole suscipiatis eum, quam benefice sustentetis. Causam quam promovit, ita promoveatis, si placet, ut si quis promotus est in injuriam canonum, canonice simul amoveatur et jure. Cæterum **78** quid de prædicto viro sit agendum nobis animus vester melius et plenius providebit. Valete.

EPISTOLA LXI.

AD DOMINUM PAPAM.

Conqueritur de rebellione canonicorum Sancti Joannis Suessionensis in parochiis commorantium, qui Hugoni abbati (90) *morem gerere detrectabant.*

Terribilem, Pater, et compassione dignam solemnis olim disciplina regularium sui vobis offert imaginem, per contradictionis et inobedientiæ filios affectam pariter et afflictam. Gloriosam illam et auream Regulam, quam ab apostolis Augustinus quasi mutuo acceperat, et ut fidelis dispensator tanquam pecuniam domini sui aliis ad usuram dederat, furantur hodie consortes Achan filii Charmi (91): et non timentes anathema Jericho, peculiare corrogant aurum, ut auram colligant popularem. Id in canonicis Sancti Joannis Suessionensis tristi simul et turpi prædicatur exemplo, qui contra communem, quam professi sunt vitam, contra tanti magistri sui doctrinam, contra sacri concilii Lateranensis decretum (92), in privatis sarcinulis et scriniis furtiva congregantes peculia, sic antistiti suo placere et eum placare intendunt, ut et Deo inobedientes, et abbati suo inveniantur rebelles. Armat eos et animat ad inobediendum tum pecunia illicitis artibus quæsita, quam copiose effundunt; tum eorum auctoritas qui ab eis eam studiose suscipiunt. Obviet huic ignominiosæ pesti severitas vestra, Pater, et occasiones amputet ambiendi, unde sibi materiam præsumunt ambitiosi. Eo usque morbus invaluit, ut sceleris mereatur pœnam, nisi cœlestem inveniat medicinam. **79** Objecit sese tantis periculis devotus filius vester, hujus prædictæ abbas Ecclesiæ, vir apud nos boni testimonii, et opinionis sanæ: et dum corripere intendit, quod corrigere nequit, operam perdit et impensam. Eos maxime sibi experitur adversarios, quorum ope et opera deberet comprimere contumeliosos et superbos. Valete.

80 EPISTOLA LXII.

AD DOMINUM VIVIANUM S. ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALEM (93).

Suum ipsi devovet obsequium.

Jucundum mihi theatrum proposuit epistola vestra.

(90) Celebre monasterium ordinis canonicorum regularium fundatum anno 1076 ab Hugone castri Theodorici toparcha, primario vocabatur ecclesia S. Joannis in Monte: at cum multas vineas circumjacentes idem Hugo ad canonicorum sustentationem D
erogasset, ab ipsis nomen S. Joannis in Vineis mutuatum est anno 1181. Orta est autem gravis rixa inter Nivelonem episcopum Suessionensem, et Hugonem abbatem S. Joannis, quod hic pro arbitrio suos canonicos de ruralibus parochiis revocaret ad claustrum, canonici vero qui id ægre ferebant, ad præsidium episcopi confugiebant, ut in eis etiam, reluctante abbate, remanerent. Eoque progressum est, ut lis ad summum pontificem Lucium III deferretur. Romam itaque profecti sunt uterque, et causa in curia Romana diutius agitata, tandem elegerunt arbitros quorum starent judicio. Qui cum rei momenta omnia perpendissent, sententiam tulerunt, qua amoti sunt canonici à parochiis suis. Postea vero intervenit compositio mediante præsertim nostro Stephano inter Nivelonem episcopum et Hugonem abbatem, per quam ille omnem libertatem suarum ecclesiarum parochialium abbati restituit his verbis: NIVELO *Dei gratia Suessionensis episcopus, omnibus in perpetuum. Noverit universitas vestra, quod nos in præsentia magistri Stephani Sanctæ Genovefæ abbatis, et magistri Petri cantoris, et magistri Roberti Paujenti, Ambianensis canonici, reddidimus ecclesias suas parochiales, in eo statu quo canonici eas prius tenuerant, salva dignitate et potestate nostra et salva libertate ecclesiarum, de assensu nostro quæ prius fuerat tempore antecessorum nostrorum antistitum, et antecessorum Hugonis quondam abbatis. Actum anno Verbi incarnati* 1186. Consule epist. 95.

(91) Vide cap. 7, lib. Josue, id quod dicitur de Achan filio Charmi, qui contra præceptum Josue furatus fuerat de spoliis urbis Jericho.

(92) Habitum est hoc concilium anno 1179, diciturque Lateranense tertium. Parte XXVII, cap. 5, hæc leguntur: *Nullus proprium habeat; si quid acquisierit, rectori suo assignet.*

(93) Vivianus, vel ut Ciaconio placet, Vibianus Tomasius presbyter cardinalis tituli S. Stephani in Cælio monte, creatus est ab Alexandro III, anno 1175. Vivianum vocat Rogerius Hoveden, dicitque eum anno 1176 legatum a Latere missum in Hiberniam.

stra, quæ desidiam meam et refecit spectaculo, et excitavit exemplo. Debueram tantum dominum et amicum meum tum sollicitasse litteris, tum munusculis visitasse. Purgabit diligentia moram, delebit oblivionem memoria, ut domino meo nec ingratus appaream, nec indevotus existam. Eadem ferme hora qua litteras vestras nuntius porrexit, quasi qui moram fecerat, abiit et recessit, vix licuit mihi vel sub brevitate rescribere, vel ad ea quæ postulaverat a nobis vestra paternitas, respondere. Invidebat angustia temporis, ne recessuri festinantiam nuntii aliquo servitioli præparatorio retardarem. In proximo, Deo volente, per aliquem de transeuntibus ad vos, non vacuo salutatorio vestræ supplicabo benevolentiæ; vestræ gratiæ complacebo. Bene valeat, et vivat dominus meus Vivianus.

81-82 EPISTOLA LXIII.

AD HERACLIUM CÆSARIENSEM EPISCOPUM.

Commendat consanguineum suum, qui in Palæstinam proficiscebatur.

Sanctissimo domino et Patri Heraclio Cæsariensi episcopo (94), frater Stephanus S. Genovefæ Parisiensis dictus abbas, cœlestem Jerusalem habitare.

Jocosas olim confabulationes nostras fructuosis oro sæpius orationibus expiari. Togatorum advocationes, mercimonia, litigantium conflictus, cæcorum pugnam, Bononiensium auditoria, fabriles diximus officinas. Inter hæc diversa secuti studia sumus, ego quod irriseram carpentariam Bulgari (95), vos calvariam Crucifixi. Beata peregrinatio vestra, quæ et culpas expiat, et ad sublimia vos extollit. Interim, Pater, obsecro, mementote Stephani vestri, qui sic memoriam vestram retinet, ut quasi jugi spectaculo vestram præsentiam amplectatur. Pro præsentium latore preces vobis offero, qui et sanguine mihi conjunctus, et in multo servitio non exstitit indevotus. Valete.

A

83 EPISTOLA LXIV.

AD EPISCOPUM LIDDENSEM.

Eidem commendat consanguineum suum, qui ad sanctum sepulcrum properabat.

Sanctissimo Domino et Patri Episcopo Sancti Georgii (96), Stephanus de Sancta Genovefa, temporalem salutem et æternam.

Confidentius vobis, Pater, pro præsentium latore scriberem, si de vobis aliquid meruissem. At hoc solum superest absenti solatium, quia si repulsam patiatur incassum, non rubet si non exaudiatur. Epistola verecundiam non incurrit. Importunus, sive cum muliere interpellante judicem, sive cum amico tres panes postulante, modicum quid forsitan impetrabo. Præsentium lator sanguine simul et ser-
B vitio mihi junctus, sepulcrum Domini gloriosum visitaturus abcessit; rogo, ut, si necesse fuerit, benevole simul ac benefice vestrum ei consilium et auxilium impendatis.

84-85 EPISTOLA LXV.

AD JOANNEM PAPÆ NOTARIUM.

Rogat ut petitiones suas ad effectum perducat.

Dilecto suo Joanni Aurelianensi (97), domini papæ scriptori, STEPHANUS de S. Genovefa.

Natis sub Aurelianensi aere, et Ligeris aqua perfusis, æstivo tempore Romæ morari nihil aliud est quam mori; satius est aurea paupertate frui cum salute, quam periculosam corrogare pecuniam, quæ et sollicitudine pulset animum, et corpus agitet cum labore. Inde est quod ad reditum te hortarer, si tua
C te contentum fortuna crederem, si ad majora quam habeas, successus pristinos tibi præsumerem non blandiri. Interim dilectionem tuam rogo, ut petitiones nostras ad effectum perduci facias, si potueris, et maxime super confirmatione excommunicationis communiæ Meldensis, quoniam episcopum eorum in excommunicatione sententiæ a bonæ memoriæ

(94) Heraclius fuisse videtur Gallus natione, olim sodalis ac familiaris Stephani; qui cum in partes transmarinas profectus fuisset, archiepiscopus Cæsariensis effectus est. Quinque invenio urbes Cæsareas, scilicet Phœniciæ, Ciliciæ, Cappadociæ, Armeniæ et Palæstinæ, de qua ultima hic agitur. Sita autem est non procul a monte Carmelo, in littore maris. Primo vocabatur Turris Stratonis: at cum Herodes illam in melius restaurasset, in honorem Augusti dedicavit, ac Cæsaream appellavit, eique magnificam domum marmore undique nitentem construxit; tandem archiepiscopali sede decorata est.

(95) His verbis intendit probare quod dixit, scilicet eos diversa secutos esse studia, et occupationes dispares. Heraclius enim, pietate ductus, iter Jerosolymitanum, et ad montem Calvariæ peregrinationem susceperat; ille vero jurisprudentiæ operam dabat, quam olim spreverat et irriserat, cum diceret togatorum advocationes esse forum seu mercatum, quod antiquo vocabulo dicebatur Coua, nunc *Cohue;* litigantium conflictus, esse cæcorum pugnam; Bononiensium academicorum scholas et auditoria esse instar officinæ fabrorum tumultuantium et obstrepentium; hasque per derisionem vocabat carpentariam Bulgari. De Bulgaro autem dicit Otho Morena in *Chronico Laudensi* quod *cum Guarneredus celebris ille academiæ Bononiensis institutor in extremis laboraret, accesserunt ad eum sui scholares dicentes: Domine, quem vultis post mortem vestram doctorem nobis constituere? Quibus ille respondit duobus carminibus infra scriptis:*

Bulgarus os aureum, Martinus copia legum,
Hugo mens legum, Jacobus est quod ego.

De eodem Bulgaro subjungit idem auctor quod, *cum Fridericus imperator equitaret in medio Bulgari et Martini, quæsivit ab eis, utrum de jure esset dominus mundi, et respondit Bulgarus, quod non erat*
D *dominus quantum ad proprietatem. Martinus vero respondit, quod erat dominus. Et tunc imperator, cum descendisset de palefrido super quo sedebat, fecit eum præsentari Martino. Bulgarus hoc audiens, dixit hæc ludens in verbo: Amisi equum, quia dixi æquum.* Verisimile est Stephanum operam dedisse studiis juris tam civilis quam canonici in hac celebri Italiæ academia cum Heraclio; et ibi etiam hanc scientiam fuisse professum.

(96) Liddensis episcopus vocatur in editis epistolis, qui hic Sancti Georgii. Est autem Lidda vel Lyda secundum Ptolomæum lib. v, cap. 16, urbs Palæstinæ Judæ, alio nomine Diospolis dicta ac etiam Rama, in qua fuit sedes episcopalis.

(97) Multi Aurelianenses officium scriptoris apud summos pontifices tunc exercebant, præter hunc Joannem invenimus, epist. 85, Robertum et Guillelmum ex urbe Aurelia ortos papæ fuisse scriptores.

Joanne Carnotensi episcopo (98) in præfatam communiam latæ negligentem experti sumus, et mandati apostolici contemptorem. Quære si potes domini papæ litteras ad ipsum, ut, sicut prædictus Carnotensis episcopus excommunicavit auctores communiæ (99), ita et ipse in Ecclesia sua excommunicatos denuntiet, et faciat ab omnibus devitari. Pro latore præsentium familiari meo et amico nostro, tibi supplico, ut in negotiis suis quantum potueris, eum juves. Valete.

86 EPISTOLA LXVI.

AD ALEXANDRUM III PAPA.

Supplicat ut tueatur canonicos S. Mariæ Blesensis.

Sanctissimo domino et Patri ALEXANDRO summo pontifici, frater STEPHANUS de S. Genovefa, salutem et perfectam in omnibus obedientiam.

Charitati debitum reddit pensum, qui cum scandalizatis uritur, cum infirmantibus infirmatur. Causa, Pater, movet, et monet exiguitatem nostram, ut fratribus nostris canonicis Sanctæ Mariæ Blesensis (100), in adversitatibus suis compassionis exponamus affectum, miserationis expandamus sinum, opis et operæ brachium extendamus. Et quoniam in hac parte minus sufficientes sumus, ad vestram recurrimus plenitudinem, ut filios nuper orbatos patre ab uberibus consolationis vestræ benevole simul ac benefice satietis. Bonum sui testimonium, his qui eos noverunt, illud reddit collegium, ut et amicus inde gaudeat, et invidus confundatur. Oritur juxta eos, et utinam non contra eos, quædam plantatio singularium seu sæcularium canonicorum (1), quos utrum Pater cœlestis plantaverit, necdum scimus. Placeat oculis benevolentiæ vestræ, Pater, ut jura regularium non minuant sæculares, ut filiorum panes non comedant alieni.

87 EPISTOLA LXVII.

AD EUMDEM.

Rogat iterum ut jura tueatur canonicorum regularium Blesensium, quæ a sæcularibus canonicis usurpabantur.

Quoties vel pro nostris vel pro alienis negotiis vobis audeo scribere, Pater, timet animus, tremit manus, timor hinc et tremor veniunt super me, et ignorantiæ, nescio, Deus scit, an dubietatis tenebræ contegunt me, ne vel offendam quietum, vel impediam occupatum. Excusabilem oppono charitatem, quæ sic non quærit quæ sua sunt, ut non minoris proprium quæstum æstimet quam alienum. Charissimus in Domino frater noster et communem nobiscum ordinem sub Patris Augustini regula professus, Nicolaus abbas Sanctæ Mariæ Blesensis, inter quotidianas angustias ordinis in Ecclesia sua reformandi, et dilapidatæ ferme usque ad desperationem domus ruinas per ejus industriam renascentes, novi mœroris calicem et inopinatæ tristitiæ gustum haurire compellitur, et ad mortem usque cum tota sibi commissa deproperat Ecclesia, nisi sancta sedes apostolica vivas cœlestis antidoti tanto malo repercussiones opponat. Commutaverat 88 dextera Excelsi, tempore sanctæ memoriæ comitis Theobaldi, in oppido Blesensi, per æternæ recordationis Innocentium papam, lubricos sæcularium canonicorum gressus in regularium disciplinam, et singularitatem illam restrinxerat, ut tanquam apostolorum discipuli de communi viverent in communi. Acutius intuentes et intelligentes astutius pontifices et principes temporis nostri, plantationem, quam nescio utrum Pater cœlestis approbet, inducunt, et clericos hujus modernæ viæ viros corrogant, qui domos et vineolas suas ad informem præbendarum formam conferant, qui quasi altare contra altare erigant, qui sanctis in via Dei gradientibus objiciant et offendiculum in verbo, et laqueum in exemplo. Dissimulari fortassis hæc poterant, et quoquo modo tolerari, nisi ad majora manus extenderent, et in labores aliorum rapaci pariter et voraci violentia

(98) Fuit ille Joannes Salisberiensis, scriptis celebris, qui fato functus est 1182 : post cujus obitum hæc epistola fuit conscripta.

(99) Hoc sæculo urbes Galliæ cœperunt instituere majores, præpositos et scabinos, qui rerum publicarum administrationem gererent, et hoc cœpisse in præjudicium episcoporum, ad quos dominium etiam temporale civitatum suarum spectabat. Quod quidem fusius videre est de communia Laudunensi ad epistolam 39. Legimus apud Rigordum, Philippum Augustum anno 1190, cum in Palæstinam proficisceretur, Parisiis scabinos instituisse · *Civitatem*, inquit, *Parisiensem quam multum, diligebat, muris et turribus lapideis per ambitum cingi præcepit, quod opus septem viri quibus regimen villæ commiserat, qui scabini vocabantur, de substantia civium, brevi temporis elapso spatio, diligentissime compleverunt.* Remenses litteras ad communiam erigendam a Ludovico Juniore impetrarunt, vacante sede archiepiscopali, anno 1137, quibus obstitit Sanson cum ad hanc sedem pervenisset: Guillelmusque a Campania ejus successor promisit capitulo se communiam ejusmodi erigi non passurum, his verbis : *Deo et præsenti capitulo vovimus in verbo Domini, præsentis scripti testimonio confirmantes, quod quandiu vixerimus, nec communiam, nec alicujus fraternitatis vinculum, nec aliquod juramentum inter prædictos cives fieri permittemus.* Belvacenses, diplomata regia ad instituendam inter se communiam impetrarunt anno 1144. Insulenses, teste Buzelino anno 1195 scabinos primum elegerunt, et Tornacenses eodem ferme tempore communiam suam crearunt. Simile quid attentarunt cives Meldenses, quam ob causam excommunicationis vinculo fuerunt constricti.

(100) Abbatia B. Mariæ Blesis ad Ligerim sita, de Burgo medio vulgo dicta, canonicæ regulæ semper subjacuit. In strictiorem autem observantiam restituta est hoc ævo, quæ teste Jacobo de Vitriaco cap. 21 *Hist. occidentalis*, maxime in ea viguit.

(1) In Ecclesia enim S. Salvatoris in castello Blesensi, comes Theobaldus fundavit collegium sæcularium canonicorum, ut in ea divina perageret. Cum his controversiam habuerunt canonici regulares B. Mariæ, pro ecclesia S. Carilephi ab ipsis pendente, quæ quidem erat prioratus conventualis canonicorum regularium intra muros ejusdem castelli constitutus, unde dixit : *Oritur juxta eos novella plantatio.* Consule epistolam sequentem.

non intrarent. Novum sibi cœmeterium, novos magistratus scholarum, novas occasiones venandi parochianos alienos sibi concedi postulant, ut quod aliis detraxerint, improbitati suæ gaudeant accessisse. Provideat, Pater, sancta sollicitudo vestra, ne quod beati Patres et decessores vestri pia religione regularibus concesserunt, sibi subreptione aliqua novi, qui superveniunt, extorqueant sæculares.

EPISTOLA LXVIII.

AD JOANNEM PICTAVIENSEM EPISCOPUM.

Hortatur ad constantiam in adversis.

Sanctissimo domino et Patri Joanni Pictaviensi episcopo, spiritum consilii et fortitudinis.

In afflictione vestra (2), Pater, cœlum et terra pariter commoveri debent, clamantes in auribus Domini **89** Sabaoth : *Redde ultionem hostibus tuis, et his qui te oderunt retribue* (*Deut.* XXXII). Sed et nos minima portio Ecclesiæ Dei, compassionis vobiscum calicem bibimus et mœroris; in ligno viridi hæc fieri gementes, et timentes in arido deteriora compleri. Nescio, Pater, an completi sunt illi mille anni quibus solvendus erat Satanas; ejus satellites ita solutos videmus, ut ligare incipiant servos Dei. At non deficiet fides Petri, cujus in ecclesia sedetis (3), cujus sollicitudinem pascendi gregem Domini et officio simul et beneficio tenuistis. Absit ut qui confirmare fratres debuit, quasi ad ancillæ vocem iterum negaturus, ad minas tyranni juvenis infirmetur. Absit ut in adversis amittat constantiam, qui in prosperis tenuit æquitatem. Consuevit his attritionibus Ecclesia crescere, et quanto magis ministri mortis in filios vitæ desæviunt, eo amplius mater Sion filiam Babylonis miseram subjicere didicit et fugare. Crescat in dies, obsecro, fortuna vestra, et ab uberibus consolationis divinæ non solum lacte quo parvuli egent, sed et solido cibo, pane, qui cor hominis confirmat, longanimitatis et perseverantiæ quotidianum sumatis augmentum.

90 EPISTOLA LXIX.

PETRI S. A. LEGATI AD R. DECANUM ROTHOM.

Monet ut amoveatur sacerdos a monialibus S. Cirici, quod minus caste se gereret.

Petrus divina dignatione Tusculanus episcopus, sedis apostolicæ legatus, dilecto filio R. decano rothomagensi, salutem et sinceram dilectionem.

Relatum est nobis quod quidam Manerius apud Vilercel. cum sacris virginibus degens, turpi et inhonesta conversatione sua gregem Domini corrumpere et maculare intendit. Et quoniam vitam ejus Deo et hominibus credimus displicere, abba-
A tissæ de Sancto Cirico (4) dedimus in mandatis, ut prædictum prodigium a prænominata domo et aliis domibus suis amoveat, nec ad aliquam suarum domorum de cætero regressum habere permittat; ne simplices oves fetidus hircus inficiat et iniquitatis filius sanctuarium Dei sacrilega conversatione profanet. Inde est quod sicut dilectissimo filio et amico nostro, tibi mandamus atque præcipimus, ut auctoritate nostra per dominum archiepiscopum et per sollicitudinem tuam abominabilis ille persecutor virginitatis et hostis, a prædicto collegio sponsarum Christi separetur, et, si opus fuerit, per excommunicationem recedere compellatur.

91 EPISTOLA LXX.

B AD GUILLELMUM SENONENSEM ARCHIEP.

Arguit ejusdem sacerdotis vitam minime pudicam.

Reverendissimo domino et Patri Guillelmo, Senonensi archiepiscopo, Stephanus de S. Genovefa salutem.

Vestra, Pater, interest, ea quæ ad honorem Dei et religionis augmentum spectant defendere, et auctoritate vestra turpitudinis et ignominiæ scandala de domo Domini pro viribus amovere. Inde est quod sanctitati vestræ pro virginibus Christi apud Sanctum Ciricum Deo servientibus inclusis, preces, quas possum, secundum charitatem quæ est in Christo, fundo, ut honestatis et pudicitiæ ipsarum hostem Manerium non admittatis, nec in aliquo credatis ei, qui per dominum Tusculanum
C episcopum (5) apostolicæ sedis legatum, propter enormes et intolerabiles suæ turpitudinis excessus, a consortio sanctimonialium remotus est et ejectus. Credat nobis sanctitas vestra, credat abbati Sancti Victoris, credat fratri B. de Vicena, et aliis vicinis religiosis viris, qui nec discretionem vestram circumvenire, nec vobis falsitatem asserere volumus aut debemus. Credite testimonio nostro, qui ex vicinitate loci, de inhonesta conversatione illius sacerdotis Baal esse possumus certiores. Omittat, si placet, religiosa discretio vestra quæstionem de illo recipiendo a virginibus Christi, qui, si receptus fuerit, immaculatum gregem Domini tanquam hircus fetidus mortaliter **92** inquinabit. Quod si
D omnino supersedere nolueritis et ex mandato vestro necesse fuerit abbatissam et sorores ejus inclusas, causam cum prædicto monstro Veneris intrare, placeat, obsecro, vobis hanc cognitionem committere domino Parisiensi episcopo, qui per vicinos clericos et laicos plenius poterit rei investigare et quærere veritatem.

(2) Persecutionem passus est Joannes episcopus Pictaviensis propter Ecclesiæ suæ jura, quæ acriter tueri conabatur adversus quosdam invasores. Vide epist. 182 Joannis Salisberiensis, ubi de his agitur, asseriturque in altera eum fuisse veneno infectum, non tamen interemptum.

(3) Ecclesia cathedralis Pictaviensis, divo Petro dicata est.

(4) Abbatia monialium S. Cirici, Gallice Saint Cyr, in diœcesi Carnutensi XV ab urbe Lutetia milliaribus distat : hujus fundator exstitit Robertus episcopus Carnutensis anno circiter 1160 : quæ prioratum habuit nomine Villocellum in diœcesi Rothomagensi, ubi aliquot moniales degebant.

(5) Is erat Petrus Papiensis, de quo superius ad epistolam 43, et ad quem alia epistola dirigitur. Fit ejus mentio in *Necrologio* Sanctæ Genovefæ.

EPISTOLA LXXI.

AD ROBERTUM PONTINIACENSEM MONACHUM.

Agitat et solvit quæstionem, an liceat novitiis ordinis Grandimontensis habitum Cisterciensem suscipere.

Dilecto Deo et hominibus ROBERTO Pontiniacensi monacho (6), genere simul et conversatione illustri, STEPHANUS de S. Genovefa, consolari pusillanimes, et unanimes in domo Domini cohortari.

Commendabilem, Roberte, sollicitudinem geris, et affectione fraterna novitiorum tuorum ut novam moves quæstionem. Mallem quæsisses ab alio, qui et peritior esset ad discutiendum, et promptior ad solvendum. Mihi, fateor, imperitia silentium imperat, et ab audaci proposito manum revocat Grandimontensium grande nomen (7). Si quæstioni tuæ de conscientia mea respondeam, offendentur; si eos offendero, in communem opinionem peccavi. Hominibus placent, et servi Christi sunt, Bonihomines appellantur. Nam **93** bonitatis illorum testis est et exclusa cupiditas, et inclusa paupertas. Porro ambitio, quæ fere omnes impugnat, et plures expugnat, tam remota est ab eis quam longe est ab hominibus qui nunquam se adepturos Cistercium certi sunt. Cumque terram dederit Deus filiis hominum, ipsi funiculum suum et sortem in cœlestibus extendunt, viros evangelicos exprimunt, nec solliciti sunt quid manducent et bibant, aut quid induant, quoniam a Patre suo, qui in cœlis est, pascuntur cum volucribus, et cum liliis vestiuntur. Orationes eorum nec balantes greges impediunt, nec mugientia turbant armenta, nec universos familiæ strepitus interrumpunt. Fugerunt sæculum beati, si eos sæculum non sequatur. Et quoniam radix omnium malorum cupiditas inter eos aruit, recessit ambitio, litigandi materia sublata est, solitudo claudit, paupertas premit; humilitas ligat: hi cum disciplinam quæ est in morum ordinata correptione, apprehenderint, profecto nec irascetur eis Dominus, nec peribunt de via justa. Viderint ipsi quid intra domesticos parietes agant et testimonia secretorum intus operum suorum invicem accusantium, aut defendentium ei publicent, cui omne cor patet et quem nullum latet secretum. Nobis ignorare, quibus non licet intrare. Credimus autem quia nec labor eorum sine mercede, nec certamen erit sine victoria, nec exercitium sine fructu, cum inter alios consolationis filios habituri sint et ipsi coronam pro cinere, gaudium pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. Quæsisti de fratribus qui exierunt ab eis et ad Cistercienses transitum fecerunt, utrum obligatione voti, quod prius fecerant, reverti debeant ad eos an Pontiniaci

A salubrius demorentur. Si priori proposito non præposuissent ultimum, nec ego proponerem ut præferrent. Si stetissent in finibus prioris voti, starem forsitan et ego, nec ad aliud animarem. Nunc vero **94** quia meliora et viciniora saluti quæsierunt et de Silo in Hierusalem ascendentes, transtulerunt tabernaculum suum, quis audeat in eis libertatem Spiritus Domini impedire? Nam revera ubi Spiritus Domini, ibi libertas: *Spiritum*, inquit, *nolite exstinguere*. Exstinguunt autem quantum in se est, qui ejus operibus contradicunt. Certe Spiritus sanctus columba est, quia in specie columbæ super Dominum, dum baptizaretur, visus est descendisse. Inter alias columbæ proprietates, quas admittit Ecclesia, et mystice repræsentat, columba meliora grana
B eligit; non spernit bona, quoniam, si meliora non occurrerent, bonis utique vesceretur; bonis tamen meliora, melioribus optima præfert. Imitantur eam qui ex parte ejus sunt. Æmulamini et vos meliora charismata. Beatus enim est non tantum qui judicat inter diem et noctem, sed qui judicat inter omnem diem. Cisterciensium ordinem quasi lucernam supra montem positam quis in Ecclesia Dei maximum et præcipuum culmen non dicat attingere? Evangelium implentes, monasticam regulam, quam supererogavit Benedictus Pater, fidelis Samaritani stabularius, sic observant, ut nec unum ex eo iota præterire videantur. Beata paupertas eorum, quæ licet eos fame premat et frigore, non tamen aut
C mendicare compellit, aut divitibus adulari. Suis aut suorum manibus victum exquirunt et vestitum, non veriti sequi Paulum, qui, cum licite posset de Evangelio vivere, ac spiritualia seminans, carnalia metere, maluit tamen manibus suis operari, ne quod offendiculum daret Evangelio Christi. Honorant Dominum de sua, non de aliena substantia et de primitiis frugum, non alterius, sed suarum dant pauperibus: quanquam rectius non sua, sed omnium dixerim, quæ universis secundum gradus ordinatæ charitatis quasi in commune deserviunt. Nec enim buccellam suam comedunt soli et non comedit cum eis **95** pupillus ex eá; non despiciunt prætereuntem et absque operimento pauperem sed benedicunt eis latera pauperum et de velleribus ovium suarum calefaciunt, et eorum qui-
D dem lateribus pannos circumdant sicut despicabiles pretio, sic inapplicabiles ornamento. Conqueritur ipsa natura, quæ modico solet esse contenta, quod tegumenta eorum ei non sufficiant in hieme, et officiant in æstate. Ostium eorum viatori patet, nec foris remanet peregrinus. In sudore vultus sui vescuntur pane suo, nec eos lascivire aut rixari faciunt otium et alienus cibus. Tanta in cibo parci-

(6) Pontiniacum, Gallice Pontigny, insignis est abbatia ordinis Cisterciensis, fundata in diœcesi Antissiodorensi anno 1114 a Theobaldo magno Campaniæ comite, in qua post mortem sepultus est. Celebris fuit B. Thomæ Cantuariensis exsulis hospitio, et S. Edmundi reliquiis.

(7) Ordo Grandimontensium institutus fuit in diœcesi Lemovicensi a Stephano dicto de Mureto. Horum vitæ sanctitatem diserte auctor hic extollit, et fusius ipsa describitur a Jacobo de Vitriaco, cap. 19 *Historiæ occidentalis*: *Est altera*, inquit, *religio seu regularis institutio, quæ de Grandimonte nominatur, quorum caput et originale monasterium in partibus Aquitaniæ*, etc.

monia, ut duobus tantum pulmentis utantur, quæ A aut ager ex leguminibus, aut ex oleribus hortus offert. Ipsi pisce tanto rarius utuntur, quanto frequentius apud eos audiri solet quam videri. Terram disrumpunt voluntarii, et violenti diripiunt cœlum. Si numeres quot ab eis beneficia profluant in populum, plura conferunt universitati quam universitas ipsis. Parva sunt hæc, et quæ terrenos vel alliciant vel occupent appetitus. In eis nec fecunditati Liæ Rachel invidet, nec Rachel pulchritudinem Lia minuit, sed munit. Non murmurat Martha de silentio Mariæ, et mirum dictu! Maria sedens ad pedes Domini Martham solam ministrare non relinquit. Inter eos juge gaudium, communis exsultatio, ubi nihil extra disciplinam, nihil contra. Mirantur homines, delectantur his angeli, B fugiunt partes adversæ, quoniam sancta illa congregatio terribilis est ut castrorum acies ordinata. Illic nec bobus præfertur aratrum, nec a capite deorsum pendet dominus, nec idiota docet clericum, nec laicus imperat sacerdoti. Ibi majores minoribus, prudentiores præsunt indoctis, qui et vitæ sanctitate præeminent, et intelligentia Scripturarum. In arca illa non est virga sine Moysis tabulis testamenti; quia, qui potestatem habet corripiendi, habet et scientiam corrigendi. **96** Divina officia cum tanta solemnitate et devotione celebrant, ut in eorum concentu voces angelorum sonare putes; psalmis et hymnis et canticis spiritualibus ad laudes Dei invitant homines et angelos imitantur. Laicorum fabulis interesse non delectantur, et tanto remotius sunt C ab eis, quanto Christo devotus famulantur. Extra oratorium aut operi manuum dant operam, ut semper eos diabolus inveniat occupatos; aut legendo concipiunt; aut sanctis meditationibus cœlos penetrant, ut in paradiso audiant illa arcana verba quæ non licet homini loqui. Regressi a superis tantam ori suo ponunt custodiam, tantum ostium labiis suis, ut cultum justitiæ silentium, ne articulatis quidem vocibus interrumpant. Non bini aut terni seorsum per angulos claustri fabulis vacant, qui nec inter se seria serere permittuntur. Tenent memoriter, quoniam in multiloquio non effugient peccatum et quasi naturæ bellum indicentes, modicum illud membrum, quod magna exaltat, non modica D disciplina coercent. Attende, quisquis es bonæ indolis adolescens, qui cum Isaac in holocaustum Domino super unum montium offerri desideras, quia tam sancto et cœlis proximo monte isto, montem non invenies grandiorem. Vere mons iste, mons coagulatus, mons pinguis: coagulatus, per unionem spiritus in vinculo pacis; pinguis, per infusionem gratiæ cœlestis. Quis grandis mons grandior isto monte? Nubes penetrat, cœlos attingit, longe inferius montes alios et colles relinquit, de rore cœli desuper et de pinguedine terræ plenam accipit benedictionem. Hic enim a disciplinis regularibus colligatus, impositis tibi lignis Dominicæ crucis, sancti fervoris ac charitatis ardentis igne succenso,

quid de hostia sua Dominus facturus sit, cum silentio patienter exspecta. Quid tibi cum rumoribus, qui, aut de negotiis principum, aut de promotionibus clericorum, aut **97** de vanis opinionibus vulgi dicuntur? Quid tibi cum otiosis verbis, de quibus rationem reddituri sunt homines in die judicii? Et hæc si in aliquibus claustris frequentantur, tu videris. Viri illi evangelici et angelici, non sunt filii noctis nec tenebrarum, quoniam sic lucet lux eorum coram hominibus, ut videntes opera eorum, glorificent Patrem suum qui in cœlis est. Spectaculum sunt et angelis et hominibus, ut ex eorum manifesta conversatione et angeli congratulationis gaudium et homines sumant imitationis exemplum. In illo sancto collegio de fermento Pharisæorum vel simulatio vel dissimulatio nihil penitus intermiscet. Nec enim aut simulare quæ non sunt, aut quæ sunt dissimulare volunt, scientes quod simulatores et callidi provocant iram Dei. Intrat quilibet quaslibet eorum officinas et singulorum officia certis distincta finibus attrectare manibus, oculis curiosis inspicere, æstimare animo, lingua dijudicare potest. Nec enim declinant humanum judicium, qui solum timent divinum. Veritas angulos non habet, sed anguli sordes habent. Memento, quisquis es, qui jugum Domini proposuisti portare ab adolescentia tua, quid aliquando, de quibusdam quos noveras, tu et socius tuus scripsistis et dixistis: « Si quis quod ædificaverit, destruere intendit, prævaricatorem se constituit. » Esto similis negotiatori quærenti bonas margaritas. Bonam invenisti margaritam, cui similem non habent vel regum diademata, vel monilia reginarum. Vendidisti omnia quæ habueras et emisti eam; quoniam primo parentes, patriam, redditus ecclesiasticos, divitias et delicias, lubricos adolescentiæ motus, voluptatem pariter et voluntatem reliquisti carnalem. Secundo ab iis quæ proposueras, ad meliora transitum faciens, consummatus in brevi explebis tempora multa. Vide, ne margaritam, quam tanti emisti, porcis conculcandam exponas. **98** Nemo mittens manum suam ad aratrum et aspiciens retro, aptus erit regno Dei. Nunquid, inquies, hoc est retro aspicere, si ad bonum quod proposueram, et propter quod aliud forsitan majus bonum interim omiseram, reditum faciam? Noli mihi credere, sed sancto Patri Gregorio crede; non te fallet ille doctor egregius, qui, sicut fallere noluit, falli non potuit. « Quisquis, inquit, bonum majus subire proposuit, bonum minus illicitum sibi fecit. Nemo enim mittens manum suam ad aratrum, etc. Qui enim fortiori studio intendit, rectius respicere convincitur, si relictis bonis amplioribus ad minima retorquetur. » Hæc ille successor Petri, columna Ecclesiæ, instrumentum Spiritus sancti. Et tu dubitas, ubi tantus vigilator monet, consulit, docet? Audi quid etiam dicat idem Pater sanctus super Ezechielem: « Sunt nonnulli qui bona quæ noverunt, operantur, atque hæc operantes, meliora deliberant; sed retractantes, me-

liora quæ deliberaverant immutant. Et quidem bona agunt quæ cœperant, sed a melioribus quæ deliberaverant succumbunt. Illi nimirum ante humana judicia stare videntur in opere, sed ante omnipotentis Dei oculos ceciderunt in deliberatione. Si adhuc dubitas, adhuc times; argue te, et statue contra faciem tuam. Manifesta sunt hæc, et minus expositore indigent, quam exsecutore. » Cœpisti cum pennatis animalibus volare sublimius, et ante faciem tuam ambulare, noli reverti, noli aspicere retro. Illa enim sancta animalia non revertebantur cum incederent, sed unumquodque eorum ante faciem suam gradiebatur. Et certe oculata erant ante et retro; sed retro, ut quæ transierant despicerent; ante, ut ad ea quæ nondum attigerant pervenirent. Similis erat eis pennatis qui, æque ut ipsa, usque ad tertium cœlum volaverat, Paulus. Unde inquit : *Quæ retro sunt oblitus, in ea quæ stant ante extendens, sequor ad palmam supernæ vocationis* (*Philip.* III). **99** Ecce oculatum habes Paulum ante et retro; sed ante ut proficiat, retro ne deficiat. Poeta gentilem instruens viatorem, ait :

Nec quot transieris, sed quot tibi, quære, supersint
Millia.

Ergo in anteriora extentus sequere ad palmam supernæ vocationis : *Instruet te Dominus in via hac qua gradieris* (*Psal.* XXXI), et profecto *firmabit super te oculos suos* (*ibid.*). Sed votum, inquies, feci; votum vovi Deo Jacob. Nunquid non compellor reddere vota mea, quæ distinxerunt labia mea? Et hoc præcipue me terret, quia terribili, et qui aufert spiritum principum votum vovi : si non reddidero quod vovi, timeo ne ille qui aufert spiritum principum, auferat et spiritum meum. Sed quid vovisti? aut animam tuam vovisti, aut aliud. Si aliud, commutationem recipit votum tuum; si argentum, si aurum, si vestem, si quodlibet vovisti simile, commutare maxime potes, si vel melius, vel majus solvas quod vovisti. Sola anima, si eam voveris, commutationem non recipit : *Quam enim commutationem dabit homo pro anima sua?* (*Matth.* XVI.) Responde, si potes, et cum potueris, dicas: nullam. Animam, inquis, meam vovi, sed in loco certo, sub magistro certo, sub forma vivendi certis institutionibus ordinata, stabilitatem loci, obedientiam prælati, communionem vivendi propter salutem animæ meæ vovi; commutare non licet. Attende, puer timorate, et noli timere ubi non est timor. Votum quod commutationem non recipit, quasi substantiale est et principale vovere animam suam Deo. Cætera, sicut est locus, prælatus, habitus, forma vivendi, tanquam accessoria sunt, sed ab hominibus voventibus apponuntur, non quia sine his salvari non possit anima quæ vovetur, sed quia per hoc expeditior fit ad salutem via. Quid si locus destruatur, si ab his qui inhabitant vel penitus deseratur, vel transferatur? **100** Nunquid non alibi salvari potes? Si prælatus moriatur, si recedat, si nolit præesse, quid facturus es? Peribis, quia non

A præest cui subesse debueras si habitus immutetur, et institutiones aliam formam receperint; si priores non observaveris, eris reus voti quod feceras. Vides quoniam hæc omnia accessoria sunt, et commutationem recipere possunt; sola voti substantia, scilicet anima, commutationem non recipit: hic non habet locum dispensatio, quia non invenitur recompensatio. Eleemosyna, jejunium, vigiliæ, peregrinatio, magna bona sunt inter filios hominum. Si quis horum aliquid voverit, commendabile, sed commutabile votum fecit : pro jejunio eleemosynam, pro peregrinatione conversionem, pro vigiliis jejunium aut lectionem solvere tibi licet. Unum duntaxat attende, ut si majus voveris, minus non solvas; si minus pro majori commutaveris, acce-

B ptum erit acceptori. Propheta dicit : *Maledictus qui habet in grege suo masculum, et votum faciens immolat Domino debilem* (*Malach.* I). Quid, si debilem voverit, et fortiorem offerat? Audacter dico quia, qui post votum taliter immolat, nec transgressor est, nec dolosus; et ideo nec maledictus. Vovisti prius hostiam, non dico debilem, sed fortiori minus fortem. Ecce nunc pro mediocri quam voveras, maximam et fortissimam immolasti. Ovem vovisti, reddidisti bovem; securus esto quia liberatus es. Benedicta adolescentia tua a Domino, quæ manum suam misit ad fortia, quæ sic accinxit fortitudine lumbos tuos, et roboravit brachium tuum. Lætare, juvenis, in adolescentia tua; beatus, quoniam ab

C ea jugum Domini portare cœpisti, sedens amodo solitarius, et tacens, et levans te super te. Hæc commutatio voti, commutatio est dexteræ Excelsi. Certe qui pœnitentialem canonem didicerunt, frequentes votorum commutationes circa pœnitentes suos fieri permittunt. Novi ego sacerdotem, qui cum a quadam **101** nobili muliere secundum sæculum consuleretur, quia votum fecisset, quod solvere non poterat, quid ei factu opus esset, et si quo modo id commutare posset, commutationem idoneam permisisse. Voverat enim mulier illa, nescio an propter dolorem dentium, aut ob aliam causam, sese deinceps in ecclesia sputum non emissuram. « Non possum, inquit, observare quæ vovi. Vade, inquit, et spue in Ecclesia quando tibi necesse est, sed in ea

D de cætero ne loquaris. Nam spuere quidem non est peccatum, *sed in multiloquio non deest peccatum.* (*Prov.* X). » Sana voti commutatio, quæ voventem liberavit, Deum placabilem reddidit. *Sed quid*, inquis, *faciam de obedientia quam prælato promisi?* Si prædicta non sufficiunt, accipe et hoc. Parochiales presbyteri obedientiam quam promittunt, debent episcopis suis, et sacramentaliter alligati sunt Ecclesiis quas regunt, tanquam uxoribus propriis. Lege autem communi canonum, sine licentia episcoporum suorum, quibus obedientes esse debent, nec ipsi recedere, nec alii recipere eos debent; lege autem privata, quæ instinctu Spiritus sancti in corde scribitur, si ad monasterium vel canonicam regularem transierint, tales etiam contra-

dicentibus episcopis recipi possunt. Ait enim Ur- A banus papa : *Si quis in Ecclesia sua sub episcopo populum retinet, si afflatus Spiritu sancto, in aliquo monasterio vel regulari canonica salvare se voluerit, episcopo suo contradicente, eat liber auctoritate nostra. Justo enim non est lex posita. Sed ubi Spiritus Domini, ibi libertas; et si Spiritu ducimini, non estis sub lege* (*II Cor.* III). Ecce quoniam nec obedientia episcopo promissa, neque Ecclesia commissa presbytero, ad frugem melioris vitæ transire volentem poterunt impedire. Forte objicies, et dices de clericis et presbyteris sæculariter viventibus ista dici; de religiosis autem et in communi viventibus secus esse. Certe sacræ virgines in monasterio **102** degentes religiosæ sunt, de his tamen in B concilio Triburiensi (8) sic statutum est : *Virgines sacræ si pro lucro animæ suæ, et propter districtiorem vitam ad aliud monasterium pergere disposuerint, et ibidem commanere decreverint, synodus concedit; si vero fuga disciplinæ aliud quæsierint, ad locum redire cogentur.* Ecce in fine capituli causa exprimitur: *Quia qui de monasterio ad monasterium transierit, redire cogendus est*, fuga scilicet disciplinæ. Tu videris utrum pro lucro animæ tuæ, et propter districtiorem vitam transitum istum feceris, an fuga disciplinæ; sed, teste conscientia tua, fugisti disciplinam, ut apprehenderes disciplinam. Et quoniam pro lucro animæ tuæ, et propter districtiorem vitam saltum cœlo proximum fecisti, age quod agis, operare quod operaris. Quod autem de C virginibus sacris dictum est, consequenter et de monachis intelligendum esse asserit magnus ille canonum interpres Gratianus. Sed aliter dices de canonicis regularibus observari. Nam et Eduense concilium (9), et idem Urbanus papa (10), cujus supra mentio facta est, id affirmare videntur. Sic enim in concilio Eduensi legitur : *Nullus abbas, vel monachus canonicos regulares a proposito professionis canonicæ revocare, atque ad monasticum habitum suscipere audeat, ut monachi fiant, quandiu ordinis sui Ecclesiam invenire queant, in qua canonica vivendo Deo servire, et animam suam salvare possint. Quod si temerario ausu id agere tentaverint, anathematis vinculo obligentur.* Idem Urbanus papa: D *Mandamus et universaliter interdicimus, ne quis canonicus regulariter professus, nisi, quod absit! publice lapsus fuerit, monachus efficiatur. Quod si decreto nostro contraire præsumens agere tentaverit, ad ordinem canonicum præcipimus ut redeat, et deinceps monachalem cucullam deferat, et ultimus in choro sedeat.* Item : *Statuimus ne professionis canonicæ quispiam, postquam* **103** *Dei vice super caput sibi hominem imposuit, alicujus levitatis instinctu, vel districtioris religionis obtentu, ex eodem claustro audeat sine Patris totius congregationis permissione recedere. Discedentes vero nullus abbatum vel episcoporum et nullus monachorum sine communi litterarum cautione suscipiat.* Ad hæc, impetrata venia, salva reverentia majorum et gratia, respondemus : Quid canonicis regularibus et Grandimontensibus eremitis? Ipsi certe nec canonici appellantur, nec canonici volunt appellari; et quomodo cum eis participabunt re, quibus participari dedignantur et nomine? Nec eos canonicos esse crediderim, quorum et plures numero, et prælatione majores, non clerici, sed laici; non litterati, sed sine litteris existunt, nisi forte quis dicat clericos eorum esse canonicos, laicos autem eremitas. Quod si ita est, invenimus ordinem aut cum Jano bicipitem, aut cum Centauro biformem. Si ab eis quæsieris cujus ordinis sunt, respondent : Peccatores sumus; si ab aliis, Bonoshomines esse dicunt. Nam et in provincia illa unde originem habent, ubi est caput et sedes eorum, cellulæ ipsorum bonhominæ appellantur. Sed et canonicos regulares nostri temporis sub Regula beati Augustini Christo deservire scimus, et sub ea in domo Domini unius moris habitare. Ipsi autem non Augustinum, sed quemdam, ut dicunt, bonum hominem Stephanum de Mureto magistrum suum profitentur. Libellus etiam qui eorum constitutiones continet, non Regula appellatur ab eis, sed Vita. Inde est quod, sicut a Regula quam observant canonici nostri, dicuntur regulares; sic etiam ipsi necesse est a vita quam profitentur, dicantur clerici seu laici vitales. Urbanus papa de regulariter professis, id est de his qui sub Regula B. Augustini militant Deo, sic ait : « Nam et abbati Sancti Ruffi (11), qui procul dubio

(8) Celebratum fuit hoc concilium Triburiæ in Germania ad Moguntiam an. 895 sub Formoso papa, in quo actum est de ecclesiastica disciplina reformanda. Can. autem 26 hæc habentur : *Si quis monachus pro lucro animæ suæ vel animarum a suo monasterio exire, et in aliud proposuerit intrare, consentientibus episcopo, abbate et fratribus, consentimus et concordamus, quia id fecisse multos sanctos legimus. Si vero fuga regularis disciplinæ elapsus propositum sanctitatis calcaverit, omnimodis coercendus.* Hic adverte in textu concilii nominati monachos, in epistola autem ista moniales.

(9) Duo concilia habita olim in urbe Ædua seu Augustodunensi in Burgundia legimus; primum scilicet sub Adeodato summo pontifice anno 670, sancto Leodegario ejusdem urbis præsule; alterum vero congregatum anno 1055, Aganone hujus civitatis cathedram tenente, de quo Hugo monachus in *Vita* S. Hugonis Cluniacensis hæc scribit : *Dux Burgundiæ Robertus Aganonem Æduorum episcopum viva infestatione gravabat, eapropter Gaufridus Lugdunensis, Hugo Bisuntinensis, Aycardus Cabillonensis, et Drogo Matisconensis Æduam convenerunt*, etc. Existimo autem hunc canonem a secundo potius manasse quam a primo, cujus ævo nondum mentio canoniæ regularis habebatur. Injuria tamen temporum deperdita fuerunt acta et canones ejusdem secundi concilii Æduensis, cujus tantum meminit præfatus Hugo.

(10) Scilicet Urbanus II, cujus canones hic citati referuntur apud Gratianum in decreto, part. II, quæst. 35, causa 19.

(11) Monasterium S. Rufi fundatum fuit primo juxta Avenionem circa annum 1000 per quatuor canonicos regulares ecclesiæ cathedralis ejusdem urbis, qui, cæteris vitam communem et regularem

Regulam beati Augustini sequuntur, **104** et canonicis regularibus et consimilibus privilegium hoc indulget.» Credimus quia necdum tradita erat a domino Stephano de Mureto Regula istorum; aut,si tradita erat,sanctæ Romanæ Ecclesiæ incognita erat.Et quomodo poterat summus pontifex privilegium dare his qui necdum erant, vel in notitiam suam nondum venerant? Quanquam ipsi canonici regulares si hodie ad celsitudinem Cisterciensis ordinis ascendere vellent, decretis illis Urbani papæ non possent forsitan revocari. Certe ego indignus canonicis regularibus præsum, et cum a domino papa, non multum temporis transiit, privilegium quærerem, ut canonicos nostros nobis invitis nullus retinere auderet, addidit in privilegio, *ubi causa districtioris vitæ ad arctiorem ordinem transierint*.Ecce ne longe exempla petantur, videtur quia privilegium Urbani restringitur privilegio Alexandri.Vere si aliquis nostrorum ad Cistercienses transire vellet, ante transitum dissuaderem, post transitum non revocarem. Nollem Spiritui sancto resistere, nollem Spiritum exstinguere, nollem libertatem Spiritus impedire. Quid peccati bellator fortis? Si non ut in plano pugnares, collem ascendisti ut hostem melius ferires. Non transfuga dicendus es, miles Christi, quia ad hostes non fugisti; nec desertor militiæ, quoniam a signis non recessisti. Possunt hæc tibi sufficere, nec est unde propter votum dubitare debeas aut timere. Sed adhuc obmurmurat cogitatio tua dicens: *Revertar in domum meam unde exivi* (*Matth.* XII): *proposui enim et dixi: Hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo quoniam elegi eam* (*Psal.* CXXXI). Timeo, frater,quia ne, sicut serpens decepit Evam astutia sua, ita corrumpantur sensus tui, et excidant a simplicitate, quæ est in Christo Jesu. Transfigurat se nonnunquam Satanas in angelum lucis, et vesicam pro laterna (12) simplicioribus vendit. Blanditur tibi memoria pravæ quietis, **105** loquendi licentia locis et horis indulta, somnus prolixior, vestis mollior, cibus delicatior. Adolescentiam tuam revocare contendunt plura ibi fercula, pocula plura, quæ nonnunquam citra esuriem sitimque capiuntur, et ultra. Ibi fomenta pellium rigorem frigoris expellunt, lini aut canabis occulta blanditiess lanam temperat superjectam, ibi salutationes principum, visitationes regum, occursus populorum, dona omnium. Ibi dicitur aquiloni: Da; et austro: Noli prohibere: eis conferunt, afferunt, offerunt, inferunt omnes, quique terrigenæ et filii hominum si-

A mul in unum dives et pauper. Hoc solemne theatrum forsitan erigit tibi cogitatio tua; et quoties hæc recogitas, reliquiæ cogitationis tuæ diem festum agunt tibi. Delicatæ tibi sunt et teneræ juveniles manus, et laborem refugiunt; vigiliæ prolixiores, et nocturna synaxis in lucem usque producta matutinum soporem non admittunt. Rusticanus cibus et sale tantum conditus nobile adolescentis palatum offendunt, et ad singulas oblationes nauseam movent. Regulare silentium prurientem incitat linguam, et ad quemlibet sonum patulas aures inquietat aviditas audiendi. Obsecro, fili, per medicinam vulnerum nostrorum pendentem in cruce Jesum Christum, non te moveant ista, non te turbent; vana sunt hæc, et quæ primo quidem assultu

B currentem impediunt, sed ad solum crucis signaculum et invocationem Domini Jesu citius evanescunt. Et quoniam major, ut audivi, conflictus est tibi contra voti memoriam, quasi fidem primam irritam feceris, constanter responde: *Non veni votum solvere, sed adimplere* (*Matth.* V). Coegit me, Roberte charissime, latum Domini mandatum, longam latamque formare epistolam; et cum tibi scribere incœpissem, raptus novitiorum tuorum charitate et timore reditus ipsorum, stylum verti, æstimans, si eos directo vel arguerem vel monerem, fidele **106** propositum meum in eis facilius obtinerem. Gratius enim metit agricola, quod manu propria serit,quam quod aliena. Interim tu, charissime, circa novitios

C tuos sollicitus esto; per te et per alios doctores exhortare; mone, argue, increpa, obsecra, quoniam plantæ de loco ad locum translatæ facillime arescunt, nisi sæpius irrigentur. Deus autem meus impleat omne desiderium meum tuumque, secundum divitias gloriæ suæ, in Christo Jesu Domino nostro. Amen.

107 EPISTOLA LXXII.

AD PETRUM A. S. LEGATUM.

Agit de iisdem novitiis Grandimontensibus.

Benevolo et benefico domino suo et Patri PETRO Tusculano episcopo, apostolicæ sedis legato, salutem et cum omni devotione plenam obedientiam.

Risum movet intuentibus, si accesserit ovis ad ca-

D pram (13), ut ex ea sibi lanam assumat. Ita, Pater, accidit. Placuit vobis aliquid a me petere quo plenius abundatis; feci quod potui, ne si nihil fecissem, indevotus existerem et ingratus. Misi vobis epistolam *novitiis* **108** *Pontiniacensibus* nuperscriptam. Quæsierat vobis frater Robertus de Ga-

abjicere volentibus, non consentientes, petierunt sibi donari capellam juxta Avenionem divo Rufo sacram, ut ibi patrias leges et regularia instituta observarent. Qui quidem virtutis suæ odore plurimos ad se allicientes, brevi in tantum excreverunt, ut in vicinas provincias ad ordinem canonicum instaurandum propagandumque colonias emiserint. Unde origo et caput congregationis clarissimæ hæc abbatia effecta est. Sed, cum postea Albigensium hæreticorum furore et impietate funditus diruta fuisset, canonici S. Rufi alio migrantes, ad urbem Valentiam confugerunt, ubi novum monasterium exstruxere sub pristino nomine S. Rufi.

(12) Tritum ac vulgare proverbium quod nondum obsolevit.

(13) Tritum et vulgare fuit apud illius ævi scriptores hoc adagium, quo significarent divitem et locupletem ab egenti aliquid mutuo petere. Sic D. Bernard. in quadam epist. quæ est 87 ad Ogerum, ait: *Lanam quærit ovis a capra.*

lardon (14), me præsente, quid novitiis illis faciendum erat, qui timore prioris voti tentabantur ad reditum. Mihi tunc injunxisti sarcinam respondendi. Memores beneficiorum vestrorum quotidianas pro vobis Deo precum hostias immolamus. Angelus Domini bonus comitetur iter vestrum.

EPISTOLA LXXIII.

AD RAIMUNDUM PRIOREM S. GENOVEFÆ.

Narrat varia pericula quæ subiit.

Charissimo suo Raimundo priori S. Genovefæ (15), Stephanus abbas, salutem.

Leviorem et minus formidabilem facit susceptum laborem timor periculi gravioris : et tamen inde timere debeo, cum et peregrinatio sit longa, et periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex Coterellis (16), Basculis, Arragonibus (17), via suspecta, magis sit lethalis quam læta. Sequor Albanum episcopum (18) per montes et valles, per vastas solitudines, per prædonum rabiem, et mortis imaginem, per incendia villarum, et ruinas domorum, ubi nihil tutum, nihil quietum, nihil quod non minetur saluti, et non insidietur vitæ. Inter hæc supplicare supplico cum dilectis fratribus nostris Deo et beatæ Virgini, ut si Ecclesiæ suæ utilis futurus sum, incolumem me reducat. Ultra Tolosam prope Hispanos hominem illum (19) inveniam **109** sicut dicunt. Si quid inter vos circa exteriora negotia natum fuerit quæstionis, propositum ad B. olim præpositum referte, cui dominus Robertus (20) ex parte domini regis injunxit, ut quidquid in negotiis vestris postulaveritis, ope et opera ejus fiat vobis. Quare ad dominum legatum vado, nescitis; alia causa est quam ea quam mandaveram vobis : de illa tamen omnino silete, ne aliquis in contrarium interpretetur.

(14) Ex nobili familia dominorum *de Galardon* in agro Carnutensi, quorum castelli ruinæ adhuc spectantur eminus.

(15) Prioris officio functus est Raymundus in monasterio S. Genovefæ, dum illud regebat Stephanus abbas. Inde vero translatus est ad monasterium Sancti Joannis Suessionensis, ut dicemus inferius, in eoque abbatis dignitate potitus est. Ad eumdem scribit epist. 104 et 113.

(16) Divus Antoninus, tom II, tit. 17, f. 17, de his ait : *Anno* 1183, *in provincia Bituricensi septem millia Coterellorum et amplius interfecti sunt ab illius terræ incolis, in unum contra inimicos Dei confœderatis. Isti enim terram regis vastando prædas ducebant, homines captos secum vilissime trahebant, sacerdotes autem et viros religiosos captos secum ducentes, et in ipsis tormentis irrisorie dicentes :* « Cantores, cantate, cantate, » *confestim ipsis alapas dabant, et grossis virgis eos cædebant, ex quibus quidam sic flagellati, beatas animas Deo reddiderunt; alii longa carceris custodia semimortui, data pro redemptione pecunia ad propria redierunt. Denique, peccatis hominum exigentibus, iidem Coterelli ecclesias spoliabant, et corpus Domini de vasis aureis et argenteis, in quibus pro necessitate infirmorum reservabantur, extrahentes, et proh dolor! in terram viliter projicientes, pedibus conculcabant; calices vero secum irreverenter portabant, et malleis et lapidibus confringentes distrahebant, de corporalibus vero concubinæ eorum pepla capitibus suis componebant.* Guillelmus vero Armoricus *De gestis* Philippi Augusti, anno 1183, ait : *Eodem anno interfecti sunt in pago Bituricensi Coterelli, qui vulgo dicuntur Ruptarii, uno solo die septem millia, qui invaserant fines regni, nemini parcentes, aut propter ætatem aut propter sexum, vel religionem, aut propter sacrum locum, quin omnes occiderent, aut diversis tormentis ad refundendam eis pecuniam pro redemptione sua compellerent : quo audito, a rege misso exercitu, in adjutorium ad dominum illius provinciæ, omnes a summo usque ad minimum trucidati sunt.* Errores autem Coterellorum hæreticorum erant quod dicerent, primo B. Mariam virginem fuisse angelum; secundo, corpus Christi non esse gloriosum in cœlo; tertio, animas sanctorum ante diem judicii in gloria non futuras.

(17) Basculi et Valdenses hæretici errorem et nomen suum acceperunt a Valdone quodam cive Lugdunensi, viro divite, qui degebat anno circiter 1170. Hic facultatibus suis in egenos distributis, pallio paupertatis errores suos contegebat. De Valdensibus ait Petrus monachus Vallis Sernaii in sua Albigensium historia, quod cum sandalia more apostolorum portarent, solitos dicere, quemlibet ipsorum in necessitate, dummodo haberent sandalia, absque ordinibus ab episcopo susceptis, posse conficere corpus Christi. Multa ejusmodi ipsorum commenta narrat Gualterus in sua *Chronologia.* Damnati sunt in concilio Lateranensi III, cap. 27, his verbis : *Quia in Gasconia Albegesis et partibus Tolosanis et aliis locis, ita hæreticorum, quos alii Catharos, alii Patrinos, alii Publicanos, alii aliis nominibus vocant, valuit damnata perversitas, ut jam non in occulto, sicut aliqui, nequitiam suam exerceant, sed suum errorem publice manifestent, et ad suum consensum simplices attrahant et infirmos : eos et defensores eorum et receptores anathemati decernimus subjacere.* Post pauca subjungit : *De Brabantionibus et Aragonensibus, Navarriis, Bascolis, Coterellis et Triaverdinis, qui tantam in Christianos immanitatem exercent, ut nec ecclesiis nec monasteriis deferant,* etc. Vocati sunt autem ejusmodi hæretici Aragones, Navarrii, Basculi, Albigenses, quod ex Aragonia, Navarra, Vasconia et territorio Albigensi prodierint.

(18) Episcopus ille cardinalis Albanus fuit Galterus decessor Henrici abbatis Clarævallensis : qui quidem, cum ad hæreses, quæ per Tolosanas partes grassabantur, profligandas, una cum Stephano abbate S. Genovefæ et aliis venisset, a Rogero de Bediers comite S. Ægidii, eorum fautore, captus, in carcerem trusus est. De his hæc scripsit Petrus S. Chrysogoni presbyter cardinalis legatus, in epistola apud Rogerium Hoveden anno 1188 : *Cum itaque prædicti Raymundus et Bernardus atque alii venerabili fratri nostro Reginaldo Bathoniensi episcopo et nobilibus viris, vicecomiti de Turena et Raymundo de Castro-Novo, qui de consilio nostro in terram Rogeri* de Bediers *pro liberatione venerabilis fratris nostri Albanensis episcopi venerant, occurrissent,* etc.

(19) Rogerium comitem S. Ægidii, quem quærebat Galterus cum suis sequacibus, ut ipse recitat his verbis : *Ingredientibus ergo nobis una cum dicto Barthoniensi episcopo illam regionem perditissimam, quæ velut totius sentina malitiæ totam in se colluvionem hæresis illuc defluentis excepit, prædictus Rogerius in ultimos et inaccessibiles terræ suæ fines male desperatus ; odorat enim lucem veritatis auctor malitiæ, nec sustinere poterat nostræ collocutionis accessum, qui totus recesserat in opera tenebrarum.*

(20) Arbitror esse Robertum Clementem regni ministrum, de quo alibi facit mentionem.

110-111 EPISTOLA LXXIV.

AD EPISCOPUM ET DECANUM BAIOCENSEM.

Agit de quodam negotio archiepiscopi Turonensis (21) *cum episcopo Dolensi, de quo superius.*

Reverendo Patri et domino Bajocensi episcopo et decano, frater STEPHANUS de S. Genovefa, salutem et dilectionem.

Risum movet intuentibus si accesserit ovis ad capram ut inde sibi lanam assumat. Sub hoc vulgari proverbio consuluistis hominem et peritia modicum, et auctoritate non magnum. Sed quoniam, ut Hylam Herculi, non æquis passibus incedentem, socium me vobis in negotio Turonensi et Dolensi dominus papa conjunxit, dicam quæ sentio, et his consentiam quæ dicatis, ne forte alterutra partium de nobis juste conqueri possit. Loco et tempore condicto debemus, ut æstimo, convenire, et utrum in negotio procedendum sit vel cedendum, communi simul consilio conferre. Valete.

112 EPISTOLA LXXV.

AD JOANNEM A. S. LEGATUM.

Gratulatur de ejus translatione ad Narbonensem Ecclesiam.

Reverendo domino et Patri JOANNI Pictaviensi episcopo, apostolicæ sedis legato, frater STEPHANUS de S. Genovefa, salutem et cum sincera devotione fidele obsequium.

Jucundum mihi theatrum proponit recordatio vestra, cujus et reficiar spectaculo, et afficiar blandimento. Concertant in idem caput diversarum provinciarum pontificales infulæ (22), et dum Pictaviensi cathedræ sacerdotem suum Narbonensis conatur eripere, religioso saltu præambula Narbonensem electum prima sedes Galliarum sibi vindicat Lugdunensis (23). Admirabilis et amabilis est ecclesiarum ludus iste, ubi superior inferiorem spoliat, et æmulatione sancta, voluntate pares apparent, quæ sunt impares dignitate. Absit! Pater, a mansuetudine vestra, ut ad Gothorum barbariem, ad levitatem Wasconum, ad crudeles et efferos mores Septimaniæ declinetis, ubi supra fidem infidelitas, supra famam fames, dolus et dolor plusquam valeat æstimari. Vidi nuper in transitu, cum dominus rex Tolosam me mitteret (24), frequentem et ferventem in illa terra terribilem mortis imaginem, semirutos ecclesiarum muros, ambusta sacrorum ædificiorum loca, fundamenta effossa, et ubi fuerant habitacula hominum inculta domicilia bestiarum.

A Contremui, fateor, et expavi, cum ad ea loca vos invitari audirem **113** in quibus etsi contingeret vos præesse, facile esset non prodesse. Audito tandem quod Rodanusia Sidonii (25) vos vocaret, gavisus sum gaudio magno, et primatem nostrum in gloria videre desidero, quem prius affectione Patrem, liberalitate benevolum simul et beneficium sum expertus. Nepoti vestro archidiacono bonæ indolis adolescenti, sicut mihi mandavistis, paratus sum et consilio et auxilio providere.

114 EPISTOLA LXXVI.

AD GODEFRIDUM ABBATEM S. SATYRI.

Rogat ut amico suo præsto sit.

Venerabili Patri et domino GODEFRIDO abbati S. Satyri.

B Acceptum debet esse testimonium, quod profertur de conscientia bona, et fide non ficta. Is est thesaurus, de quo nova profert et vetera quisquis scriba doctus esse voluerit in regno cœlorum. Ex eo bonæ vobis opinionis juvenem filium vestrum Th. commendamus, qui, etsi ad tempus a Patre recesserit, non tamen aut pavit porcos, aut ventrem eorum siliquis sub aliquo civium satiavit. Egressus a Jerusalem non descendit in Jericho, sed in Silo figens tabernaculum suum, aut operi manuum operam dedit, aut honestis studiis occupavit animum, quibus decet adoptionis filios edoceri. Demoratus apud nos non minus honorifice quam honeste conscientiam servavit et famam; in C altero, sibi providus: in altero, proximo non molestus. Devotas vobis et fratribus vestris pro eo preces fundimus, ut, sicut Patrem decet et filio expedit, benevole simul ac benefice suscipiatis revertentem, et ei non tam patris verbera quam matris ubera porrigatis.

115 EPISTOLA LXXVII.

AD FRATRES S. EVURTII AUREL.

Repetit annuam pensionem quæ ei concessa fuerit.

Charissimis amicis et fratribus B. priori et S. collegio B. Evurtii Aurelianensis, frater STEPHANUS de Sancta Genovefa, idem operum et verborum.

Odiosum mihi est odisse quos amaveram. Hujus culpæ simulacrum ne vel ad horam adorem, rogo Filium Dei, qui filios hominum, ut se invicem diligant, D verbo docuit et exemplo. Sed ecce cogor indicere invitus bellum visceribus meis, et quasi oculorum meorum orbibus injicere digitos effossores. Si enim pulsatus tacuero, si non ingemuero

(21) Negotium illud, quod papa episcopo, ac decanis Bajocensibus, nec non Stephano abbati S. Genovefæ examinandum commiserat, erat de erectione episcopatus Dolensis in archiepiscopatum: quod quidem Turonensis archiepiscopus totis viribus impediebat.

(22) Joannes episcopus Pictaviensis electus est in archiepiscopum Narbonensem, deinde in primatem Lugdunensem, de quo hæc leguntur: *Anno 1181, in archiepiscopum Narbonensem electus est Joannes Pictaviensis; qui, cum Romam pergeret ut a summo pontifice Lucio confirmaretur, ab eodem factus est archiepiscopus et primas Lugdunensis*, *et ob ejus eximiam eruditionem, ab eodem in regno Franciæ creatus est apostolicæ sedis legatus.*

(23) Eodem titulo insignitur ecclesia Lugdunensis in moneta Ludovici Pii et Caroli Calvi, cujus typus exstat in cimeliarchio Sangenovefæo.

(24) Consule epistolam 73.

(25) Id est urbs Lugdunum, quam Solius Sidonius Apollinaris, epistola 5, vocat Rhodanusiam, quod ad Rhodanum sita sit. *Egresso mihi*, inquit, *Rhodanusiæ nostræ mœnibus, publicus cursus usui fuit, utpote sacris apicibus accito.* At Irenæus religionem ipsam tractumque circa Rhodanum ῥοδανουσίαν appellavit.

læsus, si maximas injurias minimo quæstu compensem, patientiam exhibui, sed non pacem. Æquo animo, fratres, accipite; si postulo quod est æquum, obsecro per Ecclesiæ vestræ, communis matris nostræ, quæ nos lactaverunt, ubera, per gloriosam confessoris Evurtii memoriam, per fidem quam et verbis et operibus vestris inesse decet, ut concessionem vestram in capitulo vestro mihi a vobis factam, verbo, scripto, et excommunicationis vinculo subnixam, et conservetis fideliter, et feliciter consummetis. Quid in promissione vestra tam solemniter et terribiliter mihi facta debeatis agere, sic consulite conscientiam vestram et famam, ut et conscientiæ consulatis et famæ. Mallem interim secretius inter nos agi verbum, et quod mihi debetur sine scandalo recipere, quam in publico coram tribunalibus legatorum et præsulum repetere. Et ne forte dicat aliquis, **116** me vel nundum repetiisse, vel vos debitum non negasse, per præsentium latorem mittite mihi portionem proventuum terræ de Godrevilla (26), quæ ex promissione vestra me contingit, aut per eumdem nuntium quid inde facturi estis, certo significate responso. Mitto vobis rescriptum constitutionis vestræ, concessione, conscriptione, consignatione, excommunicatione, per vos in capitulo vestro confirmatæ, ut si fidem suam aliquis nostrum, quod absit! servare noluerit, charta muta arguat eum, et statuat contra faciem suam. Vale.

EPISTOLA LXXVIII.

AD ABBATEM CAROLILOCI.

Ab ipso petit arietes pro grege suo.

Venerabili Patri et dom. abbati Caroliloci (27), STEPHANUS abbas de Sancta Genovefa, salutem et dilectionem.

Risum movet intuentibus, si accedat ovis ad capram, ut ab ea sibi lanam assumat. Capella id postulante, lanigeri gregis erit gloria, si exaudieris mendicantem. Sub hac forma, verbum humile, rogo, porrigens vobis, ut de fecundis ovium vestrarum caulis tres aut quatuor arietes nobis commodari postulo vel donari. Imminet tempus ascendendi, et balantes ovium voces rude matrimonium in proximo sibi coaptare **117** festinant. Absens scribere malui, quod præsens timui postulare. Scio

A enim quia, si repulsam patiatur incassum, non rubet; si non exaudiatur epistola, verecundiam non incurrit. Si de retributione cogitetis, nos et nostra vobis offerimus; et cum in simili casu respondere sufficientes non simus, in aliis per Dei gratiam poterimus compensare. Cumulabitur beneficium, si et dator hilaris, et lana mollis, et fortes fuerint ascensores.

EPISTOLA LXXIX.

AD A. LONDENSEM ARCHIEP.

Certum facit Petrum nepotem ejus apud S. Genevefam professionem canonicam emisisse.

Venerabili domino et Patri A., Londensi archiepiscopo (28).

Placet pariter holocaustum, et placat quod offertur
B de conscientia bona et fide non ficta. Id in qualibet ætate, conditione et sexu Deus non respuit, qui in juvenibus matutinum sacrificium approbat, et in senibus vespertinum. Circa hunc offerendi ritum sollicitus, et sedulus bonæ indolis adolescens Petrus vester, et amodo noster, super montem virginis Genovefæ vinculis obedientiæ colligatus, quid de se placabili hostia Dominus facturus sit, patienter exspectat. Arctius et, ut credimus, altius propositum (29) aggressus **118** fuerat. Sed, ne labor insolitus, et rigor austerus teneram ætatem reverberaret et dejiceret, satius est ei salvari in Segor quam periclitari in Excelso sine sui ac suorum ignominia. Licite simul et libere divertit ab
C oneribus dorsum suum, et ne manus ejus circa hortos et agros in cophino deservirent, lectioni sæpius vacaturus, factus est nobiscum clericus, ut Clericis conformetur. Gaudeat super eo sancta paternitas vestra, et parentes ejus in Domino consolentur, quoniam in Ecclesia Dei ex tali flore fructus uberes exspectamus. Ego autem et fratres nostri, quidquid instructionis, dilectionis et doctrinæ poterimus, parati sumus ei impendere, materna sæpius ubera quam paterna verbera porrecturi.

EPISTOLA LXXX

AD EUMDEM.

Petrum nepotem infirmum (30) *ad natale solum censet remittendum, ut melius habeat.*

Hilarem sui præbet opinionem adolescens, cujus

(26) Godrevilla est parochia diœcesis Aurelianensis, vulgo *Gondreville*, ubi abbatia S. Evurtii terras et prædia possidet, ex quarum proventu capitulum hujus monasterii constituerat Stephano annuam pensionem, in suæ gratitudinis monumentum, cum ad ecclesiam S. Genovefæ Parisiensis regendam vocatus est.

(27) Carolilocus, vel Carlilocus, vulgo *Charly*, insignis est abbatia ordinis Cisterciensis in diœcesi Silvanectensi, juxta quam sita est villa et terra de Borreto, vulgo *Borrest*, dominio temporali Sanctæ Genovefæ addicta. Hanc terram suis sumptibus colebat Stephanus tunc abbas, numerosissimumque ibi gregem ovium alebat, pro quibus arietes quærebant præfato Carliloci abbate.

(28) Londonum, vulgo *Lunden*, civitas Daniæ spectatissima, archiepiscopali sede ac primatiali totius regni dignitate nobilis, cujus præsul vocatur

D a Saxone grammatico, hujus gentis historico elegantissimo, pontifex Maximus. Ille autem ad quem dirigitur hæc epistola, erat Absalon vir eximius, et apud auctores laudatissimus.

(29) Per hæc verba innuit Petrum hunc ordinem S. Benedicti vel Cisterciensem fuisse ingressum: cujus rigorem ferre non potuit, ideo ad canonicos S. Genovefæ migravit.

(30) Erat nepos Absalonis, qui in Galliam missus, apud Sanctam Genovefam canonicus regularis effectus est, ubi studiis operam dedit: deinde in Daniam reversus, episcopus Roschildensis et totius regni cancellarius constitutus est, ut discimus ex *Necrologio* Sanctæ Genovefæ v Kal. Decembris: *Anniversarium piæ memoriæ Petri Roschildensis episcopi, cancellarii regis Daciæ, canonici nostri professi.*

inter ætatis initia, virtutis indicia coalescunt. Respiciunt hæc Petrum nostrum pariter ac vestrum, qui nobiscum regularis professus obedienter suscepit et doctrinam in studiis, et in moribus disciplinam. Et quoniam in eo spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, secundum mandatum vestrum vobis commendamus **119** eum et committimus, satius æstimantes et gratius eum apud vos morari quam apud nos mori. Infestas quartanæ molestias crebro sentit, et illius infestationis reliquiæ diem mœstum agunt sibi. Soli natalis et naturalis aeris beneficio posse juvari credimus teneros ætatis annos, et humores maternis uberibus infusos paterno simul et materno solatio confoveri. Unum est quod ei, sicut filio charissimo consulimus, mandamus et præcipimus, ut quandiu in terra illa moram fecerit, vagari non incipiat post greges sodalium suorum sæcularium; sed aut in claustro regularibus disciplinis intendat, cum fratribus suis sub venerabili fratre nostro Willelmo Domino servientibus, aut quoties et quando volueritis vobiscum in curia vestra religiose, sicut decet et expedit, converseiur. Quod autem de ipso nobis per litteras vestras intimastis, vel in monte (31), vel in Parisiensium sæcularium scholas (32), et venditores verborum mittendo, salva gratia vestra non admittimus, quoniam institutioni nostræ repugnat et consuetudini, ne per ipsum præsentibus fratribus novum proponatur spectaculum, quod futuris perniciosum trahatur in exemplum. Habet in claustris sapientia regulas suas, erigens sibi scholas, inde veritatis, hinc virtutis. Quod si forte consilium vestrum in hoc declinaverit, ut de regulari sæcularem facere contendatis, aliam quam Parisius civitatem, in qua studeat, eligite, ne in oculis nostris pro matutino et vespertino sacrificio quod nobiscum offerre debuerat Domino, verborum strepitus et disputationum anfractus offerat, et unde speravimus fructum, vertatur nobis in opprobrium et contemptum.

EPISTOLA LXXIX.

AD QUEMDAM ARCHIEPISCOPUM (33).

Rogat pro presbytero injuste oppresso.

Pro latore præsentium presbytero mihi ignoto, A notis meis noto, dominum meum rogo, ut qui pro ipso me rogaverunt, pro ipso me gaudeant rogasse. Conqueritur de episcopo suo, qui injuste, ut asserit, ecclesiam suam absque ordine judiciario aufert, ut invitus extra Ecclesiam panem alienum mendicare **120-121** compellatur, qui panes propositionis deberet in Ecclesia manducare. Aperiatur super eum, obsecro, vestræ pietatis oculus; misericordiæ sinus Expandatur, ut qui episcopum suum non solum mercenarium expertus est, sed et lupum; metropolitanum suum Patrem sentiat et patronum.

EPISTOLA LXXXII.

AD LUCIUM III PAPAM.

Commendat Franciæ cancellarium contra repulsas B *canonicorum ipsi natalium defectus objectantium.*

Sanctissimo domino et Patri LUCIO summo pontifici, STEPHANUS de S. Genovefa, salutem et cum omni servitute et subjectione devotam obedientiam.

Communis omnium mater Ecclesia Romana potestatis et gratiæ plenitudinem habens a Domino, sic extenditur ad singulos, ut suscipiat universos. Vasa discretionis in pondere, et numero, et mensura gerens, pro singulorum meritis, aliis vinum infundit et oleum, aliis alterutrum ab altero separatum; frequentius tamen et libentius in affectum filiorum totam se effundens, maternæ pietatis ubera, quam paternæ verbera severitatis desidibus sæpe, desiderantibus semper, et exprimit et exponit. In C hujus spei reliquiis et odore currentes, ad sacri apostolatus vestri genua procidimus, magnæ indolis juvenem, majoris, ut credimus, **122** virtutis virum mox futurum, domini regis Francorum cancellarium (34) vestræ gratiæ commendantes. In loco et gradu positus, in quo nonnulli magis obesse soliti sunt quam prodesse, sic in negotiis ecclesiarum sollicitus existit ac strenuus, ut eis et in palatio consulat, et eas extra palatium consoletur. Et quoniam in regno Francorum aliquæ ecclesiæ quadam scrupulosa nobilitate gloriosam, ut æstimant, sibi consuetudinem assumpserunt, ne aliqui nisi ex licito complexu geniti promoveantur, in eis meritorum et virtutis excellentiam, origini postponentes, prædicto cancellario superbe potius quam superne

(31) Scholæ S. Genovefæ in monte locutitio fuerunt antiquissimæ et celeberrimæ, in quibus non pauci viri doctrina illustres aut docuerunt, aut studiis operam dederunt. Inter alios Hulbodes clericus Leodiensis, tempore Roberti regis, de quo scribitur, quod *dum adolescentulus e scholari disciplina confugisset Parisios, S. Genovefæ canonicis adhæsit, et in brevi multarum scholarum instructor fuit, ubi cum aliquandiu a domino Notgero Leodiensi episcopo ignoraretur, tandem canonica episcopalis sententiæ exsecutione compulsus est redire, pluribus ibi relictis studiorum ac moralitatis insignibus.* Abailardus etiam, ut legitur in *Vita* Gosuini abbatis Aquicinctiensis, *multis sibi sæcularibus aggregatis in claustro S. Genovefæ schola publica utebatur.* Eæ autem erant scholæ externæ sæcularibus deputatæ, de quibus hic mentio. Sed præter eas in eodem monasterio constitutæ erant scholæ D internæ, in quibus canonici regulares hujus domus litteris operam navabant, quod patet ex hac epistola.

(32) Intelligit scholas externas S. Genovefæ, ut diximus, vel scholas B. Mariæ, vel quas in domibus privatis sæculares, etiam conjugati regebant, de quibus vide Jacobum de Vitriaco, cap. 7 *Hist. occidentalis*, qui ait : *In una et eadem domo scholæ erant superius, et prostibula inferius; in parte superiori magistri legebant, in inferiori meretrices officia turpitudinis exercebant; ex alia parte disputantes et contentiose agentes clerici proclamabant*, etc.

(33) Videtur scripta hæc epistola Guillelmo Remensi archiepiscopo, siquidem vocat eum dominum suum, ut alibi passim.

(34) Cancellarium illum esse arbitror Hugonem de Puteaco, qui hoc munere in Gallia functus est hisce temporibus, obiitque anno 1186.

titulum nativitatis objiciunt, ne vel ad eos accedat, A vel inter eos ascendat. Eorum, Pater, legibus Romana Ecclesia non subditur, potens si voluerit vel eis derogare in partem, vel eas penitus abrogare. Et cum magni pro eo viri, ut credimus, preces vobis offerant, rogo et ego minima portio gregis vestri, ut quod humana constitutio contendit auferre, divina vestra consolatio conferre sic intendat, ne magis possit in eo severitas quam ubertas (35), minus gratia quam natura. Solvatur in eo, si placet, apostolica manu vinculum; quod exclusa virtute nativitatem includit, ut in paucis ecclesiis quæ id observant privilegium mereatur accipere, per quem in palatio regis multæ Ecclesiæ privilegia consequuntur.

123 EPISTOLA LXXXIII.

AD REMENSEM ARCHIEP.

Rogat pro presbytero, cui episcopus Suessionensis beneficii partem subtraxerat.

Sanctissimo Patri ac domino Remensi archiepiscopo, STEPHANUS de S. Genovefa, salutem.

Difficile pietas expugnatur, quam hinc gratia promovet, hinc natura. Hoc utroque beneficio juvatur in vobis, ut nec deficiat cum imploratur singulis, et proficiat universis. Eam mihi semper propitiam pro G. paupere clerico latore præsentium sollicitare præsumo, non timens a vobis vel reprobari ut improbus, vel exspui ut expulsor. Serenitatem vestram veretur in severitatem sibi versam; et quia dominum suum sequi, et ei in via obsequi obstante infirmitatis incommodo non est ausus, ne- C cessitatis suæ, non voluntatis culpam coram pedibus vestris timens et tremens, sibi supplicat non ad supplicium imputari. Condonet illi sancta paternitas vestra hanc offensam, ut qui vestras ulcisci parce consuevistis injurias, ex cumulato clementiæ vestræ thesauro puniatis parcius alienas. Beneficium illud, quod idem G. per Laudunensem archidiaconum Meliorem (36), melioris in proximo, sicut audivimus, fortunæ futurum, a domino Suessionensi episcopo obtinuit, idem episcopus ex magna parte detruncat, messem hujus anni auferens, ut qui de altario manducare debuerat, juxta altarium mendicare compellatur. Rogo, si placet, ego minima portio **124** clericorum vestrorum, ut is qui per curiam vestram beneficii titulum obtinere me- D ruerit, per curam vestram mensuram bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem messis quam postulat, non minus benevole quam benefice recipere mereatur.

EPISTOLA LXXXIV.

AD HENRICUM (37) ANGLORUM REGEM.

Petit ut confirmet et exsequi faciat testamentum nepotis summi pontificis, clerici ejus.

HENRICO, Dei gratia regi Anglorum, frater STEPHANUS de S. Genovefa abbas, salutem et cum omni prosperitate gloriam sempiternam.

Post lugubres exsequias (38) et lamentabile feretrum, residuum lacrymarum nostrarum coram vobis, inclyte princeps, effundimus, de copiosa clementia vestra tristitiæ nostræ solatium exspectantes. Sanctæ recordationis Alexandri papæ nepos idemque clericus vester Gentilis, turbato quoad parentes superstites ordine mortalitatis, diem clausit extremum; bonæ indolis adolescens, laudabilem B conversationem suam fideli fine concludens, inter extrema sanctæ confessionis catholicæ verba, sana mente sanoque consilio de rebus suis legitime disposuit; testamentum solemne condidit; in causas pias distribuit et legavit. Et quoniam **125** nihil est quod magis hominibus debeatur, quam ut ultimæ voluntatis liber sit stylus, et licitum quod iterum non redit arbitrium, excellentiæ vestræ preces effundimus, ut auctoritate vestra testamentum prædicti clerici vestri confirmetis, et res ipsius quæ in regno vestro de redditibus suis, per vos eidem collatis, supersunt, fideli dispensatori et magistro suo Alberto, per cujus manum distribuendæ sunt eleemosynæ, sine difficultate et mora faciatis assignari, ut ex liberalitate vestra nomen vestrum clarius resplendeat, et defuncti voluntas effectum obtineat, et tam vobis quam ipsi merces æternæ retributionis accrescat. Refundite tanti patrui memoriam in nepote, et a mortuo ne prohibeatis gratiam, cui viventi benevole simul et benefice regiam contulistis et operam et impensam.

126 EPISTOLA LXXXV.

AD GUILLELMUM ET ROBERTUM NOTARIOS PAPÆ.

Agit de negotiis suis in Romana curia promovendis.

Charissimis suis GUILLELMO et ROBERTO, Domini papæ scriptoribus, frater STEPHANUS de S. Genovefa.

Commune vobis commonitorium offero, congaudens peregre profectis, si profectio vestra profectum vobis pariter pariat et provectum. Utrumque vobis facile comparabunt duæ divini palatii virgines, humilitas et honestas; si vel alter vel uterque vestrum alterutram excluserit, quisquis ille fuerit excludetur. Solent plerique Aurelianensium aurei inter alie-

(35) Hoc verbum erat in usu apud antiquos, ut videre est in nummo argenteo Decii, ex nostra penu nummaria deprompto, inferius descripto.

(36) Forsan non aberrabo si hunc Meliorem archidiaconum, eum esse dixerim, qui postea S. R. E. cardinalis creatus est, ad quem epist. 113, cum præsertim addat in proximo melioris fortunæ futurum, subintelligens cardinalitiam dignitatem, ad quam vocabatur, ut valde est probabile.

(37) Henricus II, sub quo B. Thomas Cantuariensis cæsus est anno 1171; ipse vero e vivis excessit 1185, ut notat *Chronicon* Normanniæ: *Obiit rex Henricus Nonis Julii apud Chinonem, sepultusque apud Fontem-Ebraudi in abbatia monialium, cui successit Richardus filius ejus.*

(38) Videtur innuere his verbis quod in hac Sanctæ Genovefæ ecclesia sepultus fuerit quidam Alexandri III nepos, nomine Gentilis, clericus, seu ut vocamus, eleemosynarius regis Angliæ, de quo agitur in hac epistola. Obitus autem ejus memoratur in *Necrologio* ejusdem abbatiæ x Kalend. Decembris. *Obiit Gentilis, acolytus S. Romanæ Ecclesiæ, nepos bonæ memoriæ Alexandri papæ III.*

nos esse, qui nec argentei fuerant inter suos. Metalla morum melior, quamvis non mentiar, si de pecunia faciam mentionem. Augeat vobis Deus gratiam suam, ut qui in curia sunt, gratos nos habeant, et nos de vobis faciant gratulantes. Quasdam petitiones nostras Herveo de Rochis commisimus, Ecclesiæ nostræ negotia continentes. Rogo vos ut per vos et amicos vestros, quanta sedulitate et sollicitudine poteritis, opem et operam impendatis, quatenus petitiones illæ nostræ a domino papa et domino cancellario et exaudiantur benevole, et benefice compleantur. Si de retributione cogitetis, paratus sum loco et tempore præstito mihi a vobis beneficio respondere.

127 EPISTOLA LXXXVI.

AD LUCIUM III PAPAM.

Rogat eum ut servet antiqua jura capellani S. Benedicti Parisiensis.

Sanctissimo domino et Patri Lucio summo pontifici, frater Stephanus, salutem et cum omni devotione vigilem et sinceram obedientiam.

Antiquas Ecclesiarum consuetudines, quæ nec rationi nec legi obviant, sancta Romana Ecclesia aut approbare consuevit, aut non censuit improbare. Ea confidentia ductus ad misericordiæ vestræ sinum recurrit devotus filius vester Simon capellanus Sancti Benedicti, qui a quibusdam ejusdem Ecclesiæ canonicis inquietatur, ut contra consuetudinem antiquam, tam suis quam prædecessorum suorum temporibus observatam, ab altari, in quo parochialia divina hactenus populo celebrata sunt officia, recedat, et altare novum in aliquo ecclesiæ ipsius angulo erigere compellatur. Ecclesiæ illius forma dissimilis (39) et dissidens ab aliis ecclesiis a parte sanctuarii respicit occidentem, ab introitu orientem, non permittat in alio loco convenienter officia parochialia celebrari, quam in eo quo priscis diebus usque ad tempora nostra priores celebrarunt. Placeat sanctitati vestræ, si condignum vobis fuerit, ut observetur consuetudo quæ hactenus invaluit, sacrificia pro populo offerendi, maxime cum non officiat officiis clericorum, cum aliis horis sua celebrent **128** divina officia, aliis capellanus parochialia conficiat sacramenta.

A EPISTOLA LXXXVII.

AD ABBATEM S. BARTHOLOMÆI NOVIOM.

Rogat ut quemdam canonicum fugitivum benigne suscipiat, et erga ipsum misericordem se præbeat.

Domino et Patri abbati S. Bartholomæi Noviomensis seniori, jam senescens, dies bonos et exitum felicem.

Unus ex eis, quorum infinitus est numerus (40), Robertus aliquando vester, in forma deformi veniens ad nos, miserabile simulacrum fratribus nostris exhibuit, **129** cujus et afficeretur spectaculo, et erudiretur exemplo. Opertus amiculo vili ac brevi, quod nec vestigium vestis intuenti præferret, nec opem aut operam operculi conferret induenti, errore suo nobis incussit horrorem, fortuna movit
B formidinem, miseria misericordiam invitavit. Animalis homo non percipiens ea quæ Dei sunt, cui nec vexatio dat intellectum, nec labor fingitur in præcepto. Hanc solam sibi sufficere credit allegationem, si vel misericordes gratis invenerit, vel calamitatem suam inspicientibus non occultet. Pro eo vobis, Pater optime, compassionis ardentes preces offerimus, ut miserum istum, arborem autumnalem, sal infatuatum, canem mortuum, culicem vivum, levitatis suæ dolos expertum, nec dolorum expertem, benevole recipiatis ac reficiatis benefice, ne in eo per vos calamus quassatus conteratur, aut lignum fumigans exstinguatur. Molestum vobis me crederem, si sensissem vos aliquando molestatum. Confido, quia
C nec hujus, pro quo supplico, dementia vestram clementiam minuit, nec importunitas mea vobis importat offensam.

EPISTOLA LXXXVIII.

AD PRIOREM ET FRATRES DE CHARITATE.

Preces fundit pro quodam monacho fugitivo.

Priori et S. collegio de Charitate, Stephanus de Sancta Genovefa, salutem et spiritualem cum exsultatione proventum.

Jucundam vestri memoriam dum recolo, fructuosam reporto conscientiam, cum inter vestros **130** numerari me noverim, et a vobis meruerim munerari. Addit amplissimus charitatis vestræ sinus confidentiam votis meis, ut a vobis audeam petere, quod et impetrare debet pietas, et charitas non ne-

(39) Cum apud Christianos superior pars ecclesiarum in qua ponitur altare respiciat orientem, ædes D. Benedicto sacra, olim in suburbio Lutetiæ Parisiorum, nunc vero via Jacobæa, præter morem aliarum conversa erat versus occidentem, his ut reor de causis, ut porta ejusdem ecclesiæ secus viam publicam statueretur, qua facilior ad eam, prætereuntibus pateret ingressus, et ne strepitu officia divina turbarentur. At, tempore Francisci I, cum hæc ædes situ et vetustate collaberetur, parochiani eam in melius restaurarunt, præcipuo ecclesiæ aditu in partem oppositam constituto, ut in modum cæterarum ecclesiarum ista deinceps versus orientem collocaretur. Mos autem fuit semper apud Christianos orare ad orientem conversos: ait enim Justinus martyr, quæst. 118: *Orationis tempore ad orientem vultus omnes convertimus.* Et Origenes,
D lib. Num. hom. 5: *Ex omnibus cœli plagis ad solam orientis partem conversi orationem fundimus.* Tres autem hujus ritus causas affert sanctus Athanasius, lib. IX, quæst. 14: *Primo quia scriptum est:* « Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus (*Psal.* CXXXI); » *per Zachariam autem:* « In die illa stabunt pedes ejus supra montem olivarum ad orientem (*Zach.* XIV). » *Secundo:* « Quia Deus lux est (*I Joan.* I). » *Respicimus ergo orantes ad hanc partem unde lux venit. Tertio quod, cum paradisus unde pulsus est homo, sit ad orientem, eo revertendi mens cupida oculos illuc dirigit*

(40) Alludit ad id quod dicitur Ecclesiast. (I): *Stultorum infinitus est numerus.* Agit autem de quodam canonico S. Bartholomæi Noviomensis, qui animi levitate ductus, claustrum deseruerat.

gare. Lator præsentium canonicus quandoque noster, A lubrico consilio ductus, cum ex nobis esset, a nobis exiit, et post greges sodalium suorum vagari incipiens ut insipiens, post modicum ad se reversus, sedato frisculo (41) venit plorans, veniam implorans. Aliquos ex nostris pietatis non expertes expertus, clausum sibi reditum multorum precibus attentans, reverti in domum unde exivit non potest; et a nobis ad misericordiæ vestræ viscera missus, ab uberibus tantæ consolationis satiari et expetit et exspectat. Rogo pro eo ego, si recolitis, amicorum vestrorum quædam portio, ut eum qui ad arctiorem et altiorem ordinem vestrum contendit ascendere, pro amore Dei et nostro benevole suscipiatis ac benefice, ne preces incassum effuderimus, qui de gratia vestra B majora speramus. Ne autem conversationem ejus onerosam vobis et inutilem credatis, divinis eum instructum cantandi et legendi testamur officiis, et eruditum regularibus disciplinis.

131 EPISTOLA LXXXIX.

AD DOMINUM PAPAM.

Supplicat pro acolytho ab episcopo schismatico ordinato.

Excusabilis est ignorantia, quam vel infirmitas ætatis, vel innocentiæ simplicitas inducere consuevit. Ea sic a malitia recedit, ut ad mansuetudinem accedat; sic accedit ad veniam, ut severitatem non accendat. Eam, Pater, sive de infirmitate procedat ætatis, sive de innocentiæ simplicitate nascatur, communis mater Ecclesia Romana levare semper et C juvare sic studuit, ut et rigorem dispensatio temperet, et dispensationem justitia non relinquat. Hæc sunt quæ me minimum servum vestrum movent et monent, ut pro Odone clerico præsentium latore, cum aliis qui pro ipso vos rogant, sanctæ paternitati vestræ preces offeram, quæ et de charitate prodeunt, et proderunt charitati. In puerili ætate ab Herberto Bisuntino schismatico (42) gradum acolythi qualitercunque suscepit, cum prius a Catholico clericus factus fuisset: nesciens miser, quantum periculi manus illa leprosa sibi, vel ad præsens, vel inposterum importaret. Aperiatur super eum, obsecro, paternus apostolicæ pietatis oculus, maternus Ecclesiæ Romanæ sinus expandatur, ut qui in suscipiendis ordinibus minoribus deliquit, ad majores valeat humiliter promoveri. Vale.

132 EPISTOLA XC.

AD LUCIUM PAPAM.

Rogat ut Hervæum clericum beneficio gaudere faciat.

Laudabilis est juventus, cui testimonium præbent et honestas morum, et peritia litterarum. Hæc in præsentium latore Hervæo subdiacono per Dei gratiam, quantum intelligimus, sic conveniunt et occurrunt, ut ei sufficiant ad meritum, et aliis ad exemplum. Inde est quod pro eo confidentius vobis preces offerimus, ut quia nullum in Ecclesia beneficium habet, benevolum simul ac beneficum aperiatis ei sinum, et ab uberibus consolationis vestræ desiderato spei suæ solatio satietur. In divinis officiis idoneum reddit eum usus quem a puero combibit; et de sacrario plene vivere debet, qui plene novit sacrario deservire. Scripsit pro eo felicis recordationis Pater Alexander decano, et canonicis S. Aniani Aurelianensis. Scripsistis et vos primo et secundo. Sed neque preces, neque præceptum vestrum, quamvis tres præbendæ vacarent, voluerunt audire. Absit! Pater, ut inanes sint preces vestræ, contemptibilis **133** auctoritas, elusorium præceptum, et nunc demum tanta, si placet, virtute intonet super eos majestas vestra, ut qui blanditiis juvari non potuerunt, imperio discant vinci. Petitiones nostras, quas per eum vobis offerimus, et implendas, si placet, admittite, et remittite perimpletas.

EPISTOLA XCI.

AD HENRICUM SILVANECTENSEM EPISCOPUM.

Paratum se exhibet ejus mandatis.

Grata est occasio, quæ aut præsentiam vestram mihi præstat, aut memoriam repræsentat. Eam semper et oblatam deosculor, et offerendam amplector. Verum, quia capitulum Silvanectense, et abbas Sancti Vincentii (43), nulla vestri mentione facta, mihi per Petrum de Valle mandaverunt ut, omni occasione et dilatione postposita, in octavis Epiphaniæ ad horam capituli ad ipsos venirem pro quadam

(41) Frigusculum dicitur apud Ulpianum levis D dissensio quæ oritur aliquando inter conjugatos, aut etiam amicos, quod Gallice dicimus, *froideur* : hic autem accipitur pro quadam animi morositate, quasi diceret: morosæ mentis sedato motu.

(42) Herbertus a Frederico imperatore, qui ab Alexandri III legitimi pontificis partibus defecerat, in sedem Bizuntinam intrusus est, quam per octo circiter annos occupavit. Legitur in *Diplomate* quodam Guillelmi II ejusdem sedis archiepiscopi, privilegia ab Humberto monasterio S. Vincentii concessa per longum tempus mansisse incognita, propter inhibitionem Herberti schismatici, qui tanquam apostata pro archiepiscopo Bizuntino de facto, non de jure se gerebat. Infaustam ejusdem mortem sic describit auctor Vitæ S. Petri Tarentasiacensis: « Cum eo tempore sanctissimus ille præsul Vesontionem advenisset, ad eum multitudo undique confluxit, quibus inter cætera de prædicto hæretico scilicet Herberto, verba faciens, nec ipsius malitiam veritus, nec præsentiam imperatoris per quem erat intensus, orationem omnibus indixit, ut manus domini acceleraret, Ecclesiam ab illius tyrannide liberare, vel mutando hominem, vel mulctando, ut converteretur ad pœnitentiam, aut de medio tolleretur. Oratum est, et infra quatuor aut quinque dies miseram idem schismaticus animam exhalavit. »

(43) Constructa est hæc abbatia Silvanecti in honorem S. Vincentii ab Anna regina conjuge Henrici I, Francorum regis, anno 1059. « Ut ibi quieti et tranquilli viri religiosi Domino servientes, mundo renuntiantes, regularem, id est sanctorum apostolorum et B. Augustini, quæ scripta est, vitam canonice amplectentes, vivere valeant, » ut legitur in instrumento ad id confecto.

compositione, quæ ut aiunt, inter vos et ipsos ex compromisso ea die fieri debet: miratus sum pariter et moratus. Nec enim sine mandato vestro festinare debui, ne aut inofficiosus appaream, aut otiosus existam. Quoties autem vestræ paternitati placuerit, paratus sum, tam in his quam aliis negotiis apparere vobis et parere. Si me invitaveritis, non invenietis invitum. Absit enim ut tam charissimus Pater meus invitum inveniat, si quando ut veniam me invitat! Licentius tamen et libentius in sequentis hebdomadæ quarta vel sexta feria meam vobis, si placuerit, præsentiam exhibebo.

134 EPISTOLA XCII.

AD GUILLELMUM AURELIANENSEM, DOMINI PAPÆ SCRIPTOREM.

Rationem reddit de eo quod egit apud Magdunum pro beneficio illi a papa collato.

Felices adolescentiæ successus, cui laborem indicit necessitas, et fructum educit utilitas de labore. In his tibi condelector et congaudeo, qui fortes et fortunatos animos sequens, et lascivos ætatis annos ad spectacula non proponens, sed exponens ad pericula, qui, quasi cum prophetis non acceptus in patria, sanctæ sedis apostolicæ, in sudore vultus tui, beneficium et expetis et exspectas. Promoveat Dominus et compleat desiderium tuum, ut in augmento gratiæ tuæ et amici gaudeant, et æmuli confundantur. Secundum mandatum domini papæ pro negotio tuo secutus sum usque Magdunum (44) dominum Aurelianensem episcopum, et ibi, coram canonicis illius Ecclesiæ (45), post sacros apices lectos, reddita prius gratiarum actione episcopo de A promisso tibi, ad preces domini papæ, beneficio, subsequenter et constanter auctoritate mandati mihi injuncti eidem prohibui, ne alii, antequam tibi, beneficium in Ecclesia Magdunensi conferret; et canonicis, ne alium quam te in concanonicum reciperent, aut investiri permitterent: et si quam episcopus fecisset, vel facturus esset de nondum vacante præbenda **135** promissionem, concessionem, vel investituram, totum auctoritate domini papæ irritum esse et fore denuntiavi. Homo ille obedienter, ut solet, respondit, et mandatum domini papæ sese completurum promisit, canonicis murmurantibus et objicientibus de quodam pecunioso archipresbytero, cui ut dicebant XXX solidos, quousque præbenda vacaret, nomine præbendæ assignaverant. In petitio- B nibus nostris per te et per amicos tuos, si quid potes, adjuva nos.

136 EPISTOLA XCIII.

AD DOMINUM PAPAM.

Rogat ut nuntium canonicorum de Salicosa (46) benigne suscipiat.

Inconsutilis Christi tunica desuper texta per totum, universa Christi membra sic contegit, ut nec minora rejiciat, et majora sufficienter admittat. Hoc exsultationis et salutis operculo contecti quicunque sub Augustino regularium Patre (47) communem professi sunt vitam, speciali sese charitate tenentur diligere, et in necessitatibus fraternis alterius onera supportare. Inde est quod sanctæ paternitati vestræ pro fratribus de Salicosa Deo regulariter ser- C vientibus preces, quas possumus, effundimus, ut eorum nuntium et admittatis benevole, et benefice remittatis. Sanctæ conversationis eorum hilaris fa-

(44) Magdunum, vulgo *Meung*, urbs ad Ligerim in diœcesi Aurelianensi sita, famosa natalibus poetæ clarissimi Joannis Clopinel, a qua Joannes de Magduno dictus est. Scribitur autem in Hist. episcop. Antissiodorensium, quod « Manasses Aurelianensis præsul apud Magdunum castrum episcopale, ubi episcopus proprium non habebat quod competens esset domicilium, magnæ nobilitatis exstruxit palatium, cum turribus et propugnaculis, præsidium videlicet municipii inexpugnabile, et nobile episcopi, cum ad castrum illud delegaverit mansionem, ibidem et apud Jargolium supra Ligerim lapideos pontes fecit. »

(45) Collegiatæ scilicet S. Liphardi Magdunensis. Dicitur autem in *Vita* istius sancti apud Surium, quod « erat in pago Aurelianensi mons, quem incolæ regionis Magdunum nominant, in quo antiquis temporibus fuerat constructum castri ædificium. quod Wandali solotenus diruerant, ita ut nemoribus hinc inde rudera excrescentibus locus esset solitudo, ibi Liphardus cellulam sibi ex virgis contexuit. Interea Marcus Aurelianensis antistes, cum viri Dei virtutes audisset, illum in presbyterum ordinavit, exiguum illic templum exstruens, quod etiamnum exstat ad hunc usque diem. » Loquens vero de morte et sepultura S. Liphardi ait: « Marcus episcopus, audita viri morte, celerrime ad ejus funus accurrit, atque una cum fratribus corpus suum religiosæ tradidit sepulturæ; Veritium ipse sua benedictione futurum confirmat in monasterio Magdunensi successorem, qui exinde illius structuram fecit excelsiorem. » Fuit ergo hæc ecclesia priscis temporibus monasterium, quod etiam legitur in *Constitutionibus* Theodulphi Aurelianensis episcopi. Monachi vero hujus cœnobii jugo regularis disciplinæ excusso, in canonicos sæculares mutati sunt, eodem plane modo quo apud Aurelias monasteria SS. Aniani, Aviti, Petri virorum et puellarum. Hæc autem S. Liphardi ecclesia cum diruta, et bellorum incursibus solo adæquata fuisset, denuo restaurata est, et solemni ritu inaugurata anno 1104, præsentibus Radulpho Turonensi archiepiscopo, Galone Parisiensi, Joanne Aurelianensi episcopis, Christiano abbate S. Maximini, et aliis. Sunt in ea viginti canonici et quatuor dignitates, scilicet decanus, cantor, succentor et capicerius.

(46) Monasterium de Salicosa, Gallice *Sausseuse*, D est prioratus ordinis canonici in diœcesi Rothomagensi, non longe a civitate Vernonensi. Condita est autem hæc canonica anno 1155 a Richardo quodam parocho Tilliaci, qui, omnibus suis facultatibus inibi erogatis, cum quibusdam ejusdem voti piis viris, canonicam regulam amplexus est.

(47) Regularium seu canonicorum in communi viventium Pater et patriarcha dicitur S. Augustinus duplicem ob causam, vel quia communem illam vitam inter clericos Hipponensis Ecclesiæ, apostolorum more, constituit et duxit, tractatumque de communi vita clericorum ad eorum usum et Regulam conscripsit; vel quod canonici illi, qui regulares ab ipso dictatam in vitæ suæ normam assumpserunt. Utrum autem viris an mulieribus fuerit primitus scripta, utrum sæculis millesimo prioribus, an posterioribus, fuerit apud eos recepta, non est hic disserendi locus.

ma testimonium præbet, et integri fructus opinio sic alios invitat, ut et amicus gaudeat, et invidus torqueatur.

137 EPISTOLA XCIV.

AD HENRICUM SYLVANECTENSEM EPISCOPUM.

Preces fundit pro Huberto capellano ejus, ut offensam ei dignetur remittere.

Non est angustus charitatis sinus, qui sic extenditur ad singulos, ut suscipiat universos. Accuratius sese ad domesticos extendit, quorum compassione et cum scandalizatis uritur, et cum infirmantibus infirmatur. Hæc est, Pater, quæ affectum movet et monet, ut pro fratre nostro Huberto capellano vestro (48) justæ apud vos excusationis petitorium offeramus. Infirmitatis suæ causa venit ad nos, ut sibi consulens, eos consuleret qui venalibus aphorismis seducunt ægros, et in vase vitreo coloris et substantiæ peccata discernunt. Excusabilis est levitas, quam iniquitas non induxit. Suscipiat, obsecro, vestræ lenitatis intuitus, quem suæ levitatis impetus, et justæ necessitatis impulsus, ad nos venire coegit. Absit ut gratiam vestram sibi sentiat imminutam, quam tanto tempore beneficam habere meruit et benignam. Si quid culpæ fuerit, vel in linguæ lubrico, vel negligentiæ scandalo, donate nobis, ut gaudeamus de venia, qui metuimus de offensa.

138 EPISTOLA XCV.

AD DOMINUM PAPAM.

Rogat ut inobedientiam reprimat canonicorum S. Joannis Suessionensis in parochiis commorantium.

Præter communes Ecclesiæ Dei pressuras, quibus nova monstra diebus nostris Christum iterum crucifigunt, et de patrimonio ipsius animarum tributa in delicias lascivientes effundunt, clamat regularium Pater Augustinus, Regulam auream quam ab apostolis mutuo acceperat, diripi, frangi et pedibus conculcari. Inter hujus corruptionis et insaniæ filios tanquam mortiferæ cohortis duces erigunt capita, et malignandi libertatem sibi miserabiliter usurpant canonici S. Joannis Suessionensis, regularem in se præferentes habitum, et sæcularem obitum inferentes. In patrem armati, mortali vulnere matrem confodiunt, et eum quasi signum ad sagittam exponentes, dum famam suam negligunt, etiam in alios ejusdem professionis consocios crudeliores existunt; per obedientias inobedienter vivunt, nec abbati revocanti respondere, nec corrigenti volunt acquiescere, nec credere corripienti. Hujus nequitiæ suæ velamentum et excusationis opponunt causam auctoritatem episcopi sui, qui,

A contra sacram quam professi sunt disciplinam armat eos et animat, ne abbati suo reverentiam exhibeant, quam ei inter prima suæ conversionis auspicia coram Deo et sanctis ejus reliquiis, tanquam cœlestis reipublicæ jurati milites, **139** promiserunt. Huic morbo sola medicinalis manus vestra remedium afferre potest et conferre, quoniam inter cedros Libani nec unam invenire potest miserabilis abbas, quæ contra quercus Basan ex adverso velit aut valeat violentos impetus sustinere. Auctoritate vestra restitutionem meruerat per dominum Parisiorum episcopum et decanum Sancti Germani (49), sed nec sententiam eorum, imo vestram observare voluit episcopus, nec canonici contradictionis filii mandatis judicium obedire. Insurgat, Pater, vestra

B severitas, imo exerat se veritas contra tantæ insolentiæ bestias contumaces, et eripite pauperem a potente, cui præter sedem apostolicam non est adjutor, ut exemplo istorum discant alii sub obedientia prælatorum disciplinam suscipere pariter et doctrinam.

EPISTOLA XCVI.

AD DOMINUM PAPAM.

Commendat abbatem S. Satyri, cujus vitam et virtutes laudibus extollit.

Movetur usque in tempora nostra cribrum Satanæ, dum exspectat et expetit, ut per contentionis filios frequenter excutiat filios excussorum. At non deficiet fides Petri, qui conversos confirmat fra-

C tres, Thabitam suscitat, Æneam sanat, bases et plantas **140** consolidat eleemosynas postulantis. In hujus spiritu et virtute confidimus sanctitatem vestram, Pater, scire, velle, posse et corripere inquietos, et pusillanimes consolari. Recesserunt a venerando collegio Sancti Satyri exeuntes ab eis, qui non erant ex eis, duo filii nequam, et quibusdam rebus ecclesiæ furtim sublatis manus impias sacrilegio polluentes, ausi sunt, ut audivimus, sancto vestro comparuisse conspectui, et religionem vestram circumvenire attentantes labiis iniquis et lingua dolosa, nec falsitatem vobis intimare timidi, nec tacere veriti veritatem. Utuntur auctore quodam Raimundo excommunicato, et a fratribus ob enormes excessus et seditiones inobedientiæ filias

D ejecto, qui, ut plene agnovimus, sanctam illam Ecclesiam, inter filias Sion apud Deum et homines gloriosam, semper pacis impatiens turbare consuevit, et, ut vulgo dicitur, serpens inter anguillas, milvus inter columbas, verius malitiæ et nequitiæ suæ fermento fraternæ sinceritatis et veritatis azyma, quantum in se est, attaminat et attentat. Vero

(48) Non est novum quod episcopi asciscant sibi canonicos regulares in obsequium ad ministeria ecclesiastica; eoque lubentius id præstitit Henricus Silvanectensis, qui Hugonem canonicum regularem S. Genovefæ sibi capellanum vel clericum elegerat, quo ipse canonicam vitam apud S. Quintinum Belvacensem professus fuerat.

(49) Canonici S Germani Parisiensis, olim Rotundi, nunc Antissiodorensis dicti, ad Regiam Luparam, regebantur per abbates, siquidem abbatiali titulo gaudebat hæc ecclesia, ut legitur in *bulla* Alexandri III, relata a Chopino in lib. *De sacra politica*. At cum sæculari toga donati sunt canonici illi, abbates eorum transierunt in decanos, ut aliis permultis Galliarum Ecclesiis regularibus contigisse ex professo alibi demonstravi.

vobis testimonio, Pater, asserimus personam abbatis religiosam, honestam ac providam esse et fuisse, et per xxxv et amplius annos tam in ecclesia illa quam in ecclesiis sancti Ambrosii (50) et Sancti Evurtii, in quarum altera prius subprior, in altera postmodum abbas, Deo servisse fideliter in oculis hominum et, ut credimus, angelorum. Exturbet et exterreat a conspectu suo sanctæ paternitatis vestræ severitas prædictos iniquitatis filios, ut non apponant nocere homini innocenti, nec prævaleant sub aliquo mendacii sui velamento adversus Ecclesiam illam terribilem, ut castrorum aciem ordinatam, quæ usque ad diem istam præcipuo religionis titulo quasi speculum et exemplar inter consorores suas enituit et divinis obsequiis et regularibus disciplinis.

141 EPISTOLA XCVII.

AD DOMINUM PAPAM.

Commendat monachos Compendienses (51), *rogatque ut eos adversus impugnantes tueatur.*

Sanctissimo domino et Patri summo pontifici, STEPHANUS de Sancta Genovefa, salutem et novam in omnibus obedientiam.

Ad paternæ sollicitudinis vestræ sinum recurrimus, quoties aut nostra necessitas urget, aut fraterna charitas persuadet. Inde est quod ad instantiam abbatis et monachorum Compendiensium imprudentius forsitan et impudentius paternitati vestræ scribere præsumpsi, ut cum merita mea non sufficiant, saltem proficiant aliena. Audivimus quia per operam et industriam domini Silvanectensis episcopi, et abbatis Sancti Germani de Pratis, et de Ursicampo sibi a vobis injunctam, prædictum monasterium in meliorem statum reformari incipiat, et tam apud Deum quam apud homines, sicut ex litteris ipsius episcopi plenius intelleximus, profectum sibi pariter pariat et provectum. Inde est quod ego minima portio gregis vestri, fraternis, ex his quæ audio, congaudens meritis, misericordiæ vestræ preces fundo, ut prædictorum fratrum nuntios et audiatis benevole, et benefice remittatis. Si quis autem contra ipsos sanctitatem vestram movere tentaverit aut monere, ea quæ contra libertatem Ecclesiæ et monasticam disciplinam ex adversa parte **142** proposita fuerint, vestra, si A placet, sicut semper consuevistis, serenitas non admittat.

EPISTOLA XCVIII.

AD GODEFRIDUM ABBATEM SANCTI SATYRI.

Rogat ut benigne suscipiat quemdam canonicum S. Genovefæ, qui apud S. Satyrum degere cupiebat.

Juvanda sunt desideria, quibus et egressum devotio, et discretio dat progressum : eorum nec obstandum principiis, nec detrahendum mediis, nec ultimis invidendum. Hæc attendentes in charissimo fratre concanonico nostro Joanne bonæ indolis et fructuosæ, ut credimus, in posterum spei juvene, commendabilem ipsius voluntatem commorandi apud vos, et exemplo vestro disciplinis regularibus B in melius conformandi, **143** grato assensu suscepimus, et ad tempus eum vestræ mittimus et committimus sanctitati. Preces pro ipso porrigimus, ut eum benevole simul et benefice cum fratribus vestris commorantem paterna sollicitudine conservetis. Si opportunitas interim vobis occurrerit ad ecclesiam Sanctæ Genovefæ virginis ad diaconem ordinandum, archiepiscopo vestro, vel alii catholico episcopo poteritis præsentare. Processu temporis, cum ætas ipsius exegerit, Deo volente, per Ecclesiam vestram in gradum superiorem poterit promoveri.

EPISTOLA XCIX.

AD MAGISTRUM CAMERACENSEM ARCHIDIACONUM.

C *Monet se iter arripuisse ut conveniat dominum suum.*

In auditu auris obediens domino meo hac die Sabbati summo mane Parisius veni ; cumque adhuc sufficeret dies militiæ, quia tantum non sufficiebat diei malitia nostra, fatigato corpore substiti, nocturnas vigilias somno recipiens et reficiens, ne deficerem in via, minimum proficiens in plurimum proficiscens. Sequar tamen ne non obsequar domino meo, et apud Spinogilum (52) modicum somni capiens, cras, Domino volente, circa horam tertiam domino meo comparebo. Renuntiate mihi per præsentium latorem ubi vos veniens inveniam, venialem moram meam sub virga domini mei purgaturus.

(50) Abbatia S. Ambrosii Bituricensis antiquæ fundationis et canonici ordinis, restaurata fuit a Gaufrido Vicecomite Bituricensi anno 1012. Canonici autem regulares S. Victoris Parisiensis in eam postmodum inducti fuerunt.

(51) Instauratum fuit celebre monasterium S. Mariæ, SS. Cornelii et Cypriani in urbe Compendiensi a Carolo Calvo imperatore, ut notatur in ipsius *Capitularibus*, tit. 43, n. 2 : « Monasterium, inquit, a nobis Compendium in honore S. Mariæ constructum a filio nostro et fidelibus nostris eo tenore quo cœpimus, honoretur. » At, cum canonici in eo residentes ita a recto religionis tramite deviassent, ut Suggerius ad Eugenium papam rescribens dicat hanc ecclesiam esse de nobilioribus Galliæ, nisi infamis enormitas canonicorum obstitisset. Idem Summus pontifex his commotus, præ- D fato mandavit Suggerio S. Dionysii abbate, ut ecclesias S. Genovefæ Parisiensis et S. Cornelii Compendiensis in meliorem statum reformaret. Qui quidem ut apostolicis apicibus pareret, sicut in illam canonicos Victorinos induxerat anno 1148, sic in istam monachos suos Sandionysianos invexit anno 1150; nec tamen diu apud eos viguit reparata hujusmodi monastica observantia, siquidem post triginta circiter annos debuit adhuc restaurari per episcopum Silvanectensem et abbates Sancti Germani Pratensis, et Ursicampi, ut discimus ex hac epistola.

(52) Spinogilum vel Spinolium, vulgo *Epinay*, est villa diœcesis Parisiensis non longe a Corbolio, dominio spirituali et temporali ecclesiæ S. Genovefæ subjecta.

144 EPISTOLA C.

AD MANASSEM AURELIAN. EPISC.

Hortatur ut quoddam debitum solvere non retardet.

MANASSE Dei gratia Aurelianensi episcopo (53), STEPHANUS de S. Genovefa, salutem et fidele obsequium.

Ad petitionem vestram, quam per dominum Odonem clericum vestrum significastis mihi, et cum essem apud vos ore proprio expressistis, inducias vobis, in causa magistri Benedicti sanctæ Romanæ Ecclesiæ acolythi concessimus, sperantes de vobis meliora et viciniora paci. In hujus spei confidentiam venit ad vos prædictus B., cui si satisfeceritis in debito suo, et consuletis famæ vestræ, et verecundiæ parcetis. Verbo enim episcopali credulus, sicut sermonem vestrum sacramentum existimat, sic et ipsius sermonis contrarium eventum sacrilegium reputat. Satisfacite ei, Pater, vel in totum, vel saltem in partem debiti, ne compellar, ad mandatum domini papæ, in sententiam vobis molestam procedere, quoniam mandatis apostolicis nolle acquiescere peccatum ariolandi est, et scelus idololatriæ nolle obedire. Invitus offendam senectutem vestram, sed a domino papa puniri timeo inobedientiam meam. Si enim ad aures domini papæ pervenerit, vel vos non solvisse, vel me mihi fecisse, offensus et indignans supremam manum apponet, et sic utrumque nostrum, quod vereor, percutiet, ut pœna vestra meam negligentiam non excuset.

145 EPISTOLA CI.

PHILIPPI REGIS FRANCORUM AD SUMMUM PONTIFICEM.

Rogat ut omnem fidem adhibeat Stephano, quem Romam mittit ad negotia, quæ ipsi tractanda mandavit.

Reverendissimo Patri ac domino, Dei gratia summo pontifici, PHILIPPUS eadem gratia Francorum rex, debitam cum summa devotione reverentiam.

Fidelis semper Ecclesiæ Romanæ devotio regni nostri, et facilem supplicandi coram vobis aditum,
A et felicem a vobis reditum promeretur. Concurrant et respondeant priscis diebus hodierna tempora, Pater, ut regnum sacerdotio, nec sacerdotium desit regno. Impugnant adolescentiam nostram (54), et auspicia regni nostri perturbare contendunt potentes, et qui multiplici ex causa fidem nobis debuerant, infideles adversarii, quorum improbitate compellimur et consilia nova quærere, et auxilia corrogare. Assistit nobis super omnes amicos et fideles nostros charissimus avunculus noster Willelmus (55), Remensis archiepiscopus, in consiliis nostris oculus vigilans, in negotiis dextera manus. Cum vel ad tempus recedere a nobis, succedere est hostibus nostris, qui, sicut absque armis, ita et absque amicis nos esse votis infidelibus irreverenter et expetunt et
B exspectant. Vocastis eum, Pater, sicut audivimus, et ut præsentiam suam vobis exhibeat, sacris **146** vestris apicibus invitastis. Paratus erat parere, et comparere vobis, peccato ariolandi simulacrum inobedientiæ comparans, et voluntatem non acquiescendi vobis tanquam scelus idololatriæ detestans : in articulo summæ necessitatis nostræ, confidentes de præcipua dilectione vestra retinuimus eum, clavum in oculis hostium nostrorum, et in lateribus eorum lanceam, sine ipso fieri nihil æstimantes, sive de pace, sive de bello cum hostibus sit agendum. Suscipite Pater, preces, nostras, preces filii vestri, quem a cunabulis semper dilexistis, ut qui ante nativitatem nostram nostrum benevole
C desiderastis ortum (56), auctoritate vestra benefice comprimatis nostrum desiderantes occasum. Gratum sit vobis, Pater, quod in tanto discrimine regni, tantum amicum nostrum retinemus, cujus præsentia nobis est pernecessaria, et absentia perdamnosa. Et quoniam magnum et cordi nostro profunde insitum est negotium, mittimus ad vos prædilectum et familiarem nostrum Stephanum, abbatem (57) S. Genovefæ discretum et fidelem regno, quem loco nostro benigne suscipite, et ei tanquam nobis, in his quæ ex parte nostra vobis dixerit, indubitanter fidem habete.

(53) Manasses de Garlanda nepos Stephani de Garlanda, quondam Aurelianensis decani, de quo sæpius S. Bernardus agit in epist. Ex nobili Garlandorum Gornaci ad Matronam prosapia oriundus episcopus Aurelianensis renuntiatur anno 1146, erga canonicos regulares S. Evurtii benevolus et beneficus, ita ut inter eos tandem in medio capituli voluerit sepeliri.

(54) Philippus scilicet Flandrensium comes, cum quo bella movit ad Viromandiæ comitatum recuperandum, quem Belga usurpaverat. De hoc bello hæc habet Rigordus : « Anno igitur quinto regni Philippi Augusti, ætatis ipsius anno vicesimo, egressus est cum exercitu ad omnem terram illam, et operuerunt faciem terræ sicut locustæ. Videns autem comes Flandriæ exercitum regis magnum et fortem, valde contritus est spiritus ejus, et liquefactum est cor populi sui fugæ præsidium quærentes, etc. »

(55) Guillelmus scilicet a Campania archiepiscopus Remensis, cardinalis legatus, filius Theobaldi
D veteris Campaniæ comitis, qui filiam suam Adelam dederat in uxorem regi Ludovico VII, ex qua suscepit Philippum Augustum, cujus ergo avunculus fuit Guillelmus, de quo supra egimus.

(56) Cum Ludovicus VII duas habuisset uxores, quæ nullam sexus masculini prolem ediderant, tertiamque duxisset Adelam, quæ jam quatuor annis absque liberis permanserat, ac sterilis videbatur : « Rex, » ut ait Rigordus, « cum uxore sua Adela, et universo clero et omni populo totius regni ad orationes conversus et eleemosynas, filium a Deo petiit, non de meritis suis jactans, sed sola Dei misericordia confidens. Exauditæ sunt preces eorum in conspectu Domini, et datus est ei a Deo filius nomine Philippus, qui idcirco Adeodatus dictus est. »

(57) Ex hac epistola licet colligere quanto fuerit in pretio apud reges, principes et magnates Stephanus noster, tunc abbas S. Genovefæ.

147 EPISTOLA CII.

STEPHANI AD CARDINALEM OCTAVIANUM (58).

Narrat quomodo se purgaverint Apuli contra Romanos scholares.

Lingua tertia conturbat fratres, et amicam simplicitatis concordiam scandalo dissensionis involvit. Id accidisse credimus inter quosdam scholares Romanos cives, N. domini papæ et G. domini Jachinti nepotes, cum quibusdam aliis, et quosdam Apulos, scilicet B. nepotem bonæ memoriæ domini papæ G., et alterum quemdam B., et Joannem quemdam Neapolitanum, occasione quarumdam litterarum; quas, ut dicebatur, prædicti Apuli in detractionem et infamiam prædictorum nobilium Romanorum præsumpserant ad curiam transmisisse. Convenerunt utrinque de beneplacito suo coram nobis et in præsentia nostra prædicti Apuli, qui famosas litteras ferebantur scripsisse, sese frequenter et ferventer excusantes, tactis sacrosanctis Evangeliis, juraverunt neque litteras illas, neque alias contra eos, quos supra diximus, se nunquam scripsisse, neque, ut scriberentur, consensum aut consilium præbuisse, aut aliquam scientiam inde habuisse. Hac voluntate utrorumque vobis scripsimus, **148** ut illorum apud vos purgetur innocentia, et istorum apud eos indignatio remittatur.

EPISTOLA CIII.

AD ALBERTUM CARDINALEM, S. C. R. CANCELLARIUM (59).

Refert qua ratione pacificarit quosdam inter se rixantes.

In hac exsecutione mandati vestri, Pater, ea qua potuimus diligentia procedentes, convocatis ante nos nepotibus vestris B. et E., intelleximus eam materiam jurgiorum magis excitatam animositate quam malitia, minus odio quam animi levitate. Auditis conquestionibus utriusque brevis horæ momento, leni pariter et levi suffragio, et labore nostro conquievit omnis illa dissensionis causa, et ad primos correptionis et correctionis nostræ monitus docilis amborum juventus acquievit; interposito coram nobis fraterno osculo, quod intelleximus fidelissimum signum pacis. Quod autem per litteras vestras nobis significastis, ut de moribus et actibus eorum vos plenius instruamus, indulgeat nobis sancta paternitas vestra, quoniam intentionem quantulam possumus impendentes ecclesiis nobis commissis, nec volumus nec debemus aliorum esse censores, morum vel actuum scrutatores: ipsi enim a nobis separati, in civitate vacant doctrinis scholaribus, A nos extra civitatem claustralibus disciplinis. Salutant vos omnes fratres communi desiderio, de vobis sperantes prospera, timentes adversa. Valete ut volumus.

149 EPISTOLA CIV.

AD RAIMUNDUM PRIOREM.

De suæ valetudinis statu eum certiorem reddit.

Raimundo priori STEPHANUS de Sancta Genovefa abbas, salutem quam desiderat.

Post iter arreptum (60) sexta feria febrilem tota nocte passus accessionem, summo mane Trecas veni. Salutato domino archiepiscopo, ea die Dominica in domo Joannis nostri quievi. Interim per Dei gratiam accessio non accessit (61). Reliquiæ tantum caloris et sitis molestant me sperantem in B proximo meliora, et viciniora saluti. Secunda feria mane dominus archiepiscopus Divionem, ego abbatiam Ripatorium adii (62), Clarevallem vado (63), morulam aliquam ibi facturus, et per Dei misericordiam et orationes sanctorum plenam recepturus salutem. Salutate omnes fratres nostros, et in universis singulos, et in singulis universos.

150 EPISTOLA CV.

AD REMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Rogat pro magistro Hugone ut beneficium valeat obtinere.

Quantum vobis debeam, Pater, et memoria mea testis est, et conscientia judex. Usque in secreta consiliorum vestrorum suscepistis me gratis, et paternam sollicitudinem sano mihi exhibuistis et in- C firmo. Credunt aliqui me in oculis vestris complacere, et preces meas sibi apud vos prodesse, pro voluntate sua metiuntur, nec mihi metiuntur. Unus eorum est magister Hugo de Novaria, non novus amicus et clericus vester, pro cujus clerico preces vestras domino G. archidiacono verbo pariter porrexistis et scripto. Et quoniam nihil vos incœpisse memini, quod imperfectum reliquerit manus vestra, rogo ego minima portio clericorum vestrorum, ut quia preces vestræ nondum obtinuerunt effectum, pondus addatis precibus vestris, ut tam fidelis et honestus amicus vester per vos consequatur desiderium, et clericus Ecclesiam obtineat, quam de liberalitate vestra se obtenturum exspectat.

EPISTOLA CVI.

D AD DOMINUM ALBINUM PRESBYTERUM CARDINALEM (64).

Mittit ipsi superpelliceum novum et talare.

Pauca vobiscum, Pater, verba contuli, sed multum retuli fructum, humilitatem didici, combibi

(58) Inscriptionem hanc suppeditat codex ms. bibl. Reg. n. 2923.

(59) Ex eodem ms.

(60) Ad proficiscendum Romam, quo a rege delegatus erat, ut ex superiori 101 epistola patet.

(61) Id est febris accessus, Gallice, *accès de fièvre.*

(62) Ripatorium monasterium, vulgo *La Rivour*, ordinis Cisterciensis filia Claræ vallis in diœcesi Trecensi. Fundatum est, rogante divo Bernardo, ab Hattone ejusdem urbis episcopo anno 1140: huic primum præfuit Alanus, qui postea episcopus Autissiodorensis electus fuit.

(63) Abbatia Clarevallensis divi Bernardi vita, morte et cineribus toto orbe celebris est.

(64) Albinus Mediolanensis canonicus regularis monasterii Sanctæ Mariæ de Crescentiaco, primum diaconus cardinalis Sanctæ Mariæ Novæ, deinde presbyter cardinalis a Lucio III creatus, demum episcopus Albanus a Clemente III effectus, librum edidit, cui titulus *Collectio canonum.* Ad eum autem scripsit acta concilii Remensis Gaufridus Clarevallensis monachus. Vita functus est anno circiter 1198.

mansuetudinem; gravitatis si non meminero, levitatem **151** incurri; verum mihi prætendebant Augustini discipulum et exclusa cupiditas et frugalitas inclusa; regularem habitum per gratiam Dei sic præfertis exterius, ut interius conservetis. Hujus habitus indicium principale vobis mitto, superpelliceum novum, candidum et talare (65), quod repræsentet vobis vitæ novitatem, munditiæ candorem, perseverantiæ finem. Suscipite, Pater, munusculum filii, minus æstimantes panni pretium quam vel mittentis animum, vel muneris sacramentum. Et quoniam in festo beatæ virginis Genovefæ mysticam superpellicii confectionem fratribus nostris moraliter exposui (66), cum materiali superpelliceo mitto vobis etiam morale, ut ex sermone sit acceptum munus, et sermo ex munere sit acceptus.

152 EPISTOLA CVII.

PHILIPPI FRANCORUM REGIS AD LUCIUM III PAPAM.

Rogat ut tueatur causam archiepiscopi Turonensis adversus episcopum Dolensem, qui titulum archiepiscopatus sibi vindicabat.

Sanctissimo domino et Patri LUCIO summo pontifici, PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex, salutem et cum omni devotione debitam reverentiam.

Si oblivisci potuerit mater filiorum uteri sui, et Ecclesia Romana regni Francorum oblivionem assumet, cum utrumque de jure sit impossibile, de natura difficile, de facto enorme. Quid enim ultra facere debuimus matri nostræ, et non fecimus ei? usque in hodiernos dies in partibus nostris cum gaudente gavisi sumus, cum flente flevimus, utrumque calicem passionis et lætitiæ, sine simultatis dolo, aut discordiæ, combibentes, persecutiones ipsius (67), quæ frequentius acciderunt, Patres nostri reges Francorum et robustis portabant humeris, et extentis brachiis defendebant. Exempla proponere, retractare est beneficia, quorum debetis in quem collata sunt, non qui contulit, meminisse. Et A quoniam hæc omnia melius nostis, Pater, et tam persecutionis alienæ, quam vestræ in sanctæ memoriæ Patre nostro Alexandro consolationis particeps fuistis, securiori confidentia vobis exponimus ea quæ **153** ad coronæ nostræ gloriam, vel ejus ignominiam et jacturam respiciunt, ut de plenitudine consilii et auxilii vestri solatium reportemus. Turonensem Ecclesiam nostram semper ac Patrum nostrorum fuisse, et præsentium memoria tenet, et priscorum annalia profitentur. Totius Britanniæ minoris metropolitanus hactenus exstitit, qui Turonensi præfuit Ecclesiæ, et in ipso partes extremæ regni nostri usque ad Oceanum requiescunt. Ecce, Pater, diebus adolescentiæ nostræ nos impugnant (68) non solum qui armatam militiam exercent, sed et qui in sorte Domini vocantur, clerici B Dolenses (69), forte non sine dolo dolorem nobis inferre conantur, in tenero capite nostro coronam antiquam confringere molientes. Charissimum ac fidelem nostrum Turonensem archiepiscopum suggestione quorumdam et favore, ut dicitur, cujusdam, infra brevissimi temporis angustias vocastis, ut de causa, quæ magis nostra est, quam sua respondeat, et statum coronæ in ancipiti statera ponat, periculosum sane et ignominiosum nobis et posteris qui succedent. Proinde sanctitati vestræ preces ex toto corde prodeuntes fundimus, ut intuitu Dei et pacis regni Francorum, quæ in hoc articulo, si processerit, peritura est, a causa ista penitus desistatis. Sed, sicut temporibus antecesso- C rum nostrorum Turonensis Ecclesia metropolitanum suum in tota minori Britannia obtinuit, ita diebus nostris, quos perturbare nec debetis nec vultis, obtineat et observet. Quod si forte, quod non credimus, inexorabilem vos invenerimus, usque ad congruum tempus quo Dominus pacem et quietem regno nostro dare voluerit, archiepiscopo nostro Turonensi dilationes indulgeat benignitas vestra, quoniam propter necessarias regno nostro

(65) Superpelliceum dicitur vestis illa linea quam superinduunt canonici. Hanc autem sortita est nomenclationem, quod antiqui canonici eam ferrent super togam ex agnorum pellibus confectam, qua hieme frigus arcerent, dum divinis in ecclesia vacabant. Superpelliceum autem illud usque ad talos descendebat, et simile erat albæ qua utuntur sacerdotes cum sacrum missæ sacrificium celebrant; unde fuit prohibitum in synodo Suessionensi sub Riculpho congregata anno 889, « ne alba illa utantur sacerdotes in sacris mysteriis, qua in quotidiano et exteriori usu. » Et in concilio Constantiensi, « ut clerici utantur superpelliceo ultra medias tibias longo. » Ejuscemodi oculis nostris conspeximus apud antiquos S. Dionysii Remensis canonicos regulares.

(66) Sermo ille habetur ultimus inter sermones Stephani nostri. Habet autem pro themate hæc verba Sapientiæ XXXI: *Quæsivit lanam et linum, et operata est digito manuum suarum.* Inducit autem S. Genovefam virginem quærentem linum munditiæ a beata vigine Maria, quo superpelliceum novis suis canonicis regularibus contexeret, et lanam pœnitentiæ a beata Magdalena, qua cappas eisdem conficeret.

(67) *Semper summi* pontifices oppressi vel ejecti, *apud reges Galliæ confugerunt.* Stephanus II ab Aistulpho Longobardorum rege divexatus, a Pippino exceptus est, ac in sede sua omnibusque dominiis restitutus. Idem præstitit Carolus Magnus in gratiam Leonis III a Romanis quibusdam seditiosis lacessiti, unde titulum Ecclesiæ defensoris promeruit. Ludovicus Pius suscepit ac tutatus est Stephanum IV in Galliam persecutionis causa fu- D gientem. Carolus Calvus benigne fovit Joannem VIII præsidium apud se quærentem. Ludovicus Crassus omnibus modis adjuvit Gelasium ab Honorio IV imperatore oppressum, protexitque Innocentium II contra Anacletum sedis pontificiæ invasorem. Ludovicus denique junior Alexandrum III in has plagas adventantem et profugum admisit, causamque ejus contra Octavianum antipapam, et Fredericum imperatorem viriliter defendit. Quod beneficium Lucio pontifici exponit Philippus rex in hac epistola, cum dicit: « Et quoniam hæc omnia melius nosti, Pater, et tam persecutionis alienæ, quam vestræ in S. memoriæ Patre nostro (scilicet Alexandro), consolationis particeps fuisti. »

(68) Philippus scilicet Flandrensium comes, de quo supra.

(69) De controversia archiepiscopi Turonensis et episcopi Dolensis, qui archiepiscopalem dignitatem ambiebat, vide quæ diximus ad epistolam 39.

causas eum retinuimus: Primo, propter difficillimam quam cum comite Flandriæ guerram habemus; secundo, propter motus plusquam civiles qui in provincia Britanniæ **154** insurgunt inter principes ejusdem provinciæ et regis Anglorum filios; tertio, propter proximum colloquii terminum, quod cum imperatore post Pascha, Deo volente, sumus habituri. In quibus omnibus ipsius archiepiscopi industria, præsentia, consilio et auxilio indigemus. Sciat autem paternitas vestra, quoniam in generali conventu (70) nostro, quem in initio Quadragesimæ propter hanc causam et alias regni necessitates Parisius convocavimus, consilio archiepiscoporum, et episcoporum, ac baronum nostrorum prædictum archiepiscopum ab incœpto itinere retinuimus, utpote necessarium nobis et utilem rebus incœptis, et per Dei gratiam ad honorem regni nostri peragendis. Fideles nostros præsentium latores abbatem de Sarcocello (71), et magistrum P. familiarem et clericum Parisiensem vestrum ac nostrum vobis transmisimus, ut in his, quæ ex parte nostra vobis dixerint, fidem eis habeatis, et per eosdem voluntatem vestram nobis, si placuerit, remandetis.

155 EPISTOLA CVIII.

AD EUMDEM SUB PERSONA PHILIPPI REGIS.

Eamdem Turonensis archiepiscopi causam commendat.

Clausa nobis et regno Francorum, quod hactenus Ecclesiæ Romanum fidelissimum exstitit, paterna viscera vestra, saltem in dilatione quam pro Ecclesia Turonensi postulavimus, sentientes, et inexorabilem animum vestrum non sine confusione nostra nunc experti, cœlum et terram in testimonium vocamus, ut si quando regias aures nostras vobis aut fratribus vestris clauserimus, excusabiles valeamus apud Deum et homines apparere. Sustinuimus pacem vestram, et ecce turbatio, et in læsione Turonensis Ecclesiæ, quæ tempore Patrum nostrorum integram metropolitani jurisdictionem in tota minori Britannia obtinuit, regnum nostrum turpiter imminuere ac mutilare contendit Eclesia Romana, coronam de **156** capite nostro dejicere, frangere et pedibus conculcare. Quid enim aliud est archiepiscopum in eadem provincia contra metropolitanum suum et integritatem regni nostri erigere velle, quam ab hæreditate Patrum nostrorum nos tanquam imbecilles et resistere non valentes ejicere et fugare? Videat Dominus et judicet quod si processerit factum istud, minus amodo vos æstimabimus Patrem quam Vitricum, minus sentietis nos filium quam privignum. Usque ad animam nostram pertinget gladius iste, ut exhæredati clamemus, plangamus nudati, contempti et abjecti a vobis ul- A tionem quandoque Dei et hominum exspectemus. Neque enim solummodo vulnerabit nos plaga ista, sed et omnes totius regni barones in compassionem accendet, ut de manu vestra requirat Dominus aliquando sanguinem, qui propterea fundi potest, et inter regnum, et majores regni principes materiam secessionis et guerram perpetuam, quæ accidere poterit, eis imputet qui merentur. Ex præteritorum enim exemplis colligimus materiam futurorum, et sicut antiquis temporibus occasione dissensionis hujus multorum sanguis effusus est, ita et diebus nostris, nisi per industriam vestram venienti morbo citius occurratur, clades communis, et generalis strages inter Francos et Britones poterit suscitari. Melius est autem in tempore occurrere, B quam post exitum vindicari.

157 EPISTOLA CIX.

AD DOMINUM OCTAVIANUM EX PERSONA PHILIPPI REGIS.

Conqueritur de curia Romana sibi minus benevola.

Inviti compellimur hodie cœlum et terram invocare, et commovere in testimonium nostrum, quoniam irreverenter impugnant adolescentiam nostram. Hinc ecclesiastici Patres, inde principes sæculares Ecclesiam Romanam, quod nequaquam speravimus, adversariam nobis sentimus, et usque ad animam descendit gladius iste, cum in regiæ coronæ nostræ confractionem manus extendant, qui eam saltem Petri gladio defendere debuissent. Contra Turonen- C sem Ecclesiam, quæ nostra est, erigere conatur apostolica sedes in Britannia minore Dolensem archiepiscopum, et integritatem regni nostri, quæ temporibus Patrum nostrorum illæsa perstitit, lædere, minuere, detruncare. Hæc sunt beneficia meritorum regni nostri. Hæ retributiones et gratiarum actiones devotionis et fidei, quam Ecclesiæ Romanæ Patres nostri semper exhibuerunt in omni persecutione vestra parati, pro Ecclesia Dei et imperare fideliter suis, et resistere viriliter alienis. Perpetuæ dissensionis et guerræ materiam suscitare contenditis inter nos et regni nostri principes occidentales, et ut, abjecta reverentia quam Ecclesiæ Romanæ hactenus exhibuimus, faciε vobis respondeamus adversa; suscitatis odiorum incendia, quæ, D si excreverint in flammam, inexstinguibiliter pervenient in favillam. Exhæredati, spoliati, nudati per Ecclesiam Romanam, quantum in vobis est, aut periculose pugnare **158** compellimur, aut turpiter exsulare. Opponat se tantis malis auctoritas vestra, nec recidiva permittat exempla renasci, quibus multus sanguis innoxius effusus est, et iterum effundi poterit, si favore cujusdam, ut dicitur, qui non sine dolo Dolensis electus est, regni nostri partes nobis occiduas auferatis.

(70) De hoc conventu loquitur Rigordus sub annum 1184, his verbis: « Christianissimus rex Francorum Philippus convocavit omnes archiepiscopos, abbates, comites et omnes barones, qui ad domandam feritatem illius, Flandriæ comitis, et superbiam frangendam unanimiter convenerant. »

(71) Sacrocellum vel Sacra cella, Gallice *Cercanceau*, est abbatia ordinis Cisterciensis diœcesis Senonensis, fundata ab ipso Philippo Augusto anno 1181.

EPISTOLA CX.

AD MAGISTRUM MELIOREM CARDINALEM (72) EX PERSONA DOMINI REMENSIS.

Commendat idem negotium archiepiscopi Turonensis.

Quæ ad utilitatem et pacem sanctæ Romanæ Ecclesiæ spectant, oculo vigilanti tenemur attendere, et primos discordiæ motus tanquam parvulos ad petram allidentes comprimere et necare. Occasione Turonensis et Dolensis discordiæ tantus in animum domini regis et principum ejus amaritudinis rancor descendit, ut coram archiepiscopis, episcopis et baronibus regni ab Ecclesia Romana se conqueratur exhæredari, et dignitatem Ecclesiæ Turonensis, quæ sua est, aliter quam temporibus Patrum suorum fuerit, imminui, et turpiter mutilari. Ingratam sibi et Patribus suis clamat Ecclesiam Romanam, et oblitam beneficiorum, quæ persecutionis et pacis temporibus a Francorum regibus hactenus percepit, pro matre perhibet se recepisse novercam. Inde est quod dilectionem tuam, de qua non immerito specialiter confidimus, monemus, rogamus et consulimus, ut quacunque arte potueris, factum istud impedias, nec propter favorem personæ illius, quæ tibi natione conjuncta est, pacem **159** et concordiam, quæ inter Romanam Ecclesiam et regnum Francorum hactenus inviolabilis exstitit, turbari permittas. Credimus enim, quia si dominus papa contra Turonensem Ecclesiam processerit in facto isto, dominus rex et omnes barones ejus indignatione, ira et odio plusquam credi potest animati et armati, abjecta paulisper reverentia quam Ecclesiæ Romanæ debent, nova et periculosa consilia tractare cogentur, et non poterit leviter exstingui, quod præcipitanter potuit incitari. Melius est autem in tempore occurrere, quam post exitum vindicari.

A

EPISTOLA CXI.

AD LONDENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Mittit ei ampullam theriacæ.

Verecundiam meam tetigit littera vestra, Pater, et castigato rubore frontem perfudit, commemorans pro negotiis vestris apud dominum papam me fuisse sollicitum, et in consiliis nuntii vestri magistri Thobiæ minus desidem quam devotum. Non modicus est obsequiorum fructus, eos quibus impensa sunt maxime potentes et nobiles vel in modico **160-161** meminisse. Placet mihi servitium meum complacuisse vobis, et in vestra gratiarum actione totus accingor, et accendor ad majora, si vel opportunitatem occasio non deserat, vel opportunitas occasioni concurrat. Petrum vestrum pariter ac

B nostrum (73) commendabili morum nobilitate inter juvenes præcipuum, sicut mandastis, quantum nobis Dominus permittit, et commonemus Patrum verbis, et promovemus fratrum exemplis. Sacræ paginæ studens (74) scholas veritatis in auditorio, scholas virtutis frequentat in claustro : cum neque hic sine veritate virtutem, neque ibi sine virtute combibat veritatem. Duo sugens ubera cito poterit impinguari, ut tanquam saginatus vitulus, vel fortis aries, sive filius arietum de grege Domini ad altare ipsius et ipse immolari possit, et quando vobis placuerit pro aliis immolare (75). Consideranti mihi quid vobis domino meo possem mittere, nihil occurrit quo non abundetis et vos, et ideo in-

C ter divitias et delicias occidentales, orientale munusculum mitto vobis ampullam tyriaca (76) probatissima plenam, ab archiepiscopo Mamertino (77), Antiocheni patriarchæ (78) suffraganeo (79), concanonico et amico nostro, mihi datam. Humile satis, sed utile xenium, magnis et potentibus viris acceptum : quorum et vitæ status fructuosus est in sæculo, et exitus a sæculo luctuosus. Si quid aliud

(72) Melior fuit Gallus natione doctor, et forte archidiaconus Laudunensis, ut videre est in superius. Creatus est cardinalis SS. Joannis et Pauli à Lucio III, anno 1185. De ejus legatione in Galliam sic loquitur Rigordus : « Pontifex Cœlestinus ad conquestionem Danorum misit legatos suos in Franciam, Meliorem scilicet presbyterum cardinalem, et Censium subdiaconum ; qui Parisios venientes, concilium convocaverunt omnium archiepiscoporum, episcoporum, nec non abbatum totius regni, in quo tractaverunt de reformando matrimonio inter Philippum regem et uxorem ejus Ingelburgem. »

(73) Consule quæ diximus ad epistolam 79 et 80.

(74) Scientia illa omnium facile princeps, quam theologiam nuncupamus, aliis olim etiam nominibus appellabatur, illiusque doctores modo vocabantur magistri in divinitate, modo in sacra pagina. Theologiæ etiam nomen non erat inter eos peregrinum : ait enim Abælardus, epist. I : « Accidit ut quemdam theologiæ tractatum de unitate et trinitate divina scholaribus nostris componerent. » Et Rigordus utriusque meminit : « Sacram paginam et quæstiones theologicas docebant. »

(75) Id est sacrum missæ sacrificium peragere.

(76) Tyriaca vel Teriaca medicamentum quoddam præstantissimum, singulare contra venena remedium, confectum ex carne viperina et aliis, unde Hieronymus, lib. II, contra Jovinianum, ait : « Carnes viperæ, unde teriaca conficitur, quantis rebus aptæ sint, norunt medici. » Sic autem nominatur ἀπὸ τῶν θηρίων, hoc est a bestiis feris, ut sunt venenatæ, sive quod illarum carnes admittat hæc compositio, sive quod earum venenis adversetur,

D ut placet Plinio, qui etiam quoddam vitis genus in Thessilo nascens theriacem appellat, quod venena propulset.

(77) Messana, vulgo *Messine*, est clarissima Siciliæ civitas, cujus cives Mamertini dicti sunt a Mamertinis quibusdam barbaris, qui tempore regis Agathoclis eam invaserunt. Sic cives Romani Quirites appellabantur.

(78) Erat tunc temporis Rudolphus II, patriarcha Antiochenus, ut videre est in Genebrardi *Chronologia*.

(79) Episcopus suffraganeus duplicis est generis : alter qui sub archiepiscopo constituitur, ut episcopus Meldensis dicitur suffraganeus archiepiscopi Parisiensis ; alter vero qui vices obit alicujus pontificis. Sic episcopi principes imperii, qui non sunt in sacris, suffraganeos assumunt episcopos, ut eorum munia exerceant. Talem fuisse Mamertinum episcopum, de quo hic sermo, respectu patriarchæ Antiocheni, suspicamur.

placuerit vobis, quod in Francia, quæ monstris caret (80), inveniri possit, parati sumus sine dissimulatione quærere, sine dilatione transferre.

162 EPISTOLA CXII.

AD RAIMUNDUM PRIOREM S. GENOVEFÆ.

Rogat ut se apud coabbates excuset, quod capitulo adesse non possit.

Casus fortuiti qui prævideri non possunt humano judicio, cum ex insidiis fortunæ pendeant, eorum præscientiam soli sibi Dominus reservavit. Calore febrium laborans Marisiaci decumbo (81), timens ne, si duriorem evectionem ascendam, vehiculi motus accedens, incommodum periculi vehementius accendat. Oblatos cibos fastidio, eorum oblationes nec appeto nec affecto. Continua tamen nondum immoderata, calor et sitis, somnus inquietus, urina intensior, dolor capitis et membrorum, et alia quædam febrilia symptomata, quæ propriis appellant vocabulis, qui in vase vitreo coloris et substantiæ peccata discernunt. Spero tamen quia, si paucis diebus quieti corporeæ indulgeam, per Dei misericordiam succedent meliora et viciniora saluti. Interim, charissime, in instanti communis capituli (82) conventu vices nostras suppleas, ut audias et intelligas quid loquatur. Dedit enim tibi A Dominus in omnibus his intellectum. Et quoniam absentia mea non ex voluntate, sed ex necessitate procedit, apud dominos et coabbates nostros rogo te habe me excusatum. Saluta ex parte nostra charissimos et prædilectos fratres nostros omnes, qui soli sunt corona mea et gaudium meum in Domino. Vale, et ora ut valeam.

163-164 EPISTOLA CXIII.

AD L. CARDINALEM S. ROMANÆ ECCLESIÆ (83).

Rogat ut dispensatio ad ordines suscipiendos concedatur cuidam judici comitis Flandriæ.

Jucundam vestri memoriam dum recolo, Pater, fructuosam reporto conscientiam, quam in brevi articulo temporis et lætificastis verbo, et ædificastis exemplo. Curram et proficiam in odore virtutum B vestrarum; si autem perficere non invenero, magis imputandum erit negligentiæ meæ quam eruditioni vestræ. Interim pro præsentium latore supplico, qui cum me consuluisset, ad consilium vestrum missus a me, de sacro oraculo vestro sapientiæ simul ac salutis responsum exspectat. Jurisdictionem civilem usque ad rigorem (84), quam imperium mistum quidam appellant, sub potestate comitis Flandrensis, procuratorio nomine diu exercuit (85), ubi ex officio qualitercunque suscepto

(80) Alludit ad id quod scripsit B. Hieronymus in laudem regni Franciæ in epistola adversus Vigilantium: « Sola Gallia monstra non habuit, sed viris semper fortissimis et eloquentissimis abundavit. »

(81) Marisiacum, vulgo *Marisy*, villa est diœcesis Suessionensis, dominio S. Genovefæ addicta, ipsique donata a viro nobilissimo Hermogaldo, cujus anniversarium notatur in ejus *Obituario* VI Kalend. Decembris, his verbis: « Obiit Hermogaldus, vir magnus, qui ad æternam sui memoriam, villa Marisiaco hanc ditavit ecclesiam. » Ibi deposita fuit S. Genovefæ theca, cum imminentem Normannorum stragem declinaret. Hujus autem altare seu parochia canonicis S. Genovefæ donata fuit anno 1085 ab Hilgoto Suessionensi episcopo, quondam ejusdem ecclesiæ S. Genovefæ decano, ut apparet ex ipsius charta hic transcripta: « In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Hilgotus Dei gratia Suessionensis Ecclesiæ episcopus, omnibus sanctæ matris Ecclesiæ fidelibus tam futuris quam præsentibus cognitum fieri volo, quod Servinus Sanctæ Genovefæ decanus cum cæteris fratribus nostram adiit præsentiam, prece supplici orans atque postulans, quatenus prædictæ ecclesiæ fratribus duo altaria in episcopio nostro, unum in villa Marisiaca situm, in honore S. Genovefæ virginis dedicatum; aliud vero beato Vedasto consecratum juxta Firmitatem super Urcam fluvium, sub præsenti testamento in perpetuo concederemus habenda; quorum petitionibus satis volens facere; atque utilitati ecclesiæ B. Genovefæ, cujus alumnus et decanus exstiteram, solis charitatis visceribus prævidens, ea altaria B. Gervasii canonicis quibus pastorali dignitate præeram, et ejusdem ecclesiæ decano, quicunque sit, ea personaliter habenda ex consensu Hugonis præscriptorum altarium archidiaconi, et Gotberti eorumdem archipresbyteri, tali dedi ratione, ut canonici prædictæ S. Genovefæ virginis illa duo altaria ab illis in perpetuum habeant, *etc.* Actum anno Incarnationis Dominicæ 1085, indictione septima, epacta 22, concurrente II, regnante Philippo rege anno XXVI, D. Rainaldo C Remensi archiepiscopo anno I, D. Hilgoto Suessionensi episcopo similiter anno..... »

(82) Singulis annis habebatur capitulum generale omnium superiorum et abbatum, qui congregationi Victorinæ erant ascripti, ut videre est in instrumento hic transcripto: « Universis præsentes litteras inspecturis. Fr. Joannes humilis abbas S. Genovefæ Parisiensis, abbas S. Evurtii Aurelianensis, S. Mariæ Augensis, S. Mariæ Herivallensis, S. Mariæ Juliacensis, S. Martini Ruricurtensis, S. Mariæ de Cagia Meldensis, S. Joannis de Jardo et S. Mariæ de Cantiprato abbates, omnibus præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Notum fieri volumus, quod si contingat, sicut plerumque fieri solet, ut canonicus de aliqua abbatia nostri ordinis absque sui abbatis licentia vel præcepto qualibet de causa egrediatur vel etiam pro peccato suo sicut venerabilis Pater Augustinus dicit in Regula nostra, de nostra societate projiciatur, ne contagione pestifera plurimos perdat, postmodum talis frater misericorditer sit receptus, non potest de jure stallum, neque aliquid aliud postulare, præsertim cum in matre nostra ecclesia, videlicet S. Victoris Parisiensis, de qua omnes ordinem et habitum D sumpsimus, ista sit approbata consuetudo, quod canonicus, sicut dictum est, egressus una sola nocte extra monasterium dormiat, in transgressionis suæ memoriale perpetuum statum pristinum de cætero nunquam obtineat. Actum in capitulo provinciali, anno gratiæ 1224, mense Maio, in Dominica qua cantatur: » *Cantate Domino.*

(83) Per litteram L. designatur sane Laborans S. R. E. cardinalis, presbyter S. Mariæ in Porticu, creatus anno 1179, qui canonum collectionem elaboratissimam scripsit anno 1182, ideoque ad eum tanquam ad jurisperitissimum, hunc presbyterum dimisit.

(84) Hoc est usque ad pœnam corpori infligendam, quam vocat imperium mistum, quod jurisdictionem civilem et capitalem simul compleceteretur.

(85) Id est functus est officio cognitoris et actoris fisci publici ac principis, Gallice *procureur fiscal.*

tenebatur et innocentes absolvere, et noxios condemnare. Neminem tamen, ut ipse confitetur, ad effusionem sanguinis ore proprio condemnavit, sed confessos aut convictos de crimine, communiæ Ambianensi, ad quam judicium sanguinis spectat, secundum quod meruisset reus, judicandos exposuit et plectendos. Inde secuta **165** est capitalis pœna multorum, aliis suspensis, aliis prout exigebat consuetudo taliter damnatorum, aliter interfectis. Nullum tamen odio, sive pecunia, sive aliquo alio contra justitiam affectu supradictæ communiæ judicandum exposuit aut damnandum. Reversus in se renuntiavit his omnibus et condignos fructus pœnitentiæ concipiens in animo, Deo servire in sacerdotali ordine desiderat et affectat. Suscipite desiderium ejus, et salubriter ei consulite, temperato per dispensationem rigore, ne absorbeatur a tristitia, si ei via divini mysterii claudatur, qui sic plangit admissa, ut non admittat plangenda.

EPISTOLA CXIV.

AD DECANUM ET CAPITULUM S. CRUCIS AURELIANENSIS.

Hortatur eos, ut cuidam clerico, in cujus gratiam papa ipsis scripserat, se præstent benevolos.

Paternas Domini papæ preces, monitus, et mandata, tanta debetis hilaritate ac diligentia suscipere, ut obedientia vestra divinam vobis gratiam comparet et humanam. Et quoniam pro Joanne latore **166** præsentium clerico vestro in Ecclesia vestra enutrito et educato summus pontifex monendo, rogando et mandando scripsit vobis; ego quoque sicut clericus et amicus vester, moneo et consulo, ut in petitione prædicti clerici benevolam simul et beneficam manum vestram aperiatis ei, quoniam tanto Patri non parere perire est, non obedire obire. Moveat vos pariter et moneat ejusdem clerici non inhonesta paupertas, non ignota nativitas, non illitterata pubertas. Accedit ad cumulum et stimulum petitionis hujus, quod dominus

A papa domino Remensi archiepiscopo excusationem negotii commisit, parvitatem meam tantæ potestati tanquam Hylam Herculi, et urticam lilio jungens, qui mandatum apostolicum, si desides apparueritis, implebit non minus celeriter quam potenter. Noverit autem prudentia vestra, quoniam acceptius est spontaneum beneficium quam involuntarium, gratuitum quam extortum.

EPISTOLA CXV.

AD FULCONEM MAGISTRUM SCHOLARUM S. CRUCIS AURELIANENSIS (86).

Rogat ut sinat quemdam clericum publice legere in schola Aurelianensi.

Molestum mihi est quoties aliquem molestare compellor, præsertim dominos meos, quibus vel
B ob meritorum gratiam, vel ob reverentiam dignitatis assurgere teneor et servire. Unum ex eis vos æstimo, cujus honorem minus in causis offendere quam defendere sum paratus. Sed quoniam mandata apostolica tanquam muri sunt urbis, quos transilire non licet: eo terrore percussus, ne Romulei fratris (87) sortem simul **167** ac mortem capitis amissione saltem civiliter incurram; sicut primo vos commonueram, ita et secunda commonitione vobis consulo, ut magistrum G. secundum mandatum domini papæ licite legere permittatis. Quod si forte nolueritis, peremptorio velim nolim vobis edicto denuntio, ut prima die lunæ instantis Adventus Dominici Parisius eumdem G. ad tale
C regimen scholarum minus idoneum ostendatis.

168 EPISTOLA CXVI.

AD GUILLELMUM REMENSEM ARCHIEPISCOPUM (88).

Ejus implorat auxilium pro quodam rustico a regiis ministris injuste oppresso.

Angustant me, ne augusto sermone scribam vobis, hinc necessitas mensis Augusti, inde festivitas Patris Augustini. In primores familiaris et domemestica, in secundo cura pastoralis et canonica

(86) Cum per concilia statutum fuerit, ut sacras disciplinas ac etiam profanas juniores edocerentur, sicut legitur in canone 10 concilii Tullensis, anno 859, sub Carolo Calvo: « Constituantur undique scholæ publicæ, ut utriusque eruditionis, divinæ scilicet et humanæ in Ecclesia Dei fructus valeat accrescere. » Legimus autem in *Capitularibus* Theodulphi Aurelianensis episcopi, cap 19: « Si quis ex presbyteris voluerit nepotem suum aut aliquem consanguineum ad scholam mittere in ecclesia S. Crucis, aut in monasterio Sancti Aniani aut Sancti Liphardi, aut in cæteris de his cœnobiis quæ nobis ad regendum concessa sunt, ei licentiam id faciendi concedimus. » Cum ergo fuerint ab antiquis temporibus scholæ publicæ in ecclesia S. Crucis Aurelianensis, debuit etiam esse in illa, sicut in cæteris ecclesiis cathedralibus, magister et præpositus quidam qui eas moderaretur, et penes quem esset totius rei litterariæ regimen. Variam autem sortitus est in variis ecclesiis appellationem. Nam modo scholaris et magister scholarum, modo cancellarius et theologus appellatus est. De his agitur in can. 18 concilii III Lateranensis his verbis: « Ne pauperibus qui parentum opibus juvari non possunt, legendi et proficiendi opportunitas subtrahatur, per unamquamque ecclesiam cathedralem magistro, qui clericos ejusdem ecclesiæ ac scholares gratis doceat, competens aliquod beneficium assignetur, quo docentis necessitas sublevetur, et discentibus via pateat ad doctrinam. » Ad eos autem spectabat cæteris magistris docendi licentiam ac facultatem tribuere, quod etiam nunc cancellarii academiarum ac universitatum præstant. Arguebat
D Alexander III in decretali, quosdam ex iis qui sordido nimis quæstu pecunias ad hujusmodi licentias concedendas magistris exigebant: « Tanto vehementiori, » inquit, « animadversione eos dignos censemus, qui nomen magistri scholarum et dignitatem assumunt, et sine pretio ecclesiasticis viris docendi alios licentiam non impendunt. »

(87) Alludit ad id quod narratur de Remo, qui periit propter transgressionem et contemptum edicti fratris sui Romuli urbis conditoris.

(88) Patet hanc epistolam conscriptam esse mense Augusto circa festum S. Augustini. Cum loquitur de necessitate mensis Augusti, et de cura in eo rei familiaris, intelligendum est de instanti messe quæ non mediocre facessebat abbati nostro, rei domesticæ provido, negotium, quippe qui agros ac villas suas proprio labore et sumptu per canonicorum ac conversorum ministerium colebat.

nec scribentem recipiunt, nec rejiciunt disponentem. Inter hæc malui rudis esse, ut indemnis essem, quam invocare musas, ut eruditus apparerem. Mitto vobis hominem rusticanum de post fetantes acceptum in palatiis regum et præsidum prætoriis elinguem ac mutum, cujus causa sine consilio vestro peribit, sine auxilio vestro valido non valebit. Sublimes rapiunt eum et innocentem condemnant ministri domini regis, substantiolam ejus alendis uxori et filiis non sufficientem diripere volentes, dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat.

169 EPISTOLA CXVII.

AD EUMDEM.

Scribit in gratiam cujusdam hospitis Sanctæ Genovefæ, ut liberetur ab exactione præpositi Pinciacensis.

Præpositus Pinciacensis (89) contra propositum quod vobis promiserat, postposita in hac parte memoria vestri, ovem vestram pro dimidia relinquens intonsam, reliquam non solum tondere, sed excoriare contendit. Centum solidos a paupere nostro exigit, quos sub centesimis mutuabiur, si propositum præpositi non mutetur. Et quia nihil incœpisse vos memini, quod imperfectum reliquerit manus vestra, precor ut hominem innocentem, et usque ad tempora ista ab exactione regia liberum, beatæ Genovefæ virginis hospitem et servum (90), consilio et auxilio vestro ita faciatis absolvi in solidum, ne in centum solidis condemnetur. Plenum erit beneficium, si absolutionem secuta fuerit plenitudo. Cantorem Silvanectensem, qui atroces canonicis nostris injurias, contumax et A arrogans irrogavit, suæ manumissionis immemor (91) quam ab Ecclesia nostra gratis accepit ingratus, si placet, certo die citari et loco faciatis, et nobis super tanto respondeat excessu, quoniam die quam nobis in quarta feria assignastis Noviomi, vos non credimus adfuturum. Distentum est marsupium ejus, et sicut animal illud plenum est vento (92), ita et sacculus plenus est argento. Pecuniariter puniri potest, qui criminaliter meruit accusari.

170-171 EPISTOLA CXVIII.

AD R. CARNOTENSEM ELECTUM (93).

Ipsi commendat ecclesiam et canonicos suos de Soisiaco, ne ab officialibus injuste graventur.

Initia sacræ promotionis vestræ, et futuri, Deo B volente, sacerdotii vestri merita, Spiritus sancti disciplina suscipiat, qui et fidelem consiliis vestris formam, et felicem negotiis finem imponat. Ad hujus oblationem voti et desiderii sacrificium nos invitant et communis quam omnibus Ecclesiarum prælatis debemus reverentia, et specialis obedientia pariter et fides, quam domino magnifico et benefico nobis avunculo vestro Remensi archiepiscopo (94) a multis retro temporibus exhibere tenemur. Et quoniam his gratiarum vinculis vobis respondere, temporibus opportunis, parati sumus, et vitium ingratitudinis tam circa vos quam circa alios dominos nostros penitus abhorremus: præcipuam ac præclaram nobilitatem vestram rogamus, ut sicut de- C cessores vestri Carnotenses episcopi, præcipue dominus noster avunculus vester, et post eum bonæ memoriæ J. et P. (95) Carnotenses episcopi nobis benevole detulerunt, et vos æquis passibus, et si ex parte ecclesiæ nostræ licentientur.

(89) Pinciacum vel Pisciacum, vulgo *Poissy*, quindecim milliaribus ab urbe Lutetia, in diœcesi tamen Carnotensi collocatur. Primas tenet inter septem præposituras a Castelleto Parisiensi pendentes. Celebris hæc villa baptismo B. Ludovici. In ea insigne est monasterium B. Mariæ sacrum, per Constantiam uxorem Roberti exstructum, sed postea a Philippo Pulchro decentius restauratum, ac monialibus Sancti Dominici traditum.

(90) Ecclesia Sanctæ Genovefæ multos possidebat hujusmodi servos et ancillas tam Parisiis in burgo de Monte et S. Medardi, quam in villis suis de Autolio, Vanvis, Spinolio, Rodoniaco et cæteris; dicebanturque homines et feminæ de corpore. Quadruplex erat jus dominorum in ejusmodi servos, D prout declaratur in charta quadam tabularii ejusdem abbatiæ his verbis: « Non possunt filios suos clericos facere nisi de concessione Ecclesiæ; non possunt filios suos aut filias matrimonio conjungere cum hominibus alterius Ballivæ vel Dominatus; caducum, id est manum mortuam debent; in necessitatibus Ecclesiæ dabunt auxilium conveniens de suo juxta consuetudinem regni. » Servi autem S. Genovefæ manumissionem suam pretio emerunt anno circiter 1245, regnante S. Ludovico, iis scilicet conditionibus: « Primo, ut remanerent hospites seu vassalli ejusdem ecclesiæ; secundo, si uxorem servilis conditionis ducerent, etiam servi eorum liberi restarent; tertio, pro personis et juribus ecclesiæ defendendis, seu pro persecutione damnorum venire personaliter tenebuntur. Primo die ad sumptus suos, cæteris vero diebus dabimus unicuique dictorum hominum sex denarios Parisienses, quousque

(91) Cantor ille Silvanectensis fuerat quondam servus S. Genovefæ, quem abbas libertate donarat, ut clericus efficeretur. Cautum enim erat per concilia, scilicet Aurelian. III, can. 26; Tribur., can. 29; Bitur. can. 9; Pictav. I, can. 9: « Ne servi ad ordines promoverentur, et ad honores ecclesiasticos admitterentur, nisi prius a dominis suis libertate donarentur. » Abbas autem S. Genovefæ accepit facultatem per diploma Clementis III, anno 1289, primam tonsuram conferendi suis servis, quos ad hoc manumittebat.

(92) Intelligit cantorem Silvanectensem, quem hoc verbo, forte minus congruo, designat; parcendum tamen est auctori, qui ad amicum Remensem archiepiscopum, cum quo familiarius utebatur, de suo quondam servo rescribit, et memoriæ repetendum, quod ait Cicero, « quam multa sunt jocosa in epistolis, quæ prolata si sint, inepta videantur. »

(93) Hæc epistola scripta dignoscitur anno 1187, quo Reginaldus de Barro electus fuit in episcopum Carnotensem post decessum Petri Cellensis, ut legitur in *Chronico* Roberti de Monte. De illo autem meminit Petrus Blesensis, epist. 13 et 20; vivere desiit anno 1217, ut notatur in *Necrologio* Carnotensi.

(94) Erat enim Reginaldus filius Agnetis a Campania, filiæ Theobaldi comitis, et sororis Guillelmi Remensis archiepiscopi.

(95) Post Guillelmum episcopatum Carnotensem administraverant Joannes Salisberiensis et Petrus Cellensis, epistolarum suarum scriptis notissimi.

non majoribus, liberaliter deferatis. Est in episcopatu vestro ecclesia quædam nostra in villula nostra, quæ Sosiacum dicitur (96), tam obscura nomine, quam tenuis facultate, in qua duo canonici (97) regulares curam parochiæ gerentes (98) Deo deserviunt, quibus officiales vestri occasione cujusdam collectæ, quam fecisse vos dicunt, quadraginta solidorum onus imponunt, quod neque nos, neque Patres nostri suscipere consuevimus **172** aut portare. Remittite nobis hanc angariam, Pater, quæ et nobis est oneri, et vobis futura non est honori. In aliis episcopatibus, Parisiensi scilicet et Suessionensi (99), liberi sunt ab his oneribus fratres nostri, nec a vobis, Deo volente, gravari incipient, qui per vos, sicut confidimus, specialius defendi deberent.

173-174 EPISTOLA CXIX.

AD GUILLELMUM REMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Petit translationem cujusdam monachi in aliud monasterium.

Capax est gratiæ vestræ sinus, Pater, et sic patens omnibus, ut non deficiat singulis, et proficiat universis. Erubescant et revereantur ingrati, quos frequentius præveniunt beneficia vestra, quam eorum obsequia subsequantur. De talium indevoto numero non esse credimus Th. monachum vestrum in tribulatione sua de vestra sperantem benevolen- A tia, de vestra gratia confidentem. Sicut intelleximus, frater est draconum, et socius struthionum, et inter scorpiones habitans, monachorum simultates et odia eo sentit profundius, quo propinquius intuetur. Non est qui consoletur eum, nisi a vobis ei citius consulatur. Vir est, qui etsi apud vos commendari non egeat emendicatis suffragiis, de me tamen æstimans supra me, juvari se credit precibus alienis. Educite eum, si placet, de Ur Chaldæorum, quod interpretatur *incendium captivantium*, ut cum liberatus fuerit a labiis iniquis et a lingua dolosa, immolet pro vobis Deo sacrificium laudis, et reddat Altissimo vota sua.

175 EPISTOLA CXX.

B AD HUGONEM ABBATEM S. VINCENTII SYLVANECTENSIS.

Postulat ut veniam concedat cuidam canonico revertenti in suum monasterium.

Charissimo fratri et amico HUGONI, abbati S. Vincentii Sylvanectensis frater STEPHANUS de S. Genovefa salutem et sinceram dilectionem.

Movit nos senectus et supplicatio J. fratris et concanonici nostri, qui sic a vobis postulat veniam, ut suam non diffiteatur culpam. Paratus est satisfactioni parere, et misericordiam vestram in confessione reatus sui, ne pereat, prævenire. Preces fundimus et nos pro eo ut, consideratione ætatis

(96) Sosiacum, vulgo *Choisy*, in diœcesi Carnotensi, subjacet omni dominio ecclesiæ Sanctæ Genovefæ. Hæc parochia vocabatur olim S. Petri ad Boves, et villa ipsa dicitur, Gallice, *Choisy aux bœufs*, eo quod forum inibi habebatur celeberrimum, in quo boves undequaque adducti certis hebdomadæ diebus divendebantur, quod postea in villa Piscicensi præstitum est. Cum autem hæc ecclesia in manus alienas devenisset, tandem canonicis Sanctæ Genovefæ restituta est per Guillelmum, tunc Senonensem archiepiscopum, qui etiam administrationem episcopatus Carnotensis gerebat, teste Roberto de Monte in *Supplemento* Sigeberti his verbis: « Archiepiscopo Senonensi in fata recedente, Guillelmus electus Carnotensis ei successit, concesso tamen ei episcopatu Carnotensi per biennium a papa Alexandro, id est usque ad annum 1171, » quo tempore parochiam de Soisiaco canonicis S. Genovefæ per chartam hic appositam firmavit. « Guillelmus Dei gratia Senonensis archiepiscopus, et apostolicæ sedis legatus, omnibus sanctæ matris Ecclesiæ filiis tam futuris quam præsentibus, ad quos litteræ præsentes pervenerint, in Domino salutem. Cum jurisdictio Carnotensis Ecclesiæ nobis esset commissa, Hugo abbas et canonici S. Genovefæ Parisiensis sæpe et multum querimoniam detulerunt super Ecclesiam de Soisiaco, quam ab Ecclesia sua videbant alienari, cujus juris eamdem esse constaret: inquisita ergo rei veritate ex relatione dilecti filii nostri Odonis præfatæ Ecclesiæ quondam abbatis, aliarumque legitimarum personarum ita se habere pro certo comperimus. Eapropter tam intuitu justitiæ quam domini papæ et amicorum nostrorum interventu ecclesiam illam prædictis fratribus concedimus, ita ut liceat abbati S. Genovefæ canonicos suos ibi ponere, salvo jure episcopali per omnia. Hæc ut rata in posterum permaneant, scripti hujus attestatione, et sigilli nostri impressione confirmamus. » Hanc concessionem ratam habuit Alexander III suo diplomate dato Tusculi XII Kalend. Maii.

(97) In illa ordinis reformatione quæ sæculo circiter XII facta est, duo vel tres canonici in unaquaque parochia morabantur, vel etiam plures. Quod C semper observatum fuisse in iis quæ a monasterio S. Genovefæ pendebant, discimus ex antiquis ejusdem Regulis et constitutionibus in quibus cap. « De his qui ad obedientias conservantur, » præcipitur « ut fratres qui ad obedientias, id est parochias, commorantur, in singulis locis tres si fieri potest, vel duo ad minus esse debent. » Verum etiam illud ipsum decernitur per diplomata summorum pontificum Cœlestini, Alexandri III et Clementis III in hæc verba: « Statuimus, ut liceat vobis in vestris ecclesiis quatuor aut tres ad minus ex fratribus instituere, ita quod unus eorum a te, fili abbas, diœcesano episcopo repræsentetur, qui de manu ejus curam recipiat animarum. Cum autem res exegerit et fuerit opportunum, liberum vobis sit eos revocare ad claustrum, et alios in eis loco eorum, quemadmodum diximus, substituere, dummodo, qui præesse debuerit, a diœcesano episcopo spiritualium curam accipiat. »

D (98) Cum canonici regulares sint vere et proprie clerici, ad eos spectat animarum proximi saluti vacare, et parochiarum administrationem gerere. Sed sæculo XII quidam episcopi attendentes quod ipsi in claustris vitam monachis non valde absimilem exterius ducerent, a parochiarum regimine volebant eos excludere; quod præsertim accidit in episcopatu Lemovicensi circa canonicos Stirpenses, et in Aurelianensi circa Balgentiacenses. At Ivo Carnotensis, ordinis sui vindex acerrimus, canonumque indagator studiosissimus, binas scripsit epistolas, scilicet 69 ad Galterum præpositum Sterpensem, et 213 ad Joannem episcopum Aurelianensem, quibus evidenter probat canonicos regulares ad regimen animarum esse aptissimos.

(99) Abbatia S. Genovefæ habet in episcopatu Parisiensi parochias de Vanvis, de Nemethodoro, de Rodoniaco, de Roissiaco, de Spinolio; in Suessionensi vero, de Firmitate Milonis, et de Marisiaco.

longævæ, conversationis antiquæ, miserationis divinæ, sinum aperiatis paternum revertenti, et recipiatis pœnitentem, quem exclusistis peccantem (100).

176 EPISTOLA CXXI.

AD URBANUM SUMMUM PONTIFICEM.

Rogat ut petitiones quas fundit pro ecclesia sua S. Genovefæ, suscipere et implere dignetur.

Initia sacri apostolatus vestri (1), Pater, ea devotione suscipimus, ut ex eo certa concipiamus fiducia et humilibus dari gratiam, et confusionem superbis. Hac justitiæ libra (2) singulorum merita pensabit tantus vicarius Petri, cui Dominus affluenter contulit scientiam, et cum scientia potestatem. Nec deesse poterit his duabus gratissima tertia comes, voluntas bona et beneplacens, et perfecta, quo funiculo triplici sancta desideria, recta consilia, et justa opera consummatius astringuntur. Interim glorior inde mecum ego minima filiorum vestrorum portio, quod dominum nunc et patrem meum quandoque viderim in scholis, ubi tanquam Hylas mirabar Herculem, magnis virtutum et prudentiæ passibus incedentem. Exinde vestri nominis reverentiam concepi, vestræ auctoritatis combibi memoriam, fructuosum mihi proponens exemplar, doctrinam ex verbis, ex moribus disciplinam. Ecce ego et Eclesia mihi indigno commissa vestri sumus, cum omni hilaritate parati omnia mandata vestra sine dissimulatione suscipere, sine dilatione complere. Preces fundimus sanctitati vestræ, ut petitiones nostras quas per dominum B. acolythum vestrum vobis porrigimus, sicut Ecclesiæ vestræ videritis expedire, et suscipiatis benevole et benefice comoleatis

177 EPISTOLA CXXII.

AD MAGISTRUM REGINALDUM, AURELIANENSIS ECCLESIÆ ARCHIPRESBYTERUM.

Petit ut in injuriam fratri suo illatam condigna satisfactione curet emendari.

Somnolenta est amicitia, quæ in necessitatibus amici tardius excitatur. Hoc vitium ne incurras, hilarem te precor exhibe in causa Stephani fratris mei, cujus injuriam, quoniam mea est, tuam esse debueras æstimare. Et quoniam nondum plene satisfactum est apostolico mandato per dominum Parisiensem episcopum prolato, tu, penes quem non minima portio jurisdictionis (3) ecclesiasticæ, unde gaudeo, consistit, supple vigilanter et viriliter quod excusationi deest, ut exinde tibi gratias agam, et injuriam passus industria tua recipiam ultionem. Fiat, obsecro, sine mora, **178** quæ omnino contrahet ad se periculum, si sine periculo malefactor transierit Pascha, quod Latine transitum appellamus.

EPISTOLA CXXIII.

AD MAGISTRUM BERTERUM CAMERACENSEM ARCHIDIACONUM.

Rogat ut dominum suum deprecetur pro quodam negotio.

Verecundum nec minus verum est quod loquor; timeo dominum meum ac vestrum (4) offendere vel improbis questibus vel precibus importunis. Sufficit mihi gratia sua quam solam omnibus præfero solatiis, omnibus antidotis antepono. Sed quoniam de plenitudine ejus omnes accipiunt, preces quas ei Parisius obtuli, precor, ei porrigite, ut ad consequendum **179** quod postulo, per vestram inducatur industriam, per vestrum monitum moveatur. Opportunum se tempus obtulit, quo cum electo

(100) Regula S. Augustini jubet ut contumaces ejiciantur, et a cæterorum societate excludantur, his verbis : « Quod si ferre recusaverit, etiamsi ipse non abscesserit, de vestra societate projiciatur; non enim hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione plurimos perdat. » Regula S. Benedicti, cap. 28, ait de religiosis pervicacibus : « Quod si nec isto modo sanatus fuerit, tunc jam utatur abbas ferro abcissionis, ut ait Apostolus : *Auferte malum a vobis* (*I Cor.* v); et iterum : *Infidelis si discedit, discedat* (*I Cor.* vii), ne una ovis morbida omnem gregem contaminet. »

(1) Hæc epistola scripta est anno 1186, cum ad summi pontificatus apicem evectus fuerit Urbanus III, die 23 Decembris, anno 1185.

(2) Quamvis per locum hunc nobis innotescat non esse recentem e justitiæ dextra libræ seu bilancis pendentis declinationem, non ea tamen fuit hujus virtutis apud antiquos Romanos effigies. Hanc nobis exhibent nummi Adriani, Antoninii Pii et Alexandri Severi : sedentis est habitu, sinistra virgam gestans, pateram dextra ; quod quidem justitiæ symbolum Antonius Augustinus *Dialogo* ii sic explicat : « Sedet quod sapientem maturitas doceat, atque ideo sententiam pronuntiaturi judices sedebant. Sceptrum notat imperium mundi, atque reipublicæ administrationem; patera vero significat divinitatem. » Aliam autem justitiæ picturam profert Aulus Gellius, lib. xiv *Noctium Atticarum*, cap. 4, ex Chrysippo : « Forma virginali, aspectu vehementi et formidabili, luminibus oculorum acribus, neque humilis neque atrocis, sed reverendæ cujusdam tristitiæ dignitate. » En variam justitiæ imaginem, qualem sibi effinxerunt Græci, Romani et Galli.

(3) Duplicis generis inveniuntur archipresbyteri, urbicani scilicet et rurales, in notis ad concil. iii Tolet. Urbicanus est qui in civitate constitutus, munus episcopi, eo absente, exsequitur, in ecclesia divinum officium incipit, benedictiones dat, et alia peragit quæ continentur in tit. *De officio* archipresbyteri ex constit. Leonis papæ. Ruralis autem præest solummodo plebi. De his agitur in can. 13 synodi Regiaticinæ sub Lothario anno 850 congregatæ, ubi hæc habentur : « Propter assiduam erga populum Dei curam, singulis plebibus archipresbyteros præesse volumus, qui non solum imperiti vulgi sollicitudinem gerant, verum etiam eorum presbyterorum qui per minores titulos habitant, vitam jugi circumspectione custodiant, et qua industria unusquisque divinum opus exerceat, episcopo suo renuntiet, nec obtendat episcopus non egere plebem archipresbytero, quod ipse etiam per se gubernare valeat; quia, etsi valde idoneus est, decet tamen ut patiatur onera sua, et sicut ipse matrici præest, ita archipresbyteri præsint plebeiis, ut in nullo titubet ecclesiastica sollicitudo, cuncta tamen ad episcopum referant, nec aliquid contra ejus decretum ordinare præsumant. »

(4) Intelligit Guillelmum Remensem archiepiscopum, cui in ecclesiasticis ministrabat archidiaconus ille Cameracensis.

non majoribus, liberaliter deferatis. Est in episcopatu vestro ecclesia quædam nostra in villula nostra, quæ Sosiacum dicitur (96), tam obscura nomine, quam tenuis facultate, in qua duo canonici (97) regulares curam parochiæ gerentes (98) Deo deserviunt, quibus officiales vestri occasione cujusdam collectæ, quam fecisse vos dicunt, quadraginta solidorum onus imponunt, quod neque nos, neque Patres nostri suscipere consuevimus **172** aut portare. Remittite nobis hanc angariam, Pater, quæ et nobis est oneri, et vobis futura non est honori. In aliis episcopatibus, Parisiensi scilicet et Suessionensi (99), liberi sunt ab his oneribus fratres nostri, nec a vobis, Deo volente, gravari incipient, qui per vos, sicut confidimus, specialius defendi deberent.

173-174 EPISTOLA CXIX.

AD GUILLELMUM REMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Petit translationem cujusdam monachi in aliud monasterium.

Capax est gratiæ vestræ sinus, Pater, et sic patens omnibus, ut non deficiat singulis, et proficiat universis. Erubescant et revereantur ingrati, quos frequentius præveniunt beneficia vestra, quam eorum obsequia subsequantur. De talium indevoto numero non esse credimus Th. monachum vestrum in tribulatione sua de vestra sperantem benevolen- A tia, de vestra gratia confidentem. Sicut intelleximus, frater est draconum, et socius struthionum, et inter scorpiones habitans, monachorum simultates et odia eo sentit profundius, quo propinquius intuetur. Non est qui consoletur eum, nisi a vobis ei citius consulatur. Vir est, qui etsi apud vos commendari non egeat emendicatis suffragiis, de me tamen æstimans supra me, juvari se credit precibus alienis. Educite eum, si placet, de Ur Chaldæorum, quod interpretatur *incendium captivantium*, ut cum liberatus fuerit a labiis iniquis et a lingua dolosa, immolet pro vobis Deo sacrificium laudis, et reddat Altissimo vota sua.

175 EPISTOLA CXX.

B AD HUGONEM ABBATEM S. VINCENTII SYLVANECTENSIS.

Postulat ut veniam concedat cuidam canonico revertenti in suum monasterium.

Charissimo fratri et amico HUGONI, abbati S. Vincentii Sylvanectensis frater STEPHANUS de S. Genovefa salutem et sinceram dilectionem.

Movit nos senectus et supplicatio J. fratris et concanonici nostri, qui sic a vobis postulat veniam, ut suam non diffiteatur culpam. Paratus est satisfactioni parere, et misericordiam vestram in confessione reatus sui, ne pereat, prævenire. Preces fundimus et nos pro eo ut, consideratione ætatis

(96) Sosiacum, vulgo *Choisy*, in diœcesi Carnotensi, subjacet omni dominio ecclesiæ Sanctæ Genovefæ. Hæc parochia vocabatur olim S. Petri ad Boves, et villa ipsa dicitur, Gallice, *Choisy aux C bœufs*, eo quod forum inibi habebatur celeberrimum, in quo boves undequaque adducti certis hebdomadæ diebus divendebantur, quod postea in villa Piscicensi præstitum est. Cum autem hæc ecclesia in manus alienas devenisset, tandem canonicis Sanctæ Genovefæ restituta est per Guillelmum, tunc Senonensem archiepiscopum, qui etiam administrationem episcopatus Carnotensis gerebat, teste Roberto de Monte in *Supplemento* Sigeberti his verbis: « Archiepiscopo Senonensi in fata recedente, Guillelmus electus Carnotensis ei successit, concesso tamen ei episcopatu Carnotensi per biennium a papa Alexandro, id est usque ad annum 1171. » quo tempore parochiam de Soisiaco canonicis S. Genovefæ per chartam hic appositam firmavit. « Guillelmus Dei gratia Senonensis archiepiscopus, et apostolicæ sedis legatus, omnibus sanctæ matris Ecclesiæ filiis tam futuris quam præsentibus, ad quos litteræ præsentes pervenerint, in Domino salutem. Cum jurisdictio Carnotensis Ecclesiæ nobis D esset commissa, Hugo abbas et canonici S. Genovefæ Parisiensis sæpe et multum querimoniam detulerunt super Ecclesiam de Soisiaco, quam ab Ecclesia sua videbant alienari, cujus juris eamdem esse constaret: inquisita ergo rei veritate ex relatione dilecti filii nostri Odonis præfatæ Ecclesiæ quondam abbatis, aliarumque legitimarum personarum ita se habere pro certo comperimus. Eapropter tam intuitu justitiæ quam domini papæ et amicorum nostrorum interventu ecclesiam illam prædictis fratribus concedimus, ita ut liceat abbati S. Genovefæ canonicos suos ibi ponere, salvo jure episcopali per omnia. Hæc ut rata in posterum permaneant, scripti hujus attestatione, et sigilli nostri impressione confirmamus. » Hanc concessionem ratam habuit Alexander III suo diplomate dato Tusculi XII Kalend. Maii.

(97) In illa ordinis reformatione quæ sæculo circiter XII facta est, duo vel tres canonici in unaquaque parochia morabantur, vel etiam plures. Quod semper observatum fuisse in iis quæ a monasterio S. Genovefæ pendebant, discimus ex antiquis ejusdem Regulis et constitutionibus in quibus cap. « De his qui ad obedientias conservantur, » præcipitur « ut fratres qui ad obedientias, id est parochias, commorantur, in singulis locis tres si fieri potest, vel duo ad minus esse debent. » Verum etiam illud ipsum decernitur per diplomata summorum pontificum Cœlestini, Alexandri III et Clementis III in hæc verba: « Statuimus, ut liceat vobis in vestris ecclesiis quatuor aut tres ad minus ex fratribus instituere, ita quod unus eorum a te, fili abbas, diœcesano episcopo repræsentetur, qui de manu ejus curam recipiat animarum. Cum autem res exegerit, et fuerit opportunum, liberum vobis sit eos revocare ad claustrum, et alios in eis loco eorum, quemadmodum diximus, substituere, dummodo, qui præesse debuerit, a diœcesano episcopo spiritualium curam accipiat. »

(98) Cum canonici regulares sint vere et proprie clerici, ad eos spectat animarum proximi saluti vacare, et parochiarum administrationem gerere. Sed sæculo XII quidam episcopi attendentes quod ipsi in claustris vitam monachis non valde absimilem exterius ducerent, a parochiarum regimine volebant eos excludere; quod præsertim accidit in episcopatu Lemovicensi circa canonicos Stirpenses, et in Aurelianensi circa Balgentiacenses. At Ivo Carnotensis, ordinis sui vindex acerrimus, canonumque indagator studiosissimus, binas scripsit epistolas, scilicet 69 ad Galterum præpositum Sterpensem, et 215 ad Joannem episcopum Aurelianensem, quibus evidenter probat canonicos regulares ad regimen animarum esse aptissimos.

(99) Abbatia S. Genovefæ habet in episcopatu Parisiensi parochias de Vanvis, de Nemethodoro, de Rodeniaco, de Roissiaco, de Spinolio; in Suessionensi vero, de Firmitate Milonis, et de Marisiac-

vobis testimonio, Pater, asserimus personam abbatis religiosam, honestam ac providam esse et fuisse, et per xxxv et amplius annos tam in ecclesia illa quam in ecclesiis sancti Ambrosii (50) et Sancti Evurtii, in quarum altera prius subprior, in altera postmodum abbas, Deo servisse fideliter in oculis hominum et, ut credimus, angelorum. Exturbet et exterreat a conspectu suo sanctæ paternitatis vestræ severitas prædictos iniquitatis filios, ut non apponant nocere homini innocenti, nec prævaleant sub aliquo mendacii sui velamento adversus Ecclesiam illam terribilem, ut castrorum aciem ordinatam, quæ usque ad diem istam præcipuo religionis titulo quasi speculum et exemplar inter consorores suas enituit et divinis obsequiis et regularibus disciplinis.

141 EPISTOLA XCVII.

AD DOMINUM PAPAM.

Commendat monachos Compendienses (51), rogatque ut eos adversus impugnantes tueatur.

Sanctissimo domino et Patri summo pontifici, STEPHANUS de Sancta Genovefa, salutem et novam in omnibus obedientiam.

Ad paternæ sollicitudinis vestræ sinum recurrimus, quoties aut nostra necessitas urget, aut fraterna charitas persuadet. Inde est quod ad instantiam abbatis et monachorum Compendiensium imprudentius forsitan et impudentius paternitati vestræ scribere præsumpsi, ut cum merita mea non sufficiant, saltem proficiant aliena. Audivimus quia per operam et industriam domini Silvanectensis episcopi, et abbatis Sancti Germani de Pratis, et de Ursicampo sibi a vobis injunctam, prædictum monasterium in meliorem statum reformari incipiat, et tam apud Deum quam apud homines, sicut ex litteris ipsius episcopi plenius intelleximus, profectum sibi pariter pariat et provectum. Inde est quod ego minima portio gregis vestri, fraternis, ex his quæ audio, congaudens meritis, misericordiæ vestræ preces fundo, ut prædictorum fratrum nuntios et audiatis benevole, et benefice remittatis. Si quis autem contra ipsos sanctitatem vestram movere tentaverit aut monere, ea quæ contra libertatem Ecclesiæ et monasticam disciplinam ex adversa parte 142 proposita fuerint, vestra, si A placet, sicut semper consuevistis, serenitas non admittat.

EPISTOLA XCVIII.

AD GODEFRIDUM ABBATEM SANCTI SATYRI.

Rogat ut benigne suscipiat quemdam canonicum S. Genovefæ, qui apud S. Satyrum degere cupiebat.

Juvanda sunt desideria, quibus et egressum devotio, et discretio dat progressum : eorum nec obstandum principiis, nec detrahendum mediis, nec ultimis invidendum. Hæc attendentes in charissimo fratre concanonico nostro Joanne bonæ indolis et fructuosæ, ut credimus, in posterum spei juvene, commendabilem ipsius voluntatem commorandi apud vos, et exemplo vestro disciplinis regularibus B in melius conformandi, 143 grato assensu suscepimus, et ad tempus eum vestræ mittimus et committimus sanctitati. Preces pro ipso porrigimus, ut eum benevole simul et benefice cum fratribus vestris commorantem paterna sollicitudine conservetis. Si opportunitas interim vobis occurrerit ad ecclesiam Sanctæ Genovefæ virginis ad diaconem ordinandum, archiepiscopo vestro, vel alii catholico episcopo poteritis præsentare. Processu temporis, cum ætas ipsius exegerit, Deo volente, per Ecclesiam vestram in gradum superiorem poterit promoveri.

EPISTOLA XCIX.

AD MAGISTRUM CAMERACENSEM ARCHIDIACONUM.

C *Monet se iter arripuisse ut conveniat dominum suum.*

In auditu auris obediens domino meo hac die Sabbati summo mane Parisius veni ; cumque adhuc sufficeret dies militiæ, quia tantum non sufficiebat diei malitia nostra, fatigato corpore substiti, nocturnas vigilias somno recipiens et reficiens, ne deficerem in via, minimum proficiens in plurimum proficiscens. Sequar tamen ne non obsequar domino meo, et apud Spinogilum (52) modicum somni capiens, cras, Domino volente, circa horam tertiam domino meo comparebo. Renuntiate mihi per præsentium latorem ubi vos veniens inveniam, venialem moram meam sub virga domini mei purgaturus.

(50) Abbatia S. Ambrosii Bituricensis antiquæ fundationis et canonici ordinis, restaurata fuit a Gaufrido Vicecomite Bituricensi anno 1012. Canonici autem regulares S. Victoris Parisiensis in eam postmodum inducti fuerunt.

(51) Instauratum fuit celebre monasterium S. Mariæ, SS. Cornelii et Cypriani in urbe Compendiensi a Carolo Calvo imperatore, ut notatur in ipsius *Capitularibus*, tit. 43, n. 2 : « Monasterium, inquit, a nobis Compendium in honore S. Mariæ constructum a filio nostro et fidelibus nostris eo tenore quo cœpimus, honoretur. » At, cum canonici in eo residentes ita a recto religionis tramite deviassent, ut Suggerius ad Eugenium papam rescribens dicat hanc ecclesiam esse de nobilioribus Galliæ, nisi infamis enormitas canonicorum obstitisset. Idem Summus pontifex his commotus, præ- D fato mandavit Suggerio S. Dionysii abbate, ut ecclesias S. Genovefæ Parisiensis et S. Cornelii Compendiensis in meliorem statum reformaret. Qui quidem ut apostolicis apicibus pareret, sicut in illam canonicos Victorinos induxerat anno 1148, sic in istam monachos suos Sandionysianos invexit anno 1150; nec tamen diu apud eos viguit reparata hujusmodi monastica observantia, siquidem post triginta circiter annos debuit adhuc restaurari per episcopum Silvanectensem et abbates Sancti Germani Pratensis, et Ursicampi, ut discimus ex hac epistola.

(52) Spinogilum vel Spinolium, vulgo *Epinay*, est villa diœcesis Parisiensis non longe a Corbolio, dominio spirituali et temporali ecclesiæ S. Genovefæ subjecta.

Aurelianensi (5) et familiarius loqui possit, et quod A voluerit ab eo facilius impetrare. Diem festum acturus est Remis, ut audivimus, ubi, concurrente temporis et loci occasione, nihil negabit domino nostro, quem non solum benevolum, sed et maxime beneficum nuper expertus est in desiderio suo.

EPISTOLA CXXIV.

AD HENRICUM AURELIANENSEM EPISCOPUM, EX PERSONA ABBATIS S. EVURTII AURELIANENSIS.

Conqueritur de regio exactore, a quo opprimebatur.

Dies tribulationis et augustiæ dies hæc. Litteras domini regis sollicitudine nostra impetratas, ministro et exactori regio porreximus, et in earum oblatione sustinuimus pacem, et non venit; quæsivimus bona, et ecce turbatio. Superbe respondit, et non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus B extenta. Dixit sese nec litteris obedire, nec mandatis, nisi specialia reciperet intersignia sibi et domino regio cognita **180** et comperta. Prædam nostram non solum non restituit, sed quod residuum erat abstulit et abduxit. Moveat paterna viscera vestra dolor noster, et in liberatione nostra promotionis vestræ principia consecrate, ne si palatini satellites in consimilibus invenerint vos tepidum, commune sit periculum vestrum pariter ac vestrorum. Domum reverti nec audeo nec præsumo, cum Ecclesia nostra in quotidianis deficiat lamentis, et adhuc lacrymæ ejus in maxillis ejus. Parisius cum abbate S. Genovefæ remansi, exspectans ab uberibus consolationis vestræ refici, et in præsenti angustia vestro consilio pariter et auxilio liberari. C

EPISTOLA CXXV.

AD G. ABBATEM S. AMBROSII BITURIC.

Commendat quemdam canonicum apud se Parisiis commorantem.

Charissimo fratri et amico G. abbatis S. Ambrosii Bituricensis frater STEPHANUS abbas de S. Genovefa salutem et dilectionem.

In revocatione, seu translatione fratris Al. canonici vestri verbo vobis evangelico respondemus: *Modicæ fidei, quare dubitasti?* (*Matth.* XIV.) Fraternam voluit scindere charitatem, qui verbo iniquo et doloso dixit nos recipere nolle tam idoneum et utilem fratrem, qui filios vestros æque intendimus ut nostros honorare, colere et amare. Grata est nobis societas ejus, ingrata revocatio, ingratior dubietas, qua eum a nobis lingua tertia voluit separare. Placeat vobis ut nobiscum maneat, **181** ne si mandato vestro transferatur ad alios, alieno mandato nobis minime deferatur.

EPISTOLA CXXVI.

AD ROLANDUM DE DINANO.

Hortatur ut cœptum opus perficiat.

Nobili viro ROLANDO de Dinano (6) STEPHANUS S. Genovefæ dictus abbas totusque Ecclesiæ ipsius humilis conventus salutem et vitam æternam.

Copiosus est divinæ gratiæ sinus, qui nec deficit singulis, et sufficit universis, dispersos colligit, errantes revocat, redeuntes amplectitur, nolentes trahit, et invitos compellit intrare. Hujus desiderio devotionem vestram gaudemus accendi, quæ terrenæ militiæ labores infructuosos contemnens, totam se, ut audivimus, ad palmam supernæ vocationis extendit, dum aut in opera misericordiæ libenter erogat sua, aut in exemplum justitiæ humiliter bona prosequitur aliena. Crescat in dies voluntas hæc bona et beneplacens et perfecta, ut ecclesia, quam ædificatis, regularibus disciplinis (7) per industriam vestram possit instrui, per abundantiam suppleri, per providentiam gubernari. Et quoniam secreto Dei judicio carnis vestræ non relinquitis hæredes, novellam illam plantationem vestram in parte honorum vestrorum hæredem constituite, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula: ne, si forte indigentes et orphanos reliqueritis eos, mendicare cogantur, et de laboribus vestris alius aliquis consequatur gloriam et honorem. Ne autem **182** beneficia vestra transitoria vel illusoria post dormitationem vestram appareant, pro salute vestra monemus, consulimus et rogamus, ut ea firmitate conferantur Ecclesiæ quam conficitis, ne aut alicujus malitia possint auferri, aut avaritia minui, aut potentia perturbari. Ita demum fratres quos inibi ad servitium Dei colligitis, mensuram bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem dabunt in sinum vestrum, si paupertas eorum ex abundantia vestra sufficienter suppleta fuerit, et eleemosynæ vestræ perseveranter aluerint servos Dei. Interim commendamus vobis sanctæ conversationis et indolis in Christo præcipuæ fratrem W. canonicum nostrum pariter ac vestrum, cujus conversatio inter nos grata Deo et hominibus sine omni querela communem gratiam meruit, singularem opinionem D reportavit. Suscipite in eo partem viscerum nostrorum, cui sic Ecclesiam nostram concessimus, ut tanquam unus ex nobis temporalia simul ac spiritualia fraterna communione percipiat, communi fraternitate persolvat. Liberalitatem vestram plena gratiarum actione prosequimur, qui palefridum

(5) Hæc epistola cum sequenti scripta perhibetur anno circiter 1186, quo Henricus ad episcopatum Aurelianensem electus, ad Guillelmum archiepiscopum Remensem properavit, forte ut ab eo consecrationis munus acciperet; quod videtur innuere verbis sequentibus: « Diem festum acturus est Remis, ubi, concurrente temporis et loci occasione, nihil denegabit domino nostro. »

(6) Dinannum seu Dinantum, vulgo *Dinan*, urbs est Britanniæ Minoris in diœcesi Maclovie.isi, cujus erat toparcha Rolandus ille, ad quem hæc epistola.

(7) Fundavit abbatiam in parochia de *Megrat*, vel *Megrest*, prope castrum suum de Belloloco, unde postea nomen sortita est, atque octo canonicos regulares in ea constituit, quos amplis redditibus dotavit. Hæc abbatia dicebatur olim B. Mariæ Pontis-Pillari, quod sita esset juxta pontem hujus nominis. In ea jacet Rolandus ille fundator, ac Alanus V- t iacensis, inter beneficos hujus monasterii primarii.

vestrum (8) sine merito nostro nobis misistis et donantis affectum in tam convenienti dono familiariter ostendistis.

183 EPISTOLA CXXVII.

AD GUILLELMUM REMENSEM ARCHIEPISCOPUM (9).

Significat regem exemisse eum ab itinere Romano.

Sicut vobis significaveram, Pater, ad dominum regem die mihi assignata recessurus accessi : paratus ad viam cujus formidolosa sunt initia, periculosa media, novissima fastuosa. Post aliquas deliberationes Deus, in cujus manu corda sunt regum, consilium domini regis mutavit, et a labore futuri itineris absolvit me princeps benevolus, bonam voluntatem meam in negotiis suis commendans; et si magna minimis comparari debeant, gratiam pro gratia mihi reddens. Vobis interim, Pater, ex parte famuli vestri gratiarum actio et vox laudis, qui per litteras vestras suscipiendi laboris exhortationem utilem, consolationem uberem, compassionem humilem mihi supra quam meruerim non negastis.

184 EPISTOLA CXXVIII.

AD NIVELONEM SUESSIONENSEM EPISCOPUM (10).

Hortatur ut perficiat quod incœperat in ecclesia S. Joannis.

Fructuosa sunt opera, quæ et charitas inchoat, et perseverantia consummat. Radicem sequitur ramus, rivulus fontem sapit, opus intentionem commendat. Quod sincere a vobis et nobis super ordinatione ecclesiæ Sancti Joannis de Vineis, auctoritate domini papæ inchoatum est, perfectionem exspectat, et languentis Ecclesiæ defectus quotidiano clamore pulsat aures Domini Sabaoth, ut qui habitant terram austri cum panibus occurrant sitienti. Quæ vobis imputentur et nobis, si non bono peragatur exitu, quod bono inchoatum est principio. Celerem ac celebrem opem date et operam, ut in octavis Assumptionis beatæ Virginis Parisius ex A parte vestra mittatis, qui honorifice canonicos ducant, deducant et inducant (11). Quia vero propter dilationem colloquii regii, dominum Remensem archiepiscopum adfuturum non credimus, diligenter inquirite quando et ubi convenientius ei vobiscum possimus occurrere, et de eo quod superest deliberare et tractare. Super his omnibus significate nobis voluntatem vestram, ne vel curramus in incertum, vel pugnantes quasi aerem verberemus.

185 EPISTOLA CXXIX.

AD GUILLELMUM REMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Conqueritur de episcopo Silvanectensi, qui majorem suum de Borret (12) anathemate percusserat.

Ordo judiciorum, Pater, multis excogitatis vigiliis, a quibusdam hodie Romanæ Ecclesiæ rectori- B bus turbatur, qui sacris canonibus aut nec lectis, aut neglectis, non minus sunt in sententia præcipites quam in exsecutione crudeles. Sine vocatione ligant, sine delectu excommunicant, sine cognitione condemnant. Horum de numero contendit se esse Silvanectensis episcopus, qui servientem nostrum majorem de Borret, omni ordine judiciario postposito, non tam excommunicavit, quam illicitam et irregularem qualis qualis excommunicationis sententiam in eum primo aspectu juri se offerentem evomuit, et villam nostram ex levissima vel nulla causa sub interdicto conclusit. Et quoniam, domine, refugium factus estis nobis, paternitati vestræ, quam benevolam simul experti sumus ac beneficam, C preces fundimus, ut servientem nostrum præstito sacramento standi ad manatum vestrum, 186 si placet, absolvatis, et tam super causa ejus quam super interdicto villæ, quando et ubi vobis placuerit, nobis et episcopo diem et locum assignetis.

EPISTOLA CXXX.

AD NICOLAUM PRIOREM S. BARTHOLOMÆI NOVIOMENSIS.

Ipsi commendat Petrum nepotem suum.

Amicitiam nostram, quam charitas excitavit,

(8) Palefridus, Gallice *palefroi*, dicebatur equus sessorius. Guillelmus Tyrius, lib. XIII *Belli sacri*, cap. 27, ait : « Miserat prædicto nobili viro per quemdam familiarem suum palefridum albissimum, argento ferratum. »

(9) Colligitur ex hac epistola et aliis, quantus fuerit abbas noster apud regem, qui legationes frequentes, et reipublicæ bono perutiles, ejus curæ et prudentiæ committebat.

(10) Nivelo *de Cherisy* promotus est ad episcopatum Suessionensem anno 1175. Matrem habuit Agnetem dominam Longipontis; quæ soror conversa effecta est in ipsa Longipontis abbatia a Josleno Suessionensi præsule anno 1131 fundata. Tempore autem Nivelonis orta est gravis illa controversia inter abbatem et canonicos S. Joannis in Vineis, qui nolebant a sacerdotiis suis amoveri, de qua superius egimus.

(11) Nivelo ad monasterium S. Joannis vocavit canonicos regulares S. Genovefæ Parisiensis, ut regularem disciplinam aliquatenus in eo imminutam repararent, prout a summo pontifice sibi fuerat injunctum. Raymundus itaque prior ejusdem abbatiæ S. Genovefæ, ad quem variæ epistolæ hic diriguntur, factus est abbas octavus S. Joannis Suessionensis

(12) Diximus Borretum esse villam IV milliaribus a Silvanecto distantem, S. Genovefæ dominio ascriptam, in qua olim fuerunt major et scabini. Hujus autem viaria concessa est huic abbatiæ per Gaufridum comitem Andegavensem, ut patet ex charta D donationis sequentis : « In nomine Dei omnipotentis, visibilium rerum et invisibilium Creatoris, Gaufridus Andegavensium comes, Notum fieri volo fidelibus meis et omnibus ad quorum notitiam istud negotium pertinere debebat, quod accedentes ad præsentiam meam canonici congregationis monasterii Parisiensis beatissimæ virginis Christi Genovefæ, humiliter deprecati sunt, ut sibi et S. loco suo ob amorem divini nominis et venerationem ipsius virginis patronæ ipsorum specialis quippiam eleemosynæ conferremus et necessarii sublevaminis. Quorum postulationem humiliter et libenter suscipiens, pro animabus parentum meorum Fulconis inclyti comitis et religiosæ comitissæ Hildegardis, meorum quoque ob remissionem peccatorum indulsi sacro sanctissimæ Genovefæ monasterio de villa ipsorum quæ in Silvanectensium sita comitatu, Borretumque habet vocabulum, viariam totum ad integrum, » etc.

occasio non exstinguat. Prudenti loquor, et ei quem licet raro video, cogito tamen frequenter. Usque ad mortem infirmatus sum, et longo dolore confectus, nec præsentia vestra, nec litteris, aut nuntio vestro consolationem suscepi. Remittetur negligentia, si diligentia compensetur. Communem Patrem **187** nostrum (13), abbatem dico senem vestrum, et extremis suis, ut timeo, proximum honora, obsecro, ut sis longævus super terram. Petrum meum, si excesserit, corrige; si opus habuerit, defende: culpas ejus non foveo, sed naturæ faveo, qua mihi ligatus est.

EPISTOLA CXXXI.

AD W.....

Grates agit de equo eleganti sibi ex Dania misso.

Reverendo patri et amico W. seniori (14), consenescens, vivere et videre dies bonos.

Digna vox est beneficium capientis obligatum ad antidora se erga quemlibet profiteri. Aliter si quis egerit, aut indevoti statuam colet, aut ingrati simulacrum adorabit. Infausta hæc prodigiorum soboles, quarum prima informis, secunda infamis, utraque sine laude, neutra est sine sorde. Indevotionis obscuritas, ingratitudinis obsceni as, beneficia præterita sepeliunt, præsentia corrumpunt, futura repellunt. Harum contagia fugimus, harum consortia detestamur. Donum vestrum sic accipimus, ut effectum dilectionis veneremur in munere, et affectum largitoris in muneris largitore. Æquum est ut pro equo tam solemni solemnes referamus gratias, quem sedere deceret aut pontifices magnos, aut principes palatinos. Aliorum sessores vident et invident, nec facile est apud nos consimilem aut pretio mercari, aut obsequio promereri. **188** Si qua fuit in dando mora, convenienter purgata est, nec aliquod traxit ad se periculum, quæ tam plenum muneris exhibuit incrementum. Ductor ejus nec sumptui pepercit in pabulo, nec vehiculum sibi usurpavit in equo: quod testantur et pili jucunda mollities, et jubarum compositio directa, collum succulentum, clunes pingues et æquales, ilia non demissa, latera plana, color aureus, totus pulcher, et macula non est in eo. Quod de statu fratrum nostrorum quæsistis, sciat sollicita dilectio vestra, quoniam de die in diem per Dei misericordiam et in spiritualibus proficiunt, et temporalibus abundant, nec est inter eos occursus aut Satan, cum in fraterna concordia et conveniant singuli et congaudeant universi.

189 EPISTOLA CXXXII.

AD ALBERTUM, S. R. ECCLESIÆ CANCELLARIUM.

Ipsi commendat negotia cujusdam clerici nobilis, quæ in curia Romana agitabantur.

Rogare, Pater, pro aliis cogimur, qui pro nobis non sufficimus impetrare. Primum charitatis affectus imperat, secundum improperat necessitatis defectus. Inter hæc non minus sequens eam quæ foras mittit timorem, quam de benevolentia vestra præsumens, paternitati vestræ commendo præsentium latorem A. subdiaconum, cujus si numeremus annorum tempora, juvenis est; senex, si morum merita computemus. Adolescentiam suam sacris exposuit litteris supra coætaneos suos, concipiens et combibens et prophetas in Evangelio, et Evangelium in prophetis. His accedit quod non frequenter accidit, generis claritas, quæ etsi sola non sufficit, cum aliis proficit ad virtutem. Dignus est pro quo et in sacris auribus fundantur preces, et a piis mentibus admittantur. Rogo ego devotus famulus vester, ut in curia sancta per vos ei non solum supplicandi pandatur aditus, sed et in negotiis suis felix ac facilis præbeatur exitus impetrandi.

190 EPISTOLA CXXXIII.

AD ABBATEM SANCTI DIONYSII (15).

Facultatem concedit cuidam canonico S. Genovefæ, ut habitum S. Benedicti suscipiat.

Solus est cui omne secretum patet Deus, et qui judicabit fines terræ, ipse judicat fines operum et terminos voluntatum. Inde est quod desiderium fratris H. canonici nostri cupientis ad monasterium vestrum transire, nec commendare volumus, nec reprehendere audemus, illi omnia reservantes, qui tempore retributionis appendet merita singulorum in pondere et statera. Sed ut vestræ petitioni et ardentissimæ fratris satisfaciamus voluntati, liberum et absolutum vobis eum concedimus (salva nobis eleemosyna domus, quam ipse et mater sua

(13) Hugonem scilicet abbatem S. Bartholomæi Noviomensis, sub cujus disciplina in religionis observantiis simul fuerant educati.

(14) Guillelmus primum canonicus sæcularis S. Genovefæ, normam regularem amplexus est, cum canonici regulares S. Victoris in eamdem ecclesiam per Eugenium papam et Ludovicum Juniorem fuerunt inducti anno 1148; inde ab Absalone Roschildensi episcopo expetitus vocatusque est in Daniam, illucque per clarissimum Saxonem grammaticum, gentis suæ historiographum elegantissimum, tunc Roschildensem præpositum, ductus, totus in reformando monasterio sui ordinis in Eschil insula, et in altero ædificando, non sine gravibus ærumnis incubuit. Sicque plenus meritis, prope centenarius migravit ad Christum anno 1202 vel 1203. Postea in numerum sanctorum relatus est. Vita ejus ab auctore synchrono et contubernali conscripta habetur apud Surium et Bollandum ad diem 6 Aprilis. De ejus obitu hæc habet Pontanus, lib. VI *Rerum Danicarum*, sub annum 1207: « Fuit hic quoque annus fatalis Guillelmo abbati Ebelholtensis cœnobii quod ad Sanctum Paracletum Latini nominabant eum e collegio divæ Genovefæ quod erat Lutetiæ Parisiorum, evocari in Daniam una cum aliis ejusdem cœnobii sociis curaverat Absalon. Hi apud Danos vitam monasticam ad Regulam divi Augustini, cujusmodi Lutetiis ex instituto S. Victoris colueraut, primum sunt auspicati. Guillelmus vero, cum ob vitæ sanctimoniam, tum quod facta quædam miraculosa, ita traditur, post ejus obitum essent observata, inter sanctos exinde relatus est, appellatusque sanctus Guillelmus Parisiensis. » Epitaphium ejus hujusmodi circumfertur:

Parisiis natus, dictis factisque beatus,
Mundo sublatus, jacet hic Guillelmus humatus.

(15) Abbatia S. Dionysii in Francia secundo ab urbe Lutetia lapide ordinis Benedictini, regum nostrorum sepulcris illustrissima, fundata est a Dagoberto Francorum rege hujus nominis primo

Ecclesiæ nostræ contulerunt) ut nobiscum in habitu monastico Deo deserviat, et ex eo fructum capiat beatus Benedictus, cui sacræ religionis primitias sanctus contulit Augustinus. Testimonium perhibemus ei, quia per biennium et quadrimestre ferme spatium quo nobiscum demoratus est, religiose, mature et honeste sese habuit, et disciplinis regularibus intendens, sic omnium fratrum recepit gratiam, ut nullius mereretur offensam.

191 EPISTOLA CXXXIV.

AD CISTERCIENSEM ET CLAREVALLENSEM ABBATES.

Agit de conversis Grandimontensibus in clericos insurgentibus.

Venerandis Patribus Cisterciensi abbati et Claræ-vallensi spiritu consilii animari, et spiritu fortitudinis armari.

Ne infirmo peragantur exitu, quæ bono a vobis inchoata sunt, vigilet, obsecro, prudentia vestra, ut sententiam, quam cum summa deliberatione tulistis, astuta barbaries non insidiando circumvolet, non latendo subripiat, non inficiando corrumpat. Prudentiores sunt in generatione sua filiis lucis, et in errore suo facile habituri sunt consiliarios et fautores, vel eos qui corrumpuntur pecunia, vel qui adulationibus molliuntur. Necdum executioni mandata est sententia, necdum transivit in rem judicatam, et dilationibus improbis delatores superbiunt, deluduntur judices, mendicant clerici, Christi pauperes exsulant, et adhuc in domibus, quas eis assignastis, vulpes foveas habent et volucres cœli nidos. Ferveat in vobis judiciarius ordinis vigor, nec minas principum timens, nec simulatas hypocrisis latebras admittens, nec prolixis et politis sub specie religionis faucibus deferens, et ut judex omnium remuneret conscientiam vestram, et favor hominum commendet famam.

192 EPISTOLA CXXXV.

AD A. S. R. ECCL. CANCELLARIUM.

Rogat ut se præbeat propitium clericis Grandimontensibus adversus conversos.

Luctuosum in Ecclesia Dei spectaculum fideli ac flebili compassione dignum prosequuntur. Grandimontenses conversi, miserabilem cœtum clericorum exsulantium, barbas prolixas tanquam cornibæ ventilantes (16). Prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua, et simplicitatem columbæ serpentis astutia non tam fraudulenter circumvenit quam violenter absorbet. Ex illo venerabili quondam collegio ministri altaris positi sunt quasi signum ad sagittam, et qui eos vident, movent capita sua super

(16) Per cornibas intelligit hircos qui cornua gestant ac barbas, quibus comparat et assimilat conversos ordinis Grandimontensis. De controversia autem eorum cum clericis hæc habet Jacob de Vitriaco in *Historia occident.*, cap. 15: « Inimicus humani generis et totius religionis callidus impugnator, tam sanctis et salutaribus invidens institutis, hac occasione murmur valde perniciosum, seditionem et scandalum suscitavit inter clericos et laicos, monachos et conversos prædicti monasterii Grandimontis, » etc.

A eos. Mendicant, exsulant vagi et profugi super terram, saturantur opprobriis, et ecce panem filiorum comedunt canes, et in tabernaculis justorum vulpes foveas habent et volucres cœli nidos. Superbiunt in eos laici, et in corruptela pecuniæ spem ponentes, aurum in quo confidunt homines, sub exsecrabili sonitu promittunt eis, quorum oculi muneribus excæcantur. Delegati a domino papa (17) judices, quantum licuit, processerunt, sed ad novum sacri apostolatus mandatum duobus sibi conjudicibus adjunctis, ut nequaquam nisi sub septenario numero (18) negotium tractaretur, maluerunt humiliter subsistere quam inutiliter laborare. Jam antea subdiderunt excommunicationi Stephanum quemdam, quem conversi irreverenter et contra sacros cano-
B nes in locum prioris, qui nec cesserat nec decesserat, intruserant. Omnes illos, qui ei tanquam priori obedirent, sub eadem sententia concludentes. 193
Assignaverunt etiam viginti cellas clericis, in quibus sine inquietatione conversorum pacifice Deo servirent, ex litteris domini papæ, intelligentes melius esse ut in propriis domibus viverent quam in alienis mendicarent. Omnes etiam de Grandimontensi ordine, qui hoc eorum mandatum impedirent, excommunicationi similiter subdiderunt. Conversi, et qui eis adhærent, nec timentes Deum, nec hominem reverentes, utrumque articulum excommunicationis incurrerunt. Inde est, Pater sancte, quod ego minima portio clericorum vestrorum, qui om-
C nibus his interfui, sanctitati vestræ preces fundo, ut zelo justitiæ quo fervetis, occurratis superbientibus laicis; animo misericordiæ quo diligitis, oppressis et humilibus clericis succurratis.

194 EPISTOLA CXXXVI.

AD LUNDENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Petrum nepotem, canonicum S. Genovefæ commendat, ut eum beneficio gaudere curet.

Jucundam Petri nostri pariter et vestri conversationem tanto gravius est nobis vel ad tempus amittere, quanto gratius esset ea perpetuo non carere. Si numeremus annorum tempora, juvenis est; senex, si morum merita computemus. Inter scholares subtilis, inter claustrales humilis, ibi verecundus, hic
D vere mundus, ubique avide laudabilis, quia nunquam avidus erat laudis. In Ecclesia nostra simul et sua verbo naturalem, scripto civilem, re et consensu cum utraque canonicam, cum beata virgine (19), cui assistimus, obligationem contraxit (20), cujus solutionem nec prælatus debet con-

(17) Episcopus scilicet Carnotensis, et abbas S. Victoris Parisiensis.

(18) Præter hos duos judices in causa Grandimontensium cum illis nominati fuerunt abbates, Cisterciensis, Claræ-vallensis, S. Dionysii, S. Germani a Pratis et S. Genovefæ. De hac controversia consule alias epistolas.

(19) Sancta scilicet Genovefa.

(20) Intelligit professionem canonicam, quam voce et scripto in ecclesia S. Genovefæ emiserat. Non ita erat antiquum tam apud canonicos quam apud mo-

cedere, nec subditus postulare. Tanta eum diligentia A curavimus, tantis impendiis extulimus, tanto favore fovimus, ut eum solutum ab obedientia nostra remittere nihil aliud quam amittere æstimemus. Absit ut acephalus exeat a nobis, et tanquam ventis expositus sine titulo clericus, sine stipendio miles, sine solatio togatus discurrat, miraculum suis, spectaculum alienis. Ne tamen vestram offendamus gratiam, ne vestram incurramus offensam, eum non tanquam apud nos depositum vobis restituimus, sed tanquam nobis appositum eum vobis interim commendamus. Quod si per Dei providentiam, et opem simul ac operam vestram, ab humiliori ad sublimiorem gradum, a scabello ad cathedram, a pulvere subjectionis ad speculam regiminis (21) eum vocare contigerit, in hoc laudabili profectu et pro- B ventu plenam **195** ei absolutionem indulgemus, plenam concedimus libertatem.

EPISTOLA CXXXVII.

AD G. ABBATEM S. SATYRI.

Rogat pro quodam fugitivo, ut culpam ipsi condonet.

Charissimo domino et Patri G. abbati Sancti Satyri, STEPHANUS de Sancta Genovefa dictus abbas, communes orationes in Domino.

Asperitatis et duritiæ plerique nos arguunt, quoties paulo acrius aut errantes corrigimus, aut corripimus inquietos. Quod si lapsum relevare, **196** pereuntem recipere, mendicantem pro foribus audire negligamus, crudeles nos denuntiant et proxi- C mos homicidis. In primo si excesserimus, non exigetur ut a nobis subditis (22) veniam postulemus. In secundo considerandum est quanta discretione regi debent qui præsident, ut circa subditos pereuntes misericordia vigilet, excitetur pietas, motum pariter et modum vindictæ paternus vincat affectus. Inde est quod pro præsentium latore fratre nuper et canonico nostro preces fundo, ut supplicanti pandatur aditus, colligatur vagus et profugus super terram, ne in saltu salutem amittat, in excessu decedat, in mora mortem incurrat, brevi ad se reversus paucos dies, quos foris cum carnali matre pueriliter egit, in gremio matris suæ spiritualis multa pœnitentia viriliter redimere contendit.

EPISTOLA CXXXVIII.

AD ABBATEM CISTERCIENSEM SUB PERSONA CLERICORUM GRANDIMONTENSIUM.

Grates referunt pro beneficiis sibi collatis

Et si non condigna gratiarum actione, pia tamen et humili sollicitudine beneficia vestra prosequimur, illum in vobis flexis genibus adorantes, de cujus plenitudine accepistis, ut et charitas vestra non deficiat singulis, et sufficiat universis. Calamum quassatum conterebant, alii linum fumigans exstinguebant, et ecce a quatuor ventis insufflante super nos Spiritu **197** Dei, beneficiis et orationibus vestris ossa nostra arida reviviscunt. In falsis fratribus pericula passi, in consilio dolos, præjudicium in causa, violentiam in fuga, ejecti, pulsati, afflicti contumeliis, saturati opprobriis, sacerdote et levita transeuntibus, semivivos a sancto Cisterciensi ordine veri Samaritani discipulo suscepti sumus, et non usque in stabulum, sed usque in cubiculum genitricis suæ perducti, panem filiorum coplo e cum eis sumpsimus, quibus micæ cadentes de mensa dominorum nostrorum sufficere debuissent. Collegistis exsules, suscepistis ejectos, juvistis pusillanimes, refovistis flebiles, mendicis stipem quæ sufficeret, imbecillis opem quæ proficeret, simplicibus consilium, supplicibus auxilium impendistis. In his omnibus quid retribuere possumus dominis nostris pro omnibus quæ retribuerunt nobis? Retribuat vobis Deus mercedem justi, qui nos quamvis injustos in nomine justi recepistis. Sed quoniam negotium nostrum tanquam in statera appensum movetur adhuc et fluctuat, et summi pontificis examen exspectat, nos in sola Dei misericordia sperantes, sanctæ paternitatis vestræ genibus advoluti supplicamus, rogamus et obsecramus in Domino, ut quod in nobis cœpistis fideliter et benevole, feliciter ac benefice compleatis. Orationibus vestris et consiliis commendamus causam nostram, timentes ex his quæ præcesserunt, indignationem et iram, immissiones per angelos malos, conversorum nostrorum astutiam, potentiam, superbiam, fastum, sumptus, ambitum, et alia quæ terrori pauperibus et divitibus sunt errori. Valete in Domino sanctissimi ac beatissimi Patres.

198 EPISTOLA CXXXIX.

AD PETRUM DE DACIA.

Hortatur eum ad perfectiora magis ac magis amplectenda.

D Amantissimo fratri PETRO de Dacia, S. Genovefæ canonico, STEPHANUS de S. Genovefa dictus abbas, deposito Septentrionis frigore flamma charitatis ardere.

Solitam non solutam fraternitatis et gratiæ tibi

nachos professionem religiosam emittere, ac vota publice proferre verbis quibusdam conceptis et determinatis, scriptoque consignatis. Scribitur de B. Stephano de Mureto fundatore ordinis Grandimontens s, atque antea canonico regulari, quod cum scripsisset professionem suam in charta, eam capiti suo imposuit, dicens: « Omnipotens et misericors Deus, ego frater Stephanus promitto tibi me amodo serviturum in hac eremo in fide catholica, et propter hoc pono chartam istam super caput meum, et annulum istum in digito meo, ut in die obitus mei sit mihi hæc promissio et hæc charta scutum et defensio contra insidias inimicorum meorum. »

(21) Rogat Lundensem archiepiscopum, ut nepotem suum Petrum canonicum S. Genovefæ in patriam remeantem aliqua prælatura cohonestet, quod quidem effectum est cum successit avunculo suo in episcopatu Roschildensi, quem, post abdicationem Eschilli, cum Lundensi primatu, ex dispensatione summi pontificis, tenuerat.

(22) Hunc locum desumpsit ex Regula S. August. cap. 10: « Quod si modum vos excessisse sentitis, non a vobis exigitur ut a vobis subditis veniam postuletis. »

reservamus amicitiam fideli memoria, nec tuam compensantes absentiam, nec longa terrarum spatia facili saltu desiderii transeuntes. His affectuum passibus occurrunt sibi cultores et discipuli charitatis, sollicitudinem suam solantur, negligentiam negligunt, tristitiam fugant, et artificioso quodam naturæ colloquio sibi confabulantur absentes. Currant inter nos hæc religiosa commercia, et quod invidet commeantium raritas, communio suppleat voluntatum. Congaudemus tibi quod, deposita vetustæ nativitatis avita barbarie, totus in Christianam morum compositionem mansueveris, et quod Æthiopes mutatione nigellæ pellis facere non possunt, candida glacialis Danesmarchiæ progenies (23) in te pariter et de te sibi gaudet fuisse collatum. His accedunt regularis observantiæ disciplina, qua imbutus es in B claustro, sacræ Scripturæ doctrina, quam in scholis didicisti. Ex utroque matutinum et vespertinum sacrificium offerendi Deo voluntas tua bona et beneplacens et perfecta. Hæc in ætate tua tenera tenere te volumus. Juventutem tuam juvat nos in hoc profectu proficisci. Dies extremos tuos si **199** contigerit annis senescere, non contingat animis se nescire. Interim de statu tuo solliciti per nuntium vel per epistolam certificari desideramus quid agas, quid agant tui circa te, quid et nos sperare debeamus vel de reditu ad nos, vel de redditu apud tuos (24). Salutant te omnes fratres nostri communi desiderio, de te sperantes prospera, timentes adversa. Vale ut volumus, velis ut valeamus.

EPISTOLA CXL.

AD DOMINUM PAPAM SUB PERSONA REGINÆ FRANCORUM (25).

Rogat ut differat judicium ferre in negotio archiepiscopi Turonensis et episcopi Dolensis usque ad reditum regis.

Materno compellor affectu, per succedentes singularum lapsus horarum, in absentia filii mei regis Francorum nova quædam recentiaque perpeti vulnera, et meam ipsius animam pertranseuntem gladium continuis sentire momentis. Videre mihi videor A **200** partem viscerum meorum in sacrificio Domini offerri, et unicum filium meum tanquam colligatum cum Isaac imponi super altare, necdum tamen patientiam sive obedientiam Abrahæ imitari possum vel assequi; quia et maternus excludit animus, et sexus in me femineus non admittit. Inter hos iterati partus dolores et antiqui puerperii renovatas angustias, nihil est quod consolationi meæ sufficiat, nisi tantum crucis et passionis Dominicæ memoria, pro cujus exaltatione et honore tantæ in terris gloriæ filius in hac peregrinatione sese proposuit pati, et si necesse fuerit, cum Domino crucifigi. Peccat in Dei Filium, peccat in Spiritum sanctum, qui in tam devota et religiosa ejus absentia regnum ipsius in aliquo perturbat, et in alium statum contendit involvere, vel permittit, quam in eo quo pacificus ejus egressus sub quodam solatio populum sibi subditum reddidit minus flentem. Hæc ideo, Pater, vobis scribo, quoniam specialiter cura regni mihi injuncta maternum movet et monet animum meum, ut provida sollicitudine videam, ne vel circa ecclesias, vel circa principes majores seu minores, civitates, oppida, vel populum immutentur aliqua, quibus devota peregrinatio filii mei regis indignari debeat aut turbari. Proinde rogo et obsecro, et tanquam devota filia Romanæ Ecclesiæ fideliter consulo, ut negotium Turonensis et Dolensis Ecclesiæ usque ad reditum regis, quem desideramus et speramus in Domino, differatur, et C Turonensis Ecclesia, quæ unum e præcipuis membris coronæ regiæ maximum inter alias obtinet locum, de patronatu regio gaudeat, nec Dolensium doleat vel impetu vel incursu. Nec enim patienter sustinere poterit peregrinus noster per Dei gratiam fortis adhuc et potens, nec regni principes æquis oculis aspicient sub alio discrimine jura ecclesiarum suarum currere, quæ tempore bonæ memoriæ patris sui regis **201** Ludovici, vel suo hactenus processerunt, nec aliquo modo permittent metropolitanum minoris Britanniæ sub quadam prodigiosa facie superbire, vel cum Jano bicipitem (26), vel Centauro bifrontem (27).

(23) Regnum Danesmarchiæ seu Daciæ seu Daniæ, his enim omnibus nominibus afficitur, in Oceani septentrionalis peninsula, quam olim Cymbri habitarunt, constituitur. Illud Saxo grammaticus ejus incola eleganter, ut solet, sic describit: « Dania medio pelagi fluctibus intercisa paucas solidi continuique tractus partes habet, quas tanta undarum interruptio, pro varia freti obliquitate discriminat. » Vocatur autem glacialis quia ejus plaga septentrionalis vehementiori riget frigore.

(24) Juvat hic meminisse eorum quæ scripserat Stephanus Lundensi archiepiscopo Petri avunculo, epist. 137, ut ipsi aliquam prælaturam procuret apud suos in Daniæ regno.

(25) Adelæ scilicet uxoris Ludovici junioris, matris Philippi Augusti, cui regni administrationem commisit, cum in partes transmarinas profectus est anno 1190, quo scripta videtur hæc epistola. Horum mentionem facit Rigordus in testamento quod Phi- D lippus ante discessum suum condidit: « Volumus inquit, et præcipimus, ut charissima mater nostra A. regina statuat cum charissimo avunculo nostro et fideli Guillelmo Remensi archiepiscopo singulis quatuor mensibus unum diem Parisius, in quo audiant clamores hominum regni nostri, et ibi eos finiant ad honorem Dei et utilitatem regni. » De hac autem regis peregrinatione agitur in initio hujus epistolæ, etc.

(26) Janum pinxerunt antiqui bifrontem, ejusque figuram apposuerunt Romani in primis suis nummis quos asses vocarunt. Fuit autem Janus rex Latii antiquissimus, ac in futuris prævidendis sagacissimus, ideoque ipsi duplicem vultum effinxerunt.

(27) Alibi vocat biformem, et rectius: ejus enim pars superior erat hominis, inferior vero equi. Occasionem autem ejusmodi monstrum fingendi arripuerunt

tenebatur et innocentes absolvere, et noxios condemnare. Neminem tamen, ut ipse confitetur, ad effusionem sanguinis ore proprio condemnavit, sed confessos aut convictos de crimine, communiæ Ambianensi, ad quam judicium sanguinis spectat, secundum quod meruisset reus, judicandos exposuit et plectendos. Inde secuta **165** est capitalis pœna multorum, aliis suspensis, aliis prout exigebat consuetudo taliter damnatorum, aliter interfectis. Nullum tamen odio, sive pecunia, sive aliquo alio contra justitiam affectu supradictæ communiæ judicandum exposuit aut damnandum. Reversus in se renuntiavit his omnibus et condignos fructus pœnitentiæ concipiens in animo, Deo servire in sacerdotali ordine desiderat et affectat. Suscipite desiderium ejus, et salubriter ei consulite, temperato per dispensationem rigore, ne absorbeatur a tristitia, si ei via divini mysterii claudatur, qui sic plangit admissa, ut non admittat plangenda.

EPISTOLA CXIV.

AD DECANUM ET CAPITULUM S. CRUCIS AURELIANENSIS.

Hortatur eos, ut cuidam clerico, in cujus gratiam papa ipsis scripserat, se præstent benevolos.

Paternas Domini papæ preces, monitus, et mandata, tanta debetis hilaritate ac diligentia suscipere, ut obedientia vestra divinam vobis gratiam comparet et humanam. Et quoniam pro Joanne latore **166** præsentium clerico vestro in Ecclesia vestra enutrito et educato summus pontifex monendo, rogando et mandando scripsit vobis; ego quoque sicut clericus et amicus vester, moneo et consulo, ut in petitione prædicti clerici benevolam simul et beneficam manum vestram aperiatis ei, quoniam tanto Patri non parere perire est, non obedire obire. Moveat vos pariter et moneat ejusdem clerici non inhonesta paupertas, non ignota nativitas, non illiuterata pubertas. Accedit ad cumulum et stimulum petitionis hujus, quod dominus A papa domino Remensi archiepiscopo excusationem negotii commisit, parvitatem meam tantæ potestati tanquam Hylam Herculi, et urticam lilio jungens, qui mandatum apostolicum, si desides apparueritis, implebit non minus celeriter quam potenter. Noverit autem prudentia vestra, quoniam acceptius est spontaneum beneficium quam involuntarium, gratuitum quam extortum.

EPISTOLA CXV.

AD FULCONEM MAGISTRUM SCHOLARUM S. CRUCIS AURELIANENSIS (86).

Rogat ut sinat quemdam clericum publice legere in schola Aurelianensi.

Molestum mihi est quoties aliquem mo estare compellor, præsertim dominos meos, quibus vel B ob meritorum gratiam, vel ob reverentiam dignitatis assurgere teneor et servire. Unum ex eis vos æstimo, cujus honorem minus in causis offendere quam defendere sum paratus. Sed quoniam mandata apostolica tanquam muri sunt urbis, quos transilire non licet: eo terrore percussus, ne Romulei fratris (87) sortem simul **167** ac mortem capitis amissione saltem civiliter incurram; sicut primo vos commonueram, ita et secunda commonitione vobis consulo, ut magistrum G. secundum mandatum domini papæ licite legere permittatis. Quod si forte nolueritis, peremptorio velim nolim vobis edicto denuntio, ut prima die lunæ instantis Adventus Dominici Parisius eumdem G. ad tale C regimen scholarum minus idoneum ostendatis.

168 EPISTOLA CXVI.

AD GUILLELMUM REMENSEM ARCHIEPISCOPUM (88).

Ejus implorat auxilium pro quodam rustico a regis ministris injuste oppresso.

Angustant me, ne augusto sermone scribam vobis, hinc necessitas mensis Augusti, inde festivitas Patris Augustini. In primores familiaris et domemestica, in secundo cura pastoralis et canonica

(86) Cum per concilia statutum fuerit, ut sacras disciplinas ac etiam profanas juniores edocerentur, sicut legitur in canone 10 concilii Tullensis, anno 859, sub Carolo Calvo: « Constituantur undique scholæ publicæ, ut utriusque eruditionis, divinæ scilicet et humanæ in Ecclesia Dei fructus valeat accrescere. » Legimus autem in *Capitularibus* Theodulphi Aurelianensis episcopi, cap 19: « Si quis ex presbyteris voluerit nepotem suum aut aliquem consanguineum ad scholam mittere in ecclesia S. Crucis, aut in monasterio Sancti Aniani aut Sancti Liphardi, aut in cæteris de his cœnobiis quæ nobis ad regendum concessa sunt, ei licentiam id faciendi concedimus. » Cum ergo fuerint ab antiquis temporibus scholæ publicæ in ecclesia S. Crucis Aurelianensis, debuit etiam esse in illa, sicut in cæteris ecclesiis cathedralibus, magister et præpositus quidam qui eas moderaretur, et penes quem esset totius rei litterariæ regimen. Variam autem sortitus est in variis ecclesiis appellationem. Nam modo scholaris et magister scholarum, modo cancellarius et theologus appellatus est. De his agitur in can. 18 concilii III Lateranensis his verbis: « Ne pauperibus qui parentum opibus juvari non possunt, legendi et proficiendi opportunitas sub trahatur, per unamquamque ecclesiam cathedralem magistro, qui clericos ejusdem ecclesiæ ac scholares gratis doceat, competens aliquod beneficium assignetur, quo docentis necessitas sublevetur, et discentibus via pateat ad doctrinam. » Ad eos autem spectabat cæteris magistris docendi licentiam ac facultatem tribuere, quod etiam nunc cancellarii academiarum ac universitatum præstant. Arguebat D Alexander III in decretali, quosdam ex iis qui sordido nimis quæstu pecunias ad hujusmodi licentias concedendas magistris exigebant: « Tanto vehementiori, » inquit, « animadversione eos dignos censemus, qui nomen magistri scholarum et dignitatem assumunt, et sine pretio ecclesiasticis viris docendi alios licentiam non impendunt. »

(87) Alludit ad id quod narratur de Remo, qui periit propter transgressionem et contemptum edicti fratris sui Romuli urbis conditoris.

(88) Patet hanc epistolam conscriptam esse mense Augusto circa festum S. Augustini. Cum loquitur de necessitate mensis Augusti, et de cura in eo rei familiaris, intelligendum est de instanti messe quæ non mediocre facessebat abbati nostro, rei domesticæ provido, negotium, quippe qui agros ac villas suas proprio labore et sumptu per canonicorum ac conversorum ministerium colebat.

nec scribentem recipiunt, nec rejiciunt disponentem. Inter hæc malui rudis esse, ut indemnis essem, quam invocare musas, ut eruditus apparerem. Mitto vobis hominem rusticanum de post fetantes acceptum in palatiis regum et præsidum prætoriis elinguem ac mutum, cujus causa sine consilio vestro peribit, sine auxilio vestro valido non valebit. Sublimes rapiunt eum et innocentem condemnant ministri domini regis, substantiolam ejus alendis uxori et filiis non sufficientem diripere volentes, dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat.

169 EPISTOLA CXVII.

AD EUMDEM.

Scribit in gratiam cujusdam hospitis Sanctæ Genovefæ, ut liberetur ab exactione præpositi Pinciacensis.

Præpositus Pinciacensis (89) contra propositum quod vobis promiserat, postposita in hac parte memoria vestri, ovem vestram pro dimidia relinquens intonsam, reliquum non solum tondere, sed excoriare contendit. Centum solidos a paupere nostro exigit, quos sub centesimis mutuabitur, si propositum præpositi non mutetur. Et quia nihil incœpisse vos memini, quod imperfectum reliquerit manus vestra, precor ut hominem innocentem, et usque ad tempora ista ab exactione regia liberum, beatæ Genovefæ virginis hospitem et servum (90), consilio et auxilio vestro ita faciatis absolvi in solidum, ne in centum solidis condemnetur. Plenum erit beneficium, si absolutionem secuta fuerit plenitudo. Cantorem Silvanectensem, qui atroces canonicis nostris injurias, contumax et arrogans irrogavit, suæ manumissionis immemor (91) quam ab Ecclesia nostra gratis accepit ingratus, si placet, certo die citari et loco faciatis, et nobis super tanto respondeat excessu, quoniam die quam nobis in quarta feria assignastis Noviomi, vos non credimus adfuturum. Distentum est marsupium ejus, et sicut animal illud plenum est vento (92), ita et sacculus plenus est argento. Pecuniariter puniri potest, qui criminaliter meruit accusari.

170-171 EPISTOLA CXVIII.

AD R. CARNOTENSEM ELECTUM (93).

Ipsi commendat ecclesiam et canonicos suos de Soisiaco, ne ab officialibus injuste graventur.

Initia sacræ promotionis vestræ, et futuri, Deo volente, sacerdotii vestri merita, Spiritus sancti disciplina suscipiat, qui et fidelem consiliis vestris formam, et felicem negotiis finem imponat. Ad hujus oblationem voti et desiderii sacrificium nos invitant et communis quam omnibus Ecclesiarum prælatis debemus reverentia, et specialis obedientia pariter et fides, quam domino magnifico et benefico nobis avunculo vestro Remensi archiepiscopo (94) a multis retro temporibus exhibere tenemur. Et quoniam his gratiarum vinculis vobis respondere, temporibus opportunis, parati sumus, et vitium ingratitudinis tam circa vos quam circa alios dominos nostros penitus abhorremus : præcipuam ac præclaram nobilitatem vestram rogamus, ut sicut decessores vestri Carnotenses episcopi, præcipue dominus noster avunculus vester, et post eum bonæ memoriæ J. et P. (95) Carnotenses episcopi nobis benevole detulerunt, et vos æquis passibus, et si ex parte ecclesiæ nostræ licentientur.

(89) Pinciacum vel Pisciacum, vulgo *Poissy*, quindecim milliaribus ab urbe Lutetia, in diœcesi tamen Carnotensi collocatur. Primas tenet inter septem præposituras a Castelleto Parisiensi pendentes. Celebris hæc villa baptismo B. Ludovici. In ea insigne est monasterium B. Mariæ sacrum, per Constantiam uxorem Roberti exstructum, sed postea a Philippo Pulchro decentius restauratum, ac monialibus Sancti Dominici traditum.

(90) Ecclesia Sanctæ Genovefæ multos possidebat hujusmodi servos et ancillas tam Parisiis in burgo de Monte et S. Medardi, quam in villis suis de Autolio, Vanvis, Spinolio, Rodoniaco et cæteris; dicebanturque homines et feminæ de corpore. Quadruplex erat jus dominorum in ejusmodi servos, prout declaratur in charta quadam tabularii ejusdem abbatiæ his verbis : « Non possunt filios suos clericos facere nisi de concessione Ecclesiæ; non possunt filios suos aut filias matrimonio conjungere cum hominibus alterius Ballivæ vel Dominatus; caducum, id est manum mortuam debent; in necessitatibus Ecclesiæ dabunt auxilium conveniens de suo juxta consuetudinem regni. » Servi autem S. Genovefæ manumissionem suam pretio emerunt anno circiter 1245, regnante S. Ludovico, iis scilicet conditionibus : « Primo, ut remanerent hospites seu vassalli ejusdem ecclesiæ; secundo, si uxorem servilis conditionis ducerent, etiam servi eorum liberi restarent; tertio, pro personis et juribus ecclesiæ defendendis, seu pro persecutione damnorum venire personaliter tenebuntur. Primo die ad sumptus suos, cæteris vero diebus dabimus unicuique dictorum hominum sex denarios Parisienses, quousque

(91) Cantor ille Silvanectensis fuerat quondam servus S. Genovefæ, quem abbas libertate donarat, ut clericus efficeretur. Cautum enim erat per concilia, scilicet Aurelian. III, can. 26; Tribur., can. 29; Bitur. can. 9; Pictav. I, can. 9 : « Ne servi ad ordines promoverentur, et ad honores ecclesiasticos admitterentur, nisi prius a dominis suis libertate donarentur. » Abbas autem S. Genovefæ accepit facultatem per diploma Clementis III, anno 1289, primam tonsuram conferendi suis servis, quos ad hoc manumittebat.

(92) Intelligit cantorem Silvanectensem, quem hoc verbo, forte minus congruo, designat; parcendum tamen est auctori, qui ad amicum Remensem archiepiscopum, cum quo familiarius utebatur, de suo quondam servo rescribit, et memoriæ repetendum, quod ait Cicero, « quam multa sunt jocosa in epistolis, quæ prolata si sint, inepta videantur. »

(93) Hæc epistola scripta dignoscitur anno 1187, quo Reginaldus de Barro electus fuit in episcopum Carnotensem post decessum Petri Cellensis, ut legitur in *Chronico* Roberti de Monte. De illo autem meminit Petrus Blesensis, epist. 15 et 20; vivere desiit anno 1217, ut notatur in *Necrologio* Carnotensi.

(94) Erat enim Reginaldus filius Agnetis a Campania, filiæ Theobaldi comitis, et sororis Guillelmi Remensis archiepiscopi.

(95) Post Guillelmum episcopatum Carnotensem administraverant Joannes Salisberiensis et Petrus Cellensis, epistolarum suarum scriptis notissimi.

non majoribus, liberaliter deferatis. Est in episcopatu vestro ecclesia quædam nostra in villula nostra, quæ Sosiacum dicitur (96), tam obscura nomine, quam tenuis facultate, in qua duo canonici (97) regulares curam parochiæ gerentes (98) Deo deserviunt, quibus officiales vestri occasione cujusdam collectæ, quam fecisse vos dicunt, quadraginta solidorum onus imponunt, quod neque nos, neque Patres nostri suscipere consuevimus **172** aut portare. Remittite nobis hanc angariam, Pater, quæ et nobis est oneri, et vobis futura non est honori. In aliis episcopatibus, Parisiensi scilicet et Suessionensi (99), liberi sunt ab his oneribus fratres nostri, nec a vobis, Deo volente, gravari incipient, qui per vos, sicut confidimus, specialius defendi deberent.

173-174 EPISTOLA CXIX.

AD GUILLELMUM REMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Petit translationem cujusdam monachi in aliud monasterium.

Capax est gratiæ vestræ sinus, Pater, et sic patens omnibus, ut non deficiat singulis, et proficiat universis. Erubescant et revereantur ingrati, quos frequentius præveniunt beneficia vestra, quam eorum obsequia subsequantur. De talium indevoto numero non esse credimus Th. monachum vestrum in tribulatione sua de vestra sperantem benevolen- A tia, de vestra gratia confidentem. Sicut intelleximus, frater est draconum, et socius struthionum, et inter scorpiones habitans, monachorum simultates et odia eo sentit profundius, quo propinquius intuetur. Non est qui consoletur eum, nisi a vobis ei citius consulatur. Vir est, qui etsi apud vos commendari non egeat emendicatis suffragiis, de me tamen æstimans supra me, juvari se credit precibus alienis. Educite eum, si placet, de Ur Chaldæorum, quod interpretatur *incendium captivantium*, ut cum liberatus fuerit a labiis iniquis et a lingua dolosa, immolet pro vobis Deo sacrificium laudis, et reddat Altissimo vota sua.

175 EPISTOLA CXX.

B AD HUGONEM ABBATEM S. VINCENTII SYLVANECTENSIS.

Postulat ut veniam concedat cuidam canonico revertenti in suum monasterium.

Charissimo fratri et amico HUGONI, abbati S. Vincentii Sylvanectensis frater STEPHANUS de S. Genovefa salutem et sinceram dilectionem.

Movit nos senectus et supplicatio J. fratris et concanonici nostri, qui sic a vobis postulat veniam, ut suam non diffiteatur culpam. Paratus est satisfactioni parere, et misericordiam vestram in confessione reatus sui, ne pereat, prævenire. Preces fundimus et nos pro eo ut, consideratione ætatis

(96) Sosiacum, vulgo *Choisy*, in diœcesi Carnotensi, subjacet omni dominio ecclesiæ Sanctæ Genovefæ. Hæc parochia vocabatur olim S. Petri ad Boves, et villa ipsa dicitur, Gallice, *Choisy aux bœufs*, eo quod forum inibi habebatur celeberrimum, in quo boves undequaque adducti certis hebdomadæ diebus divendebantur, quod postea in villa Piscijecensi præstitum est. Cum autem hæc ecclesia in manus alienas devenisset, tandem canonicis Sanctæ Genovefæ restituta est per Guillelmum, tunc Senonensem archiepiscopum, qui etiam administrationem episcopatus Carnotensis gerebat, teste Roberto de Monte in *Supplemento* Sigeberti his verbis: « Archiepiscopo Senonensi in fata recedente, Guillelmus electus Carnotensis ei successit, concesso tamen ei episcopatu Carnotensi per biennium a papa Alexandro, id est usque ad annum 1171, » quo tempore parochiam de Soisiaco canonicis S. Genovefæ per chartam hic appositam firmavit. « Guillelmus Dei gratia Senonensis archiepiscopus, et apostolicæ sedis legatus, omnibus sanctæ matris Ecclesiæ filiis tam futuris quam præsentibus, ad quos litteræ præsentes pervenerint, in Domino salutem. Cum jurisdictio Carnotensis Ecclesiæ nobis esset commissa, Hugo abbas et canonici S. Genovefæ Parisiensis sæpe et multum querimoniam detulerunt super Ecclesiam de Soisiaco, quam ab Ecclesia sua videbant alienari, cujus juris eamdem esse constaret: inquisita ergo rei veritate ex relatione dilecti filii nostri Odonis præfatæ Ecclesiæ quondam abbatis, aliarumque legitimarum personarum ita se habere pro certo comperimus. Ea-propter tam intuitu justitiæ quam domini papæ et amicorum nostrorum interventu ecclesiam illam prædictis fratribus concedimus, ita ut liceat abbati S. Genovefæ canonicos suos ibi ponere, salvo jure episcopali per omnia. Hæc ut rata in posterum permaneant, scripti hujus attestatione, et sigilli nostri impressione confirmamus. » Hanc concessionem ratam habuit Alexander III suo diplomate dato Tusculi xii Kalend. Maii.

(97) In illa ordinis reformatione quæ sæculo circiter xii facta est, duo vel tres canonici in unaquaque parochia morabantur, vel etiam plures. Quod C semper observatum fuisse in iis quæ a monasterio S. Genovefæ pendebant, discimus ex antiquis ejusdem Regulis et constitutionibus in quibus cap. « De his qui ad obedientias conservantur, » præcipitur « ut fratres qui ad obedientias, id est parochias, commorantur, in singulis locis tres si fieri potest, vel duo ad minus esse debent. » Verum etiam illud ipsum decernitur per diplomata summorum pontificum Cœlestini, Alexandri III et Clementis III in hæc verba: « Statuimus, ut liceat vobis in vestris ecclesiis quatuor aut tres ad minus ex fratribus instituere, ita quod unus eorum a te, fili abbas, diœcesano episcopo repræsentetur, qui de manu ejus curam recipiat animarum. Cum autem res exegerit et fuerit opportunum, liberum vobis sit eos revocare ad claustrum, et alios in eis loco eorum, quemadmodum diximus, substituere, dummodo, qui præesse debuerit, a diœcesano episcopo spiritualium curam accipiat. »

D (98) Cum canonici regulares sint vere et proprie clerici, ad eos spectat animarum proximi saluti vacare, et parochiarum administrationem gerere. Sed sæculo xii quidam episcopi attendentes quod ipsi in claustris vitam monachis non valde absimilem exterius ducerent, a parochiarum regimine volebant eos excludere; quod præsertim accidit in episcopatu Lemovicensi circa canonicos Stirpenses, et in Aurelianensi circa Balgentiacenses. At Ivo Carnotensis, ordinis sui vindex acerrimus, canonumque indagator studiosissimus, binas scripsit epistolas, scilicet 69 ad Galterum præpositum Sterpensem, et 215 ad Joannem episcopum Aurelianensem, quibus evidenter probat canonicos regulares ad regimen animarum esse aptissimos.

(99) Abbatia S. Genovefæ habet in episcopatu Parisiensi parochias de Vanvis, de Nemethodoro, de Rodeniaco, de Roissiaco, de Spinolio; in Suessionensi vero, de Firmitate Milonis, et de Marisiaco.

longævæ, conversationis antiquæ, miserationis divinæ, sinum aperiatis paternum revertenti, et recipiatis pœnitentem, quem exclusistis peccantem (100).

176 EPISTOLA CXXI.

AD URBANUM SUMMUM PONTIFICEM.

Rogat ut petitiones quas fundit pro ecclesia sua S. Genovefæ, suscipere et implere dignetur.

Initia sacri apostolatus vestri (1), Pater, ea devotione suscipimus, ut ex eo certa concipiamus fiducia et humilibus dari gratiam, et confusionem superbis. Hac justitiæ libra (2) singulorum merita pensabit tantus vicarius Petri, cui Dominus affluenter contulit scientiam, et cum scientia potestatem. Nec deesse poterit his duabus gratissima tertia comes, voluntas bona et beneplacens, et perfecta, quo funiculo triplici sancta desideria, recta consilia, et justa opera consummatius astringuntur. Interim glorior inde mecum ego minima filiorum vestrorum portio, quod dominum nunc et patrem meum quandoque viderim in scholis, ubi tanquam Hylas mirabar Herculem, magnis virtutum et prudentiæ passibus incedentem. Exinde vestri nominis reverentiam concepi, vestræ auctoritatis combibi memoriam, fructuosum mihi proponens exemplar, doctrinam ex verbis, ex moribus disciplinam. Ecce ego et Eclesia mihi indigno commissa vestri sumus, cum omni hilaritate parati omnia mandata vestra sine dissimulatione suscipere, sine dilatione complere. Preces fundimus sanctitati vestræ, ut petitiones nostras quas per dominum B. acolythum vestrum vobis porrigimus, sicut Ecclesiæ vestræ videritis expedire, et suscipiatis benevole et benefice compleatis

177 EPISTOLA CXXII.

AD MAGISTRUM REGINALDUM, AURELIANENSIS ECCLESIÆ ARCHIPRESBYTERUM.

Petit ut in injuriam fratri suo illatam condigna satisfactione curet emendari.

Somnolenta est amicitia, quæ in necessitatibus amici tardius excitatur. Hoc vitium ne incurras, hilarem te precor exhibe in causa Stephani fratris mei, cujus injuriam, quoniam mea est, tuam esse debueras æstimare. Et quoniam nondum plene satisfactum est apostolico mandato per dominum Parisiensem episcopum prolato, tu, penes quem non minima portio jurisdictionis (3) ecclesiasticæ, unde gaudeo, consistit, supple vigilanter et viriliter quod excusationi deest, ut exinde tibi gratias agam, et injuriam passus industria tua recipiam ultionem. Fiat, obsecro, sine mora, 178 quæ omnino contrahet ad se periculum, si sine periculo malefactor transierit Pascha, quod Latine transitum appellamus.

EPISTOLA CXXIII.

AD MAGISTRUM BERTERUM CAMERACENSEM ARCHIDIACONUM.

Rogat ut dominum suum deprecetur pro quodam negotio.

Verecundum nec minus verum est quod loquor; timeo dominum meum ac vestrum (4) offendere vel improbis questibus vel precibus importunis. Sufficit mihi gratia sua quam solam omnibus præfero solatiis, omnibus antidotis antepono. Sed quoniam de plenitudine ejus omnes accipiunt, preces quas ei Parisius obtuli, precor, ei porrigite, ut ad consequendum 179 quod postulo, per vestram inducatur industriam, per vestrum monitum moveatur. Opportunum se tempus obtulit, quo cum electo

(100) Regula S. Augustini jubet ut contumaces ejiciantur, et a cæterorum societate excludantur, his verbis : « Quod si ferre recusaverit, etiamsi ipse non abscesserit, de vestra societate projiciatur; non enim hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione plurimos perdat. » Regula S. Benedicti, cap. 28, ait de religiosis pervicacibus : « Quod si nec isto modo sanatus fuerit, tunc jam utatur abbas ferro abcissionis, ut ait Apostolus : *Auferte malum a vobis* (*I Cor.* v); et iterum : *Infidelis si discedit, discedat* (*I Cor.* vii), ne una ovis morbida omnem gregem contaminet. »

(1) Hæc epistola scripta est anno 1186, cum ad summi pontificatus apicem evectus fuerit Urbanus III, die 25 Decembris, anno 1185.

(2) Quamvis per locum hunc nobis innotescat non esse recentem e justitiæ dextra libræ seu bilancis pendentis declinationem, non ea tamen fuit hujus virtutis apud antiquos Romanos effigies. Hanc nobis exhibent nummi Adriani, Antonini Pii et Alexandri Severi : sedentis est habitu, sinistra virgam gestans, pateram dextra; quod quidem justitiæ symbolum Antonius Augustinus *Dialogo* ii sic explicat : « Sedet quod sapientem maturitas doceat, atque ideo sententiam pronuntiaturi judices sedebant. Sceptrum notat imperium mundi, atque reipublicæ administrationem; patera vero significat divinitatem. » Aliam autem justitiæ picturam profert Aulus Gellius, lib. xiv *Noctium Atticarum*, cap. 4, ex Chrysippo : « Forma virginali, aspectu vehementi et formidabili, luminibus oculorum acribus, neque humilis neque atrocis, sed reverendæ cujusdam tristitiæ dignitate. » En variam justitiæ imaginem, qualem sibi effinxerunt Græci, Romani et Galli.

(3) Duplicis generis inveniuntur archipresbyteri, urbicani scilicet et rurales, in notis ad concil. III Tolet. Urbicanus est qui in civitate constitutus, munus episcopi, eo absente, exsequitur, in ecclesia divinum officium incipit, benedictiones dat, et alia peragit quæ continentur in tit. *De officio archipresbyteri* ex constit. Leonis papæ. Ruralis autem præest solummodo plebi. De his agitur in can. 13 synodi Regiaticinæ sub Lothario anno 850 congregatæ, ubi hæc habentur : « Propter assiduam erga populum Dei curam, singulis plebibus archipresbyteros præesse volumus, qui non solum imperiti vulgi sollicitudinem gerant, verum etiam eorum presbyterorum qui per minores titulos habitant, vitam jugi circumspectione custodiant, et qua industria unusquisque divinum opus exerceat, episcopo suo renuntiet, nec obtendat episcopus non egere plebem archipresbytero, quod ipse etiam per se gubernare valeat; quia, etsi valde idoneus est, decet tamen ut patiatur onera sua, et sicut ipse matrici præest, ita archipresbyteri præsint plebeiis, ut in nullo titubet ecclesiastica sollicitudo, cuncta tamen ad episcopum referant, nec aliquid contra ejus decretum ordinare præsumant. »

(4) Intelligit Guillelmum Remensem archiepiscopum, cui in ecclesiasticis ministrabat archidiaconus ille Cameracensis.

Aurelianensi (5) et familiarius loqui possit, et quod A voluerit ab eo facilius impetrare. Diem festum acturus est Remis, ut audivimus, ubi, concurrente temporis et loci occasione, nihil negabit domino nostro, quem non solum benevolum, sed et maxime beneficum nuper expertus est in desiderio suo.

EPISTOLA CXXIV.

AD HENRICUM AURELIANENSEM EPISCOPUM, EX PERSONA ABBATIS S. EVURTII AURELIANENSIS.

Conqueritur de regio exactore, a quo opprimebatur.

Dies tribulationis et angustiæ dies hæc. Litteras domini regis sollicitudine nostra impetratas, ministro et exactori regio porreximus, et in earum oblatione sustinuimus pacem, et non venit; quæsivimus bona, et ecce turbatio. Superbe respondit, et non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus B extenta. Dixit sese nec litteris obedire, nec mandatis, nisi specialia reciperet intersignia sibi et domino regio cognita **180** et comperta. Prædam nostram non solum non restituit, sed quod residuum erat abstulit et abduxit. Moveat paterna viscera vestra dolor noster, et in liberatione nostra promotionis vestræ principia consecrate, ne si palatini satellites in consimilibus invenerint vos tepidum, commune sit periculum vestrum pariter ac vestrorum. Domum reverti nec audeo nec præsumo, cum Ecclesia nostra in quotidianis deficiat lamentis, et adhuc lacrymæ ejus in maxillis ejus. Parisius cum abbate S. Genovefæ remansi, exspectans ab uberibus consolationis vestræ refici, et in præsenti angustia vestro consilio pariter et auxilio liberari. C

EPISTOLA CXXV.

AD G. ABBATEM S. AMBROSII BITURIC.

Commendat quemdam canonicum apud se Parisiis commorantem.

Charissimo fratri et amico G. abbatis S. Ambrosii Bituricensis frater STEPHANUS abbas de S. Genovefa salutem et dilectionem.

In revocatione, seu translatione fratris Al. canonici vestri verbo vobis evangelico respondemus: *Modicæ fidei, quare dubitasti?* (*Matth.* XIV.) Fraternam voluit scindere charitatem, qui verbo iniquo et doloso dixit nos recipere nolle tam idoneum et utilem fratrem, qui filios vestros æque intendimus ut nostros honorare, colere et amare. Grata est nobis societas ejus, ingrata revocatio, ingratior dubietas, qua eum a nobis lingua tertia voluit separare. Placeat vobis ut nobiscum maneat, **181** ne si mandato vestro transferatur ad alios, alieno mandato nobis minime deferatur. D

EPISTOLA CXXVI.

AD ROLANDUM DE DINANO.

Hortatur ut cœptum opus perficiat.

Nobili viro ROLANDO de Dinano (6) STEPHANUS S. Genovefæ dictus abbas totusque Ecclesiæ ipsius humilis conventus salutem et vitam æternam.

Copiosus est divinæ gratiæ sinus, qui nec deficit singulis, et sufficit universis, dispersos colligit, errantes revocat, redeuntes amplectitur, nolentes trahit, et invitos compellit intrare. Hujus desiderio devotionem vestram gaudemus accendi, quæ terrenæ militiæ labores infructuosos contemnens, totam se, ut audivimus, ad palmam supernæ vocationis extendit, dum aut in opera misericordiæ libenter erogat sua, aut in exemplum justitiæ humiliter bona prosequitur aliena. Crescat in dies voluntas hæc bona et beneplacens et perfecta, ut ecclesia, quam ædificatis, regularibus disciplinis (7) per industriam vestram possit instrui, per abundantiam suppleri, per providentiam gubernari. Et quoniam secreto Dei judicio carnis vestræ non relinquitis hæredes, novellam illam plantationem vestram in parte bonorum vestrorum hæredem constituite, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula: ne, si forte indigentes et orphanos reliqueritis eos, mendicare cogantur, et de laboribus vestris alius aliquis consequatur gloriam et honorem. Ne autem **182** beneficia vestra transitoria vel illusoria post dormitationem vestram appareant, pro salute vestra monemus, consulimus et rogamus, ut ea firmitate conferantur Ecclesiæ quam conficitis, ne aut alicujus malitia possint auferri, aut avaritia minui, aut potentia perturbari. Ita demum fratres quos inibi ad servitium Dei colligitis, mensuram bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem dabunt in sinum vestrum, si paupertas eorum ex abundantia vestra sufficienter suppleta fuerit, et eleemosynæ vestræ perseveranter aluerint servos Dei. Interim commendamus vobis sanctæ conversationis et indolis in Christo præcipuæ fratrem W. canonicum nostrum pariter ac vestrum, cujus conversatio inter nos grata Deo et hominibus sine omni querela communem gratiam meruit, singularem opinionem reportavit. Suscipite in eo partem viscerum nostrorum, cui sic Ecclesiam nostram concessimus, ut tanquam unus ex nobis temporalia simul ac spiritualia fraterna communione percipiat, communi fraternitate persolvat. Liberalitatem vestram plena gratiarum actione prosequimur, qui palefridum

(5) Hæc epistola cum sequenti scripta perhibetur anno circiter 1186, quo Henricus ad episcopatum Aurelianensem electus, ad Guillelmum archiepiscopum Remensem properavit, forte ut ab eo consecrationis munus acciperet; quod videtur innuere verbis sequentibus: « Diem festum acturus est Remis, ubi, concurrente temporis et loci occasione, nihil denegabit domino nostro. »

(6) Dinannum seu Dinanum, vulgo *Dinan*, urbs est Britanniæ Minoris in diœcesi Macloviensi, cujus erat toparcha Rolandus ille, ad quem hæc epistola.

(7) Fundavit abbatiam in parochia de *Megrat*, vel *Megrest*, prope castrum suum de Belloloco, unde postea nomen sortita est, atque octo canonicos regulares in ea constituit, quos amplis redditibus dotavit. Hæc abbatia dicebatur olim B. Mariæ Pontis-Pillari, quod sita esset juxta pontem hujus nominis. In ea jacent Rolandus ille fundator, ac Alanus Vitriacensis, inter beneficos hujus monasterii primarii.

vestrum (8) sine merito nostro nobis misistis et donantis affectum in tam convenienti dono familiariter ostendistis.

183 EPISTOLA CXXVII.

AD GUILLELMUM REMENSEM ARCHIEPISCOPUM (9).

Significat regem exemisse eum ab itinere Romano.

Sicut vobis significaveram, Pater, ad dominum regem die mihi assignata recessurus accessi : paratus ad viam cujus formidolosa sunt initia, periculosa media, novissima fastuosa. Post aliquas deliberationes Deus, in cujus manu corda sunt regum, consilium domini regis mutavit, et a labore futuri itineris absolvit me princeps benevolus, bonam voluntatem meam in negotiis suis commendans; et si magna minimis comparari debeant, gratiam pro gratia mihi reddens. Vobis interim, Pater, ex parte famuli vestri gratiarum actio et vox laudis, qui per litteras vestras suscipiendi laboris exhortationem utilem, consolationem uberem, compassionem humilem mihi supra quam meruerim non negastis.

184 EPISTOLA CXXVIII.

AD NIVELONEM SUESSIONENSEM EPISCOPUM (10).

Hortatur ut perficiat quod incœperat in ecclesia S. Joannis.

Fructuosa sunt opera, quæ et charitas inchoat, et perseverantia consummat. Radicem sequitur ramus, rivulus fontem sapit, opus intentionem commendat. Quod sincere a vobis et nobis super ordinatione ecclesiæ Sancti Joannis de Vineis, auctoritate domini papæ inchoatum est, perfectionem exspectat, et languentis Ecclesiæ defectus quotidiano clamore pulsat aures Domini Sabaoth, ut qui habitant terram austri cum panibus occurrant sitienti. Quæ vobis imputentur et nobis, si non bono peragatur exitu, quod bono inchoatum est principio. Celerem ac celebrem opem date et operam, ut in octavis Assumptionis beatæ Virginis Parisius ex A parte vestra mittatis, qui honorifice canonicos ducant, deducant et inducant (11). Quia vero propter dilationem colloquii regii, dominum Remensem archiepiscopum adfuturum non credimus, diligenter inquirite quando et ubi convenientius ei vobiscum possimus occurrere, et de eo quod superest deliberare et tractare. Super his omnibus significate nobis voluntatem vestram, ne vel curramus in incertum, vel pugnantes quasi aerem verberemus.

185 EPISTOLA CXXIX.

AD GUILLELMUM REMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Conqueritur de episcopo Silvanectensi, qui majorem suum de Borret (12) anathemate percusserat.

Ordo judiciorum, Pater, multis excogitatis vigiliis, a quibusdam hodie Romanæ Ecclesiæ rectori- B bus turbatur, qui sacris canonibus aut nec lectis, aut neglectis, non minus sunt in sententia præcipites quam in exsecutione crudeles. Sine vocatione ligant, sine delectu excommunicant, sine cognitione condemnant. Horum de numero contendit se esse Silvanectensis episcopus, qui servientem nostrum majorem de Borret, omni ordine judiciario postposito, non tam excommunicavit, quam illicitam et irregularem qualis qualis excommunicationis sententiam in eum primo aspectu juri se offerentem evomuit, et villam nostram ex levissima vel nulla causa sub interdicto conclusit. Et quoniam, domine, refugium factus estis nobis, paternitati vestræ, quam benevolam simul experti sumus ac beneficam, C preces fundimus, ut servientem nostrum præstito sacramento standi ad manatum vestrum, **186** si placet, absolvatis, et tam super causa ejus quam super interdicto villæ, quando et ubi vobis placuerit, nobis et episcopo diem et locum assignetis.

EPISTOLA CXXX.

AD NICOLAUM PRIOREM S. BARTHOLOMÆI NOVIOMENSIS.

Ipsi commendat Petrum nepotem suum.

Amicitiam nostram, quam charitas excitavit,

(8) Palefridus, Gallice *palefroi*, dicebatur equus sessorius. Guillelmus Tyrius, lib. XIII *Belli sacri*, cap. 27, ait : « Miserat prædicto nobili viro per quemdam familiarem suum palefridum albissimum, argento ferratum. »

(9) Colligitur ex hac epistola et aliis, quantus fuerit abbas noster apud regem, qui legationes frequentes, et reipublicæ bono perutiles, ejus curæ et prudentiæ committebat.

(10) Nivelo *de Cherisy* promotus est ad episcopatum Suessionensem anno 1175. Matrem habuit Agnetem dominam Longipontis; quæ soror conversa effecta est in ipsa Longipontis abbatia a Josleno Suessionensi præsule anno 1131 fundata. Tempore autem Nivelonis orta est gravis illa controversia inter abbatem et canonicos S. Joannis in Vineis, qui nolebant a sacerdotiis suis amoveri, de qua superius egimus.

(11) Nivelo ad monasterium S. Joannis vocavit canonicos regulares S. Genovefæ Parisiensis, ut regularem disciplinam aliquatenus in eo imminutam repararent, prout a summo pontifice sibi fuerat injunctum. Raymundus itaque prior ejusdem abbatiæ S. Genovefæ, ad quem variæ epistolæ hic diriguntur, factus est abbas octavus S. Joannis Suessionensis

(12) Diximus Borretum esse villam IV milliaribus a Silvanecto distantem, S. Genovefæ dominio ascriptam, in qua olim fuerunt major et scabini. Hujus autem viaria concessa est huic abbatiæ per Gaufridum comitem Andegavensem, ut patet ex charta D donationis sequentis : « In nomine Dei omnipotentis, visibilium rerum et invisibilium Creatoris, Gaufridus Andegavensium comes, Notum fieri volo fidelibus meis et omnibus ad quorum notitiam istud negotium pertinere debebat, quod accedentes ad præsentiam meam canonici congregationis monasterii Parisiensis beatissimæ virginis Christi Genovefæ, humiliter deprecati sunt, ut sibi et S. loco suo ob amorem divini nominis et venerationem ipsius virginis patronæ ipsorum specialis quippiam eleemosynæ conferremus et necessarii sublevaminis. Quorum postulationem humiliter et libenter suscipiens, pro animabus parentum meorum Fulconis incl yti comitis et religiosæ comitissæ Hildegardis, meorum quoque ob remissionem peccatorum indulsi sacro sanctissimæ Genovefæ monasterio de villa ipsorum quæ in Silvanectensium sita comitatu, Borretumque habet vocabulum, viariam totum ad integrum, » etc.

occasio non exstinguat. Prudenti loquor, et ei quem licet raro video, cogito tamen frequenter. Usque ad mortem infirmatus sum, et longo dolore confectus, nec præsentia vestra, nec litteris, aut nuntio vestro consolationem suscepi. Remittetur negligentia, si diligentia compensetur. Communem Patrem **187** nostrum (13), abbatem dico senem vestrum, et extremis suis, ut timeo, proximum honora, obsecro, ut sis longævus super terram. Petrum meum, si excesserit, corrige; si opus habuerit, defende: culpas ejus non foveo, sed naturæ faveo, qua mihi ligatus est.

EPISTOLA CXXXI.

AD W.....

Grates agit de equo eleganti sibi ex Dania misso.

Reverendo patri et amico W. seniori (14), consenescens, vivere et videre dies bonos.

Digna vox est beneficium capientis obligatum ad antidora se erga quemlibet profiteri. Aliter si quis egerit, aut indevoti statuam colet, aut ingrati simulacrum adorabit. Infausta hæc prodigiorum soboles, quarum prima informis, secunda infamis, utraque sine laude, neutra est sine sorde. Indevotionis obscuritas, ingratitudinis obsceni as, beneficia præterita sepeliunt, præsentia corrumpunt, futura repellunt. Harum contagia fugimus, harum consortia detestamur. Donum vestrum sic accipimus, ut effectum dilectionis veneremur in munere, et affectum largitoris in muneris largitore. Æquum est ut pro equo tam solemni solemnes referamus gratias, C quem sedere deceret aut pontifices magnos, aut principes palatinos. Aliorum sessores vident et invident, nec facile est apud nos consimilem aut pretio mercari, aut obsequio promereri. **188** Si qua fuit in dando mora, convenienter purgata est, nec aliquod traxit ad se periculum, quæ tam plenum muneris exhibuit incrementum. Ductor ejus nec sumptui pepercit in pabulo, nec vehiculum sibi usurpavit in equo: quod testantur et pili jucunda mollities, et jubarum compositio directa, collum succulentum, clunes pingues et æquales, ilia non demissa, latera plana, color aureus, totus pulcher, et macula non est in eo. Quod de statu fratrum nostrorum quæ- A sistis, sciat sollicita dilectio vestra, quoniam de die in diem per Dei misericordiam et in spiritualibus proficiunt, et temporalibus abundant, nec est inter eos occursus aut Satan, cum in fraterna concordia et conveniant singuli et congaudeant universi.

189 EPISTOLA CXXXII.

AD ALBERTUM, S. R. ECCLESIÆ CANCELLARIUM.

Ipsi commendat negotia cujusdam clerici nobilis, quæ in curia Romana agitabantur.

Rogare, Pater, pro aliis cogimur, qui pro nobis non sufficimus impetrare. Primum charitatis affectus imperat, secundum improperat necessitatis defectus. Inter hæc non minus sequens eam quæ foras mittit timorem, quam de benevolentia vestra præsumens, paternitati vestræ commendo præsentium B latorem A. subdiaconum, cujus si numeremus annorum tempora, juvenis est; senex, si morum merita computemus. Adolescentiam suam sacris exposuit litteris supra coætaneos suos, concipiens et combibens et prophetas in Evangelio, et Evangelium in prophetis. His accedit quod non frequenter accidit, generis claritas, quæ etsi sola non sufficit, cum aliis proficit ad virtutem. Dignus est pro quo et in sacris auribus fundantur preces, et a piis mentibus admittantur. Rogo ego devotus famulus vester, ut in curia sancta per vos ei non solum supplicandi pandatur aditus, sed et in negotiis suis felix ac facilis præbeatur exitus impetrandi.

190 EPISTOLA CXXXIII.

AD ABBATEM SANCTI DIONYSII (15).

Facultatem concedit cuidam canonico S. Genovefæ, ut habitum S. Benedicti suscipiat.

Solus est cui omne secretum patet Deus, et qui judicabit fines terræ, ipse judicat fines operum et terminos voluntatum. Inde est quod desiderium fratris H. canonici nostri cupientis ad monasterium vestrum transire, nec commendare volumus, nec reprehendere audemus, illi omnia reservantes, qui tempore retributionis appendet merita singulorum in pondere et statera. Sed ut vestræ petitioni et ardentissimæ fratris satisfaciamus voluntati, liberum et absolutum vobis eum concedimus (salva nobis eleemosyna domus, quam ipse et mater sua

(13) Hugonem scilicet abbatem S. Bartholomæi Noviomensis, sub cujus disciplina in religionis observantiis simul fuerant educati.

(14) Guillelmus primum canonicus sæcularis S. Genovefæ, normam regularem amplexus est, cum canonici regulares S. Victoris in eamdem ecclesiam per Eugenium papam et Ludovicum Juniorem fuerunt inducti anno 1148; inde ab Absalone Roschildensi episcopo expetitus vocatusque est in Daniam, illucque per clarissimum Saxonem grammaticum, gentis suæ historiographum elegantissimum, tunc Roschildensem præpositum, ductus, totus in reformando monasterio sui ordinis in Eschil insula, et in altero ædificando, non sine gravibus ærumnis incubuit. Sicque plenus meritis, prope centenarius migravit ad Christum anno 1202 vel 1203. Postea in numerum sanctorum relatus est. Vita ejus ab auctore synchrono et contubernali conscripta habetur apud Surium et Bollandum ad diem 6 Aprilis. De ejus obitu hæc habet Pontanus, lib. VI *Re-* D *rum Danicarum*, sub annum 1207: « Fuit hic quoque annus fatalis Guillelmo abbati Ebelholtensis cœnobii quod ad Sanctum Paracletum Latini nominabant eum e collegio divæ Genovefæ quod erat Lutetiæ Parisiorum, evocari in Daniam una cum aliis ejusdem cœnobii sociis curaverat Absalon. Hi apud Danos vitam monasticam ad Regulam divi Augustini, cujusmodi Lutetiis ex instituto S. Victoris coluerant, primum sunt auspicati. Guillelmus vero, cum ob vitæ sanctimoniam, tum quod facta quædam miraculosa, ita traditur, post ejus obitum essent observata, inter sanctos exinde relatus est, appellatusque sanctus Guillelmus Parisiensis. » Epitaphium ejus hujusmodi circumfertur:

Parisiis natus, dictis factisque beatus,
Mundo sublatus, jacet hic Guillelmus humatus.

(15) Abbatia S. Dionysii in Francia secundo ab urbe Lutetia lapide ordinis Benedictini, regum nostrorum sepulcris illustrissima, fundata est a Dagoberto Francorum rege hujus nominis primo

Ecclesiæ nostræ contulerunt) ut nobiscum in habitu monastico Deo deserviat, et ex eo fructum capiat beatus Benedictus, cui sacræ religionis primitias sanctus contulit Augustinus. Testimonium perhibemus ei, quia per biennium et quadrimestre ferme spatium quo nobiscum demoratus est, religiose, mature et honeste sese habuit, et disciplinis regularibus intendens, sic omnium fratrum recepit gratiam, ut nullius mereretur offensam.

191 EPISTOLA CXXXIV.

AD CISTERCIENSEM ET CLAREVALLENSEM ABBATES.

Agit de conversis Grandimontensibus in clericos insurgentibus.

Venerandis Patribus Cisterciensi abbati et Claræ-vallensi spiritu consilii animari, et spiritu fortitudinis armari.

B Ne infirmo peragantur exitu, quæ bono a vobis inchoata sunt, vigilet, obsecro, prudentia vestra, ut sententiam, quam cum summa deliberatione tulistis, astuta barbaries non insidiando circumvolet, non latendo subripiat, non inficiando corrumpat. Prudentiores sunt in generatione sua filiis lucis, et in errore suo facile habituri sunt consiliarios et fautores, vel eos qui corrumpuntur pecunia, vel qui adulationibus molliuntur. Necdum exsecutioni mandata est sententia, necdum transivit in rem judicatam, et dilationibus improbis delatores superbiunt, deluduntur judices, mendicant clerici, Christi pauperes exsulant, et adhuc in domibus, quas eis assignastis, vulpes foveas habent et volucres cœli nidos. C Ferveat in vobis judiciarius ordinis vigor, nec minas principum timens, nec simulatas hypocrisis latebras admittens, nec prolixis et politis sub specie religionis faucibus deferens, et ut judex omnium remuneret conscientiam vestram, et favor hominum commendet famam.

192 EPISTOLA CXXXV.

AD A. S. R. ECCL. CANCELLARIUM.

Rogat ut se præbeat propitium clericis Grandimontensibus adversus conversos.

Luctuosum in Ecclesia Dei spectaculum fideli ac flebili compassione dignum prosequuntur. Grandimontenses conversi, miserabilem cœtum clericorum exsulantium, barbas prolixas tanquam cornibæ ventilantes (16). Prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua, et simplicitatem columbæ serpentis astutia non tam fraudulenter circumvenit quam violenter absorbet. Ex illo venerabili quondam collegio ministri altaris positi sunt quasi signum ad sagittam, et qui eos vident, movent capita sua super A eos. Mendicant, exsulant vagi et profugi super terram, saturantur opprobriis, et ecce panem filiorum comedunt canes, et in tabernaculis justorum vulpes foveas habent et volucres cœli nidos. Superbiunt in eos laici, et in corruptela pecuniæ spem ponentes, aurum in quo confidunt homines, sub exsecrabili sonitu promittunt eis, quorum oculi muneribus excæcantur. Delegati a domino papa (17) judices, quantum licuit, processerunt, sed ad novum sacri apostolatus mandatum duobus sibi conjudicibus adjunctis, ut nequaquam nisi sub septenario numero (18) negotium tractaretur, maluerunt humiliter subsistere quam inutiliter laborare. Jam antea subdiderunt excommunicationi Stephanum quemdam, quem conversi irreverenter et contra sacros canones in locum prioris, qui nec cesserat nec decesserat, intruserant. Omnes illos, qui ei tanquam priori obedirent, sub eadem sententia concludentes. **193** Assignaverunt etiam viginti cellas clericis, in quibus sine inquietatione conversorum pacifice Deo servirent, ex litteris domini papæ, intelligentes melius esse ut in propriis domibus viverent quam in alienis mendicarent. Omnes etiam de Grandimontensi ordine, qui hoc eorum mandatum impedirent, excommunicationi similiter subdiderunt. Conversi, et qui eis adhærent, nec timentes Deum, nec hominem reverentes, utrumque articulum excommunicationis incurrerunt. Inde est, Pater sancte, quod ego minima portio clericorum vestrorum, qui omnibus his interfui, sanctitati vestræ preces fundo, ut zelo justitiæ quo fervetis, occurratis superbientibus laicis; animo misericordiæ quo diligitis, oppressis et humilibus clericis succurratis.

194 EPISTOLA CXXXVI.

AD LUNDENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Petrum nepotem, canonicum S. Genovefæ commendat, ut eum beneficio gaudere curet.

Jucundam Petri nostri pariter et vestri conversationem tanto gravius est nobis vel ad tempus amittere, quanto gratius esset ea perpetuo non carere. Si numeremus annorum tempora, juvenis est; senex, si morum merita computemus. Inter scholares subtilis, inter claustrales humilis, ibi verecundus, hic D vere mundus, ubique avide laudabilis, quia nunquam avidus erat laudis. In Ecclesia nostra simul et sua verbo naturalem, scripto civilem, re et consensu cum utraque canonicam, cum beata virgine (19), cui assistimus, obligationem contraxit (20), cujus solutionem nec prælatus debet con-

(16) Per cornibas intelligit hircos qui cornua gestant ac barbas, quibus comparat et assimilat conversos ordinis Grandimontensis. De controversia autem eorum cum clericis hæc habet Jacob de Vitriaco in *Historia occident.*, cap. 15: « Inimicus humani generis et totius religionis callidus impugnator, tam sanctis et salutaribus invidens institutis, hac occasione murmur valde perniciosum, seditionem et scandalum suscitavit inter clericos et laicos, monachos et conversos prædicti monasterii Grandimontis, » etc.

(17) Episcopus scilicet Carnotensis, et abbas S. Victoris Parisiensis.

(18) Præter hos duos judices in causa Grandimontensium cum illis nominati fuerunt abbates, Cisterciensis, Claræ-vallensis, S. Dionysii, S. Germani a Pratis et S. Genovefæ. De hac controversia consule alias epistolas.

(19) Sancta scilicet Genovefa.

(20) Intelligit professionem canonicam, quam voce et scripto in ecclesia S. Genovefæ emiserat. Non ita erat antiquum tam apud canonicos quam apud mo-

cedere, nec subditus postulare. Tanta eum diligentia curavimus, tantis impendiis extulimus, tanto favore fovimus, ut eum solutum ab obedientia nostra remittere nihil aliud quam amittere æstimemus. Absit ut acephalus exeat a nobis, et tanquam ventis expositus sine titulo clericus, sine stipendio miles, sine solatio togatus discurrat, miraculum suis, spectaculum alienis. Ne tamen vestram offendamus gratiam, ne vestram incurramus offensam, eum non tanquam apud nos depositum vobis restituimus, sed tanquam nobis appositum eum vobis interim commendamus. Quod si per Dei providentiam, et opem simul ac operam vestram, ab humiliori ad sublimiorem gradum, a scabello ad cathedram, a pulvere subjectionis ad speculam regiminis (21) eum vocare contigerit, in hoc laudabili profectu et provectu plenam **195** ei absolutionem indulgemus, plenam concedimus libertatem.

EPISTOLA CXXXVII.

AD G. ABBATEM S. SATYRI.

Rogat pro quodam fugitivo, ut culpam ipsi condonet.

Charissimo domino et Patri G. abbati Sancti Satyri, STEPHANUS de Sancta Genovefa dictus abbas, communes orationes in Domino.

Asperitatis et duritiæ plerique nos arguunt, quoties paulo acrius aut errantes corrigimus, aut corripimus inquietos. Quod si lapsum relevare, **196** pereuntem recipere, mendicantem pro foribus audire negligamus, crudeles nos denuntiant et proximos homicidis. In primo si excesserimus, non exigetur ut a nobis subditis (22) veniam postulemus. In secundo considerandum est quanta discretione regi debent qui præsident, ut circa subditos pereuntes misericordia vigilet, excitetur pietas, motum pariter et modum vindictæ paternus vincat affectus. Inde est quod pro præsentium latore fratre nuper et canonico nostro preces fundo, ut supplicanti pandatur aditus, colligatur vagus et profugus super terram, ne in saltu salutem amittat, in excessu decedat, in mora mortem incurrat, brevi ad se reversus paucos dies, quos foris cum carnali matre pueriliter egit, in gremio matris suæ spiritualis multa pœnitentia viriliter redimere contendit.

EPISTOLA CXXXVIII.

AD ABBATEM CISTERCIENSEM SUB PERSONA CLERICORUM GRANDIMONTENSIUM.

Grates referunt pro beneficiis sibi collatis

Et si non condigna gratiarum actione, pia tamen A et humili sollicitudine beneficia vestra prosequimur, illum in vobis flexis genibus adorantes, de cujus plenitudine accepistis, ut et charitas vestra non deficiat singulis, et sufficiat universis. Calamum quassatum conterebant, alii linum fumigans exstinguebant, et ecce a quatuor ventis insufflante super nos Spiritu **197** Dei, beneficiis et orationibus vestris ossa nostra arida reviviscunt. In falsis fratribus pericula passi, in consilio dolos, præjudicium in causa, violentiam in fuga, ejecti, pulsati, afflicti contumeliis, saturati opprobriis, sacerdote et levita transeuntibus, semivivos a sancto Cisterciensi ordine veri Samaritani discipulo suscepti sumus, et non usque in stabulum, sed usque in cubiculum genitricis suæ perducti, panem filiorum copio e cum B eis sumpsimus, quibus micæ cadentes de mensa dominorum nostrorum sufficere debuissent. Collegistis exsules, suscepistis ejectos, juvistis pusillanimes, refovistis flebiles, mendicis stipem quæ sufficeret, imbecillis opem quæ proficeret, simplicibus consilium, supplicibus auxilium impendistis. In his omnibus quid retribuere possumus dominis nostris pro omnibus quæ retribuerunt nobis? Retribuat vobis Deus mercedem justi, qui nos quamvis injustos in nomine justi recepistis. Sed quoniam negotium nostrum tanquam in statera appensum movetur adhuc et fluctuat, et summi pontificis examen exspectat, nos in sola Dei misericordia sperantes, sanctæ paternitatis vestræ C genibus advoluti supplicamus, rogamus et obsecramus in Domino, ut quod in nobis cœpistis fideliter et benevole, feliciter ac benefice compleatis. Orationibus vestris et consiliis commendamus causam nostram, timentes ex his quæ præcesserunt, indignationem et iram, immissiones per angelos malos, conversorum nostrorum astutiam, potentiam, superbiam, fastum, sumptus, ambitum, et alia quæ terrori pauperibus et divitibus sunt errori. Valete in Domino sanctissimi ac beatissimi Patres.

198 EPISTOLA CXXXIX.

AD PETRUM DE DACIA.

Hortatur eum ad perfectiora magis ac magis amplectenda.

D Amantissimo fratri PETRO de Dacia, S. Genovefæ canonico, STEPHANUS de S. Genovefa dictus abbas, deposito Septentrionis frigore flamma charitatis ardere.

Solitam non solutam fraternitatis et gratiæ tibi

nachos professionem religiosam emittere, ac vota publice proferre verbis quibusdam conceptis et determinatis, scriptoque consignatis. Scribitur de B. Stephano de Mureto fundatore ordinis Grandimontensis, atque antea canonico regulari, quod cum scripsisset professionem suam in charta, eam capiti suo imposuit, dicens: « Omnipotens et misericors Deus, ego frater Stephanus promitto tibi me amodo serviturum in hac eremo in fide catholica, et propter hoc pono chartam istam super caput meum, et annulum istum in digito meo, ut in die obitus mei sit mihi hæc promissio et hæc charta scutum et defensio contra insidias inimicorum meorum. »

(21) Rogat Lundensem archiepiscopum, ut nepotem suum Petrum canonicum S. Genovefæ in patriam remeantem aliqua prælatura cohonestet, quod quidem effectum est cum successit avunculo suo in episcopatu Roschildensi, quem, post abdicationem Eschilli, cum Lundensi primatu, ex dispensatione summi pontificis, tenuerat.

(22) Hunc locum desumpsit ex Regula S. August. cap. 10: « Quod si modum vos excessisse sentitis, non a vobis exigitur ut a vobis subditis veniam posculetis. »

reservamus amicitiam fideli memoria, nec tuam compensantes absentiam, nec longa terrarum spatia facili saltu desiderii transeuntes. His affectuum passibus occurrunt sibi cultores et discipuli charitatis, sollicitudinem suam solantur, negligentiam negligunt, tristitiam fugant, et artificioso quodam naturæ colloquio sibi confabulantur absentes. Currant inter nos hæc religiosa commercia, et quod invidet commeantium raritas, communio suppleat voluntatum. Congaudemus tibi quod, deposita vetustæ nativitatis avita barbarie, totus in Christianam morum compositionem mansueveris, et quod Æthiopes mutatione nigellæ pellis facere non possunt, candida glacialis Danesmarchiæ progenies (23) in te pariter et de te sibi gaudet fuisse collatum. His accedunt regularis observantiæ disciplina, qua imbutus es in claustro, sacræ Scripturæ doctrina, quam in scholis didicisti. Ex utroque matutinum et vespertinum sacrificium offerendi Deo voluntas tua bona et beneplacens et perfecta. Hæc in ætate tua tenera tenere te volumus. Juventutem tuam juvat nos in hoc profectu proficisci. Dies extremos tuos si **199** contigerit annis senescere, non contingat animis se nescire. Interim de statu tuo solliciti per nuntium vel per epistolam certificari desideramus quid agas, quid agant tui circa te, quid et nos sperare debeamus vel de reditu ad nos, vel de reddita apud tuos (24). Salutant te omnes fratres nostri communi desiderio, de te sperantes prospera, timentes adversa. Vale ut volumus, velis ut valeamus.

EPISTOLA CXL.

AD DOMINUM PAPAM SUB PERSONA REGINÆ FRANCORUM (25).

Rogat ut differat judicium ferre in negotio archiepiscopi Turonensis et episcopi Dolensis usque ad reditum regis.

Materno compellor affectu, per succedentes singularum lapsus horarum, in absentia filii mei regis Francorum nova quædam recentiaque perpeti vulnera, et meam ipsius animam pertranseuntem gladium continuis sentire momentis. Videre mihi videor **200** partem viscerum meorum in sacrificio Domini offerri, et unicum filium meum tanquam colligatum cum Isaac imponi super altare, necdum tamen patientiam sive obedientiam Abrahæ imitari possum vel assequi; quia et maternus excludit animus, et sexus in me femineus non admittit. Inter hos iterati partus dolores et antiqui puerperii renovatas angustias, nihil est quod consolationi meæ sufficiat, nisi tantum crucis et passionis Dominicæ memoria, pro cujus exaltatione et honore tantæ in terris gloriæ filius in hac peregrinatione sese proposuit pati, et si necesse fuerit, cum Domino crucifigi. Peccat in Dei Filium, peccat in Spiritum sanctum, qui in tam devota et religiosa ejus absentia regnum ipsius in aliquo perturbat, et in alium statum contendit involvere, vel permittit, quam in eo quo pacificus ejus egressus sub quodam solatio populum sibi subditum reddidit minus flentem. Hæc ideo, Pater, vobis scribo, quoniam specialiter cura regni mihi injuncta maternum movet et monet animum meum, ut provida sollicitudine videam, ne vel circa ecclesias, vel circa principes majores seu minores, civitates, oppida, vel populum immutentur aliqua, quibus devota peregrinatio filii mei regis indignari debeat aut turbari. Proinde rogo et obsecro, et tanquam devota filia Romanæ Ecclesiæ fideliter consulo, ut negotium Turonensis et Dolensis Ecclesiæ usque ad reditum regis, quem desideramus et speramus in Domino, differatur, et Turonensis Ecclesia, quæ unum e præcipuis membris coronæ regiæ maximum inter alias obtinet locum, de patronatu regio gaudeat, nec Dolensium doleat vel impetu vel incursu. Nec enim patienter sustinere poterit peregrinus noster per Dei gratiam fortis adhuc et potens, nec regni principes æquis oculis aspicient sub alio discrimine jura ecclesiarum suarum currere, quæ tempore bonæ memoriæ patris sui regis **201** Ludovici, vel suo hactenus processerunt, nec aliquo modo permittent metropolitanum minoris Britanniæ sub quadam prodigiosa facie superbire, vel cum Jano bicipitem (26), vel Centauro bifrontem (27).

(23) Regnum Danesmarchiæ seu Daciæ seu Daniæ, his enim omnibus nominibus afficitur, in Oceani septentrionalis peninsula, quam olim Cymbri habitarunt, constituitur. Illud Saxo grammaticus ejus incola eleganter, ut solet, sic describit: « Dania medio pelagi fluctibus intercisa paucas solidi continuique tractus partes habet, quas tanta undarum interruptio, pro varia freti obliquitate discriminat. » Vocatur autem glacialis quia ejus plaga septentrionalis vehementiori riget frigore.

(24) Juvat hic meminisse eorum quæ scripserat Stephanus Lundensi archiepiscopo Petri avunculo, epist. 137, ut ipsi aliquam prælaturam procuret apud suos in Daniæ regno.

(25) Adelæ scilicet uxoris Ludovici junioris, matris Philippi Augusti, cui regni administrationem commisit, cum in partes transmarinas profectus est anno 1190, quo scripta videtur hæc epistola. Horum mentionem facit Rigordus in testamento quod Philippus ante discessum suum condidit: « Volumus inquit, et præcipimus, ut charissima mater nostra A. regina statuat cum charissimo avunculo nostro et fideli Guillelmo Remensi archiepiscopo singulis quatuor mensibus unum diem Parisius, in quo audiant clamores hominum regni nostri, et ibi eos finiant ad honorem Dei et utilitatem regni. » De hac autem regis peregrinatione agitur in initio hujus epistolæ, etc.

(26) Janum pinxerunt antiqui bifrontem, ejusque figuram apposuerunt Romani in primis suis nummis quos asses vocarunt. Fuit autem Janus rex Latii antiquissimus, ac in futuris prævidendis sagacissimus, ideoque ipsi duplicem vultum effinxerunt.

(27) Alibi vocat biformem, et rectius: ejus enim pars superior erat hominis, inferior vero equi. Occasionem autem ejusmodi monstrum fingendi arripuerunt

202 EPISTOLA CXLI.

AD R. REMENSEM DECANUM.

Hortatur ut vitæ communis normam, quæ hucusque in Ecclesia Remensi perseverabat, ab ea exhorrem fieri non sinat.

Venerabili et discreto Magistro R. Remensi Decano (28) STEPHANUS de S. Genovefa, salutem et debitam antiquis Patribus reverentiam.

Sustinete modicum quid insipientiæ meæ, Pater et sacerdos magnus pusilli hominis (29) commonitorium non contemnat. Exiit sermo inter plures, quod antiqua Patrum vestigia (30) sacris instituta conciliis (31), et a gloriosa hactenus Remensi Ecclesia diutius observata quidam ex vobis immutare contendunt, laminamque auream (32) religiosæ consuetudinis, quæ in fronte ecclesiæ metropoleos apposita lucet omnibus qui in regno sunt, quadam singularitate (33) studeant delere, dejicere, conculcare. Singulari quodam privilegio sedes Remensis inter alias Galliarum ecclesias eminebat, perse- A verans cum apostolis in communione panis (34), et oratione, et in sociali communione sacramentalem præferens, majoribus erat spectaculum, minoribus documentum. Ex reliquiis regularium institutionum (35) duo sibi loca detinuerant, cœnaculum refectionis et domum somni, in altero castigatam sequentes abstinentiam, in altero candidatam continentiam observantes. Procedentibus unanimiter de missa ad mensam, de spirituali refectione ad corporalem, præmissa invocatione Dominica (36), et signo benedictionis super cibum extenso (37) reficiebant **203** convivæ Domini, minus ventrem quam mentem, sonante eis per ministerium lectoris (38) divino eloquio, nunc admonendo præceptis, nunc prohibitionibus coercendo, interdum adi- B gendo minis et terroribus, nonnunquam blandiendo consolationibus et promissis. O felices epulæ, quæ non crapulam provocant, sed sobrietati deserviunt, et postquam sumptæ fuerint, gratiarum actione clauduntur (39), derelinquentes pauperibus alimo-

runt. Alii autem ipsum Noe, vel saltem ejus filium Japhetum fuisse dixerunt, qui duas gestavit facies, quod duplicem viderit mundum, illum scilicet qui periit aquis diluvii, et alterum postea renovatum. Janus autem quisquis ille fuerit, templum habuit Romæ, quod tempore pacis claudebatur, et belli aperiebatur. In nostro nummorum cymeliarchio unum habemus Neronis, in cujus adversa parte cernitur hoc templum cum ista epigraphe :

Pace terra marique parta Janum clusit.

Aliqui finxerunt etiam Janum quadrifrontem, existimaruntque eumdem esse cum sole, cui quatuor C vultus assignarunt, ut a quatuor ventis quatuor orbis plagas intueretur.

püerunt poetæ, quod Centauri Thessaliæ populi coperint primi equos domare, ex iis pugnare, atque ita illis adhærere, et ad arbitrium eos movere videbantur, quasi ipsimet essent equi, ex hoc hyppocentauri dicti sunt iidem populi. Virgilius VI Æneidos vocat Centauros biformes;

mistumque genus prolesque biformis,

quod etiam legitur in altera epist. Stephani nostri.

(28) Capitulum ecclesiæ B. Mariæ Remensis regebatur olim per præpositos, penes quos omnis inerat auctoritas, tam in spiritualibus quam in temporalibus; nonnullos tamen habebant sub se decanos, qui observantiæ regulari et disciplinæ custodiæ invigilabant. Hoc manifestum est in regulis illis quas tradidit Ebbo Remensis archiepiscopus, munerum ecclesiæ suæ administris, quæ ad calcem operum Flodoardi fuerunt appositæ.

(29) Ex hoc loco et aliis colligitur Stephanum nostrum fuisse parvæ staturæ : epistola enim altera vocat se pusillum homuncionem, hominem parvulum et exiguum.

(30) Scilicet in vita communi, et observantiis regularibus, quæ diu viguerant in hac ecclesia cathedrali.

(31) Scilicet Moguntino, Turonensi, Cabilonensi, Arelatensi, Meldensi et Aquisgranensi.

(32) Alludit ad laminam illam auream, quam in fronte gerebat sacerdos magnus Mosaicæ legis, ut habetur Exodi XXVIII.

(33) Ut in eam inducant sæcularem vitam, quam epist. 85 vocat singularitatem.

(34) Intelligit mensam communem, quam adhuc frequentabant in refectorio.

(35) Observarant ergo canonici cathedrales ecclesiæ Remensis omnes regulares institutiones, quarum magnam partem jam dimiserant duabus solum retentis, scilicet vita communi in refectorio, et nocturno somno in dormitorio.

(36) Semper mos fuit apud Christianos Deum invocare ante refectionem. Tertullianus enim dicit : « Non prius discumbitur quam oratio ad Deum prægustetur. » Hieronymus ex Philone dicit de Essenis seu primis Ecclesiæ Alexandrinæ Christianis : « In mensis a Dei laudibus auspicari convivium. »

(37) Id est signo crucis, quod fuit semper usitatum apud Christianos antequam cibum sumerent, teste Origene, in Job, lib. II : « Est videlicet hoc verum, cum manducamus vel bibimus, fidei memores fuerimus, si terribile nomen ejus invocaverimus, si nosmetipsos vel cibum vel potum nostrum signo venerabilis crucis Christi signaverimus. » Et Gregorius Nazianzenus adversus Julianum ait : « Ferunt quosdam eorum qui ad hoc nefas idololatriæ, errore atque ignorantia prolapsi fuerant, postquam eo admisso domum se recepissent, sodales convictoresque suos mensæ participes habuisse, deinde convivio ad consuetam frigidæ potationem progresso, non secus ac si nihil gravius iis accidisset, ad aquæ poculum sublatis oculis Christum cum crucis signo appellasse. »

(38) Regula S. Aug. præcipit ut lectio fiat in mensa, his verbis : « Quod vobis secundum consuetudinem legitur, sine tumultu et contentionibus audite, nec solæ vobis fauces sumant cibum, sed D et aures esuriant Dei verbum. » Et concilium Aquisgranum sub Ludovico Pio, can. ultimo, ait de canonicis : « Quibus etiam in refectorio comedentibus ac religiose silentium tenentibus continuatim legatur lectio. » In Vita Alcuini legitur de Egberto ejus magistro quod « vespertina appropinquante hora, præter Quadragesimam maxime, omni tempore tam æstatis quam hiemis, parcum cum suis, digne tamen præparatum sumebat cibum, linguæ non parcens lectoris, utroque ut reficeretur pane. »

(39) Solebant etiam primi Christiani pia ad Deum oratione etiam sua convivia claudere. Hoc ait Tertullianus his verbis : « Æque oratio convivium dirimit, inde disceditur. » Et Philo de Essenis, loquens de convivii præside dicit : « Tum ille assurgens hymnum in laudem Dei primus canit, quod etiam Christum observasse in Cœna discimus ex Evangelio : *Hymno dicto exierunt in montem Oliveti* (*Matth.* XXVI). »

niam corporalem, et convivis suis spiritualem frustum servantes! In his et aliis observantiis regularibus incedebat Remensis Ecclesia, terribilis ut castrorum acies ordinata, amabilis suis, admirabilis alienis. Si hæc immutari cœperint (40), quid dicet germana ejus loco et ordine Germania (41), quæ inter alias institutiones ecclesiasticas refectionis adhuc et quietis fraternam communionem sic observat, ut modernam dissolutionem non admittat (42)? Clamabit vel compatiens vel insultans: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?* (*Thren.* IV.) Clamabunt et Gallicanæ Ecclesiæ, dispensationis levamen libentius admittentes quam austeritatis rigorem: « Ecce Remensis Ecclesia facta est quasi una ex nobis, consortio suo verecundiam nostram operiens, auctoritate sua negligentiam nostram defendens. » Uterque cantus iste epitaphium potius quam epithalamium est dicendum. Usurpabant sibi hactenus, nec immerito,

A Parisiensis civitas doctrinam (43), Remensis Ecclesia disciplinam (44). Illa utrumque retinet quod incœpit; hæc si declinare cœperit, periculo proxima est, et non longe a lapsu. Occurrite, Pater, expansis brachiis et apertis visceribus perniciosæ novitati (45) resistite, et virilem animum, quem de vobis opinio prædicabat communis (46), erigite in certamen, ne juventuti singulariter, ut non dicam sæculariter vivere volenti, decanus senescens obediat, ne, quod absit! alicujus gloriolæ favore vel affectu quispiam **204** conculcet in terra famam vestram, et gloriam vestram in pulverem deducat. Scio mansuetudinem domini mei Remensis archiepiscopi tantam esse, ut cum charitate, quæ omnia suffert, omnia sustinet, voluntati filiorum cito cedat, B maxime cum generalis Ecclesiæ Gallicanæ consuetudo singulares portiones canonicis suis distribuendas concedat, et approbet, et summi pontificis auctoritas non reclamet. Sed iterum scio tantam

(40) Scripsit hanc epistolam Stephanus, qua hortaretur decanum Remensem, ut ipse se opponeret quibusdam Ecclesiæ suæ canonicis, qui jugum regularis observantiæ, quam hactenus servaverant, excutere tentabant, et mensam communem dissolvere volebant, ut privatam in domibus suis agerent vitam. Præter hanc autem epistolam tres aliæ ejusdem argumenti inveniuntur in chartophylacio ejusdem Ecclesiæ Remensis, quæ inscribuntur pro refectorio, quarum una est Alexand. III papæ, altera abbatis Sancti Victoris, tertia vero Innocentii III summi pontificis, quam hic ex parte describo: « Accepimus, quod in eadem Ecclesia hæc fuit consuetudo servata, quod universis canonicis et unum erat refectorium, et mensa communis, in quo, etsi non omnibus diebus singuli, omnibus tamen diebus canonicorum aliqui comedebant, etc. Licet autem adhuc in eadem Ecclesia satis honeste prædicta serventur, in frequentatione tamen mensæ communis vos exhibetis non modicum negligentes, cum nec omnibus vobis, nec omnibus diebus, sed certis aliquibus communi refectorio ministretur, factumque sit per negligentiam vestram interpolatum, quod esse continuum prædecessorum vestrorum temporibus consueverat. » Ex hac epistola apparet qua ratione vita communis ab Ecclesia Remensi sensim exsulaverit. Primo enim cum in ea vigeret regularis disciplina, singulis diebus omnes in refectorio cibum sumebant. Secundo, refrigescente charitate, etsi unaquaque die adessent nonnulli, multi tamen aberant. Tertio neque omnes neque aliqui singulis diebus, sed solemnioribus tantum refectorium frequentabant, factumque est hoc modo interpolatum, quod continuum esse consueverat. Tandem vitam communem a tot sæculis inter eos observatam abjecerunt, quod accidisse anno 1201 notat Petrus Cocquault canonicus et officialis Remensis in *Tabula* sua *chronologica*, ubi dicit ipsos deseruisse « vitam communem apostolicam et angelicam, ut vitam hominum ac sæcularibus curis obnoxiam ducerent. »

(41) Ecclesia Remensis dicitur soror Ecclesiarum Germaniæ loco, quod essent propinquæ, et continerentur omnes in Gallia Belgica. Dicitur etiam soror ordine, quod earum pleræque adhuc vitam communem agerent.

(42) His verbis satis aperte declarat ecclesiarum cathedralium sæcularisationem, ut vocant, per Galliam esse recenter inductam. Legimus apud Camusatum canonicos Trecenses sæculari toga fuisse donatos anno 1080, aut circiter.

(43) Litteræ enim multum floruerunt hoc ævo in academia Parisiensi, ubi undique terrarum scholares confluebant. Hæc habet Rigordus in Vita Philippi Augusti: « In diebus illis studium litterarum florebat Parisiis; nec legimus tantam fuisse scholarum frequentiam Athenis vel Ægypti vel in qualibet parte mundi, quanto locum prædictum studendi gratia incolebat, etc. Cum itaque in eadem nobilissima civitate non modo de trivio et quadrivio, verum et de quæstionibus juris canonici et civilis, et de ea facultate quæ sanandis corporibus et sanitatibus conservandis scripta est, plena et C perfecta inveniretur doctrina, sacram paginam et quæstiones theologicas docebant. »

(44) Ita religiose observarant semper canonici Remenses regularem disciplinam, ut severiori calculo processerint in delinquentes. Duo exempla commemorat auctor prælaudatus in sua Remensi *Tabula chronologica*, nonnullorum scilicet canonicorum, qui cum in Regulam et majorum ritus peccassent, publice correpti, in capitulo vapularunt, quorum unus erat Radbolbus seu Rotardus, ex regali genere ortus, et ad episcopatum Catalaunensem electus. Is cum interfuisset exsequiis B. Alberti Leodiensis episcopi in sua Ecclesia Remensi factis, cum turba nobilium et non in veste decenti cum concanonicis suis, exsequiis peractis, decanus, ut refert Cantipratensis, lib. II, cap. 39, « convocavit capitulum, et Radboldum objurgans, dixit: Surgite et satisfaciatis Ecclesiæ, et dorsum ad disciplinam coram fratribus præparate, eo quod D sine veste nuptiali chorum cum canonicis contra Regulam introistis. Nec mora surgens et procumbens electus (Catalaunensis) vestes exuit, et a manu decani validissimam disciplinam accepit: qua accepta electus vestibus reindutus erexit se et decano cum maxima oris gratia coram omnibus dixit: Gratias ago Deo et patronæ Remensis Ecclesiæ ejus piissimæ genitricis, quod te talem hic in regimine derelinquo, hinc magis diligam locum istum, et in sede ista dignam severitatis memoriam venerabor. »

(45) Hoc nomine afficit sæcularem vitam, nuper inter canonicos cathedrales admissam.

(46) De hoc decano hæc scribit Cantipratensis in loco superius allegato: « Solertissimum quemdam in Remensi Ecclesia decanum, genere Anglicum, ab his qui virum cognoverunt fuisse audivimus qui canonicos suos pro excessibus viriliter corrigebat. »

ipsius honestatem et prudentiam esse, quod antiquam Remensis Ecclesiæ dignitatem conservabit in omnibus, et a concepto, ut aiunt, incœptoque proposito desistet, si hoc ei cum aliquibus de sacro collegio vestro persuadere volueritis, et ne deformem hanc novitatis formam inducat, vel admonere viriliter, vel humiliter supplicare.

205-208 EPISTOLA CXLII.

AD GODEFRIDUM ABBATEM S. SATYRI.

Commendat quemdam canonicum suum.

Commonitorium misissem, si de contemptorio non timerem. Fraternus tamen urget affectus, ut non sileam a bonis, et licet non invitum invitem, ut susceptum ministerium potius onus æstimet quam honorem. In regimine positis mihi tibique, frater, multa toleranda sunt, multa dissimulanda, pleraque et vindicanda, sed cum dilectione hominum et odio vitiorum. Quis sapiens et custodiet hoc? Inter hæc onera, sollicitudines et pericula necesse est nos et præteritorum habere memoriam, et præsentium gerere curam, et providentiam assumere futurorum. In hoc certamine positus ego tecum minus de mea sufficientia confido quam de tua, plus de mea, quam de tua perseverantia diffido. Oremus interim Altissimum, ut qui nos, licet occulto judicio suo justo, sive ad coronam, sive, quod absit! ad pœnam in prælationis culmine constituit, nobis prævenientem gratiam suam conferat et sequentem, qua et commissis fratribus, quibus contigit nos præesse, contingat et prodesse, et cum ipsis proficientibus, ad vitam proficiscamur æternam. Inter hæc preces tibi et universis fratribus nostris dominis meis affectuosas fundo, ut fratrem Gilbertum canonicum nostrum, qui benevolentiam vestram circa se plurimum commendat, pro amore meo et tractetis benignius, et plenius diligatis, paratus ad obsequium vestrum et Ecclesiæ vestræ, sicut totum me offero, sic exhibeo me devotum.

209 EPISTOLA CXLIII

S. DIONYSII, S. GERMANI, S. VICTORIS ET S. GENOVEFÆ ABBATUM AD PAPAM.

Reddunt rationem de iis quæ in negotio Grandimontensium egerunt et statuerunt.

Sanctissimo dom. et Patri, Dei gratia summo pontifici, H. S. Dionysii, F. S. Germani, G. S. Victoris, S. S. Genovefæ dicti abbates, salutem et cum

A omni subjectione et devotione plenam in omnibus obedientiam.

Veterem scissuræ Grandimontensium plagam simulata quadam pace sub ulcerosa cicatrice latentem, conversi eorum a veritate quam promiserant reversi, recidiva litigiorum peste suscitare contendunt, non confidentes de justitia, sed, ut ipsi jactitant, in corruptela pecuniæ et effusione munerum spem ponentes. Post diutinos labores, post multos ad Ecclesiam Romanam ingressus, et inde regressus; post publicatum ordinis eorum, dum per urbes et oppida litigando discurrerent, miserabile spectaculum; post denudatam omnibus secretorum suorum quam appellant custodiam, dominus rex Francorum qui seipsum hodie Deo sacrificium obtulit (47), con-
B vocatis baronibus suis et ecclesiasticis personis, prudentibus et religiosis, partes ad concordiam et pacem commovit et commonuit. Compromissum est utrinque sub attestatione veritatis, quæ inter religiosos juramenti vires obtinet, quia formam pacis, quæ coram celsitudine regia concessa fuisset et conscripta, observarent, qui aderant, et ab eis qui aberant instanter observari facerent et constanter : **210** concessa est et conscripta, sigilloque regio consignata, ipso clementissimo rege fidejussorem sese constituente; quod si aliqui deinceps paci tam solemniter celebratæ contradicere vellent, eis contrarius esset, nec eos in terra sua reciperet : qui vero pacem observarent, eos sub protectione sua
C colligeret, et in terra sua regio patrocinio communiret. Recitata sunt hæc in capitulo Grandimontensi, et a priore, qui qualitercunque loco illi hodie præsidet (48), in manu Bituricensis archiepiscopi, in verbo veritatis, sub periculo animæ suæ firmata, et ab omnibus tam laicis quam clericis sub attestatione consilii firmantibus hoc promissum. Et ecce subito ventus ab aquilone veniens concussit angulos domus illius, ut tam prior ille quam conversi cum paucissimis clericis, quos aut blanditiis aut timore secum detinent, a fide promissa non minus imprudenter quam impudenter resiliant, et non veriti veritatem corrumpere, sub quodam sacrilegio his quæ juraverant contradicant. Frater Bernardus vir simplex, et timens Deum, et recedens a malo, quod
D laici conceperant, fidei suæ secutus integritatem, cum quingentis ferme fratribus, laicorum fraudem non sequitur, promissum servat, astutiam fugit, per-

(47) Hæc epistola scripta perhibetur anno 1190, die S. Joannis Baptistæ, qua, ut ait Rigordus : « Philippus rex ad ecclesiam beatissimi martyris Dionysii cum maximo comitatu venit causa licentiam accipiendi. Consueverant enim antiquitus reges Francorum, quod quandocunque contra hostes arma movebant, vexillum desuper altare S. Dionysii pro tutela secum portabant, et in prima acie pugnatorum ponebant : quod videntes adversarii et cognoscentes, territi multoties terga dederunt. Ideo Christianissimus rex ante corpora sanctorum martyrum Dionysii, Rustici et Eleutherii humiliter super pavimentum marmoreum in oratione prostratus, Deo et beatæ Virgini Mariæ et sanctis martyribus, et omnibus sanctis se commendavit; tandem cum lacrymis ab oratione surgens, sportam et baculum peregrinationis de manu Guillelmi Remensis archiepiscopi avunculi sui, apostolicæ sedis legati, devotissime ibidem accepit, deinde super corpora sanctorum duo standalia, Gallice *étendards*, decenter insignita pro memoria sanctorum martyrum et tutela contra inimicos crucis Christi pugnaturus propriis manibus accepit. Denum orationibus fratrum se commendans, accepta benedictione clavi, et spineæ coronæ, et sancti Simeonis brachii, recessit. »

(48) Prior Grandimontensis tunc temporis vocabatur Guillelmus Itherii, suffectus Guillelmo de Treynhaco suffragiis capituli generalis anno 1188.

fidiam detestatur. Contra ipsum qui fidelis est in A promisso, et fratres clericos, qui bini vel singuli per cellulas tanquam captivi detinentur, quidam conversi fastu elati, astu callidi, gloriantes in verbis, confidentes in muneribus, ad Ecclesiam Romanam accesserunt, ut sanctam religionem vestram, si possint, circumveniant, et cedros quæ in Libano sunt, ad voluntatem suam incutiant et inflectant. Ad commune refugium appellationis, in quo dignitas Ecclesiæ Romanæ consistit, et omnes oppressi refugium inveniunt, clerici pro se et fratre Bernardo ante aliquam sententiæ prolationem canonice convolarunt, sicut et canonice provocantes, ita et canonice **211** prosequentes, et canonicam sententiam a vobis vel a delegatis judicibus secundum sacros B canones exspectantes. Non moveat vos, Pater sancte, confusus laicorum clamor contra clericos inclusos, ne contra sessorem murmuret asina, ne glorietur serra contra eum qui tenet eam, nec idiota doceat clericum litteras, nec laicus imperet sacerdotalia sacerdoti. Clamat pro clericis et pro fratre B. qui pro justitia indesinenter pugnat in auribus Domini Sabaoth; clamat et in sacris auribus vestris Christianissimus consanguineus vester rex Francorum, qui sanguinem suum, cujus particeps estis, quotidie pro Christo effundit, ut formam pacis quæ per ipsum concessa, conscripta et confirmata, et postmodum sacrilegio perfidorum violata est, faciatis observari, appellationem per clericos factam, utpote canonicam recipi, laicos seditionarios et contra- C dictionis filios, Philippum de Bellomonte et complices ejus non admitti, sententiam a priore, cujus pravus ingressus et pessima conversatio dicitur præpostere et præpropere in clericos latam irritari, cellas Grandimontenses, quæ in terra ipsius sunt ordinationi fratris B. et episcopi Parisiensis (49), et aliorum prudentium et religiosorum virorum committi. Si auctoritate vestra hæc acta fuerint, gaudebit super hoc anima domini regis, qui quotidie pro Christo pugnat, et quasi a regno pro cruce Christi exsulat, gaudebit et gratias vobis aget, Ecclesiam Romanam et attollens præconiis, et secundum vestigia Patrum suorum in necessitatibus ejus et recipiens et honorans. Si aliter, quod absit! D factum fuerit, timendum ne excitetur indignatio ejus, et fidei pro qua militat minus deferat, minus suam devotionem Ecclesiæ Romanæ exhibeat, minus obediens existat. Et quoniam tota Gallicana Ecclesia in confusione clericorum Grandimontensium se esse læsam et confusam, in protectione et **212** victoria ipsorum lætam sese profitebitur et jucundam. Rogamus sanctam paternitatem vestram et, quantum licet filiis, consulimus patri, ut qui regnum Francorum et ecclesias in eo consistentes semper dilexistis, in hac petitione sua et exaudiatis benevole, et quod petitur benefice compleatis

213 EPISTOLA CXLIV.

AD DOMINUM PAPAM. IN PERSONA CLERICORUM GRANDIMONTENSIUM.

Conqueruntur de conversorum suorum insultibus.

Mœrorem filii pater attendat, cujus in facie reverenda religio mendicat gloriam, et veritas interventum. Gratis offert sancta dilectio vestra quod debetur singulis, ut ex eodem throno justitiæ, et consolationem habeant humiles, et confusionem superbi. Id experti sumus in nobis, Pater, auxilii consiliique multorum expertes, quorum gratiam conversi nostri (50) venari potius intendunt pecunia quam innocentia venerari, confidentes in homine, et ponentes carnem brachium suum. Maledicti prophetici veritatem non verentur, armant et animant principes hujus sæculi, plebem sollicitant, quosdam etiam ex episcopis attentant, ut quos ex cellulis nostris per violentiam ejecerunt, ne eos monasteria recipiant, ne ecclesiæ tueantur, me quamvis indignum, pastorem (51) tamen suum, cum multitudine clericorum fratrum plus quam numero ducentorum non tam fraudulenter quam violenter expulerunt confuso clamore et errore vulgari; substituentes alium (52), qui nec decedenti succederet, nec cedenti. In his omnibus non est aversus furor eorum, sed usque adeo manus eorum extenta, ut per potentiam sæcularium quos in sui favorem illicitis artibus et pecuniario quæstu conciliare non cessant, calamum in nobis conterere, et linum fumigans exstinguere per fas et nefas immisericorditer elaborent. Unica post Deum spes nostra, pater, in promotione **214** vestra (53) consistit, ut cujus in negotio prius exstitit adjacens voluntas bona et beneplacens et perfecta, quantum licet et expedit, potestas commissa perficere inveniat, et faciat consummare. Computrescat circa vos, si placet, jugum laicorum a facie olei (54) vestri, ut nec Eliezer dominetur Abrahæ (55), nec Saram contemnat Agar, nec idiota contemnat clericum, nec laicus imperet sacerdoti. Dejectum restituite, juvate pusillanimem,

(49) Eo tempore Mauritius sedem Parisiensem dignissime occupabat, vir siquidem pietate, doctrina, cæterisque dotibus clarissimus, ut jam supra adnotavimus.

(50) Agit de conversis ordinis Grandimontensis, de quibus superius disseruit.

(51) His verbis colligitur epistolam istam scriptam esse nomine Bernardi prioris monasterii Grandimontensis, a conversis suis rebellibus ejecti cum cæteris suis clericis eorum vi pariter oppressis.

(52) Fratrem scilicet Stephanum de quo sermo habetur epist. 136.

(53) Videtur scripta hæc epistola initio promotionis Urbani ad summum pontificatum, penes quem, cum adhuc esset cardinalis, hoc ipsum Grandimontensium negotium fuerat agitatum, partesque prioris contra conversorum injurias sustinuerat.

(54) Est modus loquendi usitatus in Scriptura sacra, Isaiæ scilicet X, quo significatur facilitas quæ incumbit alicui, ut se a gravi negotio expediat. Metaphora ducta a jugo boum, quod sæpius oleo superfusum, tandem putrescit, et facile rumpitur ac dissolvitur.

(55) Hoc est, servus imperet domino, alluditque ad id quod legitur Genesis XV, de Abraham et vernaculo ejus Eliezer.

refovete flebilem et pastorem percussum, sanantes A despectas oves gregis, in ea pace ad caulas reducite, ut qui subesse debent, docendos se intelligant et docendos.

215 EPISTOLA CXLV.

AD PETRUM DE DACIA (56).

Eum certiorem facit de fratrum benevolentia.

Charissimo et amantissimo fratri et amico PETRO, STEPHANUS S. Genovefæ dictus abbas, salutem et sinceram, velint nolint invidi, dilectionem.

Doleo super te, frater mi, amabilis valde super amorem Jonathæ, quod ad unius falsi rumusculi sonum turbatus es, et locutus, cum ex anteacta conversatione tua credamus mentem tuam prudentia discretam, fortitudine constantem, justitia B solidam, temperantia modestam. Super hunc quaternarium positus tanquam columna immobilis, non tanquam arundo vento agitata, nec adulantium flatus, nec detrahentium sibilos, nec delatorum commentitia subdolaque verba suscipere debuisti. Sæpenumero psallens et orans in cubiculo cordis tui dixisti Domino, ut liberaret animam tuam a labiis iniquis et a lingua dolosa. Ecce lingua tertia, quæ conturbat fratres, pene movit candelabrum fraternæ concordiæ tuæ de suo loco, et os quod mentitum est non timens occidere animam suam, crimine pessimo detractionis accusavit fratres innocentes et simplices, qui te sine fraude diligunt, sine simultate recolunt, sine invidia prosequuntur. C Quanta potui diligentia et in capitulo et extra capitulum sub attestatione obedientiæ quæsivi, frater, de verbo illo malitioso, blasphemo, iniquo et doloso, sed nec auctorem inveni, nec cognitorem aut relatorem: cum omnes et admirantes negarent, et negantes mirarentur. **216** Prohibui etiam auctoritate, quæ mihi super eos commissa est, ne linguas quæ in udo sunt, talibus exponant, ne mansuetudinem tuam multiloquio lædant, ne indignationem tuam vaniloquio provocent, ne spei nostræ pariter et tuæ fructus in flore stultiloquio perimant, aut exstinguant. Securus de integritate ipsorum et dilectione quam erga te sine simulatione retinent, securum te facio quod nec illa quæ tibi malitiose dicta sunt, dixerunt, nec aliqua quæ te offendere debeant, D facturi sunt aliquando vel dicturi. Rogo ego qualiscunque prælatus tuus per ubera matris tuæ Ecclesiæ, in qua professionem verbo et scripto fecisti, per merita virginis Genovefæ, quam intime dilexisti et diligis, per fratrum socialem ac sacramentalem communionem, per meam qui te sincere diligo: si aliqua penes te est memoria, ut scrupulus iste sic amoveatur a mente tua, a lingua tua, a manu tua, ut nec reliquias ejus in te retineas, nec recidiva consimilis perturbationis indicia falsis persuasionibus admittas. Super muneribus a te transmissis gratias ago tibi, gratias fratrum singuli, gratias universi. Prospere per Dei gratiam circa nos ac fratres nostros succedunt omnia, cum necessariis abundemus, et ex religiosa fratrum sanctaque conversatione spiritualia temporalibus respondeant et occurrant. Augetur fratrum numerus, renovantur ædificia, multiplicantur possessiones, et, quod majus est, pax et tranquillitas inter fratres, disciplinæ regularis observantia, in officiis ecclesiasticis devota contentio, et coram Deo commendat eorum secretam conscientiam, et coram hominibus securam famam. Sperantes de Dei misericordia, qui facit nos abundare supra id quam petimus et intelligimus, incepimus renovare sarta tecta ecclesiæ nostræ (57) stillicidio proflua, vento pervia, vetustate consumpta: novam lignorum materiam comparamus superponendam parietibus, et **217** tecto plumbeo supponendam. Parietes etiam innovamus sectis et politis lapidibus exterius fulcientes. Potens est Deus providere operi sumptus necessarios, qui mihi et fratribus nostris propositum contulit operandi.

EPISTOLA CXLVI.

AD LUNDENSEM ARCHIEP.

Sibi gratulatur de Petro canonico suo ad episcopatum promoto.

Reverendo Patri et amico A. Lundensi archiepiscopo, Sueciæ primati (58), STEPHANUS de Sancta Genovefa.

Dominos et amicos nostros quos videre non possumus, frequenti cogitatione recolimus, frequenti dilectione complectimur, desiderio prosequimur, obsequio veneramur. Inter alios et supra, singulare nobis erigit theatrum auctoritas nominis vestri, cujus et umbraculo consequimur refrigerium, et spectaculo plausum. Fama personam vestram prædicat, persona famæ vires accommodat: illa recto judicio non mentiente de operibus, ista justo medio de moribus metiente. Nec hoc dicimus ut oleo peccatoris caput vestrum impinguare velimus sacro chrismate perunctum, qui ex proposito vestro virtutes æmulari debemus, non virtutibus adulari. Pro fratre nostro charissimo clerico, et filio **218** vestro Petro preces aliquando vobis porreximus, quas in gratiarum convertimus actionem, quoniam, ut audivimus, eum sic honorastis et onerastis, ut et honor non deficiat ex onere, et onus proficiat ex honore. Augeat et Deus gratiam suam, augeat et gratiam vestram, ut gratiam pro gratia consecutus, et Deo serviat in ministris suis, et vobis placeat in ministeriis vestris. Jocose dixerim quæ sequuntur, et quæ non indi-

(56) Vide epist. 139 et 150.

(57) Basilicæ scilicet S. Genovefæ Parisiensis partim a Normannis destructæ, partim vetustate collabentis, quippe quæ jam per septingentos fere annos duraverat.

(58) Absaloni scilicet, de quo plura superius retulimus, qui cum duplici pontificatu, infula Roschildensi scilicet et Lundensi esset insignitus, alteram nepoti suo Petro S. Genovefæ canonico dimisit.

gnationem provocent, sed ad misericordiam vos invitent. Patres vestri secundum carnem (59) gentili adhuc ritu ac superstitione detenti Gallias invadentes fortitudine brachii sui, et in robore virium suarum urbes, castella, cæterasque munitiones ceperunt; vicos, villas et agros vastarunt: homines, alios in prædam et captivitatem abduxerunt, alios in ore gladii percusserunt; loca sancta incendio et ruina ad solum usque dejecerunt. Inter alias, quod sine suspirio et singultu referre non possumus, nec debemus, ecclesiam apostolorum Petri et Pauli, in qua beata virgo Genovefa requiescit in corpore (60), regali ope et opere constructam musivo (61) intus et extra, sicut reliquiæ adhuc testantur, ornatam et depictam, miserabili concremarunt incendio, nec sacro loco parcentes, nec beatæ virgini, aliisve sanctis qui ibi requiescunt, reverentiam exhibentes. Tandem per Dei gratiam barbaries illa antiqua, Christiana mansuetudine mitigata est et mutata, et septentrionale frigus calore fidei liquefactum, rejectis idolis Creatorem suum recognovit, partemque Galliarum, quæ a Septentrionis nomine Normannia dicitur (62), Nores et Dani renati in Christo sibi et posteris suis retinent, inhabitant et colunt. In illa persecutione parietes ecclesiæ nostræ combusti, et exesi vetustate nimia et corruptione minantur ruinam, et suspirant fulciri sustentaculo, et opperiuntur operiri tecto. Comparata est lignorum materies superponenda refectis parietibus, et laminis **219** plumbeis supponenda. Speramus in Domino, quia qui cœpit opus, perficiet solidabitque, et sumptus providebit necessarios qui nunquam derelinquit in se sperantes servos suos. Et quoniam in tanto opere, sive onere, stipem mendicare compellimur alienam, recurrimus ad liberalitatem vestram, ut qui aliquando Romanum consuevistis emere plumbum (63), in coemendo plumbo Anglico et benevolum aperiatis animum, et beneficam extendatis manum. Illo plumbo nudantur ecclesiæ, teguntur isto. Dissimilis negotiatio, cum in illa sæpe mœreat acceptor, in ista semper mereatur largitor. Illud litigioso semper auro redimitur, istud religioso precum pretio comparatur. Fratrem nostrum G., præsentium latorem misimus, qui et prudenter impleat mandatum nostrum, et fideliter nobis reportet beneficium alienum.

220-221 EPISTOLA CXLVII.

AD VALDEMARUM SLEWICENSEM EPISCOPUM

Plumbum petit ad ecclesiæ S. Genovefæ reparationem et ornatum.

Venerabili et illustri viro VADELMARO, episcopo de Selewik (64), frater STEPHANUS de S. Genovefa, qualiscunque minister, salutem et cum omni dilectione fidele obsequium.

Jucundam vestri memoriam reliquit nobis absentia vestra, cujus si delectamur reliquiis, ita reficimur blandimentis. Mirabamur senilem maturitatem in juvene, episcopalem dignitatem in futuro antistite, profundam humilitatem in nobili stirpe, munificentiam liberalem in scholastico, socialem affabilitatem in sanguine regio, Gallicanam elegantiam in septentrionali viro. Non credimus in vobis

(59) Normanni scilicet, populi septentrionales, qui ex Dania, Suecia cæterisque plagis adjacentibus, sæpius Galliam sub medium et finem noni sæculi impetum fecerunt, omnesque ecclesias et loca pia ferro et face devastaverunt. Inter ea maxime monasterium S. Genovefæ Parisiensis.

(60) Hæc ecclesia fundata fuit juxta Parisios a Clodovæo Galliarum rege, circa annum 608, ut adimpleret votum, quod, suadente Clotilde piissima regina, fuderat, dicens, teste auctore gestorum regum Franciæ: « Fiatur ecclesia beatorum apostolorum, dum, auxiliante Deo, revertimur, » e bello scilicet contra Gothos qui Aquitaniam devastabant. Corpus autem B. Genovefæ virginis in ea conditum est, ut notat Gregorius Turonensis, sepulcrumque ejus, quod usque hodie in ea miraculis undique coruscat, manifestissime convincit.

(61) Musiva opera seu mosaica, ea sunt quæ tessellata et sectila vocat Suetonius in Julio, cap. 46: « In expeditionibus tessellata et fictilia pavimenta circumtulit. » Et Seneca, epist. 86: « Pauper sibi videtur ac sordidus, nisi parietes magnis et speciosis orbibus effulserint, nisi Alexandrina marmora Numidiatis crustis distincta sint, nisi illis undique operosa et in picturæ modum variata circumlitio prætexitur. » S. Aug. item, lib. XVI, *De civitate Dei*, cap. 8: « Cætera hominum vel quasi hominum genera quæ in maritima platea Carthaginis musivo picta sunt. » Vitruvius, cap. 1, meminit a se visas hujusmodi pavimentorum reliquias, « in quibus tessellata marmora, minutilis fabis non majora piscium et aliarum rerum effigies variis coloribus graphice imitantur. » Ejusmodi pavimenta cernere adhuc licet in basilicis S. Dionysii in Francia, S. Remigii Remensis, et aliis.

(62) Post multa Normannorum incendia, cædesque per Galliam perpetratas, Carolus dictus Simplex, videns se esse imparem ad resistendum gentis illius feritati, pacem cum ea iniit hac potissimum conditione ut Christum coleret. Quamobrem illorum princeps nomine Rollo lavacro regenerationis intinctus, mutato nomine in Robertum, accepit in uxorem Gissam regis filiam, et cum ea in dotem Neustriam provinciam, quæ ex hoc Normanniæ nomen sortita est.

(63) Alludit ad plumbum bullarum apostolicarum, quo dicit nudari sui temporis ecclesias, id est tanto pretio comparari, ut prælati ecclesiarum ad penuriam redigerentur. In animo autem habebat plumbo cooperire ecclesiam S. Genovefæ, sed ad id impares fuere ejus facultates.

(64) Fuit Valdemarus regio apud Danos ortus sanguine, in episcopatum Slewicensem assumptus, sed cum regni portionem sibi assignari peteret, incidit in regis inimicitias, ob quas episcopatum dimittere coactus est, juramento etiam præstito (ut e carcere se eximeret) nunquam se eo in loco mansurum, in quo regi suspectus foret, Bononiam se recepit, ubi studiis operam dedit. At cum anno 1207 Hartonicus, Bremensis archiepiscopus, fato functus fuisset, ipse Vadelmarus in ejus locum a Bremensibus eligitur, spretis tamen Hamburgensium votis, qui in electione Bremensis archiepiscopi suffragia ferre consueverant, unde gravis orta est controversia inter eos, de qua igitur in epistola 158 et 159, lib. I epistolarum Innocenti III. Hæc fusius etiam narrat Meursius in *Hist. Danica*, lib. [illegible], sub finem anni 1207.

honores mutasse mores, quos per Dei gratiam natura vobis potius contulit quam fortuna. Ex his confidentiam assumpsimus scribendi vobis, et attrita, ut aiunt, fronte sine meritis nostris beneficium aliquod postulandi. Id solum in petitione solatium superest, quia, si repulsam patiatur, non rubet si non exaudiatur, epistola verecundiam non incurrit. Antiqui parentes vestri cum adhuc errore gentili sub idololatria tenerentur, et justo Dei judicio Gallias invadentes civitates et oppida ceperunt, destruxerunt municipia, ecclesias subverterunt. Inter alias ecclesiam beatæ Genovefæ virginis regali ope et opere constructam miserabili concremarunt incendio, cujus rei testes existunt **222** parietes extunc combusti et exesi, corruptionem suam calce in cineres putrefacta monstrantes, et ruinam minantes. Eos reficere incœpimus comparata jam lignorum materie, quæ et superponatur innovatis parietibus, et tecto plumbeo supponatur. Sub quodam rubore mendicantes rogamus et petimus, ut aliquid de benevola ac benefica liberalitate vestra nobis mittatis, quo plumbum emamus, non Romanum, sed Anglicum, quoniam Anglico plumbo teguntur ecclesiæ, nudantur Romano. Vivet jugiter in Ecclesia nostra felix memoria nominis vestri, sub testimonio beneficii a vobis beatæ virgini Genovefæ liberaliter impensi. Fratrem nostrum G. præsentium latorem misimus, qui et prudenter impleat mandatum nostrum, et fideliter nobis reportet beneficium alienum.

223 EPISTOLA CXLVIII.

AD GUILLELMUM ABBATEM DE PARACLITO.

Plumbum etiam ab eo expetit.

Venerabili fratri et amico GUILLELMO abbati de Paraclito (65), STEPHANUS de Sancta Genovefa, seniori consenescens, in plenitudine dierum plenitudinem gaudiorum.

Laudamus *veteres, nostris tamen utimur annis.*

Poeticum est, non propheticum quod diximus, veridicum tamen. Patres nostri sicut tempore, ita et auctoritate et religione præcesserunt in via Domini. Nam sicut Hylas Herculem, non æquis eos passibus consectamur. Formam vivendi Moyses (66) tradidit Hebræis, Numa Pompilius Romanis, Phoroneus Græcis, Trimegistus Ægyptiis, Filius Dei Christianis. Huic subserviens Augustinus tanquam Samaritani stabularius duos denarios, quos ab eo acceperat, verbum scilicet doctrinæ, et exemplum vitæ, in curam nostri fideliter expendit et prudenter, recepturus mercedem cum Samaritanus redierit. In hoc agone quanquam in diversis Ecclesiis vobiscum sudavimus, et sudamus (67) ita pugnantes, non quasi qui aerem verberans, et currentes non quasi in incertum. De statu vestro incerti, de nostro vos certificamus, scientes quia et gaudere cum gaudentibus, et flere cum flentibus parati estis. Prospere per Dei gratiam circa nos et fratres aguntur omnia, et non est occursus, neque Satan, cum in summa tranquillitate et pace unanimes habitent in domo Domini, sola contentione serviendi Domino sese invicem præcedere cum humilitate certantes. Spiritualibus **224** occurrunt temporalia, peractis ferme spatiosis et speciosis regularibus officinis (68), et per villas rusticis ædificiis, spatio simul et specie certantibus cum urbanis. Sollicitudinem curamque nostram convertimus in renovandis et fulciendis antiquis ecclesiæ parietibus vetustate et incendio putrefactis, dissolutionem minantibus et ruinam. Comparavimus et novam lignorum materiem ad sarta tecta reficienda, quæ et superponatur. Hac enim materia si Deus permiserit, speramus nos operturos ecclesiam, non attendentes significationem plumbi prophetici, quod super iniquitatem sedere dicitur, sed basilicæ nostræ utilitatem et decorem. Hujus metalli materiam quærimus, non figuram. Et quoniam tanto oneri sive operi expiendo non sufficimus, stipem ab amicis nostris mendicare compellimur alienam, quorum ope et opera insufficientiam nostram suppleamus. Importunus forte et improbus sermone brevi prolixitatem epistolæ redimo. Sed quod potes adjuva nos.

225 EPISTOLA CXLIX.

AD OMERUM RIPENSEM EPISCOPUM (69).

Commendat G. canonicum suum, quem mittit in Daniam.

Quatuor sunt quæ aut novas conciliant amicitias, ut veteres colunt: Alternæ confabulationes, obsequia mutua, litterarum frequens excursus, virtutis fama consentiens veritati. Hujus ultimi beneficio faciem vestram quam oculis videre non meruimus, imaginatione complectimur, applaudentes famæ quæ et liberalitatem vestram prædicat, et religionem commendat. In scholis veritatem didicistis, in sacerdotio virtutem; sed nec in illis veritatem sine virtute, nec in isto virtutem sine veritate. Ex his de benevolentia vestra potius quam de nostris meritis confidentes, charissimum fratrem nostrum et canonicum G. præsentium latorem, quem pro negotiis Ecclesiæ nostræ misimus, vestræ benevolentiæ commendamus, ut eum in quibus necesse habuerit pro amore Dei et nostro, et firmetis consilio, et patrocinio sustentetis. Retribuet vobis Deus, qui

(65) Consule epist. sup. ad ipsum scriptam, et quæ ad ejus elucidationem posuimus.

(66) Enumerat præcipuos legislatores populorum, qui inter priscos claruerunt.

(67) Stephanus enim monasteriis S. Genovefæ et S. Evurtii Aurelianensis præfuit. Guillelmus vero subprior S. Genovefæ, ac deinde abbas in Dania exstitit.

(68) Dormitorium scilicet, capitulum, refectorium, capellam B. Mariæ, et claustrum eleganti structura ædificaverat, quibus huc usque utimur.

(69) Ripa urbs est Daniæ ad fluvium Nipsiam, a quo dividitur in tres partes. De Omero autem agit Saxo grammaticus ad calcem lib. XIV *Historiæ* suæ, et dicit Absalonem Roschildensem ac Lundensem antistitem Rippensium electum Omerum religioso ministerio pontificem consecrasse

recipientibus justum in nomine justi mercedem A justi retribuet, et mensuram bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem pro misericordiæ sanctis operibus dabit in sinum vestrum.

226 EPISTOLA CL.

AD LUNDENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Sub nomine Salomonis commendat Petrum ipsius nepotem.

Lundensi archiepiscopo salutem temporalem pariter et æternam.

Felix opera et impensa, cujus intentionem fructuosus sinus excipit, desiderium complet exitus, spei fiducia nec tollitur, nec mentitur. Hæc in Salomone vestro vere verbis et operibus pacifico, non invitum vos invitare debent, ut quod in eo benevole cœpistis, benefice compleatis, prosequentes bonam juvenis indolem, qui sic litterarum studiis intendit, ut a virtutum semitis non recedat. Planta est, quæ per Dei gratiam et irrigationem vestram, fecundam coalescet in arborem, cujus et folium cito non defluet, et fructum suum dabit in tempore suo. Testimonium ei perhibemus commoranti nobiscum in monte, quia in scholis assiduus, honestus in hospitio, nec effusus in superfluis, nec in necessariis est angustus. Sociorum benevolentiam sic meretur, ut omnium gratiam non amittat. Gaudeat super eo sancta paternitas vestra, et illustrem vestri sanguinis celsitudinem sic exaltetis in ipso, ut et honor ejus tanto respondeat generi, et genus tantum consentaneum sit honori. Sic glorietur pa- C truus in nepote, ut nepos ex patruo sublimetur.

227 EPISTOLA CLI.

AD QUEMDAM CANONICUM:

Facultatem concedit cuidam suo canonico alium ordinem ingrediendi, ac in eo commorandi.

Juvandæ sunt voluntates, quibus et devotio præbet initium, et quarum discretio firmat progressum. Hæc attendentes in dilecto nostro II. latore præsentium, concanonico nostro, petitionibus ejus nec obsistere diutius audemus, nec detrahere integrum arbitramur : liberam igitur ei domum religionis expetendi, et intrandi damus licentiam, quatenus apud alios quam apud nos, Deo juvante, et arctius vivat, et districtius conversetur : preces ergo pro eo porrigimus, ut apud quos commorari D gratum habuerit, pro commendabili, legendi et cantandi scientia quæ in eo est, et benevole suscipiatur, et benefice tractetur.

EPISTOLA CLII.

AD CANUTUM REGEM DANIÆ.

Agit de nobili adolescente Dano apud S. Genovefam fato functo ac tumulato.

Nobili viro, et ab avis atavisque regibus procreato CANUTO, fr. STEPHANUS de S. Genovefa dictus abbas, totusque Ecclesiæ conventus humilis, salutem in salutis Auctore.

Viris illustribus, et qui de sanguine regio ducunt originem, proprie convenit, ut sicut sunt magnifici **228** genere, ita sint munifici largitate. Quod si largitas usque ad ecclesias extendatur, et pro salute propria requieque defunctorum, et maxime parentum ac propinquorum, qui facultatibus abundant, loca religiosa visitent, pauperes aiant, eleemosynas distribuant, coram Deo gratiam, et coram hominibus promerentur favorem. Frater vester carnalis, bonæ indolis juvenis Waldemarus (70), cujus memoria in benedictione est, regio generi vestro condigna virtute respondens, et apud nos spiritum B reddidit Deo, et inter nos corpus commendavit sepulcro. Orationum ac beneficiorum spiritualium, sicut unus ex nobis, particeps est, et erit in perpetuum, surrecturus in die judicii cum beata virgine Genovefa, et extremæ benedictionis sententiam cum his qui a dextris erunt, et cum ipsa pariter recepturus. Et quoniam parietes ecclesiæ in qua requiescit, parentum vestrorum, adhuc gentilium concrematos incendio, et nimia extunc vetustate consumptos renovare incœpimus, et sarta tecta ipsius nova lignorum materie, plumbeisque laminis contegere proposuimus, nobilitati vestræ preces fundimus, ut ad coemendum plumbum per præsentium latorem G. canonicum nostrum aliquod beneficium nobis mittatis, unde et a Deo remuneretur liberalitas vestra, et ab hominibus commendetur generis vestri fama, et a nobis celebrior et frequentior habeatur fratris vestri memoria sempiterna.

229 EPISTOLA CLIII

AD EUMDEM.

Ab eo etiam petit plumbum ad ecclesiæ S. Genovefæ tectum operiendum.

Illustrissimo et Christianissimo regi Danorum CANUTO (71), fr. STEPHANUS S. Genovefæ dictus abbas, totusque ipsius Ecclesiæ humilis conventus, salutem, vitam et victoriam.

Gloriosam ac felicem regni Danorum potentiam et virtutem, qua antiqui parentes vestri pagano errore adhuc detenti, in fortitudine brachii sui et in robore virium suarum Gallias invaserunt, et Annales historiarum continent, et communis fama recitat, et urbium oppidorumque muri semiruti protestantur. Ex eorum vos nobili stirpe descendisse, et gentilem illam tyrannidem in Christianam mansuetudinem mutasse (72) gaudet mater Ecclesia, cui assiduum impenditis cultum, devotum exhibetis ob-

(70) Inscribitur in *Necrologio* S. Genovefæ his verbis : « Obiit Waldemarus, nepos regis Daciæ, canonicus noster ad succurrendum. » Declarat autem in hac epistola quid sit canonicus ad succurrendum, cum subjungit, « orationum ac beneficiorum spiritualium sicut unus ex nobis particeps est. »

(71) De illo hæc scribit Meursius in *Hist. Danica* ad annum 1182 : « Mortuo Waldemaro primo, regnum accepit filius Canutus sextus, jam ante (parentis cura Bingstadii initiatus anno 1170, cum Canutus quintus avus inter divos referretur. »

(72) Primus ex Daniæ principibus qui Christianam religionem amplexus est fuit Haraldus hoc agente Ludovico Pio imperatore, anno 825, ut nar-

sequium, beneficum erogatis augmentum, nec regio fastu per Dei gratiam sacerdotium premitis, nec debitam reverentiam sacerdotio denegatis. Cumque in aliis quibusdam regnis per tyrannidem principum servituti subjecta sit Ecclesia, in vestro per regalem clementiam vestram libera est et quieta. Supradictæ persecutionis a viris potentibus gentilibus tunc illatæ calicem bibit, et absinthio doloris inebriata est Ecclesia beatæ virginis Genovefæ, in qua, Deo licet indigni deservimus, fracta, diruta et combusta. Testantur hoc parietes incendio illo consumpti, et calce in cinerem commutata, putrefacti, **230** tremuli ex exesi. Eos renovare incœpimus, superponenda nova lignorum materie, et tecto plumbeo supponenda. Nec hoc dicimus, princeps victoriosissime, ut querulis aut mendicis vocibus importune aliquid vel improbe postulemus a clementia vestra, sed ut misericorditer consanguineum vestrum nobilem virum Canutum moneatis, ne omnino sit immemor fratris suis Waldemari, qui in beato fine suo canonicus noster factus (73), in celebri claustri nostri loco sepultus, in omnibus beneficiis et orationibus, quæ in Ecclesia nostra fiunt, particeps, frater, et socius nec in vita partem aliquam, ut dicitur, seu funiculum hæreditatis suæ possedit, nec post mortem sive ipse, sive Ecclesia pro eo aliquid inde percepit. Vox justitiæ ipsius clamat ad fratrem de terra : *Frater, da mihi portionem substantiæ paternæ quæ me contingit* (*Luc.* XV). Rogamus, supplicamus ac petimus, ut vos qui toties armis superatis idololatras et jugo subjicitis Christia-

A no (74), nobilis illius viri pectus licet ferreum precibus expugnetis, ut mortuo fratri suo gratiam non neget, et in tanta necessitate Ecclesiæ, in qua frater ejus et diem clausit ultimum et diem exspectat extremum, pro tota hæreditate quam possidet, aliquid mittat, unde et apud Deum securior sit ejus conscientia, et apud homines hilarior fama, et circa mortuum liberalitas appareat debita, et benevolentia manifestetur fraterna. Charissimum fratrem et canonicum nostrum præsentium latorem G. clementiæ vestræ commendamus, ut eum regali juvetis patricinio, et, si opus fuerit, auxilio protegatis. Valeat et crescat in dies semper magnificentia vestra.

B

231-232 EPISTOLA CLIV.

AD NIVELONEM SUESSIONENSEM EPISCOPUM.

Rogat pro suis canonicis de Firmitate Milonis, ut a quodam onere curet eos sublevari.

Inter cæteras afflictiones, sub quibus hodie gemit Ecclesia, novas et indebitas exactiones præstare compellitur : et cum liberi debeant esse filii, tributa solvunt et decimas, tanquam penitus alieni. Verum facilius toleratur a singulis quod ab omnibus sustinetur, cum tamen gemitus omnium dolorem non minuat singulorum. Tangit nos hæc plaga, communis Pater, quæ tantum non invitat, sed etiam invitum trahit, ut et solvatis decimas, et decimas exigatis (75). Successores Melchisedech filios Aaron non excusant, nec levitarum immunitas portione C sibi concessa gaudere permittitur, cum universos fiscus absorbeat, nec tamen liberetur Christus unde

rat Saxo grammaticus in *Hist. Danica*, lib. IX : « Ludovicum Maguntiæ constitutum auxilia petiturus accessit, at Ludovicus summo amplificandæ religionis ardore confectus conditionem barbaro obtulit, opem spondendo si Christi cultum exsequi consensisset, qua sententia et salutem hospiti et sibi pietatis præconium peperit : Haraldum enim solemni lavacro usum consequenter Saxonicis roboravit auxiliis, quibus is fretus in territorio Sleviensi dicandam Deo ædem sollicita moliebatur impensa. Hic itaque sanctissimi tenoris specimen a Romanis ritibus mutuatus, profanata perfidorum errore templa diruit, victimarios proscripsit, flaminium abrogavit, atque inconditæ patriæ Christianismi sacra primus intulit, rejectoque dæmonum cultu divinum æmulatus est, supremo quidquid ad religionis custodiam attinuit, scrupulosissima cura servavit, sed non tam efficaciter quam pie rem auspicatus est; superveniens enim Hoguerus, inductaque per eum sacra temerans, vera religione proscripta, pristino adulterinam loco restituit, ac suo cæremonias honore donavit. Haraldus vero profugus fortunam ad sacrilegium transtulit : nam ut præcipuum inchoatæ religionis specimen, ita primum neglectæ spectaculum fuit, atque ex splendido sanctitatis auctore, infamis ejusdem desertor evasit. Ericus ejus frater cum eo Maguntiæ baptizatus, etiam a fide defecit, et in Christianos sæviit. At anno circiter 860, suasu Ausgarii, Bremensium antistitis, animum ad pietatem quam exuerat, convertit, idolorum cultum rursus abolevit, ac sacrilegæ mentis errore deposito, quidquid per insolentiam commiserat, expiavit; tantumque in excolenda religione se gessit, quantum egerat in aspernanda. Filius Erici fr. ter parentis vestigiis insistens, religionem propagavit anno 900 ; qui etiam seipsum apud Angliam jampridem Christianismi solemnibus aquis humectandum exhibuit. Cæterum privatam salutem in publicam exuberare cupiens, ab Agapito, qui tunc civitatis Romanæ sacris præerat, Daniam divinitus condiri petivit. Deinde anno 981, defuncto Haraldo piissimo rege, successor ejus Sueno rursus Christianis infensus fuit, prosperam sibi in divina sæviendi occasionem venisse gavisus, totam religionis stirpem a radice convulsit, coque auctore Dani susceptum Divinitatis cultum repetita superstitione mutarunt. At cum ille Sueno Dei vindice dextera D regno fuisset spoliatus, tandem resipuit, et hac fortunæ sævitia ad amplectendam religionis charitatem adactus, abstractos caligine oculos salutari lucis contemplatione suffudit. » Hæc Saxo, qui subjungit eumdem principem quatuor episcopatus in suo regno designasse, Arusiensem, Slevicensem, Ripensem ac Roschildensem, quibus veluti quatuor cardinibus Christiana religio in Dania stabilita ac firmata est anno 993.

(73) Canonicus scilicet ad succurrendum, ut ex *Necrologio* S. Genovefæ recensuimus.

(74) De Canuti in religione propaganda zelo, hæc scribit Mevisius in *Hist. Dan.* ad annum 1093 : « Inter ista in Livoniam Dani arma transtulere, atque regionis illius infideles cœpto illis prædicari verbo Dei per antistitem Menardum ac Bertoldum successorem rebellantes domuere, et ad fidem Christianam universim amplectendam pepulere. »

(75) Institutæ fuerunt decimæ anno 1188 a Philippo Augusto cum iter Jerosolymitanum suscepit, de quibus Rigordus hæc habet : « Celebratum est concilium a Philippo rege, convocatis omnibus archiepiscopis, episcopis, abbatibus, et totius regni

affligitur Christianus. Inter hos tamen singultus et A quotidiana suspiria, sanctæ paternitati vestræ preces fundimus, ut fratribus nostris apud sanctum Vedastum (76) demorantibus, in quantum vobis placuerit, parcatis, et nobis præstetis hoc beneficium, quibus consuevistis semper exhibere vultum **233** hilarem et jucundum. Tenuis est eorum sacellus, nec distento vivunt marsupio, qui fere per biennium, suspensis parochialibus organis (77), vestro subjacuerunt, pro culpa comitis, interdicto (78).

234 EPISTOLA CLV.

AD PAPAM.

Rogat eum pro ecclesia S. Victoris, ut servet annualia Ecclesiæ Parisiensis ipsis concessa.

Sanctissimo domino et Patri, Dei gratia summo pontifici, fr. STEPHANUS de Sancta Genovefa dictus B abbas, totius obedientiæ devotionis et servitutis plenitudinem.

Prudentes et potentes in generatione sua viri, qui tunc temporis in ecclesia Parisiensi titulati præerant, ecclesiam Sancti Victoris tanto dilectionis ac devotionis affectu prosecuti sunt, ut in ea sacræ religionis odore tacti pariter ac tracti, plerique ipsorum non solum conferrent sua, sed et seipsos offerrent (79). In hoc glorioso certamine largiendi sua beato regularium collegio sic et universi provocabant singulos, et singuli universos, ut ex singulorum facultatibus prædictorum inopiæ fratrum possessiones et pecuniæ provenirent : et ex universorum benevola simul ac benefica devotione suarum C annualia præbendarum (80). Eorum piam libertatem filii qui pro patribus suis in Ecclesia Parisiensi nati sunt, cum imitari deberent, immutare contendunt, sequentes in hac parte mores quos non coluerunt patres eorum, ut quod illi contulerunt isti auferant : quod extulerunt extra, aut quod fundaverunt effodiant et effundant. Dura filiorum conditio, qui nec eos in opere contrario sequi volunt, qui sepulcra patrum ædificabant, ne memoria eorum, qui prophetas interfecerant, **235** deleretur. Hi vero qui bonis operibus patrum suorum contradicere volunt, quantum in ipsis est, memoriam æternam in qua justi permanent, et extenuare tentant, et exterminare contendunt. Nec sunt audiendi, Pater, juvenculi hac nova voluntate sua, qui patres suos et matrem suam eximiam Parisiensem Ecclesiam non honorant, non verentes quod per veritatem dicitur : *Honora patrem tuum et matrem ut sis longævus super terram* (*Exod.* XX). Sane præbendarum Parisiensium annualia, ecclesiæ Sancti Victoris ex integro deberi, et ipsius Ecclesiæ Parisiensis tam episcopi quam capituli authenticum rescriptum testatur, et sanctorum Romanorum pontificum privilegia confirmant, et plus quam longissimi temporis præscriptio civili simul et canonico jure clamat. Sancta etiam paternitas vestra per discretionem et scientiam vobis et sanctæ Romanæ Ecclesiæ a Deo datam, illius verbi quod in privilegio continetur, scilicet, ex integro, interpretationem scripsistis, et viris prudentibus Atrebatensi et Ambianensi episcopis, et abbati Pruliacensi non cognitionem misistis, sed exsecutionem : quibus sicut nec mandati vestri vel unum iota licet prætermittere, sic nec vobis, si dici liceat, in his quæ canonice statuistis, convenit aliquid immutare. Ut enim verbo principis utamur, qui longe sacro apostolatu vestro inferior est, interpretationem inter jus et æquitatem positam vobis solis et oportet et licet inspicere. Et quoniam interpretatio vestra generalis est, et necessaria : rogamus vos, Pater sancte, ego minima portio filiorum vestrorum, et omnes quotquot institutiones ordinis Sancti Victoris pro posse nostro observamus, ut interpretationem a nobis juste et canonice prolatam faciatis firmiter observari, et religiosissime ac ordinatissime ecclesiæ Sancti Victoris jura conservetis integra, ne forte, quod absit! dici possit a

baronibus, in quo innumerabilis militum multitudo seu peditum, sanctissima cruce insigniti sunt, et propter instantem necessitatem, oppido enim iter Jerosolymitanum rex affectabat, cum assensu cleri et populi quasdam decimas ab omnibus esse accipiendas eo tantum anno decrevit, quæ dictæ sunt decimæ Saladini. »

(76) Ecclesia S. Vedasti apud Firmitatem Milonis D donata fuit ecclesiæ S. Genovefæ Parisiensis per Hilgotum Suessionensem episcopum ut jam diximus.

(77) Accipit hic partem pro toto, organa scilicet pro omni cantu et officii divini celebratione. Organa autem cœperunt esse in usu in ecclesiis Galliæ sub Pippino, anno 757, ut refert Eginhardus : « Constantius imperator Pippino multa misit munera, inter quæ et organa, quæ ad eum in Compendio villa pervenerunt, ubi tunc populi sui generalem conventum habuit. »

(78) Videtur hoc interdictum in diœcesim Suessionensem latum idem esse ac illud de quo meminit Cantipratanus, lib. II, cap. V : « Vidi Suessionem civitatem in Gallia excommunicationi subjacuisse diutius, et nonnisi sub silentio clericos divina mysteria ministrasse. »

(79) Nonnulli præsules Parisienses, et plerique canonici B. M. inter canonicos Sancti Victoris ascripti sunt, scilicet Stephanus, et ut placet nonnullis, Odo, episcopi, Bernerus decanus Adam præcentor, Theobaldus, Bernardus, et Mauritius archidiaconi et canonici Parisienses.

(80) Proventu annuo præbendæ vacantis in Ecclesia B. Mariæ Parisiensis gaudent canonici regulares S. Victoris, quo jure fruuntur aliæ abbatiæ ejusdem ordinis in variis regni cathedralibus, ut Aureliis Carnuti, Ambiani, etc. Quæ quidem annualia ad hoc illis concessa potissimum fuerunt, ut pro defuncto canonico preces fundere tenerentur. Stephanus autem Parisiensis episcopus illa attribuit canonicis Victorinis, ut legitur in eorum *Necrologio* IV Kalend. Augusti : « Anniversarium piæ recordationis Stephani Parisiensis episcopi, qui in vita sua hanc nostram ecclesiam mirabili affectu sinceræ dilectionis amplectens, multa et magna ei beneficia conferens, dignum et perpetuum sui nominis et amoris memoriale posteris dereliquit, siquidem in omnibus ecclesiis in quibus præbendæ sunt, præbendas singulas dedit. In seniori ecclesia B. Mariæ præbendam, unam in ecclesia S. Marcelli, S. Germani Altissiodorensis. S. Martini de Campellis præbendam unam, dedit etiam nobis in omnibus supradictis ecclesiis annualia præbendarum, » etc.

malevolis, quia non **236** liberavit pauperem a potente, et pauperem cui non erat adjutor. A

EPISTOLA CLVI.

AD DOMINUM ATREBATENSEM (81)

Commendat et laudat abbatem de Sarneio (82) *temere accusatum.*

Mater et fomes detractionis invidia velato capite solita murmurare, diebus nostris procedit in publicum, ut jam non sagittet in obscuro rectos corde, nec sedens in insidiis interficiat innocentem, sed vibrato in caput justi coram omnibus gladio lethale vulnus falsæ delationis infigat. Venerandis etiam sese **237** collegiis immiscens, non solum carduos agri conculcat, sed et cedros Libani, quantum in se est, veneno inficit, incendio cremat, exterminio perdit. Magistram severitatis et severitatis ministram promittit, B dissimulat iniquitatem, innocentiam simulat, et, ut facilius ei credatur, mendacio perjurium addit, perjurio sacrilegium auget, falsos testes subornat, simplicitatem judicum circumvenit, quousque damnetur innocens, et vivus absorbeatur, quem mortificare contendit. Hujus monstri pestem mortiferam sacræ et religiosæ aures et assibilantem non recipiunt, et rejiciunt insistentem. Armatum et animatum contra tantum prodigium, Pater, vos esse confido, ut secundum discretionem vestram, nec insidiando circumvolet, nec latendo subripiat, nec inficiendo corrumpat. Hæc adeo dixerim, quia quosdam laicos perversos potius quam conversos Lemovicensis montis (83), secreto didici conflare et C machinare dolos contra virum justum, virum simplicem et rectum apud homines, et, ut credimus, apud Deum, abbatem scilicet de Sarnaio, quem ex humili loco sublimitas conscientiæ clarum, et ex utroque hilaritas famæ commendabilem prædicat et acceptum. Fomitem rancoris et invidiæ contraxerunt, ex eo quod in causam quam contra clericos suos habuerunt, vir prædictus zelo Dei accensus, quantum potuit oppressis clericis astitit, nec destitit juvare pusillanimes, afflictis consulere, vagos et profugos consolari. Generatio illa prava atque perversa, prudentior filiis lucis in negotiis hujus, qui in maligno positus est, mundi, per quosdam abbates ordinis Cisterciensis, forte nimis credulos, et ut sibi credatur, querentes aut querulos, incrustare tendit sinceritatem famæ prædicti viri, et sacrosanctum collegium abbatum vestrorum (84), ipsis etiam angelis reverendum, falsæ corruptela calumniæ, contra virum justum accendere, ut iniquitas opprimat justitiam, **238** et mendacium absorbeat veritatem. Stet in hoc conflictu, si necesse fuerit, rigor et vigor auctoritatis vestræ, pro viro sancto et justo, imo pro totius ordinis evitando scandalo, ne ii qui dixerunt, *linguam nostram magnificabimus* (*Psal.* XI), impiæ voluntatis suæ desideratam reportent victoriam, et ille nullam sustineat injuriam, qui nullam admisit offensam.

239 EPISTOLA CLVII.

AD LUNDENSEM ARCHIEP.

Excusat se quod non tradiderit pecuniam creditum.

Reverendo Patri ac domino Lundensi archiepiscopo, Sueciæ primati, STEPHANUS, dictus abbas S. Genovefæ, salutem et debitam tanto Patri reverentiam.

*Depositum vestrum per manum Absalon clerici vestri, nobis commissum verecundi suscepimus, caute reposuimus, fideliter conservamus. Is a sancto Jacobo revertens, postulavit nobis ut usque Clarevallem transferatur argentum rogatu vestro, commeatu nostro, traductu suo. Timuimus, fateor, vestram prudentiam offendere, ne, si absque litteris redderemus quod auctoritate litterarum vestrarum accipimus, posset aliquis inscrutare simplicitatem nostram, accusare fidem, vulnerare constantiam, arguere levitatem : quando placuerit vobis vel efferri depositum, vel transferri, litteras patentes et pendentes vestræ voluntatis indices mittite, quarum testimonio probare possimus et solutam vobis pecuniam vestram, et nostram a vobis custodiam absolutam.

240 EPISTOLA CLVIII.

AD CAPITULUM LAUDUNENSE.

Canonicos rogat ut libenti animo dimittant Michaelem decanum (85) suum in Parisiensem decanum electum.

Admirabilis et amabilis est Ecclesiarum ludus,

(81) Atrebatum, vulgo *Arras*, caput Artesiæ inter Galliam et Flandriam, a Ptolomæo Rigiacum dicitur : per multa annorum curricula subdita fuit hæc civitas episcopo Cameracensi in spiritualibus ; sed tandem proprio præsule donata est diplomate Urbani II, anno 1096, in quo hæc leguntur : « Atrebatensis Ecclesia una ex nobilioribus ecclesiis comprovincialibus Remensis metropolis solemnibus canonum monumentis freta, olim principalis sedes episcopatus fuit, proprium pontificem habuit, suam diœcesim : volumus ergo ut jugo Cameracensis subjectionis ab Ecclesia Atrebatensi excusso, et recepta dignitate primis temporibus rationabili firmitate possessa, cardinalem episcopum vobis et Ecclesiæ vestræ utilem eligere, et electum per manum metropolitani vestri consecrare, et Ecclesiæ vestræ incardinare studeatis. » Atrebatensi autem Ecclesiæ tunc præerat Petrus, qui abbas Cisterciensis exstiterat.

(82) Valles Sarnaii abbatia est ordinis Cisterciensis in diœcesi Carnotensi juxta Caprosiam, Gallice *Les vaux de Sernay*, fundata fuit a Simone de Neolpha, Franciæ constabulario, et ejus uxore Eva, anno 1128, qui in eadem ecclesia jacent. Abbas autem ille erat Guido, qui cum Simone de Monteforti contra Albigenses profectus, tandem episcopus Carcassonensis est effectus. D

(83) Designat fratres laicos ordinis Grandimontensis in agro Lemovicensi commorantes apud Muretum, ut superius notavimus.

(84) Intelligit capitulum generale abbatum ordinis Cisterciensis, cujus monasterii abbas fuerat episcopus ille Atrebatensis, ad quem hæc epistola.

(85) Michael de Corbolio primum canonicus et cancellarius Parisiensis, deinde decanus Meldensis, postea Laudunensis, in Parisiensem tandem elegitur anno 1191, post obitum Matthæi de Montemorentiaco. De eo Albericus in *Chronico* hæc habet : « Michael decanus Parisiensis, vir theologus et religiosus, in patriarcham Jerosolymitanum est electus,

quoties fraterna charitate supplet altera defectum alterius, non pecuniarum ratiocinio, sed commercio personarum. Una est columba Domini, inconsutilis est tunica ejus, et in uno corpore partes ita sibi deservientes consentiunt, ut quod est commune omnium, proprium æstiment singulorum. Eodem religionis artificio, eodem spiritu charitatis, eodem studio providentiæ, quo Laudunensis Ecclesia Meldensem sibi decanum assumpserat, Parisiensis festivo pariter ac festino saltu sibi præripuit eum, non rapinam sese arbitrata facere, si eum quem sibi prius instituerat canonicum, sibi consequenter institueret et decanum. Non moveatur in aliquo sancta æmulatio vestra, quasi Parisiensis Ecclesia injuriam vobis fecerit, quæ in hoc sibi consuluit; aut persona tanquam levitate vel ambitione ducta sit, quæ in hac electione secuta est non voluntatem propriam, sed violentiam alienam. Raptus est a concanonicis suis, maxime ambiendus, quia minime ambitiosus. Congaudete personæ, congaudete et Ecclesiæ; quia hic et ibi vester erit, vobis deserviens, vobis obediens, vobis in omnibus ad obsequium vestrum paratus et parens.

241 EPISTOLA CLIX.

AD W. DE BIERIA (86).

Nec suadet nec dissuadet vitam eremiticam quam fuerat amplexus, sed quædam tradit monita ad eam recte ducendam.

Fratri W. de Bieria, STEPHANUS, S. Genovefæ dictus abbas, salutem utriusque ab eo, qui in adventu suo facit utraque unum.

Arduam, frater, ingressus es viam, Paulos Auto-

A nios, Macariosque et Hilariones æmulatione, quapotes, sequens, et inter Gallicanas delicias austeritatem Thebaidis, Nitriæque rigorem proponens aliis, imponens tibi. Robustos et fortes humeros sarcina ista requirit, et expeditos in certamine spiritalium lacertos athletarum desiderat hæc palæstra. Verumtamen qui non consuluissem ut inciperes, non consulo ut desistas. Diffidentiam victoriæ murmurabant mihi frequentes infirmitates tuæ, cerebrum debile, pectus aridum et siccum, stomachus frigidus, et jejuniorum bello non sufficiens, totum denique corpusculum tuum, licet laboribus expositum, non tamen 242 dispositum ad labores. Rursum terrori mihi erant pariter et timori insolitæ solitudinis horror, ferarum non hominum inculta domicilia, terra arida,
B nec herbarum ferax, nec humoris abundans, adeo ut aqua ipsa quæ deforis cellam tuam guttatim profluit, nec saporem aptum gustui, nec visui jucundum colorem, utpote naturæ prorsus aquarum contraria, bibentibus sive intuentibus, conferre valeat vel offerre. In ipsa autem cellula tua asperitas vestium, ariditas ciborum, lectuli durities, somnum carptim vix admittens, prohibitus proposito tuo sine grandi causa egressus, latronum timor, qui duos decessores tuos interfecerunt (87), ne te successorem eorum tertium eis adderent, ad dissuadendum tantæ perfectionis initium movebant me pariter et monebant. Inter hæc mecum recogitans te regularibus disciplinis eruditum, et in sancto fratrum collegio qua-
C draginta ferme annis (88) sub obedientia prælatorum Domino militasse, tolerasse multa, dissimulasse nonnulla, æquanimiter pertransisse blanda et aspera in prioratu et extra prioratum, humiliter et utiliter

sed antequam illuc iter arriperet, factus est Senonensis archiepiscopus. » Guillelmus Armoricus dicit hoc accidisse anno 1194, et vocat eum virum theologum et sanctum; Rigordus autem in eodem anno notat diem ipsam, scilicet VIII Kalend. Maii, additque: « qualis et quantus in regendis scholis Parisius, et largiendis eleemosynis, et aliis pluribus bonis, ante archiepiscopatum floruerit, non est nostræ facultatis evolvere. »

(86) Guillelmus quondam canonicus regularis, qui asceticam vitam in cella quadam in nemore de Bieria, vulgo *la forest de Biere*, non longe a villa Fonbellaquensi, in diœcesi Senonensi, ducebat.

(87) Alter eorum vocabatur Guillelmus, ut colligitur ex charta quadam Philippi Augusti.

(88) In monasterio scilicet S. Evurtii Aurelianensis ubi Guillelmus ille, vir summæ pietatis et religionis, officio prioris per 15 annos functus fuerat. Ad hujus autem epistolæ notitiam, sciendum est quod prioratus B. Mariæ de Franchario dictus, in nemore de Bieria situs, fuit quondam asceterium, in quo asceta reclusus vitam agebat eremiticam: quod perduravit ad annum 1197, quod Philippus Augustus cellam hanc donavit canonicis regularibus S. Evurtii Aurelianensis, ut constat per hoc instrumentum donationis ex chartophylacio ejusdem monasterii depromptum: « In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Philippus, Dei gratia Francorum rex. Noverint universi, præsentes, præteriti et futuri, quoniam Dei intuitu, et ad petitionem fratris Guillelmi, eremitæ de Bieria, locum illum de Bieria, quem ipsi dedimus in vita sua habendum, dedimus et concessimus ecclesiæ B. Evurtii Aurelianensis post decessum ejusdem Guillelmi perpetuo obtinendum, ad hoc ut ibi per abbatem Sancti Evurtii de suis fratribus vel de extraneis duo semper sint presbyteri, qui pro nobis, et pro nostris, tam vivis quam defunctis, Deo assidue serviant, ut vitam ibi eremiticam ducentes, in victu modum vitæ quem præcedens Guillelmus ibi tenuit, teneant, nisi ibidem degere voluerint vita arctiori. Hoc autem sub hac conditione concedimus, quod fratres ibi manentes locum illum dilatare non poterunt, sine nostra licentia; in foresta nostra nec boves, nec vaccas, nec ovium greges, nec capras, nec porcos habebunt; quicunque fratres ibi aut per fratrem Guillelmum dum vixit, aut deinceps per ecclesiam S. Evurtii, et ad mandatum abbatis S. Evurtii facientes obedientiam. Verum non licebit abbati fra-
D tres prædicto loco institutos quandiu bene et honeste se habuerint, de loco illo movere et alias transferre nisi velint; si vero culpabiles in aliquo gravi delicto, quod absit! inventi fuerint, in arbitrio erit abbatis, ut vel ibi vel alibi secundum ordinis exigentiam culpas suas humiliter emendent. Illi autem fratres in victu et habitu interiori sint sicut eremitæ, et in habitu exteriori conformare se studeant fratribus suis S. Evurtii et S. Victoris, quantam facultas domus suæ permiserit, inter quos eos aliquando conversari oportebit. Actum Moreti anno 1197, regni nostri XIX, vacante cancellaria. » Quod quidem firmatum fuit diplomate Innocentii III pontificatus sui anno II, qui incidit in annum 1200. In hoc asceterio seu prioratu postea instituti sunt canonici regulares ex familia S. Evurtii, ut patet ex charta Gualteri, Senonensis archiepiscopi, data anno 1224, quæ dirigitur canonicis in Ecclesia de Franchario commorantibus.

cum his qui unanimes habitabant in domo Domini vixisse, non levem concepi fiduciam, te et altiora posse in eremo sustinere. Expertus es in conventu rigorem jejuniorum, vigiliarum fastidia, frenum silentii, stabilitatem loci, nonnunquam et duritiem lecti, et ariditatem cibi, diuturnum simul et nocturnum pensum obsequii divini. In his omnibus te cognovimus et expertum regularia, et sæcularium expertem. In illo tirocinio claustri didiceras qualiter deberes contra communem adversarium in eremo militare. Hæc sunt quæ mihi propositum tuum commendabile reddunt, ut gratanter suscipiamus quod feceris, et gratulanter amplectamur quod facis. Acquiesco postmodum, placet quod displicuit, approbo quod oderam, victus consilio tuo, victus voto. Prædictas **243** occasiones per Dei gratiam fregisti, rupisti, sprevisti, saltum facturus de eremo in cœlum, de solitudine in civitatem habitationis, de deserto et invio in terram viventium lacte et melle manantem. Indixisti bellum hostibus tuis, diabolo, carni et mundo, qui atrociores omni bestia sanguinem animæ tuæ quærebant, et conjurati in mortem tuam, parati erant rapere pauperem, dum attraherent eum. Objecisti diabolo humilitatem quam specialiter timet, corpori tuo cruces et supplicia, mundo qui in maligno positus est, contemptum et fugam. Ingrediente te eremum, mihi illa pariter uno ictu confossa sunt monstra malitiæ et nequitiæ, laqueus et perdica hominum Deo servire volentium. Potentissimi duces in exercitu Pharaonis terga verterunt tibi, et non faciem; facti sunt ut stercus terræ, jacent sub pedibus tuis; calca, preme, contere, vigila ne resurgant. Movebit hostis insidias, non ab injuriis temperabit, sciens patientiam tuam sic contempsisse prospera, ut non timeat adversa. Insidianti responde : *Vade retro Satana* (*Marc.* VIII). *Etiamsi transfiguraveris te in angelum lucis* (*II Cor.* XI), *et si dixeris malum bonum, et bonum malum* (*Isa.* V), non decipies servum Christi. Non enim ignoramus astutias tuas, *ab initio mendax est, et pater ejus* (*Joan.* VIII). Carni murmuranti responde : « Locuta es quasi una de stultis mulieribus. Revertere Agar ad dominam tuam, et esto subdita ei, menti, rationi puræ et religiosæ voluntati. » Quod si adhuc improbe superbire voluerit et gannire, elevato signo crucis de victoria securus : *Dominus mihi adjutor* (*Psal.* CXVII), *non timebo quid faciat mihi caro* (*Psal.* LV). Si mundus movere voluerit blanditiis, et delicias offerre, occurre dicens : « Omnia quæ sunt in mundo reputavi *ut stercora* (*Philip.* III) : nam *et mundus transit et concupiscentia ejus* (*I Joan.* II). Discipulus ejus sum qui dixit : *Ego de hoc mundo non sum* (*Joan.* VIII). Per Dei gratiam non revertar *ut canis ad vomitum* (*Prov.* XXVI), nec postquam **244** *manum misi ad aratrum, retro respiciam* (*Luc.* IX). » Si hæc tria viceris, quæ te vicisse credimus, omnia monstra subjecisti pedibus tuis. Verumtamen nonnisi in oratione et jejunio potest ejici triplex istud dæmoniorum genus Discrete autem potius agendum est quam

A districte, ne aut sine sale sacrificium tuum offeras, aut incaute festinans offendas ad lapidem pedem tuum; aut si cœperis in via deficere, dicatur de te : *Hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare* (*Luc.* XIV). Orationes sint breves et intercisæ, ne si forte in nimiam extendantur prolixitatem, aut vertantur in tædium, aut excipiantur, ut quandoque assolet, sommo, aut ab his qui dicuntur longe sit animus orantis, occurrentibus ei phantasticis cogitationum nebulis per memoriam eorum quæ facta sunt quandoque, vel quæ fieri potuerunt. In oratione lacrymæ spontaneæ nec rejiciantur spontanee, nec cogantur invitæ. Complosæ et constricte palpebræ, frons in rugam contracta, verba stridentia et anhela in precibus, convulsa suspiria, et exorti gemitus in
B lacrymarum imbrem, sic proferunt ingratum, sicut indevotum offerunt. Placide et blande solent infundi, tacite et caute effundi volunt, sine supplicio plorantis, sine judicio explorantis. Si fuerint orantis lacrymæ spectacula hominum, erunt offendicula vel ridicula angelorum. Illa gratia si te quandoque compleverit, imitare peccatricem Magdalenam, quæ tribus ex causis, sive pro tribus personis, trinas effudit victimas lacrymarum. Flevit pro se, flevit pro fratre, flevit pro Domino Salvatore. Pro se, quando pedes Domini Jesu lacrymis suis lavit et capillis suis tersit; pro fratre, quando, post mortem Lazari, sedens in domo sua, et plorans ad vocem Marthæ, venienti Domino occurrit, dicentibus Judæis, *quia vadit ad monumentum ut ploret* (*Joan.* XI); pro Domino, sicut
C dicitur in Evangelio : *Maria stabat ad monumentum foris* **245** *plorans* (*Joan.* XX). Sic et tu inter irriguum superius et irriguum inferius, quando placuerit Domino dare potum in lacrymis in mensura, plora pro teipso, plora pro proximo, plora et pro Domino. Pro teipso, recogitans annos tuos in amaritudine animæ tuæ; pro proximo, pro vivis et mortuis cultoribus fidei Christianæ; pro Domino, habens tædium vitæ præsentis, et desiderium æternæ. In primo fletu, ut delicta juventutis tuæ et ignorantias tuas ne meminerit Deus. In secundo, ut vivi a malis desistant et in bonis operibus perseverent, et mortui in pace requiescant et ad vitam æternam perveniant. In tertio, cupiens dissolvi et esse cum Christo, di-
D cens : *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est* (*Psal.* CXIX). Primæ lacrymæ, frater, compunctionis et pœnitentiæ; secundæ, compassionis et misericordiæ; tertiæ, congratulationis et fiduciæ. Ab oratione saltum facias ad lectionem, a lectione ad meditationem, ut quod legeris salubriter concoquas et rumines, trajiciasque quod ruminaveris in memoriæ thesauros. Ne prolixitate autem legendi, aut oculos obtundas caligine, aut vertigine caput graves; post modicam lectionem deambula per cellulam tuam, aut in hortulum egrediens, virentibus herbulis, quæ tamen paucæ sunt et raræ, visum refice languentem; aut apud alvearia conspice, quæ tibi et solatio sint et exemplo. Inter has varietates, asperitatem eremi pro deliciis habiturus es paradisi. Castiga et

jejuniorum rigorem, ut æstivis diebus modicum cibi post horam tertiam (89) accipias, post nonam refectionem regularem sumas. Si dies æstivos hibernis volueris comparare, ut quantum in bruma tantum in ardore canicularium dierum velis abstinere, aut Deum tentare incipies, aut tui ipsius homicida esse. Nec antiquos monachos (90) Nitriæ jejunando assequi poteris vel consequi, nec Autissidorensi Germano (91) similem te oppones. Sufficiat **246** tibi mediocritas Augustini (92), quam si excedere volueris, a carnibus abstine, sive solidis, sive, ut aiunt, liquefactis. Excessi modum, indulgeat mihi charitas tua, quoniam qui consolaturus adveneram, docentis officium usurpavi. Participem me fac orationum tuarum, charissime, quoniam in agro regiminis positus, et si quandoque eis qui in mola conjugii laborant, consulentibus me consulo, tamen eorum qui in lecto contemplationis quiescunt indigeo, et juvari suffragiis, et admoneri exemplis. Non ut vicem rependens dico, memor tui ubi et filius offertur patri, et peccator Salvatori supplicat in hostia salutari.

247-248 EPISTOLA CLX.

AD DOMINUM PAPAM.

Rogat pro clerico injuste accusato.

In ea dignitatis eminentia sanctam Ecclesiam Romanam Salvator instituit, misericordiæ simul ac judicii stateram manibus ejus committens, ut habita consideratione personarum et temporum, voluntatis et actus, intentionis et operis, nec æquitatem rigore superet, nec rigorem subtemperet æquitate. Hæc sunt ubera consolationis ejus, vinum et lac manantia. Hæc Samaritani summi pontificis medicinalia fomenta, quorum distincta infusione agitur, ne vel absorbeatur pusillanimis, vel insolescat superbus. His respirans, et de misericordia vestra sperans devotus filius vester præsentium lator, pedibus vestræ sanctitatis advolvitur, ut intentionem ejus, quæ de zelo justitiæ processit, pœna non sequatur, quam timet, ne paterna severitate super eum accensa, conteratur in eo calamus quassatus, aut linum fumigans exstinguatur. Ipse est super cujus negotio sanctitatem vestram parvitas nostra consuluit, et consulenti dignati estis de summo prudentiæ vestræ sacrario respondere. Amplectimur responsum, sed misericordiam A postulantes dispensationis viscera nobis aperiri quærimus et optamus. Voluntatem, non opus, Dominum attendere sancti doctores scripserunt, dicentes peccatum usque adeo esse voluntarium, ut si non sit voluntarium, non sit peccatum. Exponunt et capitulum illud: *Dominus judicat fines terræ*, id est intentiones cujusque. Unde prædictus **249** vir, qui neque intentionem lædendi, neque nocendi, sed corrigendi potius et corripiendi habuit, excusandus est a pœna, quam non præcesserat culpa, maxime cum mulier contumeliis et conviciis suis adversarium suum provocarit, removenda esset et plectenda. Sed nec mulieri credendum est, cujus et procacitem cupiditas, et cupiditatem provocabat paupertas. Causa enim pecuniæ a prædicto viro extorquendæ, B sicut factum est, creditur hæc dixisse, cum nec eam prægnantem constaret fuisse, nec abortivum fecisse. Nam quod ab alio presbytero et muliere quadam, terra egesta, quasi infossum introspectum est, omnino informe, et tanquam coagulum carnis et sanguinis est repertum. Sed hoc dolose causa cupiditatis potuit fieri, et aliunde sive ex aliquo animali, sive ex consueta corruptione muliebri projici et terra potuit operiri. In dubiis autem, Pater sancte, benigniorem et humaniorem sententiam sequi debere proclamant jura, quæ semper ad absolvendum proniora sunt quam ad condemnandum. De manifestis autem, et non de occultis dubiis solet Ecclesia judicare. Sed et pro manifesto homicidio legimus C summos pontifices, ex dispensatione, clericis et presbyteris in suis ordinibus ministrandi indulgentiam præstitisse.

EPISTOLA CLXI.

AD QUEMDAM PRÆLATUM.

Grates rependit pro auro et gemmis ad ornandum sepulcrum seu capsam B. Genovefæ collatis.

Ingratitudinis adorat simulacrum, qui collati sibi beneficii memoriam vel exstinguit improbus, vel negligit indevotus. Hujus imaginem culpæ respuimus, **250** exsufflammus involucrum, supercilia detestamur, et faciem et totum ipsorum idolum cum suis cultoribus in perpetuum condemnamus. Oblata interim a vobis beatæ virgini nostræ Genovefæ munuscula (93) summa gratiarum actione D prosequimur, summis deosculamur labiis, summo desiderio tractamus. Affectus vester in montibus

(89) Hæ quidem horæ computandæ sunt more ecclesiastico, non sicut habentur in die naturali apud nos. Tertia autem hora officii ecclesiastici respondet horæ diei nonæ post mediam noctem.

(90) Idem est ac si diceret Ægypti monachos, accipiens partem pro toto. Nitria enim est provincia Ægypti.

(91) Legitur in ejus *Vita* apud Surium, cap. 8: « Nunquam panem frumenti, non vinum, non acetum, non oleum, non legumen, nunquam vel salem ad usum condiendi saporis acceperit. Sane die Resurrectionis vel Nativitatis Dominicæ potiones singulæ sumebantur, in quibus ita vini sapor aquis nimiis diluebatur, ut aceti austeritas solet largis permistionibus temperari. In refectionibus primum cinerem prælibavit, deinde panem hordeaceum sumpsit, quem tamen ipse excussit et moluit; et cum hic cibus gravior jejuniis indiceretur, nunquam nisi in vespere, interdum tamen in hebdomada media, plerumque die 7 ponebatur. »

(92) Regula S. Augustini viam docet communem et facilem, non iter strictum ac cæteræ regulæ, Pacomii scilicet, Basilii, Benedicti, et reliquorum monachorum. Petrus Comestor in *Sermone* de S. August. ait: « Ordinavit Augustinus Regulam clericorum canonice degentium lineam canonicæ mediocritatis extendens. » Hanc mediocritatem teste Possidonio secutus est ipse Augustinus in victu, habitu, et omnibus.

(93) Gratias agit alicui prælato (siquidem Patrem eum nuncupat) de auro et gemmis quas miserat ad ornandum sepulcrum seu capsam sacram in qua reconditæ sunt reliquiæ S. Genovefæ.

nostris desirabilis est super aurum et lapidem pretiosum multum, cum hæc ultima duo virgini nostræ miseritis, et non omiseritis illud primum. Ex primo enim duo ultima formam sibi conficiunt, et efficiunt finem, cum affectus potius æstimetur ex largitore muneris, quam ex munere largitoris. Solent virgines sæculi hujus in auro et margaritis gloriari, et corruptibilem corporum suorum speciem ex eorum ornatu vel demonstrare venalem, vel vendere demonstratam. At virgo nostra, dum adhuc viveret, carnales sprevit illecebras (94), et pro gemmis et auro nummum æreum titulo crucis insignem (95), quem dominus Autisiodorensis Germanus in signum sponsalitiarum cum Christo loco arrharum collo ejus suspenderat, omnibus præposuit deliciis, omnibus divitiis antegessit. Nunc inter choros virginum, et si non forte prima, inter primas tamen summæ virgini obsequentes præcipua, cultores corporis et sepulcri sui (96), precibus ac meritis remunerat, protegit et conservat, et ornatus quos sibi vivens imponi noluit, devotioni fidelium sepulcro suo imponere permittit, non ut aliquam gloriolam inde concipiat, sed ut liberalitas offerentium inde promoveatur et crescat : et qui mirantur oblationum spectacula, mereantur exempla. Hinc est, Pater, quod devotionem vestram a beata virgine nostra certissime remunerandam credimus et speramus, ut aurum quod cum gemma sepulcro ejus apponendum misistis, retribuat vobis Deus in vita æterna, et Agnum quem ipsa sequitur quocunque ierit, possitis et vos **251** consequi. Pro gratia vobis interim collata, et in posterum conferenda, participem vos faciat omnium timentium se Deus, quem participem orationum nostrarum, qualescunque fuerint, nos ut vobis promisimus, constituimus et optamus.

EPISTOLA CLXII.

AD PAPAM (97).

Agit de canonicis S. Joannis Suessioniensis in parochiis commorantibus, qui abbati obtemperare renuebant.

Canonicus ordo regulariter a sanctis Patribus instiltutus sub vestro regimine, Pater, exsultat, rogans Deum et supplicans, ut in diebus vestris dirigatur **252** salus in manu vestra, status Ecclesiæ floreat, superborum cornua confringantur. Et quia compassionis affectu fratrem et compresbyterum nostrum, abbatem Sancti Joannis Suessionensis suscepistis, totus apud nos regularium ordo in plenam vobis gratiarum actionem assurgit. Laborat et murum se opponit contra filios inobedientiæ, qui extra claustrum sub obtentu parochialium curarum morari desiderant, atque mori : satagentes ne, per abbatem suum quando excesserint, corripi valeant et corrigi, sed ad defensionem episcopi se vertentes, per pecuniariam pœnam, canonicam redimunt disciplinam. Si pestis ista convaluerit, perit ordo canonicus, pereunt et sanctorum Patrum regularia instituta, solvuntur fines et funes obedientiæ, et erunt in collegiis nostris tot abbates quot presbyteri parochiales. Verum perhibemus testimonium, quod ab exordio ordinis nostri parochiales canonicos (98) nostros in episcopatibus in quibus sunt, libere et absque ulla contradictione pro necessitate vel utilitate ecclesiarum nostrarum, vel pro suarum correptione culparum, consuevimus amovere, et in claustrum reducere, et quoties res urgebat, excommunicare. His tantis malis quæ ex radice omnium malorum cupiditate procedunt, per quæ bursa emungitur, nec vita corrigitur, sancta paternitas vestra remedium afferat, etc.

253 EPISTOLA CLXIII.

AD ABBATEM DE URSICAMPO (99).

Rogat ut Noviomensem thesaurarium, qui vitam fuerat amplexus monasticam, in hoc proposito confirmet.

Non paucis Scripturarum testimoniis edocemur, quam meritorium sit infirmum suspicere, sustentare debilem, pusillanimem consolari. Id cum ad omnes pertineat, qui in talibus habent gratiam, illorum præcipue est officii, qui quibuslibet hominum filiis præponuntur. Ista, Pater, proferens non quasi negotiosus in otio, luci tenebræ, nox diei, sapienti nescius præsumo scientiam indicare ; sed ad me-

(94) Alludit ad id quod cantatur in antiquo ejus officio : « *Genovefa virgo, dum carnales sprevit illecebras, æterni regis promeruit gratissima fieri famula.* »

(95) Vita S. Genovefæ vetustissima ms. hæc habet : « S. Germanus nummum æreum Dei nutu allatum, habentem signum crucis, a tellure colligens pro magno munere dedit, inquiens ad eam hunc transforatum pro memoria mei a collo suspensum semper habeas ; nulliusque metalli, neque auri, neque argenti, seu cujuslibet margaritæ ornamento collum digitosque tuos ornari patiaris. »

(96) Per sepulcrum S. Genovefæ hic intelligit pretiosam illam thecam in qua ejus reliquiæ venerandæ asservantur. Illa autem facta fuerat a S. Eligio Noviomensi episcopo, ut in ejus Vita per sanctum Audoenum conscripta legitur ; sed cum vetustate dissolveretur, renovata est anno 1242, et in eam, ut modo conspicitur, ossa beatæ hujus virginis solemni ritu fuerunt translata ac deposita.

(97) Urbanum scilicet III, ad quem enim jam scripserat epistolam pro Hugone abbate S. Joannis Suessionensis, ad quam hæc referenda est, et ad observationes quas ad ipsius elucidationem subjecimus.

(98) Eos scilicet qui ad parochiarum regimen et administrationem destinantur, quos modo priores curatos nominamus, qui nunc titulorum suorum vi perpetuo suis ecclesiis astrictos se esse autumant, cum olim essent amovibiles, revocarenturque ad nutum superioris, ut patet ex hac epistola ; vel pro necessitate monasteriorum, quæ eorum ope et opera indigebant ; vel pro suarum correctione culparum, quando rite officio suo non fungebantur.

(99) Abbatia Ursicampi, vulgo *Orcamp*, in diœcesi Noviomensi, fundata fuit anno 1129, a Simone Viromandensi, episcopo Noviomensi, cujus *Charta* sic incipit : « Simon per Dei gratiam Noviomensis et Tornacensis episcopus, etc. Requisitos diligentia omni de monasteriis et sanctis congregationibus Cistercii et Claræ vallis fratres apud nos locare, et ejusdem ordinis abbatiam fundare, Deo auxiliante, decrevimus. »

moriam vobis reduco, quæ si audistis, forte per occupationes, quæ se offerunt plures, estis obliti; vel si non audistis, saltem nunc in notitiam vobis veniant, licet tarde. Intimatum est mihi adolescentem illum Noviomensem quemdam thesaurarium, occasione nescio cujus rei turbatum, ordinis sui zelo minus fervere quam solet, secus agere quam incœpit, conscientia læsum, eversum proposito, voluntate mutatum: quæ mutatio, nisi fallor, per Excelsi dexteram non est facta. Noverunt noti sui qui eo moto non possunt esse non moti, et, sicut æstimo, magis dolenti condolent quam congaudent gaudenti, nec ejus amplecterentur prospera tam gaudenter, quam ægre sustinerent adversa. Cognoscite, quæso, causam, et curam citius adhibete, ne si in corde ipsius inimici tentatio invalescat, se extendat ad **254** pejus, et ad ollas Ægyptiacas, quas prius evomuerat, revertatur.

EPISTOLA CLXIV.

AD ABBATEM CLARÆVALLENSEM (100).

Purgat se a labe Simoniæ, quo crimine per detractores temere apud ipsum fuerat accusatus.

Primo aspectu litterarum vestrarum, Pater, obstupui, utpote qui sermonis illius detestabilis, cujus mentionem per aliquos vobis mentientes fecistis, neque materiam noverim, neque formam. Propterea qui sermonem illum vobis retulit, nec veritati detulit, majus peccatum habet. Virum illum evangelicum venerabilem quondam Meldensem archidiaconum, qui novissima sua memorans, ne in æternum periret, ad angelicum ordinem vestrum transitum fecit, non facile crediderim vel incurrisse lepram Giezi, vel commercium Simonis contraxisse. Nam quomodo credidissem quod non audieram? quisquis ille fuerit, qui me, vel audisse, vel credidisse, vobis insonuit, recte mentitus est in caput suum, non veritus incrustare veritatem labiis iniquis et lingua dolosa. Quod autem interserunt me audisse per vos vel per fratres vestros, contractum aliquem illicitum, vel conventionis initium **255** habuisse, vel consummationis finem, tam alienum est a veritate, quam a vestra severitate remotum. Interim precor vos, Patrem magnum, pusillus homuncio, ut prænominatum virum, qui relictis omnibus secutus est Salvatorem, et in vinea Domini circa nonam operari cœpit, prout potuit, ita paterne doceatis, ut materne foveatis, præbentes et consilio lucernam pedibus ejus, et auxilium baculo senectutis.

EPISTOLA CLXV.

AD ABBATEM CISTERCIENSEM (1).

Commendat abbatem de Sarneio, rogatque ne ad reditum eum compellat.

A Eo securius impetrata venia nobis loquimur, quo secretius exiguitatis nostræ consilium velare vos credimus et speramus. Prodigiosum nobis videtur et ostentui proximum, quod filium vestrum abbatem de Sarneio de mortis faucibus ereptum, et tam periculis in mari quam periculis in falsis fratribus afflictum, ad inutilem reditum sub obedientiæ vinculo (2) compellitis, ut quasi in incertum currens, et tanquam aerem verberans pugnet, nihil secum præter laborem et ingratitudinem relaturus. Expertus est profectionem suam profectus expertem, et

B humeros pusilli corporis, pusillæque mentis oneri suscepto minus sufficientes; præsertim cum sæpius id propter quod peregrinationem **256** assumpserat, tentaverit, et sæpius repulsus sit, ut nec proficeret in aliquo, nec sufficeret vel in uno. Parcite verecundiæ viri, parcite dignitati ordinis vestri, ne cum Isaiam non habeatis qui se mitti postulet, vobis etiam Jeremias deficiat, qui se excuset. Opus istud prophetarum est sive apostolorum, quibus per gratiam miraculorum sibi collatam hostes fugare, vincere, prosternere, et incredulos ad fidem convertere concessum est, Domino sermonem confirmante sequentibus signis. Si mittendum duxeritis, probatissimum in ordine vestro mittite, qui gratus sit in

C oculis nostrorum principum, terribilis in congressu hostium, officiosus et prudens in forma consiliorum; qui, quoties manus elevaverit, et Israel triumphet de hostibus, et Amalech convertatur in fugam. Vereor et verum esse credo, quia si remittatur qui reversus est, convertatur in ridiculum ipsius reditus, et quibuslibet habebitur ignominiosum nomen ejus. Erunt forsitan in exercitu qui cum Heliab majore fratre David insultando, dicent: *Quare venisti, quare dereliquisti paupercu'as oves in deserto? Ut videres castra, in prælium descendisti?* (*I Reg.* XVII.) Revera si recesserit, credita sibi domus in spiritale discrimen incurret, et dispendium temporale. Nec enim suis, sed alienis stipendiis militabit, quibus sufficere non possit domus exilis, et ære oppressa

D alieno. Absente vero pastore aut dispergentur oves gregis, aut incipient evagari. Consilium istud domini abbatis Sancti Victoris et cantoris Parisiensis, non meum, hominis exigui, singulare.

257 EPISTOLA CLXVI.

AD GUILLELMUM REMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Rogat ut benigne suscipiat, ac tueatur abbatem S. Vincentii Silvanectensis.

Nomen vestrum et memoriale vestrum in deside-

(100) Videtur hic abbas esse Garnerius de Rupeforti, qui anno 1190, monasterio Clarævallensi præerat. Argumentum autem hujus epistolæ illud est, quod quidam falso retulerant Stephanum dixisse archidiaconum Meldensem, qui in monasterium Clarævallense secesserat, contractum civilem Simoniam redolentem in eorum emolumentum fecisse, de quibus hic purgare se contendit, negatque se id unquam protulisse.

(1) Hæc epistola convenit cum altera, de qua jam egimus, pro abbate Vallium Sernaii Guidone, qui cum comite de Monteforti et rege profectus fuerat in Palæstinam anno 1190.

(2) Legitur etiam epist. 146 sub attestatione obedientiæ.

riis animæ meæ, tantum, Pater, obtinet locum, ut si contigerit aliquem, me præsente, loqui de vobis, interiora mea et ex affectu gaudeant, et tripudient ex auditu. Facit hoc benevolentia vestra, quæ me gratis amplexata est, et in consortio locans, et a consilio non excludens. Servet mihi Deus hanc gratiam, ut, quod absit! eam non mœream, ne dicam merear, amittere, quam non mœream acquisisse. Interim rogo paternam dilectionem vestram, ut præsentium latorem dominum R. canonicum Sancti Victoris (3), in administrationem abbatiæ Sancti Vincentii Silvanectensis concorditer electum, pro amore Dei et meo suscipiatis benevole, et benefice sustentetis. Familiaris et amicus est meus ab antiquo, et mutuis obligatus obsequiis, et communi natione conjunctus. Vir est quem et morum gravitas, et litterarum peritia, et honestas commendabilem reddunt, ut ejus ministerium et gratum Deo, et hominibus credamus acceptum. Adversatur ei et Ecclesiæ suæ Silvanectensis episcopus (4), et contra privilegia Romanorum pontificum et Francorum regum (5), subjectionem, ut dicit, indebitam ab illa requirit Ecclesia nimis præpropere et præpostere, post appellationem sententia excommunicationis prolata. Suscipite eum, Pater, obsecro, et quantum justitia permittit, per vos et dominos meos fratres **258** vestros juvate patrocinio, fovete solatio consilio sustinete.

EPISTOLA CLXVII.

C AD SOFREDUM CARDINALEM (6)

Rogat ut suam exhibeat benevolentiam archiepiscopo Remensi, de cujus amicitia eum reddit certiorem.

Luctuosam potius quam fructuosam scribendi materiam præbuerant nobis præsentium temporum lacrymosa discrimina, cum Ecclesiam Dei videamus et a manifestis hostibus fidei violenter opprimi (7), et a falsis fratribus fraudulenter seduci (8). In Oriente moritur, in Occidente occidit, ubique terrarum deficientibus et arescentibus fidelibus, præ dolore et persecutione quæ supervenit universo orbi. Inter angustias **259** istas id solum nobis so-

A latii superesse debet, ut ad communem matrem nostram sanctam Ecclesiam fugiamus, exspectantes ab uberibus consolationis ejus et consilium in præsenti periculo, et auxilium in tempore opportuno. Descendit unguentum miserationis et prudentiæ a capite summi pontificis Aaron, non solum in barbam, sed usque ad extremos totius corporis articulos, ut ex apostolico thesauro proferantur nova et vetera, quorum collatione qui suspirant respirent, qui deficiunt proficiant, confirmentur qui dubitant, doceantur qui errant. Interim ego minima portio clericorum vestrorum pro summa consolatione memoriam vestram teneo, colo, retracto, paratus semper vobis fidelibus votis obsequi, quem bonis operibus non sufficio sequi. De benevolentia domini Remensis B erga vos certus, rogo et tanquam fidelis vester consulo, ut eum reciproce diligatis, et apertis visceribus occurratis amicis ejus, quæ procul dubio procedunt de conscientia bona et fide non ficta. Secretum illud quod mihi dominus T. nepos vester ex parte vestra dixit, prosecutus sum quantum potui, et apertum ostium inveni, si non defuerit qui velit intrare, sicut R. clericus vester Campellensis canonicus (9) vobis plenius explicabit.

260 EPISTOLA CLXVIII.

AD GUILLELMUM REMENSEM ARCHIEPISCOPUM

Rogat eum ut tueatur abbatem S. Germani a Pratis injuste oppressum.

Inter curiæ curas (10) et sanctuarii sacramenta, felices dierum vestrorum successus occupatos quotidianæ sollicitudini posse sufficere, et utilitati communi posse proficere peroptamus. Geminati simul honoris et oneris sacerdotii ac regni vobis sarcinam imponunt, distrahendo potius in diversa quam adversa personam vestram, magis expositam laboribus quam dispositam ad labores. Confluunt ad auxilium consiliumque vestrum et qui opprimuntur injuste, et qui sese metuunt opprimendos. Inter alios recurrit ad protectionis vestræ sinum F. abbas Sancti Germani de Pratis (11), ut Ecclesiæ sibi commissæ jura, sicut hactenus ipse et decessores

(3) Intellige Rogerum vel Robertum, qui fuit abbas S. Vincentii Silvanectensis.

(4) Gaufridus scilicet, qui anno 1213 episcopatum dimisit ut fieret monachus apud Carlilocum.

(5) Philippus primus diplomate quo confirmat fundationem ejusdem monasterii a matre sua factam, ait: « Mater mea Anna, divina inspirante clementia, mei præsentiam adiit, materno affectu obnixe deprecans, quatenus ecclesiam quamdam in suburbo Silvanectensi, in vico qui dicitur Victellus, in honorem S. Vincentii diutius antea desolatam, sed ab ea pie et benigne pro anima patris mei suaque de propriis sumptibus restauratam, ex consuetudine et more aliarum ecclesiarum ad reges pertinentium, scilicet S. Frambaldi, S. Martini Parisiensis, et S. Genovefæ virginis liberam facerent, cujus humilitatis condescendens humanissime precibus ejus, pro anima patris mei, parentumque meorum memoria acquievi. Et ut hoc inviolabile et inconcussum permaneat, crucis signum digito meo impressi, ac charactere nominis mei imprimere jussi, meoque sigillo corroboravi. Actum anno 1069. »

(6) Sofredus de Cajetanis Pisanus, creatus diaconus cardinalis Beatæ Mariæ in Via Lata a Lucio III D anno 1182. Innocentius III vocat eum, « virum honoratum, scientia et honestate præclarum, in opere et sermone potentem. » Nominatur ab aliis Gualfredus.

(7) Scilicet in Oriente ab infidelibus, contra quos exercitum duxerat Philippus Augustus.

(8) Scilicet in Occidente a Valdensibus, Albigensibus, aliisque hæreticis.

(9) Campellis in villa, vulgo *Champeaux*, exstat collegium canonicorum sæcularium in ecclesia collegiata divo Martino sacra.

(10) Totius regni administrationem penes eum deposuerat rex Philippus cum in Palæstinam an. 1190 proficisceretur, ut supra notavimus, unde subjungit: « Geminati honoris et oneris sacerdotii et regni vobis sarcinam imponunt.

(11) Abbatiæ S. Germani a Pratis tunc præerat Fulco, qui e vivis excessit anno 1192 ad quem aliæ epistolæ.

sui tenuerunt, et servetis illæsa, et defendatis servata. Per singulos annos in terra sua moderatam collectam habet et habuit, jure consuetudinis consum sibi debitum et recipit et recepit. Et ecce quodam motu satellites palatini prohibent hominibus et hospitibus Ecclesiæ prædictæ ne solvant quod ipsi solverunt et Patres eorum. Ex hac causa insolescunt, et quasi gannire incipiunt servi contra dominos suos, ut Saram contemnat Agar, et fiant filii ancillæ sicut filii liberæ. Supplicat vobis prædictus abbas cum tota Ecclesia sua, supplico et ego minima portio clericorum vestrorum (12) pro eis et cum eis, ut sicut hactenus in hominibus et hospitibus suis consueverunt percipere, quiete percipiant, et auctoritate vestra pronibitionem solvendi quæ indicitur, si absque vobis facta est, corrigatis **261** potenter; vel si mandastis fieri, misericorditer revocetis. Senem et crebris infirmitatibus laborantem compellitis ad peregrinandum, ut tanquam ad bestias depugnem, et de manibus Grandimontensium tanquam de faucibus ursorum aut leonum prædam eripiam, et cum ipsi sint viri bellatores ab adolescentia sua, ego autem sum parvulus, et oves pauculas custodiens in deserto. Sed quoniam ad mandatum vestrum paratus sum et in carcerem et in mortem ire, proficisci incipiam; sed utrum proficiam, Deus novit.

EPISTOLA CLXIX.

AD EUMDEM.

Conqueritur de comite domni Martini sibi infesto.

In magnis negotiis quandoque minores, ut saltem idiotæ locum impleant, admittuntur. Apes mella conficiunt, et in exiguis corporibus laborem proprium redimunt utilitate communi. Formica, vermis inter muscam et reptile medius, exemplo suo pigros invitat, ut pensetur æstate quod hieme dispensetur. Sic et ego minimus inter vestros nunquam merui per gratiam vestram et audire consilia vestra, et in consiliis exaudiri. **262** In articulo dierum præsentium quibus sufficit malitia sua, diri vulneris novitate perculsi turbantur et moventur ministri altaris, et magni sacrilegii magnam a vobis expostulant ultionem. Utroque gladio accinctus estis, regni pariter et sacerdotii, qui in defensionem Christi usque hodie patientis, testante ipso Domino, satis esse leguntur. Extendit manus improbas juvenis comes domni Martini (13) in direptionem sacerdotalium rerum, et usque ad sacra vasa altaris acerrimos impietatis ungues raptor avarus impressit, violenter abstulit, impudenter asportavit, irreverenter dispersit, equos, sarcinulas, necessarios sumptus, et quod nefas dictu et actu fuit, vasa sacris usibus dicata, viri magni Heliensis episcopi regis Anglorum cancellarii (14). In reguo domini regis Francorum securum reddiderant, et fraterna duorum regum peregrinantium confœderatio (15) et episcopalis dignitas officii, et vestra denique protectio, quæ pusillis cum majoribus communis esse debet, ad resistendum improbis, et ad humiles confovendos. Quid, Pater, tutum aut securum esse poterit, si inter manus vestras opprimantur Ecclesiæ, nudentur pauperes, sacerdotes exponantur injuriis et rapinis, liceat cuilibet quidquid libet, et sicut populus, sic sacerdos? Accendatur in vobis zelus Mathathiæ; cum Siromaste Phinees armentur jura cœlestia, commoveantur et terrena potestate quæ divinæ simul et humanæ ultionis spiritu concepto, raptori occurrite, prædam eripite de manu ejus, qui in tanto flagitio nec Dominum timet, nec homines reveretur. Elusoria videntur ei mandata vestra, qui et nuntios vestros remisit vacuos, et capellam episcopi, quam sese promiserat redditurum, non solum retinet inobediens, sed et polluit indevotus. Videat, Pater, et provideat sibi providentia vestra, quid super hoc facinus faciendum sit, ut mansuetudo quæ in vobis induit decorem, induat **263** fortitudinem et præcingat se, ut qui de spoliato dolent, de restituto gaudeant, et qui audierunt rapinam, audiant subsequenter et rapinæ vindictam.

EPISTOLA CLXX.

AD JUDICES QUOSDAM (16).

Agit de causa quæ vertebatur inter Senonensem archiepiscopum et ecclesiam S. Germani a Pratis.

Absurdum et arrogantiæ proximum creditur, si quis ei consulere velit, quem consulere debet, aut in necessitatis articulo, aut in periculo veritatis,

(12) Stephanus fuit clericus Guillelmi Remensis archiepiscopi antequam ordinem canonicorum regularium amplecteretur: hunc titulum alibi etiam sæpius sibi tribuit.

(13) Gallice *Dammartin* in episcopatu Meldensi. Vocabatur autem ille comes Reginaldus filius Alberti, qui una cum comite Flandrensi et rege Angliæ bellum gessit adversus Philippum.

(14) Ejus nomen erat Eustachius, qui anno 1196, III Idus Augusti, ut scribitur, electus fuit episcopus Heliensis civitatis, vulgo *Ely,* quæ sita est secus fluvium *Grant* in comitatu Cantabrigensi. Cancellaria autem dignitas instituta fuit in Anglia a Guillelmo Conquæstore, teste Polydoro Virgilio, his verbis: « Scribarum collegium qui diplomata scriberent statuit, ejusque collegii magistrum vocavit, cancellarium, qui paulatim effectus est supremus magistratus, hodieque habetur. »

(15) Scilicet Philippi Augusti Galliæ, et Richardi Angliæ regum, qui ad expeditionem Jerosolymitanam cruce signati sunt anno 1190.

(16) Controversia mota fuit inter archiepiscopum Senonensem et religiosos S. Germani a Pratis, quæ composita fuit per sequens instrumentum:

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Guido Dei gratia Senonensis archiepiscopus, omnibus ad quos litteræ præsentes pervenerint, in Domino salutem. Notum fieri volumus universis præsentibus pariter et futuris, quod discordia quæ erat inter nos et Fulconem abbatem S. Germani a Pratis et ipsam ecclesiam, de procurationibus quas ab eis petebamus in Emant et Balneolo et S. Germano, juxta Musteriolum, in præsentia domini Philippi Francorum regis, ita terminata est. Nos siquidem quietavimus abbati et ecclesiæ S. Germani in perpetuum procurationes, quas in prædictis locis petebamus ab eis tali modo, quod abbas, et successores sui nobis et successoribus nostris, vel nostris certis

Hujus culpæ simulacrum fugiens impetrata venia, loquar dominis meis, non ut ex modico sacello meo, magnæ sapientiæ vestræ thesauros augeam, sed ut commonitorio tenui paratos præveniam potius quam præcedam. Audivi dominum papam prudentiæ vestræ commisisse cognitionem causæ, quæ vertitur inter dominum Senonensem et ecclesiam Sancti Germani de Pratis, **264** quæ non parum difficultatis, nec minus discriminis importare videtur et auctoritati judicum, et partium voluntati. De procurationibus agitur corporum, non de salute animarum; de numero quadrupedum et hominum, non de merito virtutum aut victoria vitiorum. In hoc tamen conflictu summi pontifices Alexander, Lucius, Urbanus, Clemens, et qui hodie sedet Cœlestinus privilegiis taxantes evectionis numerum, jurgio super procuratione moto finem imposuisse creduntur. Vidi et legi privilegia ista nec tacita veritate, nec falsa suggestione impetrata, sed omni solemnitate subnixa, et cardinalium subscriptionibus roborata. Quid cautum aut tutum esse poterit, si super talibus dubitare, disceptare, aut disputare aliqui voluerint, cum munimenta apostolica vobis et nobis, imo omnibus ecclesiis, et possessiones earum servent, et jura tueantur et defendant? Parcite, Patres, auctoritati vestræ, parcite dignitati et prudentiæ, et examen istud reservate summo pontifici, qui solus potestatem habet et condendi novos canones, et exponendi veteres, et interpretandi privilegia sua, et corrigendi aliena.

265 EPISTOLA CLXXI.

AD ABBATEM S. BARTHOLOMÆI.

Suadet ut suam administrationem dimittat.

Reverendo Patri et domino abbati B. Bartholomæi, STEPHANUS de Sancta Genovefa, vitam justam et exitum beatum.

Nec præteritos annos revocare possumus, nec futuris casibus imperare. Recedendum est quandoque **266** et naturæ debitum persolvendum, ut ea conditione qua intravimus exeamus. Hæc ideo dixerim, Pater, ne intolerabile sit vobis vel ægritudinis incommodum, vel tædium senectutis. Prælationis cura quam utiliter et viriliter hactenus gessistis, et robur corporis desiderat et animi vigilan- A tiam; quorum si alterutro quilibet prælatus privatus fuerit in subditorum deliciosis mentibus aut odium suscitat aut contemptum. His intervenientibus perit rei domesticæ cura, disciplina solvitur, confunditur ordo, et incipiunt qui subesse debuerant, pares esse. Ne id vobis accidat, Pater, providete circa dies ultimos, Ecclesiæ vestræ, ne vertatur vobis in dispendium mortis, unde vitæ stipendium exspectatis. Non minus consulere vobis quam consolari vos desiderans, rogo, moneo et exhortor, ut honoris onus cui jam minus ætatis defectu sufficitis, per manum domini Remensis humiliter deponatis, qui consilio vestro et nostro et personam vobis substituat idoneam, et vitæ vestræ congruum assignet solatium; potestatem et scientiam habens B in utroque horum, et attingendi a fine usque ad finem fortiter, et omnia suaviter disponendi.

EPISTOLA CLXXII.

AD D. ARCHIEPISCOPUM REMENSEM.

Illud idem postulat.

Sunt multi quos ad difficilia sæpe compellit natura potius quam cura, necessitas quam voluntas; faciunt ex necessitate virtutem, ut tandem meritorium fiat quod moratorium prius fuit. Forte unum ex eis dicerem venerabilem senem nostrum abbatem S. Bartholomæi, **267** virum religiosum et honestum, sed qui jam viribus corporis cœpit destitui, ægritudine consumi, senecta et senio consummari. Ecce in manu vestra renuntiat administrationi sibi C commissæ, in qua usque ad extremos dies, vidimus eum non tam præfuisse humiliter quam utiliter profuisse. Duo sunt quæ a vobis postulat; postulo et ego, minima portio clericorum vestrorum, cum ipso et pro ipso in solatium et subsidium brevissimæ vitæ suæ, de bonis Ecclesiæ, cui præfuit, victum sufficientem provideatis ei, et de successore sic cogitetis, ne liceat fratribus suis in electione potius sequi voluntatem propriam, quam utilitatem communem.

EPISTOLA CLXXIII.

AD CONVENTUM S. BARTHOLOMÆI NOVIOMENSIS

Admonet ut honorem deferant abbati, etiamsi abbatiam dimiserit.

Primum secundæ tabulæ præceptum est: *Honora*

nuntiis pro procurationibus illis, reddent singulis annis octo libras Parisienses apud Emant in octava Paschæ. Et si nos vel successores nostri venerimus semel in anno ad Emant, vel Balneolum, aut ad villam quæ dicitur S. Germanus, abbas aut successores sui, aut ille qui domum tenebit, recipient nos et successores nostros, et vivemus ibi nos et successores nostri, nocte una sumptibus nostris propriis, ita quod ille qui domum tenebit, non tenebitur aliquid dare nobis vel successoribus nostris præter hospitium, nisi hoc de gratia facere voluerit. Etsi nos vel successores nostri semel recepti fuerimus in uno prædictorum locorum, non tenebuntur monachi recipere nos sive successores nostros in aliquo illorum trium eodem anno. Nos autem fecimus quietari jam dictæ ecclesiæ et abbati medietatem decimæ lanæ a presbyteris, qui sunt in ecclesiis S. Germani per archiepiscopatum Senonensem con- D stitutis, scilicet Emant, Balneolo villæ quæ dicitur S. Germanus juxta Musteriolum, Matriolis, et presbyteri dictarum ecclesiarum aliam medietatem ejusdem decimæ habebunt. Nuntii autem abbatis S. Germani facient fidelitatem presbyteris, qui in dictis ecclesiis erunt, et presbyteri per nuntios suos nuntiis abbatis de dicta decima communiter et fideliter quærenda et inter se dividenda. Quod ne valeat alicujus oblivione deleri, vel malitiose perverti, sigillo nostro fecimus id confirmari, astantibus ecclesiæ nostræ personis Salone decano, Manasse archidiacono, Guillelmo thesaurario, Gaufrido præcentore. Testes hujus rei sunt Stephanus abbas Sanctæ Genovefæ et canonici illius, Hugo, Almaricus, Milo abbas S. Remigii Senonensis, magister Anselmus de Cancellaria, Ogerius de Avone. Actum apud Fontem Blaaudi anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo nonagesimo primo. »

patrem tuum et matrem (*Matth.* xv); hujus tabulæ primitias, obsecro, tenete memoriter, gustate suaviter, fideliter adimplete. Patrem vestrum senem G. præcipuæ auctoritatis virum in ordine nostro, honorate ut decet, portate ut convenit, ut expedit confovete. Debitor noster hactenus fuit externa sollicitudine, interna compassione, fraterna æqualitate, paterna correctione, materna pietate, et ecce liberatus humiliter ab honore, utiliter ab onere, factus est quasi unus ex vobis, sciens jam per experientiam et bonum subjectionis et prælationis malum. Versa vice debitores estis ejus, ut exhibeatis vitæ ipsius exemplum, dignitati reverentiam, gravitati obsequium, solatium senectuti, **268** ægritudini fomentum. Confidimus per gratiam Dei, vos ea quæ dicimus audituros intentius, et impensius adjecturos : superest ut non solvantur, quæ per eum a vobis facta sunt; imo vestra interest, ut serventur. Vineam quamdam H. nepoti suo apud Antissiodorum precario concessistis, a cujus cultura et cura prohibetur, ut perhibet, ut quem constituistis in vita sua fructuarium, alio impediente, concesso a vobis beneficio, ei non liceat uti. Absit a sacro collegio est et non, tollatur occasio malignandi, verbum iniquum et dolosum longe fiat a vobis, ne inter quos religiosa severitas includi consueverat, relegata severitas conqueratur excludi : sicut enim gratuita liberaliter largitoris est gloria, ita et subdita revocatio donationis opprobrium est donantis. Consulite in hac parte honori, et ordini vestro; Patris, pastoris vestri parcite pudori et nomini vestro : et si per vos impeditur donarii vestri possessio, desistite; si per alium, resistite, objicientes auctoritatem quam potestis, et quam debetis evinctionem præstantes. Ignominiosum erit, si quod vestro confirmatum est sigillo, sibilo moveatur alieno.

EPISTOLA CLXXIV.

AD GUILLELMUM REMENSEM ARCHIEP.

Agit de abdicatione abbatis S. Bartholomæi Noviomensis.

Guillelmo Remensi archiepiscopo Stephanus, de S. Genovefa, salutem et devotionem debitam et devotam.

Conceptum diu renuntiandi desiderium suum oneri et labori, abbas sibi injuncto, filius vester **269** abbas S. Bartholomæi ad finem usque perducere et expetit et exspectat. Propitios in prima sua petitione invenit filios et fratres suos, qui convenientem sufficientemque sibi sustentationem benigna pariter ac concordi conniventia concesserunt. Proinde sanctitati vestræ preces fundo, ut quod ei fratres sui concessione benevola concesserunt et contulerunt, vos ei per gratiam vestram auctoritate benefica confirmetis. Quod superest, Pater sancte, de subrogando sibi successore consilium a vobis et auxilium petit, ut de Ecclesia sua illa, quam ope et opera sua prout potuit et extulit et erexit, temporaliter simul ac spiritualiter proventum habeat et profectum. Mandet, obsecro, sancta paternitas vestra Silvanectensi episcopo, ut ad Ecclesiam illam accedat, et ad concordiam fratres monens auctoritate vestra eos inducat, ut personam idoneam et religiosam in Patrem sibi eligant et pastorem. Ipse namque institutionis ordinis nostri quo magis expertus est, minus expers aliarum est, et seditionem sedare poterit, et ad convenientiam convocare. Valete.

EPISTOLA CLXXV.

AD EUMDEM.

Scribit in gratiam Petri cantoris Parisiensis in episcopum Tornacensem electi, ut ejus electioni tanquam legitimæ et canonicæ faveat.

Commune refugium patens omnibus mansuetudo vestra, Pater, sic extenditur ad singulos, ut colligat universos. Veniunt ab Oriente et Occidente et recumbunt in sinum vestrum, nec facile semel admissus emittitur, nisi contigerit ab eo committi, quod non mereatur remitti. Hæc sunt quæ mihi pluribusque **270** aliis fiduciam præstant, ut pro devoto filio vestro magistro P. Cantore Parisiensi (17) pandatur vobis aditus supplicandi, ne vobis provocet indignationem, qui sibi non advocat dignitatem, ne cui meritum sufficit proprium, factum officiat alie-

(17) De ejus encomiis hæc scribit Jacobus de Vitriaco : « Magister Petrus venerabilis cantor Parisiensis, vir potens opere et sermone, aurum suum et argentum similiter conflans, et verbis suis stateram faciens, morum honestate pondus et gravitatem conferens suæ doctrinæ; cœpit enim facere et docere velut lucerna ardens et lucens et civitas supra montem posita, et candelabrum aureum in domo Domini. » Post obitum Everardi de Avenis episcopi Tornacensis in ejus locum eligitur anno 1191. At cum hæc electio minus canonica et ob aliquos defectus irrita a nonnullis censeretur, ei obstitit Guillelmus Remensis archiepiscopus tunc Galliæ prorex. Rogat ergo eum Stephanus ut amicum suum episcopatu Tornacensi potiri sinat, ignarus quid sibi ipsi impenderet. Ejus obitus nihilominus notatur in *Necrologio* ejusdem Ecclesiæ, his verbis : « x Kalend. Octobris obiit egregius doctor Petrus cantor Parisiensis, qui in episcopum hujus Ecclesiæ aliquando electus, vocationem humiliter declinavit. Et postquam auditoribus suis scientia et morum norma non modico tempore exstitit, assumpto Cisterciensi habitu in monasterio Longipontis sanctitatem vitæ beato fine complevit. » Multa scripsit, inter ea *Summam*, quæ dicitur Verbum abbreviatum, quæ quidem habetur inter mss. S. Genovefæ Parisiensis. Nec assentiri possum auctori Historiæ Tornacensis, neque Buzelino ipsi adhærenti, qui Petrum cantorem post Stephani mortem renuntiatum fuisse episcopum Tornacensem scribunt, quod nullis astruunt argumentis; et cum certum sit ex *Necrologio* abbatiæ Longipontis eum obiisse anno 1197; imo in illum incidunt errorem, ut hanc epistolam spuriam et suppositam esse liberius proferant, nec ab auctore nostro conscriptam, quod quidem validis rationibus falsum esse demonstrare possem, nisi hujus calumniæ auctor ipse Cousinus, titubans, et quasi de sua sententia dubitans, id proponeret, et nisi stylus ipse epistolæ genuinum auctoris nostri fetum esse argueret. Quod autem attinet ad officium cantoris, antiquissimum invenitur in Ecclesia et inter primos Christianos

num. Vir est cujus per omnes Ecclesias famæ suavis diffunditur opinio, qui gemina scientia efficacissime clarens, et doctrinam monitis ornat et moribus disciplinam. Origeni parem in aliquo sic eum docere credimus, ut vivere; sic vivere, ut docere. Tales in candelabro vestro lucernas, tales in diademate capitis Aaron lapides, tales in sancta Remensi Ecclesia suffraganeos esse decet, ut vicinæ provinciæ sancta æmulatione moveantur ad promotionem consimilium, et sollicitudo vobis commissa facilius et frequentius juvetur per religionem et prudentiam ipsorum. Si quid minus ordinate in electione ipsius a Tornacensibus clericis factum est, nec absentis ignorantiam tangere, nec innocentiam justi lædere debet, cum facillime, si vobis placet, possit emendari, si quid perperam factum est commissa vobis a Deo et potestate corripiendi errores, et scientia corrigendi. Ut enim salva gratia vestra sine præjudicio loquor, concurrunt in ele-

A ctione illa quatuor quæ a Leone I dicta sunt (18), vota civium, testimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio clericorum. His accedit integritas personæ, hilaritas famæ, necessitas simul et utilitas Ecclesiæ viduatæ. Sed et hoc frequenter et solemniter dicitur, quia dominus rex, quem Deus servet ac nobis restituat, personam istam nominatim expressit, nominatim pro ea rogavit, nominatim Ecclesiæ Tornacensi præesse voluit et intendit. Si aliter actum fuerit, verendum est et forte verum, ne indignationem et iram et immissiones per angelos malos concipiat, et adversus eos, qui promotionem tantæ personæ impedierint, regalem et juvenilem iracundiam accendat. In his omnibus,

B **271** Pater sancte, providete honori vestro, consulite sanæ opinionis vestræ testimonio, deferte regio mandato, et correpto prius, sicut decuerit, errore eligentium, confirmata electione, paterno sinu suscipite electum et dilectum vestrum.

receptum, ut narrat Philo de Essenis: « Ubi omnes consurrexere, duo chori fiunt in medio cœnaculo, alter virorum, alter feminarum, cuique suus incentor præficitur honore præstans, et canendi peritia: deinde cantant hymnos in laudem Dei compositos variis metrorum carminumque generibus, nunc ore uno, nunc alternis non sine decoris et religiosis gestibus et accentibus. » Statutum fuit in concilio Aquisgranensi, canone 137, circa eos qui cantui in ecclesia vacabant, « ut constituerentur inter eos seniores fratres probabilioris vitæ, qui tempore statuto vicissim cum cantorum schola sint. » Fuerunt autem a priscis temporibus in ecclesiis cathedralibus et insignioribus monasteriis nonnulli huic ministerio destinati, qui cantum moderarentur, baculumque, dignitatis suæ insigne, deferrent. Legitur enim de quodam Theobaldo Sanctæ Genovefæ præcentore, qui vivebat sæculo XII in *Necrologio* ejusdem monasterii: « Obiit Theobaldus sacerdos et præcentor, qui turrim usque ad primum solium erexit, baculumque præcentoris auro et argento cum lapidibus decoravit. »

(18) Epistola scilicet 89 ad episcopos provinciæ Viennensis adversus Hilarium episcopum Arelatensem post ejus ab urbe discessum, num. 3: « Teneatur, inquit, subscriptio clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensus et plebis. »

STEPHANI

TORNACENSIS EPISCOPI

EPISTOLARUM

PARS TERTIA,

Continens epistolas quas scripsit ab anno 1192 ad annum 1203.

272-273 EPISTOLA CLXXVI.

AD ABBATEM DE ALTOVILLARI (19).

Monet nepotem ejus Joannem in abbatem S. Genovefæ fuisse electum.

Vocatus occulta Dei permissione ad regimen

C Ecclesiæ Tornacensis (20), quamvis minus sufficiens, minus idoneus, minus dignus, totum spiritum meum effudi circa dispositionem Ecclesiæ mihi prius commissæ, ne labores quibus in ea sudaveram deperirent et successoris occasione turbaretur tran-

(19) Abbatia de Altovillari, vulgo *Hautvilliers*, diœcesis Remensis, ordinis S. Benedicti, condita fuit à S. Nivardo præsule Remensi anno circiter 650, cujus fundationis instrumentum vetustissimum sic legitur in dypticis ejusdem monasterii: « Ego Nivo seu Nivardus, etiamsi peccator, episcopus, dum omnes episcopi fratres mei, etiam et de viris Christianis et de bonis hominibus monasteria secundum regulam sanctorum Patrum ædificare non cessarent; petiit nos Bercharius abbas cum fratribus suis, ut ibi talem locellum eis perquirere deberemus in nostra proprietate, ut ibi secundum Regulam S. Benedicti et S. Columbani vivere deberent. Repertus est nobis una cum ipsis locellus qui dicitur Altivillaris in fine Remensi super fluvium Maternæ, » etc. Abbas autem ille Altivillarensis vocabatur Otto ex scheda anni 1192.

(20) Hoc evenit anno 1191 vel 1192, post mortem Everardi.

quillitas cœlesti mihi permissione concessa. Tandem post multos cogitationis æstus, **274** et circumspectos affectus varios, non sine voluntate, ut credimus, divina, sortem et funiculum electionis nostræ conjecimus in charissimum fratrem nostrum Joannem nepotem vestrum (21), juvenem, quantum nobis ex diutina conversatione ejus cognoscere licet, honestum, litterarum et disciplinis regularibus eruditum; et eum communi fratrum omnium assensu nominavimus abbatem, et in commissa nobis sollicitudine successorem. Acta sunt hæc die salutationis angelicæ, Conceptionis virgineæ, Incarnationis divinæ. Sequenti Dominica qua repræsentat Ecclesia Dominicum in Hierosolymis ingressum, et puerorum cantantium, *Hosanna*, applausum. Me præsente, et præsentante, a domino Ans. Meldensi episcopo (22) munus benedictionis accepit, et ad Ecclesiam sibi commissam mecum reversus, gregem sibi creditum custodire et regere secundum gratiam sibi a Deo collatam humiliter est aggressus, sperans quia Deus, qui cœpit, perficiet solidabitque. Et quoniam juventutem ejus novitas honoris et oneris sibi impositi sollicitat ac premit, recurrit ipse nobiscum ad prudentiam vestram, ut eum et Ecclesiam sibi commissam domino Jordano legato (23), charissimo, ut audivimus, et familiari vestro, tanquam viscera vestra commendetis, qui loco vestri eum benigne suscipiat, foveat ac defendat, dominoque Octaviano Ostiensi (24) episcopo, tanquam filium suum proprium committat. Grandis enim via restat ei, et inexhausta cupiditas facultatibus alienis inhiat, et pusillus animus timet, et sacellus insufficiens desperat.

275 EPISTOLA CLXXVII.

AD TURONENSEM ARCHIEPISCOPUM (25).

Monet, se ad episcopatum Tornacensem fuisse promotum.

Occulto Domini judicio vocatus ad Ecclesiam Tornacensem vestris orationibus me commendo, ut ad quod non sufficio meritis propriis, proficiam suffragiis alienis. Et quoniam nescio, Pater, utrum dignus amore vel odio, ex tanta vocatione suppliciam exspectare debeam, vel præmium: sic curro adhuc quasi in incertum. Concedat Omnipotens ut non quasi aerem verberans incipiam depugnare. Ad primum **276** hujus rumoris sonitum

Obstupui, steteruntque comæ, vox faucibus hæsit.

Denique tanquam de gravi somno evigilans totum A negotium commisi Deo, cujus gratia, si beneplacitum fuerit in oculis ejus, totum perficiet solidabitque. Interim significare volui sanctæ paternitati vestræ, quid accidit, ne in hoc appaream aut beneficiis vestris ingratus, aut obsequiis indevotus. Circa proximum Pascha, Deo volente, vita comite, transitum facturus sum ad Ecclesiam quæ me vocat, cum veris Hebræis celebraturus phase, et sicut dominus Remensis disposuit, in octavis sanctæ Resurrectionis munus consecrationis per Dei gratiam accepturus. Rudis in talibus consilio vestro firmari desidero et formari, ut expertus instruatis expertem fidelem dominus, sacerdos magnus, magnis sacerdotibus obsequentem.

EPISTOLA CLXXVIII.

B

AD EUMDEM.

Gratias agit pro muneribus sibi missis.

Munera mihi, Pater, misistis, quibus decenter ornare possum non solum pedes, sed et manus et caput. Magna sunt pretio, maxima sacramento. Ex primo sufficere possunt concupiscentiæ oculorum; ex secundo proficere mysterio ministrorum. Condignas referre gratias si voluero, nec affectus sufficiet nec effectus. Accessit epistola vestra muneribus, **277** duplicem mihi lætitiam infundens et multiplicem gratiam manifestans.

EPISTOLA CLXXIX.

AD CŒLESTINUM SUMMUM PONTIFICEM (26).

Agit de promotione sua ad Ecclesiam Tornacensem, quam summus pontifex gratam non habuerat.

C

Inter spem et timorem medius accedo filius ad patrem, servus ad dominum, ad successorem Petri minimus discipulorum Christi; forte mitigabit iram suam pater, remittet indignationem dominus, Petri successor humilem respiciet sacerdotem. Quis scit si convertatur et ignoscat, et relinquat super me benedictionem? Vocatus ad Ecclesiam Tornacensem, loco et animo remotus et ignarus, nihilque minus spirans quam cathedram: cur excessi si accessi? quid peccavi si non præcavi? an deliqui quia non dereliqui? Divinare certe non potui, placeretne an displiceret summo pontifici, cujus placita sunt jura, in cujus dextera ignea lex, quæ appendit merita singulorum in statera canonum, et D apprehendit astutias in perpendiculo legum, et circino decretorum. Sed quoniam bonarum mentium est ibi culpas cognoscere ubi culpa non est, et periculosum valde est filio separari diutius a

(21) Hunc moribus potius quam ætate senem, in abbatem S. Genovefæ eligi curavit.

(22) Ansello scilicet, ad quem novum electum deduxit, ut ab eo benedictionis munus acciperet.

(23) Jordanus cardinalis presbyter S. Pudentianæ creatus a Clemente III anno 1188, legatus in Galliam dirigitur,

(24) Octavianus cardinalis episcopus Ostiensis per Cœlestinum III in Normanniam una cum præfato Jordano legatus missus est, ut litem quæ vertebatur inter Rothomagensem archiepiscopum et Cliensem episcopum, dirimerent.

(25) Scripta perhibetur hæc epistola cum vocatus fuisset Stephanus ad regimen Ecclesiæ Tornacensis, cujus gratia dono misit ad ipsum Bartholomæus de Vendôme, tunc archiepiscopus Turonensis, ornamenta quædam pontificalia, scilicet mitram, sandalia et chirothecas.

(26) Cœlestinus III, renuntiatus summus pontifex anno 1191, septuagenario major, gratam non habuit assumptionem Stephani ad sedem Tornacensem, forte quod existimaret electionem Petri cantoris fuisse canonicam, eumque debere censeri legitimum ejusdem Ecclesiæ pastorem, et Stephanum intrusum.

conspectu patris, exceptiones omitto, veniam peto, A gratiam quæro, misericordiam imploro. Aperiatur, obsecro, mihi sinus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, qui nemini claudi consuevit; pandatur aditus supplicandi, porrigantur ubera materna; cum matre placabilem sese Pater exhibeat, ut et simplici consulat, et simplicem consoletur.

278 EPISTOLA CLXXX.

AD ARCHIEPISCOPUM REMENSEM.

Invehitur in quosdam concionatores adulterantes verbum Dei, et vitam ducentes vitiis infectam.

Periculosas et crebras infestationes nobis ac decanis nostris (27) inferunt quidam verbi Dei venditores, qui in ecclesiis audacter declamant, in domibus turpiter vivunt, in plateis litigant, in tabernis insaniunt, in confingendo miracula blasphemi, B in remittendo pecuniam cupidi et astuti, ubique sacrilegi, nusquam modesti. Ad suggestionem unius eorum qui Constantius dicitur, qui et nobis aliquando verborum contumelias intulit, constanter placuit vobis citare decanum Gandavensem, virum revera honestum, gravem moribus, infirmitate gravatum, utpote qui et calculo et iliaca passione incurabiliter laborat. Excusabilem faciant eum, si placet, prædicta senis incommoda, opera delatoris in prædicando conductitia, in mendaciis assueta. Querela, pro qua citatur, nec acceptabilis nec accepta : et si dicere audeamus, nostra pro eo supplicatio porrecta. Liberate nos, Pater, a pestibus istis, ab hominibus iniquis et dolosis, qui fidelium eleemosynas infideliter corrogantes, objectu C sacri nominis vestri terrent pavidos decanos nostros, et pusillanimes presbyteros circumveniunt, interpositis comminationibus eos ad Remensem curiam protrahendi.

279 EPISTOLA CLXXXI.

AD LAMBINUM DE BRUGIS.

Rogat ut sibi præparet hospitium Ambiani in die coronationis (28) reginæ.

Desideratissimo amico suo LAMBINO de Brugis, quidquid dilectionis et salutis.

Jucundum eloquium tuum deliciosas absenti reliquias sui facit. In his diem festum ago mihi, quoties et gratiosam societatem tuam deosculor, et fructuosam amicitiam deamplector. Offeret se, volente Deo, dies et locus, quibus recidivis plausibus, et novos inveniemus confabulandi modos, et veteres innovabimus. Et quia

Principibus placuisse viris non ultima laus est,

rogo interim, ut quando et ubi dominus Remensis cum comite Flandriæ (29) locuturus, per præsentium latorem non solum mihi verbo denunties, sed scripto designes. De hospitiolo mihi die coronæ providendo, cogitatum meum in te jacto, ne quasi in incertum curram, ne cum venero, vagari incipiam post greges instabilium, et virginum fatuarum. Super hoc etiam fac mecum signum in bonum, ut certus accedam ad festum, quod sic erit commune omnium, ut **280** sit proprium singulorum. Certifica Stephanum tuum, ut Stephanus tuus, quantum potuerit, magnificet Lambinum suum.

EPISTOLA CLXXXII.

AD PAPAM.

Scribit in gratiam Hugonis Clementis (30) in decanum Parisiensem electi.

Sanctissimo domino et Patri, summo pontifici.

Vestram, Pater, precibus attentare celsitudinem movet me pariter et monet tam pietas vestra quam charitas aliena. Ecclesiam Parisiensem, nobile membrum regni Francorum, in decanum nondum convenisse non convenit, cum de eligendo eo sæpe jam convenerint in unum potius locum quam in votum, coram domino Carnotensi (31), et abbate Castri-Nantonis (32), de mandato vestro, dissidentium singuli partium dederunt nomina sua, et scripserunt, et aliquando, me præsente, coram eisdem judicibus publicata sunt et **281** relecta. Juvenem bonæ opinionis, et quantum ad morum honestatem et peritiam litterarum spectat, hilaris famæ, Hugonem filium Roberti Clementis (33) magna pars

(27) Duo genera decanorum inveniuntur inter Ecclesiæ ministros, alii scilicet qui collegiis canonicorum præsunt, alii vero qui sacerdotibus ruralibus invigilant, et dicuntur decani rurales, de quibus hic mentio. Hincmarus Remensis archiepiscopus in D statutis quæ condidit pro suis archidiaconis, ut rite suum præstarent officium, dicit in 13 : « Si decanus in ministerio vestro aut negligens aut inutilis aut incorrigibilis fuerit, aut aliquis eorum obierit, non inconsiderate decanum eligite, etsi ego in propinquo sum, ad me electionem istam referte. » Ex his patet decanos illos rurales semper sub archidiaconorum regimine fuisse constitutos.

(28) Videtur hæc epistola directa Ambiani anno 1193, ubi Engelberga uxor Philippi Augusti coronationis munus accepit, multis astantibus prælatis, et in primis Stephano Tornacensi, ut videre est in *Hist. Tornacensi*, cap. 58.

(29) Convenit Guillelmus Remensis archiepiscopus regis nomine Atrebati comitem Flandriæ Balduinum, ut Flandriam dividerent propter quam bellum moverant. De his scripsit Buselinus *Ann. Gallo-Flandriæ*, lib. VI, sub annum 1198 : « Francus rex Balduino permisit ut aliquot arbitri legerentur cum amplissima potestate Flandriam partiendi, et suam cuique partem ex æquo assignandi, quorum arbitrio staretur : hi præsertim nominati Guillelmus Remensis archiepiscopus, Petrus Atrebatum pontifex, Simon Aquicinctiensis antistes, Daniel abbas Camberonensis. »

(30) Hugo Clemens electus est in decanum Parisiensem post Michaelem de Corbilio, qui ad episcopatum Senonensem evectus fuerat anno 1194, quo scripta fuit hæc epistola.

(31) Reginaldo scilicet, ad quem scripsit epist. alteram.

(32) Stephano scilicet, quarto post reformationem hujus monasterii abbate, a summo pontifice una cum episcopo Carnotensi commisso, ut adessent electioni decani Parisiensis, ortasque inter canonicos contentiones componerent.

(33) Robertus Clemens, toparcha, *de Méés le Mareschal*, in Vastineto, regi Philippo Augusto acceptissimus fuit, ab eoque regni minister constitutus est.

canonicorum, et præcipue residentium (34), nec merito, ut creditur, minor quam altera, nec numero, sibi sic præesse desiderat, ut consideret et prodesse. Utilem ipsum Ecclesiæ futurum, et domini regis familiaritas intima, et fratrum ac propinquorum (35), qui plurimum in palatio possunt, quotidiana sedulitas promittit; et qui inde plura ex eo Parisiensi clero ac populo, quam in alio, diebus istis profutura metitur commoda, profecto non mentitur. In fine loquar ad dominum meum, cum sim pulvis et cinis, ut tanti viri nuntium, quem nec propria voluntas ingerere, nec aliena potest intrudere, paterno affectu tam suscipiatis benevole, quam benefice remittatis.

282 EPISTOLA CLXXXIII.

AD ATREBATENSEM ET AMBIANENSEM EPISCOPOS (36).

Rogat ut causæ inter se et abbatem S. Bertini (37) patrocinentur.

Filii pacis et concordiæ, quibus contentiones et lites odiosæ sunt, quantum in ipsis est, inquirunt pacem, et persequuntur eam. Ea acceptione persequendi, qua per propositionem, per compositionem, verbis adjuncta, aut perfectionem exprimit, aut perseverantiam **283** demonstrat. Id attendentes, de sancta discretione vestra et prudentia confidentes, in causa quæ vertitur inter nos et abbatem Sancti Bertini super Ecclesia de Listrevele elegimus vos arbitros, quidquid in eadem causa, compo- A sitione, vel sententia protuleritis, recepturi. Proinde rogamus sanctitatem vestram, ut pro pace inter ecclesias reformanda laborem istum assumatis, convenientem locum et diem nobis assignantes, quando et ubi, et desideratam præsentiam vestram feliciter videre possimus, et debitam causæ nostræ justitiam utiliter reportemus.

EPISTOLA CLXXXIV.

AD LAMBINUM MORINENSEM EPISCOPUM.

Conqueritur de monachis S. Bertini.

Domino Lambino Morinensi Episcopo (38).

Transierunt dies et menses, ex quo neque verbum propter absentiam, neque scriptum forte propter incuriam. B Jocosas confabulationes vestras experti sumus, expertes interim solatii vestri, quamvis soliti, jam soluti. Dolemus et conquerimur aut notarium vestrum chiragrum, aut veredum claudum, **284** utrumque pigrum, neutrum expeditum. Purgabitur hæc mora si morem nobis gerentes et scribitis et venitis. Scire volumus interim dilectionem vestram, quia monachi vestri de Sancto Bertino (39) nobis infesti festinant ad jurgia, lites excitant, et per unum de numero eorum qui claudicat in semitis suis, rectitudinem justitiæ nostræ tortuosa appellatione pervertere volunt et involvunt. Ecclesiam habent apud Coclers, in qua per annuos et conductitios mercenariosque sacerdotes, sæpe etiam per seipsos, quod sacris canonibus inhibitum

(34) Non omnes canonici priscis illis sæculis morabantur apud Ecclesias quibus erant addicti, ut suo fungerentur officio; unde orta est olim gravis controversia inter canonicos sæculares S. Genovefæ, quorum nonnulli qui foras residebant, obstabant ne cæteri, qui in Ecclesia semper aderant, absque eorum consilio et consensu aliquid in capitulo definirent, quæ quidem sedata est diplomate Ludovici Grossi anno 1118, his verbis. « In nomine unius et individuæ Trinitatis, ego Ludovicus Dei gratia Francorum rex, intimari volumus tam præsentibus quam futuris, quod domnus Stephanus Sanctæ Genovefæ decanus et canonici a nostra serenitate venerabiliter sunt adepti, quatenus omni tempore decanus, et illi tantummodo canonici qui in prædictæ Ecclesiæ villa ad quotidianum servitium stabiles sunt et assidui, potestatem habeant et licentiam nostra auctoritate confirmatam, in omnibus Ecclesiæ actionibus ordinandi et operandi et irrefragabiliter definiendi, inconsultis vel invitis omnibus extra manentibus canonicis. Dignum est enim, ut illi qui seduli sunt ad Dei servitutem, potioris obtineant dignitatis virtutem, quam illi qui sine servitio possident ecclesiastici beneficii portionem. Verum hoc ideo stabilivit provida regiæ serenitatis discretio, ne forte inter eos oriretur inquietudinis dissentio, quod ne posset violari, sigillo nostræ majestatis, et charactere nominis procerumque nominibus et signis præcepimus confirmari; hujus vero præcepti temerarius usurpator nostro ærario auri libram solvat, et ejus usurpatio irrita fiat. Actum publice Parisiis in palatio regis anno regni sui x. Signum regis, signum Hugonis constabularii; signum Guillelmi dapiferi, signum Giltberti buticularii; ego Stephanus cancellarius subscripsi. » Invenio autem hac ferme ætate Gregorium cardinalem, Petrum Silvanectensem episcopum, et Altis- C siodorensem archid, canonicos fuisse S. Genovefæ.

(35) Hugo Clemens fratres habuit Albericum et Henricum marescallos Franciæ, quorum primus cecidit in obsidione urbis Acrensis in Syria anno 1191; alter vero dominus de Argentan, ita strenue in omnibus se gessit, ut rex ejus intuitu omnes posteros suos marescalli titulo nobilitarit.

(36) Ambianensis erat tunc episcopus Theobaldus consanguineus Guillelmi Remensis archiepiscopi, qui hanc cathedram per XXXIV annos tenuit, defunctusque est anno 1204. Atrebatensis vero Petrus, quondam abbas Cistercii, qui hanc ecclesiam rexit ab anno 1180 ad 1203.

(37) Abbatia S. Bertini ordinis S. Benedictini in diœcesi Audomarensi sita, fundata fuit anno 630 ab Adroaldo nobili Franco, in loco qui dicebatur *Sithien*, unde monasterium illud Sithiense nomen accepit. In charta autem fundationis ejusdem enumerantur villæ quæ huic Ecclesiæ concessæ sunt, inter quas legitur Lonsantana, quam suspicor esse Listrevele, de qua hic sermo.

D (38) Lambinus seu Lambertus ex cancellario Remensi electus est Morinensis episcopus anno 1191. Episcopus autem Morinorum olim residebat in urbe Teruanæ, vulgo Terouenne; quæ cum deleta fuisset a Carolo V imperatore, anno 1553, sedes episcopalis translata fuit Boloniam pro ea parte diœcesis quæ erat sub Gallorum ditione, et illic abbatia canonicorum regularium B. Mariæ sæculari toga donata, in ecclesiam cathedralem erecta est Bulla Pii V, anno 1566. Ex iis autem quæ Artesiæ comitatum pertinebant creatus est episcopatus Audomarensis, et abbatia S. Audomari ecclesia cathedralis effecta est.

(39) Ideo conqueritur episcopus Tornacensis de monachis Bertinianis apud episcopum Morinensem, quod ejus essent diœcesis.

est (40), parochialia ministrant, cum nos tam ipsis quam aliis omnibus monachis in synodo nostra præsente abbate ipsorum et prohibuerimus, et quotidie prohibeamus. Prior ipsius loci quamdam parochianam nostram a nobis excommunicatam sine conscientia nostra absolvit, et eam nuptui tradens cuidam militi tanquam parochialiter, illicite copulavit. Cum nos etiam per partes illas transitum haberemus, hospitium suum negavit nobis, volentibus sumptibus eorum parcere, et nobis in omnibus providere, obstruxit ostia hostis, hospites nos [non?] admittens, incluso murmure, exclusa charitate. In his corripite eos, si corrigere non potestis.

285 EPISTOLA CLXXXV.

AD OCTAVIANUM OSTIENSEM EPISCOPUM.

Excusat abbatem S. Germani a Pratis ab interfectione cujusdam scholastici.

Domino Octaviano Ostiensi episcopo (41).

In timore et tremore vos et alios dominos meos recogito et retracto. Translatus a subsellio ad cathedram, a pusilli custodia gregis ad populosæ regimen Ecclesiæ, ab humili statu ad altiora quam credidi, quam merui, quam speravi. Et licet pro me rogare non sufficiam, commendatitias preces vobis porrigo pro abbate Sancti Germani (42) viro humili et utili Ecclesiæ suæ, cujus opera inter fratres suos et præsentibus proficiunt ad usum, et posteris ad exemplum. Si quis adversus eum in curia domini papæ moverit quæstionem, maxime super memoria rixæ, quæ hoc anno inter homines Sancti Germani et scholares mota est (43), in qua et unus scholarium per infamiam rusticorum cecidit, excusabilem habete prædictum virum, qui sicut immunis est a culpa, ita et alienus debet esse ab infamia sive pœna. Innocentiam suam purgavit coram domino Remensi sufficienter, et multitudine clericorum, et fugientibus illis qui homicidium perpetraverant, accensus in vindictam, domos illorum diruit et vastavit. Occurrite et succurrite si opus fuerit viro innocenti, ne veritatem falsitas absor- A beat, mendacium negotietur sibi fidem, livor invidiæ religionem corrumpat.

286-287 EPISTOLA CLXXXVI.

AD FULCONEM ABBATEM SANCTI GERMANI A PRATIS.

Grates agit de beneficio fratri suo collato.

Invenisse me gaudeo quæ quærunt multi, inveniunt pauci, desiderant universi; amicum dico in necessitate fidelem, in absentia præsentem, voluntate devotum, opere efficacem. Horum testes sunt benevolentia quam fratri meo libenter exhibetis, beneficium quod ei liberalius contulistis, labor et sollicitudo quæ pro negotio ipsius (44) jugiter sustinetis. Hæc sunt quæ totum me rapiunt in ardorem dilectionis vestræ, totum excitant ad explorandos, etc.

B

EPISTOLA CLXXXVII.

AD EUMDEM.

Rogat ut pacifice frui faciat fratrem suum beneficio ipsi collato.

Veteres amicitiæ novis epistolis revirescunt. Nos autem, ne dilectio nostra sopiatur aut torpeat, nec calamo parcimus, nec membranæ. Tollatur fastidium legentis, et scribentis officium non cessabit, suscitabo amicum, pungam stimulo charitatis, avocabo **288** a negotiis regularibus, ut recordetur societatis pristinæ, jucunditatis mutuæ, confabulationis alternæ. Currant et vigeant inter nos dilectionis commercia, quæ et sinceritatem inclusam habeant, et suspicionem excludant. In negotiis fratris mei gratias ago de præteritis, preces offero de futuris. C Unum satis est, ut possessionis commodo fruatur, qui per donationem vestram dominium est adeptus. Sed si vobis placeat, et domino non displiceat legato, sine jactura Ecclesiæ vestræ sicut in aliis solet fieri, et in ista quandoque factum est, rogo ut præsentibus fratribus vestris per archid. episcopo præsentetur. Semota interim mentione potus nostri, caseos habemus virides, quorum condimentum nobis suspiciosum est, nec oculis Parisiensium blandiens aut palato.

(40) Legitur in concilio Pictaviensi anno 1109, can. XI: « Ut nullus monachorum parochiale ministerium presbyterorum, baptizare, prædicare, præsumat. »

(41) Jam de eo egimus in observationibus ad epistolam 109. Præfuit autem concilio Suessionensi anno 1198, pro divortio quod intervenerat inter Philippum regem et uxorem ejus Engelbergam: tunc autem morabatur legatus ille apud sanctam Genovefam dum esset Parisiis, ut patet ex ejus diplomate transcripto ex tabulariis monasterii B. Genovefæ. « Octavianus Dei gratia Ostiensis et Velletrensis episcopus, omnibus præsentes litteras inspecturis in vero salutari salutem. Ne præjudicium possit Ecclesiæ S. Genovefæ Parisiensis aliquo tempore generari, ex eo quod apud ipsam Ecclesiam venerabilis frater noster Odo Parisiensis episcopus, tempore legationis nostræ semel comedit nobiscum, præsentibus litteris facimus et fatemur, quod cum idem episcopus tanquam noster familiaris et amicus diceret se gratia familiaritatis et recreationis velle ibi prandere nobiscum, petitioni ejus annuimus, prædicentes ei quod in ecclesia ipsa ex hoc non posset conditionem aliquam usurpare; verum cum id ad venerabilis fratris nostri J. abbatis et canonicorum notitiam devenisset, et exinde ostenderent se esse turbatos, diximus eis, præsente episcopo, quod ex hoc nolebamus ipsi Ecclesiæ præjudicium aliquod generari; ac ipse abbas tunc fuit in mensa D nobiscum, procurationem vero nostram die illa non ab ecclesia S. Genovefæ, sed de Parisiensi diœcesi habebamus. Ad plenam autem supradictorum notitiam præsentes litteras de sigillo nostro pendentes fecimus in testimonium exhiberi.

(42) Fulcone scilicet de quo superius egimus.

(43) Sæpius evenerunt ejuscemodi rixæ inter scholasticos studii Parisiensis, qui spatiandi gratiæ pratum, ab ipsis clericorum dictum petebant, et cives suburbii Sancti Germani prope Parisios, ut legimus accidisse annis 1531 et 1557.

(44) Agit de fratre suo in aliis epistolis, et innuit illum fuisse monachum ordinis Benedictini. Loquitur enim de beneficio quod acceperat ab abbate S. Germani a Pratis, et epist. altera de pensione annua quam ipsi constituerat Abbas S. Dionysii, qua quidem frui non valuisset, nisi ipse ejusdem Ordinis religiosus exstitisset.

EPISTOLA CLXXXVIII.

AD SUESSIONENSEM EPISCOPUM.

Petit facultatem sacramentum confirmationis Marisiaci ministrandi.

Suessionensi episcopo injuste damnato ad debita solvenda, damnatus injuste ad fodienda metalla (45), salutem et communem murmuris inclusi patientiam.

Miserrimum solatii genus est velle habere socios in pœna, sive pares sive dispares sint in culpa, ut tanquam ex conjunctione alterius, leviorem pœnam sentiat vulneratus. Hujus culpæ simulacrum non adorans, sed abhorrens, sic infortunium meum plango, ut sine ipsius diminutione et vestro dolori condoleam, et vestræ compatiar passioni. Crediderам 289 me in loco terribilium judiciorum posse pontem facere, per quem pontifices alii transitum solent habere. Sed ecce tempestas invaluit, et intumuerunt aquæ, et excrevit torrens qui transvadari non potest, ut occurrat mihi unde possim dicere: *Forsitan pertransisset* insufficientia *mea aquam intolerabilem* (*Psal.* CXXIII). Secessi interim ad tempus, et in parochia vestra locum quietis et silentii, moram aliquam facturus, elegi apud Marisiacum, sedens solitarius et tacens, si forte respirare possim a pusillanimitate spiritus et tempestate. Et quoniam multi parochianorum vestrorum ad me veniunt, ut eis manum confirmatoriam imponam, de licentia vestra, si vobis placet, id faciam, in hoc officio vester obediens et famulus et minister. Ruri habitans sæpe retracto illud distichon Sollii Sidonii (46):

Angulus iste placet, paupertinusque recessus,
Et casa, cui culmo culmina pressa forent.

290 EPISTOLA CLXXXIX.

N. SUESSIONENSIS EPISCOPI AD EPISCOPUM TORNACENSEM (47).

Facultatem petitam libentissime concedit.

Litteras benignitatis vestræ gratanter suscepimus, in quibus dulcem bonorum misturam signavimus, et in verbis lepidam elegantiam, et jucundam in sententiis gravitatem. Porro hinc verba legibus accommoda, hinc sacro eloquio familiaria, hinc poetis domestica, ex abundantia cordis ad nostram consolationem vestri gratia transmisistis. Sane non nos adeo perturbat familiare incommodum, quam totius Ecclesiæ scandalum generale. Quis enim sine cordis amaritudine, sine lacrymarum fonte, sine suspiriorum crebra replicatione videat magistrum Ecclesiæ Petri, imo Christi vicarium, a veritatis tramite deviare, et in ore ipsius est et non invemiatur? Si percussus fuerit incantator, quis medebitur ei? Jam judex ille cui sæpe dicitur: *Oculi tui videant æquitatem* (*Psal.* XVI), terram ingreditur duabus viis, et claudicat in duas partes, et quæ semel de labiis suis processerunt, non dubitat irritare. Quis igitur dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, ut plorem non interfectos populi mei, sed pastores populi mei, sed principem pastorum? Satius autem reputamus suspensionis onus, ut a plerisque dicitur, honorem sustinere, quam occasionem scandali et perpetuæ confusionis seminarium Gallicanæ Ecclesiæ suscitare. Verum ne nos ipsos tantum plangere videamur, de corde non ficto vobis compatimur, vobis condolentes, vobis congaudemus 291, quoniam inter Syllam et Charybdim necessario navigantes, quoquomodo ad portum se gaudent pervenisse. Nobis sane gratissimum esse noveritis, ut non solum in loco illo secretiori, verum etiam in ecclesia cathedrali vices pontificis vestra, si placet, paternitas exsequatur. Illud ad ultimum volumus habere vos præ oculis, quod prælati nostri non aurum pedibus suis subjiciunt, sed suo capiti superponunt.

EPISTOLA CXC.

AD MAGISTRUM BERTERUM CAMERACENSEM ARCHIDIACONUM.

Queritur de gravamine quod propter debita indebite patiebatur.

Considerans abyssum concepti debiti, et voraces improbi fenoris morsus exhorrens, facta collectione binorum redituum non sufficientium solutioni, timore concutior et terrore, ne, quod absit! obliviosi nostri præcipitem sequar exitum, et relicta sindone nudus aufugiam. Rursus attendens gratuitam benignitatem domini mei, et beneficiorum ipsius circa me copiosos aggeres suspiciens, leviorem habeo sarcinam, quæ importabilis videbatur: paratus ob hoc, si necesse fuerit, peregrinari, fugere, mendicare. Temperabit hæc omnia per gratiam Dei lignum in aqua missum, et Elisei farina colocynthidas ollæ faciet mitiores, quoniam in manu domini mei Remensis commendo negotium meum, ut qui liberavit me de fornace ferrea, consulat mihi damnato ad fodienda metalla. Nunc deinde intelligere cœpi, quoniam 292 abyssus negotiorum (48) invocat abyssum expensarum, abyssus expensarum invocat abyssum rapinarum, abyssus rapinarum invocat abyssum infernalium pœnarum. Si diligens calculator saturabilium præscivisset putei Rom.

(45) Argumentum hujus epistolæ, quantum conjicere licet, est quod cancellariæ Romanæ ministri magnam pecuniæ summam exegerunt a Stephano episcopo Tornacensi pro solutione bullarum plumbi Romani, quo dixerat epist. 147 nudari ecclesias. Cum non esset par solvendo, coactus fuit episcopatum relinquere, et per duos annos apud Marisiacum villam S. Genovefæ in Suessionensi diœcesi secedere, ut proventus beneficii sui, quibus debitis erga curiam Romanam satisfaceret, reservaret; quod tam ex hac epistola quam ex sequenti episcopi Suessionensis colligere est.

(46) Sollius Apollinaris Sidonius Arvernorum episcopus florebat anno 475; varias et disertas scripsit epistolas. Legitur autem in 17 Volusiano fratri inscripta, illud distichon.

(47) Hæc epistola Nivelonis episcopi Suessionensis respondet præcedenti sibi missæ a Stephano Tornacensi præsule. Videtur autem quod idem patiebatur gravamen a curiæ Romanæ officiariis.

(48) Alludit ad id quod dicitur psalmo XLI, *Abyssus abyssum invocat.*

aut quinto conjunxisset quartum (49), aut quarto A præposuisset quintum.

EPISTOLA CXCI.

AD ABBATEM S. EVURTII AURELIANENSIS.

Commendat Guillelmum nepotem ejus, ut benignum erga ipsum se præbeat.

Venit ad nos miserabilis persona, V. nepos vester factus filius alienus, claudicans in semitis suis, miseria sua ad misericordiam nos invitans, paupertate ad pietatem nos excitans, tribulationibus ad compassionem nos trahens. Moveat vos et affectus sanguinis, quo vobis jungitur, et civitatis unitas, quæ nobis et vobis nativitatis communionem sortitur, et prælationis vestræ titulus, quæ omnibus afflictis misericordiam impendere tenetur. Ne igitur B diutius compellatur, et extra gregem, luporum morsibus patere, et porcorum siliquas esuriens manducare; rogamus, consulimus et monemus ut, qui vos per naturam meruit habere patruum, per industriam et curam mereatur habere Patrem et patronum.

293 EPISTOLA CXCII.

AD EUMDEM.

Scribit iterum in gratiam ejusdem Guillelmi.

Si oblivisci potuerit mater filiorum uteri sui, et vester Tornacensis, charissimæ matris suæ (50) obliviscetur, cum hoc et de natura videatur difficile, et de facto judicetur enorme. Hanc autem enormitatem de visceribus vestris exturbat penitus et exstirpat fervor charitatis quam erga vos habui- C mus hactenus, et habemus et quandiu vixerimus habituri sumus, quam per Dei gratiam non turbare dilationes aliquæ, nec exstinguere poterunt aquæ multæ. In ferventi proposito habemus et diutius habuimus visitare vos, sicut illos quos in visceribus nostris semper gestamus; sed hujus propositi complementum nobis invident occupationum fluctus et innumerabilium negotiorum occursus. Quam citius poterimus visitabimus vos, Deo volente, et invicem gratulabimur, invicem consolabimur, charitate et devotione fraterna. Accessit ad nos frater et filius vester Willelmus; angustia sua nobis proposita et exposita ad miræ compassionis affectum viscera nostra commovit, cum nobis videatur vos eumdem secundum juris et ordinis nostri Regulam non tra- D ctasse. Rogamus vos sicut dominos nostros, de quibus plene confidimus, ut eum, qui, sicut nostis, propinquus noster est secundum carnem, et ei compatimur sicut carni nostræ, pro amore Dei et nostro revocetis, et animam ejus ab amaritudine eripientes assignetis ei stallum in choro (51) sicut habere solet, sedem in capitulo, locum in refectorio, et **294** nos cum ad vos venerimus, offensam suam et culpam faciemus regulariter emendari.

EPISTOLA CXCIII.

AD EUMDEM.

Rogat tertio ut nepotem Guillelmum benigne suscipiat.

Ignorare se dicit Salomon penitus viam viri in adolescentia sua. Facilis est, et nunc huc, nunc illuc sese vertens, in bivio Pythagorico seducitur et errat. Venialis tamen est error juvenum, qui per correptionem ad correctionem redeunt, et cum prius ambulaverunt vias non bonas, dirigunt gressus suos in semitis justitiæ, peragentes viriliter per pœnitentiam, quod pueriliter admiserunt per culpam. Id attendentes, in Willermo bonæ, ut nunc credimus, voluntatis juvene (52), qui a vobis incaute recessit, et intente reverti ad vos desiderat, supplicamus et petimus, ut pro amore Dei et nostro, si compunctum videritis et humilem, salva disciplina ordinis benigne suscipite, benevole simul et benefice tractate, ne si forte, quod absit! crudeles vos **295** et duros invenerit, calamum quassatum conteratis in eo, et linum fumigans exstinguatis.

EPISTOLA CXCIV.

AD PAPAM.

Rogat ut mandatum apostolicum de quibuscunque ordinatis ad certos restringat ordines.

Sicut muros almæ Urbis jure civili sanctos et inviolabiles esse didicimus, adeo ut qui eos transilierint, pœna capitali, severitate Romulea (53) puniri debeant : ita et sanctæ Romanæ Ecclesiæ mandata intransgressibilia jure canonico confitemur esse debere, et eorum contemptum severitate apostolica puniendum. Confidimus autem de benevolentia paternitatis vestræ, quod nobis tanquam obedientibus filiis nequaquam impossibilia et intolerabilia mandare intenditis; sed quæ et præsentibus esse debeant accepta et utilia, et posteris profutura. Accedunt ad nos frequenter et passim cum divinis apicibus vestris plures numero, pauci merito, sine omni examinatione originis, conditionis, delicti, vel criminis, terribili commonitorio vel comminatorio no-

(49) Id est considerans abyssum pœnarum infernalium, deterritus fuisset ne incideret in quartum, scilicet abyssum rapinarum.

(50) Ecclesiæ scilicet S. Evurtii Aurelianensis, quæ illum diu fovit et aluit.

(51) Est, stallum, seu stallus, sedes illa in qua canonici officium divinum persolventes sedent, et in qua ponuntur, quando in possessionem præbendæ suæ inducuntur, et ut verbo inde derivato utar, installantur. Hinc legimus apud Houeden in Richardo I, pag. 659 : « Cumque Henricus idem Eboracum veniret cum litteris regis ad recipiendum decanatum, non invenit qui eum in stallum decani mitteret : dicebant enim clerici Eboracensis Ecclesiæ, quod nullus præter archiepiscopum debuit illum mittere in stallum decani. » Et inferius dicitur : « Fecerunt canonicos introduci in stallos suos, de quibus archiepiscopus eos desaisierat. »

(52) Hæc epistola scripta quoque est Bertero abbati S. Evurtii Aurelianensis a Stephano episcopo Tornacensi consanguineo suo, pro Guillelmo nepote ejusdem abbatis, sibique ideo cognatione conjuncto. Rogat ut redeuntem benigne suscipiat postquam juvenilis animi levitate abreptus claustrum deseruisset.

(53) Intelligit de pœna in Remum, mandati Romulei transgressorem, lata, de qua Tit. Liv., lib. I : « Vulgatior fama est ludibrio fratris Remum novos transilisse muros, indeque ab irato Romulo interfectum. »

stram excitantes obedientiam, ut quibuscunque a A prima tonsura clericali usque ad sacros ordines inclusive manus impositionem ordinatoriam contulimus, vel decessores nostros imposuisse cognovimus, eis interim provideremus necessaria, **296** quoadusque beneficia conferamus. Quidam etiam quibus sunt propriæ facultates, ut inde vivere possint, ordinari tamen expetunt, ut pro titulo, secundum dispensationem sacrorum canonum, rebus propriis utantur: nonnulli ut potestatum sæcularium jurisdictionem devitent, tonsura tantum vel minoribus ordinibus dolo inter clericos sese simulant aggregari. Salva sancta reverentia vestra, nobis novum videtur hoc et insolitum, cum in sacris et antiquis canonibus circa presbyteros tantum et diaconos restringatur hæc observantia; et in sancto B Lateranensi concilio (54) sub felicis recordationis beatissimo papa Alexandro, cui plures ex nobis interfuerunt, suffragium suum omnibus qui aderant præstantibus, de presbyteris tantum et diaconibus statutum fuerit et decretum, id libenter amplectimur, fideliter approbamus, obedienter, Deo volente, servabimus et servamus. Impossibile autem nobis est nomina vel numerum eorum, quos infra diaconatum ordinavimus, memoriter tenere, nec minus impossibile est omnibus eis vel conferre beneficia, vel necessaria providere. Satius erit nobis amodo non celebrare ordines, quam hæc importabilia suscipere onera. Quo si forte cessantibus nobis contigerit, quantum periculum futuris temporibus vel C personis immineat, nemo dubitat vel ignorat. In Gallicanis etiam partibus ad hoc tantum plerique litteras addiscunt, sive parvuli, sive adulti, ut in Ecclesia Dei gradatim per ordines promoti Deo serviant et ministrent. Quod si ordinatores defecerint, deficient ordinandi; et cessabunt mysteria, si ministeria cessare contigerit. Attendat et pius et justus Pater, quia lex nova in observatione sua debet esse possibilis in constitutione sua, non præteritis dare formam negotiis, sed futuris. Pro his omnibus paternitati vestræ supplicamus, et preces fundimus, ut mandatum istud arduum, intolerabile **297** et onerosum, si placet, temperetis, cui nos obtemperare et difficultas prohibet, et impossibilitas non permittit.

EPISTOLA CXCV.

AD DOMINUM REMENSEM

Rogat ut ejus auctoritate canonicus S. Genovefæ a capitulo Tornacensi recipiatur ad beneficium administrandum.

Pudet me toties vexare tranquillitatem vestram, Pater, et sacras occupationes vestras quasi tot obruere fasciculis litterarum. Excusabilem me reddit quandoque necessitas mea, quandoque charitas aliena. Ut autem redimere mihi possim paulisper hoc fastidium vestrum parabolico Salomonis charactere, Aurelianensis nostri Garnaudi deliciosas vobis nugas appono. Tria sunt murmurantia super terram, et quartum quod facile non quiescit, communia rusticorum dominantium, cœtus feminarum litigantium, grex porcorum ad unius clamorem grunnientium, capitulum diversa vota sectantium. Cum primo pugnamus, secundum irridemus, tertium contemnimus, quartum **298** sustinemus: a primo et quarto libera nos, Domine. Coactus ab ultimo, vestræ correctionis manum ultimam et expeto et exspecto. Est quidam socius meus (55) in mensa mea simplex et innocens coram Deo et hominibus, sine querela, cui capitulum nostrum vicariam unam in majori altari contulerat, assignato ei beneficio a quodam burgense (56) unde sufficienti mediocritate sacerdotaliter vivere posset. Eum mihi præsentarunt canonici ad titulum majoris altaris ordinandum, et communem cum aliis participationem refectorii concesserunt. Cum autem a nobis ordinatus per biennium fere et altari ministrasset, et beneficium refectorii (57) cum aliis recepisset, eum neque citatum, neque in aliquo convictum, prætermisso juris ordine, et altaris ministerio et refectorii beneficio privaverunt, burgense autem beneficium quod contulerat, quamvis invitus, in manu sua recepit. Mirantur omnes qui audiunt, sed miraculum eorum canonici nostri aut negligunt, aut contemnunt. Supplicamus paternitati vestræ, ut pro amore Dei, et humilium precum nostrarum interventu, decano et capitulo nostro scribatis; rogando, si placet, ut socium nostrum, bonæ opinionis et honestæ vitæ presbyterum, injuste spoliatum, pro vobis restituant, et si aliquid deliquit unde damnari meruerit, eum ordine judiciario tractent, ne forte aut de juris

(54) Sub Alexandro III anno 1179 congregatum, D in quo legitur cap. 5: Episcopus si aliquem sine certo titulo de quo necessaria vitæ percipiat in diaconum vel presbyterum ordinaverit, tandiu necessaria ei subministret, donec in aliqua ecclesia convenientia ei stipendia militiæ clericalis assignet, nisi forte talis qui ordinatur exstiterit, qui de sua vel paterna hæreditate subsidium possit habere.

(55) Cum Stephanus e monasterio S. Genovefæ ad regimen Ecclesiæ Tornacensis vocatus fuisset, duxit secum duos ex canonicis suis regularibus, Marcellum scilicet et Girardum, qui sibi præsto essent in consiliis et ministeriis ecclesiasticis, ut colligitur ex epist. 207.

(56) Burgensis ille ex membranis Ecclesiæ Tornacensis vocabatur Balduinus filius Hanuidi, qui anno 1193 coram synodo ibidem ab episcopo congregata constituit quamdam præbendam, quam dotavit, eamque addidit cæteris quatuor, quas jam ante condiderat, quæ quidem collata fuit alteri e duobus canonicis regularibus S. Genovefæ. Legimus autem fuisse etiam olim in ecclesia B. Mariæ Parisiensis quinque similes præbendas presbyterales pro totidem sacerdotibus qui altari ministrarent, sed per diploma Alexandri III harum unaquaque in duas divisa, constituti sunt decem canonici, qui a dimidiatis præbendis, semipræbendati vocati sunt.

(57) Vitam igitur communem adhuc ducebant canonici Tornacenses, siquidem vigebat inter eos refectorii usus. Cum hæc autem epistola videatur scripta biennio post ejusmodi sacerdotii collationem, sequitur eam fuisse editam anno 1195.

ignorantia possint argui, aut de crudelitate notari.

299 EPISTOLA CXCVI.

AD GUILLELMUM REMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Grates agit de epistolis capitulo Tornacensi scriptis.

Gratias vobis, Pater, qui inter alia beneficia pro me clerico vestro litteris vestris capitulo nostro transmissis, et corripuistis incorrigibiles et indociles docuistis. Quartum illud genus murmurantium (58) super terram, a quo liberari me sæpe deprecor et defendi, primo aspectu litterarum vestrarum tulit impatienter et moleste, me vel offerre vobis querimoniam meam, vel eorum contumeliam non sufferre. Incœperunt a murmure, et in jurgio terminarunt. Qui corrigi debuerant, non timuerunt erigi, qui virga digni erant, obtulerunt festucam. Sed quia cum his qui oderunt pacem pacificus esse volo, et remisi injuriam, et injuriantes dimisi. Aderit tempus, Deo volente, quando in præsentia vestra, vel erubescent de irreverentia sua, vel de contumelia punientur.

300 EPISTOLA CXCVII.

AD PAPAM.

Agit de monacho S. Martini Tornacensis fugitivo.

Solent, Pater, in collegiis sacris, aliqui reperiri contradictionis et inobedientiæ filii, qui lites et contentiones diligunt, inter fratres jurgia seminant, scandala movent animati, schismata, bella intestina parare et parere periculum suis, ridiculum alienis. Horum de numero Nicolaus quidam monachus olim Sancti Martini Tornacensis, levitate et inconstantia, nec sine corruptela malitiæ impulsus, latenter exivit ab eis, cum non esset ex eis, promptus potius de claustro exsilire et exire, quam solitarius in claustro sedere. Significato nobis clandestino ejus recessu, accessimus ad ecclesiam, et convocato conventu, capitulum intrantes, quæsivi a singulis utrum fugitivus ille de consilio, aut consensu alicujus eorum recesserit, litterasve aliquas sive cum sigillo, sive absque sigillo secum tulerit, sicut aliqui extra monasterium murmurabant. Responderunt omnes unanimiter, quia neque de conscientia, neque de consilio, neque de consensu eorum recessit : et si aliquas secum A litteras tulisset, eas asseruerunt furtivas. Proinde, Pater sancte, quia veritatem facti novimus, preces vobis fundimus, ut si forte seditionarius et transfuga ille, sicut quidam suspicantur, ad vos venerit, et religionem vestram mendacio circumvenire tentaverit, non credatis ei; nec sacras aures vestras mendacio polluat, et fictis corrumpere fallaciis attentet. De statu Ecclesiæ illius sciat sancta paternitas vestra, quia si quid in ea corrigendum vel in capite vel in membris erat, per Dei gratiam dedimus et dabimus operam, ut omnia corrigantur, spem habentes in Domino quod Ecclesia illa sub regularibus disciplinis incodat, terribilis ut castrorum acies ordinata. Litteras illas quas abbas et capitulum vobis miserunt, per Joannem clericum inspexi- B mus, et legimus et eis perhibemus testimonium veritatis.

301 EPISTOLA CXCVIII.

AD PAPAM.

Scribit de eodem monacho fugitivo, ne ab eo circumveniri se sinat.

Excellentior via quam demonstrat Apostolus, *non gaudet super iniquitate, congaudet veritati* (*I Cor.* 13). Ea, cui congaudet, sibi sufficiens in conspectu vestro, sancte Pater, nec venalem mendicat gloriam, nec venialem respuit interventum. In hujus fiducia veraciter vobis asserimus, quia monachus ille Sancti Martini Torn. (59) gyrovagus et transfuga, qui ad sedem vestram ausu temerario ve- C nire, et sanctam religionem vestram mendacio suo tentavit circumvenire, nec de conscientia fratrum ab eis recessit, nec de consilio eorum ut recederet processit. Sigillum quod secum detulit, aut furtim sustulit, aut reus Corneliæ de falsis (60), pseudosigillum sacrilegus transformavit. Hæc diligenter in capitulo a singulis requisivimus, et a singulis commune responsum accepimus, quia nec ejus noverant recessum, nec ejus approbabant excessum. Et quoniam nemini debet patrocinari dolus suus, ne falsitas 302 obruat veritatem, preces fundimus paternitati vestræ, ut damnosum illud chirographum, quo per falsas litteras, et falsum sigillum, falsus monachus Ecclesiam obligare voluit, si placet,

(58) Non facile genus illud deprehenderetur, nisi ipse nobis indicaret epist. 195, his verbis Tria sunt murmurantia super terram, et quartum quod facile non quiescit, communia rusticorum dominantium, cœtus feminarum litigantium, grex porcorum ad unius clamorem grunnientium, capitulum diversa vota sectantium.

(59) Hoc cœnobium a Normannis dirutum, Rabo episcopus Noviomensis ac Tornacensis anno 1191 tradidit Odoni cuidam Aurelianensi viro docto ac pio, qui illuc cum quatuor e suis scholaribus clericis religionis studio secessit; cumque ecclesiam ac monasterium reparassent, in eo canonicorum regularium institutum amplexi sunt, quod deinde reliquerunt, ut monasticam normam sectarentur. Hoc autem propositum eis suaserat Aimericus abbas Aquicinctiensis talibus argumentis ac verbis : « Cum juxta urbem habitetis, fratres vestri juniores a sæcularibus clericis sociis suis decepti ad sæculum reducuntur, quia unus vester et ipsorum D est habitus; si autem monachi essetis, postea de vestris nullum tentarent reducere, quoniam cum monachorum niger sit habitus, clericorum vero candidus, tanto horrori clerici habent habitum monachorum, ut quem semel viderint monachum, nunquam deinceps dignentur habere socium. » Ex hoc loco patet clericos et canonicos hac ætate albas vestes deferre consuevisse.

(60) Lucius Cornelius Sylla dictator et consul cum Q. Cæcilio Metello anno urbis 673 hanc legem promulgavit : « Qui nomine prætoris litteras falsas reddiderit, edictumque falsum proposuerit, de ejus capite quærito. Qui nummos aureos partim raserit, partim tinxerit vel finxerit, qui in aurum vitii quid indiderit, qui argenteos nummos adulterinos flaverit, qui cum posset non prohibuit, qui nummos stanneos, plumbeos emerit, vendiderit dolo malo, de ejus capite quærito, eique damnato, aqua et igni interdicito. »

damnetis, ne compellatur reddere quod non accepit, solvere quod non rapuit, approbare quod nescivit. Ecclesiam illam nobis et loco et affectu proximam, conversatione et opinione gaudemus, illæsam esse, nec quasi in incertum currere, nec quasi verberantem aera pugnare. Si quid in ea perfectioni deest, per Dei gratiam speramus quotidie meliora et viciniora saluti.

303 EPISTOLA CXCIX.

AD ABBATEM ET CONVENTUM S. GENOVEFÆ PARISIENSIS.

Docet quæ agenda erant in negotio quod versabatur inter eos et archidiaconum Parisiensem, pro capellano parochiæ S. Genovefæ in civitate.

Anxiatur in me spiritus meus, quoties aut tranquillitas vestra concutitur, aut unanimitas impeditur. Semper enim consuevi, nec ab hac consuetudine, Deo volente, desistam, et vobis congaudere gaudentibus, et flere cum flentibus. Quis enim separabit me a charitate vestra, quæ in Christo Jesu? tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? nam si paratus sum mori pro singulis, paratus sum, si necesse fuerit, et mori pro universis. In tribulatione quæ circumdedit vos pro capella beatæ virginis Genovefæ (61), pro qua etiam per charissimum fratrem nostrum ac vestrum R. consuluistis nos, certum dare consilium vobis non audeo, quoniam voluntates fratrum nostrorum semper diversas intelligo, et exitum rei, qui forte ex insidiis fortunæ pendet, nec ut propheta prævideo, nec somnio ut poeta. Si flagrante maleficio, quando juvenis archidiaconus capellam vestram violenter ingressus est, et fratrem vestrum presbyterum audaci manu et proxima sacrilegio aggressus, post appellationem ad dominum papam factam, ornamenta sacra diripuit et abstulit, et eumdem fratrem de capella violenter expulit, flebilem conquestionem istam ante pedes summi pontificis aliquis deposuisset, recte id actum fuisse credidissem. Nec vero quia spatio temporis res obtorpuit, et **304** archid. in quali possessione sese jactitat esse, si, ut audivimus, in arbitros compromittere voluerit, quos juris et æqui amatores credideritis, compromissum suscipite, ita tamen quod in civitate Paris. vel in proximo civitati loco, negotium non tractetur, ne multitudine molis suæ, tam in advocatis quam in prudentibus et potentibus viris, quibus non parum civitas abundat, nostra et vestra parvitas opprimatur. Quod si alium locum eligere noluerint, credo melius esse ut totum negotium ad summum pontificem referatur. Si autem,

A Deo volente, contigerit ut vos capellam vestram pacifice possitis habere, melius videtur vobis esse ut per honestos fratres de collegio vestro eam gubernetis, quam aliquem ibi sæcularem personam instituatis.

305 EPISTOLA CC.

AD REMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Rogat ut ecclesiam de Bredenai (62) monachis denuo reddi curet, ut ibi divinum persolvant officium.

Accessimus ad ecclesiam de Bredenai, causa nostræ synodi celebrandæ; et occurrit prima facie grande miraculum nobis, triste spectaculum nostris, ridiculum alienis. Didicimus a vicinis quod in ecclesia solebat monasticus ordo sub duodenario fratrum numero conventualiter observari, divinum

B celebrari regulariter officium; pauperes alimoniam, peregrini hospitium, solatium infirmi reportabant. Et ecce in contrarium versa sunt omnia, diruta sunt ædificia, silent officia divina, dum non sit ibi vel unus monachus qui celebret ea. Redactus est locus in solitudinem, factus sicut umbraculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario; possessiones amplæ, et decimæ uberes, quibus alebantur monachi, partim distractæ sunt; sub hypotheca dominio premuntur alieno. Verumtamen presbytero commissa est illa misera et ancillata ecclesia, cum ibi deberet prior esse et aliis monachis præesse. Plangunt et dolent parochiani, de quorum donis et prædecessorum oblationibus ecclesia illa dotata fuit et ditata; plangunt et clamant in auribus Domini

C Sabaoth, et ultionem a Deo et correctionem a vobis in suspiriis et singultibus et expetunt et exspectant. Hæc attendentes, et tacti dolore cordis intrinsecus, consilio prudentium virorum qui nobiscum aderant, ad correptionem et correctionem, zelo domus Dei comedente, nos accingimur, sub interdicto concludentes illam desolatam et lacrymabilem ecclesiam, **306** et prohibentes ne divina ibi celebrentur officia, et ne parochiani decimas vel oblationes, aut alios aliquos parochiales proventus reddant, quousque consuetus monachorum numerus deducatur ad locum, et prior ibi instituatur qui aliis præesse debeat et prodesse. Verumtamen ad preces V. presbyteri et virorum qui nobiscum aderant, sententiam datam usque ad octavas Epi-

D phaniæ suspendimus et distulimus observari.

EPISTOLA CCI.

AD EUMDEM.

Scribit se præbendam cuidam clerico, in Ecclesia Tornacensi, ejus mandato collaturum.

Absit, Pater, ab anima mea, ut in aliquo appa-

(61) Sita est in civitate Parisiensi juxta ecclesiam B. Mariæ. eaque nunc ecclesia parochialis existit, vulgo *Sainte Geneviefve des Ardens*. Erat autem a primæva fundatione capella quædam B. Mariæ parvæ dicta, quæ ad perennem memoriam insignis illius miraculi quo igne sacro laborantes, per merita B. Genovefæ anno 1130 sanati sunt : sub hujus virginis auspiciis a clero et populo Parisiensi fuit dicata, et canonicis suæ Ecclesiæ traditis, quam rexerunt usque ad annum 1202, quo eam episcopo et capitulo Parisiensi cesserunt pro ecclesia S. Eligii de Roissiaco, quam in compensationem ab ipsis Parisiensibus San-Genovefæi canonici acceperunt. Vocatur autem capella in diplomatibus Alexandri III, Lucii, Clementis et Cœlestini, his verbis : « Capellæ vestræ, videlicet capella de monte S. Medardi, S. Genovefa de civitate, earumque capellani, in eadem libertate permaneant, quam tempore clericorum habuerunt, et nunc habere noscuntur. »

(62) Bredenay *alias* Brandenay, est prioratus conventualis ordinis Benedictini, in diœcesi Tornacensi situs.

ream vel beneficiis vestris ingratus, vel benevolentiæ indevotus. Hæc sunt duo simulacra quæ abominor, duo idola quæ detestor. Si aliqui forte (quod absit!) aliud vobis sibilaverint, aut voluntatis meæ malevoli sunt interpretes, aut maledici detractores. Quod enim de conferenda vel transferenda donatione præbendæ a Tornacensis domino Bonifacio in L. clericum vestrum dubitare visus sum, coegit me auctoritas primi mandati vestri, novitas secundi, reverentia promissi frangendi. Nunc vero plenius intellecta voluntate vestra paratus sum facere quod mandastis, sine simulatione liberaliter, sine dissimulatione libenter. Veniat prædictus L. quando voluerit, volentes nos inveniet, quando venerit.

307 EPISTOLA CCII.

AD QUEMDAM ABBATEM.

Respondet quæstioni de matrimonio cujusdam novitii, qui dimisso habitu illud contraxerat, quod validum esse censet.

Quæsistis a nobis quod a vobis quæri debuerat. Consuetudinem ordinis vestri nescimus, verba beati Benedicti et legimus et tenemus. « Si quis, inquit, infra annum probationis exire voluerit, liber exeat cum rebus suis. » Qui ingredientem liberum dixit, egresso matrimonium non interdixit. Et quoniam præsentium lator B. ex probatorio tirocinio pedem traxit, ex prohibitorio cauterio a Christiana societate separari non meruit. Quantum ad solatium infirmitatis humanæ, matrimonium est quod contraxit, quantum ad fastigium societatis vestræ, a perfectione deviavit. Credimus et dicimus in tali conjugali copula matrimonium esse. Videritis vos si ex tali absentia res ejus debeatis secura conscientia retinere.

EPISTOLA CCIII.

AD CŒLESTINUM PAPAM.

Commendat G. in abbatem Corbeiensem (63) *electum, ejusque prudentiam et pietatem extollit.*

Quanquam, Pater, in conspectu vestro inter regalium et pontificalium epularum affluentiam, preces nostræ tanquam stilla situlæ modicum obtineat locum, tamen intercedere nos pro aliis et necessitas **308** urget, et charitas persuadet. Ecclesia Corbeiensis multis et magnis attrita et afflicta laboribus, nunc tandem, ut credimus, respirare cœpit, si sancta paternitas vestra ei gratiam suam exhibeat et benevolentiam impendat. Habent in ea abbatem dominum G. qui in ea possessiones possit revocare perditas, et non perdere revocatas. Prudens est et industrius, et qui tanto oneri, sicut credimus, et honori. Rogamus sanctam paternitatem vestram, si placet, ut prædicto viro bonæ opinionis inter suos, et qui utilis est Ecclesiæ suæ et fidelis, vestram plenius gratiam impendatis.

EPISTOLA CCIV.

AD BERTERUM ABBATEM S. EVURTII AURELIANENSIS.

Eum infirmitate gravatum consolatur.

Audita chronica ægritudine vestra, et cum dolente dolemus, et compatimur patienti. Sanet vos salutis Auctor, qui sanat contritos corde, qui salvat sperantes in se, qui operatus est salutem in medio terræ. Desiderio desiderassemus hoc Pascha manducare vobiscum, et lactucas agrestes tristitiæ nostræ paschalis agni carnibus apud vos temperare et condire. Prohibet hoc necessitas temporis, causa necessitatis, importabile jugum, quod impositum est humeris nostris. Speramus in Domino, quia cito liberabimur ab hac plaga, quamvis tantorum cicatrices vulnerum non subito deleantur. Reddita nobis prosperitate per Dei gratiam, quantocitius potuerimus, visitabimus vos et **309** fratres nostros, ut communi simul fruamur colloquio, gaudeamus consortio, et solatio delectemur. Salutate fratres nostros et in universis singulos, et in singulis universos.

EPISTOLA CCV.

AD JOANNEM ABBATEM ET CAPITULUM S. GENOVEFÆ PARISIENSIS.

Hortatur canonicos S. Genovefæ, ut in omnibus sese perfectos exhibeant.

Positus in extremis finibus terræ, et extremis finibus vitæ, cum jucunditate recordor honestæ conversationis vestræ, societatis individuæ, humilitatis devotæ. Aliquos ex vobis in Christo genui, alios adultos inveni, utrosque colui et dilexi, neutros sine necessitatis articulo offendi. In sudore vultus mei et angustiæ spiritus per xv et amplius in Ecclesia nostra pariter et vestra annos fideliter laboravi, et, si dixerim, feliciter non peccavi, per Dei gratiam, neque aera verberans, neque in incertum currens. Judicate vos ipsi ne forte aliquis murmurans in angulo dicat mihi : *Testimonium tuum non est verum* (*Joan.* VIII). Interim, fratres et filii, moneo senex, et hortor et ego senes, ut præparent se ad finem vitæ, juvenes ad observantiam regularis disciplinæ, adolescentes ad custodiam subjectionis et verecundiæ, omnes ad unitatem dilectionis fraternæ, et charissimo filio nostro abbati vestro per omnia plenam obedientiam exhibere. Per Dei misericordiam in omni successu temporalium abundamus, proventum et fructum spiritualium vestris orationibus exspectantes. Salutant vos, charissimi filii mei, fratres vestri, Marcellus et Girardus juvenes honestate præcipui, **310** humilitate præclari in servitio meo et vestro solliciti et strenui, frequentes in consiliis nostris, in negotiis, in sacramentis. Paratus est animus, si parata fuerit manus, negotiis Ecclesiæ vestræ opportuno tempore et loco occurrere, et succurrere et servire.

(63) Electus est Girardus abbas S. Cornelii Compendiensis in abbatem Corbeiensem, anno 1194.

EPISTOLA CCVI.

AD ABBATEM SANCTI BERTINI.

Ab eo petit equum suo usui commodum.

Amicitiarum fœdera nascuntur colloquiis, firmantur consiliis, beneficiis convalescunt. Currant inter nos hæc veneranda commercia, et alternis obsequiis mutuo nutriantur. In hujus spei reliquiis dilectionem vestram rogamus, ut mittatis nobis palefridum unum, qui visu non paveat, gradu non cæspitet, motu non concutiat senem, aspectu delectet amicum, ascensu deceat sacerdotem. Si de retributione cogitetis, occurrent, Deo volente, loca et tempora, quibus hoc beneficium convenienter poterimus compensare.

EPISTOLA CCVII.

AD REMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Agit de contentionibus inter monachos S. Amandi (64) *et eorum abbatem, quem commendat.*

De mandato vestro, Pater, accessimus ad Sanctum Amandum, ubi invenimus monachos non amandos. Seditiosi erant; in seditione morantur, et forte in seditione morientur. Nihil objicere poterant abbati **311** suo, nisi quia cum litteratus, sobrius, castus, quietus ac frugi, magis parcitati quam prodigalitati sit proximus, in observantia monastici ordinis, ut dicunt, minus sit peritus, tanquam qui in loquela digitorum (65) nesciat exprimere fabam, caseum, vel ova; vel in talibus errantes corripere, vel corrigere, vel negligat, vel contemnat. Quosdam eorum, qui totius erant capita conspirationis, separare voluimus a collegio illo ad tempus, sub excommunicationis cauterio prohibentes ne a monasteriis ad quæ destinavimus eos, sine licentia nostra et abbatis sui vel exsilire præsumerent, vel exire. Inobedientes exstiterunt nobis, sed inobedientiæ ejus maculam purgavit interventus abbatis Aquiscinti (66), et domini Philippi vicedomini vestri (67), ut absolvantur alieno me-
A rito, qui suo meruerunt excommunicari delicto. Super his omnibus consideret sancta paternitas vestra quid expedire debeat sancto monasterio, quid non sanctos monachos impedire. Honestum ac litteratum, et præter senectutis debilitatisque incommodum, sicut credimus, irreprehensibilem invenimus abbatem non minus malitiæ propriæ expertem, quam expertum malitiam alienam.

312 EPISTOLA CCVIII

AD MAGISTRUM BERTERUM CAMERACENSEM ARCHIDIACONUM.

Ipsum arguit quod famæ suæ temere detrahat, seriemque vitæ suæ exponit.

Si vera sunt quæ dicuntur, absenti detrahis, innocentem accusas, episcopum novum eumdemque
B veterem amicum sine causa laceras, reprehendis, condemnas. Dicis me, ut cætera taceam, pontificali cathedræ nescire conformare. Doce me, obsecro, quæ sit illa cathedralis forma, quam depingis, ut ei, si non informis fuerit, me conformem. Civitatem raro egredior, regulares **313** horas cum aliis, quantum licet, frequento. Secundum gratiam mihi collatam verbum Dei parochianis meis annuntio. Contra novam hæresim (68), cæteraque monstra id genus, pro posse meo declamans, tanquam ad bestias depugno. Sacramenta quæ gratis accepi, gratis impertior. Pravitatem Simonis, Giezi lepram, modis omnibus abhorreo, detestor, anathematizo. Manus meas, et si non ab omni munere, ab illicito semper excutio. Venientibus ad me in confessione
C consilium, in pœnitentia remedium, in tribulatione solatium, quantum Dominus permittit, exhibeo. Horis vacuis et a foro feriatis in loco ad hæc idoneo sacræ Scripturæ intendo, legens et ruminans, quæ post lectionem decoquo, et ad memoriæ cellulam trajicio. Honestis hospitibus libenter occurro, liberaliter accurro. In mensa nec solitarius, nec obscurus esse volo, in qua facilius est ut superflui-

(64) Insigne monasterium ac opulentissimum S. Amandi sub Regula S. Benedicti, situm est in diœcesi Tornacensi, et fundatum a Dagoberto rege ob merita sancti Amandi qui, ut legitur in charta fundationis, filium suum Sigebertum baptizaverat.

(65) Ita strictum observabant silentium monachi, ut ne quidem necessaria ore proferre liceret, sed debebant nutibus et digitorum signis mentem suam exprimere; quod etiam receptum fuit apud antiquos congregrationis Victorinæ canonicos, ut colligitur ex libro constitutionum earum, qui vocatur *Liber ordinis*, in quo caput est quod inscribitur *De signis ordinis*, quibus scilicet exprimebant ea quæ alteri nota esse cupiebant.

(66) Abbatia Aquiscinctiensis, vulgo *Anchin*, ordinis Benedictini in diœcesi Atrebatensi, quæ condita est, anno 1079, a duobus militibus, ut legitur in charta Gerardi episcopi Cameracensis his verbis: « Duo milites parochiani nostri, genere et divitiis præclari, Walterus scilicet et Suherus, mundanæ militiæ cingulum deponentes, omnem hujusmodi proprietatem contemnentes, theoreticam vitam sequi spoponderunt, seque et sua Deo dedentes, ipsi solum in perpetuum deservire promiserunt, » etc. Nominatur autem Aquiscinctus, quod sita est in insula fluvii Scarpæ aquis undique cincta.

(67) In iis urbibus in quibus olim episcopi habebant dominium et justitiam temporalem, quam per se exercere non poterant, constituebant quasdam nobiles laicos, quibus demandabant curam eorum quæ juris sui et dominii sæcularis erant, ut vices eorum supplerent, quos ideo vicedominos vulgo *Vidames* appellarunt, ut videre est Remis, Catalauni, Ambiani, Carnuti, et alibi passim. Gregorius Tur. (lib. IX, epist. 66), ait: « Volumus ut memo-
D ratus frater noster Paschasius et vicedominum sibi ordinet et majorem domus, quatenus possit vel hospitibus venientibus, vel causis quæ eveniunt idoneus et paratus esse. » Et concilium Moguntinum (can. 50): « Omnibus episcopis, abbatibus, cunctoque clero omnino præcipimus, ut vicedominos præpositos bonos habeant. »

(68) Intelligit forte hæresim Valdensium, Cotarellorum et Albigensium, de quibus supra disseruimus, vel eam de qua hæc habet Genebrardus, post Guillelmum Nangiacum, et Vincentium Belvacensem, anno 1183. « Multi hæretici combusti sunt in Flandria jussu Philippi Flandrensium comitis et Guillelmi Remensis archiepiscopi, sedis apostolicæ legati. Illi dicebant omnia æterna a Deo, corpus autem hominis et temporalia a Luciabelo creata esse, baptismum parvulorum et eucharistiam reprobabant. »

tatem accuset natura, quam curiositas esuriem. A Histrionibus et scurris patrimonium Christi non dispergo. Hæc exterius. Occultorum autem cognitor est, scrutans corda et renes Deus, qui actibus nostris exhibiturus est se verum judicem, vindicemque severum. Rogo si hæc ad cathedralem formam pertinent, non irrideas. In aliis quæ desunt potens est Deus augere mihi gratiam suam, et qui dedit initium, pro beneplacito suo daturus est incrementum. Si diligeres sincerius, deberes et monuisse secretius, et suasisse suavius, et securius increpasse. Nunc autem dilectionis abjecta verecundia, posuisti amicum quasi signum ad sagittam, diffamans eum in omni loco, in omni aure, et furno, ut aiunt, et molendino, spectaculum suis, ridiculum alienis. B Parce, obsecro, verecundiæ meæ, parce honestati tuæ, parce utriusque famæ, ut, si contigerit nos aliquando invicem videre et videri, favorabilius alter alterum **314** vel notabilem condemnet, vel excusabilem commendet.

EPISTOLA CCIX.

AD HUGONEM DECANUM ET PETR. CANTOREM PARISIENSES (69).

Rogat eos ut causam tueantur amici sui.

Fautores juris et æquitatis amatores, in Ecclesia Dei esse vos et Deus novit, et homines non ignorant. Si quis aliud de vobis æstimaverit, in communem peccat opinionem; socius eorum factus quibus voluntarie peccantibus non relinquitur hostia. In C hujus spei fiducia gaudemus super negotio fratris nostri pro Ecclesia de Nes. tales ac tantos promeruisse judices, quos nec astutia fallat, nec pervertat malitia, nec cupiditas inquinet. Constat omnibus de facto, jus est in expedito, narrationem plenam et planam continet apostolica pagina, tamen, ut qui sedent sedeant, et summi pontificis exsequantur mandatum; pro visceribus nostris dicto fratre nostro supplicamus vobis, ut quos in fide et veritate experti sumus donatores obliquos, in justitia et æquitate nunc tandem executores stabiles oporiamur, et rectos. Securus et confidens **315** tam de justitia sua, quam de benevolentia vestra accedit ad vos prædictus S. Deus autem meus faciat vos ei placabiles, et remittat eum ad nos cum fructuoso D reditu, non cum gemitu luctuoso. Suscipite veterem, non inveteratum, amicum vestrum, in precibus suis justis; et qui præsentem dilexistis, non abjiciatis absentem.

EPISTOLA CCX.

AD DOMINUM REMENSEM.

Ejus expetit gratiam pro decano Tornacensi.

Ruri habitans inter Faunos ficarios (70), Panasque silvanos, sepultis paulisper sacramentalibus officiis, interdum procidens ad pedes Domini Jesu, peccata mea flebiliter plango, interdum revolans ad caput ejus, beneficia Dei recolo fideliter et retracto. In medio non est locus remedio, quoniam si domesticas sollicitudines attendam, reddunt me confusum; si negligam, desolatum. Interim timens obrui lapidibus increpationis vestræ, si precibus importunis pro alio bestialiter fusis, montem (71) celsitudinis vestræ tetigero, verecunda tamen præsumptionis audacia, pro decano Ecclesiæ nostræ innocente et simplici viro supplico, quem ad sacerdotii gradum commonendo, ut aiunt, et comminando citastis. Indulgeat ei benignitas vestra, si placet, aliquas inducias quibus se probet homo, ut sic de pane illo salubriter edat et de calice bibat, et qui a vobis utiliter est præmonitus, humiliter vobis obediat præmunitus. Nostis simplicitatem hominis; et, ut verum fatear, verendum est ne sacerdos elementarius in primis aliquando barbarismum faciens, proferat ibi pro vocali mutam, ubi aliquem qui barbarie vixerit, celebrare volentem magis expedit esse mutum quam vocalem. Admittat pietas vestra, pater, preces nostras intra sacrarium exauditionis, ut is pro quo porriguntur, sese recepisse gaudeat a vobis oleum pro cinere, gaudium pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris.

316 EPISTOLA CCXI.

AD JOANNEM ABBATEM S. GENOVEFÆ,

Eum invitat ut adsit dedicationi capellæ quam exstruxerat.

Inter alia divinæ gratiæ beneficia nobis a Deo concessa plurimum gloriamur in Domino, quia promotionis tuæ, frater charissime, cooperatores exstitimus et ministri, et in recessu nostro talem nobis reliquisse meruimus successorem. Hilarem de te et de fratribus nostris famam frequenter audimus, succrescere et augeri referentibus eis qui ad nos transeunt, quia et persona tua sit utilis Ecclesiæ, et Ecclesia tuæ sit coaptabilis personæ. Gratanter amplectimur hanc pacem, gratulanter ambimus hanc concordiam socialem, commendamus honestatem tuam, laudamus sobrietatem, parcimoniam approbamus et in exterioribus prudentiam, et in

(69) Hugoni scilicet, cognomine Clementi, de cujus electione in decanum Parisiensem egimus, ac etiam de Petro Cantore.

(70) Pan et Fauni dii sunt rurales et silvestres : dicti sunt autem Fauni ficarii, quod ficis vesci, vel quod circa ficus morari crederentur. Legitur Jeremiæ, L : *Habitabunt dracones cum faunis ficariis, et habitabunt in ea struthiones.* Isaïas etiam hoc idem repetit licet aliis verbis; *Replebuntur domus eorum draconibus, et habitabunt ibi struthiones, et pilosi saltabunt ibi* (*Isai.* XIII). Pilosi autem illi, sunt Fauni et Satyri, qui superiorem partem gerebant hominis, inferiorem vero belluæ. Ejusmodi monstrum vidisse sanctum Antonium, eumque fuisse allocutum testatur B. Hieronymus. Isidorus, lib. VIII *Etym.*, de illis ait: « Quem vulgo incubonem vocant, hunc Romani faunum ficarium dicunt. »

(71) Alludit ad illum locum ubi Moyse in monte Sinai ad accipiendam legem commorante, illud jubebatur : *Quæcunque bestia montem contigerit, lapidibus obruatur* (*Exod.* XIX).

interioribus disciplinam. Et quoniam te nobiscum A gaudere volumus, sicut et nos tibi ac fratribus nostris in prosperis congaudemus, rogamus, et exhortamur in Domino, ut in vigilia sanctæ **317** Pentecostes copiam tui nobis Tornaci facias, quoniam, Deo volente, sequenti a festo tertia feria proposuimus dedicare capellam nostram novam (72), non minus gloriosam materia quam gratiosam forma. Delectabiliter accurrent tibi et aliis tecum intuentibus pari decore et æmulatione sancta contendentes in singulis fenestris vitreis, Evurtius et Genovefa (73). Duplicare decet nos tecum paraclysim nostram (74), tum ex solemnitate et gustu Spiritus sancti, tum ex jucunditate et fructu ædificioli nostri. Desideramus te in hujus theatri spectaculo habere et sollicitudinis participem, et gaudiorum consortem. Vale, veni, et vide.

EPISTOLA CCXII.

AD EPISCOPUM MORINENSEM.

Eum etiam invitat, ut suæ capellæ dedicationi adesse dignetur.

Ad honorem Dei et confusionem communiæ murmurantis habemus de domo nostra liberum et securum ingressum, liberum contra turbas et turbines; securum contra nocturnos timores. Ereximus arcum **318** triumphalem (75), victoria nobis de cœlo collata, circumduximus vias patulas transeuntibus, superædificantes in aere capellam novam, tam gloriosam materia quam gratiosam forma. Rogat nos amicus vester, vetus dicere debeam an vetulus, nescio, non tamen dixerim inveteratus, ut, si fieri potest, ad dedicandam capellam nostram per manum vestram tertia feria Pentecostes, gratam præsentiam vestram nobis exhibeatis, ut pariter duplici gaudio paradisi congaudeamus, et festivo adventu Spiritus sancti, et jucundo introitu oratorii novi. Felix erit dies, quia parva tuguria nostra hospes magnus implebitis. In arcu supradicto, qui sacris parietibus cohæret, quidam nostrum versiculos depinxerat (76) ne transeuntes sordibus inquinent honestum locum, quorum aliquos vobis transmittimus, ne sine risu aut jocoso ludicro claudatur epistola.

EPISTOLA CCXIII.

AD JOANNEM ABBATEM S. GENOVEFÆ.

Se excusat quod solemnitati hujus dedicationis interesse præ negotiis non valeat.

Cum ad precum vestrarum instantiam die constituto consecrationi capellæ vestræ nos proposuissemus præsentare, quoniam nulla est sincera voluptas, **319** sollicitum aliquid interveniens quod et propositum mutavit, et domui nostræ periculum imminere significavit. Quia vero mora ad se trahebat periculum, et eventus rei festinare jubebat, auxilio Dei fretus, et de suffragiis fratrum confisus, trementi, quantum tenuitas nostræ animositatis permissa est, me totis viribus opposui, et sic Phinees percutiente, cessavit quassatio. Quapropter B paternitatem vestram imploramus, ne graviter feratis, sed patienter sustineatis quod ad præfixam diem venire non potuimus : tantæ enim necessitatis occasio sine postulatione veniam promeretur. De nobis autem scire debetis quod ad id parati sumus quod utilitati vestræ necessarium, et honori idoneum esse cognoverimus, quod quoties vobis expedierit, exhibitio operis probabit. Valete in pace.

EPISTOLA CCXIV.

AD GUILLELMUM REMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Rationem reddit de quibusdam falsariis qui bullas adulterabant.

Ad vestrum consilium, Pater, in dubiis, ad auxilium recurrimus in adversis. In primo tertium, in secundo quartum (77) sacri septenarii Spiritum po-
C stulamus. De mandato vestro falsarios quosdam cautela et arte, non potentia, ad confitendum induximus, promissa impunitate, quantum nobis licebit, uni eorum, qui adulterinæ bullæ superiorem et inferiorem molam (78) nobis in capitulo restituit. Terribili adjuratione et devotione confessus est sese nunquam ea usum fuisse, sed cujusdam presbyteri, qui falsas litteras vendebat, socius erat, et partem infausti pretii quandoque recipiebat. **320** Volumen etiam pugillare nobis reddidit, in quo plures litteræ sub apostolico nomine continentur. Presbyter ille beneficium habet a capitulo annexum servitio majoris altaris. Quis sit et qualis sit, qualiter etiam se excusare possit, lator præsentium dicere vobis potest. Servamus vobis incudes adulterinas, quarum adul-

(72) Construi fecit capellam novam in palatio episcopali in honorem S. Vincentii anno 1198, in eaque instituit capellanum, qui missam singulis diebus pro defunctis episcopis Tornacensibus celebraret, cum collecta pro præsule tunc in eadem cathedra sedente.

(73) Duo ipsius patroni et tutelares, erga quos singulari pietate afficiebantur, quod in ipsorum monasteriis abbatis dignitate potitus fuisset. Unde ut magis ac magis gratum suum testaretur animum, eorum solemnia in ipsa cathedrali Tornacensi sub ritu duplici 9 lectionum in perpetuum celebrari curavit, certis redditibus ad hoc ascriptis.

(74) Sumit hoc loco paraclysim pro consolatione, sicut paracletus dicitur consolator.

(75) Capellam in palatio episcopali erexit et exstruxit Stephanus noster Tornacensis super forni-
D cem excelsam in similitudinem arcus triumphalis, quæ etiam nunc exstat. Ad ejus consecrationem vocavit per hanc epistolam episcopum Morinensem, cujus episcopatus urbe diruta Boloniam translatus est, ut diximus.

(76) Eos duximus hic omittendos, ut minus graves et honestos, licet habeantur in fine epistolæ 219 primæ editionis.

(77) Intelligit hoc de septem donis Spiritus sancti, de quibus Isaias, cap. XI : *Spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, spiritus timoris Domini.* Petit ergo in dubiis tertium donum, quod est *consilium*, et in adversis quartum, quod est *fortitudo*.

(78) Idem est ac illud quod dicit inferius incudes adulterinas; sunt autem instrumenta ad monetam vel sigilla fabricanda.

teria et auctoritatis vestræ condemnentur judicio, et malleo constringantur.

EPISTOLA CCXV.

AD ABBATEM DE LAUDE (79).

Petit ut benignum se præbeat erga quemdam fratrem Guillelmum, qui deliquerat.

Commendanda est paterna severitas, quæ materno temperatur affectu, et post verbera porrigit ubera: quæ, cum irata fuerit, misericordiæ recordatur. Ludus est animæ non minus utilis quam honestus, cum in theatro virtutum, sub angelorum spectaculo, duas ipsius potentias, concupiscentiam et iram, media ratio sic recto dirigit cursu, ut nec ira ferveat in immensum, nec desiderium longius a pietate recedat. Hæc attendentes, sanctam religionem vestram rogamus, ut fratri Willermo, quem vobis et Ecclesiæ vestræ **321** credimus utilem, paternæ mansuetudinis aperiatis sinum, et si percutitis in virga, spiritum lenitatis nolite exstinguere. Paratus est ab his quæ sunt superflua, cessare, declinare inhibita, promissa sectari, vobis obedire ut Patri, dum tamen in sacro collegio vestro liceat ei vobiscum morari, vobiscum mori. Suscipite preces nostras, ne repulsam patiamur in hac petitiuncula nostra, qui vobis semper parati sumus et offerre obsequium, et reverentiam deferre.

EPISTOLA CCXVI.

AD EPISCOPUM LEXOVIENSEM (80).

Hortatur amicum, ut suæ et subditorum saluti consulat.

In translatione tua de Lexovio ad civitatem Heliopoleos, incertum est mihi, utrum gaudere debeam, aut dolere. Si principia dictionum attendas, translatus est a planeta Cyprio (81) ad solem, ab obscuris ad lucem, a lubricis motibus ad splendoris soliditatem. Placeret hæc mutatio, si nostrum abinvicem remotio non obesset. Id obsecro, ut in hoc transitu tuo caveas, ne sicuti aliquando mihi jocose dixisti de quibusdam illarum partium accolis, errare incipias, in compoto, et circa Pascha velis **322** celebrare Pentecosten. Credo quod si aliquando in errorem illum incideris, factus est socius illorum, quibus dicit Apostolus, *sed abluti estis, sed sanctificati estis* (*I Cor.* VI). Quid enim aliud de archidiacono præsumendum, nisi quod primo de sua, secundo sollicitus sit de salute subditorum? Inter curiæ curas et jocosas post laborem sodalium confabulationes, sic te volo esse medium, ut nec illæ gravi onere te deprimant, nec istæ te molli otio dissolvant. Qui scholaribus amabilis eras, curialibus admirabilis esto. Curiales non a cruore dixerimus, sed a curia, ubi nonnunquam nugæ pro seriis, seria pro nugis habentur; ubi raro quispiam vult habere parem, superiorem nunquam. [Memento illius distychos quod poetico potius quam prophetico, sed tamen veridico spiritu, in recessu tuo Bononiensi dictum est tibi a quodam:

Pontificum causas, regumque negotia tractes,
Quæ tibi divitias, deliciasque parant.]

Saluta mihi tuum episcopum, legatum, cancellarium, et frequenter admone, ut sub hac promotione trina, servum Trinitatis se agnoscat, et sic præesse discat hominibus, ut Creatori suo se confiteatur subesse. Dilige eum, quia diligit te, quamvis propter se diligendum et hilaritas famæ prædicet, et sublimitas vitæ commendet.

323 EPISTOLA CCXVII.

AD ABBATEM ET CAPITULUM CISTERCIENSE.

Agit de quodam clerico, quem purgat a fœnore usurarum.

In eis quæ honeste petuntur, et turpiter retinentur, juvanda est intentio postulantis. Inspecta ergo autem et cognita origine contractus, qui inter Ecclesiam de Claromar (82) et G. Insulen. clericum nostrum intercessit, non videtur nobis incurrere crimen usurarum, cum etiam inter Ecclesias et honestas personas, sicut sæpe vidimus, non fuerit usurarius. Accedit magis ad emptionem et venditionem tanquam qui jactum retis emerit, quam ad contagium fœneraticii lucri, quod nos vobiscum pariter detestamur. Proinde sanctam paternitatem vestram rogamus, ut in hac parte provideatis indemnitati clerici nostri, et tam sacri collegii virorum verecundiæ parcatis, ne in hoc facto magis de cupiditate possit argui, quam de charitate laudari.

324 EPISTOLA CCXVIII.

AD ODONEM PARISIENSEM EPISCOPUM.

Pro Th. archidiacono Tornacensi.

Confidentiam nobis præstat interpellandi benevolentiam vestram, et nobilitas generis vestri, et honestas vitæ, vel auctoritas dignitatis. Favorem hominum et gratiam Dei conciliant in vobis tria hæc.

(79) Abbatia de Laude B. Mariæ primo ab urbe Insulensi lapide in diœcesi Tornacensi sita est, ordini Cisterciensi addicta, quam fundavit Theodoricus Flandriæ comes cum Sibilla Andegavensi uxore sua anno 1146. Abbas autem ille ad quem scribit, vocabatur Simon, tertius hujus monasterii cœnobiarcha, qui in Palæstinam cum Philippo Flandriæ comite profectus est; obiitque anno circiter 1200, cujus epigraphen sepulchralem accipe:

Abbas sum Simon, qui gliscens visere Sion,
Jerusalem nigro comiti famulando Philippo,
Annis præsedi viginti pastor et uno.

(80) Jordanus du Hommel, anno 1197, ut habetur in *Chronico Normannico*, in episcopum Lexoviensem fuit inauguratus. Ecclesiæ suæ cathedralis perfecit ædificium, eamque ditavit opibus et prædiis; dum ad expeditionem Hierosolymitanam pergens, Heliopoleos Syriæ episcopus creatus, ibidem obiit anno 1214. Anniversarius ejus obitus dies celebratur quotannis apud S. Victorem Parisiis XIX Kal. Febru., vocaturque in hujus domus *Necrologio*, frater noster, unde colligi potest eum fuisse canonicum regularem.

(81) Hoc est venerio, ab antiquis sic dicta, quod in ea insula potissimum coleretur.

(82) Clarus Mariscus, vulgo *Clermarez*, abbatia est ordinis Cisterciensis in Artesia, condita a Theodorico Flandriæ comite in honorem B. Mariæ, suadente S. Bernardo anno 1140. Scribit autem abbati et capitulo Cisterciensi, qui recusabant ratum habere quemdam contractum quem usurarium arbitrabantur, asseritque nullum illiciti fenoris pactum intervenisse.

His tribus compellimur et a vobis quod decet petere, et quod nobis expedit postulare. Familiaris et amicus noster bonæ indolis ad præsens, et magnæ in posterum spei, honesta conversatione sua reliquias nobis significans, Th. Tornacensis archidiaconus liberalitate sociali benevola simul et benefica pro quodam socio suo fidejussor exstitit cuidam parochiano vestro, Renaldo campsori, in decem libras Parisiensibus, et in civiles insuper accessiones, quas imperitus juris et peritus pariter usuras appellant. Sortem solvit, et quod sorti accesserat usque ad quindecim libras. Prædictus creditor accepto tulit solutionem, et archidiaconum a fidejussione absolvit, promittens ei sese libros suos, qui pro prædicto debito obligati erant, in continenti redditurum. Distulit reddere, et in corde et corde locutus, differre convertere nititur in auferre. Rogamus paternitatem vestram ut tantam exactoris improbitatem auctoritate vestra comprimatis, corrigatis. Facite, sicut decet vos, archidiacono restitui libros suos, ne compellatur solvere quod non rapuit; quoniam testes idoneos et sufficientes habet et accepto latæ a creditore solutionis, et ab eodem prolatæ absolutionis. Restitutione librorum facta, paratus est archidiaconus in præsentia vestra per se vel per sufficientem procuratorem parere juri, et respondere sicut jus dictaverit improbo creditori.

325 EPISTOLA CCXIX.

AD EVOREDUM ABBATEM (83) ET CONVENTUM S. BAVONIS.

Commendat quemdam artificem, cujus filius habitum monasticum postulabat.

Favorabilis est petitio ejus, cum ad promotionem conveniunt hinc petitoris meritum, hinc justitia petitorum. Hæc attendentes, in latore præsentium amico et familiari nostro G. cujus propter honestatem et mansuetudinem quibus præeminet, non solum apud nos, sed et in locis publicis et Ecclesiis ex magnificis operibus et insignibus artificiis merita vigent, et in perpetuum sui memoriam derelinquunt. Ejus favorem desiderii ab ipso nobis expositi affectuose suscepimus, ut illud ad effectum perduci cum ipso pariter peroptemus. Exemplo monitus patriarchæ filium quondam suum super unum montium quem monstravit ei Dominus, Ecclesiam scilicet vestram sanctam præconcordem voluntatum et spirituum, et sanctarum gratiarum abundantem, vere montem coagulatum et pinguem, et desiderat immolari, ut eidem accrescat meritum ex mutatione tanti exempli, et universitas vestra tam ipsius, quam prædicti filii in quotidiano servitio fructum colligat holocausti. Audivimus et probavimus eum tam ex litterarum scientia, quæ ejus ætati competit, quam ex legendi gratia, et cantandi, satis aptum et divinis officiis, et monachalibus disciplinis pronum. Sanctitatem vestram affectuose rogamus, ut pro amore Dei, et nostro intuitu, et dilectionis ac devotionis quam prædictus magister G. erga vos habet, præfatum filium suum recipiatis in consortium vestrum, ut tam nos quam ipse ex admissis
326 precibus nostris, et ejus voto completo, in gratiarum actione nos pariter assurgamus.

EPISTOLA CCXX.

AD PETRUM AURELIANENSEM EPISCOPUM.

Conqueritur de monachis S. Bertini, qui eum in arbitrum elegerant.

Quorumdam monachorum nos infestat improbitas, quibus cum incessanter sufficere debeant sua, irreverenter invadere cupiunt aliena. Hi sunt abbas et monachi S. Bertini, qui unam Ecclesiam de mensa nostra propriam, longo tempore captivitate laicalis servitutis detentam et oppressam, sine consensu nostro et Ecclesiæ nostræ nobis contradicentibus sese asserunt redemisse, et auctoritate sua garriunt suam esse. Mota super hæc a nobis adversus eos quæstione compromisimus in arbitros centum marcarum pœna interposita, si quis resilire tentaverit a receptis. Prærípuerunt nobis saltu perambulo personam vestram eligentes in arbitrum, quam et nos, de prudentia vestra confidentes, prius voluimus nominare. Assignata die et loco apud Duacum convenimus, nobiscum adducentes loco arbitri Cameracensem decanum. Doluimus de absentia vestra, sperantes in Domino, quia si præsens fuissetis, aut consecuti fuissemus justitiam nostram, aut cum adversariis compositionem et pacem. 327
Et quoniam negotium dilatum est usque ad sextam feriam post Cineres, rogamus vos sicut patrem, dominum et amicum, quanto possumus affectu et annisu, ut pro amore Dei et pace inter Ecclesias reformanda, ea die gratam nobis exhibeatis præsentiam vestram apud Duacum; quoniam si præsens fueritis, confidimus in Domino quod auctoritate vestra terminabitur negotium nostrum.

EPISTOLA CCXXI.

AD ARNULPHUM DECANUM BRUGENSEM.

Rogat ut sibi hallecia parari curet.

Importuni sumus in petendo, sed importabiles esse nolumus in exigendo. Vehiculum ad te mittimus, quod forsitan a quadro, *d* mutato in *r*, propter numerum rotarum quarrum (84) appellamus. Bigam autem seu birotum mittere noluimus, quia fortassis aut oneri non sufficeret, aut in paludibus clivos s declinando in alteram partem sese cum sarcina inversaret. Nam quod de triga tibi jocando diximus, scias quia sicut trigam (85) abominamur in vehiculo, ita etiam abhorremus in opere et in verbo. Volumus autem ut per præsentium latores mittas nobis caseos nostros, vel partem numero et quali-

(83) Ecclesia S. Bavonis sita est Gandavi, quæ tunc erat in diœcesi Tornacensi: olim fuit abbatia insignis ordinis Benedictini, fundata anno circiter 640, et restaurata a Lothario anno 950; tandem erecta est in cathedralem, anno 1537, id agente Carolo V, imperatore apud Paulum III.

(84) Vel currum, quem Gallice dicimus *char* aut *chariot*, quatuor rotis subvectum.

(85) Ludit in æquivocatione hujus vocabuli quod significat Gallico idiomate veteri, *tricheur*, et currum tribus equis ductum.

tate majorem, et quod de cibo Emmanuel abbas de Etot (86), debet nobis. Interim hallecia sive gratuita sive emptitia diligenter nobis præparari facias et siccari, ita ut tempore jejuniorum non auferant esurientibus appetitum comedendi, et sitientibus non afferant irritamentum bibendi.

328 EPISTOLA CCXXII.

AD EUMDEM.

Petit ut pisces mittat, et quædam officia ecclesiastica.

Sicut nuper tibi mandavimus, si importuni sumus in petendo, non erimus importabiles in exigendo. Competenter computabimus tecum, ut nec gravamen incurras, nec gratiam nostram amittas. In proximo est dierum ariditas, vigilia Natalis Domini, feria sexta protomartyris, Sabbatum Joannis piscatoris, quibus quia terra negabit nobis pecora B campi, et aer volucres cœli, manducare compellimur pisces maris. Inde est quod consuetam benevolentiam tuam rogamus, ut de proprio vestro et pisces nobis emas, et summarium conducas (87) mihi in vigilia Natalis Domini, ut pro prandio cœnam possimus ducere, et in festo beati Stephani, et beati Joannis, de reliquiis, ne dicamus XII cophinos, saltem XII catinos implere. Festina, ne tardaveris, ut et festinus revertatur nuntius noster, et Natalis cœnam festivam nobis faciat, non infestam.

329 EPISTOLA CCXXIII.

AD HUGONEM ABBATEM S. DIONYSII.

Rogat ut pensionem fratri suo solvere non differat. C

Benevolus est qui promittit, beneficus qui largitur. Quod si donantis hilaritas comitetur utrumque, totum qui recipit sese debet effundere in gratiarum plenissimam actionem. Pensionem annuam, quam fratri nostro promisistis, rogamus ut ei sine dilatione solvatis, ne, si contigerit eum in eundo et redeundo laborare, cogatur vel quasi in incertum currere, vel quasi aerem verberare

330 EPISTOLA CCXXIV.

Qualiter Dominus Stephanus Tornacensis episcopus, adhibitis secum Sancti Amandi et Sancti Calixti abbatibus, in præsentia domini Petri Atrebatensis episcopi, accessit ad ecclesiam Sancti Martini Tornacensis, pro pace et statu ejusdem monasterii in melius reformando, et de abbate ipsius monasterii de excessibus suis corripiendo et corrigendo. Qualiter etiam idem abbas juraverit se ab episcopo sibi proposita observaturum. D

STEPHANUS Dei permissione Tornacensis Ecclesiæ A humilis minister, omnibus monachicam vitam professis, in Domino salutem.

Cum ex officio nobis injuncto, paternam sollicitudinem teneamur Ecclesiis nobis commissis impendere, lapsa erigere, fatigata reparare; illis præcipue providere debemus, in quibus ordo monasticus sive clericorum, qui regulares appellantur (88) a SS. PP. institutus, sine macula sordis, et ruga simulationis observari debet. Et quia scriptum est, negligere cum possis corrigere perversos, nihil aliud est quam fovere; nec caret scrupulo societatis alienæ, qui manifesto facinori desinit obviare. Sæpe ac sæpius auditis quibusdam quæ notabilia et probrosa, si vera essent, in monasterio Sancti Martini fieri dicebantur, ne de manu nostra, qui speculatores in domo Israel dati sumus, sanguis pereuntium requiratur, parietem alterius fodere, et si quæ intus abominabilia, plenius intelligere studuimus et videre. Cum autem super his, quæ a clericis turpia et honestati contraria dicebantur, fratrem nostrum Jo. prædicti monasterii abbatem corrigere, et tam ipsum quam Ecclesiam commissam in meliorem statum reducere vellemus, et evangelico præcepto studuimus eum primo inter nos et ipsum solum corripere, secundo adhibitis duobus fratribus. Priore et alio, tandem non solum tertio, quarto aut quinto commonitorio, frustraque perderemus operam consilii amissi et impensum auxilii promissi, crescente infamia et in vulgus publice diffusa, tanquam dicturi Ecclesiæ, et ne (quod absit!) fieret Ecclesia illa, tam in capite quam in membris sicut ethnicus et publicanus, accessimus ad 331 locum, assumptis nobiscum venerabilibus viris de S. Amando et de Cisonio (89) abbatibus; et cum diligenter inquireremus de statu ipsius Ecclesiæ, occurrit nobis prima facie, ære alieno gravatum monasterium, et debitum crevisse in immensum; nec evidens erat causa quare in summa tanta fuisset contractum, cum amplæ sint possessiones et reditus uberes, et tempore abbatis hujus, qui per tres annos præfuerat, nec aliquid emptum, nec aliquid ædificatum sive innovatum, nec fratrum numerus auctus occurreret, aut causam saltem debiti excusaret; infamiam vero qua laborabat abbatis persona, et quidam de junioribus fratribus, quos sicut Heli filios insolentes corrigere nesciebat aut nolebat; sive (quod miserrimum dictu est) non audebat. Non intelleximus posse imminui vel dele i,

(86) Vel forte melius *de Eton*, quod quidem monasterium situm est ad Nigram Silvam non longe a Rheno, fundatum anno circiter 700, a Vigero monacho, postea Argentinensi episcopo, renovatum autem ab Ethone comite Haspurgico, a quo nomen sumpsit.

(87) Equus summarius vel sagmarius dicitur qui fert sagmam. Est autem sagma, teste Casaubono, quod jumento imponitur ut mollius vehat et sine noxa sua. Alii pro quolibet onere sagmam accipiunt, inde et sagmarios equos dictos volunt, quod ferant onera, Gallice, *cheval de somme*.

(88) Canonici regulares varia sortiti sunt nomina. Modo dicti sunt canonici canonice viventes, modo clerici regulariter viventes, modo etiam clerici regulares, ut in hoc loco, et in concilio Pictaviensi anno 1109, can 10.

(89) Cisonium abbatia est diœcesis Tornacensis duabus circiter leucis ab urbe Insula distans, sub ordine canonicorum regulariter viventium, circa annum 838 fundata ab Everardo comite ejus dominii toparcha ac duce Forojuliensi, qui uxorem duxerat Gislam Ludovici Pii sororem; eamque ecclesiam sub titulo S. Calixti curavit inaugurari, quod hujus sancti pontificis reliquiæ illic fuerint depositæ, ubi etiam modo asservantur.

nisi per adussionem cauterii, et incisionem ferri. Consilio itaque venerabilium virorum qui nobiscum aderant, prædictum abbatem non odio personæ, nec spem ponentes in corruptelæ pecunia, quod Deus novit, sed zelo domus Dei urgente, ab administratione abbatis, auctoritate Remensis archiepiscopi et nostra suspendimus. Paucis diebus evolutis accedente ipso ad nos, cum priore et quibusdam monachis suis misericordiam humiliter postulante, et emendationem promittente, constanter ad preces domini Atrebatensis, qui præsens erat, totius etiam capituli nostri absolvimus eum, et in gradum pristinum restituimus, recepto prius ab ipso juramento standi mandato nostro, quod de consilio prædicti domini Atrebatensis, et capituli nostri formavimus in hunc modum : « Ego Joannes, Sancti Martini Tornacensis abbas, promitto me ea quæ dominus Atrebatensis hic mihi proposuit, in omnibus observaturum. Sic me Deus adjuvet et sancta Dei Evangelia. » Promisit ergo abbas sub eo quod fecerat juramento, se corporis castitatem secundum gratiam sibi a Deo collatam **332** perpetuo servaturum; horis regularibus interesse; in claustro cum aliis, quandocunque poterit, solito frequentius sedere, in refectorio de communi cibum sumere; in dormitorio eadem promissione jacere tenetur; extra refectorium, in cameris scilicet vel infirmariis, sine causa evidentissima, nec ipse comedet, nec dabit aliis licentiam comedendi, nisi forte propter aliquas reverendas personas, quibus humanitatis et hospitalitatis obsequium poterit exhibere : si etiam de negotiis Ecclesiæ adeo tarde venerit, quod in refectorio convenienter comedere non possit, sive propter rigorem hiemis, sive propter inundationem pluviæ, poterit in camera refici religiose et quiete, maxime vero post completorium; nec ibidem, nec alibi, hora illa vel alia, conventicula consentiet fieri, quæ parant materiam murmurandi his qui divinis inserviunt officiis, et aliis observantiis monasticæ disciplinæ portant pondus diei et æstus. Si negotia Ecclesiæ exterius eum traxerint, quibus sine dispendio rei familiaris abesse non possit, de maturioribus et discretioribus monachis secum ducet, talesque socios ac servientes habebit secum, quorum contubernio non infametur. Nullum omnino monachum extra portam sine æquitatura egredi patietur, nisi tantummodo illos, qui propter negotia Ecclesiæ solent et debent mitti in civitatem, sive ad nos, sive ad nostrum capitulum, sive ad justitiam sæcularem. Quatuor aut sex monachos, quos episcopus de maturioribus et honestioribus ei nominabit, secum debet habere, quorum consilio tam exteriora quam interiora Ecclesiæ negotia ordinet et disponat. Juniores monachos nec ad sæcularia spectacula, nec ad nundinas, nec ad festivitates aliquas, ad quas causa ne-
A cessitatis exire solent, sine testimonio e societate maturiorum egredi non permittet. Si hæc omnia quæ sacramento suo firmavit, non observaverit, sciat se et inobedientiæ reum, et **333** transgressorem præstiti sacramenti.

EPISTOLA CCXXV.

AD ARCHIEPISCOPUM REMENSEM (90).

Queritur de prava administratione ejusdem abbatis.

Diu languens inter morientem si quid medium est et mortuum, Tornacensis Ecclesia Sancti Martini, tanquam ad unicum refugium pauperum, sinum vestrum recurrit, ut ei in desolatione sua et aperiatis paterna viscera, et materna ubera porrigatis. Diu *plorans ploravit in* morte, *et* adhuc *lacrymæ ejus in maxillis ejus* (*Thren.* I). *Caput* ejus *languidum, et cor* ejus
B *mœrens, a planta pedis usque ad verticem non est in ea sanitas* (*Isa.* II). Monasterium illud et exterius est redundans ignominia, et interius vacuum disciplina. Qui præsidet, magis timet subditos quam a subditis timetur. Eos et desidioso fovet otio, et pernicioso corrumpit exemplo. Nihil in eo virtute solidum, nihil honestate conspicuum, nihil ejus ab inguine tutum. Sæpenumero corripui eum, nec correxi, quoniam insanabilis est plaga ejus. Juravit in manu mea se parere mandato **334** domini Atrebatensis, et nostro. Mandatum dominus Atrebatensis expressit, ille nec paruit, pejeravit, et facta sunt *novissima hominis illius pejora prioribus* (*Matt.*, XII). Per falsas litteras Tornaci fabricatas, quarum copiam vobis misimus, mini-
C sterio abbatis Aquicinti, se fecit absolvi, cum falsitatem litterarum illarum puer elementarius intelligere potuisset. Timens sibi per quemdam monachum juvenem ignominiosæ famæ, quem præpositum monasterii fecerat, appellavit, et sub obtentu hujus appellationis omnia dissipat et pervertit. Moveant vos, Pater, lacrymosa suspiria tam enormiter ancillati monasterii, et a prædicto monstro gregem monachorum pauperum liberate.

EPISTOLA CCXXVI.

De eodem abbate iterum conqueritur.

Serio loquimur, qui quandoque vobiscum jocose loqui solemus. Ecclesia Sancti Martini Tornacensis et exterius redundat ignominia, et interius indiget
D disciplina. Oppressa est debitis, compressa delictis. Abbas, ultra quam credi possit, sæculariter vivit, omnia vastat, omnia dissipat, timet subditos, et a subditis non timetur. Sæpe corripui eum, nec correxi, quoniam insanabilis est plaga ejus. Timens amoveri movet tumultum cum quibusdam juvenibus fratribus suis. Seniores et saniores contrarii sunt operibus ejus. Appellatum est hinc inde, et meipsum involvit in appellatione sua, quasi ad curiam me tracturus. Rogo vos sicut charissimum, ut pro amore Dei et zelo **335** justitiæ scribatis nobiscum pro monachis contra monstrum nulla virtute redemptum, in quo

(90) Hæc epistola, ut mihi videtur, scripta est Guillelmo archiepiscopo Remensi; idque ex hoc colligo, quod dicat se ad ipsum misisse quasdam falsas litteras Tornaci fabricatas, de quibus sermo habetur superius.

nihil est solidum, nihil ordinatum, et ut dicitur, nihil ejus ab inguine tutum.

EPISTOLA CCXXVII.

AD LUDOVICUM REGIS PHILIPPI AUGUSTI FILIUM.

Hortatur ut imprimis studiis serio incumbat; et spondet se missurum equum quem petierat.

Illustri et charissimo domino suo, et si audeamus dicere, de sacro fonte suscepto filiolo (91), LUDOVICO, domini regis primogenito, STEPHANUS suus, divina permissione Tornacensis Ecclesiæ humilis minister, salutem et incrementum sapientiæ, ætatis et gratiæ apud Deum et apud homines.

Gratanter et læte suscepimus litteras vestras, per quas significastis nobis voluntatem vestram de palefrido vobis mittendo idoneo et honesto. Placet nobis quod mandastis, et, Deo volente, mittemus vobis in proximo per proprium nuntium vestrum talem qui vobis placere debeat, et secundum moderna tempora tanto sessore dignus existat. Contrivit Dominus Satanam sub pedibus vestris (92), quo nomine intelligimus adversarios domini nostri regis, et vestros. Domine mi charissime, rogamus, monemus, consulimus in fide quam debemus vobis, ut per omnia post dilectionem Dei et domini regis vestri patris, intendatis litteris discendis, quia vobis et regno vestro utiles erunt et necessariæ in consiliis palatii, et negotiis regni, et concordia **336** pacis et in victoria belli.

EPISTOLA CCXXVIII.

AD LAMBINUM, UT VIDETUR, TERVANNENSEM EPISCOPUM.

De Hugone quodam qui a mortuis surrexisse ferebatur (92*).

Accessit ovis ad capram, lanam sibi postulans commodari. Expavit capra, matrem gregis lanigeri respondens villosis velleribus abundare. Apologus est lippis et tonsoribus patens, cujus velamento insufficientiam nostram vestris consultationibus possumus vel suspendere vel differre. Et quoniam in proximo, Deo volente, desideratam faciem vestram speramus videre in colloquio ad quod vos et nos dominus noster Remensis invitavit apud Sanctum Quintinum, si placet, quæstiones et responsiones mutuas interim differamus. Implicitum est negotium de quo quæsistis et plenius exponendum. Ut autem seria claudamus joco, neque quæstiones movendæ, neque aliqua negotia tractanda, neque ædificia construenda sunt, neque ecclesiæ dividendæ sunt usque ad mensem Augusti, quando omnia consummabuntur et consumentur, secundum quod quidam Hugo, qui a mortuis resurrexisse dicitur apud vos prophetat, sicut bajulus litterarum vestrarum nobis mirabiliter et terribiliter nuntiavit.

337 EPISTOLA CCXXIX.

AD QUEMDAM PRÆLATUM ECCLESIÆ ROMANÆ.

Supplicat pro privilegio quodam renovando.

Pretiosa res est amicus, cum inter mille vix inveniatur unus, vix dimidius. Id me vobis esse confidenter confiteor, si eo respectu dixerimus amicum quo dicitur, qui amat; quamvis et de reciproca amicitia vestra nec dubitem, nec diffidam, eam totis brachiis deamplector, totis deosculor labiis, totis visceribus comprehendo. Interim devotus in obsequium vestrum mandatis semper vestris paratus ero parere, voluntarius ea velle: interim importunus obsecro ut privilegium nostrum (93), cujus rescriptum sigillo domini Remensis signatum dominus B. subdiaconus habet, per vos vel per eumdem B. nobis, si placet, renovare faciatis.

338 EPISTOLA CCXXX

AD QUEMDAM AMICUM.

Mittit munuscula quæ moraliter exponit.

Munuscula quæ decurrunt inter amicos, non creant amicitiam, sed fovent, et retinent eam creatam: sicut mente benevola concipitur, sic et manu benefica solidatur. Munuscula (94) mittimus, quæ et deceant visu, et expediant usu, et erudiant intellectu. Freno cohiberi volumus sanctitatem tuam, sive in disponendo apud alios res tuas, sive ab aliis deponendo. Pectorali te commonemus, ut sis in adversis robustus, in prosperis prudens; utrumque enim fortitudo et prudentia pectori solet assignari. Strepas quibus innituntur pedes, commonitorium tibi faciunt, ut firmus existas, in his quæ debes subdito, et in his quæ debes prælato: si in alterutrum peccaveris, cito cades; si in neutro, firmus stabis: et hæc est forma justitiæ, reddere cuique quod suum est. Si hoc salutatorium diligenter attendis, quatuor tibi virtutes principales occurrunt, in pectorali fortitudo et prudentia, in freno temperantia, in strepibus justitia designatur. Lege et

(91) Hanc epistolam scribit Ludovico regis Philippi Augusti filio, qui post eum regno potitus est, VIII nomine, patre sancti Ludovici. Natus fuerat anno 1187, secundum Guillelmum Armoricum, qui ad hunc annum hæc habet: « In Nonis Septembris feria secunda, hora diei undecima natus fuit Ludovicus filius Philippi Magnanimi ex Elisabetha uxore sua castissima. » Susceptus autem fuit de sacro fonte a Stephano tunc abbate S. Genovefæ, ut ex hac epistola patet.

(92) Scilicet regem Angliæ Joannem, vel Philippum Flandriæ comitem; ait enim Rigordus: « Anno 1200, mense Maio in Ascensione pax reformata est inter regem Francorum Philippum, et Joannem Angliæ regem, inter Vernonem et insulam Andeliaci. Porro, sequenti feria secunda, Ludovicus duxit uxorem Blanchiam, filiam Hildelphonsi regis Castellæ, neptem Joannis regis Angliæ. »

(92*) De eo egisse videtur Rigordus sub annum 1198 his verbis: *In Veromandesio miles quidam qui mortuus fuerat revixit.* Et Guillelmus Armoricus anno 1197 ait: *In diebus illis miles quidam in territorio Viromannico mortuus revixit, et per multos dies vita fruens, nec manducans, nec bibens, multa futura dicebat, incredibilia tamen.* De illo etiam meminit Joannes a S. Victore in Memoriali historiarum.

(93) Ecclesia S. Genovefæ Parisiensis, cujus abbas Stephanus exstiterat, amplissimis gaudebat privilegiis, tam pro immunitate bonorum temporalium, quam spiritualium, quæ quoties novus eligebatur summus pontifex, per eum renovari et confirmari curabant abbates, ut hic demonstratur.

(94) Mittebat amico frenum et pectorale ad or-

intellige; legere enim et non intelligere, negligere est.

339 EPISTOLA CCXXXI.

AD DOMINUM REMENSEM (95).

Agit de interdicto lato in terra comitis Flandriæ.

Inter laicos habitantes clerici, fratres sunt draconum, et socii struthionum. Quod si jurisdictione aliqua sæculari liceat eis in ecclesias sævire, qui debuerant servire, sub nomine communiæ, inter eos squama squamæ adjungitur, ut nec spiraculum incedat per eas. Hac vertigine rotantes inter nos cives nostri, cum prius coram domino Atrebatensi et castellano Insulæ (96) mandatum domini regis in nostris et eorum quæstionibus contempsissent, et postmodum ad vos revertentes communes arbitros sub forma a vobis tradita suscepissent, nec consilio vestro voluerunt acquiescere, nec in arbitrium voluit sese populus obligare. Inde est quod tanquam ad consilium totius Ecclesiæ recurrunt ad vos canonici nostri clerici vestri, et nos cum ipsis et pro ipsis pedibus vestris advolvimur, ut in tam periculoso negotio sicut semper consuevistis, et benevolum consilium, et beneficum auxilium impendatis. Præterea, quod non sine gemitu et suspirio dicere possumus aut debemus, super novo mandato domini cardinalis et legati magistri Melioris (97) de interdicenda terra comitis Flandriæ (98) consilium a vobis requirimus, et tota Flandr. Ecclesia gemitibus inenarrabilibus totum cogitatum suum jactat in vobis, ut quos hactenus enutristis, tantis periculis non permittatis exponi. Adhuc recentia prioris interdicti spirant vulnera, nec vulnerati respirant. Et si secundus congeminetur ictus, mors erit in januis, et sub tristi silentio convalescent hæreses, quæ pullulare cœperant; **340** claudentur ecclesiæ, silebunt cantica divina, cogentur mendicare qui panes propositionis in mensa Domini consueverant manducare. Scimus autem pravum cor hominis illius ita induratum, quod excommunicationem contemnat, interdictum non timeat, sæcularia spiritualibus anteponat. Videtur nobis et multis prudentibus viris, quia et vulneraretur profundius, et confunderetur apertius, si et ipse, et omnes ei communicantes singulis Dominicis diebus excommunicarentur; et loca ad quæ accederet, quandiu ibi moraretur, a divinis cessarent. Cum hæc agerentur in capitulo nostro præsentibus nuntiis A domini Oxon. qui propter hoc ad nos accesserant, Bernardus de Robais, ballivus totius Flandriæ, ne in terra comitis poneretur interdictum, per appellationem ad dominum papam interdixit, diem appellationis prosequendæ in octavas beati Joannis Baptistæ præfigens. Super his omnibus consulite, Pater, consiliis vestris, clericis vestris, ecclesiis vestris.

341 EPISTOLA CCXXXII.

Tractat de eodem interdicto.

Discipuli charitatis illius esse volumus, qui cum scandalizatis uritur, et cum infirmantibus infirmatur. Hujus ardore vobiscum urimur, infirmamur compassione, aculeo currimus, sollicitudine anhelamus. Testis est conscientia nostra, testis est Deus renum scrutator et cordium, quoniam in adversitate B vestra parati sumus vobiscum et ad vindictam accingi, et ad perseverantiam roborari. In accessu F. Remensis canonici, inspectis litteris quas secum deferebat, comitem Hannoniæ et filium ejus Balduinum excommunicatos habuimus et habemus. Super interdicto in terram ipsius proferendo, supernum auxilium et fraternum consilium habere volentes, domino Morinensi per præscriptum F. canonicum scripsimus, et nobiscum in brevi vel rescriberet vel conferret, quod et professionem vestram deceret, et vestræ utilitati expediret. Pendente hac exspectatione nostra, nuntium vestrum vidimus sine litteris, aliquam sententiam sive excommunicationis, sive interdicti continentibus a domino Morinensi vobis C transmissis, moventem et monentem, ut in terra comitis proferremus sententiam interdicti; et quoniam sequenti die in promptu eramus venire ad dominum Remensem archiepiscopum, cujus in adventu lætificari et confirmari debemus, quod reliquum est sententiæ distulimus usque ad divinum responsum ipsius, **342** non magnum damnum in mora modici temporis æstimantes. Indulgeat nobis dilationem benignissima dilectio vestra, quoniam parati sumus purgare moram istam, et rigore sententiæ, et compassionis integritate, et perseverantia veritatis.

EPISTOLA CCXXXIII.

AD GUILLELMUM ARCHIEPISCOPUM REMENSEM.

Scribit de eodem interdicto, et ejus implorat opem.

Domine, qui dedisti mihi panem ad comedendum, D et vestimentum quo operior, erue me de manu principis nostri (99), quia valde eum timeo, potentia pre-

nandum equum, nec non et strepes quibus equitans uteretur, quæ non minus eleganter, quam moraliter exponit.

(95) Prima parte hujus epistolæ conqueritur de communia civium Tornacensium, cum quibus disceptabant episcopus ac canonici Tornacenses, quod renuissent regis et archiepiscopi Remensis judicio parere, ac arbitros de quibus convenerant, recipere.

(96) Hic vocabatur Joannes, quem Balduinus comes Flandriæ in Palæstinam proficiscens instituit uxoris suæ Mariæ fidissimum consiliarium. Erat enim vir maxime sensatus, siquidem ejus industria pax inter comitem et regem inita est anno 1200, teste Buzelino.

(97) De ejus legatione hæc scribit Rigordus: « Pontifex Cœlestinus ad conquestionem Danorum misit legatos suos in Franciam, Meliorem scilicet presbyterum cardinalem, et Censivum subdiaconum, qui Parisios venientes concilium convocaverunt omnium archiepiscoporum, episcoporum, nec non abbatum totius regni, in quo tractaverunt de reformando matrimonio inter Philippum regem et uxorem ejus Ingelburgem. »

(98) Interdicti ejus causa fuit violata fides regi Franciæ per Balduinum Flandriæ comitem, qui ab ejus partibus desciverat, ut auxilium præberet Ricardo Anglorum regi; unde armata manu in territorium Tornacense, Atrebatense et Cameracense irruit, omniaque depopulatus est. Ex auctuario Aquicinctiensi.

(99) Scilicet comitis Flandrensis.

mit, comminationibus terret, immissiones per angelos malos intendit, bona altarium nostrorum præcipit occupari. Ego enim semper domino papæ et vobis obediens sententiam excommunicationis in eum protuli, et in terram ipsius interdicti. Abbates autem, et decani, et presbyteri nostri nolunt sententiam observare, dicentes se appellasse, cum nos significaremus eis appellationem non tenere. Paratus eram civitatem exire et exsulare; sed conclusit vias meas indignatio principis, ut nec alicui ex parte mea securus pateat aditus emigrandi. Consulite mihi, Pater, plasmati vestro, quia diebus istis non quod volo illud ago, sed quod nolo illud facio.

343 EPISTOLA CCXXXIV.

Agit de munitione urbis Tornacensis, et de treugis seu induciis datis.

Ut verbis utamur Vegetii Renati (100), de re militari, nihil rerum omnium tam est miserabile quam claudi obsidione. Quod attendentes cives nostri, inter gladium cervicibus imminentem, et inevitabilem deditionis servitutem, cum ab hostibus circumfusis, undique supereminente exercitu totius Flandriæ, Hannoniæ, Hollandiæ, Lovaniæ, Ilurpiæ, et aliis barbaris nationibus clauderentur, defecerat spiritus consilii evadendi, et spiritus fortitudinis resistendi: eramus tanquam navis sine remige, populus sine duce, cohors sine milite, expertes armorum, et inexperti bellum. Sitiebant sanguinem nostrum, qui exterius erant, et tanquam leo paratus ad prædam, personas et possessiunculas nostras inter se dividentes, in castris exsultabant sicut victores capta præda, quando dividunt spolia. Respicientes eramus ad adjutorium hominum, et non erat; visum est bonum civibus nostris in proximo perituris, vel captivandis, nobisque qui cum ipsis vivere vel mori decrevimus, ut, quocunque modo possent, treugas sive inducias impetrarent. Factum est tandem non sine magno labore, non sine magna summa pecuniæ, nec sine nostra, nollemus, vellemus, confusione. Datæ sunt treugæ (1) conventionibus istis, quandiu guerra durabit inter comitem et regem (2): « Non firmabunt interim cives nostri civitatem plusquam firmata est; non recipient aliquos qui noceant comiti; trecentos servientes, quos debet domino regi quando rex mandaverit, mittent ei, si secure potuerint ire. » Super his omnibus consulite eis, sicut videtis expedire, 344 secundum mandatum vestrum, sententiam excommunicationis coram clericis et laicis Tornacensibus, in comitem et coadjutores suos, totamque terram ipsorum promulgavimus, et ad ipsum decanis nostris, ad præsentiam nostram vocatis, auctoritate vestra injunximus faciendum, et firmiter observandum.

EPISTOLA CCXXXV.

Ejusdem interdicti miseros effectus deplorat.

Lacrymabilem totius parochiæ nostræ, et maxime Flandrensium Ecclesiarum querelam, non sine singultu et suspirio nostro sacris auribus exponimus, pedibus vestris accumbentes, ut in tantæ necessitatis articulo, et benevolum nobis aperiatis sinum, et manum beneficam porrigatis. Suspenduntur in silicibus organa, clauduntur ora canentium te, Deus noster; lugent in triviis, qui sacris altaribus divina 345 sacramenta solebant exhibere, et efficitur sicut populus sic et sacerdos. Insultat nobis protervitas laicorum, et occasione sumpta de silentio nostro, pravis comminationibus armati, in publicis et privatis colloquiis conflant ejectionem sacerdotum, direptionem rerum, contumelias personarum. Dicunt se solvere quod non rapuerunt, pro peccato alterius injuste puniri, sacramentis carere, quibus utpote catholici parati sunt parere. In proximo est tribulatio nostra, nisi quantocius remedium apponat clemens paternitas vestra. Certi sumus de consuetudine gentis et severitate, quia minas Flandrensium sequentur ictus percussionum. Inducere volunt, sacerdotibus nostris ejectis filios alienos claudicantes et semitis orthodoxis sacerdotes Baal, indecenti barbarie in nostram mansuetudinem, loco, non moribus transferre. Occurrite, Pater, tantæ calamitati, tantis vos objicite periculis, et cauterium sententiæ suæ, quod non solum comburit, sed consumit, oleo vestræ pietatis exstinguite, ne gaudeat super nos inimicus, ne per Ecclesias nostras transeat incircumcisus et immundus.

EPISTOLA CCXXXVI.

Epistola Joannis Cameracensis episcopi ad dominum Tornacensem directa pro litteris præcedentibus ad dominum Remensem ab eodem Tornacensi directis.

Mirabilis facta est, reverende magister (3), scientia tua mihi, confortata est et non possum ad eam; quis enim cognovit sensum domini Tornacensis? qua scilicet intentione dissuaserit per litteras suas, ne dominus [Remensis] judicaret egeno et

(100) Vegetius Renatus elegantem de re militari Tractatum composuit, quatuor libris distinctum, quem Valentiniano Augusto dicavit.

(1) De illis treugis seu induciis hæc habentur apud historiæ Tornacensis auctorem desumpta ex Ecclesiæ suæ *Tabulariis*: « Les registres du chapitre de Tournay récitent que le comte de Flandres et de Hainault, à l'occasion de la guerre entre luy et le roy Philippe de France assiégea Tournay; mais les jurez et eschevins enfin après une grande difficulté firent un accord avec le comte, en luy fournissant quatre mil marcs de Flandres, et promit l'an 1198 de leur tenir treuve ferme, jusqu'à ce que une paix s'ensuivroit. »

(2) Bellum istud inter Philippum Augustum Galliæ regem, et Balduinum Flandriæ comitem apud hujus ævi auctores fuit celeberrimum, in quo certamen apud Pontem Bovinum initum est. Cumque tunc temporis urbs Tornacensis sub ditione regis existeret, a comite fuit oppugnata.

(3) Hoc titulo insignitur Stephanus, quod doctor esset in jure canonico, hancque scientiam publice fuisset professus: vocatur enim in quodam diplomate Innocentii III juri-peritus.

pupillo, humilem et pauperem justificaret? Unde, quamvis transmissarum litterarum apices ex sensu quem faciunt, audientibus displiceant, propter sensum tamen ex quo **346** fiunt, eosdem qui noverunt te, mecum reverenter adorant; cum enim nefas sit suspicari virum, tantum zelum Dei habentem et secundum scientiam, scripsisse aliquid contra justitiam, facile mihi persuadeo errasse potius legentis intuitum quam scribentis judicium. Cum itaque sint magister et domine, judicia tua abyssus multa, edissere nobis parabolam istam; dic nobis palam quid in causa nostra, quantum ad nos, displiceat paternitati tuæ : tolerabilius enim mihi esset actionem meam igne dignæ discretionis vestræ examinari, etsi inveniretur mea iniquitas, justo judicio refelli quam post judicium consecutum justitiam non consequi; vel si secundum vestrarum continentiam litterarum timetis ne alieni insurgant in vos, in messem vestram falcem mittere præsumentes. Sunt qui dicunt quod, salva pace vestra, timore trepidatis ubi non erat timor: incredibile enim est quod homines timorati, et de salute animarum suarum solliciti, pro qua non pigritaverunt, venire usque ad nos, flecterunt genua sua ante Baal. Verumtamen etsi hæc aliter se haberent, in virum constantem timor iste cadere non debet, qui juravit et statuit custodire judicia justitiæ suæ. Cum enim, ut magistro syllogismum mittam, reprehensi fuerunt merito, qui dixerunt, faciamus mala ut veniant bona, et favorabilius sit facere bonum quam declinare a malo, viderint quam bene perplexos se habeant, qui declinant a bono et æque, malum sibi imminens inevitabile credunt. Verum, quia discipulo non est tutum coram suo magistro disputare, ne si super divitiis ejus sit scrutator majestatis, opprimatur a gloria respondentis, elegi seniorem obsecrare ut patrem, et pedibus ejus affusus, cum lacrymis et gemitibus inenarrabilibus postulare, ut ignem sententiæ vestræ oleo peccatorum in caput principis non permittatis exstingui. Dominus enim Remensis, ut optime nostis, **347** ejus camino suæ misericordiæ oleum addidit confirmando. Venit per mandatum suum mittere eum in terram vestram, vult ut ardeat, vult vehementer accendi, quia sperat in Domino quod ignis prædictus, si corda discipulorum invenerit receptacula munda, erit non comburens sed illuminans, non consumens sed lucens.

EPISTOLA CCXXXVII.

Responsio domini Tornacensis episcopi ad litteras præcedentes sibi a domino Joanne Cameracensi episcopo superius missas.

Litteras prudentiæ vestræ, partim salibus aspersas, partim suspecto melle perfusas, devota reverentia suscepi, exacta diligentia perlegi, confusa verecundia clausi, reposui, signavi. In ipsis et ex ipsis tertiam quartamque differentiam retributionis, quanquam id non merui, mereo me sentire. Flebam pro vobis, cum flentibus, cum scandalizatis urebar, et ecce ventus urens a regione deserti vehementer inflans, per epistolam vestram in faciem meam exarsit, ut et flentis lacrymas absorbeat, arefaciat compatientis affectum : pro labore pœnam recipio, pro sedulitatis obsequio certamen, sitienti justitiam redditur ingratitudo, quærenti panem porrigitur lapis. Quid ultra debui facere pro negotio vestro et Ecclesiæ vestræ, et non feci? Principem terræ et filium ejus (4), ego et Ecclesia nostra generali interdicto denuntiari fecimus excommunicatos, terram eorum terribili conclusimus interdicto, divina **348** ubique officia celebrari prohibuimus; beneficia, sepulturæ, solemnitates matrimoniorum, puerperia, purificationem, omniaque alia sacramenta, præter baptismum parvulorum, et morientium pœnitentias et viaticum, inhibentes in synodo nostra [magistro A. archidiacono vestro], recitavimus, abbatibus, decanis, presbyteris districte præcipientes, ut eam observarent, et ab aliis præciperent observari. Si quis in nostra parochia contra hæc agere præsumpserit, auctorem me contemptus inobedientiæ non habebit. Ipsum comitem, qui caput est, et princeps totius sacrilegii in vos et Ecclesiam vestram commissi, cum sacro die Cœnæ Tornacum venisset, excommunicatum ore proprio coram omnibus denuntiavi; burgensem, qui eum in domo sua receperat, excommunicationi subjeci; omniaque divina officia, quandiu in civitate esset, fieri prohibui. Ita quod in eadem sacratissima nocte nec mandatum solemne celebratum est vespere, nec matutina synaxis (5) celebrata est nocte, ut recte zelus domus tuæ, quod decantari solebat voce, nostro compleretur opere et fervore. Pro his omnibus digna reporto jurgiorum stipendia, increpationes in populis, indignationem, et iram, et immissiones per nuntios malos. Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui domini Cameracensis, et indignatio ejus in statera! quasi arena maris, hæc gravior appareret. Deus bone! Quid in illis simplicibus litteris meis reprehensibile subtilis astutia, sublimis intelligentia, interpretatio fidelis deprehendit? An quia communem Patrem (6) pro filiis meis rogavi, ut eorum mederetur languoribus, ut jacentibus manum porrigeret salutarem? Nec dissuasi, nec volo, nec volui, nec voluisse volo, ut, sicut in epistola vestra, dominus Remensis, non judicet egeno et pupillo, humilem et pauperem non justificet; nec memini me aliquid

(4) Comitem scilicet Flandrensem Balduinum.

(5) Hæc vox erat in usu apud antiquos ad significandum divinum officium, ut legitur passim in variis sanctorum gestis. Est enim synaxis conventus ecclesiasticus ad verbum Dei audiendum, ad orandum, et ad sacramenta recipienda. Dicit Epiphanius apostolos instituisse ut fierent synaxes, συνάξεις ἐπιτελεῖσθαι.

(6) Archiepiscopum scilicet Remensem cujus suffraganei erant episcopi Cameracensis et Tornacensis.

scripsisse contra justitiam, sed ad misericordiam **349** quæ superexaltat judicium, [vas uberrimæ pietatis, salvo negotio vestro, devote simul et humiliter invitasse.]

Hæc est parabola quam, ut edisseram vobis, mihi sub jocoso mandastis elogio. Hoc est quod vobis palam loquor et proverbium nullum dico; quod si vehementius me coarctare volueritis, ut nimis emungentes, eliciatis sanguinem, sine alterius offensa, descendamus in campum Scripturarum, ludamus in arena canonum, salva ea quæ ædificat, non quæ inflat, scientia (quamvis nec ego sim Hieronymus nec dominus Cameracensis Augustinus [7]), doceat senem junior, minimum presbyterorum sacerdos magnus erudiat, syllogismis armatus non agrediatur inermem sententiis; nam et syllogismum sive complexionem rhetoricam mihi vos misisse scribitis, cujus propositionem non recipio, quia positionem non admitto. An malum facere est, temperare causa cognita rigorem, dispensationem admittere? Quin potius malum est ob temporalia lucra, periculo fidelium claudi ecclesias, cessare sacramenta, silere cantica divina, perire animas et perdere, ut perdita restituantur animalia. Hæc perplexitas syllogismi vestri: hi sunt qui faciunt mala ut veniant bona, qui damnis animarum præferunt lucra animalium. Semota paulisper consuetudine, cui resistere non est tutum, loquamur interim de jure, conferamus de æquitate. Separari a sacramentis Ecclesiæ, pœna spiritualis est; pœna autem spirituali nemo pro aliis feriendus est: ergo pro delicto alterius nemo a sacramentis Ecclesiæ separandus est. Syllogismus est in figura logica theologicus, in fide recta catholicus, in veritate perspicua manifestus; et ne aliquis in æquivocatione spiritualis pœnæ decipere possit vel decipi, spiritualem pœnam non intelligimus circa ordines vel honores in quibus alius pro alio quandoque punitur, sed circa sententias excommunicationis sive majoris, sive simplicis, quibus spiritualiter a consortio fidelium percussus separatur. Epistolarem modum excessi, sed **350** provocatus, sed immerito læsus, sed ad respondendum compulsus. Precor interim dominum Cameracensem, ut amodo parcat meæ verecundiæ, parcat auctoritati suæ: etsi fidelitatem obsequii mei commendare noluerit, saltem non condemnet, ne parvitatis meæ calamum quassatum conterat, linumque fumigans exstinguat.

EPISTOLA CCXXXVIII.

AD DECANUM ET CANONICOS DE BRUGIS (8).

Agit de censu duplicato, et explicat quo sensu debeat intelligi.

Miramur discretionem vestram, si aliqui velint aut valeant circumvenire astutia sua, ut prava interpretatione exponant quod in litteris domini comitis continetur, scilicet censum duplicem, in relevationibus persolvendis, quasi excludatur ipse census, qui solvendus est, et duplum ejus cum eo solvatur: quod esset triplicare, non duplicare, hoc autem abhorret et bona **351** fides bonorum virorum et approbata consuetudo regni Francorum, ubi intelligitur duplicari census, relevatio cum ipso censu. Absit a discretione vestra ut propter hoc quod dicitur duplicem censum, aliquis valeat implicare vestrum simplicem sensum; secure enim pronuntiare potestis, quod in censu duplicato debeat intelligi aggregata censui simplex relevatio.

EPISTOLA CCXXXIX.

AD DOMINUM REMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Queritur quod rex eum ad arma provocet.

Ut frequentius inquietem dominum meum (9), hinc sua benignitas me trahit, inde necessitas mea me compellit: imbellis ad bella vocor, inermis ad arma, ut qui in sacris debueram ministrare, in castris debeam militare. Mandavit dominus rex: 1° ut in vigilia Ascensionis, 2° ut in vigilia Pentecostes, sibi cum militibus et armis (10), apud Meduntam (11) forte præsto esse, cum expers sim militiæ, nec milites sim expertus. A tempore Chilperici regis qui senioris Dagoberti fuit avus (12), usque ad dies istos, Tornacenses episcopi civitatem Tornacensem, tanquam propriam a regibus Francorum tenuerunt (13), nec reges in ea aliquid sibi, nisi fidelitatem et servitium episcopi vindicabant.

(7) Alludit ad disceptationem illam omnibus notam, quæ quondam intervenit inter sanctos Augustinum et Hieronymum.

(8) Explicat quoddam edictum comitis Hannoniæ, quo jubebatur omnibus ejus subditis ut hoc anno duplum censum persolverent. Unde ejus exactores duplum censum una cum primo et solito debere solvi contendebant: quod ita non esse intelligendum dicit Stephanus, sed tantum simplicem censum cum primo, cui additus duplex ideo efficiebatur et dicebatur.

(9) Is erat Guillelmus archiepiscopus Remensis, avunculus regis, ad quem hanc dirigit epistolam, cujus quondam fuerat clericus et domesticus, ut sæpius diximus, cujus opera ad episcopatum Tornacensem fuerat evectus, unde non est mirum si se ejus creaturam esse toties fateatur.

(10) Tenebantur olim, cum rex bellum gereret, non solum nobiles, sed etiam plerique episcopi et abbates cum militibus ipsi præsto esse, ideoque habebant episcopi vicedominos, qui eorum vices in castris supplerent, subditosque eorum ad bellum accinctos ducerent. Ab hoc tamen onere exemptum se affirmat noster Stephanus, petitque ab eo archiepiscopi Remensis auctoritate se absolvi.

(11) Urbs est episcopatus Carnotensis ad Sequanam in Vulcassino, vulgo *Mantes*.

(12) Is est Chilpericus primus qui regnare cœpit in Gallia anno 567, filium habuit Clotarium patrem Dagoberti, cujus ideo avus exstitit. Hunc vocat seniorem ad distinctionem alterius Dagoberti qui regni habenas suscepit anno 715, et junior dictus est.

(13) Non solum celebris fuit apud Gallos antiquos civitas Tornacensis, ut patet ex Itinerario Antonini, sed etiam sub monarchiæ Franciæ incunabulis, siquidem in ea quartus ejus rex Childericus sepultus fuit, cujus monumentum cum variis ornamentis aureis inventum fuit anno 1653, ut liber a Chiffletio hac de re conscriptus sub titulo *Anastasis Childerici* indicat. Hujus annulum ectypum ex regio Cimeliarchio, in quo cum cæteris ibidem repertis asservatur, accipe in calce operis.

Nunc autem dominus rex (14), qui feliciter et 352 victoriose, Deo volente, diu vivat, civitatem habet in manu sua, trecentos ex ea in qualibet expeditione servientes ducens (15); ita ut nec etiam episcopi nomen invocetur super eam. Consulite mihi creaturæ vestræ, Pater, quia adversus dominum regem litigare difficile est, et in expeditionem ire impossibile est. Juvate pusillanimem inter duas molas superiorem et inferiorem positum; alteram quæ commonet ad indebitum, stipendium erogandum; alteram quæ commovet ad principem offendendum; in reddenda vobis actione gratiarum non sufficio, super his quæ per capellanum vestrum Atrebatensi et nobis mandastis.

353 EPISTOLA CCXL.

Respondet quæstioni obscuræ et intricatæ sibi propositæ, ubi nonnulla ad jus pertinentia exponuntur.

Salva gratia vestra, Pater, dicimus, quia obscuræ quæstioni difficile potest reddi responsio manifesta. Si continentia litterarum commissionis a domino A papa vobis factæ exhibita fuisset, tanquam plenius instructi, confidentius accingeremur ad responsum. Communi jure civili (16), cui et canonicum refragari non credimus in hac parte, si is qui possidet ante litem contestatam (17), contumax exstiterit (18), actor mittendus est in possessionem causa servandæ rei (19); ita tamen quod si infra annum non venerit, ex secundo decreto (20) efficietur possessor, qui in possessionem missus erat. Sed quoniam in præsenti negotio fratrem domini Noviomensis possidere credimus, vel ut magis proprie dicamus, 354 quasi possidere, quoniam jura non possidentur (21), non est in quem possessio transferatur (22). Ideoque quoniam dolus aut contumacia nemini patrocinari debet (23), alia pœna suspensionis (24) seu B excommunicationis credimus affici debere contumacem, nisi forte quia dominus papa, non vos cognitores, sed exsecutores (25) esse constituit. Auctoritas illius procedere vos compellat: nondum enim legimus ante litem contestatam super proprietate, pro sola contumacia, definitivam sententiam debere

(14) Civitas Tornacensis fuit primum sub dominio temporali episcopi, ut diximus: at anno 1187 sese cives sub ditione regis Galliæ constituerunt, ut legitur in antiquis *Annalibus* Flandriæ, vol. III, cap. 36: *Le roy de France Philippes, le troisième jour des festes de Noel en l'année* 1187 *vint de la ville de Valencienne là où li comte Baudouin de Henault le receut en son hostel très-honnorablement, et le quatrième jour s'en alla en la ville de Tournay, adonc n'avoit oncques esté ouy que nul de ses prédécesseurs y eut esté, et adonc les citoyens qui paravant avoient servy à leur evesque, servirent à la subjection du premier roy de France à sa volonté en ses expéditions.* Mejer dit: *Rex Tornacum venit, primusque omnium Francorum regum Tornacenses in suam tutelam accepit ac patrocinium.*

(15) Ex his verbis colligitur, quod ex quo cives Tornacenses sub ditionem regis devenerunt, ad exercitum ejus, quoties bella gereret, trecentos milites expeditos mittere tenebantur.

(16) Jus civile ideo commune dicitur, quod ab omnibus nationibus quæ Romanorum ditioni fuerant subditæ, servaretur. Quandoque etiam jus canonicum dictum fuit commune et jus scriptum.

(17) Litis contestatio tribus expeditur, actoris intentione, rei contradictione et judicis pronuntiatione. Id est *demande, défense, appointement en droit.*

(18) Contumax ante litem contestatam, erat deserti vadimonii reus; contumax post litem contestatam, erat eremodicii seu deserti judicii reus; quod dicitur: *Défaut, faute de se présenter; et défaut, faute de défendre.*

(19) Qui enim missus est in possessionem ex primo decreto, incumbit possessioni, non ipse possidet: nempe ex primo decreto actor mittebatur in possessionem rei servandæ causa, ut caveret ne verus possessor faceret quid in rei detrimentum. Cicero ait *Oratione* 1 pro Quintio: « Ita possideto, ut tecum simul Quintius possideat; ita possideto, ut Quintio vis ne afferatur. »

(20) Ex primo decreto quis mittebatur tantum in possessionem, non autem fiebat possessor, ut ait Cujac. Paratlit. ad tit. *De re judicata:* nec enim omnis qui est in possessione, possessor est.

(21) Acquiritur possessio corpore et animo, ideo tantum res corporales proprie dicuntur possideri. « Tangere enim et tangi nisi corpus nulla potest res, » ut ait Lucretius; siquidem jura sunt incorporalia, et dicuntur quasi possideri. Vide Paratlit. Cujac. ad tit. *De acquirenda et retinenda possessione.*

(22) In specie hujus epistolæ supponendum actorem fuisse in possessione vel quasi possessione, quia de jure aliquo agebatur, ideo mitti non poterat in possessionem in qua jam ipse erat. Sed novum quodammodo videtur actorem ipsum esse in possessione, cum hac exceptione repelli posset C (quod petis intus habes). Supponendum, inquam, cum post actionem motam illum adeptum fuisse propria auctoritate possessionem. Sunt enim casus non pauci in jure, in quibus actio intendi potest ab ipso possessore.

(23) In specie proposita qui judicio se sistere neglexerat, non poterat ea pœna mulctari quæ solebat interponi adversus contumaces, ut scilicet actor mitteretur in possessionem, cum jam ipse esset in possessione.

(24) Quæ quidem jure canonico introducta est, sed moribus nostris repugnat. Vix enim, inquam, apud nos toleratum est, ut pro pecunia, re vel jure temporali suspensionis aut excommunicationis sententia proferatur.

(25) Aliud namque cognitor qui rei disceptandæ et judicandæ præpositus est, aliud merus exsecutor, cui tantum mandati aut rei judicatæ exsecutio commissa est.

D Hæc mihi Cæsaræi juris minus perito sciscitanti quis esset hujus epistolæ sensus, dictavit illico de verbo ad verbum, pro summa sua humanitate, vir illustrissimus, ac omnium scientiarum et virtutum dote cumulatissimus Guillelmus de Lamoignon senatus Parisiensis princeps, quem nuper exstinctum merito plangimus.

Ex concilio Lateranensi IV sub Innocentio III, anno 1215, can. 45: « Contigit interdum quod cum actori ob contumaciam partis adversæ adjudicatur causa rei servandæ possessio, propter rei potentiam, sive dolum actor infra annum rem custodiendam nancisci non potest, vel nactam amittit; et sic cum secundum assertionem multorum verus non efficeretur post lapsum anni possessor, reportat commodum de malitia sua reus. Ne igitur contumax melioris quam obediens, conditionis existat, de canonica æquitate sancimus, ut in casu præmisso, actor verus constituatur, elapso anno, possessor. »

proferri. Hæc de modico et angusto sacculo nostro proferimus eis qui de thesauro suo nova et vetera proferunt, non invidentes, non præjudicantes eorum responsis.

355-356 EPISTOLA CCXLI.

AD MAGISTRUM BERTERUM CAMERACENSEM ARCHIDIACONUM.

Laudat juvenem quem ei commendat.

Non fictam in recessu nostro voluntatem tuam, vel timide, vel negligenter occultasti, tacuisti, celasti; et quia nemo novit quæ sunt in homine, nisi Spiritus qui in ipso est, nobis de voluntate tua, nec prophetare licuit, nec libuit divinare. Modicæ fidei quare dubitasti? Si de eo nobis reducendo cogitabas, non id dissimulare debueras, nec aliud simulare. Oblitus fueras regulæ qua dicitur, amicorum idem est velle et nolle. Amo juvenem quia litteras amat, quia tu eum amas; amemus et nos alterutrum per modos et tempora primæ conjugationis, curramus diligenter invicem servientes; adolescens est opinionis bonæ, conversationis honestæ, et, ut seria risu terminemus, est expers notæ tibi notæ.

EPISTOLA CCXLII.

AD PAPAM.

Rogat eum ne adversarium suum jura impugnantem tueatur.

Ex quo mihi famulo vestro sancta benignitas vestra conceptam adversus me indignationem remisit, et in sinum gratiæ vestræ recepit; statim quasi infusa luce securitatis (26) omnes dubietatis tenebræ diffugerunt. Cumulatius accessit mihi quam vellent æmuli mei, quem sacro divini rescripti oraculo consolatione **357** paterna et juvistis pusillanimum, et flebilem refovistis. Scripsistis enim mihi, quod in supplicationibus meis facilem supplicandi panderetis aditum, et exaudiretis benevole et benefice postulantem. Et quia sollicitavit sanctam religionem vestram quidam inimicus meus, ut pro eo mihi scriberetis, quatenus in ecclesia nostra præbendam assignem, pedibus sanctitatis vestræ supplex accumbo ut, si placet, non inducatis animam meam in laqueum istum, nec permittatis canos meos deduci ad inferos cum mœrore. Hic ab initio dierum necessitatis meæ (27), quantum potuit, nocuit mihi, et amicos meos qui in mutuando pro tanta angustia mea, gratis me juvare volebant, pravis suggestionibus impedivit, repulit et avertit. Consanguinei ejus, cum quibus et a quibus in eadem domo nutritus est, gravia mihi damna, diripiendo res meas, intulerunt, et inferre non desistunt, et adhuc manus extenta si potuerint ad graviora. Si eum in Ecclesia mea recepero, ardentes in sinu meo inclusi carbones, clavum in oculis meis, lanceam in lateribus, in cubiculo scorpionem. Liberate me, obsecro, Pater, ab infestatione ejus, parcite senectuti, parcite infirmanti, parcite periculo, quod imminere timeo, ne gaudeat de me inimicus meus, et insultans dicat : Prævalui adversus eum, canosque meos cum insultatione trajiciat ad sepulcrum.

358 EPISTOLA CCXLIII.

AD REMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Opem ejus implorat contra cives Tornacenses sibi infestos.

Dies tribulationis et angustiæ dies hæc. Venerunt filii usque ad partum, et vires non habet parturiens; diu cruciamur quasi in interitum, pugnavimus quasi aerem verberantes. Cum autem post naufragium portus, post ægritudinem salus, post laborem requies speraretur a nobis, filii dissensionis et superbiæ, cives nostri, quod auctoritate domini regis et vestra statutum est, super quæstionibus quæ vertuntur inter nos et ipsos, irritare contendunt, in corruptela pecuniæ potius quam in censura justitiæ confidentes. Scriptas habemus consuetudines et capitulo et communiæ Silvanectensis, et sigillo episcopi et communiæ consignatas, quas nuntii prædictorum burgensium similiter nobiscum attulerunt. Eas, Pater, et a domino rege et a vobis (28) petimus confirmari ne, quod absit! suscitentur in posterum recidiva litigia, ne vulnus toties inflictum in cicatricem, et cicatrix in saniem computrescat. Providete, Pater, Ecclesiæ nostræ libertati, et clericorum vestrorum quieti, laborantium sub Ægyptiorum jugo, ne adversus dominam suam insolescat Agar, ne ministros Ecclesiæ Babylonii captivos ducant, ne laici opprimant sacerdotes, in sola protectione vestra confidimus, qui solus huc usque post Deum posuistis vos murum pro Ecclesia nostra; juvistis filios vestros, restitistis adversariis nostris, in manu potenti brachio excelso, quia non est qui nos redimat, neque qui salvos faciat.

359 EPISTOLA CCXLIV.

Agit de eadem civium Tornacensium controversia (29).

Indurata sunt adversus nos corda civium Pha-

(26) Hæc verba desumpsit ex officio quod recitatur in festo sancti Augustini, quæ ex ejus *Confessionibus* fuerunt decerpta.

(27) Quando scilicet sub initium episcopalis muneris secessit apud Marisiacum, ut proventus suos curiæ Romanæ officialibus percipiendos per biennium dimitteret, ut videre est epist. 188.

(28) Ex his verbis colligitur epistolam istam scriptam fuisse Guillelmo Remensi archiepiscopo, reginæ avunculo, regnique administro. Agit de quodam onere quod cives Tornacenses imponere volebant, tam episcopo quam clericis Tornacensibus.

(29) Colligitur ex hac epistola et ex sequentibus, Stephanum gravem controversiam habuisse, tam suo quam capituli nomine, cum civibus Tornacensibus, cujus cognitionem et judicium rex commiserat archiepiscopo Remensi, mandaveratque ut sacramento in manibus Stephani et abbatis de Cisonio præstito, coram ipso se sisterent, quod quidem obiter detrectabant, quousque vadem accepissent se nullam pecuniam pro excessu soluturos quibus assentiri cum episcopus renueret, regem adierunt ut eum dolis suis ac cavillationibus prævenirent. At cum episcopus animadverteret cives suos mandato episcopi Remensis non stare, ut inobedientes censuris

raonis, salutaribusque monitis Moysis nostri verba, A virulentibus morsibus infecta, in publicis et privatis conventiculis suis evomunt. Litteras domini regis, quas pro sacramento nobis faciendo receperunt, falsitatis arguunt et accusant, dicentes eas, nec mandato regio conceptas, nec sigillo regio sigillatas. Requisiti a me et ab abbate de Cisonio, ut sacramentum standi mandato vestro præstarent, responderunt se nunquam absolute responsuros, nisi adjecta clausula ista, quod pro excessu suo nihil pecuniæ solvere tenerentur. Addiderunt etiam, ut in tantum eis cautionem præstaremus, si pecunia quæreretur ab eis, nos pro excessu eorum, quæ non rapuimus, exsolvamus. Interim miserunt nuntios suos ad regem, si forte dignitatem regiam circumvenire valeant, vel corruptela pecuniæ, vel mendacii falsitate. Proinde, Pater sancte, vestris affusi genibus nos et tota Tornacensis Ecclesia, supplicamus vobis, ut, tam auctoritate vestra, quam regia potestate comprehendatis eos in astutia sua, comprimentes eorum superbiam, et malitiam continentes.

360 EPISTOLA CCXLV.

Scribit de eodem negotio et dissidio.

Commendabilem sollicitudinem vestram circa Tornacensem Ecclesiam summa devotione amplectimur, gratias agentes de præteritis, spem concipientes certissimam de futuris. Burgenses nostri contradictionis et inobedientiæ filii, contra sanctam Ecclesiam rebelles, contra regiam dignitatem contumaces, domini regis litteras de falso arguunt et accusant, dicentes eas nec regio mandato esse conceptas, nec sigillo regio consignatas. Sacramentum quod de voluntate regis præstare debuerant, scilicet quod mandato domini Remensis starent, se præstituros negant, detestantur, abjurant; et quia vos ferventi amore diligimus, significamus vobis insolentiam, superbiam et nequitiam eorum, quod, tam in privatis quam in publicis conventiculis, suis personam vestram latratibus improbis lacerant et condemnant, ut dignitatem regiam circumvenire valeant, vel corruptela pecuniæ, vel mendacii falsitate; et quoniam melius est occurrere in tempore quam post exitum vindicari, supplicamus, rogamus, et obsecramus in Domino, ut quod utiliter pro nobis incœpistis, viriliter compleatis; et quod bono est inchoatum principio, bono exitu peragatur.

361 EPISTOLA CCXLVI.

Civium Tornacensium infensum sibi describit animum.

Inter pressuras atque angustias quas in membris suis Ecclesia Dei sustinet, Tornacensis Ecclesia laborat, et gemit afflicta, pressa, omni solatio destituta, offendiculum suis, spectaculum alienis. A die Circumcisionis Dominicæ suspendit in salicibus organa sua, in civibus infructuosis cantica sua, in inveteratis claudicantibus in semitis suis lamenta sua. Contaminantur altaria, profanantur cœmeteria, prostituuntur in tributis Dominica sacramenta. Inter hos ejus dolores ex relatione nostra ad dominum Remensem et regem facta, tinnierunt ambæ aures utriusque, et, concurrentibus amborum consiliis ac præceptis, injunctum est civibus interdictis ut coram se starent mandato domini Remensis, et sic interdictum solvatur. Laboravimus super hoc præcedenti Sabbato, sequentique Dominica, feriaque secunda, et ad bestias depugnantes et verberantes aerem, parum fecimus, nihil profecimus; in omnibus his non aversus est furor eorum, sed adhuc manus eorum extenta. Tandem cum multa difficultate et labore promiserunt se in hac instanti feria quarta juraturos. Hæc sunt quæ excusabiles nos reddunt apud vos et charissimos fratres et filios nostros In-B sulenses canonicos, quod die significata nobis non possumus interesse. Deo autem volente, quacunque volueritis die infra octavam Pentecostes, ut possimus proficere, parati erimus proficisci. Si autem vobis placuerit, rogamus vos quatenus absentiam nostram vestra præsentia suppleatis, et nos ratum habebimus quidquid per vos fuerit definitum.

362 EPISTOLA CCXLVII.

Gratias agit pro decano Tornacensi, cui obsequium præstitum fuerat.

Excusabiles nos reddat apud vos absentiæ nostræ necessaria causa, quoniam, volente Deo, processu temporis purgabitur mora ista. Interim scire volumus dilectionem vestram quod dominus Re-C mensis ad preces vestras prius porrectas scripto, postmodum prolatas verbo, revocavit, mandatum, quo videbatur urgere decanum nostrum ad suscipiendum sacerdotii gradum. Super gratuito mutui vestri beneficio plenas vobis gratias agimus, sincero gratulationis affectu pleniores acturi, quandoquidem, per Dei gratiam, sereno compensationis affectu, si necesse habueritis, ope et opera nostra parati sumus nec sumptibus nostris parcere, pro voluntate vestra et utilitate.

EPISTOLA CCXLVIII.

AD ABBATEM S. AMANDI.

Eum arguit, quod monachos per alium episcopum fecisset ad sacros ordines promovere.

Jocosas et splendidas nobis apposuerunt episto-D las fratres vestri die Dominica, et in lætitia et in exsultatione cum ipsis sumpsimus eas. Sumpto cibo et peracta gratiarum actione, primo Deo, secundo vobis et fratribus vestris, micas, rorantes lacrymis et respersas amaritudine, nobis reliquias in exitu reservarunt. Didicimus ab eis quosdam ex monachis nostris **363** et vestris, in alieno episcopatu, et non a suo episcopo sacros ordines suscepisse, et duos eorum, adhuc nobis in domo vestra manentibus, missas novas, sacrilegio proximas, in monasterio vestro celebrasse. Plangentes et flentes exivimus, quod in tam periculosum incidimus laqueum, ut necesse sit nobis aut amicum perdere aut honorem. Si enim

ecclesiasticis et interdicto mulctavit. Qui tandem resipiscentes promiserunt se feria quarta proxima

sacramentum, uti rex mandaverat, præstituros.

dissimulaverimus, honore nostro spoliati sumus; si prosequi vel persequi voluerimus factum, offendemus amicum. Compellimur autem, licet inviti, alterutrum facere, quia simul utrumque non possumus retinere; et ne durum et asperum videatur id vobis, scire vos volumus, quia sacris canonibus terribiliter est expressum, quod ordinatio a proprio episcopo non suscepta, irrita sit habenda; nec exsequi debet sacerdotale ministerium, qui alium quam proprium episcopum ordinationis suæ habuerit ministrum. Videat discretio vestra, qualiter sine deformi cicatrice sanari possit hæc plaga nostra.

EPISTOLA CCXLIX.

AD ATREBATENSEM EPISCOPUM.

Queritur quod absque sua licentia monachis Sancti Amandi sacros ordines contulerit.

Miramur sanctam discretionem vestram ad hoc potuisse induci, ut monachos nostros de Sancto Amando nuper promoverit in sacros ordines, nobis non requisitis, ignorantibus, inconsultis; nec enim per ignorantiam juris aut facti vos fecisse credimus, cum et arcana sacrorum canonum vobis pateant, et monasterium Sancti Amandi nostrum esse minime dubitetis. Sed nec vestræ consuetudinis hactenus esse audivimus in alienam messem falcem vos mittere, et alterius **364** fraterna jura vel in modico usurpare. Nostis etiam quam terribiliter sacri canones hunc detestentur excessum, clamantibus eis quod ordinatio a non propriis episcopis facta, irrita sit habenda, et exsequi non debet sacerdotale ministerium, qui alium quam proprium episcopum suæ ordinationis habuerit ministrum. Domine meus, quid fecimus vobis, aut in quo molesti fuimus, ut tantæ læsionis mala a vobis reportemus? Videat sancta prudentia vestra, quomodo sine deformi cicatrice sanari possit hæc plaga nostra. Necdum deferbuit injuria quam a vestris abbatibus passi sumus, qui in diœcesi nostra, in monasterio, sicut vobis scripto et verbo significavimus, contra summum pontificem, contra dominum Remensem, contra parvitatem nostram, superbe et illicite excommunicationis sententiam proferre fecerunt: unde, si beneplacitum vestrum esset, acriter a vobis et corrigi et corripi debuerant; et ecce nondum sanato primo vulnere, secundo pugione percutimur, confodimur, vulneramur.

EPISTOLA CCL.

AD ABBATEM S. GENOVEFÆ PARISIENSIS.

Eum instruit de iis quæ sibi ad pacem habendam agenda erant.

Audito quid inter fratres nostros malitiose et flebiliter agatur, anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum. Doleo diebus ultimis canos meos cum mœrore ad inferos deduci, et, jam prope sepulturam meam, non tam funebre quam lugubre spectaculum celebrari. Quis enim lætitiæ et jucunditatis locus erit, ubi viscera mea diris incisionibus **365** læduntur, fratres et filii mei contentionibus et rixis armantur; unitas fraterna scinditur, pax antiqua solvitur et fugatur? Ecce reviviscunt cineres incendiorum, sub abbatibus O. et A. (30) sævientium, et in flammas voraces miserabiliter excrescunt, ut omnia in nobis virtutum germina eradicent. Ergone peribunt labores mei, tribus lustris illustres (31), Ecclesiæ utiles, hominibus accepti, et (utinam!) Deo grati. O cæca ambitio, quo festinas! non insultando, compatiendo dico. O superbia, quantum potes! o invidia, quid insanis! Charissimo tibi imputare potes, qui alienarum arborum radices fertiles et amaras olcæ nostræ inserere voluisti. Nunquid poterit oleaster, insertus oleæ contra naturam facere fructus bonos? Quid vobis et transfugis Carthusiæ (32)? quid vobis et incolis Aroasiæ? Inter hæc accinge sicut vir non solum lumbos tuos, sed omnes cogitationes, affectus et actus. Arma te fortitudine, patientia et virtute, quoniam per Dei gratiam plures erunt nobiscum quam cum illis. Ego autem in proximo, Deo volente, omissis omnibus negotiis meis, venturus sum ad vos pro pace et auctoritate vestra conservanda, et inter fratres et filios vestros pro posse nostro concordia reformanda.

366 EPISTOLA CCLI.

AD PAPAM.

Reprehendit nimiam multitudinem decretalium, et professores qui eis abutebantur.

Impetrata venia loquamur ad Dominum nostrum, cujus mansuetudo nostram suscitat audaciam, prudentia sustinet imperitiam, patientia promittit impunitatem. Compellit hinc majorum auctoritas, inde morbus paulatim serpens, cujus molestiæ si non occurritur in primis, incurabilis est in extremis. Nec hoc dicimus, Pater, tanquam velimus esse aut

(30) Odone scilicet et Alberto. Odo ille quondam prior S. Victoris, primus canonicorum regularium S. Genovefæ abbas effectus est. Qui cum senio fractus, ejus monasterii regimen dimisisset, in ejus locum Albertus suffectus est. Quæ autem contentio inter canonicos S. Genovefæ Odonis tempore exorta fuerit, non apparet, at sub Alberto nati dissidii causa legitur in Vita S. Guillelmi apud Surium die VI Aprilis, scilicet circa electionem prioris ejusdem monasterii.

(31) Ex his verbis colligitur Stephanum nostrum per XV circiter annos abbatiæ S. Genovefæ Parisiensis præfuisse, ab anno scilicet 1176 ad 1192, aut 93.

(32) Legitur in *Necrologio* S. Genovefæ nonnullos canonicos regulares hujus domus ad ordinem Carthusiensium vitæ perfectioris studio convolasse, ut III Idus Martii his verbis: « Obiit Petrus canonicus hujus Ecclesiæ professus, postea monachus Carthusiensis. » Et IV Nonas Augusti: « Obiit frater Bernardus sacerdos canonicus noster professus, postea Carthusiensis monachus. » Quidam etiam eo animo ducti se receperunt in monasterium Aroasiense, diœcesis Atrebatensis, canonici ordinis, ubi strictissima servabatur disciplina; siquidem D. Bernardi consilio ab usu carnium et linearum abstinebant. Forte horum a monasterio S. Genovefæ recessus murmuris et rixæ occasionem subministravit.

morum censores, aut doctorum judices, aut doctrinarum discussores; fortiores humeros sarcina ista requirit, et robustos athletarum, spiritualium lacertos pugna hæc exspectat. Id tantum quod dolet significare volumus sanctæ paternitati vestræ, cui Deus contulit et potestatem corripiendi errores, et scientiam corrigendi. Lapsa sunt apud nos in confusionis officinam sacrarum studia litterarum, dum et discipuli solis novitatibus applaudunt, et magistri gloriæ potius invigilant quam doctrinæ, novas recentesque summulas et commentaria firmantia super theologica passim conscribunt, quibus auditores suos demulceant, detineant, **367** decipiant, quasi nondum sufficerint sanctorum opuscula patrum, quos eodem spiritu sacram Scripturam legimus exposuisse, quo eam composuisse credimus apostolos et prophetas. Ignota et peregrina convivis apponunt fercula, cum in nuptiis filii regis, tauri et altilia ejus sint occisa parataque omnia, nec restat venientibus ad nuptias, nisi quæ apposita sunt prendere et prandere. Disputatur publice contra sacras constitutiones de incomprehensibili deitate, de incarnatione Verbi verbosa caro et sanguis irreverenter litigat. Individua Trinitas in triviis secatur et discerpitur, ut tot jam sint errores quot doctores, tot scandala quot auditoria, tot blasphemiæ quot plateæ. Rursus si ventum fuerit ad judicia quæ jure canonico sunt tractanda, vel a vobis commissa, vel ab ordinariis judicibus cognoscenda, profertur a venditoribus inextricabilis silva decretalium, epistolarum, quasi sub nomine sanctæ recordationis Alexandri papæ; et antiquiores sacri canones abjiciuntur, respuuntur, exspuuntur. Hoc involucro prolato in medium ea quæ in conciliis SS. PP. salubriter instituta sunt, nec formam conciliis, nec finem negotiis imponunt, prævalentibus epistolis, quas forsitan advocati, et conducticii sub nomine Romanorum pontificum in apothecis sive in cubiculis suis confingunt et conscribunt. Novum volumen ex eis compactum, et in scholis solemniter legitur, et in foro venaliter exponitur, applaudente cœtu notariorum, qui in conscribendis opusculis suspectis, et laborem suum gaudent imminui, et mercedem augeri. Væ duo prædicta sunt, et ecce restat tertium væ. Facultates quas liberales appellant, amissa libertate pristina, in tantam servitutem devocantur, ut comatuli adolescentes eorum magisteria impudenter usurpent, et in cathedra seniorum sedeant imberbes; et qui nondum norunt esse discipuli, **368** laborant ut nominentur magistri. Omissis regulis artium, abjectisque libris authenticis, artificum muscas inanium verborum, et sophismatibus suis, tanquam aranearum tendiculis includunt. Clamat philosophia vestes suas scindi, et disrumpi, nec consulitur ab antiquo, nec antiquam consolatur. Hæc omnia, Pater, correctionis apostolicæ manum desiderant, ut informitas docendi, discendi, disputandi, auctoritate A vestra certam redigatur ad formam, ne sermo divinus attritione vulgari vilescat, ne in angulis dicatur: Ecce hic Christus, aut ecce illic, ne sanctum canibus, et margaritæ porcis conculcandæ tradantur.

EPISTOLA CCLII.

AD PRÆLATUM QUEMDAM.

Rogat ut a rege obtineat dispensationem, ne curiæ cogatur adesse.

Necessarius est advocatus in causa, consolator in lacrymis, in naufragio portus, in ægritudine medicina. In his vel his similibus unicum inveni refugium, gratiam vestram, Pater, ut nec minæ deterreant, fraudes decipiant, nec æmulatores commoveant, nec delatores convincant. Supplicatorium est quod propono, non B parabola, vel problema. Significavit mihi quidam amicus meus de palatio domini regis, quod in proximo auditurus sum verbum asperum, et mandatum accepturus amarum eundi ad curiam; cujus viæ certa sunt pericula, incerta remedia, comminatio mortis, in animis spes nulla reditus, finis ambiguus; in palatio illo pugna sine victoria, labor sine gratia, fructus pœna. Sexagesimum et ultra, puer ego vestræ sanctitatis, annum explevi, qui numerus **369** et ex regni consuetudine monachis interdicit pugnam, et ex Evangelio, post carnis illecebras vidualem monet continentiam, et ex jure civili militibus emeritis ad honestam sufficit missionem. Fractus corpore, laboris impatiens, morti proximus, senectutis incommoda sentiens et degustans, sanctæ C paternitati vestræ preces fundo, ut huic periculo vestram, si placet, opponatis auctoritatem; et interventu vestro, qui solus sufficere potest, eripiatis animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu.

EPISTOLA CCLIII.

AD QUEMDAM DECANUM

Rogat ut Petro nepoti suo veniam concedat.

Flagellum correctionis vestræ miserabili Petro meo nuper impositum, movet me vehementius, et monet ut pro eo preces dilectioni vestræ fundam, quamvis ipse non minus in morum semitis, quam in pedum vestigiis cœpit claudicare. Parcite, obsecro, D tantillo sanguini meo, parcite reliquiis meis paucis, et homini infirmo, ne inter verbera vestra absorbeatur a pusillanimitate spiritus et penuriæ tempestate. Nolite conterere, si placet, in eo calamum quassatum, nec lignum fumigans exstinguere. In intuitu precum mearum beneficium absolutionis mereatur accipere, qui mœret vinculum suspensionis. Absit a benigna liberalitate vestra, ut qui semper et vobis confisus sum, inveniar hic confusus. Quod si forte cum in aliquo punire volueritis, parcite, obsecro, saccello (33) pauperis, in quo et pecunia nulla, et penuria est immensa.

(33) Agit in hac epistola de quodam consanguineo, qui beneficium ordinis S. Benedicti obtinuerat, rogatque ne in culpæ pœnam, ejus fructibus, quibus vitam sustentabat, privetur.

370 EPISTOLA CCLIV.

Preces fundit pro eodem nepote suo.

Qui præsentem diligit, absentis sæpius recordatur. Hujus regulæ te discipulum esse credens, antiquas inter nos amicitias confido te et retractare frequentius, et frequentius observare. Per hujus fœderis insolubile pignus, obsecro te in Domino, decano ardentes et efficaces preces fundas pro miserabili cognato meo, quamvis non morum minus quam nummorum penuriam patiatur. Certus quoniam facilis tibi supplicandi panditur aditus; etsi volueris instare, felix erit exitus impetrandi; per te mihi beneficium sentiam quem pro me sæpe benevolum sum expertus. Absolvatur ope et opera tua, precor, a suspensionis vinculo, cui astrictus tenetur, et debilitatis incommodo, et vinculo paupertatis, in gratiarum plenitudine debitor ero domino decano, tibi in reliquiis earum.

EPISTOLA CCLV.

Censet non esse audiendos subditos male appellantes, ut correctionem prælatorum regularium detractent.

Forma regularium institutionum, multis excogitata vigiliis, sicut disciplina est humilibus, sic est rebellibus contraria; ejus integritatem certis finibus inclusam, contradictionis et inobedientiæ filii, nunc insidiando circumvolant, nunc latendo subripiunt, nunc inficiendo corrumpunt : prætendunt religionis **371** speciem, virtutis ejus expertes; et ut judicum auctoritatem circumveniant, veritatem subvertere non verentur. Suspectum est illud poculum, Pater, cujus exteriora lita sunt melle, interiora vinum non sapiunt, sed venenum. Hujus artificii ministros audivimus vos audivisse, et ad eorum suggestionem scripsisse quædam abbati S. Satyri viro religioso et honesto, quæ sub quadam forma prohibitionis et præcepti virgam corripiendi afferunt, non lineam corrigendi. Mandato vestro, verbum asperum, terribile cauterium excommunicationis addidistis, ne aliquis in ecclesia S. Satyri post factam professionem, vel post appellationem ad majorem audientiam, violenter ejiciatur, aut injuste vexetur quousque causa ejus canonicam audientiam accipiat in præsentia vestra, in quibus totius dissolutionis fames, et dissensionis incendium continetur. Quoniam cum aliquis in illa venerabili hactenus Ecclesia offenderit, unde disciplinis regularibus subjacere debeat, statim correptionem correctionemque declinans, ad appellationis convolabit diffugium, se dicens injuste et violenter ejici. Certe si culpa talis fuerit pro qua ejiciendus A sit (34), ne contagione pestifera cæteros perdat, interim postulabit judicem ordinarium, conflabit excusationes, patrocinia requiret, et quæ secretius in capitulo corrigi debuerant, in consistorio publice proponentur. Accendentur alii ad similes judiciorum strepitus, et impunitas delicti incentivum pariet delinquendi. Contraria sunt hæc sacris canonibus, et contraria capitulo Lateranensis concilii (35), quod sic incipit : *Reprehensibilis*, contraria privilegiis ordini nostro indultis. Quæ si observata non fuerint, dissolvetur religio, turbabitur ordo; et confusis omnibus, qui subesse debuerant, incipient præesse; et cauda in caput, et caput convertetur in caudam. Oramus et obsecramus in Domino, **372** ut tam periculosos revocetis, mandatum et B auctoritatem suam restituatis prædicto abbati, viro religioso et honesto, ut sicut tempore bonæ memoriæ abbatis R. secundum ordinem nostrum fieri solebat, et adhuc in Ecclesiis observatur, liceat prælato et culpas regulariter corrigere, et officiales suos, quando necesse esse viderit, ponere, permutare, instituere, amovere.

EPISTOLA CCLVI.

AD EPISCOPUM CAMERACENSEM.

Consolatur eum ægritudine laborantem.

Eo intuitu, Pater, respicimus incommodum vestrum, quo et amicus debeat affici et proximus; nec enim peregrini sumus ab illo, qui non quærit quæ sua sunt, et cum scandalizatis uritur, et cum C infirmantibus infirmatur, quia flere debemus cum flentibus. Humiliter afflicto compatimur, quia virtus in infirmitate perficitur, utiliter episcopum consolamur. **373** Flagella Dei, beneficia sunt; percussiones ejus, remedia; cauterium ejus, medicina. Probetur in dolore patientia, longanimitas in cruciatu non deficiat, in gratiarum actione vigilet amor castus. Hæc sunt quibus placari poterit, qui percutit et sanat, occidit et vivificat, diligit et castigat. Vobiscum partem calicis hujus compatiendo combibimus, nec expertes erimus tribulationis ægroti, qui experti sumus dilectionem sani. Interim quæ possumus impendimus, rogantes Dominum Jesum, ut qui socrum Petri liberavit a febribus, jacenti famulo suo manum porrigat salutarem, et D excoctum tanquam aurum in fornace reddat antistitem in ministerio suo, reddat populo, reddat clero. Præter hæc sustinete modicum patientiæ meæ, quia non modice presbyter vester S. Brixii me læsit immeritum, sagittavit ignarum, tetigit improvisum. Sibilavit in auribus presbyterorum

(34) Licitum semper fuit in ordine canonico extra monasterium ejicere eos qui aut correctionem subire detrectabant, aut correpti se in meliorem frugem non recipiebant, sed aliis scandalo ac perverso erant exemplo. Quod quidem etiam in ipsa S. Augustini Regula jubetur his verbis : « Quod si forte recusaverit, etiamsi ipse non abcesserit, de vestra societate projiciatur; non enim et hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat. » Quæ verba hic usurpantur.

(35) Hic canon est 6, qui incipit : *Irreprehensibilis;* in isto autem canone hæc verba leguntur : « Ne monachi, sive quicunque religiosi, cum pro aliquo excessu fuerint corrigendi, contra regularem prælati sui et capituli disciplinam appellare præsumant, sed quod humiliter eis fuerit injunctum, etc. » Concilium vero Lateranense, de quo hic agitur, congregatum fuit ab Alexandro III, anno 1179.

vestrorum, audisse inter vos, et nos, simultates et A odia vel currere, vel latere; si odiorum causa est idonea, sequetur satisfactio prompta pariter et parata. Sin autem, puniatur lingua tertia, quæ et fratres voluerit dividere, et inter amicos jurgia seminare.

EPISTOLA CCLVII.

AD QUEMDAM PRÆLATUM ECCLESIÆ ROMANÆ.

Rogat eum ut impediat ne quidam clericus præbendam in sua Ecclesia obtineat.

Inter initia promotionis meæ, passus indignationem et iram, immissiones per angelos malos tanti turbinis impetu dirigui, Pater, ut mihi ipsi tædio essem, amicis calicem tristitiæ miscerem, inimicis insultandi materiam darem. Pacato tandem placatoque **374** domino papa per Dei misericordiam, B post multos labores meos, vix respirare cœperam, cum ecce quidam inimicus meus, animam meam quærens, a summo pontifice litteras impetravit, ut eum in Ecclesia nostra recipiam, et ei præbendam, quando vacaverit, assignem. Liberate me, Pater, a peste ista, obsecro, et supplicate domino papæ pro me famulo vestro, clerico vestro, et si audeam dicere amico vestro, ne addat iterum afflictionem afflicto, et reliquias indignationis suæ quas exstinxisse me credideram, meam suscitet in ruinam. Exaudite, si placet, in hujus tempestatis articulo, etsi non preces meas, saltem preces nepotis vestri, cui ad voluntatem vestram in Ecclesia nostra præbendam et benevole promisi, et beneficio donavi. Benevolus est qui promittit, beneficus qui largitur. C Quod si donantis hilaritas comitetur, utrumque totum qui recipit, sese debet infundere in gratiarum plenissimam actionem.

EPISTOLA CCLVIII.

AD DECANUM CURTRACENSEM.

Conqueritur de quodam qui suum mandatum spreverat.

Tædet nos toties scribere, cum litterulæ nostræ nec utilitatem vobis conferant, nec honorem. Exspectans exspectavi presbyterum de Lincellis, et non intendit mihi: aut negligit, aut contemnit. Si negligit, arguendus est; si contemnit, puniendus est. Arguendus per increpationem, puniendus per suspensionem. Utrumque tibi præcipimus, nisi et tu cum eo de negligentia velis argui, aut de inobe- D dientia condemnari.

375 EPISTOLA CCLIX.

AD EPISCOPUM ATREBATENSEM.

Agit de suo ac civitatis statu.

Quia de statu nostro placuit vobis inquirere, nihil aliud respondere possumus, nisi quod status civitatis nostræ, casus fortuitos exspectat, certat cum incertitudine, pendet ex insidiis fortunæ, cespitat in invio, palpitat in obscuro. Accingimur in muro, et vallo cingimur, similes filiis Israel qui, post transmigrationem muros civitatis dirutæ reficientes, altera manu gladium, altera trullam cæmentarii tenebant. In sudore vultus nostri laboramus, terram ejicientes fossorio, et cophino efferentes. Hæc est sollicitudo nostra, dum exspectamus qui salvos nos liberet ab hostibus, qui nos undique concludunt, ut nec liberum introitum, nec liberum habeamus egressum.

EPISTOLA CCLX.

AD ROBERTUM ABBATEM S. VICTORIS PARIS.

Mittit epitaphium Mauritii episcopi Parisiensis, quod iis flagitantibus composuerat.

Dictum est nobis quod excitare velitis verecundiam nostram, et rubori nostro non parcentes, antiquo me includere ludo. Onus importabile nobis imponitis, cui non sufficeret Virgiliana gravitas, aut levitas Ovidiana, scilicet ut subscribamus aliquid sepulcro magni sacerdotis (36) Patris nostri M. Parisiensis **376-377** episcopi, quod intuentibus memoriam ipsius repræsentet. Si fecerimus et legentibus ludibrio erimus et ridiculum audienti. Delirum senem clamabunt, arguent episcopum imprudentem, qui cum sacramentis debeat intendere, versiculis pueriliter occupetur. Rursus difficile est Mauritianas virtutes brevi claudi epigrammate, brevi epitaphio comprehendi. Ne tamen vobis appareamus ingrati, compresso interim pudore paucos elegos scribimus (37), ut ex eis duos aut quatuor, qui vobis magis placuerint, excerpatis. Rogamus et obsecramus in Domino, ut auctoris tacito nomine recitentur:

Excisus misero lacrymarum vallis in orbe
Ponitur æterna vivus in urbe lapis (38).
Doctor et antistes, cathedra condignus utraque (39),
Clamat Parisius non habuisse parem.
Virginei mensis quæ tertia prævenit idus,
Splendorem sepelit nube sepulta dies.

(36) Id est episcopi Parisiensis Mauritii. Vocantur enim episcopi majores sacerdotes qui præsunt aliis, ipsisque munus consecrationis impertiuntur, suaque dignitate et potestate majores aliis presbyteris. Obiit autem Mauritius anno 1196, III Idus Septembris, quo anno videtur scripta hæc epistola. Sepelitur autem in chori ecclesiæ S. Victoris meditullio, ubi legitur hoc epitaphium, sed recentioris notæ: *Reverendus Pater Mauritius Parisiensis episcopus, qui primus basilicam B. Mariæ inchoavit.*

(37) Versus elegiacos tumulo inscribendos, sed tantum quatuor ex his fuerunt appositi, ut antiqua S. Victoris monumenta testantur in hunc modum:

Doctor et antistes, cathedra condignus utraque,
A prima meruit continuare duas.
Sana fides, doctrina frequens, eleemosyna jugis,

(38) Hoc titulo afficit Mauritium episcopum, siquidem præsules exemplo Christi sunt lapides vivi et angulares, facientes utraque unum. Alludit etiam ad id quod habetur in Hymno dedicationis Ecclesiæ, *Urbs Jerusalem beata*, quæ construitur in cœlis vivis ex lapidibus.

(39) Episcopali scilicet Parisiensi, et scholari, in qua doctor eximius publice theologiam docebat, de quo ait *Chronicon* monachi Altissiodorensis: « Floruit Mauritius episcopus, qui ob industriam et litterarum eximiam et disertitudinem linguæ præcipuam, de infimo magnæ paupertatis, ad pontificalis evectus est apicem dignitatis. »

A prima meruit continuare duas (40).
Sana fides (41), *doctrina frequens, eleemosyna jugis* (42),
Clamat Parisius non habuisse parem.
Magnificum structura domus (43), *et fabrica templi* (44),
Munificum perhibent, advena, pauper, inops.
Horrea pauperibus, et scrinia semper aperta.
Exposuit, miseris semper aperta manus.
Pontificem tanti meriti, servumque fidelem,
Serva Mauritium, virgo Maria, tuum.

378 EPISTOLA CCLXI.

AD HUGONEM CANONICUM S. GENOVEFÆ PARISIENSIS.

Conatur levare mœrorem a morte nepotis conceptum.

Senex seni, infirmus debili, remotus absenti, consulo, suadeo, suggero ut, sicut habueras consi- B lium in prosperis, habeas solatium in adversis. Obitum nepotuli tui ne plangas, qui raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, quem credimus immaculatum corpore, sic et immaculatum mente, non tam a te recessisse, quam te ad Dominum præcessisse. Lacrymæ quæ super mortuos funduntur inanes sunt, et quæ officiunt flenti, ei non proficiunt pro quo fletur. Vellem te mecum esse, et ita me tecum, ut communia nobis essent tam prospera quam adversa et utrique solatio esset senectus similis, alterutri delectabilis et neutri alterius onerosa. Utinam quandoque videamus nos invicem, ut invideamus nulli, et invideat nullus nobis.

379 EPISTOLA CCLXII.

AD GUILLELMUM ARCHIEPISCOPUM REMENSEM.

Scribit pro Ingelburge regina, in cujus gratiam ejus implorat opem et auxilium.

Assumpta paulisper audacia loquar ad dominum meum, nec tenuitate præsumens, nec pusillanimitate diffidens. Non abjiciet me plastes lutum suum, vasculum suum figulus, artifex opus manuum suarum; non A abjiciet, inquam, vel a queror querentem, vel a mœreor mœrentem, quem extulit et prætulit, nec a quæro quærentem, nec a mereor merentem. Requis ta est non parabola quam propono, cui et compassionem debeat benevolus animus, et consolationem benefica manus. Est apud nos pretiosa margarita, quæ conculcatur ab hominibus, honoratur ab angelis, digna thesauro regio, digna palatio, digna cœlo. Reginam dico (45), quæ apud Cisonium quasi ergastulo clauditur, paupertate premitur, exsilio relegatur. Plangimus fortunam personæ, Deo relinquimus causam fortunæ et exitum causæ. Quis enim sit tam ferrei cordis, lapidei pectoris, quem non moveat in tanta adversitate puella illustris regum natalibus, insignis moribus, sermonibus verecunda; cum Ambro- B siana virgine, pulchra facie, sed pulchrior fide; annis quidem juvencula, sed animo cana, pene dixerim Sara maturior, Rebecca sapientior, Rachele gratior, Anna devotior, Suzanna castior. Ab his qui de formis mulierum solent disputare, nec deformior Helena, nec Polixena abjectior judicatur. Quotidianum studium ejus orare, aut legere, aut operi manuum operam dare. Aleam nescit, tesseram ignorat, ipsas orationes a **380-384** mane usque ad sextam protensas cum lacrymis et gemitibus effundit, non tam pro se quam pro domino rege. In oratorio nunquam sedet, aut corpore semper erecta, aut flexis genibus semper acclivis et prona. Credimus, quia si talem cognosceret Assuerus noster, C gratam haberet Esther suam, et extensa virga benevolentiæ, virga dilectionis, virga regni sui, revocaret eam in amplexus regios, commutans divortium consortio, rancorem mansuetudine mitigans, exterminans odium veritate, quia credimus quod aut verbo aut voluntate diceret ei : *Specie tua et pulchritudine tua, intende, prospere procede, et regna* (*Psal.* XLV); et illud amatorium Salomonis :

(40) His verbis innuit Mauritium primum theologiam fuisse professum publice Parisiis, quod munus antistes creatus non dedignatus est etiam obire.

(41) De ejus fide præclarum refertur exemplum a Rigordo, qui de illo hæc scribit : « Quia resurrectionem corporum, de qua multos periios tempore suo hæsitantes audierat, firmissime credebat, cupiens illos ab incredulitate sua etiam moriens revocare, rotulum scribi mandavit hujusmodi scriptum continentem : *Credo quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum, quem visurus sum ego ipse, et non alius, et oculi mei conspecturi sunt, reposita est hæc spes mea in sinu meo* (*Job* XIX). Hunc rotulum in extremis agens, super pectus suum extensum a fidelibus suis et familiaribus poni præcepit, ut omnes viri litterati ad ejus sepulturam in die obitus sui convenientes, et hanc sacram Scripturam legentes, firmissime communem omnium corporum resurrectionem crederent, et deinceps nullatenus dubitarent. »

(42) Hæc de illo Rigordus : « Quidquid in re mancipi habuit, pauperibus erogavit. »

(43) Ipse enim Salomonis instar domum Dei ac domum suam, palatium scilicet episcopale quod etiam superest, construxit, saltem ejus capellam et aulam peramplam ac spatiosam.

(44) Construxit quoque elegantem et insignem basilicam B. Mariæ, licet eam forte non inchoaverit nec perfecerit. Quod testatum reliquit monachus idem Altissiodorensis his verbis : « Hic inter præclara opera sua ecclesiam, cui præerat, a fundamentis exstruxit, duosque pontes lapideos, alterum super Sequanam, alterum super Matronam. »

(45) Scilicet Isemburgem vel Ingelburgem de Dania, quam rex Philippus, animi levitate, aut ali- D qua cognatione ductus, velut nonnullis placet, incantationibus fascinatus, repudiaverat, ut Mariam ducis Turingiæ filiam acciperet. De hoc divortio hæc habentur in *Memoriali historiarum Jo.* a S. Victore sub annum 1198 : « Eodem anno rex Philippus cum nollet sororem regis Dacorum accipere uxorem suam, admonitus a papa per cardinales, Petrus Capuanus eum excommunicavit, consilio prius apud Divionem convocato, et quia aliam inductam tenebat, nec deferens appellationi regis, regnum Franciæ interdictum est, et hoc in festo S. Nicolai ; sed sententia non fuit promulgata usque post Natale. Et tunc Philippus misit nuntios ad papam, et recessit. Cum rex misisset ad papam, iterum misit in Franciam Octavianum Ostiensem episcopum, et Joannem Velitrensem, per quos rex Philippus Mariam abjecit superinductam, et primam uxorem recepit superficie tenus, non reddens debitum, sed postea iterum dimisit. » Diploma Innocentii III pro interdicto regni, de quo hic agitur, exstat inter

Revertere, revertere, Sunamitis, revertere ut intueamur te (*Cant.* VI), propter honestam morum elegantiam. Talis ac tanta regum martyrumque beata progenies (46), germen nobile, semen sanctum, reculas suas, vestes scilicet modicas, et vasa paucula cogitur præ inopia victus exponere, distrahere, subhastare. Alimoniam petit, eleemosynam postulat, manum porrigit ut accipiat, et supplicat porrigenti. Flentem sæpe vidi, et ego flens cum ipsa, et pro ipsa contremuit cor meum et expavit. Commonui, quantum potui, ut jactaret cogitatum suum in Domino, quod et ipsa facere non destitit; respondebat per singula : Amici mei et proximi mei recesserunt a me; unicum refugium meum, dominus meus Remensis archiepiscopus, qui me ab initio adversitatis meæ liberaliter fovit, aluit, nutrivit. Moveant vos, Pater, tam nobilis et præcipuæ puellæ, avis et atavis regibus editæ lacrymosa suspiria, flebiles gemitus et qui tot et tantis pauperibus erogatis eleemosynam, mendicanti, post tantam gloriam, reginæ pietatis vestræ viscera non claudatis. Excessit epistola modum, sed increpabat brevitatem materia, et pietas accendebat stylum. Valete.

385 EPISTOLA CCLXIII.

AD EUMDEM (47) IN PERSONA EJUSDEM REGINÆ.

Rogat ne patiatur sui matrimonii dissolutionem, et non cogatur ad alias convolare nuptias, et in alienas manus devenire.

In ratione et excessu calculi beneficiorum vestrorum, Pater, anima mea quantum ad condignas gratiarum actiones, et non sufficit affectu et deficit intellectu. Vere Dominus respexit humilitatem ancillæ suæ, qui per gratiam suam vobis inspiravit, ut juvetis pusillanimem, refoveatis flebilem, consulatis exsuli, soli sitis solatio, ne tantæ calamitatis impetus, in me famula vestra, calamum quassatum conterat et lignum fumigans perexstinguat. Beneficia vestra superabundant et merita supplicis excedunt et vota, cum alium qui vobis retribuat non exspectetis, nisi Deum; et alii, qui vobis dissuadeat, facilem non præbeatis auditum. Non permittat, quæso, Dominus meus in hoc misericordiæ suæ cursu, inter alienas manus (48) me devenire, ne si forte, quod absit! accideret, foret mihi ruina, non casus; præcipitium, non descensus. Interim mitto vobis de parvo thesauro parva munuscula, non quasi meritoria gratiæ vestræ, sed quasi commonitoria fortunæ meæ (49).

* 386 EPISTOLA CCLXIV.

AD DOMINUM SOFREDUM S. ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALEM.

Quoniam suffragio justæ pœnitentiæ juvari desidero, procidens ad pedes vestros, paratus sum tam vobis quam nepoti vestro servire, subesse, obedire. Indulgete mihi, obsecro, juvate pusillanimem, et auxilii consiliique manum porrigite, quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus. Absorbeat indignationem clementia vestra, liberalitas rancorem comprimat, renovet amicitiam gratia, non meritum.

EPISTOLA CCLXIV (*bis*).

AD JOANNEM FILIUM CANCELLARII ALMÆ URBIS.

Veteres amicitiæ nec contemptu abjici debent, nec fastidio premi, nec oblivione deleri; augeri volunt, non minui; convalescere, non perire. Harum commercio sic aliquando juncti sumus, ut alter alteri vellet et in adversis compati, et in prosperis congaudere. Hac fiducia monitus et motus, obsecro te per illam antiquam mutuæ societatis et dilectionis copulam, ut domino Patri tuo sacræ urbis cancellario, viro quem diligimus in Christo, preces instantes pro me porrigas, quatenus negotium quod ei per litteras significavi, et benevole suscipiat, et benefice pertractet. Consilio suo liberet me ab homine iniquo et doloso, qui cum amicis meis me prosequens et infestans, **387** sanguinem meum sitit, et pacem turbare non desistit.

EPISTOLA CCLXV.

AD QUEMDAM PRÆLATUM REGULAREM.

Monet ut culpas in decursu suæ visitationis deprehensas diligenter examinet et corrigat.

Boni pastoris interest curam gregis sibi a Deo commissam tanto mentis affectu suscipere, ut religiose viventes, non solum possit in suo statu conservare, verum etiam exemplo suæ conversationis et famæ ad summum apicem religionis promovere. Hinc est quod miror, nec satis admirari sufficio quæ necessitatis occasio, quæ vos festinatio, gradu tam citato per partes nostras compulit transire, nec ad domus nostræ hospitalitatem declinare, ut præ-

ejus *Regesta*. « Datum Laterani, pontificatus anno III. » Incipit : « Quanto charissimum (*a*). »

Infelix illa regina sic dimissa, ad Stephanum nostrum confugit, qui ei apud Cisonium monasterium canonicorum regularium suæ diœcesis Tornacensis paravit hospitium, ubi a sæculi curis et pompis curiæ semota, Deo et orationi vacabat. Piam ejus vitam, inopia tamen et ærumnis afflictam, apud Guillelmum Remensem archiepiscopum ipsius regis avunculum, diserte hic exponit auctor noster, opemque ejus postulat, ac si fas est dicere, stipem emendicat pro regina inope, et in extremis redacta angustiis.

(46) Erat enim filia Vadelmari Daniæ regis, filii Canuti, nepotis S. Canuti regis et martyris, cujus festum recolitur in Ecclesia die 19 Januarii, ut patet ex serie genealogica regum Daniæ.

(47) Eo fine videtur scripta, ut grates rependat eadem regina archiepiscopo Remensi de auxilio, quod sibi in extremis angustiis positæ præstiterat, sicut eum per epistolam superius scriptam rogaverat, in qua apparet ipsam etiam alimentis ad vitam sustentandam necessariis caruisse.

(48) Videtur ab ipso expetere, ut non sinat matrimonium suum cum rege initum irritum declarari, ne ad secundas et alienas nuptias convolare cogatur, quod tuta fieri posse conscientia diffidens, ut grave malum formidabat.

(49) Munera illa exigua quæ mittebat, et regiæ munificentiæ non congrua, tenuem ac humilem ejus sortem arguebant.

(*a*) Vide Opp. Innocentii III editionis nostræ t. I. EDIT. PATR.

sentia vestra exhilarati, consilio roborati, auxilio suffulti, quod minus ordinate gestum fuisset corrigeremus, et quod minus decenter ornatum, ad gradum perfectionis perduceremus. Igitur paternitatem vestram imploramus, ut onus quod zelo justitiæ et instinctu divini amoris suscepistis, meliori fine concludatis, ut congregationes fratrum nostri ordinis visitantes, culpas diligenti scrutinio examinetis, examinatas corrigatis, correctas immutetis, ut quotquot vestræ discretioni commissi sunt, ante tribunal judicis immutatos inveniatis.

388 EPISTOLA CCLXVI.

AD AMICUM SUUM.

Monet ut caveat ne damnum aliquod a nepotibus suis patiatur.

Noverit vestræ dilectionis discretio, me pro pace patriæ et stabilitate nostræ Ecclesiæ, modis omnibus, quibus potui, laborasse, nec in bono pacis firmiter adhuc restitui potuisse; siquidem nepotes mei in auxilio domini H. fiduciam concipientes, et ideo superbo oculo incedentes, et odio insanabili me persequentes, terram meam devastare conjuratione perfida conjuraverunt; et quia invidorum relatione et susurrone detrahentium fidelitati vestræ innumeram pecuniam apud vos me reposuisse autumant, timeo ne primum belli congressum, quod Dominus avertat! sentiatis. Quapropter dilectioni vestræ supplico, quatenus omnia vestra supellectilia, quibus ad præsens non indigetis, in secretiori loco reponatis, ne, si forte venerit hostium incursus, in paucorum amissione consolationem recipiatis.

EPISTOLA CCLXVII.

AD ELECTUM AURELIANENSEM (50).

Congratulatur de ejus electione.

Sonuit in auribus nostris jucundus sermo, et omni acceptione dignus; verbum breve magnam nobis infudit lætitiam. Decanus electus est in episcopum. Duodecim syllabæ sunt, apostolico clauduntur numero **389**, sacerdotem nostrum computandum significant inter apostolicos sacerdotes. Gaudeat Aurel. Ecclesia, quam personarum penuria non coegit, ut ab aliis Ecclesiis emendicatum mutuaret antistitem. Quem nutriverat a puero, quem pro-

A duxerat in viam perfectam, quem disciplinis erudierat ecclesiasticis, assumpsit sibi sufficiens de gremio proprio, et capiti suo superponens, de filio fecit Patrem, non ignotum moribus, non alienum provincia, non degenerem natalibus (51), et justas expertum sollicitudines, et injustæ dissolutionis expertem. Revera non militavit alienis stipendiis, dignus ut in Ecclesia illa præesse debeat, in qua consueverat et prodesse. Gaudeat et electus ipse, cui congaudeamus et nos, et gaudium nostrum nemo tollat a nobis, vel invidia murmurans, vel malitia persequens, vel detractione mordens. Annexum est onus honori; sicut grave laboribus, sic et gravidum sacramentis. Intelligat dominus et amicus noster quod dicimus: *Dabit enim ei Dominus in omnibus intellectum* (*II*
B *Tim.* II). Commendabilem protestamur episcopum temporibus nostris, qui et ab illicito contactu sese servaverit alienum. Augeat vobis Deus gratiam suam, et attollat virtutibus quem extulit dignitate. Interim, Pater optime, beatum decessorem vestrum sanctum Evurtium, et ipsius Ecclesiam, felix successor, honorate, diligite et colite; frequenter cogitantes quia unde assumptus estis ad cathedram (52), illic absumendus eritis in sepulcro (53). Munusculum vobis mittimus de remotis partibus nobis missum, baculum pastoralem cypressinum (54), officio vestro et qualitate mysterii congruum, et quantitate ministerii condignum.

390 EPISTOLA CCLXVIII.

C AD QUEMDAM ABBATEM.

Arguit ipsum quod equum minus elegantem miserit.

Petierat a vobis dominus Remensis equum, et vos ei misistis asellum, unde non tam de munere quam de muneris auctore cogimur admirari. Considerare debueratis non qualem vos mitteretis, sed qualem dominum Remensem deceret accipere. Vobis ergo eum retromittimus, vos et equum vestrum æquo pretio æstimantes.

EPISTOLA CCLXIX.

AD LAMBINUM MORINENSEM EPISCOPUM.

Agit de translatione abbatis de Sunebecca (55), in abbatiam S. Bartholomæi de Ekout.

Compendiose nobis apud Compendium respon-

(50) Renuntiatus est Hugo episcopus anno 1190, quo gratulatoriam hanc ipsi misit epistolam Stephanus Tornacensis.

(51) Fuit enim nepos Manassis de Garlanda ex illustri Garlandorum familia progenitus.

(52) Episcopi Aurelianenses electi, antequam urbem ingrederentur, pro adipiscenda ecclesiæ suæ possessione adibant ecclesiam S. Evurtii olim extra muros sitam, a qua solemni pompa ad basilicam S. Crucis deducebantur, quod nunc etiam observatur.

(53) Elegerat, ut ex his colligitur, sepulturam in capitulo S. Evurtii juxta tumulum avunculi sui Manassis, qui in meditullio ejus jacet.

(54) Forte eumdem quem sibi miserat abbas Silvæ-Majoris.

(55) Hæc abbatia sita est prope Ypras, ad cujus diœcesim nunc spectat. Lambinus hic Morinensis episcopus erat oriundus ex civitate Brugensi, siqui-

D dem vocat eum alibi Lamb. de Brugis. Nec erit abs re hic referre epistolam abbatis de Sunebecca ad priorem quemdam Hospitalium in Polonia, in hæc verba:

« Domino B. hospitalis Hierosolymitani in Polonia atque Pomerania Dei providentia procuratori, Jo. dictus abbas de Sunebecca et ejus pusillus grex, salutem et orationes in Christo.

« Litteris vestris, ex quibus hospitalis vestræ vigorem et honoris profectum accipimus, plenæ gratulationis repleti sumus affectu: unde licet in ecclesiæ nostræ ruina relevanda, quæ casu flebili integritatis suæ dispendium grave accepit, plurium expensarum pœnas exsolvimus, petitionem tamen vestram non veriti admittere per fratrem Almarigum specialiter a vobis designatum, de Brachio S. Cæsarii diligentiam vestram certificamus. Sciatis igitur quia brachium ipsum argenteo brachio diligenter impactum, et decenter apud nos habetur ornatum: interim

distis, super translatione abbatis de Sunebecca, ut revertatur in domum suam unde exivit : sed in dispendium nostri laboris, sicut audivimus, dicitis vos hujus promissi memoriam non habere. Absit ut tam **391** capacem tenacemque memoriam vestram paucorum dierum decursus obruerit, cui nondum senectus invida parit oblivionem, nec ignorantia stupida negligentiam parat. Rogamus dominum, supplicamus amico, consulimus parem, ut in præsente negotio nobis consulat, et rogatus eroget, et supplicantis defectum suppleat, vicem a nobis recepturus non solum in consimili casu, sed etiam in his, si fieri potest, quæ pendent ex insidiis fortunæ, suscipiat benigne preces nostras. Attendite necessitatem pauperis Ecclesiæ S. Bartholomæi (56), juxta quam materna suxisti ubera, paterna sumpsisti fomenta, fraterna suscepisti solatia, et sine dilatione prædicto viro præcipiatis, ut electionem de se factam suscipiat, et quasi in ventrem matris suæ iterato introiens, cogatur ex ea renasci, et officium patris exhibeat, quæ sibi beneficium matris exhibuit et fomentum. Valete.

392 EPISTOLA CCLXX.

AD INNOCENTIUM SUMMUM PONTIFICEM.

Rogat ut tueatur privilegia ecclesiæ S. Genovefæ.

Ecclesia B. Genovefæ Parisiensis specialis filia vestra (57), BB. Dionysii et Germani soror germana, contriti cordis et humiliati spiritus sacrificium vobis offert, et lacrymæ ejus maxillis ejus. Contra libertatem et dignitatem ipsius, quam a sancta Romana Ecclesia matre sua priscis temporibus obtinuit, novus Parisiensis episcopus (58) nova prætentat argumenta conflare, quæstiones scrupulosas intexere, in capite et in membris sub specie prælationis jurisdictionem, quam nec oportet, nec licet, usurpare. Propter hæc et alia gravamina multa, quæ sustinere nec potest, nec debet, devotus filius vester ejusdem Ecclesiæ abbas accedit et procidit ad pedes vestros, ut privilegia sanctæ sedis apostolicæ beatæ Virgini a decessoribus vestris indulta et concessa, et a tantis auctoribus vallata et munita firmiter observari faciatis, ne prævaleat homo adversus divinam et apostolicam sedem, nec per insolentiam adversus filios vestros gaudeat inimicus. Tres speciales filias vestras circa et prope Paris. **393** urbem sacro Trinitatis numero connexas, scilicet ecclesiam S. Dionysii, S. Germani, Sanctæ Genovefæ, super quas invocatur specialiter nomen vestrum, dolentes vident et invident adversarii nostri, et triplicem funiculum fraternæ charitatis nostræ non facile rumpi posse scientes, conantur imminuere, lædere, conculcare, incrustare. Suscipite, Pater, filium vestrum, et exaudite preces ejus; suscipite et fovete viscera nostra, in eo qui de vobis ex pristina societate scholari et notitia specialiter confidit, ne, si forte, quod absit! aliquam a vobis passus fuerit repulsam, dicatur ab invidis cum cachinno et risu : *Ecce quomodo amabat eum* (*Joan.* XI). Justum est quod postulat, tanquam qui pro patria pugnat, pro libertate decertat.

394 EPISTOLA CCLXXI.

AD QUEMDAM PRINCIPEM.[1]

Ab eo petit ut non facile fidem adhibeat de se sinistra referentibus.

Charitas, qua nobilitatem vestram ab initio dilexi, nullatenus in me frigescit, sed subsequentibus et præcedentibus in me beneficiis vestris, magis ac magis inardescit : unde excellentiam vestram rogando moneo, et monendo rogo ut, si quid sinistrum me adversum vos vel vestros fecisse vel dixisse suggestum fuerit, nullatenus credatis; nec quidquam quod, ira dictante, servientes vestri postulent, ad præsens statuatis. Cum autem, Deo postulante, ad nos veneritis, tunc omnia plenius addiscetis, quia secundum audita sanius consilium capietis. Valeat vestra celsitudo, et non desistat a bono proposito. Valeat et vivat per longa tempora virtus et gloria vestra.

quia varius est hujus vitæ eventus, posset quidem prædictus frater in via, quod absit! rapi de medio. Si aliqua nobis munificentia vestra mittere decreverit, quid, quantum, et ad quid, ea delegatis litteris intus bullatis optamus nobis significari, quatenus nobis fratribus et amicis vestris liberalitas vestra erga nos clarius elucescat. Valete. »

(56) Erat canonicorum regularium in urbe Burgensi, in qua abbas ille de Sunebecca habitum religiosum susceperat. At civitas Burgensis in diœcesi Tornacensi constituta erat.

(57) Dicitur specialis filia sedis apostolicæ, quia ipsi est immediate subjecta; appellatur autem soror Germana ecclesiarum Sancti Germani et Sancti Dionysii, quia eodem fruebantur privilegio, et eumdem Patrem agnoscebant et pastorem, summum scilicet pontificem.

(58) Odo scilicet de Soliaco, Archembaldi Soliaci toparchæ et Matildis Balgentiacensis filius fuit, et ad episcopatum Parisiensem assumptus post decessum Mauritii anno 1196 : qui cum vidisset terras S. Genovefæ Sanctique Germani intra mœnia urbis recenter constructæ, esse inclusas, non potuit ferre duos abbates jurisdictionem episcopalem exercere in propria urbe, seque in ea spiritali jure privari. Itaque nova quotidie in eorum parochiis molitus est, eoque devenit, ut parochiam de Monte feriret interdicto : exinde, gravi mota controversia coram summo pontifice Innocentio III, ipse Joannes abbas S. Genovefæ Romam profectus est, ut jus suum tueretur coram ipso papa, cujus condiscipulus quondam exstiterat, ipsique hanc episcopi Tornacensis detulit epistolam. Episcopus vero Parisiensis ad eum misit magistrum Petrum de Corbolio canonicum Parisiensem, olim Innocentii didascalum, ut causam suam defenderet; tandem intervenit illa sententia quæ habetur inter decretales, cap. *Olim de restitutione spoliatorum.* Nam cum episcopus conquestus fuisset se ab abbate suo jure in parochia de Monte fuisse spoliatum, petiissetque id sibi restitui, sententia declaravit, « quia non fuit aliquo modo probatum quod eo tempore quo sententiam interdicti episcopus ipse protulit, possessionem in ipsos juris parochialis haberet, vel prius habuisset, restitutionem ei de jure adjudicare nequivimus, cum non constiterit ipsum fuisse aliquatenus spoliatum. » Tamen ut pacis fœdus inter se inirent, compositionem fecerunt Odo episcopus Parisiensis et Joannes abbas S. Genovefæ super juribus parochiæ de Monte anno 1202 : quod etiam fecerunt postea abbas et monachi, S. Germani Parisiensis.

395 EPISTOLA CCLXXII.

AD SUMMUM PONTIFICEM.

Agit de controversia orta inter canonicos regulares ecclesiarum de Seclinio et Phalempino.

Altissime Pater et domine, penes cujus regimen Dei providentia collocare dignata est Petri naviculum, ne sub variis fluctuaret periculis, apostolatus vestri dignitatem flexis cordium et corporum genibus humiliter imploramus, ut quod nostro piæ devotionis gestum est officio, id irritum ne revocetur; siquidem causam quæ vertebatur inter canonicos Seclinienses (59), et canonicos de Phalempin (60), super quadam decima, nostræ obedientiæ commisisti terminandam; nos vero honorem obedientiæ prosequentes, diversis partibus in nostra præsentia citatis ordinate, allegationibus diligenter adhibitis, attestationibus examinatis accurate, ordine canonico processimus; veritate tandem cognita, sub multimoda maturitate consilii, sub virorum authenticorum approbatione, sub juris peritorum audientia, canonicis de Phalempin decimam possidendam, sicut ab antiquis temporibus possederant, adjudicavimus. Qua in re paternitatem vestram imploramus, quatenus quod conscientia bona a nobis judicatum est, in perpetuum indissolubiliter teneri faciatis, ne ruborem et maculam contrahat nostri sinceritas judicii.

396 EPISTOLA CCLXXIII.

AD EUMDEM.

Scribit de lite inter duos canonicos Seclinienses.

Litteris vestris nobis significastis, quod diligenti inquisitione controversiam quæ jampridem inter R. et I. canonicos Seclinienses ventilata est ab A ejusdem Ecclesiæ canonicis, investigaremus; mox vero tenorem mandati vestri plenius prosequentes, canonicos Seclinienses convocavimus, et convocatos ex parte vestra admonuimus, ut de prædicta controversia **397** nos certificarent, et certificatos, quid vobis renuntiaremus, instruerent. Prædicti vero canonici super hoc minus instructi, ex responsione sua intimarunt, jamdudum quamdam controversiam inter R. et I. ortam fuisse; sed quæ foret controversia, se penitus ignorare. Et quia super hoc minus sufficienter instructi sumus, minus plene vos instruere possumus.

EPISTOLA CCLXXIV.

AD GUILLELMUM ARCHIEPISCOPUM REMENSEM.

B *Se excusat a sacro Catalaunensis electi.*

Multa senem circumveniunt incommoda; dominum meum rogo, ne projiciat me in tempore senectutis meæ cum deficit virtus mea. Erexistis humilem de pulvere, de scabello sublimastis ad cathedram (61), de grege pusillo (62) tanquam de post fetantes accepistis me, et in millia millium præfecistis. Hæc sunt deambula secreta cogitationum mearum, diurni discursus affectuum, nocturna revolucra somniorum vigilanti applaudunt, dormientem delectant, tristem deliniunt, pusillanimem consolantur. Inter hæc timor et tremor venerunt super me, prope jam tremulum senem, in duabus citationibus vestris, et tertia tanquam per- C emptoria a domino rege facta: Prima ad jucundum festivumque domini mei et amici charissimi, Catalaunensis electi (63), sacrum Remis, Dominica qua cantatur, *Oculi;* secunda, ad solemne colloquium domini regis, Dominica qua cantatur, *Læ-*

(59) Siclinium collegium habet canonicorum sæcularium in diœcesi Tornacensi, quod fundatorem agnoscit D. Eligium episcopum Noviomensem ac Tornacensem, qui ad cultum B. Platonis martyris inibi jacentis instituit clericos, qui divinum persolverent officium. Accipe epistolam ab Innocentio III, Stephano nostro scriptam, ubi de hoc collegio mentio.

« INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei, Stephano episcopo et cantori Tornacensi.

« Verum quoniam a R. Sicliniensi canonico Joanni de Bethunia quædam objecta fuerunt, multitudo videlicet tam dignitatum quam præbendarum, ambitionis et avaritiæ vitium, cui nondum finem imponens, contra definitionis nostræ tenorem et Lateranensis concilii statuta ad obtinendam præposituram Sicliniensem se ingerit et ingessit, et quod die intrusionis suæ ante confirmationem præsumpserit ministrare, sicut et post confirmationem cassatam mandamus, quatenus si inveneritis prædictum J. habere plures alias dignitates atque præbendas, aut aliquid aliud præmissorum, quod ad cassationem ejus sufficiat, inveneritis esse verum, et super jam dicta præpositura silentium imponatis, ab impertitione ejus Sicliniensem Ecclesiam absolventes, cum multa per patientiam tolerantur, quæ si deducta fuerint in judicium, exigente justitia, non debeant tolerari. »

(60) Falempinum abbatia ordinis canonicorum regularium fundata a Susuvalone castellano Insulensi, in diœcesi Tornacensi, in honorem B. Christophori martyris, « ut ibi stabiliret pauperum Christi clerimoniam, » sicut legitur in instrumento ejusdem fundationis anni 1039, imperante rege glo- D riosissimo Henrico.

(61) His verbis liquido patet epistolam Guillelmo Remensi archiepiscopo fuisse scriptam, ejus siquidem opera Stephanus noster ad Tornacensem cathedram et episcopatum evectus fuit.

(62) De regimine scilicet abbatiæ canonicorum regularium S. Genovefæ Parisiensis, cujus abbas per 15 aut amplius annos exstiterat.

(63) Is erat Gerardus de Duaco (*a*), qui successit Rotrodo anno 1203, ut videre est apud Alberici *Chronicon*; quo quidem anno 1203 Stephanum nostrum fato functum fuisse inde colligitur.

(*a*) Hæc non de Gerardo duacensi, de quo tacet epistola, intelligenda putat D. Brial (*Hist. litt. de la France*, XV, 425), sed de Rotroco Perticensi, qui, quamvis jam ab anno 1190 electus, unctionem tamen nondum anno 1195 acceperat (*Gall. Christ.* IX, 883). Constat enim sedem Remensem post Guillelmi decessum vacasse; vacabat adhuc cum inunctus est Gerardus de Duaco; Guillelmum ergo jam fato functum Gerardi sacro non interfuisse fatendum est. Hinc colligere licet hoc ipso anno 1095 scriptam epistolam ad Guillelmum; unde emendanda Patris du Molinet computatio, annis octo tardior, et anno 1128, februarii diei 19, Stephani natalis ascribendus. EDIT. PATR.

ture, juxta vallem de Rodolio (64); tertia Parisius, A Dominica qua cantatur *Isti sunt dies*, propter causam quæ vertitur inter episcopum Parisiensem (65) et ecclesiam de Kala (66) ad quam dominus rex sub multa attestatione et adjuratione me citavit, Pater, in Septuagesima, si bene recolo **398** Septuagesimum annum biennio minus (67) complevi, qui numerus annorum a Psalmista præfigitur senectuti. Non erubesco vobis exponere infirma et infima mea, signa proximæ dissolutionis prænuntia, defectus sensuum et membrorum, compagum quoque et medullarum, quæ quanto diutius et frequentius sustinuerunt hucusque labores, tanto rarius nunc appetunt, et difficilius admittunt. Parcite, Pater, obsecro, mihi famulo vestro; quoniam ad obse- B quium vestrum spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Certus sum quia sine magno dispendio corporis mei sine detrimento salutis meæ, laborem istum nunc suscipere non possum, nec sustinere. Si currere incipiam, non comprehendam; si iter aggrediar, deficiam in via. Significet mihi, si placet, benevola et benefica gratia vestra super his voluntatem vestram, quam si plene cognovero, paratus sum pro mandato vestro et in carcerem et in mortem ire.

399 EPISTOLA CCLXXV.

Rogat ut se ab eodem sacro excusatum habeat ob infirmam ætatem.

Ex multis incommodis quæ circumveniunt senem, duo præcipue me molestant, debilitas membrorum, et assiduitas morborum: accedit tertium, cui succedit et quartum. Hinc sterilitas rerum, inde tenuitas expensarum, sub hac fragili quadratura minus proficiens ad sacrum domini Catalaunensis, quod in octava Pentecostes futurum audivi, non ero sufficiens, si fuero proficiscens: proinde dilectioni tuæ, de qua semper confido, supplico ut voluntatem domini mei diligenter explores, utrum sine offensione ipsius a tanto labore remanere potero immunis; et si necesse fuerit, humiliter implores, ut det mihi quiescendi licentiam, qui toties expertus sum frequentiam laborandi. Rescribe mihi modica schedula super hoc voluntatem D domini mei.

EPISTOLA CCLXXVI.

AD GUILLELMUM ARCHIEPISCOPUM REMENSEM.

Ejus votis obtemperans, scribit se prædicto sacro mox adfuturum.

Flagellat me conscientia timidum, confirmat dubium, mutat consilium, revocat excusationes, quæ sollicitabant infirmum, ut, Deo volente, festinus accingar ad festum, quo gratulentur qui aderunt, et **400** qui abierunt, erubescant. Ingratitudinis reus ero, nec minus insipientiæ possum argui, si oblitus fuero domini mei Catalaunensis electi; si expertem me fecero tanti gaudii, qui aliquando expertus sum, et tanti gratiam viri, et tanti gloriam sacramenti. Armabit me fiducia contra valetudinem, animabit me spes contra senium; patria labores excutiet; longanimitas franget metum; in cursu juvenis ero, in conscensu senex, in utroque sollicitus, in neutro indevotus. Movent ad hæc et monent verecundæ obedientiæ debitum, et consecrandæ personæ meritum (68), videndi consecrantem (69) desiderium, ut hæc tria cooperentur in bonum, et unum proficiant in augmentum. Præterea, Pater sancte, si instituendis in Ecclesia nostra foraneis foris feci, quia sine assensu vestro consensum præbui, supplex veniam peto tanquam Aaron coram Moyse prostratus; quoniam, sicut ille clamoribus populi coactus vitulum conflavit aureum, ita et ego admonitionibus capituli compulsus, meum non denegavi consensum. Sciat au- C tem paternitas vestra de sacramento a Laurentio clerico vestro facto, quia nec ego consului ut faceret, nec interfui cum juraret. Quidquid enim disposueritis, et dispositionem sequi paratus sum, et obsequi disponenti.

401 EPISTOLA CCLXXVII.

AD ABBATEM ET CAPITULUM SYLVÆ-MAJORIS (70).

Eorum precibus morem gerens scribit se officium proprium in festo S. Geraldi recitandum, scripturum.

Abbati et capitulo Silvæ-Majoris, communes orationes in Domino.

Accessit ad nos juvenis quidam ex parte vestra, expeditus sermone, et eruditus scientia, magister A. rogans ardenti commonitorio precum, ut beato Geraldo confessori et patrono vestro, qui nuper ab Ecclesia Rom. in numero sanctorum canonizatus

(64) Forte *Rueil* in Bria, ubi exstat insignis prioratus ordinis cluniacensis.

(65) Tunc temporis Odo de Soliaco Ecclesiæ Parisiensi præerat.

(66) Vulgo *Chelles*, estque abbatia monialium S. Benedicti in territorio Parisiensi a S. Bathilde regina uxore Clodovei secundi regis fundata.

(67) Ex hoc textu colligere est quod anno 1135 Stephanus primam hausit lucem : si enim 1203, quo mortuus est, 68 agebat annum, consequens est ipsum anno 1135 fuisse natum.

(68) Scilicet Gerardi de Duaco electi Catalaunensis.

(69) Guillelmum archiepiscopum Remensem, patronum ac amicum suum.

(70) Silvæ-Majoris monasterium ordinis Benedictini, vulgo *Selve majour*, situm est in diœcesi Burdegalensi, fundatumque fuit a B. Geraldo seu Gerardo Sancti Arnulphi Suessionensis episcopi discipulo, anno 1077, ut legitur in *Chronico Malleacensi*. Cum autem propter vitæ sanctitatem inter divos relatus fuisset, abbas Silvæ-Majoris scripsit Stephano Tornacensi episcopo, rogans eum ut componeret officium in die festi ejusdem beati decantandum. Hac epistola ab eo munere excusat se Stephanus, scribitque ad archidiaconum Burdegalensem epistolam sequentem 278, qua illi, ut magis edito, et in hoc scribendi genere versato, istam provinciam committit. Nihilominus victus precibus abbatis, officium B. Geraldi tandem composuit, ut colligitur ex epistola 279, qua illi grates rependit, cujus fragmenta quæ ad nos pervenerunt, in hujus operis calce dabimus.

est, aliquos labiorum nostrorum vitulos offeramus, A quibus et tanti viri prædicemus gloriam, et ipsius gratiam mereamur. Rem novam et insolitam nobis injungitis, quam si forte aggressi fuerimus, et legenti erit fastidium, et ridiculum audienti, Senem delirum arguent, episcopum clamabunt fatuum, qui omissis interim sacramentis ecclesiasticis, et debita parochianorum suorum cura, novis modulis aptando verba incomposita, videbitur insanire. Quandoque lusimus metro, forsitan et prosa; nec lusisse pudet, sed nunc incipere ludum. Verum quoniam charitas omnia vincit, sepositis interim negotiosis occupationibus aliis, simile studium suscitare curabimus, et, Deo volente, vestris orationibus et prædicti confessoris precibus adjuti, stylo balbutienti tentabimus implere quod petistis. Rideat qui voluerit; B excusabit nos conscientia bona et fides non ficta.

402 EPISTOLA CCLXXVIII.

AD ARCHIDIACONUM BURDEGALENSEM.

Invitat eum ad prædictum officium hymnos componere.

Venerabilis abbas Silvæ Majoris, audito quod cum essem Parisius in scholis constitutus, quando me affabilitate vestra et notitia dignum judicastis, has supplicatorias ad majestatem vestram impetravit. Licet autem præsumptuosum, imo ridiculosum videatur, si servus domino, Davus OEdipo (71), puer elementarius viro sapienti loqui audeat, postulata tamen, atque utinam impetrata. geniculariter venia (72), in pudore et tremore factus sicut mutus et C non aperiens os suum, in penna et schedula vestræ balbutiens supplico majestati. Sane beatus Geraldus de partibus Gallicanis (73) trahens originem, cujus vita coram hominibus laudabilis floruit et speciosa, pretiosaque mors in conspectu Domini signis attestantibus radiat, et miraculosa refulget; qui ad partes Burdigalenses accedens, monasterium Silvæ-Majoris et a primo lapide fundavit, et regularibus disciplinis reformavit: hoc anno a domino 403 papa Romæ, debita missarum solemnitate authenticatus, in catalogo sanctorum meruit ascribi. Qualiter autem per Dei gratiam in prædicto monasterio super communes regulas monachorum ordo vigeat et ferveat, præconio famæ fidelius et efficacius, quam styli officio, vestra magnitudo poterit edoceri. Ve- D rum, quia oleum effusum est nomen vestrum, et talentum scientiæ vestræ abscondi non potest, imo tanquam luminare majus per totum corpus Ecclesiæ diffunditur, et in odore labiorum et sermonum vestrorum senes cum junioribus currunt: postulat abbas prædicti monasterii, et totus conventus, proclamat pedibus vestris effusa tota diœcesis Burdegalensis, secundum gratiam ejus quæ data est vobis, in antiphonis super psalmos, et in responsoriis super lectiones, et in prosa et collecta ad missam officiari, ut præter suffragia Ecclesiæ quæ vobis perpetuo debebuntur, memoria vestra perpetua vigeat et vivat benedictione. Quamvis autem in publica commoda videantur peccare qui manus vestras tot actionibus implicitas, aures tot debitas et obligatas negotiis avocare contendunt, incurvamini tamen, pie Pater, sumpto atramento et calamo in laudibus et canticis beati Geraldi, et in obsequium illius modicum tempus indulgete, ut si quid maculæ in sæcularibus carminibus quandoque ludendo contraxistis, nunc opportunitate vobis oblata, laborum vestrorum domino et beato Geraldo offerentes, devotius emendetis. Bene valeat semper et ubique reverenda paternitas vestra.

404 EPISTOLA CCLXXIX.

AD EPISCOPUM TORNACENSEM.

Grates ei agunt de officio S. Geraldi, quod ad eorum instantiam composuerat.

Domino Tornacensi abbas et conventus Silvæ-Majoris.

Ad enarrandam gratiam et misericordiam vestram super nos quam sit copia magna dulcedinis vestræ, domine, quam revelastis parvulis vestris, et perfecistis eam sperantibus in vobis; quantasque debeamus ei gratiarum actiones, lingua succumbit et ratio, et ad tantam munificentiam vestram obstupescit alta consideratio nostra; quæ tamen non licet taceri, etiam si nequeant explicari. Gratias igitur agentes vestræ dignationi, per quam meruimus suscipere quæcumque in laudes et præconia sancti Gerardi petierat a vobis, et desideraverat anima nostra, composita verbis potentibus, et ad Deum devote precandum decentissime compositis, atque ad vestiendas sententias facile occurrentibus, exsultamus non immerito lætitia inenarrabili in tanta materia gaudiorum, reficimur et delectamur in Domino super dulcibus linguæ vestræ modulis, et præconiorum jubilis, ubi tam velox fuit sermo sapientiæ in tam brevi temporis spatio, et Deus ipse tam cito magister, et tam lingua quam manus et gratia mittens promissa, factæ sunt calamus scribæ 405 velociter scribentis. Quæ res, quæ munificentia, quæ magnitudo dignationis nos effecit servos vestros, et constituit perpetuos per omnia devotissimos, supplicaturos amplius pro vobis immensam clementiam Omnipotentis, ut vobis retribuat hæc omnia in retributione justorum, quibus in generali capitulo concessimus fraternitatem plenariam monasterii nostri, quia aliud non possumus

(71) Tritum apud antiquos proverbium: Davus sum non OEdipus, id est ignarus non eruditus. Davus enim inducitur in Andria ad significandum hominem rudem et ignarum, ac ad enodanda ænigmata imparem.

(72) Vox illa adverbialiter hic usurpatur pro genibus flexis.

(73) Dicitur in *Chronico Malleacensi* anno 1077: « Girandus cœpit ædificare cœnobium S. Mariæ Silvæ-Majoris. » Et anno 119: « Obiit Girandus abbas bonæ memoriæ: eadem nocte qua defunctus est, visæ sunt stellæ cadere de cœlo in modum facis. »

signum, constituentes vos participes omnium beneficiorum Ecclesiæ nostræ tam in vita quam in morte, quibus omnipotens Deus bonam et longævam concedat vitam ad salutem et honorem Ecclesiæ suæ, in qua vos confirmavit columnam permaximam. Mittimus autem vestræ charissimæ paternitati in signum devotionis et pignoris perpetuæ servitutis munusculum indignum dignitate vestra, sed officio congruum, baculum videlicet cypressinum, attendentes non quantum, sed ex quanto proferatur, præsumentes de illius exemplo, qui plus respexit ad Abel quam ad munera ejus. Quod sine aliquo scrupuloso respectu recipere poteritis oblatum, ad exemplum illius sancti viri, cujus sanctitatis fama celebris habetur in vitis Patrum, qui pellem ignotæ bestiæ recipere non recusavit a bestia, quam ei pro munere obtulit, sicut melius nostis, de venatione sua, pro illuminatione catulorum suorum. Nomen vero vestrum, quod quidem prohibuistis fieri, attollere decrevimus et prædicare per omnia, juxta illud evangelicum : *Quanto eis præcipiebat, tanto magis prædicabant, dicentes : Bene omnia fecit* (*Marc.* VII). Indignum namque censemus tanto verborum cultui auctoritatem deesse, et authentica recitare tanquam apocrypha, quæ plus favoris debent obtinere, quod vos specialiter legimus, de nomine auctoris : vobis autem secretum hoc servabitur quantum ad conscientiam, intus quantum ad Deum ; foris vero publicum erit ad famam quoad **406** proximum. Bene valeat semper in omnibus vestra sancta et nobis charissima paternitas in longitudinem dierum.

EPISTOLA CCLXXX.

AD HUGONEM EPISCOPUM ET CAPITULUM AURELIANENSE.

Rogat ut emendet in ecclesia S. Evurtii nonnulla vitia quæ ibi pullulaverant.

Specialis filia sanctæ sedis (74) ecclesia Sancti Evurtii, ex antiqua et approbata consuetudine meruit hactenus per vos decessoresque vestros, et temporalibus foveri beneficiis, et spiritualibus refici sacramentis. Tenetur et ipsa vobis tanquam in quadam spirituali ratione dati et accepti, et infirmantibus exhibere solatium, et decedentibus præstare sepulcrum. Rependite vices paternæ consolationis infirmanti, quoniam fortissimus est languor ejus, et invaluit morbus ejus usque ad desperationem et exitum, nisi festino consilio vestro et auxilio sublevetur. Vestra est Ecclesia, vobis morietur et vivet, vestra interest ejus consiliis interesse, caput ejus languidum, cor ejus mœrens, membra stupida et infirma, potius ad defectum quam ad profectum consueta. Regularem disciplinam imprudenter abjiciunt, impudenter contemnunt. Inter eos senes excluduntur et exsulant, juvenes dominantur et imperant, indocti magisterium usurpant. Substantiolam Ecclesiæ, quibus dispensatio credita est, inutiliter infundunt, et hominibus potius quam Deo placere contendentes, venalem majorum gratiam ambitiosis sumptibus acquirunt. Tolerabile illud esset si regularem observantiam professionis et **407** ordinis sui custodirent ; si gravitatem morum, maturitatem operum, honestatem personarum, sicut decet sanctos, in sacrificio Dei consecrarent et offerrent. Nunc autem et famæ suæ prodigi, et de conscientia non securi, intus, et foris, nec Dominum videntur timere, nec homines revereri. Non de omnibus dico, novit Dominus quos elegit, merita singulorum probant opera eorum. Occurrite, Pater, tantis malis, et totis viribus corripite inquietos, comprimite superbos, restringite dissolutos. Tibi, Pater Hugo, cui ex injuncto pastoris officio sollicitudo hæc et labor incumbit, preces affectuosas in suspirio et singultu fundo, ut assumas zelum, Mathathiæ et Phinees, et, abjecto favore humano, contradictionis et inobedientiæ filios ad observantiam ordinis sui, velint nolint, compellas. A te enim requiretur ut evellas, et destruas, et ædifices, et plantes ; argue, increpa, cum omni imperio : non moveant te ea quæ excæcant oculos prudentum, ne confidant in corruptela pecuniæ corruptores ordinis, et amatores sui ipsius, carnis curam in desideriis facientes. Visita sepulcrum patrui tui (75), et in collegio illo tibi commisso seca putridas carnes, et ure correctionis cauterio, quas sanare non potueris exhortationis fomento. Rogo vos, ut litteras, quas super hoc negotio mitto (76) abbati et capitulo suo, exhiberi faciatis per duos de canonicis vestris, ne forte aliqui eas sepeliant aut supprimant, ut ab aliis videri non possint :

408 EPISTOLA CCLXXXI.

AD BERTERUM ABBATEM ET CAPITULUM S. EVURTII.

Increpat eumdem abbatem, quod officii sui partes negligat.

Duo mihi superesse credebam solatia, memoriam Genovefæ virginis, et B. Evurtii confessoris, quorum alterno delectabar spectaculo, et invitabar exemplo. Jucundis cogitationum gradibus deambulabam, et in virginis monte, et in confessoris planitie, cum in utroque occurreret mihi sacrum collegium germen delectabile, casta generatio cum charitate, terribilis ut castrorum acies ordinata. Nunc autem funestis relationibus impulsus, quasi fracto pede, altero lumine effosso claudicans, et cæcutiens, a vineis Engaddi (77) retrahor ad montem coagulatum et pinguem, ubi quies tranquilla, et tranquillitas est quieta. Væ mihi in extremis die-

(74) Erat ecclesia S. Evurtii Aurelianensis per pontificia diplomata sub tutela et patrocinio S. sedis apostolicæ, qua de causa vocat eam S. sedis specialem filiam.

(75) Scilicet Manassis de Garlanda, quem diximus in medio capituli S. Evurtii fuisse tumulatum.

(76) Eæ litteræ sunt ipsæmet quæ habentur numero sequenti 281.

(77) Olim abbatia S. Evurtii sita erat extra muros urbis Aurelianensis, et vineis cincta. Abbatia vero S. Genovefæ Parisiensis stat in montis cacumine.

lus meis, cum audiam turbare in vobis viscera mea, æmulari invicem, rixari, consurgere ad appellationes, fugere unitatem spiritus et vinculum pacis! Quis enim non doleat inter vos exsulare senes, regnare juvenculos, elementarios usurpare doctrinam, molles disciplinam? Pene dixerim quod per prophetam dicitur: *Et erunt pueri principes eorum, et effeminati dominabuntur eis* (*Isai.* III). Tua est culpa, hæc sunt, Abba, qui cum Heli sacerdote filios indisciplinatos aut corripere non audeas, aut corrigere nescis, aut negligas emendare. Nomen tuum, quod interpretatur *filius tonitrui*, non tonat super eos, sed aut enervat blandiendo, aut palpando emollit, aut consentiendo corrumpit. Memento illud Salomonis: *Filiæ tibi sunt, noli faciem tuam hilarem ostendere ad eas* (*Eccli.* VII). *Accingere gladio* **409** *tuo super femur tuum, potentissime* (*Psal.* XLIV), ut timeant te, non contemnant, quos exemplo tuo ducere debueras et docere. O gloriosa et religiosa ecclesia Beati Evurtii, quæ a tanto culmine decidisti! Cedros nutrieras, et nunc usque ad carduos redacta es. De gremio tuo sibi assumpserunt sancti Patres et pastores (78), Ambrosius Bituricensis, Satyrus Sancerrensis, Bartholomæus Noviomensis et, ut minus sapiens dicam, Genovefa Parisiensis. Vere dicere possunt, frater Abba, super domo tibi commissa, quia *per agrum hominis transivi pigri, et ecce totum repleverunt spinæ et urticæ* (*Prov.* XXIV). Utere consilio meliorum et majorum, ne sequaris vestigia Roboam, remotis a familiaritate tua quorum contubernio, et fama nominis tui, et Ecclesiæ dignitas vulneratur. Ego etiam qui adhuc canonicus novitius et frater existens Ecclesiæ vestræ, nec alienus esse debeo a consiliis vestris, moneo, consulo et exhortor, ut aliter ordines domum tuam, et de scabello non assumas magistros ordinis, quos non deceat sedere cum senioribus et magistris. Illud vobis quoque ignominiosum est, quod debita vestra supra modum excreverunt in immensum, cum vos non excuset manifesta causa, sed potius accuset fertilitas copiosa frugum.

410 EPISTOLA CCLXXXII.

AD HUGONEM AURELIANENSEM EPISCOPUM.

Testimonium perhibet ecclesiam S. Evurtii non teneri ad procurationem præstandam, Episcopo Aurelianensi.

Venerabili domino et Patri HUGONI, Dei gratia Aurelianensi episcopo, et charissimis amicis et dominis suis decano et capitulo S. Crucis, omnibusque ad quos præsentes litteræ pervenerint, STEPHANUS Dei permissione Tornacensis Ecclesiæ minister humilis, salutem in Domino.

A Quæ vidimus et audivimus et scimus, hæc fideli assertione testificari volumus et debemus. Quadraginta ferme et quinque anni sunt elapsi, ex quo, Deo volente, in ecclesia Beati Evurtii habitum religionis suscepimus sub ordine regulari. Extunc domini et Patres nostri Aurelianenses episcopi tantam tranquillitatem, quietem et pacem Ecclesiæ prædicti confessoris exhibuerunt, quod nec in capite, nec in membris aliquam procurationem, sive, ut vulgariter loquamur, hospitietum (79) aut gistum receperunt. Vidimus etiam aliquando bonæ memoriæ dominum Manassem episcopum, cum ei placeret, ad prandendum in Ecclesiam venire, per servientes suos afferentem cibaria et quæ necessaria ei essent in mensa. Proinde paternitati vestræ Patres episcopi
B supplicamus, quatenus prædictam Ecclesiam quæ vestra est, et foveatis consilio, et auxilio defendatis, nec ab ea vel a membris ejus procurationes, **411** oppressiones, vel exactiones aliquas contra salutem animæ vestræ ulterius exigatis.

EPISTOLA CCLXXXIII.

AD CLEMENTEM III PAPAM.

Rationem reddit summo pontifici eorum quæ gessit in episcopum Trecensem, virtute mandati apostolici sibi et Bernero decano ac Petro cantori Parisiensi commissi.

Noverit paternitas vestra nos mandatum vestrum sub hac forma recepisse: « CLEMENS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbati Sanctæ Genovefæ, decano et cantori Parisiensi salutem et
C apostolicam benedictionem. Ad notitiam vestram volumus pervenire, quod venerabili fratri nostro Trecensi episcopo ab apostolica sede mandatum fuit semel iterumque præceptum, ut in parochiali ecclesia de Marigniaco (80), salva omni justitia sua, canonicos assumere regulares, qui in ea juxta pium desiderium fundatorum religionis ordinem instituerent, et sub regularibus disciplinis omnipotenti Domino deservirent. Prædictus autem episcopus non amore religionis induci, nec apostolicis jussionibus potuit **412** emolliri, ut a duritia quam in mandatis apostolicis solitus est habere, se converteret ad benignitatem charitatis, cui piæ petitioni et voto laudabili postulantis consensus benevolentiam indul-
D geret, unde discretioni vestræ per apostolica scripta mandavimus, quatenus eum admonere propensius, et inducere laboretis, ut secundum quod toties in mandatis accepit, de ecclesia Sancti Lupi Trecensis canonicos regulares assumat, et eos in prædicta ecclesia, salvis justitiis omnibus diœcesanæ rationis, instituat, per quos et religionis ordo dilatetur et crescat, et tam jussionibus apostolicis quam fun-

(78) Quatuor abbates desumpti fuerunt e collegio s. Evurtii Aurelianensis, scilicet Gaufridus s. Satyri Sancerrensis, Hugo s. Bartholomæi Noviomensis, N. s. Ambrosii Bituricensis, et Stephanus s. Genovefæ Parisiensis.

(79) De jure procurationis seu hospitii quod episcopi habebant in quibusdam monasteriis seu ecclesiarum parochiis et domibus, alibi egimus.

(80) Villa est diœcesis Trecensis, vulgo *Marigny*, ubi canonici regulares ex familia S. Lupi destinati fuerant, qui ecclesiæ parochialis administrationem haberent, quod quidem Manasses Trecensis episcopus admittere recusabat.

datoris desiderio satisfaciat; quod si infra triginta dies post admonitionem vestram facere sponte noluerit, vos eum ad vos exsequendum, auctoritate nostra sine appellationis obstaculo, per censuram ecclesiasticam compellatis. Quod si omnes his exsequendis nequieritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur. Datum Laterani decimo septimo Kalendas Julii, pontificatus nostri anno primo. » Nos igitur sanctitatis vestræ mandatum effectui mancipare volentes, præfatum episcopum tum commonitionibus, tum precibus, tum etiam mandato districtiori ad hoc inducere laboravimus, ut divinæ religionis augmenti obtentu, et sedis apostolicæ reverentia, et precum nostrarum et commonitionum intuitu, mandatum vestrum ad effectum perduceret. Quoniam autem licet multoties et monitus et rogatus, nec precibus, nec commonitionibus, nec etiam ad ultimum mandato nostro, qui vice vestra in hac parte fungebamur, noluit obtemperare, communicato sapientum et discretorum virorum consilio, ipsum ab omni officio episcopali tanquam contumacem, et mandati a sede apostolica destinati contemptorem suspendimus, metropolitano nostro archiepiscopoque suo Senonensi et decano, et capitulo Ecclesiæ **413** Trecensis significantes, et auctoritate vestra mandantes, quatenus ipsum pro suspenso haberent. Abbati autem præfati loci auctoritate sedis Romanæ mandavimus, quatenus in præfatam Ecclesiam canonicos suos auctoritate vestra et nostra fretus, induceret, non obstante occasione, vel contradictione ipsius episcopi; et ipsos canonicos de eadem Ecclesia, salva tamen omni justitia episcopali, investivimus. Processum autem istius negotii auribus sanctitatis vestræ significandum duximus, supplicantes et rogantes quatenus investituram nostram, auctoritate vestra factam, ratam habentes approbetis et confirmetis: per censuram enim ecclesiasticam compelli nihil aliud intelligimus, quam excommunicationis aut suspensionis sententiam.

EPISTOLA CCLXXXIV.

Rogat pro quodam clerico, qui gravem culpam commiserat (80*).

Judex ecclesiasticus sequi debet, et quamvis multa possemus inducere pro reparatione taliter lapsi, tamen non disceptantes, sed deprecantes scribimus, ut sicut in capitulo communi promisistis ei suscepti ordinis exsecutionem, sententiam primam non mutetis, ne absorbeatur pusillanimis a tristitia, ne desperans dispereat, ne inobediens et mœrens mereatur obire. Credimus hanc dispensationem sine dispendio posse fieri, per quam nec confundantur leges, nec canones offendantur. Moveant sinum paternitatis vestræ fratris afflicti lacrymosa suspiria, A certa pericula, incerta remedia, **414** cui si exsecutionem officii de rigore tollitis, saltem inter monachos tanquam clericum in habitu monachi, quod secure potestis facere, donec veniat tempus miserendi ejus, Deo servire permittatis.

EPISTOLA CCLXXXV.

AD ARCHIEPISCOPUM REMENSEM.

Conqueritur de contentionibus et jurgiis exortis inter can. reg. S. Evurtii Aurelianensis.

Sanctissimo Patri D. Remensi archiepiscopo.

Matrem meam ecclesiam Beati Evurtii quorumdam animositate turbatam inveni, quando veni, et in eorum motibus motus ego, non minus alterius partis dolui dolos, quam utriusque dolores. Rogo vos, Pater, unicum solatium et subsidium B meum, ut abbati et conventui scribatis, ne solitæ religionis suæ formam ad solutæ deformitatis ignominiam dejiciant; et impatientes pacis ad jurgiorum prosiliant arma, qui solis orationibus et lacrymis debuerant animari et armari.

EPISTOLA CCLXXXVI.

Declarat abbatiam S. Bartholomæi Noviomensis nullo jure teneri erga episcopum Tornacensem.

Universitati vestræ significamus, quod ecclesia Sancti Bartholomæi Noviomensis in fratrem et canonicum nos receperat, antequam in abbatiam Sanctæ Genovefæ Parisiensis promoti vel etiam per Dei gratiam translati essemus ad episcopalem sedem Ecclesiæ Tornacensis. Inde est quod eadem C Ecclesia ratione prædictæ fraternitatis et intuitu **415** communi ordinis, non jure alicujus consuetudinis nos aliquando cum omni devotione et benignitate suspiciens, et gratiam nobis exhibuit et honorem. Volentes igitur indemnitati ejusdem Ecclesiæ in posterum providere, et nolentes ut in quod nobis exhibuit gratiæ et devotionis obtentu, in jus consuetudinis possit aliquatenus retorqueri, præsentibus pariter et futuris notum facimus, et sub præsentis scripti testimonio affirmamus, quod ratione pontificalis jurisdictionis nullam a præfata Ecclesia procurationem vel aliud aliquid exegimus vel exigere debuimus, sicut nec antecessores nostri exegerunt, salvo eo quod abbas ejusdem Ecclesiæ nostro synodo tenetur interesse, quandiu altare de D Bouinchora tenuerit, vel aliud aliquid in episcopatu nostro, quod synodum debeat, summiatas (81) etiam nobis solvere tenebitur, sicut aliæ vicinæ tenentur Ecclesiæ. Ne autem sæpe dicta Ecclesia sancti Bartholomæi super his in posterum læsionem aliquam incurrere valeat vel gravamen, id præsenti chartula conscribi, et sigillo nostro fecimus confirmari.

Actum anno Domini 1194, consecrationis nostræ anno tertio.

(80*) Imperfecta est hæc epistola, deest initium.

(81) Idem sonat hoc verbum quod *sonnia*, *sunnia* vel *saunia* apud veteres, qua congregationis et placita quædam significabant, vulgo *saunes*.

SUPPLEMENTUM

AD

EPISTOLAS STEPHANI TORNACENSIS

(*Notices des mss. de la Bibliothèque Royale*, p. 66.—Vide supra, col. 306, quæ ad has epistolas anecdotas præfatus est D. Brial.)

—

I.

Domino et amico ut invidorum maledicentiam non curet.

Succensere solent aliqui successibus aliorum, in quibus sese defecisse videntur, alios invident profecisse. Inter hæc manet immobilis electorum constantia, longanimitas assurgit in gloriam, perseverantia non succumbit, et, deficiente paulatim livore detrahentium, crescunt merita perfectorum. Hæc si quando vel in aliis, vel in vobis expertus estis, expertem vos facite consensus et consessus talium, quia non est novum: *Corrumpunt bonos mores colloquia prava* (*I Cor.* XV). Inter hæc devotus ego clericus vester benevolentiæ vestræ vestigia pronus adoro, totius ingratitudinis simulacrum fugiens, totius devotionis circa beneficia vestra culpam fugans.

II.

Gregorio VIII pontifici maximo. — Pro clericis Grandimontensibus.

(Anno 1187.)

In promotione vestra, Pater, cœlum et terram gaudere credimus, certa fiducia præsumentes quod per Dei gratiam dirigatur salus in manu vestra, resurgat paupertas spiritus, peccatorum cornua confringantur. Ad primum rumoris hujus sonitum sedens super corruptelam pecuniæ contremuit ambitio, rigor delationis detumuit, expavit avaritia, invidia pallore suffusa est, superfluitas excusationem, dissolutio fugam, immunditia latibulum quæsierunt. In summa, contractus omnes et contractus illiciti summum timent exterminium, quibus tantus Petri successor objiciet se verum judicem, vindicemque severum. In hujus spei deliciis congaudentes, nos quædam modica portio fidelium vestrorum pro priore (82) et clericis Grandimontensibus grandi vobis supplicamus affectu: qui per astutiam, potentiam et superbiam conversorum, ne perversorum dicamus, spectaculum facti sunt et angelis et hominibus; qui mendici, exsules, deficiente jam aliena stipe, in paucis cellulis, a quibus de die in diem expulsionem exspectant, jugiter macerantur inedia, in fame et siti, in frigore et nuditate. Sola et summa spes eorum in beneplacito

A vestro consistit, ut qui hactenus viscera compassionis et consilii benevolus operuistis, eis nunc consolationis et auxilii beneficus ubera porrigatis. Plenariam, si placet, restitutionem indulgente priori, homini simplici et modesto, propter disciplinam dejecto, propter humilitatem abjecto, propter paternam quam clericis exhibebat diligentiam, tam fraudulenter quam violenter compulso et expulso. Compellat auctoritas apostolica conversos ad obedientiam pastoris sui: quo remedio credimus quosdam majoris conspirationis illius auctores ad alia transituros, volentes perire potius quam parere, abire quam obedire.

His abeuntibus, reliqui facile conquiescent, qui nec tanta intumescunt superbia, nec tantis opibus

B insolescunt. Et quoniam error simulationis in illo extraordinario ordine in tantum convaluit, ut secta potius quam religio dici possit, videat sancta paternitas vestra ut non per sæculi, neque per potentes laicos (quod conversi summopere fieri petunt) quasi sub specie pacis et concordiæ deformis aliqua reformatio fiat inter eos, ne, si forte factum fuerit, fiat novissimus error pejor priore. Hanc potius sollicitudinem et curam correctionis et emendationis ordinis illius per vos ipsum, si licet, assumito, aut viris religiosis et qui regularibus disciplinis eruditi sunt id injungite; inter quos, si placet, [Geranimus] abbas Sancti Victoris, vir religiosus et timens Deum, cum iis quos secum assumpserit, aut præcipuus aut

C inter præcipuos sit unus, quorum ope et opera inordinatis hominibus illis certa forma ordinis imponatur. Et quoniam filii liberi esse debent, clericorum libertas non pareat, subjugale sit obediens et mutum, Ozias sacerdotalia non usurpet. Id observandum est, Pater, et cavendum, ne, si forte more solito tres aut quatuor clerici duodecim seu quindecim laicis adjungantur per cellulas, opprimatur a multitudine paucitas, simplicitas ab astutia supplantetur. Bene valete, Pater.

III.

Clementi III papæ. — Ejusdem argumenti.

(Anno 1188.)

Inter pressuras, Pater, et angustias quas diebus istis sustinet Ecclesia, dolet maxime in clericis suis,

(82) Guillelmo de Trahiniaco.

quorum gloriosum nomen et ordinem et fundaverunt apostoli, et informaverunt doctores, et principes extulerunt. Decimantur hodie filii Levi, solvit Aaron pensiones indebitas, nec immunis est Melchisedech a tributo. Tolerari poterat utcunque plaga hæc communis, si inde opprimerentur Ægyptii, unde spoliantur Hebræi. Sed quoniam non recipit Altissimus sacrificium de rapina, tributa egentium animarum, quæ immaniter extorquentur, permittit inaniter exspirare. Accedit ad stimulum et cumulum singultus et suspirii nostri, clericorum dico qui in sortem Domini vocati sumus, quod in collegio Grandimontensi perire videmus unam de tribubus Israel, ubi conversi, converso, ne dicam perverso ordine, ministris dominantur altaris, ita ut capite deorsum domus pendeat, bobus aratrum præferatur, idiota doceat clericum, laicus imperet sacerdoti. Completa est hodie Scriptura qua dicitur: « Clerici eorum non proderunt eis, » cum ejecti a cellulis suis, aliena mendicantes stipendia, exsules, seminudi, abjecti, saturati opprobriis, proponuntur spectaculum nobis, ridiculum alienis. Moveant clementiam vestram, Pater clemens, tot et tantorum exsulum lacrymosa suspiria, certa pericula, incerta consilia; et, languentibus filiis ac prope pereuntibus, sinum paternum expandite, ne in pristinam servitutem redeant, quos liberos esse decet et dignitate ordinis et ordine dignitatis. Communes sunt omnium Gallicanæ Ecclesiæ clericorum preces istæ, ne in ordine illo extraordinario absorbeatur a multitudine paucitas, paupertas a potentia, simplicitas ab astutia supplantetur. Bene valeat in longum sanctitas vestra, Pater.

IV.

Domino Soffredo, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali.

Multum mihi accessit, sed et successit plurimum, quando gratiæ vestræ participem me fecistis: de qua etsi plenitudinem non mereor, plenitudinem [*f.* pœnitudinem] non mœrebo. Nemo est, fateor, cujus memoriam vel recolam frequentius vel excolam, cum, ejus reliquiis diem festum mihi agentibus, et fructuosa semper colligam et abigam luctuosa. In colloquio serius, in convivio serenus, in neutro severus, in utroque socius erat mihi dominus meus, nec accedens ad lasciviam, nec a lætitia recedens. Jocosa mea sic videbat ut non irrideret, seria sic audiebat ut attenderet, plus de me æstimans quam ego qui melius me noveram, vel auderem confidere vel præsumerem confiteri. Hæc sunt quæ jugiter exiguitatem meam movent et monent, ut in arca cordis mei jocundum memoriæ vestræ theatrum erigam, per quod vobiscum deambulans solo recordationis solatio condelector. Rogo, si placet, ut quascunque petitiones nostras, justitiam postulantes, domino papæ offeratis, et judices nobis super justitia impetretis.

A

V.

Fratribus de Carthusia, pro quodam clerico recipiendo salutem et quam elegit Maria partem optimam.

Sublimem vicinumque sideribus ordinem Carthusiensem, quem imitari non possumus, admirari debemus, illum adorantes in sanctis suis qui et Eliam pavit in solitudine et Danielem in carcere, servans et docens in cellis singulos, in collegiis universos. Felices qui ad tanti culminis viros aspirant, feliciores qui cum eis respirant, felicissimi qui inter eos exspirant. Primos et medios ultimorum novissima confirmant qui beato exitu perseverantiam suam complentes, fratres suos peregrinantes in corpore et exemplo provocant et memoria consolantur. Inter aspirantes et sancto consortio vestro

B

desiderantes uniri, religionis ardore ferventem commendamus vobis præsentium latorem Joannem: cujus si annos numeremus, adolescens apparet; senex, si merita computemus. Credimus eum motus primos allisisse ad petram, et quæ in sæculo sunt reputare ut stercora, triplicem concupiscentiam, secundum gratiam sibi a Deo collatam, vel fugere vel fugare. Jugum Domini leve et onus ejus suave sibi imposuit ipse, cum alio, non sub alio conversatus in eremo: cujus exemplo formatus et firmatus testimonio, non parvæ spei reliquias nobis obtulit in voluntate concepta et instanter incipiendi et perseverandi constanter. Quantum ad religionis vel habitum vel modum, nulli sese obligavit, nulli pro-

C

fessionem fecit, nulli stabilitatem loci, nulli obedientiam promisit. Solutus, ut a vobis ligetur, accedit, ut cum Isaac vinculis obedientiæ et disciplinæ vestræ ligatus offeratur in monte sancto vestro, quem Dominus videt, hostia vera et Deo placens et perfecta. Gradum diaconatus a domino Senonensi archiepiscopo suscepit, septimum ordinem qui præcedentes singulariter excedit, si Deo placuerit et sacrum collegium vestrum per Dei gratiam ipse intrare meruerit, inter vos suscipere et expetens et exspectans. Sanctitati vestræ preces fundimus ut cum panibus occurratis sitienti, pulsanti aperiatis ne, si forte (quod absit!) duros in hac petitione sua vos invenerit, occasione repulsæ vestræ calamus

D

quassatus conteratur in eo, et linum fumigans exstinguatur.

VI.

Abbati Cisterciensi pro quodam monacho.

Excusabilis est ignorantia quam vel casus ex insidiis fortunæ pendens, vel ætatis infirmitas inducere consuevit. Ea sic a malitia recedit, ut ad mansuetudinem accedat; sic accedit ad veniam, ut severitatem non accendat: sacrificium ex adipe, simila oleo lita, misericordia superexaltans judicium commendatur. Hæc sunt quæ circa pauperem spiritu præsentem filium vestrum nos movent, et, ut ad misericordiam vos moneamus, non invitos invitant. Impubes, necdum septennium attingens, qua ætate delicta puniri non debent, dolens et nolens

casum incidit: cujus seriem in litteris domini Carnotensis episcopi sui, quas ad dominum Albanensem episcopum, apostolicæ sedis legatum, direxerat, inspeximus, et sigillo nostro cum præsenti chartula fecimus consignari. Et quoniam tam in negotiis quam in delictis consideratur a discretis judicibus ætas, voluntas, causa, locus, modus, necessitas, et aliæ circumstantiæ quæ vel rigorem extenuant, vel dispensationem admittunt, proponat sibi pietas vestra nondum septennem puerum, nondum capacem doli, nondum vel ad contractus idoneum, vel ad delicta maleficum, levitate puerili sagittam jecisse in aera, eamque volantem et a dæmonio meridiano impulsam, dormientem puerum, quem nesciebat sagittarius innocens, vulnerasse. Illis accedit quod taliter vulneratus acutam incidi quem chirurgus, forte per imperitiam (quod frequenter accidit) perperam incidit: quorum alterutrum, si causam mortis intulit, innocentem sagittarium liberavit. In dubiis autem clementiora et quæ magis pietatis proxima judex ecclesiasticus sequi debet et quamvis multa possemus inducere pro reparatione (taliter lapsi, tamen) non disceptantes, sed deprecantes scribimus, ut, sicut in capitulo communi permisistis ei suscepti ordinis exsecutionem, sententiam primam non mutetis, ne absorbeatur pusillanimis a tristitia, ne desperans dispereat, ne inobediens et mœrens mereatur obire. Credimus hanc dispensationem sine dispendio posse fieri, per quam nec confundantur leges, nec canones offendantur. Moveant sinum paternitatis vestræ fratris afflicti lacrymosa suspiria, certa pericula, incerta remedia: cui si exsecutionem officii de rigore tollitis, saltem inter monachos, tanquam clericum in habitu monachi (quod secure potestis facere), donec veniat tempus miserendi ejus, Deo servire permittatis.

VII.

Joanni, filio cancellarii almæ Urbis.

Veteres amicitiæ nec abjici contemptu debent, nec fastidio premi, nec oblivione deleri. Augeri volunt, non minui; convalescere, non perire. Harum commercio sic aliquando juncti sumus, ut alter alteri vellet et in adversis compati et in prosperis congaudere. Hac fiducia monitus et motus, obsecro te, per illam antiquam mutuæ societatis et dilectionis copulam, ut domino Patri tuo sacræ Urbis cancellario, viro quem diligimus in Christo, preces et frequentes pro me porrigas, quatenus negotium meum quod ei per litteras meas significavi, et benevole suscipiat et benefice pertractet; consilio et auxilio suo liberet me ab homine iniquo et doloso, qui cum amicis suis me persequens et infestans et sanguinem meum sitit, et pacem meam turbare non desistit.

VIII.

Domino Petro, Atrebatensi episcopo.

Cum nuper essemus in partibus aquilonis, a quo panditur omne malum (*Jer.* I), et intrassemus tor- A rentem qui transvadari non potest, subito contrarius ventus flavit in auribus meis; ad sonum cujus anxiatus est spiritus meus, in me turbatum est cor meum. Spargebant in populis nugigeruli, sutores fabularum, tanta vos infirmitate degravari quod ad extrema ægritudinis incommodum pervenisset. Expavi, dolui, nec sine febre fui, cum vos ea febris haberet. Verso in contrarium rumore, quando de salute vestra certum nuntium accepi, gratias egi Salvatori, qui in uno sanavit duos, et in duobus unum fecit. Et quia nunc tandem serenior infulsit dies, et tristitiæ nubem congratulationis absorbet claritas, quasi jam de vobis et in vobis respirare incœpi, mitto ad vos capellanum meum, qui vobis deferat obsequium salutationis, et mihi referat so- B latium vestræ salutis. Per eum vos consulo ut mihi amico vestro consulatis, et in negotio quod ex parte mea vobis exponet quid mihi expediat, quidve deceat, quid prodesse vel obesse possit; me et juvetis utiliter et liberaliter instruatis.

IX.

Petro Atrebatensi episcopo.

Placuit sanctitati vestræ requirere nuper a nobis de statu civitatis nostræ, cum essemus in rota turbinis, in fumo caliginis, inter dies criticos ægritudinis et salutis. Respondimus ut tunc erat pro tempore. Periculo postmodum deditionis et excidii sumptu pecuniario salubriter occurrentes, clausi undique ab hostibus et humano penitus auxilio destituti, nec liberam, sicut vobis rescripsimus, ha- C bemus exeundi licentiam nec intrandi. Eadem nobiscum charitate vulnerati, qua et nos pro vobis, passionis fraternæ calicem in illa nostra angustia combibistis. Requirimus a vobis ut et vos de statu vestro, de domino rege, de civitate vestra, de domino Remensi, de aggressu et processu comitis, de ludo fortunæ circa vos et vestros, utinam pacifico! significetis nobis per clandestinum latorem litterarum vestrarum, charta chartulæ respondentes

X.

Willelmo Remensi archiepiscopo pro ecclesia Sancti Martini Tornacensis.

Clamat in aures Domini Sabaoth humilitas nostra contra impudicam quorumdam monachorum inso- D lentiam; et gemitus nostri qui non solum terram, sed etiam cœlum commovere debeant in filios contradictionis et inobedientiæ, zelum vestrum animari desiderant et armari. Auctoritate vestra, Pater, et mandato accessimus ad monasterium S. Martini, assumptis, nobiscum [Galterio] de Sancto Amando et [Rogerio] de Cysonio abbatibus, accincti ad correctionem turpis infamiæ qua vehementer laborabant abbas [Joannes] et aliqui de junioribus monachis. Quantum licuit nobis processimus, nec profecimus, tanquam laterem lavantes et seminantes in arena, jacientesque anchoram in abyssum. Post aliquos dies, abbas coram nobis et domino [Petro] Atrebatensi, præsente maxima parte capituli nostri, juravit se stare mandato nostro. Formam juramenti

dominus Atrebatensis disposuit, exposuit et edixit. Honestum fuit mandatum, sed homini inhonesto molestum, quod non solum abbas, sed et quilibet religionem professus, sine juramento tenetur observare, præcipue quod amodo continenter vivet secundum gratiam sibi a Deo collatam. Paucis post diebus elapsis, dictus abbas, nobis ignorantibus, tres abbates de episcopatu Atrebatensi secum adduxit, scilicet [Simonem] de Aquiscincto, [Stephanum] de Marcenis et [Arnulfum] de Viconia qui in diœcesi nostra, in monasterio nostro, sacrilegam excommunicationem contra summum pontificem contra personam vestram, contra parvitatem nostram, consilio et auctoritate sua proferri fecerunt, et ipsi cum abbate protulerunt, scilicet ne aliqui monachorum S. Martini vobis aut nobis de statu monasterii, vel de iis quæ ad correctionem ejusdem pertinent, aliquid revelarent aut indicarent. Hoc etiam conventus, præsente nobiscum abbate, in capitulo confessus est, excepto quod dixerunt neque vos, neque nos in ea excommunicatione specialiter nominatos fuisse, sed generaliter per illam sententiam prohibitum esse ne alicui justitiæ status monasterii revelaretur. Videat sanctitas vestra quantum deliquerint abbates illi, et qualiter a vobis puniri debeant qui taliter auctoritatem vestram imminuere et humilitatem nostram lædere præsumpserunt. Tandem abbas de Aquiscincto, occasione quarumdam litterarum quæ falsissimæ et de officina fabrorum qui vobis nominati sunt, processerunt, nobis nescientibus nec litteras ipsas videntibus, prædictum abbatem S. Martini a sancto et religioso sacramento absolvit, ut qui castitatem sese juraverat servaturum, quasi jam solutus a sacramento, lumbari jam soluto et puteo facto, securus possit lupanaria frequentare. Cætera quæ non continentur hoc scripto, familiaris et clericus vester, abbas de Cysonio supplebit verbo. Interim rogamus sanctitatem vestram, Pater, ut si forte prædictus abbas, aut alius cum eo vel pro eo venerit ad vos, religionem vestram persuasionibus et promissionibus suis facile non circumveniant aut seducant, sicut nobis aliquando promisistis: ne forte (quod absit!) cucurrerimus quasi in incertum, et propugnaverimus quasi aerem verberantes.

XI.

Joanni, abbati Sanctæ Genovefæ Parisiensis.

Inviti clamamus, decepti conquerimur, læsi gemimus et dolemus, facti sumus in derisum omni populo vestro, canticum eorum tota die. Intolerabilis infamiæ nostræ pariter et vestræ fumus, tanquam fetor ascendens de cadaveribus nostris, et homines ad indignationem et angelos provocat ad vindictam. Hæccine est, inquiunt, montana religio vestra, regularium vestrorum munditia, Genovefæ virginis castitas et honestas, catervatim congregare pueros impuberes, allicere munusculis, die claudere in cubiculo, nocte collocare in cubili? Quid ad hæc, cum vera sint, respondebimus? Quo fuco verborum

A excusabimus excusationes in his malis? quo velamine contegemus faciem impudicitiæ nostræ? Hæc si in abscondito fierent, tolerabilis esset plaga, quoniam aut dissimulari poterant, aut comprimi, aut celari. Nunc autem, etsi tacerent homines, ligna loquerentur et lapides clamarent. Ostendimur digito, subsannamur naribus, risu explodimur et cachinno; laici condemnant in plateis, clerici insultant in ecclesiis, pueri vapulant in scholis, mulierculæ fabulantur in ergastulis suis. Damna quæ nobis intulit detestabilis homo ille Servandus, quamvis enormia sint, quoquomodo sustinemus: infamiam sustinere non possumus. Precamur et obsecramus, charissime, ut fratrem Marcellum, honestatis et pudicitiæ, sicut certi sumus, filium,
B qui tandem ultimus nobiscum hæc omnia cognovit sicut ait poeta,

Dedecus ille domus sciet ultimus,

adjuretis per virtutem obedientiæ, ut singula vobis exponat, nihil celet, nihil excuset, quia nec favere debetis cuilibet celanti, nec credere cuilibet excusanti. Recipite gratanter et reficite viscera nostra, et sine mora remittite fratrem M. qui fideliter et honeste nobis servit, et cujus absentiam diu non possumus sustinere.

XII.

Joanni abbati Sanctæ Genovefæ Parisiensis.

Tactus dolore cordis intrinsecus, dico, *Quod scripsi, scripsi* (*Joan.* XIX); non mutabo, non movebo nisi forte ea specie motus quo augmentum
C dicitur, dolor continuus id facere me compellit. O sanctitas incorrupta! O casta generatio! o sacrum domicilium pudici montis, montis in quo beneplacitum est Deo habitare in eo! quis vos fascinare, quis infatuare, quis sollicitare vos contendit ut recipiatis in collegio vestro manifestæ turpitudinis et publici criminis idolum, cujus infamia nos usque in infernum deprimit, ut tam ego quam tota mea familia Tornacensis dicamur principes Sodomorum et populi Gomorrhæ? Retorquetur et in totam Ecclesiam nostram cantus iste lugubris, non epithalamium, sed epitaphium quasi jam pudicitiæ nostræ fetidæ et sepultæ. Nemo vos seducat, quia si revertatur in domum de qua ejectus est, quæ in ejus
D exitu tanquam scopis mundata est et ornata, et ingressus fuerit in ea, erit novissimus error pejor priore.

XIII.

Cuidam canonico Tornacensi.

Repente mutantur nubes, et quas horrifer impellit boreas, postmodum madidus auster dissolvit et effundit. Mutantur tempora, mutantur et negotia; veritas autem non mutatur. Venit ad nos quidam clericus domini Aldebrandini, nepotis domini papæ, litteras ipsius domini papæ et [Anselli] Meldensis electi, nobis et capitulo nostro afferens, et donum præbendæ quam vobiscum omni solemnitate contulimus, irritare et revocare contendens. Videat super hoc discretio vestra quid nobis et vobis ex-

pediat, quia nec contra factum nostrum venire debemus aut volumus, nec contra dominum papam tanquam contra stimulum calcitrare audemus.

XIV.

Domino Remensi.

Sinus benevolentiæ vestræ, Pater, ex infusa vobis gratia Dei sic patet pusillis cum majoribus, ut nec admittat rebelles, nec obedientes emittat. In eo petentes accipiunt, quærentes inveniunt, et pulsantibus aperitur (*Matth.* VII). In hujus spei fortitudine concurrissem, procidissem ad pedes vestros, levassem oculos meos ad montem celsitudinis vestræ, nisi multa quæ senem circumveniunt incommoda me in iis in extremis diebus impedirent. Supplico, ut possum, manu tremula scribens quod lingua proferens timida vix auderem, sanctitati vestræ preces ardentes offero pro charissimo filio et capellano meo M. [Marcello] quem sexdecim annis in omni honestate et regulari disciplina nutrivi et edocui, ut eum ad præsentationem canonicorum Cysoniensium benevole suscipiatis et confirmetis benefice, quoniam canonice ab eis electus est et communi assensu omnium et proprio singulorum. Si attendamus in eo tempora, juvenis est; si virtutis merita, maturus et senex. Sana vobis conscientia, Deo teste loquor, quia commendabilis est a munditia membrorum, et gravitate morum et peritia litterarum.

XV.

De præbenda capellaniæ Tornacensis episcopi privilegium.

Sacris auctoritatibus Patrum docemur, et recta fide credimus ac tenemus, quod animæ fidelium defunctorum qui in confessione sanctæ Trinitatis decesserunt, et commendantur Deo orationibus Ecclesiæ et oblatione Dominici corporis, requiem consequuntur æternam. Nos autem qui divina potentia, non meritis nostris, in eminentiori gradu positi sumus, quod aliis prædicamus verbo, probare debemus exemplo. Eapropter notum fieri volumus, tam futuris quam præsentibus, quod, memores conditionis nostræ et de Domini misericordia sperantes, assensu capituli nostri instituimus perpetuum capellanum in oratorio S. Vincentii martyris (quod est episcopalis capella, et quod multis expensis gratiose ædificavimus, et in eodem liberum introitum, quem Tornacensis episcopus antea habere non poterat, in majorem ecclesiam, non sine multa contradictione laicorum, auctoritate domini regis obtinuimus), qui, tanquam proprius capellanus, singulis diebus missam celebret in eo pro animabus Tornacensium episcoporum et aliorum fidelium defunctorum, et pro vivente episcopo propriam in eadem missa collectam. Et quia dignus est operarius mercede sua, assignavimus prædicto capellano mensam episcopalem, ut in ea victum idoneum quotidie percipiat et honestum, sive præsens sive absens fuerit episcopus. Assignavimus etiam ei et concessimus septem libras Flandrensis monetæ, singulis annis persolvendas a monasterio S. Bertini pro censu quem annuatim debet episcopo infra viginti dies Dominicæ Nativitatis pro ecclesia de Listreuelle, quam multo labore et sumptu de manu laica retraximus, cooperante et laborante nobiscum abbate S. Bertini. Et quia nolumus quod occasione istius capellaniæ mater nostra ecclesia B. Mariæ, sive fratres nostri canonici ipsius possint in aliquo de nobis conqueri, prohibemus ne, absente extra civitatem episcopo, prædictus capellanus parochianos Tornacensium ecclesiarum admittat vel oblationes eorum recipiat. Obeunte vero Gilione, cui primo capellaniam concessimus, episcopus qui tunc temporibus fuerit, alium quem voluerit loco ipsius substituat.

Actum in capitulo Tornacensi, anno Incarnationis Domini 1198.

XVI.

Abbati et conventui Sanctæ Genovefæ virginis.

Ad laudem et gloriam Dei et honorem beatæ Virginis nostræ frater noster et vester M. [Marcellus] electus est in abbatem Gysoniensis Ecclesiæ et communi assensu omnium et proprio singulorum. Congratulamini nobis in hoc facto, et orate nobiscum, charissimi, ut quod, volente Deo, bono inchoatum est principio, felici exitu peragatur. Veniunt ad vos canonici prædictæ Ecclesiæ postulantes ut eis tam concorditer electum in abbatem et pastorem emancipatum reddatis et liberum. Postulamus et nos cum ipsis ut quem nutrivimus in adolescentia sua, consoletur nos et consocietur nobis in senectute nostra. Addimus et hoc precibus nostris, ut, quia tempora periculosa sunt et sub anc pite fortuna rerum versantur eventus, fraternam et canonicam societatem, quam hucusque in Ecclesia nostra pariter et vestra habuit, tam spiritualiter quam temporaliter, ei integram reservetis et concedatis.

XVII.

Eisdem.

Suscipite viscera nostra, in Christo charissimi, et communem filium nostrum ac vestrum M. [Marcellum], capellanum nostrum Ecclesiæ Cysoniensis electum, et quidquid vobis ex parte nostra dixerit de revocandis et recolligendis in sinu matris vestræ fratribus, qui de consilio nostro [occasione] cujusdam puerilis tumultus remoti erant ad tempus, benevole pariter ac benefice compleatis. Non enim filii sumus dissensionis aut schismatis, sed dilectionis et pacis. Rogamus autem te, charissime et desiderantissime frater, ut cum electo nostro venias ad nos, ut in ipsius benedictione nobiscum congaudeas et exsultes. Desideramus enim te videre et aspectu tuo frui in Domino.

XVIII.

Domino Tornacensi, abbas de Silva-Majori.

Vobis, domine pater charissime, sicut venerabili per omnia viro, magnæ auctoritatis domino et egregio doctori, duxit humilitas nostra notificandum

quod, ad honorem Dei et nutum ejus, quo inspirante cogitantur quæ recta sunt et aguntur, glorificato nuper per relevationem ex decreto apostolici culminis beato Geraldo, speciali patrono et fundatore monasterii nostri, pro suorum exigentia meritorum atque virtutum quas fecit per illum Dominus in medio nostri, mentes omnium excitatæ, tam cleri quam populi atque sublimium personarum terræ nostræ, præter illum qui in transitu ejus consecratus est, constituerunt ei communibus votis et intensis studiis diem perpetuo agere solemnem, sub eo tempore quo sacrum illius corpus elevabitur, auctore Domino, circa Nativitatem beati Joannis Baptistæ, sperantes et nos, pariter cum eis virtutum ejus magnalia experti, ut tam temporaliter quam spiritualiter mereamur de ipsius relevatione divinæ propitiationis crebra consolatione relevari. Quia igitur, testante Scriptura, de ore prudentis procedit mel, dulcedo mellis est lingua ejus, est favus distillans labia (*Prov.* XVI), ad percipiendum de ore vestro dulcedinis gustum, de illa ditissima vena sapientiæ et eloquentiæ, cujus fama replet orbem terrarum, in memoria gloriosi confessoris suppliciter a vobis postulamus vobis divinæ laudationis hymnos componi, antiphonas videlicet et responsoria, ut in diebus festis ejus Deum et Dominum nostrum in sancto suo prædicare mirabilem, ejusdemque sancti merita solemnioribus magnificare præconiis, atque in suis laudibus nos et qui ejus præsidio specialiter gaudent, convenientius atque devotius possimus merito delectari. Nostræ vero humilitati petimus indulgeri, ne istud nobis imputetur præsumptioni quod tam pie et humiliter postulatur, veniam implorantes quod otium vestrum sanctum inquietare præsumimus, et sollicitare sensum multa cogitantem.

XIX.

Domino Tornacensi, abbas de Silva-Majori et totus conventus.

Ignitum eloquium vestrum, domine, vehementer et servi vestri, quorum inflammavit corda, diligunt illud : auditui quippe nostro dedit gaudium et lætitiam. Afferentibus nuper servis vestris sacrarum litterarum apicibus salutatione præmissa, et facti sumus sicut consolati, et tanquam jam adepta ex promisso suæ pietatis effectum, sicut adipe et pinguedine repleta est anima nostra, vulnerata charitate; et labiis exsultationis laudavit os meum perceptis beneficiis jam gratum, ut ex perceptione præsentium munerum firma sit exspectatio futurorum. Gratias dignationi vestræ quæ nostram humilitatem tanto dignatur honore et gratia ut sit illi cura de nobis et respexerit in orationem humilium nec spreverit precem eorum : siquidem delectant nos plurimum merito in eisdem litteris, in quibus nobis spem dedistis, pulchritudinis eloquia, ubi contemplamur, velut in quodam exemplari, quanta pretiositate decor et totius operis desiderati corpus lucidum debet splendere pariter et valere. Quia
A igitur vir bonus et justus, imitator Dei, cujus fidelis promissio quæ procedunt de labiis suis non novit irrita facere, *semel loquitur et idipsum secundo non repetit* (*Job* XXXIII) (quod salvo dicimus sacramento sacratiori, quod nobis revelavit perfectius qui revelat mysteria de unica et æterna generatione Verbi), faciat hanc, quæsumus, cum suis servis dominus noster misericordiam, ut per voluntatem Dei et suam dignationem cito nobis occurrat quod desideramus, eo ardentius, quo fecundius et facundius nobis sonant verba oris sui. Sonet ergo verbum vestræ spiritualis harmoniæ tanquam organum Spiritus sancti, ut spiritus vester qui habitat in hortis, faciat nos audire vocem suam ad dandum in celebrationibus decus et amplificandum nomen sanctitatis, ut in die
B magno festivitatis de medio petrarum dent voces beatissimi viri sancta præconia, et per vos quem prævenit Dominus in benedictionibus dulcedinis, de vestra gratiæ dulcedine et inexhaustis sapientiæ thesauris dulces capiamus modulos linguæ, gustantes in eis quam dulcis est Dominus, et quam dulcia faucibus nostris eloquia vestra super mel ori nostro. Sunt enim præstitura nobis ædificationem plurimam et excitatura devotionem, quæ præeminent auctoritate et eloquio, fulgent tanti viri et domini tanti majestatis verba. Non est autem quod in excusationem hujus rei humiliter in hac parte prudentia vestra senium debeat allegare, cujus sapientiæ immortalis est apud vos et de vobis memoria, et ipsum senium, sicut melius nostis, fidem
C vobis comparat et favorem, dicente Scriptura quia in senibus est sapientia, et sapientiam antiquorum exquirunt sancti (*Eccli.* 39). Super iis igitur obtinendis spes nos firma confortat, præsertim quia sapitis plene, et quæ sentitis fari potestis, cum spiritus sapientiæ et intellectus apud vos ipse sit dux verbi. Quid autem generosam magnanimitatem vel aggredi pigeat, vel cœptum fatiget? utinam mereamur cito obtinere quod tam devote desideramus! mereamur utinam quidam ex nobis, quia forte non datur omnibus, videre faciem vestram, et gaudere in aspectu vestro et in verbis sapientiæ vestræ, et de contemplatione tanti domini, cujus nos speciales servos atque devotos ad omnia quæ
D possumus nos profitemur, possimus merito delectari! Conservet Dominus incolumitatem vestram ad salutem et honorem totius sanctæ Ecclesiæ suæ, Pater sancte et charissime domine, in longitudinem dierum!

XX.

Abbati et sacro collegio Silvæ-Majoris, quamvis non silvestribus nec mundanis, in servitio Domini caudam hostiæ et tunicam talarem.

Indulgeat vobis Deus, fratres charissimi, quod hominem infirmum ad fortia, senem ad juvenilia sacramentis episcopalibus astrictum ad κολακευματα et periodos impulistis. Sufficere deberet ad excusationem nostram quod vobis eram ignotus, loco remotus, natione, lingua et moribus alienus, præsertim

cum et peritiores in Francia, facundiores in Aquitania, in Gasconia cantilenis habiliores et plausibus proniores habeatis. Acuta sunt vulnera charitatis, cujus magister sermo Dei, vivus et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti pigros excitat, desides accendit, rebelles convertit, et imperio suo nolentes etiam subjungit et invitos. Hujus sagittas visceribus nostris violenter inflixit dilectio vestra, et quasi carbones super caput nostrum ingerens inflammavit ad ea quæ in os pueritiæ salivantibus syllabis consuevimus balbutire. Laudes patroni vestri et amodo nostri beati Geraldi, charitate vestra cogente, qua potuimus, non qua debuimus diligentia, antiphonis, responsoriis et hymnis adnotavimus, fortasse ridiculum nostris, spectaculum vobis, miraculum alienis. Si placet, quod scriptum est, tacito auctore, suscipite; si displicet, aut scalpello scindite, aut ignibus concremate. Quocunque tamen vertitur judicium vestrum super approbatione vel reprobatione scripturæ hujus humillimæ, memores estote Stephani peccatoris, amici vestri, et participem facite orationum vestrarum quem in revelatione et relevatione Sancti Geraldi consortem voluistis esse gaudiorum vestrorum. Lator præsentium serviens noster est et de domo nostra; votum suum quod ad Beatum Jacobum proficiscendi fecerat, per vos transiturus, Deo volente, implebit; per quem fidelius et securius vobis negotium istud transmittimus, et vos per eumdem voluntatem vestram securius et amicabilius nobis per litteras vestras poteritis intimare.

XXI.

Sanctissimo domino et Patri A. [ALEXANDRO] *summo pontifici, frater* STEPHANUS, *Sanctæ Genovefæ Parisiensis humilis minister, salutem et cum omni devotione obedientiam.*

Dominus meus Senonensis archiepiscopus, apostolicæ sedis legatus, [Hugoni] viro venerabili ac religioso abbati de Curia-Dei, et nobis pariter causam quamdam, quæ inter R. archidiaconum et R. presbyterum senem super Ecclesia de Combros vertebatur, anno præterito commisit cognoscendam. Cumque presbyter ille prædictam Ecclesiam a præfato archidiacono sibi datam diceret, archidiaconus autem negaret, a presbytero quæsivimus (83) si quas de donatione quam dicebat probationes haberet. Presbyter sese id probaturum asseruit, die assignata venit, probationes non habuit, appellavit, recessit et decessit. Eo mortuo, nepos ipsius, qui non donatam, non promissam sibi dicebat Ecclesiam, clementiam vestram adiit et litteras quasdam a vobis subreptas ad dominum Senonensem attulit, altero in præfata Ecclesia instituto et ordinato. Hæc vidimus, Pater, et audivimus, et testimonium nostrum verum est. Valeat sanctitas vestra, Pater.

XXII.

Domino Remensi.

(Anno 1179.)

Nostis, Pater, infirmitatem meam; nostis et senectutem meam. Hæc sunt quæ a negotiis etiam Ecclesiæ nostræ me revocant. Hæc sunt quæ impediunt et retardant. Inde est quod paternitatem vestram in multis et magnis beneficiis mihi jam cognitam summo deprecor affectu, ut in auribus domini papæ me reddatis excusatum, quoniam laborem eundi ad concilium non possum arripere, qui vix valeo respirare. Cæterum super negotio nostro, quod cum Bonefacio (84) archidiacono habemus, benignitati vestræ preces quas possum offero, ut, sicut de vobis specialiter confidimus, speciale beneficium vestrum in hoc articulo sentiamus. Non enim est qui de manu tam potentis adversarii nos eruat, nisi ope et opera vestra ab ejus pulsatione liberari nos contingat.

XXIII.

Petro Tusculano episcopo (85).

(Anno 1180.)

Prævenisti me, Pater, in benedictionibus vestris, et jamdudum mihi de mente benevola manum beneficam extendisti. Et unde hoc mihi ut super canem mortuum et pulicem unum aperiat dominus meus oculos suos, et intentum divinis occupationibus animum velit in mei memoriam relaxare? Fateor, ubi litteras vestras de manu porrigentis accepi, statim anima mea liquefacta est, ardentisque desiderii æstus indices conceptæ lætitiæ lacrymas excitavit. Solent enim et eæ, contra communes opinionum regulas, vel effundi præ gaudio, vel comprimi præ dolore. Et ego sub quodam solemni theatro recordationis vestræ quotidianum mihi proponebam spectaculum, et dicebam: « Ecce veniet dominus meus, dilectus meus, desideratus meus, quia gaudens gaudebo in animo, et consolabor ab uberibus consolationis ejus. Occurram ei, et regni fines egrediens usque ad alterius labii et linguæ ignotæ populum sequar, consequar, apprehendam. Putas respuet salutantem, procidentem ad pedes repellet, contemnet advenam, negabit osculum, claudet sinum? At si bene novi fecundam virtutum animam ejus, et inter pontificales infulas, inter Romani culminis falces, sic inolitam retinet humilitatem, ut non opprimatur a gloria, nec inglorios opprimat; sic applaudit humilibus, ut contentiosis resistat. » Hæ sunt reliquiæ cogitationum mearum diem festum agentes de vobis, imo primitiæ simul eorum et decimæ quas frequenter immolo, quas præ oculis

(83) Non de se loquitur Stephanus, sed in persona Hugonis Noviomensis, Sancti Bartholomæi abbatis; hanc scripsisse epistolam censendus est ille.

(84) Bonefacium eum credimus, Noviomensem archidiaconum de quo loquitur Joannes Saresb. in epist. 234, Curtismiliæ in regione Montis-Ferrati marchionem, natum ex Agnete sorore Simonis Noviomensis episcopi prout legitur in fragmento genealogico, edito t. XIV, *Rer. Franc.*, pag. 3.

(85) Petrus, præsb. card. Sancti Chrysogoni, et A. S. in Franciam legatus, anno 1178, creatus est Tusculanus episcopus.

habeo, quas in conspectum vestrum nec deferre differam, nec offerre. Quod autem de statu meo et Ecclesiæ nostræ vobis placuit inquirere, tantum sollicitudinis et humilitatis affectum veneramur suppliciter ac veremur. Per Dei gratiam et beneficium vestrum prospere nobis omnia succedunt, et non est occursus neque Satan, excepta infirmitate domini regis (86) in qua pendet et commune discrimen omnium et proprium singulorum. Unanimes in domo Dei nobiscum habitant patres nostri, et disciplinis regularibus dum se subjiciunt singuli, proficiunt universi. Perseverantiam tantum in his quæ agunt desidero, quoniam in eorum operibus et charitati respondet honestas et charitas honestati. Oro veniat hora qua ego veniam ad vos, vel vos in Franciam veniatis. Valeat in perpetuum sanctitas vestra!

XXIV.

Jucundum calicem bibo quoties raptum ad pontificales infulas in Ecclesia Romana, sedentem cum principibus et solium gloriæ tenentem, ut dominum, recolo quem colueram ut amicum (87). In hoc solemni theatro cogitationum mearum non tam superbus deambulo quam securus. Confidentiam meam, Pater, de vobis armat et animat prisca quam indignus attigeram familiaritas vestra, suavis et mitis confabulatio, verborum simul et operum eruditio moralis : quorum omnium reliquiæ diem festum agunt mihi. Rogo, Pater, ut inter multa et magna totius mundi perstrepentia apud vos negotia, inter ferventes et frequentes curarum tumultus; inter divitum clamores et pauperum, etiam Stephani vestri quandoque memoriam habeatis. Ego enim, si etiam in excelso throno vos viderim, reverberanti et quasi importunitatem meam alloquendi vos castiganti cogitationi meæ illud Aniani, verbulo paululum immutato, forsitan imprudenter potius quam impudenter respondebo :

At mihi qui quondam semper amicus eris.

Si forte Joan. (88) Aurelianensis scriptor domini cancellarii sollicitaverit vos pro quibusdam petitionibus nostris vel porrigendis vel impetrandis date operam, obsecro, ut quod petimus impleatur.

XXV.

Reverendis patribus ac dominis N. [NIVELONI], *Dei gratia Suessionensi episcopo et* WILLELMO *ejusdem ecclesiæ decano, frater* STEPHANUS *de Sancta Genovefa, salutem et cum omni dilectione fidele obsequium.*

Venerabilem senem et omni acceptatione dignum H. [Hugonem] abbatem S. Bartholomæi Noviomensis, super causa quæ inter ipsum et abbatem S. Crispini vertitur, a domino papa vobis commissa sollicitum, et frustratoriis, ut credit, adversa parte dilationibus elusum, ea qua decet æquitate, judices, respicite, et ne amplius litibus et sumptibus pro re tam modica fatigetur, infirmitati parcite ipsius et ætati. Ea qua a vobis recessimus die, sub certa forma pacis ab utraque parte, verbis sacerdotalibus tanquam sacramento firmata, compromissum est; a qua si alterutra partium resilire voluerit, et sacrilegio erit proximum et sacerdotio alienum. Forma autem compositionis ea die a nobis conscripta hæc est : De consensu H. [Hugonis] abbatis S. Bartholomæi et abbatis [Berneredi] S. Crispini, concessum est ut Petrus et Crispinus monachi et Nicolaus præpositus jurent quod veritatem dicent secundum inquisitionem ab eis factam et conscientiam suam propriam, bona fide et sine dolo tam de possessione et tempore possessionis quam de jure et proprietate decimæ de qua contenditur, tam pro ecclesia S. Bartholomæi quam pro monasterio S. Crispini; et, secundum quod juraverint, episcopus Suessionensis et decanus utrique parti suum jus assignabunt. Hoc autem factum est coram vobis et decano Remensi, astantibus Willelmo abbate S. Leodegarii, et nobis et abbate S. Crispini de Cavea, et multis aliis. Inde est quod sanctæ paternitati vestræ preces fundimus, ut auctoritate judiciaria a domino papa in hoc negotio vobis commissa partes cogatis ne a promisso recedant, et ut sine dilatione compleatur, mandato vestro obedientes existant.

XXVI.

Peccatum ariolandi et scelus idololatriæ, si vera sunt quæ leguntur, æquis passibus cum inobediente didicimus ambulare (*I Reg.* xv), et in municipio perduellionis reus, in cœnobio schismaticus esse potest. Id genus, ubicunque fuerit, eo districtius Ecclesia Romana persequi consuevit, quo et frequentius scissuram experta est, et familiarius amplectitur unitatem. Ea peste mortaliter infectum audivimus B. de Alenac qui priori suo rebellis quasi altare contra altare erigit; et ab aquilone sedem sibi ponens, bicipitem Ecclesiam Beneventani conventus inconvenienter et monstruose monstrare contendit. Patrem persequitur filius alienus, pastorem ovis morbida, contagio sui cæteros inficiens et efficiens nequiores. Insurgat in tales zelus vester (89), armetur justitia, severitas excandescat, ut qui majorum sententias contemnunt, coacti sentiant impunitam sibi non fore licentiam resistendi. Has pro Simone (90) priore vobis preces offero, hoc immolo sacrificium, hoc elogium decanto.

(86) Rex Ludovicus VII, anno 1179, percussus paralysi, anno integro decubuit ægrotus.

(87) Scripta videtur hæc epistola Berneredo Sancti-Crispini Suessionensis abbati qui factus est anno 1179 Prænestinus episcopus cardinalis, obiitque anno 1181.

(88) Joanni, ad quem scripsit Stephanus epistolam inter editas Molineti 65.

(89) Datam ad episcopum et canonicos Lemovicensis Ecclesiæ eam epistolam inde colligimus, quod sub eorum juridictione consisteret Beneventanus ordinis Sancti Augustini prioratus.

(90) Incompertus Simon, decessoresque ejus, auctoribus *Galliæ Christ.*, qui catalogum priorum Beneventani cœnobii contexuerunt, t. II, col. 619.

XXVII.

Hac instanti sexta feria, Pater, diem nobis et quibusdam militibus assignastis (91). Exponebam sarcinulas, et ad procinctum itineris cursumque negotii domesticam supellectilem præparabam, cum subito et felici mihi semper auspicio litteras vestras accepi, quæ non læso mandato Blesim me descendere compulerunt. Ne autem me desidem et juris nostri contemptorem propter absentiam, et gaudeat, ac propter hoc se vicisse suspicetur adversarius, hunc fratrem nostrum misi, qui a nobis in hoc negotio procurator constitutus vices nostras suppleat, litteras capituli nostri de ratihabitione secum habens. Gestiente præ gaudio et præ metu labio titubante, ultimum illud verbum, quod mihi de reddito comparando, pro perenni memoria G. in Ecclesia nostra facienda, fecistis, ad memoriam vestram revoco, ut, si placet, fiat in proximo verbum vestrum in quo mihi spem dedistis. Convenimus cum venditore, consensu faciente contractum : quidquid inde bonum vobis visum fuerit, nobis, obsecro, nuntiate. Hunc præsentium latorem fratrem nostrum et concanonicum, procuratorem constituimus; quidquid per ipsum coram vobis factum fuerit, sive transactione, sive sententia, ratum habebimus et habemus.

XXVIII.

(Anno 1168.)

Commissam vobis a domino papa cognitionem quæstionis audivimus, quæ dominum nostrum [Manassem] Aurelianensem episcopum contingere videatur. Et quoniam eidem domino nostro episcopo in sua justitia deesse non debemus, quantum nobis manifesta est series facti cui interfuimus, simpliciter vobis et proferimus et testamur. Idem enim et domino papæ nos meminimus scripsisse.

Sicut nec falsitatem astruere, sic et ubi exigimur, veritatem abscondere non debemus. Ea quæ in oculis hominum nobis præsentibus facta sunt, simplici vobis intentione et proferimus et testamur; non enim possumus quæ vidimus et audivimus non loqui. Exempto de grege hominum morte indigna Joanne Aurelianensi decano (92), die a capitulo communiter indicta, qua eligeretur alius, canonici convenerant. Vocati sumus et nos. Seruntur, ut assolet in talibus pro diversitate mentium, diversa et adversa. Placuit tandem omnibus ut nos, assumpto nobiscum viro bono et religioso Rogerio, qui nuper curæ prælationis, quam in Ecclesia Beati Evertii diu sustinuerat, humiliter sponte renuntiavit, singulorum voluntates seorsum sub signo confessionis audiremus. Secedimus, audimus, scripto mandamus. Dicebat alius sic, alius autem sic. Re-

A vertimur in conventum, fines mandati, quod egredi non licet, observantes. Iterum in medio verborum conflictus et dissensio voluntatum: et quia duæ videbantur quæ potius dissentirent ab invicem partes, placet utrique ut subdecanus tres, cantor itidem tres nominarent e fratribus qui munus electionis et susciperent et explerent. Compromissum est in eos ut, quod pariter ipsi sex aut eorum quinque de futuro decano constituerent, ratum ab omnibus haberetur; injunctum autem nobis et sex illis ut secretius iterum nobiscum loquerentur, et secundum quod ex confessionibus prius ad nos factis (quantum nobis permissione totius capituli manifestare liceret) audirent, electionem suam formarent. Nec enim electione illa aliud suscepimus aut B fecimus. Conveniunt quinque, sexto sustinente et tacente. Revertuntur in capitulum qui elegerant; et quæsito iterum ante omnes ut ratihabitione mandatum firmarent, qui contradiceret nemo fuit. Unus ex prædictis sex, H. archidiaconus : « Elegimus, inquit, et nominamus in decanum nobis Hugonem subdecanum. » Acclamatum est a pluribus, a nemine contradictum. Itur ad episcopum cum plausu. Præsentatus electus in decanum, ponitur per manum episcopi sicut solemnitas consuetudinis eorum exigit, in sede decani, tam in capitulo quam in choro. Afferuntur Evangelia; sacramentum de indemnitate bonorum Ecclesiæ, de fidelitate quam episcopo et capitulo debet, præstat novus decanus; et sic omnia consummantur. In præsentia nostra C gesta sunt hæc : inde et quæ vidimus et audivimus, hæc testamur, et testimonium nostrum verum est.

XXIX.

Reverendissimo domino et Patri W. [WILLELMO], *Dei gratia Senonensi archiepiscopo, frater* STEPHANUS *de Sancto Evurtio, salutem.*

Mulier ista, cujusdam servientis nostri filia, turpiter, ut dicitur, et inhoneste a viro suo tractatur, qui ei nec mensæ consortium, nec tori commercium, nec domus contubernium communicat aut indulget. Supplicat vobis in hac afflictione sua, supplicamus et nos cum ipsa, ut viri viventis viduam paterno consilio simul et auxilio sustentetis. Jam enim non misericordiam, sed judicium postu- D lat, causæ suæ meritum justitiæ committens et æquitati commendans.

XXX.

Reverendissimo domino et Patri H. (93) *Sancti Bartholomæi Noviomensis abbati, frater* STEPHANUS, *spiritu fortitudinis accingi.*

Ejice derisorem et exibit cum eo jurgium ejus (*Prov.* XXII) : non enim hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos

(91) Guillelmum Senonensem archiepiscopum simulque Carnotensem episcopum alloquitur, auctor, ut nobis quidem videtur, videbiturque cuicumque auctoris verba diligenter consideranti. Porro Guillelmus ambos simul episcopatus gessit ab anno 1168 usque ad annum 1176.

(92) Vergente anno 1167 neci traditus fuit Joannes, Aurelianensis decanus, de cujus funere sermonem habuit in synodo Senonensi Stephanus Tornacensis, inter ejus epistolas editum, p. 1.

(93) Hugoni, qui Sancti Bartholomæi præfecturam gessit ab anno 1158 usque ad annum 1187.

perdat. Si abscindendi sunt qui nos conturbant (*Gal.* v), quanto magis non admittendi? Inobedientiæ malum et idololatriæ scelus, sive ariolandi peccatum, æquis passibus ambulare didicimus (*I Reg.* xv). Quorum autem similis est culpa, non debet esse absimilis pœna. Et quæ portio fidelis cum infideli? Schismaticos partim absorbuit terra, partim ignis absumpsit. De his Hieronymus: « Quis, inquit, dubitaverit hoc esse sceleratius commissum, quod est gravius vindicatum? » Idem (24, q. 3, c. 16, *Resec.*): « Putridæ secandæ sunt carnes, et scabiosa ovis a caulis repellanda, ne corpus putrescat, ne pecora intereant. Arius in Alexandria una scintilla fuit; et quoniam non statim oppressus fuit, totum orbem fama ejus populata est. » Sequere et tu, Pater, tanti viri consilium. Schismaticorum sodalitates evitandas docet Carthaginense concilium quartum, et cum eis neque orandum, neque psallendum. Et ne dubites hunc esse schismaticum de quo quæris et quereris, audi Pelagium papam (24, q. 1, c. 34, *Schism.*): « Schisma, inquit, scissuram sonat, et in unitate scissura esse non potest. » Qui ergo unitati non communicat, qui partem sibi facit, schismaticus est. Sed et conspiratori ne parcas, paratus ulcisci omnem inobedientiam. Hunc enim eumdem contra patrem spiritualem conspirasse et nos audivimus, et vos experti estis. Quid de conspirationibus faciendum sit, consule Chalcedonense concilium. Quid? Quod ad sæcularis militiæ simul ac potentiæ malitiam confugit, utriusque legis divinæ scilicet et humanæ testimonio, sacrilegium incurrit. Legatur constitutio de episcopis et clericis quæ sic incipit (17, q. 4, c. 29, *Si quis suad.*): « Si quis in hoc genus sacrilegii. » Pius etiam papa, sicut eum qui Ecclesiam Dei vastat, sic eum qui sacerdotes insequitur sacrilegum judicat. Et quoniam tantis excessibus adjecit ut Patrem maledicerct, et matrem ecclesiam sive fratres infamaret, timeat rigorem Aurelianensis concilii (3, q. 1, c. 2, *Eos qui.*) quo dicitur « eos qui falsa fratribus capitula objecerint, usque ad exitum non communicare. » Teneat sententiam Adriani papæ (5, q. 6, c. 5, *Delatori.*): « Delatori, inquit, aut lingua capuletur, aut convicto caput amputetur. » Illud autem quanta animadversione dignum sit, quod in Patrem irruens manus in eum injicere voluit, aut dissimulet qui excusat, aut pronuntiet qui arguit. Auctoritate Stephani papæ (3, q. 5, c. 13, *Omnes*), « omnes qui adversus patres armantur, in

A universo mundo infamia notantur. » Eadem severitate voluntatem hujus sceleris qua effectum puniri jure voluerunt. Majestatis enim crimen parricidii culpam habet. Et ne aliquis obmurmuret, et contra misericordiam cujus discipuli sumus, me locutum asserat, teneat Patris Ambrosii sententiam, qui in libro *De Officiis* ait (23, q. 4, c. 33: « Ut injusta misericordia, et de quodam in lege scriptum est: *Non misereberis illius.* (*Deut.* xix.) Teneri quam maxime debet forma justitiæ ne quis a communionis consortio abstractus, brevi lacrymula ad tempus parata, vel etiam uberioribus fletibus communionem, quam plurimis debet postulare temporibus, a facilitate sacerdotis extorqueat. Facilitas enim veniæ incentivum tribuit delinquendi. »

B Aut igitur, si incorrigibilis videtur, nullatenus recipiendus est; aut si spes correctionis ejus est, post multam contritionem, manifestam humilitatem, sub acerrima et diutina pœnitentia revocandus.

XXXI (94).

Præsentium portitor ingens habuit desiderium videndi vos et morandi apud vos. Impletum est tandem desiderium ejus. Occasione enim emergente, consilium ei dedimus ut perficeret quod optaverat. Occasionis qualitatem ipse viva vobis voce reserabit. Si vobis necessarius est, eum retinere potestis. Promisit nobis quod vobis non erit oneri, sed honori; non damnosa, sed utilis sua conversatio.

C

XXXII.

(An. 1177.)

Venerabili Patri et amico charissimo W. (95) *Dei gratia Portuensi episcopo*, W. [Willelmus] *Remensis Ecclesiæ minister humilis, salutem et sinceræ dilectionis affectum.*

De vobis specialius confisi specialem amicum ac devotissimum sanctæ Romanæ Ecclesiæ filium, magistrum Stephanum sanctæ Genovefæ abbatem vestræ dilectioni commendamus, tam suis meritis quam nostra gratia diligendum. Rogamus itaque uti nuntium ejus et causam Ecclesiæ suæ contra quemdam, sicut audivimus, pseudofratrem, nomine Ludoycum (96), qui pro suorum excessuum enormitate demum coram domino rege regni fines

D abjuravit; postea vero falsa suggestione domini papæ auribus circumventis, litteras, ut reciperetur, impetravit. Manu teneatis et a tam perniciosa persona gregem Domini scandalizari non permittatis.

(94) Godefrido abbati Sancti Satyri scripta videtur hæc epistola; quippe plures exstant ejusdem argumenti ad eum litteræ inter editas Molineti, 7, 45, 53, 76, 98, 137, 142.

(95) Willemus Papiensis, præsb. cardinalis Sancti Petri ad Vincula, factus est Portuensis episcopus anno 1178, et sequenti anno vivere desiit.

(96) De eodem vide epistolam, inter editas Molineti 38, ad Gratianum Romanæ Ecclesiæ cardinalem.

STEPHANI TORNACENSIS

STATUTA QUÆDAM SYNODALIA.

(Edit. Opp. curante R. P. Du Molinet.)

I. Sacris auctoritatibus Patrum docemur, et recta fide credimus ac tenemus, quod animæ fidelium defunctorum, qui in confessione sanctæ Trinitatis decesserunt, et Ecclesiæ orationibus commendantur Deo, et oblatione Dominici corporis requiem consequuntur æternam. Nos autem qui divina patientia, non meritis nostris in eminentiori gradu positi sumus, quod aliis prædicamus verbo, probare debemus exemplo.

II. Paulo apostolo attestante, didicimus quia naturali successionis ordine servato, patres filiis, non filii patribus thesaurizant, id attendentes, etc.

III. Institutionis ecclesiasticæ forma, multis excogitata vigiliis, secundum diversitatem locorum, et temporum, personarumque et causarum varietatem diversis consuetudinibus ordinatur et regitur, disponitur et servatur: una tamen est Ecclesia, una Dei columba, una fides catholica, una circumdata varietate religio Christiana. In hoc autem omnes apostoli et evangelici Patres unum præbuerunt consensum, ut qui altari serviunt, de altari vivant; qui gregem pascunt, de lacte gregis edant; fructum vineæ colligant, qui vineam plantant et in vinea laborant. Sicut enim non debet alligari os bovis triturantis, et dignus est operarius mercede sua, ita et præcipitur ut qui non laborat non manducet. Omnia tamen diebus nostris infirma sunt tempora, et homines seipsos amantes et quærentes quæ sua sunt, in pluribus Ecclesiis connumerari et intitulari volunt, et in singulis percipere stipendia, quamvis vel tenuiter non deserviant in una. Nos multitudini parcentes, et fratrum compatientes infirmitatibus, eos de collegio nostro, qui amodo canonici instituentur in Ecclesia nostra, si assidue in ea mansionarii non fuerint, nec omnino privare volumus beneficio, nec plena cum aliis percipere stipendia, qui in vinea Domini pondus diei portant et æstus. Statuimus igitur, etc.

IV. Sicut contra desides et sui juris contemptores, inductæ sunt præscriptiones, ita et contra imminentia pericula seu damna, sagaci occurrendum est providentia et cautela. Et quia temporibus nostris dies mali sunt, in quibus abyssus negotiorum invocat abyssum expensarum, nos paterna sollicitudine quotidiana fratrum et canonicorum nostrorum stipendia augeri desideramus potius quam minui, crescere quam perire. Inde est quod communi consilio et assensu capituli nostri, etc.

V. Quia non solum ignominiosum, sed et periculosum constat esse stipendia ecclesiastica, quæ sunt tributa egentium animarum, in turpes et detestabiles usus consummari et consumi, decrevimus communi consilio capituli nostri domum mundari a pollutione sordium et immunditia lupanari. Siquidem concubina ejus laqueus et pedica animæ ipsius, luxuriose et superflue, tam in ornatu vestium quam in cultu corporis impudici, et amplexibus, uti dicitur, alienis enormiter exponens, et expendens, et effundens, et egerens ecclesiasticos redditus, qui ad obsequia divina Deo militantibus deputati sunt, in turpitudinis officio projicit, devorat et absorbet. Proinde fraternitatem vestram rogamus, nec solum fraterne, sed et paterne prohibemus, ne redditus præbendæ suæ, alicui ex parte ipsius, sive prædictæ quæstuariæ solvatis absque conscientia nostra; quoniam omnia, quæ ad ipsum pertinent volumus per manus honestarum et venerabilium personarum tractari et disponi, et in usus hominis corpore et animo languentis salubriter ac rationabiliter expendi.

FRAGMENTUM

Ex Officio S, Geraldi a Stephano Tornacensi exarato.

LECTIONES.

I. Sanctorum mortem, semper pretiosam in conspectu Domini, beatissimi Geraldi, tum Patris præcipui, tum etiam confessoris egregii, natalitia festa commendant : jure enim diem sacri ejus de sæculo transitus natalitiam dixerim, quo mundani squalore emergens ergastuli, cœlestis conscendere meruit palatia regni : deque sinistra translatus in dexteram, jura mortis atrocia perenni immortalitate mutavit ; et de perituro et labenti sæculo evectus est cœlo. Vere beatus, vere omnifaria laude dignissimus, cui propositum fuit ita militare in

sæculo, ut in perpetuum regnaret cum Christo.

II. Denique æterni imperatoris victricia arma secutus, atque inter athletas robustos dato nomine, sacramentis militaribus obligatus, non segnis in divina militia torpuit, non sibi notam passus est desertoris inuri, quin potius viriliter cum hoste congressus, disciplinabili ratione certaminis, non modo contrarios ictus, clypeo fidei circumseptus, elusit; verum etiam infestos inimici impetus, ingenti pondere virtutis, inclytus præliator oppressit.

III. Ita de omnibus victor emergens, curru evectus æthereo, ad cæleste capitolium nobilem duxit triumphum; palmaque immortalitatis pariter donatus et laurea, sidereos cœtus meritorum privilegio cumulavit; ibique feliciter perpetuus ac perpetuo felix, ipse conregnans Christo, cohabitat angelis, conspatiatur archangelis, postremo sanctorum omnium millibus collætatur. Inde hodiernæ festivitatis manavere tripudia; inde christianæ plebi tantæ tamque præclaræ solemnitatis gaudia profluxerunt; hinc clerus concinit, inde populus plaudit, pauper tripudiat, dives exsultat.

IV. Juvenes et virgines, senes cum junioribus laudant nomen Domini, cujus munere hic tantus, tam celebris tamque præclarus emicuit; ut et sanctitatis apice magnus, et miraculorum copia maximus, quibuscunque sanctorum prædicetur merito comparandus et præmio. Cujus enim continentiam singularis parcimoniæ studio non æquavit? cui virtute patientiæ impar fuit? quo fide inferior, spe minor exstitit? quem denique summæ charitatis provectibus non transcendit? qui sua quidem et se abnegavit pro Christo, ut ipsum in charitate Dei et proximi, crucem suam tollendo quotidie, gressibus pedum sequeretur et actuum; parentes relinquens et patriam, culmen honoris et humanos favores fugiens, et manens in solitudine, ut castis Deo famularetur obsequiis; semetipsum convertendis peccatoribus tradens, ut liberaret a morte animas eorum, eosque lucrifaceret et redderet Redemptori

V. Quantum vero spiritualium refulserit splendore signorum explicare, superfluum judico, quia tanta sunt, ut sui magnitudine multorum, imo omnium, notitiam facile vindicarint. Si ergo tanta potuit moribundus, credimus equidem, nec vana fide, multo potiora obtinere poterit immortalis; si pugnans talia præstitit, regnans cum Domino incomparabiliter meliora præstabit. Hunc ergo inter justos juste numerandum, testantur facta per sæculum, signa post transitum; opera, dum vixit, mirabilia; postquam recessit, mirabiliora.

VI. Cum præsertim ad unum sanctitatis culmen diversos mutavit ascensus, [quia] non una est tantum via, quæ gloriæ tuæ, Christe, ducit ad regnum. Quid enim durius est crucem ferre per tempora quam mortem statim subire per vulnera? Quid inferius est mundum vincere quam gladium non timere? Non distat propter te mortificatus a mortuo, cum in utroque sit gloriosum, et abuti nolle quod placeat, et uti nolle quod liceat.

VII. Par est enim, ut credimus, illecebris non acquiescere per rigorem, suppliciis non cedere per dolorem. Ubi est æqualis animus in dilectione, percussor deest fidei, non confessor. Voluit triumphare, qui militat, qui militare non destitit, dum consummat. Sed in his sibi nihil sine adjutorio tuo arroget humana fragilitas: tuis enim, Domine, muneribus debet imputare, qui vicit, quia tuis viribus portavit utique, quod pertulit. Hunc tu, Deus summe, coram te pro nostris facinoribus intercessorem statue, quem dono gratiæ tuæ, et vita illustrem, et mortis interminatione constituisti insignem.

VIII. Hunc igitur nos talem ac tantum virum debitæ servitutis frequentemus obsequiis; nec torpeat animus in officiis, si non vult esse frustratus in votis: divus enim Geraldus rogatus aderit, interpellatus favebit; cuncta incommoda submovens, cuncta commoda providebit. Flectet precibus judicem, pro reis et fragilibus interpellabit auctorem, obtinebit apud Deum veniam criminum, impetrato immortalitatis munere consortia dabit præmiorum. Præstante Domino nostro Jesu Christo, cui laus et perennis gloria indeficiens victoria, nunc et in omnia sæcula. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem. In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat, etc. Homilia divi Augustini episcopi ex tractatu 54, in Joannem ante medium super eumdem locum.

Lectionis interseruntur responsoria rhythmica, quorum unum pro auctoris dignitate hic addimus.

Delectare, Silva-Major, in Giraldi nomine:
Qui splendore veri solis et cœlesti lumine,
Umbram tuam liberavit a mortis caligine.
Et mundavit saltus tuos ab effuso sanguine.

Hoc primum responsorium est: cætera ex diversis vitæ ejus partibus laudibusque petita, huic fere similia nec ad historiæ notitiam conducentia. Antiphonæ ad psalmos singulos, tam Matutini quam Vespertini officii, pari variantur metri ac rhythmi venustate: quos tamen brevitatis causa omittimus. Hymnos in eodem officio decantandos hic damus.

HYMNUS AD VESPERAS ET MATUTINUM.

Exaltet Aquitania Patris nostri præconia,
Cujus gaudet præsentia, sentitque beneficia.
In hoc solenni gaudio, crescat nostra devotio,
Fruamur ut propitio Geraldi patrocinio.
Hic ab ætate tenera, inter virtutis opera,
Nec formidavit aspera, nec affectavit prospera.
Vir insignis, vir inclytus, vas erat sancti Spiritus,
Tam prælatus quam subditus, ad labores expositus,
Simplex et rectus animo, Deo gratus et proximo,
Affectu promat intimo preces nostras Altissimo.

AD LAUDES.

Hymnum laudis et gloriæ læti canamus hodie,
Ut sit in signum gratiæ concepta vox lætitiæ.
Geraldus ab illecebris mundus, et mundo celebris,

Exit de carnis latebris nec funestus nec fune- [bris.
Sub monachali regula ruga carens et macula,
Per signa, per miracula mortis disrupit vincula.
Currens, sed non in irritum, naturæ solvit debi- [tum :
Cujus commendat exitum cursus expleti meri- [tum.
Confessor par martyribus, adesto confidentibus :
Junge nos tuis precibus concives cœli civibus.
Sit laus Patri cum Filio, et in duobus Tertio :
Quorum simplex connexio, unitas, et non unio.
Amen.

ORATIO.

Concede nobis, omnipotens Deus, sancti Geraldi, confessoris tui atque abbatis, meritis confoveri, ut quem multis voluisti miraculis declarare in terris, ejus intercessionibus commendemur in cœlis.

STEPHANI TORNACENSIS
SERMONES.

(Edit. Opp. Stephani Tornacensis, curante R. P. Du Molinet.)

SERMO PRIMUS.
In synodo.

Qui habet sponsam sponsus est, amicus autem sponsi gaudet gaudio propter sponsum, quia audit vocem ejus (*Joan.* III). Sacros et solemnes in Ecclesia conventus et amicus amplectitur, et inimicus abhorret : nam et cœlestium castrorum acies coarmata, sic est amabilis suis, ut sit terribilis alienis; nihil in ea sibi vindicat scena theatralis, aut Circense certamen, aut ferarum facinorosa spectacula, sed totum convertitur in laudes ejus, cujus laus in Ecclesia sanctorum. In hoc theatro sacramentali concluditur, non illuditur. O sacerdos, tuum est spectaculum diei hujus; tua interest interesse; leva oculos tuos in circuitu et vide; omnes isti tecum congregati venerunt tibi! Tibi dico, sic alloquens singulos, ut in singulis universos, negotium est tibi cum virgine quadam, et in negotio sacramentum omnium sacerdotum. Mira res! qui cœlibatum promiseras, matrimonium contraxisti : placuit in cœlibatu Joannes, in matrimonio Abraham ; tu fructum colligis in utroque, singularis et præcipua virgo tibi desponsata est, et in domum usque traducta. Si de nomine quæris, ipsa est dignitas sacerdotii sacerdotum, cum qua individuam vitæ consuetudinem pepigisti : statuit enim tibi Dominus.......... tibi sacerdotii dignitas. Testamentum pacis, ut est T. S. D. in æternum. In æternum tibi a summo patrefamilias hæc virgo tradita est et conjuncta, fuge causas divortii, noli quærere solutionem. Currant et permaneant temporalia fœdera inter sacerdotem et sacerdotii dignitatem; nec est plebeia virgo ista, quæ non solum clarissimas ac spectabiles personas attigit, sed etiam usque ad gradum illustrium feminarum pervenit; hæc est illustris natalibus, insignis operibus, fecunda moribus, fecunda sermonibus. Si ad natalium gloriam recurras originem duxit a rege Salem, qui omnes filios Abrahæ in lumbis ejus, uno excepto, decimavit; ab Aaron, cujus virga, cum esset arida, floruit, fronduit et fructum fecit; ab Eleazaro, qui terram promissionis cum Josue filiis Israel sorte divisit. In summa ab illo magno sacerdote, qui in diebus ejus placuit Deo, et inventus est justus, qui assistens pontifex futurorum bonorum, introivit semel in sancta æterna redemptione inventa, vere nobilibus orta parentibus, vere atavis edita regibus. Ipsius magnifica opera si retractes, ipsa per manum Phinees Israelitam cum Madianitide turpia committentem pugione confodit : ejus enim ministerio factum est quod stetit Phinees, et placuit et cessavit quassatio. Item per manum Azariæ sacerdotis Oziam regem Juda irreverenter sacerdotalia usurpantem constanter arguit, et lepra perfusum de templo ejecit. Per manum Mathathiæ in civitate Modim, in Deum ritus sacrilegos exercentem cum nuntio regis Antiochi super altare trucidavit. Hæc sunt quæ operata est consilio manuum suarum ; magna opera ejus exquisita in omnes voluntates ejus : et ut de moribus ejus optima fiat quæstio, hæc est Sara maturior, Rebecca sapientior, Lia fecundior, Rachele gratior, Anna devotior, Susanna castior. O virgo sancta atque gloriosa, quia Dominus omnium dilexit eam! revera multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.

Consulamus et gratiam sermonum ejus : libenter salutat, benigne respondet, sapienter loquitur, verecunde tacet. Nimirum libenter salutat quotiescunque videt duos aut tres congregatos in nomine Domini, blanda eos salutatione præveniens dicit : Dominus vobiscum. O salutatio salutaris, quæ nobiscum optat esse Dominum salutis, vere diffusa est gratia in labiis tuis! Benigne respondet, quoties peccatori injustitiam suam confitenti, et pectus suum cum publicano tundenti, cum David dicenti : Peccavi Domino; suavi et miti eloquio suo juvans pusillanimes, refovens flebiles, subjungit : Absolu-

tionem et remissionem omnium peccatorum tribuat tibi Dominus. Nam quæ benignior responsio quam quæ tristem demulcet? consolatur dolentem? oppressum relevat? compeditum solvit? Lex clementiæ in lingua ejus. Hac responsione tua, beata virgo, favus distillans labia tua, mel et lac sub lingua tua. Sapienter loquitur, quia in omni proloquio suo, invocato prius divino auxilio, communicato cum fratribus consilio præmittit : Oremus, divinum auxilium invocat; at ipse, cum loquitur Deo, sermonem rectum et bene sonantem habeat in os ejus. Consilium cum fratribus communicat, quando in congregatione justorum consistens et confidens, sic arrogantiam vitat, sic humilitatem habere contendit : tenet enim memoriter, quia sæpe est, ut quod non possint singuli, prævaleant universi. Hæc est quæ os suum aperuit sapientiæ, et labium ejus disseminat scientiam. Vererun le tacet, quoniam in illo triplici silentio, quo vivifica et mirifica tractantur mysteria, quo terrenis cœlestia conjunguntur, quo Filius Patri offertur, summæ devotionis ac reverentiæ gravitatem gerens, non in quiete movetur, non negligenter cursitat et oscitat, non vagatur oculis, non circumspicit assistentes, cultum justitiæ, silentium observans, tempus tacendi discernit a tempore loquendi. Talis est anima tua, et ipsa dilecta tua, tota est pulchra, et macula non est in ea : attende etiam quia non est inculta, neque vili velamine tecta, venit in amplexus sacra puella tuos. Byssus et purpura indumentum ejus, de illo thesauro patrisfamilias, de quo proferuntur nova et vetera; attulit secum octo ornamenta magno pretio, magno sacramento, tunicam scilicet lineam, tunicam hyacinthinam, balteum rationale, superhumerale, cidarim vel tiaram, laminam auream in fronte, et præter consuetudinem sexus ad majorem pudicitiæ cautelam, femoralibus lineis operta est. In femoralibus lineis carnis munditia, in tunica byssina munditia mentis, in tunica hyacinthina secretum contemplationis, in balteo rigor districtionis, in rationali virtus discretionis, in superhumerali onus compassionis, in cidari vel tiara signum perfectionis, in lamina aurea eminentia charitatis : hæc est gloria ejus quam probilit filia regis ab intus in fimbriis aureis circumamicta varietate. Ecce quæ et qualis astitit regina a dextris tuis, circumdata venustate. Sed est præcipua causa, quia castis amplexibus ejus inhærere debeas. Si enim non quid fiat, sed qui fieri debeat, attendamus, ipsa te elegit, non tu eam elegisti.

Generalis enim est regula illa, et quæ locum habet in omni sacerdote, summo, medio, infimove, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus fugiat, sola illi suffragetur necessitas se non excusandi : si aliter in aliquo matrimonium factum est, vitiata est regula, et perdidit officium suum; ipsa namque te prævenit obsequiis, invitavit muneribus, salutatione commonuit, commonitorio blandita est, domesticos et familiares nuntios suos

A misit tibi, qui muneribus vultum deprecarentur, et te in amorem tantæ virginis ardentius incitarent. Et primo quidem misit adolescentem expeditum et eruditum, expertum opere, eruditum sermone, ordinem dico clericatus : non apparuit in conspectu tuo vacua manu, sed idonea munera deferens. Accipe, inquit, ex parte dominæ meæ in pignus et arrham amoris forcipes et mantile, ut altero superflua quæque abscindas, altero maculas et sordes abstergas. Sed et amatoria deinceps cantica rhythmulos, et sonos amori ejus congruos, de ipsa poteris decantare. Nam et cantorem et psalmistam te instituit hodie : *Vide tamen ut quod ore cantas, corde credas; et quod corde credis, operibus comprobes.* His dictis et datis recessit nuntius. Tu

B quam reverentiam datis, quam obedientiam dictis exhibueris, attende. Si solos amoris ejus combiberis ignes, ne incœperis deinceps vagari per greges sodalium tuorum, majora prioribus meruisti. Si quominus econtra misit et alterum secretarium suum, qui thesauros ejus custodiat, et chrisma, ordinem scilicet ostiarium. Ipse claves in signum secretionis, et quasi clausi partus, et aperiendi amoris dominæ suæ tibi dedit : *Sic age*, inquit, *sic vive, quasi redditurus rationem pro his rebus quæ clavibus recluduntur.* Adhuc eo loquente ecce et alius ejusdemque secreti conscius, facundus admodum, et labii circumcisi, qui te cum domina sua sine vitio loqui doceret, ordo scilicet lectoris. Co-

C dicem etiam suo ministerio aptum tibi dedit : *Accipe*, inquit, *et esto zelator verbi divini, habiturus partem cum iis qui verbum Dei ministraverint, si fideliter impleveris officium tuum.* Necdum verba compleverat, et ecce alius prædictæ virginis assecla, qui carmina ejus, quæ habent vires ad effugandam potestatem omnem inimici, tibi diceret, te doceret, ordo scilicet exorcistarii, libellum etiam in quo efficacia carmina sunt dedit, tibi dicens : *Accipe et commenda memoriæ, et habito potestatem imponendi manus super energumenum, sive catechumenum, sive baptizatum.* Loquebatur ille, et ecce camerarius virginis, qui cubiculo ipsius in luminaribus deservit, ordo scilicet acolythorum, et in manu ejus candelabrum et cereus quem tibi mitte-

D bat, ut omnia tua in luce fierent : nam et ipsa filia lucis est, non noctis neque tenebrarum, addiditque : *Accipe hoc gestatorium luminis, ut per hoc valeas adversariorum tenebras effugare, et verissimum lumen quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, fideliter invenire.* Vide quanti te fecerit, quæ tantis muneribus et nuntiis copulam tuam comparavit. Si honeste, si pudice, sine tantæ virginis attactu digne in præfatis ordinibus vixisti, gaude et lætare, dignus accipere quæ sequuntur. Si continentiæ frena laxasti, et secutus es amatores alienos, zelum sanctæ virginis offendisti, deduc torrentem lacrymarum per diem et noctem, et non taceat pupilla oculi tui. In omnibus tamen his non fuit aversus amor ejus, et adhuc dilectio

extenta; misit tandem ad te unum, quo chariorem et familiariorem, altero excepto, non habet, qui inter sacros ejus ministros computatur, qui secretioribus et sacratioribus consiliis et operibus ejus assistit, ordinem scilicet subdiaconatus. Is ad colloquendum cum domina sua te intromittens, inter cætera quæ tibi attulit, calicem scilicet et urceum aquæ, mantile et manutergium, ut in conspectum et in amplexum tantæ virginis mundior venires, manipulum tibi dedit: *Accipe*, inquit, *manipulum in manibus tuis ad extergendas sordes cordis et corporis tui.*

Huic te nuntio tam firmiter obligasti, ut de cætero corporis tui potestatem non haberes, non dico tollendi membra tua, et faciendi membra meretricis; sed nec etiam conjugalem copulam expetendi. Nam in primis ordinibus si contrahatur matrimonium, quamvis tamen raro lecta nostrorum temporum id viderint, non separatur; iste tamen sic impedit contrahendum,ut dirimat contractum.Tandem amoris impatiens, et quasi totam se tibi exponens, misit illum sacratissimum et secretissimum consiliarium suum, qui in interiorem familiaritatem ejus admissus, de ore ipsius audit verba, quæ vix licet homini loqui, ipse est ordo diaconatus. Dedit etiam quod in scriniis dominæ suæ pretiosius erat et charius, codicem scilicet, sacra Evangelia continentem. *Accipe*, inquit, *hoc volumen sacri Evangelii*, *lege et intellige*, *et aliis trade*, *et opere adimple.* His te prævenit obsequiis, hisce muneribus invitavit. Quid ultra tibi debuit facere et non fecit? Tota demum in amorem tuum proruens, totam sese votis tuis offerens, ipsa quæ per nuntios suos tibi loquebatur. Ecce adest; dies sponsaliorum tuorum statuitur; virgo per presbyteros archidiaconos tanquam per proxenetas et paranymphos introducitur, contrahentes matrimonium sub hac forma: *Postulat sancta mater Ecclesia hunc præsentem diaconum ad sacerdotii gradum promoveri.* Proxenitica autem in hoc contractu non recipimus, quoniam pravitatem Simonis important, cujus hæresim detestamur. Gratia enim si non gratis datur, non est gratia, statimque labiis ejus stillantibus myrrham primam, transfusum ab ipsa virgine osculum suscepisti. Num et in ejus accessu suscepto ab ordinante osculo audivisti: *Pax tibi.* Itaque desponsata tibi est, et in domum usque traducta; desponsata in consecratione, traducta in domum in tituli collatione; eam namque desponsationem dicimus, quæ per consensum de præsenti matrimonium facit. Gratum quoque sibi exhibuerunt occursum, inde dos, hinc donatio propter nuptias, uberem tibi constituit dotem sacra virgo, altare scilicet et accessiones ejus, nec dicimus accessiones civiles aut naturales, sed sacramentales, sicut offerre, baptizare, pœnitentiam dare, ligare et solvere.

Quod si causeris hos agros steriles, qui temporalia non ferant, attende proventum nuptiarum, primitiarum, decimationum, vota fidelium, oblationes pauperum, pretia peccatorum. Digne est enim ut qui altario deserviunt, de altario vivant. Hoc est altare, de quo edere non habent potestatem, qui sæculo deserviunt, quo et indignius et inferius est, vel thymiamatis aureum, vel æreum holocausti. Hoc dotale prædium revera alienari non potest, utpote ab omni commercio exemptum humano. Duo secum adduxit in ministerium tuum mancipia, non quæstuaria, sed omni honestate prædita, quia et ipsæ magnæ virgines sunt, potestatem scilicet et exsecutionem; potestatem in desponsatione, et exsecutionem in sui traductione. Hanc dotem profectitiam, id est de bonis summi patrisfamilias proficiscentem secum attulit et tibi dedit. Tu econtra donationem propter nuptias, et si non doti comparem, facultatibus tamen tuis congruam contulisti: non solum enim usum, sed usufructum, sed et etiam proprietatem membrorum tuorum, sensuum et actuum in ministerium tantæ virginis dedicasti, ut de cætero exhibeas te ei hostiam vivam, Deo placentem, rationabile obsequium tuum. Duas quoque virgines, quarum servitio delectatur, dedisti, sanctitatem scilicet et honestatem. His enim curam et custodiam totius rei familiaris committi mandat Apostolus, *ut sciat*, inquit, *unusquisque possidere vas suum in sanctificationem et honorem* (*I Thess.* IV). Sanctitas hominem interiorem perficit et consummat, honestas exteriorem disponit et ordinat; sanctitas servat conscientiam, honestas famam; sanctitas providet bona coram Deo, honestas etiam coram omnibus hominibus; sanctitas facit quod bonum est tenere, honestas ab omni specie mala abstinere; sanctitas est lumbos præcingere, honestas lucernas ardentes in manibus tenere. Has virgines virgo pudica sic exigit in donationem propter nuptias, ut sine ipsis non sit legitimum matrimonium, non rectum obtulisti et annulum, fidem scilicet qua sic de cætero tantæ adhæreres uxori; ut ad vota alterius non transires: sed et monile, quo pectus clauditur, perpetuæ scilicet commemorationem seu memoriam castitatis, in aures quoque perfectam obedientiam continentes. Inter hæc pacta dotalia, inter has solemnitates conjugales, fit ingressus ad nuptias; astant pro foribus janitores, qui indignos rejiciunt, dignos admittunt, videlicet austeritas legis et rigor canonum. Legis austeritas baculum, rigor canonum virgam tenet: nam illa comminatur supplicium mortis, ista sententiam depositionis. Inhibet et clamat legis austeritas, ne intret cæcus, claudus, parvo, vel grandi, vel torto naso; si fracto pede, si manchus, si gibbosus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si in corpore impetiginem, si ponderosus aut herniosus. Cæcus lumen veritatis non videns; claudus per viam justitiæ recte non gradiens; parvo, vel grandi, vel torto naso, discretione non utens; fracto pede, nec etiam in fide vestigium apponens; manchus, bona non operans; gibbosus, sarcinam peccatorum portans; lippus, in intelligentia sana

caligans; albuginem habens in oculo, bonæ intentioni arrogantiam miscens; jugem habens scabiem, fervore libidinis pruriens; impetiginem habens in corpore, lucris avaritiæ studens; ponderosus, turpi cogitatione ad terram deflexus.

Stat ex altera parte rigor canonum, intrare volentes arcens et clamans: non neophytum, non bigamum, non viduæ maritum, non illiteratum, non corpore tunicatum, non ex sacerdote genitum, non servilis, aut curialis, aut ascriptitiæ conditionis nexibus astrictum; non eum qui semel furaverit, non qui ecclesiasticis disciplinis eruditus non fuerit, non qui maculis infamiæ respersus sit. Inter hæc auditur vox exsultationis et salutis, vox citharœdorum citharizantium in citharis suis: exsultate et eructate de corde pleno verba bona Davidica in psalterio et cithara, Amos in pastorali fistula, Pauli in evangelica tuba. Antequam accedatur ad mensam, confessio manibus aquam petit, contritio per lacrymas fundit, satisfactio linteo munditiæ manus tergit. Officio trium istarum virginum absolvuntur convivia, præcone per atria clamante: *Lavamini, mundi estote* (*Isai.* VI); item: *Mundamini qui fertis vasa Domini* (*Isai.* LII). Dehinc ascenditur ad mensam, non illam propositionis, in qua per singula Sabbata panes calidi, veterioribus amotis, ponebantur; sed ad mensam, quam posuit Sapientia, quam paravit in conspectu tuo adversus eos qui tribulant te. Apponuntur panes azymi, quos summi Regis panificæ sinceritas et veritas confecerunt, hic est panis angelorum, quem manducavit homo, ne deficiat in via tali recreatus viatico. Inferuntur et carnes Agni immaculati, non illius quem Moses immolat, sed quem Joannes digito demonstrat, Agni qui tollit peccata mundi, qui coram tondente obmutuit, in cujus sanguine lavaverunt stolas suas, et dealbaverunt eas omnes electi. Miscetur et discumbentibus vinum germinans virgines, vinum quod lætificat cor hominis, quod expressum est in prelo crucis, de vite vera cujus vos estis palmites. Hunc cibum Dominus ipse qui apponit, sic exponit: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* (*Joan*, VI). Hæ sunt epulæ quas qui vere et digne susceperint, non esurient, neque sitient amplius. Has celebrasti nuptias, o sacerdos; huic te matrimonio copulasti, propter hoc reliquisti patrem et matrem, ut adhæreres uxori tuæ. Nec deerit soboles in hoc conjugio: nam si forte, quod absit! veneno sterilitatis non procreentur, multiplicabitur semen tuum sicut stellæ cœli, et sicut arena quæ est in littore maris. Quidquid enim sacri baptismatis unda lavasti, quotquot animas tuis prædicationibus ad pœnitentiam convertisti, omnia bona opera quæ fecisti, tui liberi et filii benedictionis sunt. Aliter potest multiplicari semen tuum, sed damnabiliter, non tantum operibus videlicet, sed etiam verbis diversimode, verbi gratia, quæ malignitate non fiunt aut non dicuntur, peccata sunt venialia; sed alia sunt opera et verba falsa de quibus loquitur Psalmista: *Verba iniqua et dolosa adversus proximos* (*Psal.* XIV); et alibi: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal.* V). Alia sunt verba cordis, ut sunt mala judicia adversus proximum, de quibus apostolus: *Tu vides festucam in oculo proximi tui, et non trabem in tuo* (*Luc.* VI), unde quoniam alterum judicas, quia teipsum condemnas: cavete ab his qui sunt filii mortis, ut districti Judicis sententiam vitare valeatis. Amen.

ELENCHUS

Sermonum M. Stephani abbatis S. Genovefæ Parisiensis ac episcopi Tornacensis.

XV. *De sancta Genovefa.*

Mulierem fortem quis inveniet.

XVI. *De passione Domini.*

Oblatus est quia ipse voluit.

XVII. *In Parasceve.*

Præsens hebdomada sicut gravis est suppliciis, sic est gravida sacramentis.

XVIII. *De Resurrectione Domini.*

Expurgate vetus fermentum.

XIX. *In die Pentecostes.*

De excelso misit ignem in ossibus meis.

XX. *In die Pentecostes.*

Spiritus disciplinæ effugiet fictum, et non habitabit in corpore subdito peccatis.

XXI. *De sancta Genovefa.*

Quæsivit lanam, et linum et operata est.

XXII. *In Nativitate Domini.*

Verbum abbreviatum faciet Dominus super terram.

XXIII. *In Resurrectione.*

Hæc dies quam fecit Dominus.

XXIV. *In Natali Domini.*

Et mulier peperit filium qui recturus erat gentes.

XXV. *In Resurrectione.*

Comedite, amici, et bibite, et inebriamini, charissimi.

XXVI. *In Nativitate Domini.*

Vagit infans inter arcta conditus præsepia.

XXVII. *In Nativitate Domini.*

O clavis David et sempiterna domus Israel.

XXVIII. *In Pascha.*

Roseo cruore Agni benignissimi empta.

XXIX. *De S. Trinitate.*

Deum time.

XXX. *De Nativitate.*

Pastores erant in regione eadem.

XXXI. *In dedicatione ecclesiæ.*

Ponam te in superbiam sanctorum.

STEPHANI TORNACENSIS

SUMMÆ DE DECRETIS PROŒMIUM.

Si duos ad cœnam convivas invitaveris, idem postulantibus contraria non appones, petente altero quod alter fastidiat, non variabis fercula; vel ne confundas accubitum, vel ne accumbentes offendas. Latinus azyma, fermentum Græcus amplectitur; si pariter accesserint ad altare, neuter alterius sacrificium contemnat. Duos ad convivium vocavi, theologum et legistam, quorum voluntates varia sparguntur in vota, cum iste delectetur acidis, ille dulcia concupiscat. Quid demus, quid non demus? renuis tu quod petit alter. Opuscula accurrentes in præsenti leges exponere si proponam, jurisperitus ægre feret, nares contrahet in rugam, caput concutiet, exporriget labellum et quod sibi notum reputat, aliis non necessarium opinatur. Præterea si Veteris aut Novi Testamenti gesta mystica narrare cœpero, sicut inutilia reputabit theologus, et opusculum nostrum tum prolixitatis arguet, tum ingratitudinis accusabit. Condescendant invicem, sibi sano colludant assensu, compensent utilitati dispendia, nec historiarum prætextu leges divinas abjiciat, nec legum fastidio jurisperitus amittat quod in historiis amplexatur. Prolixitatis veniam peto, cum nec horæ momento mare transire potuerim, nec longa terrarum spatia pauco vestigio circuire. His breviter in ablutionem manuum effusis, præmissas accumbentibus epulas apponamus.

In eadem civitate sub eodem rege duo populi sunt, secundum duos populos duæ vitæ, secundum duas vitas duo principatus: duplex jurisdictionis ordo procedit. Civitas Ecclesiæ, civitatis rex Christus; duo populi, duo in Ecclesia ordines, clericorum et laicorum; duæ vitæ, spiritualis et carnalis; duo principatus, sacerdotium et regnum; duplex jurisdictio, divinum jus et humanum. Redde singula singulis, et convenient universa. De jure humano varie et diffuse in constitutionibus principum et in responsis prudentum multa leguntur. De jure autem divino dicendum est, et quidem in primis de primo ejus progressu. Divini juris originem quidam a principio mundi cœpisse dicunt. Cum enim Adam de inobedientia argueretur a Domino, quasi actioni exceptionem objiciens, relationem criminis in conjugem, imo in conjugis actorem convertit, dicens: *Mulier quam dedisti in sociam, ipsa me decepit, et comedi* (*Gen.* III): sicque litigandi, vel, ut vulgariter dicamus, placitandi forma in paradiso videtur exorta. Alii autem a veteri lege judiciorum ordinem initium habuisse. Ait enim Moyses in lege: *In ore duorum vel trium testium stet omne verbum* (*Deut.* XVII). In Novo quoque Testamento Paulus apostolus ait: *Sæcularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum* (I *Cor.* VI). Alii compendiosius ordientes divini juris originem, a primitiva sumunt Ecclesia: cum enim, cessante martyrum persecutione, Ecclesia respirare cœpisset sub Constantino imperatore, cœperunt Patres sancti convenire, concilia celebrare, et in eis pro diversitate negotiorum ecclesiasticorum diversos canones et ediderunt et

scripserunt. Conciliorum autem alia sunt generalia, alia particularia. Generalia dicuntur, quæ in præsentia domini papæ vel ejus legati vicem ipsius gerentis, convocatis universaliter episcopis, cæterisque prælatis Ecclesiæ celebrantur. Provincialia sunt, quæ a primate sive archiepiscopo aliquo, convocatis ad hoc suffraganeis tamen suis, in provincia fiunt. In generalibus canones editi ad omnes ecclesias vim suam universaliter extendunt, et qui eos non observant pro transgressoribus habentur. Quæ autem canones in provincialibus editi fuerunt conciliis, provinciam non egrediuntur, nec alios coercent, nisi qui jurisdictioni illorum comprovincialium episcoporum subjecti sunt. Inde est et quod canonum alii dicuntur generales, id est in generali concilio proditi; alii provinciales, id est in provinciali synodo promulgati. Inter generalia vero concilia quatuor sunt principalia, quæ fere Evangeliis comparantur: Nicœnum, Ephesinum, Chalcedonense et Constantinopolitanum. Præterea ergo dicuntur canones qui in conciliis auctoritate multorum episcoporum promulgantur. Decreta sunt, quæ domnus apostolicus super aliquo negotio ecclesiastico præsentibus cardinalibus et auctoritatem suam præstantibus constituit, et in scriptum redigit. Decretalis epistola est, quam domnus apostolicus alicui episcopo, vel alii judici ecclesiastico super aliqua causa dubitanti, et Ecclesiam Romanam consulenti rescribit, et ei transmittit. Indifferenter tamen et canones decreta, et decreta canones appellantur. Hæc sunt quibus negotia ecclesiastica et tractari habent et terminari. Hæc tamen in decisione causarum ecclesiasticarum diligentia est tenenda, ut primum quidem locum obtineant evangelica præcepta, quibus cessantibus apostolorum dicta, deinde quatuor prædicta concilia, postea concilia reliqua, tandem decreta et decretales epistolæ, ultimo loco succedunt verba sanctorum Patrum, Ambrosii, Augustini, Hieronymi et aliorum, et hæc omnia sunt communis materia omnium de jure divino tractantium: quæ quoniam nonnunquam sibi adversari videntur, quadrifaria circa hæc consideranda est inspectio.

Constitutiones enim ecclesiasticæ prædictæ sunt quædam secundum consilium, quædam secundum præceptum, quædam secundum permissionem vel indulgentiam, quædam secundum prohibitionem. Quatuor ista, quatuor hominum genera respiciunt, quorum quidam sunt perfecti, quidam perficiendi, quidam infirmi, quidam tepidi. Quæ consilium continent, data sunt perfectis; quæ præceptum, perficiendis; quæ promissionem, infirmis; quæ prohibitionem, tepidis. Consilium est omnia vendere, et pauperibus dare; præceptum, Dominum diligere; permissio, nubere; prohibitio, non occidere, non mœchari. Consilium est in superiori, permissio in inferiori, præceptum et prohibitio in medio. Et præceptum quidem quasi pendet a consilio, prohibitio vero quasi refrenat permissionem. Consilium

A pœnam non intendit, sed præmium promittit; permissio non promittit præmium, sed impendit remedium. Duo exteriora sunt in voluntate, duo media in necessitate. Si enim volueris, nec consilio acquiesces, nec permissionem suscipies; præcepto vero et prohibitioni non impune resistes. Quæ tamen voluntaria diximus, ante susceptionem aut votum intellige: nam post votum continentiæ, quod est consilii cogeris observare, et post nuptias quæ sunt permissionis, non potes uxorem dimittere. Præceptiones autem et prohibitiones aliæ sunt mobiles, aliæ immobiles. Præceptiones immobiles sunt, quæ servatæ salutem conferunt, non observatæ adimunt, quæ et omni tempore locum habuerunt, ut: *Diliges Dominum Deum tuum* (*Deut.* VI),
B etc. Mobiles, quæ quandoque observatæ sunt, modo non observantur, ut Circumcisionis vel Sabbati, vel etiam quæ nunquam lex sanxivit, sed posteriorum diligentia ratione utilitatis invenit, ut: *Hæreticum hominem post secundam et tertiam correctionem devita* (*Tit.* III). Item prohibitiones immobiles sunt contra quas nunquam licuit licebitve agere; sic enim: *Non occides, non mœchaberis* (*Exod.* XX). Mobiles quales sunt quæ pro personarum qualitate et temporum vel causarum necessitate variantur, ut clericum prius lapsum non reparari, filium sacerdotis non ordinari. Sed et quædam permissiones mobiles fuerunt; permissum est enim quandoque filiam patrui in uxorem duci, consanguineos in quarto et quinto gradu copulari, quod hodie non
C licet. Quæ autem ad consilium spectant, quandoque aliter se habuerunt: nam cum hodie de consilio perfectionis sit esse virginem, in Veteri Testamento videbatur prohibitum, ubi legitur: *Maledicta sterilis quæ non parit* (*Job* XXIV), et iterum: *Maledictus qui non reliquerit semen super terram.* Consideranda sunt ergo Patrum capitula in hoc opere et aliis, ut in eis consilii, præcepti, prohibitionis et promissionis ratio habeatur. Item attendenda sunt capitula quæ sunt datæ sententiæ, quæ vero dandæ. Datæ sententiæ dicuntur illa quæ insinuant transgressorem suum jam excommunicatum, deinde quæ denuntiant excommunicandum ad similitudinem infamium, quorum quidam sunt infames ipso
D jure, quidam per sententiam. Ita quædam capitula data sunt ex rigore, quædam ex dispensatione vel æquitate. Item quædam data pro tempore, quædam pro loco, quædam pro persona, quædam pro necessitate, id est quædam temporalia, quædam localia, quædam personalia, quædam localia. Hæc omnia qui diligenter non attendit, nodos implicationum incurret. Et quidem quæ prædicta sunt, ad omnes de jure divino tractantes spectant. Circa librum autem quem præ manibus gestamus, hæc attendenda sunt, scilicet quæ sit compositoris materia, quæ ipsius intentio, quis finis intentionis, quæ causa operis, quis modus tractandi, quæ distractio libri. Compositorem hujus operis recte dixerim Gratianum, non actorem. Capitula namque a sanctis

Patribus edita in hoc volumine composuit et ordinavit, non eorum actor, vel conditor fuit, nisi quis forte eum actorem dicere ideo velit, quoniam multa et ex parte sua distinguendo et exponendo sanctorum sententias in paragraphis suis ponit : hujusmodi sunt canones, decreta et decretales epistolæ, quorum differentiam superius legisti, auctoritates et sanctorum Patrum, qui, quamvis jus et potestatem condendi canones non habuerint, non minimum tamen in Ecclesia locum habent. Intentio ejus est diversas diversorum Patrum regulas, qui canones dicuntur, in unum colligere, et contrariantes quæ in eis occurrunt, in concordiam revocare : finis et utilitas, scire ecclesiastica negotia, de jure canonum tractare, et tractata canonice definire. Causa operis hæc est, cum per ignorantiam jus divinum jam in dissuetudinem deveniret, et singulæ ecclesiæ consuetudinibus potius, quam canonibus regerentur, periculosum reputans id Gratianus, diversos codices, conciliorum et Patrum capitula continentes collegit, et quæ magis necessaria causis dicendis videbantur, in hoc volumine comprehendens. Modus tractandi talis est, primum ponit juris distinctiones et differentias, deinde causam constitutionis legum et canonum, postea transit ad ordinem et numerum conciliorum, et eorum decreta quibus sint præferenda. Postmodum ad dignitates et ordines ecclesiasticos accedit, docens quibus sint conferenda, et qualiter in eis sit vivendum. De ordinibus, et quibus temporum intervallis sint largiendi. Qualiter etiam lapsi reparentur. Tandem transit ad causas, in quibus ostendit primo de accusationibus et testibus et ordine judiciario quis et modus in diversis ecclesiasticis negotiis sit habendus. Tandem ad conjugum negotia veniens, et sufficienter tractans, in fine de ecclesiarum consecratione, et de sacramento corporis et sanguinis Domini, de baptismo et confirmatione supponit. Distinguitur liber iste alias secundum diligentiam lectorum, alias secundum consuetudinem scriptorum. Lectores in tres partes distinguunt, quas et Gratianus voluisse videtur. Prima pars usque ad causam Simoniacorum extenditur, quam Gratianus per L divisiones divisit, a prima causa usque ad tractatum *De Benedictione* procedit, quæ per XXXVI causas questionibus suis decisas distinguitur. Tertia a tractatu locationis usque in finem per quinque distinctiones secant. Harum primam ministeriis, secundam negotiis, tertiam ecclesiasticis deputant sacramentis. Scriptorum consuetudo librum istum in quatuor partes distinguit, quarum unamquamque quantum appellant, et primam quidem quæ est a principio usque ad primam causam, quæ est : *De Simoniacis* ; secundam a prima causa usque ad tertiam decimam, quæ sic incipit : *Diœcesani*. Tertiam ab ea usque ad XXVII, quæ est : *De matrimonio* ; quartam a XXVII usque ad finem libri ponunt. His prælibatis ad litteram veniamus.

(Sequuntur commentaria ejusdem decreti Gratiani ; quæ hic omittenda duximus, et quod prolixiora sint ; et quod ea quæ in ipsis habentur, trita nimium et vulgaria peritorum judicio visa fuerint.

ANNO DOMINI MCCIII.

ADAMUS PERSENIÆ ABBAS

NOTITIA

(OUDIN, *Comment. de scriptoribus et scriptis eccles.*, II, 1682)

Adamus Perseniæ abbas, ordinis Cisterciensis in episcopatu Cenomanensi, floruit anno 1190 et sequentibus, hujus cœnobii primum monachus, deinde successu temporum abbas factus. Sane abbatia Perseniæ, vulgo *Perseigne*, filia Cistercii est, a silva tractus Cenomanensis nomen habens, ubi anno 1145 per Guillelmum de Talvatio, Pontivi et Alensonii comitem, fundata est, ut clarior appareat consignatio anni per Angelum Manriquez, quem confirmat tomus IV *Galliæ Christianæ* fratrum Sammarthanorum, verbo, *Persenia*. De Adam ita loquitur anonymus auctor ms. in bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis ad annum 1190. « Hac tempestate exstitit quidam abbas (Joachimus) non longe ab urbe Roma, ordinis Cisterciensis, sed Cisterciensibus minime subjectus, qui quamdam *Expositionem super septem visiones Apocalypsis* edidit, accepta divinitus, ut aiunt, sapientia, cum fere esset illitteratus, etc. Dicit autem quod anno 1199 incipiet sexta visio, et sexta sigilli apertio : sub qua visione probat auctoritate Apocalysis quod complebitur omnis Antichristi persecutio, et ejusdem mors et perditio : sed ante ejus persecutionem dicit Evangelium Christi ubique prædicandum, et Ecclesiam fidelium per omnes gentes dilatandam. Hic Romæ interrogatus a viro venerabili et in Dei verbo facun-

dissimo, et æque religioso, abbate Perseniæ Adamo, quonam ausu talia prædicaret, an ex prophetia, an ex conjectura seu revelatione, respondit se neque revelationem de his habere : sed Deus, inquit, qui dedit olim prophetis spiritum prophetiæ, mihi dedit spiritum intelligentiæ, ut in Dei Spiritu omnia mysteria sacræ Scripturæ clarissime intelligam, sicut sancti prophetæ olim intellexerunt, qui eam olim in Dei Spiritu ediderunt. Requisitus autem ab eodem abbate quid sentiret de Antichristo, respondit ipsum jam esse *adolescentem* : quod responsum Adam confutavit. » Itaque anno 1190 Adamus jam Perseniæ abbas erat, et clarus scientia ; nam factum istud Joachimi referunt ad annum 1190 Spondanus in Epitome Annalium Baronii, Angelus Manriquez tomo III *Annalium Cisterciensium* ad annum 1190, cap. 2, num. 5 et 6. Unde idem Manriquez ad annum Christi 1191, cap. 7, ita habet. « Sub idem tempus florebat in Persenia (quam domum in Cenomanensi diœcesi, Cistercii filiam supra memoravimus) abbas Adam, æque doctus et pius, quem anno præcedenti cum abbate Joachimo disputantem retulimus. Meminit ejus eximia cum laude Thomas Cantipratanus, fere coævus auctor, II *De apibus*, cap. 22, dum Mariæ comitissæ Campaniæ et Ludovici Francorum regis filiæ mortem describit. Hic ille insignis Perseniensis abbas est cujus exstant Sermones, quos ex Claudio Roberto in fundatione Perseniæ commemoravimus. Eumdem virum recensent inter doctores Conradus Gesnerus, Philippus Seguinus, et Joannes Trithemius, appellantque in divinis Scripturis longa exercitatione doctum, sanctorum Patrum lectione admodum divitem, sæcularium litterarum scientia sufficienter instructum, atque in declamandis ad populum homiliis celeberrimæ opinionis. Trithemius pro more Cistercium reticet, sed prodit monasterium Perseniæ, quod nec ipse negat, et omnes alii auctores testificantur. Potuisset virum Menologio suo ascribere Chrysostomus Henriquez, antiquitate, doctrina, et religione, præ aliis quos ascribit, venerandum. » Hæc Manriquez. Quam porro in prædicatione verbi divini clarus hoc tempore esset Adamus Perseniæ abbas, testatur Jacobus de Vitriaco, S. R. E. cardinalis, in *Historia Occidentali*, lib. II, cap. 9, his verbis : « Defuncto igitur prædicto Christi athleta (scilicet Fulcone presbytero Parisiensi) qui latratibus sanctis mundum quasi evigilare fecerat, et veritatis lumine ex parte nebulosas illuminaverat regiones, multi zelo charitatis accensi et ejus exemplo incitati, cœperunt prædicare et docere : multos erudientes ad justitiam, et de faucibus Leviathan sanctis exhortationibus peccatorum animas retrahentes. Inter quos principales et majoris nominis fuerunt abbas de Persenia, Cisterciensis ordinis, cum pluribus aliis, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ : qui in agro Domini fideliter et prudenter laborantes, de cavernis petrarum et montibus, bestias venabantur : de lacu miseriæ et luto fæcis, retibus et sagenis pisces extrahentes. »

De illo Joannes Trithemius abbas Spanheimensis in libro *De scriptoribus ecclesiasticis* his verbis : « Adam abbas de Persenia, ordinis divi Benedicti, vir in divinis Scripturis jugi exercitatione doctus, atque in sæcularium litterarum scientia sufficienter eruditus, in declamandis homiliis celeberrimæ opinionis, nomen suum varios componendo Tractatus, cum laude transmisit ad posteros. Exstant devoti et utiles *Sermones ad fratres, liber* I. *De sanctis et diversis materiis, liber* I. Fertur etiam quosdam sacræ Scripturæ explicuisse tractatus quibus abundantem ingenii sui veniam ostendit, sed ad notitiam meam, non venerunt. » Fallitur autem Trithemius dum illum Benedictinum monachum fecit quem constat fuisse abbatem Cisterciensis ordinis (1). Præterea illum post Theodoricum monachum, qui anno 1040 floruit, collocat, et ante S. Anselmum Lucensem episcopum quem anno 1080 claruisse constat. Unde colligere licet quid de ejus ætate senserit; floruisse nimirum putat anno circiter 1040 antequam ordo Cisterciensis nasceretur : quare Adamum hunc annis centum seniorem quam vere fuerit, facit, utpote post annum 1200 mortuum, ut statim dicitur.

Scripsit igitur vir doctus *Opus Sermonum ad suos fratres in capitulo congregatos*, impressione dignissima, quod olim ms. Romæ in manibus clarissimi viri Hilarionis Rancati abbatis Sanctæ Crucis in Hierusalem, eductum ex bibliotheca monasterii Casamarii, quod in diœcesi Verulana provinciæ Romanæ celebre est, olim quidem Benedictinorum, sed ab anno Domini 1140 a Cisterciensibus possessum, ut in sua abbatiarum Cisterciensium Notitia, inquit, Gaspar Jongelinus. Ex hoc codice Sermonum Adami Perseniæ abbatis, continente *Sermones plurimos de tempore et potissimis anni festivitatibus et aliis argumentis*, excerpti sunt *Sermones de beatissima Virgine Maria*, et notis illustrati studio Hippolyti Maraccii, presbyteri Lucensis, impressique Romæ anno 1652, in 16, typis Ignatii de Lazzaris. Illos inscripsit *Mariale Adami abbatis Perseniæ, natione Galli, viri doctissimi et disertissimi, Sacri ordinis Cisterciensis alumni.* Habentur autem Sermonum ejusmodi fragmenta in Opere *Allegoriarum Veteris et Novi Testamenti*, per Gotfridum Titmannum, Carthusiæ Parisiensis alumnum, anno 1550 in folio Parisiis impresso, ut testatur idem Hilarion Rancatus in notula hujus Adami mss. Sermonibus præfixa. Unde nullus dubito quin ms. codicem illorum haberet iste Gotfridus dum *Allegorias* suas scriberet. Audio etiam dictorum Sermonum ms. codicem asservari in abbatia Perseniensi, quem non vidisse fateor. Idem scripsit *Epistolas aliquas ad Osmundum Abbatiæ Mortuimaris in Normannia monachum*, quas ex mss. codicibus edidit Stephanus Baluzius tomo I *Miscellaneorum*, pag. 423. Idem abbas Adamus adfuit, vel adfuturus accessit morti Mariæ, Campaniæ comitissæ, quæ Ludovici VII, Francorum regis, et Eleonoræ Aquitanicæ filia, anno 1197 naturæ debitum solvit, teste Guillelmo Marloto tomo II *Metropolis Ecclesiæ Remensis*, lib. I, cap. 23, pag. 75. Hoc constare potest ex Thoma Cantipratano libro I *De apibus*, cap. 9, his verbis. » Prope nostra tempora fuit mulier nobilissima, Maria, Campaniæ comitissa. Hæc nupta nobilissimo Henrico, Campaniæ comiti, filia fuit Ludovici VII, Francorum regis, Philippi regis soror, æque regis Francorum. Quatuor fratres reges in Anglia habuit, filium regem in transmarinis. Hæc multis annis mortuo marito, cum pomposissima ambitione circumiens et moriens, talem finem sortita est. Laborans hæc in extremis, abbatem Perseniæ, Adamum scilicet, sanctissimum ac eloquentissimum virum, migratura venire mandavit. Qui, ut venit, intromissus non est, ac præ foribus exspectavit. Jam enim comitissa discesserat, et distrahebantur a mulieribus et ministris et suis omnibus, utensilia, vasa aurea et argentea, vestes pretiosæ, culcitræque purpureæ, et tandem linteamina ipsa cum peplis. Extremo quidam de gratioribus mora inscia retardatus, lectum per cornua comprehendit, et resupinatum corpus emortuum, eminus in stramenta divolvit. Moras autem abbate cum tædio sustinente, quidam nobilis ex circumstantibus in-

(1) Adamum canonicum regularem primum, Benedictinum postea monachum, Cisterciensem denique fuisse contendit D. Brial in *Hist. litt. de la France* (XVI, 442), ex hoc loco epistolæ 10, init : « Cum aliquando canonicæ sinceritatis albedine infelici commercio in monachum denigraverim, et nunc de plena illa nigredine ad candorem virginis liliosæ reversus sim, » etc.

dignatus, ostium violenter infregit, et virum venerabilem intromisit. Qui, cum introisset, et nobile illud corpus nudum in stramine reperisset, volente quodam ex familia illud straminibus operire : abbas exempli providus non sinebat, sed libera voce clamabat : « O vos omnes venite et videte nobilissimæ comitissæ Mariæ pompam, cernite delicatissimum illud corpus, quanto dedecore pudoris devolutum est. Videte quid ei pro multiplici honore et gloria, finaliter mundus exsolvit. »

Mortuus est Adam post annum 1200, licet illum assignare annum non possimus. Caute autem distinguendus est ab altero Adamo, abbate Caroliloci, ordinis Cisterciensis, et postmodum Sylvanectensi episcopo, qui *Sermones pariter eruditos* composuit, de quo nos infra ad annum 1230 loquemur. Plura de illo præter auctores citatos Angelus Manriquez *Annalium Cisterciensium*, tomo II, ad annum 1145, cap. 10, num. 6, et tomo III, ad annum 1190, cap. II, num. 5 et 6, et ad annum 1191, cap. 7. Carolus Vischius in *Bibliotheca Scriptorum ordinis Cisterciensis*, pag. 5, et alii. Carolus Dufrenius du Cange in *Indice auctorum* quem præmisit Glossario mediæ et infimæ Latinitatis, columna 79 ubi perperam anno 1100 eum assignat, nisi legendum sit 1200, sitque typographiæ mendum, quod probabile satis est.

ADAMI ABBATIS PERSENIÆ

EPISTOLÆ.

(Priores quinque, ad Osmundum monachum, edidit Baluz. *Miscell.* ed. Mansi. tom. II, pag. 236; sequentes prodeunt ex D. Martenii *Thesaur. Anecdot.*, tom. I, col. 669 et seqq., ex mss. ClaræVall., et *Ampliss. Collect.* t. I, col. 1013 et 1025.)

EPISTOLA PRIMA.

AD OSMUNDUM MONACHUM COENOBII MORTUIMARIS IN NORMANNIA.

De institutione novitiorum.

Dilecto suo in Christo fratri Osmundo Mortuimaris monacho, frater Adam, talis qualis abbas Perseniæ, bene vivere et valere in Domino.

Solerter prudentis animi consideratio pensat ut quod postulati animum possit offendere aut vires excedere requirere non præsumat. Tædii nimirum mater est importunitas; quæ tanto onerosius petitioni suæ insistere non desistit quanto omne quod affectat opportunius esse credit. Unde, obsecro, unde hoc tibi ut majorem quam sim me existimes, et ita tuo importunus factus es dilectori? Diligeris siquidem, sed non forte ea mensura qua existimas; quia, etsi fortassis dignus es diligi, non eam tamen amoris mensuram impendere possum homini quam nec ipsi valeo impendere Conditori. Diligo tamen utcunque quod esse diligendum hactenus possum cognoscere. Sed non semper effectus operis sufficienter affectum protestatur amoris. Ille facile quod petitur potest exsequi in quo respondet ex æquo affectus effectui : sed non eo usque mereor divinitus innovari ut hoc utrumque bonum penes me valeat inveniri. Dilectio est mihi modica, scientia tenuis, occupatio multiplex, dolor animi plurimus, labor mentis et corporis ultra vires. Quid igitur sollicitudini Marthæ et otio Mariæ? Aut quomodo in Lia, quæ laboriosa est et lippis oculis, Rachelis elegantiam tu requiris? Tua te, fili, fallit opinio et nimis de me tua præsumit dilectio; nec interim tibi conferre poterit suppositio Liæ quod optas de Rachelis obtutibus obtinere. Nondum recesserunt vetera de ore meo, nondum mihi abrasa est vetustas ab animo; et tu me compellis de novitate vitæ philosophari, quomodo scilicet noviter conversi de sæculo in novum hominem valeant reformari. Revera necesse est ut convertentes de sæculo multa diligentia novæ vitæ splendoribus informentur, ut secundum sui nominis rationem deposito veteri homine, recte novitii nominentur. Sed quomodo a me posset hoc doceri, qui nunquam in ordine novitius fui, nec per experientiæ magisterium hoc merui percipere vel aliis impendere documentum. Non nego certe me magistrum novitiorum aliquando exstitisse. Sed sufficienter non potui instituere novitios de regulis artis hujus, qui hoc usurpavi ministerium inexpertus. Verumtamen ad hoc opus sex necessaria esse puto, quibus habitis et observatis mutare potest Æthiops pellem suam et in beatam albescere novitatem. Primum, est fidei fervor; secundum, Dei timor; tertium, sapientiæ amor; quartum, religiosa magistri conversatio; quintum, pia ejusdem circa novitium sollicitudo; sextum, amica et frequens de spiritualibus aut de observantiis regularibus collocutio. Fides expellit ignorantiam, et intelligentiam præstat. Unde Isaias : *Nisi credideritis, non intelligetis* (*Isa.* VII). Qui enim non credit, divinæ cognitionis lumen non percipit; ac per hoc illius timore vel amore non afficitur cujus intelligentiam non meretur. Divini timoris duplex est effectus; quia et terminat malitiam, et sapientiam inchoat. De primo effectu scriptum est : *Timor Domini expellit peccatum* (*Eccli.* I). Et iterum : *Timor Domini mala non operatur* (*Prov.* VIII). De sancto timoris effectu Psalmista dicit : *Sanctum et terribile nomen ejus. Initium sapientiæ timor Domini* (*Psal.*

xi). Recte ubi sapientia incipit, malitia facit finem, quia sapientia vincit malitiam. Quam felix est sapientiæ initium, quod totius est negligentiæ et insipientiæ expulsivum! quia, sicut scriptum est : *Qui timet Dominum, nihil negligit* (*Eccle.* vii), ac per hoc malitiæ non segniter se opponit. Amor sapientiæ, qui tertio loco ponitur, dum his quæ scienda vel facienda sunt ex affectu diligentiam impendit, alacriter justitiam consummat et perficit. Animi nimirum innocentiam, quam timor reparat, amor conservat : cui dum justitiam addit operum, etiam ad contemplationem provehit æternorum. De cætero amator sapientiæ hujus recte potest et debet appellari philosophus, quia, dum ei splendor illuminat veritatis, etiam oblectat amor virtutis. Quarto loco ponitur religiosa magistri conversatio, quæ quasi in speculum est adhibenda novitio; quia, dum ei exemplum honestatis e vicino proponitur, ad imitationis studium efficacius provocatur. In monte quippe Moysi est exemplar ostensum cujus instar debuit componere tabernaculum, quia tam sublimis debet esse vita præsidentium ut ad exemplum ipsius formetur conversatio subditorum. Quinto ponitur loco pia magistri circa novitium sollicitudo, per quam probet et experiatur utrum ad opus Dei ad perferendum opprobrium, ad obedientiæ bonum potens et voluntarius habeatur. Certe si ad illa tria ipsum magister paratum invenerit, si in opere Dei ipsum fervere cognoverit, si bono et læto animo bonum obedientiæ superioribus, coæqualibus, inferioribus exhibentem; si ad perferenda opprobria patientem, potest intelligere quod vere Deum quærit, si tamen felici perseverantia felix initium claudere non omittit. Doceat eum magister ferventer insistere divino operi, ut sibi caveat ab illius sententia maledicti quam Spiritus sanctus omnibus imprecatur qui fraudulenter et desidiose Dei opera exsequuntur. Nonne est in Dei opere fraudulentus in quo a sono linguæ dissonat animus, et cum videatur Deum labiis honorare, non veretur ab ipso otiosis aut voluptuosis seu etiam malitiosis cogitationibus elongare? De hujusmodi improbis laudatoribus conqueritur Spiritus sanctus per prophetam, sic dicens: *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me. Unde sine causa colunt me* (*Matth.* xv). Laudantis Deum labia debent esse cymbala bene sonantia. Sed cymbala non bene sonant quando cordis intentio et affectio labiis laudantibus non concordant. Laudator enim est desidiosus qui negligenter se agit in Dei laudibus. Nec mirum si adest illi torpor desidiæ qui a corde mortuus Dei laudes solo prosequitur sono linguæ. Qui sic se in Dei laudibus agit, promulgatum a Spiritu sancto maledictum incurrit. Unde et novitii sunt vehementius admonendi, ne qui ad percipiendam Dei benedictionem venerunt, recidant in hujus foveam maledicti. Debet etiam pia magistri sollicitudo instituere novitios de obedientiæ bono, quod et majoribus tanquam Deo de jure regulæ, et coæqualibus ex

A fraterna charitate, et inferioribus ex humilitatis virtute est exhibendum. Jam qui fratres diligit ex charitate, et seipsum abnegat ex humilitate, non multum curat se illatis opprobriis affici; quin potius crucifigens se Christo, gaudet se crucis ejus ignominiæ sociari. Itaque in fervore divini operis ostendit se diligere Dei cultum; in exhibendo obedientiam, ostendit se diligere proximum; in patienti opprobriorum perpessione, ostendit se abnegasse seipsum. Sexto loco ponitur amica et frequens de spiritualibus aut de observantiis regularibus collocutio. Noviter conversi de sæculo, quantalibet devotione polleant, acediæ tamen vitio sæpe laborant, ac per hoc amica et frequens collocutio magistri fastidio, quod ex acedia nasci solet, debet opponi.
B Interdum de spiritualibus debet esse colloquium scilicet aut de mysteriis Scripturarum, aut de exemplis sanctorum, seu de cœlestibus præmiis, quomodo acquiruntur operibus bonis, vel certe de tormentis gehennæ, quæ divinæ justitiæ nimis formidanda severitas his qui immunditiæ et injustitiæ deserviunt se minatur inferre. De his frequenter colloqui, ista jugiter meditari, multum movet animum et accendit, ut et vitiis et peccatis supersedeat, et virtutum operibus inhianter intendat. Nascitur etiam ex amica frequenti et honesta collocutione commendabilis quædam familiaritas, per quam magister efficitur ad corripiendum audacior, correptus ad disciplinam patientior, uterque ad intelligentiam Scripturarum eruditior, novitius exercitatior in
C observantia regulari. Ex hoc jam magister secundum regulam debet ei, non inferre quidem, sed prædicare dura et aspera per quæ itur ad Deum. Hoc ei prædicare non est aliud quam ex Scripturis aut ex propriis exemplis ostendere arctam et arduam esse viam quæ ducit ad vitam, quam viam procul dubio non incedit qui intrare per angustam portam juxta præceptum Domini non contendit. *Contendite*, ait Dominus, *intrare per angustam portam* (*Luc.* xiii). Et idem alibi : *Ardua et arcta est via quæ ducit ad vitam* (*Matth.* vii). Et David sanctus : *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras* (*Psal.* xvi). Quid, obsecro, durius esse potest in via Domini quam seipsum abnegare, crucem suam tollere, to-
D tam voluntatem suam voluntati subjicere alienæ? Quid, inquam, asperius esse potest in via qua itur ad Deum quam carnem suam cum vitiis et concupiscentiis affligere, quam sibi mundum et mundo seipsum crucifixum exhibere? quod sine dubio cuncti faciunt qui esse veraciter Christi volunt. *Qui autem sunt Christi*, ait Apostolus, *carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* (*Galat.* v). Igitur magister novitio dura et aspera per quæ itur ad Deum prædicat, cum ei viam salutis arctam et arduam esse et exemplo operis et verbo prædicationis demonstrat. Hæc siquidem salutis via tam arcta, tam ardua, Dominus Christus est : arcta, propter assumptæ carnis humilitatem; ardua, propter peccati immunitatem. Peccatum quippe non

fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Hanc viam penitus non incedit qui ad humilitatis ejus imitationem parvulus non exstiterit; nec poterit ad arduum vitæ istius ascendere qui se peccatorum oneribus aut visibilium rerum amoribus voluerit sarcinare. Hinc est quod hominibus subsarcinatis hujuscemodi Babylonis oneribus inclamat per Prophetam Spiritus sanctus : *Filii hominum, usquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? Scitote quia misit Dominus Sanctum suum* (*Psal.* IV). Recte sanctus est et a Domino mirificatus, qui ab oneribus mundanæ miseriæ non comprimitur; ut dum ei nihil libet in vanis et transitoriis, cuncta mente transiliens accipiat spiritum libertatis. Ubi enim Spiritus Domini, ibi libertas; libertas, inquam, a peccato, a necessitate, a miseria. Spiritus iste a Deo emittitur, recreantur mores, terræ facies renovatur; et ut de novitiis tuis gaudere poteris, cum virtus ex alto participes eos faciet hujus mirabilis novitatis. Tunc recte novitii vocabuntur cum de novitate hac vestis eis nuptialis aptabitur; nec de cætero ejicientur de nuptiis Agni, cum ad honorem sponsi et sponsæ veste fulgeant nuptiali. Vestis hæc nuptialis internæ splendor est et gloria novitatis. Conficitur autem vestis hæc ex tribus, scilicet ex corporis castitate, ex cordis dilectione, ex elegantia disciplinæ. In hac veste castitas est quasi pannus, qui conficitur ex lana, quæ exprimit castitatem, eo quod corporis nesciat passionem. Dilectio pellibus comparatur, quæ panno, ut vestis fiat calidior, assuuntur. Has pelles contulit nobis passibilitas et immortalitas Agni immaculati, qui pro dilectione, quam erga nos habuit, pellem pro pelle, et cuncta quæ habere potuit pro anima sua dedit, id est pro Ecclesia sua liberanda, quam ut animam suam, imo plusquam animam suam dilexit. Limbus qui ad ornatum ponitur in veste, est splendor et elegantia disciplinæ; quæ, dum irreprehensibiliter observatur exterius, significari per hoc videtur et castimoniæ et dilectionis affectus. Hanc sibi vestem sponsa aptaverat, cui in libro Sapientiæ sic sponsus exclamat : *O quam pulchra est casta generatio cum charitate!* (*Sap.* I.) Nam sic in psalmo de disciplina se postulat edoceri, bonitati continentiæ et charitatis eam desiderans adaugeri : *Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi* (*Psal.* CXVIII). Et assecuta aliquando disciplinam quam petierat, *Præveni*, inquit, *in maturitate, et clamavi* (*ibid.*). Maturum quippe reddit hominem disciplina quæ est membrorum omnium motus ordinatus et compositio decens in omni habitu et actione. Ut igitur breviter recapitulemus quæ dicta sunt, necesse est ut novitius a fide incipiat, quæ vere mentem a tenebris ignorantiæ eruit et Christo incorporat. Incorporatus Christo, credulus efficitur et fidelis, credulus ad fiduciam promissorum, fidelis ad custodiam mandatorum. Timor et de præteritis malis pœnitentiam condignam indicit, et malis tentantibus cordis aditum interdicit. Amor sapientiæ reparatam per officium timoris innocentiam diligentissime custodit, et ipsi innocentiæ addere æquitatem officiosissimæ liberalitatis studio non desistit. Religiosa magistri conversatio exemplo suæ probitatis provocat novitium ad studium æmulandæ virtutis. Pia ipsius circa discipulum sollicitudo diligenter quantum potest interioris et exterioris hominis statum considerat, ut secundum quod in eo viderit, applaudere vel condescendere illi sciat. Hinc enim scriptum est : *Diligenter considera vultum pecoris tui* (*Prov.* XXVII). Amica et spiritualis collocutio consulte, ut dictum est, opponitur acediæ morbo; quia, quanto amplius anima sanctis colloquiis assuescit, tanto eam vehementius ignita loquio liquefacit. Unde sponsa divinis eloquiis assueta sic ait : *Anima mea liquefacta est, ut locutus est* (*Cant.* V). In hoc certe senario tota pene consistit devotæ mentis eruditio, ut in his sex quæ nominata sunt probationis tempore se exerceat, et probatione completa, ad illa tria quæ in forma professionis expressa sunt se restringat. Stabilitas enim et conversio morum et obedientia secundum regulam in votivæ professionis formula solemniter promittuntur, et in his tribus ex sæpedicto senario provenientibus quædam perfectio continetur. Per lorum quippe promissæ stabilitatis tanquam pia jumenta ad cœleste præsepium religamur. Per conversionem morum pietati angelicæ simulamur. Per exhibitionem obedientiæ ipsa angelica ministeria imitamur. Fides itaque et timor respiciunt ad firmandam stabilitatem. Virtutum dilectio et magistri imitatio ad morum conversionem. Intenta sollicitudo magistri et amica confabulatio spiritualis colloquii ad exhibendæ obedientiæ pertinent informationem. Dum enim per spirituale colloquium acediæ torpor diffugit, mens ad fervorem obedientiæ reviviscit. Cæterum quæstioni ultimæ, quam tu ipse tibi proposuisti, satis sufficienter, ut arbitror, respondisti. Sæpe enim a Deo et ab his, qui secundum Deum aliis præsident, dispensatorie agitur, ut coram pestilente mansueti patientia flagelletur. Nonnunquam cum id bono animo factum fuerit, duplex inde fructus provenit, quia et patienti de correptione augmentum meriti generatur, et ille tali sanatur exemplo, qui prius incorrigibilis videbatur. Sic Apostolus a Domino permittitur colaphizari, non ut modo in eo humilitatem colaphizatio hujusmodi custodiret, sed ut universa Christi Ecclesia ad conquirendam sibi humilitatem exemplo consimili flagella Dei æquanimiter toleraret. Sed et ipsum caput Ecclesiæ Christus nonne in oculis solis flagella, opprobria, crucem, mortem, quæ non meruerat, toleravit, et ita per exemplum suæ passionis et pretium sui sanguinis a morte perpetua perditos revocavit? Attende etiam Job innocentis patientiam, quantis attritionibus, Deo dispensante, subjicitur, non ut modo justi patientia invincibilis valeat comprobari, sed ut infelix mundus justissimis ejus

exemplis possit ad patientiam in suis adversitatibus informari. Cæterum si ad gloriam Dei quandoque flagella contingunt, sicut Dominus Christus in Evangelio cæco nato asserit contigisse, nonne innocens utiliter a Deo vel homine pœnis afficitur, quando de luce ejus patientiæ Dei gloria declaratur? *Luceat*, inquit Dominus, *lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* v). Sæpe ita fit ut doctor illum de cujus confidit patientia dispensatorie arguat durius in perversorum præsentia; quia, dum Deum in sanctis suis mirabilem per patientiam quam præferunt, et innocentiam quam gerunt, mali homines intuentur, per pietatis teneritudinem in virum alterum a perversitate pristina transmutantur. Ecce, frater, ad instantiam tuam compulsus aliqua dixi, sed forte exspectationi tuæ minime satisfeci. Non enim de tenui vena fluenta possunt effluere largiora. Verumtamen si, ut habet assertio tua, vere in Christo me diligis, intercede, obsecro, apud Deum pro iniquitatibus meis, et illis attentius me commenda quos secundum conscientiam tenet et afficit pietas Christiana. Saluta novitios tuos ex meo nomine, et eos mone ex parte mea sic sanctæ intendere novitati ut corde et animo mundanæ renuntient vetustati.

EPISTOLA II.

AD EUMDEM.

De septem feriis et septem liquefactionibus.

Dilecto suo in Christo fratri Osmundo Mortuimaris monacho, frater Adam, servus servorum Dei, qui ad Perseniam Christo serviunt, salutem et veræ religionis perseverantiam.

Cum aliquid quod honestum sit ab amico petitur, et amicus est qui rogatur, non debet hujusmodi petitio repulsam pati, si tamen facultas non defuit adimplendi. De petitionis honestate et amica familiaritate confidens, cum multa instantia petis ut incitari ad virtutis studium litteris aliquibus merearis. Si bene affectus es et ad ea quæ justa sunt voluntarius, perficientis studio amica commonitio non nocebit. Si forte ad ea quæ recta sunt mens tibi est tardior quam deberet, nihilominus exhortatio forte morbo remedium adhibebit. Modis omnibus auditori verbum salutis est utile, præsertim cum et ille amat qui loquitur, et cui loquitur non ambigitur reamare. Et quæ in amicorum colloquiis debet esse nisi de amore materies; de illo, inquam, amore quem nulla notat suspicio, si dilectio vel charitas nominetur? Nomen quippe amoris ad diversa commune est; sed ad ea sola quæ veritatis vim habent et virtutis, vocabulum restringitur charitatis. Cum igitur Deus amor, sive charitas, sive dilectio proprie et specialiter nominetur, quæ materies convenientior, quis sermo inter nos dulcior quam de amore hujusmodi haberetur? Sane cum timor Domini sit initium sapientiæ, et amare Deum sit ipsum sapere, constat quod ab affectu divini timoris sumit initium sancti sapor amoris. Dum enim Dei timor a vitiis evacuat habitaculum mentis, exclusa amaritudine vitiorum restituit cordi sapientiæ appetitum. Extunc incipit animus esurire et sitire justitiam; quam procul dubio tantopere nullatenus esuriret, nisi prægustatus jam sapor esuriem provocaret. *Qui edunt me*, ait Sapientia, *adhuc esurient; et qui bibunt me, adhuc sitient* (*Eccli.* xxiv). Quid est enim amor justitiæ nisi quædam delectatio sapientiæ, cum nil sit aliud esse justum quam divinis esse conditum saporibus et odoribus delibutum? Annon sunt mores et opera justorum quædam odoramenta virtutum, quæ nimirum ex hoc contrahere cognoscuntur quod intimis sapientiæ ferculis oblectantur? Sapientia siquidem a sapore nomen trahit, quod sapere faciat quæ sunt sursum, quod morum sit delectabile condimentum. Quid igitur in vita felicius quam Deum timere et per sollicitum divini timoris officium amori divino mentis domicilium præparare? Timoris certe sollicitudo omni custodia mentem servat, ut jucunda amoris festivitas solemnes ferias ibi agat. Feriata mente opus est ut vacare et videre possis quanta sit suavitas Dei, et quæ sit pii amoris solemnitas experiri. Septem igitur sunt solemnes feriæ, in quibus Deo vacatur, et in quibus anima, ut Deo liberius vacet, ab omni servili opere feriatur. Prima feria est spiritus timoris Domini; quæ, dum peccatis et vitiis finem ponit, quasi servili operi spiritualе otium anteponit. Timor quippe Dei nihil negligit; et dum lutum et lateres Pharaonis et Ægypti paleas exsecratur, jam ad feriandum et vacandum Domino præparatur. Secunda feria est spiritus pietatis, in qua Deus tanto sincerius et affectuosius colitur quanto longius a mente excluditur laboriosæ tumultuatio pravitatis. Pietas nimirum est Dei cultus et compassio proximi, in qua feria illa quies, illud silentium inchoatur quod per prophetam *cultus justitiæ* (*Isa.* xxxii) appellatur.

Nota quia in hoc silentio quod cultus justitiæ dicitur, quod in cœlo, hoc est in anima justi custoditur, cum dracone Michael præliatur. Quanto enim cor quietius fuerit ab intentione servilis operis, tanto acrius infestat eum nequitia spiritalis. Unde merito quæritur quomodo factum est silentium in cœlo, cum prælium et tantum prælium exerceatur in illo. *Factum est*, inquit, *prælium in cœlo; Michael et angeli ejus præliabantur cum dracone* (*Apoc.* xii). Attende quia cœlum est anima justi; in quo cœlo silentium agitur cum anima quieta a mundi strepitu, et a peccati libera actu, tota in cultu et amore justitiæ delectatur. Verumtamen propter istam quietem, in qua ad Dei se reparat similitudinem, non omittitur quin contra potestates aerias eam oporteat habere certamen. Michael quippe *quis ut Deus* interpretatur; quo nomine Dei similitudo, quam sola retinet justitia, designatur. Certe Paulus in hoc mentis silentio degebat, in his amoris feriis solemnizabat, cum de se suisque similibus sic dicebat: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sangui-*

nem, sed adversus rectores tenebrarum harum contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus (*Ephes.* VI). Tertia feria est spiritus scientiæ, quæ videlicet piam mentem cognitione veritatis illuminat et ad doctrinam proximo impendendam informat. Ille enim debet bona foris dicere et docere qui illa intus meruit didicisse. Cui Deum scire datum est et seipsum, non debet in docendo negligere profectus proximorum. Qui scilicet spiritus scientiæ non incongrue feria dicitur; quia, qui consecutus eam fuerit, ab universis erroribus et perversis dogmatibus feriatur. Nec intelligendum est hoc *scientia* illa quæ secundum Apostolum *inflat* (*I Cor.* VIII), quia hæc semper ex consortio adjunctæ sibi pietatis ædificat. Quarta feria est spiritus fortitudinis, in qua jam fortis ut mors dilectio esse incipit : quæ cum in varias inciderit tentationes, etiam hoc omne existimare gaudium consuevit. Istam agebant feriam quibus apostolus Jacobus hoc dicebat : *Omne gaudium existimate, fratres charissimi, cum in tentationes varias incideritis* (*Jac.* I). Qui enim in spiritu fortitudinis agit, quidquid acciderit ei contrarium, aut non sentit, aut facillime indefessa virtute revincit. Quinta feria est spiritus consilii, cui parum est mandata Dei perficere, sed magna animi alacritate ad sectanda Dei consilia satagit aspirare. Postquam enim Dei mandata perfeceris, si juxta exhortationem Apostoli meliora charismata æmularis, sursum te extendis ad perficienda consilia quæ sunt æmulatoribus perfectionis a Salvatore proposita. Unde illi qui a juventute sua asserebat se Dei mandata omnia custodisse dicit Dominus in Evangelio : *Unum*, inquit, *tibi deest. Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me* (*Matth.* XIX). Qui itaque in hac feria, hoc est in spiritu consilii, agit, nihil sine consilio facit, omni necesse habenti bonum consilium dare intendit ; quippe qui et spiritum consilii in se habet, et quem magni consilii angelus Christus docet. Sexta feria est spiritus intelligentiæ, in qua jam mens ex observantia præcedentium feriatur satis docta est in invisibilibus figere cogitatum. Defæcata quippe et purificata, ut dictum est, ex præcedentium feriarum observantiis, idonea est per meditationem cœlestibus interesse substantiis, et amotis ab animo imaginibus rerum visibilium, inferre in invisibilibus essentiis intellectum. Intellectus enim est uniuscujusque rei invisibilis nuda et manifesta notitia. Septima feria, id est Sabbatum, est spiritus sapientiæ, ubi jam anima splendoribus illustrata divinis, etiam degustare incipit interim quoddam condimentum saporis. Hic jam anima quæ sursum sunt sapere, quæ sursum sunt quærere divinitus edocetur, dum quanta sit, quam mirifica sit interni suavitas saporis experitur.

Nota quod feria illa, quæ dicitur spiritus intellectus, tota est in splendore, ut qui ad eam pervenerit, nihil minus quam cherubim, id est plenitudo scientiæ fiat. Illa vero feria, quæ spiritus sapien-

A tiæ nominatur, tota est in sapore, ut qui ad eam pervenire meruerit, nihil minus quam seraphim, id est ardens vel incendens existat. Quem enim divini amoris ardor incenderit, alios utique hoc ardore liquefactus incendit. Ad hunc pervenerat ardorem feriata illa anima quæ dicebat : *Anima mea liquefacta est, ut locutus est* (*Cant.* V). Mens certe quam hujus amoris incendium liquefacit, incendit alios, dum quantum eos diligat ex suis liquefactionibus innotescit. Sunt autem plurimæ liquefactiones animæ cœlesti desiderio ardentis et ad ardoris hujus desiderium alios incendentis. Primo resolvitur in lacrymas compunctionis, per officium et instantiam timoris initialis. Huic enim timori, cum sit initium sapientiæ, mistus est amor justitiæ. Secundo resolvitur
B anima in lacrymas devotionis, quæ nasci solet ex recordatione beneficii spiritalis. Cum enim recordatur Dei beneficia, quæ indigna accepit, movetur ad lacrymas, dum gratias agit. Tertio liquefacta resolvitur in lacrymas amoris, quæ prodeunt de spe et ardenti desiderio videndi aliquando faciem Conditoris. Quarto liquefacta resolvitur in lacrymas pietatis, quas erga fraternam miseriam producit affectus compassionis. Quinta liquefactio est, cum ardenti charitate totam se expendit et erogat in piis activæ vitæ exercitiis. Sexta liquefactio est, cum anima tota liquescit et subtiliatur in delicias supernæ contemplationis. Unde de hujusmodi anima scriptum est : *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens ?* (*Cant.* VIII.) Septima liquefactio
C est, cum anima hujusmodi tota defluit et resolvitur in fragrantiam boni nominis et ad consolationem multorum spargit in aromaticam suavitatem odoriferæ opinionis, ut de ipsa dici possit : *Unguentum effusum nomen tuum* (*Cant.* I). Unde et talis anima in Cantico canticorum appellatur virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris et universi pulveris pigmentarii. Talis siquidem anima odoris sui fragrantia alios attrahit, et ad Dei dilectionem post se currere facit exsultantes et dicentes : *Post te in odore unguentorum tuorum curremus* (*ibid.*). Hujusmodi liquefactiones sunt illæ emissiones de quibus sponsa laudatur, cum ei voce sponsi in Cantico dicitur : *Emissiones tuæ paradi-*
D *sus malorum punicorum cum pomorum fructibus* (*Cant.* IV). Verum ad bona ista, mi dilecte, nunquam perveniunt qui a timore Dei innocentiam non concipiunt. Certe nec illi possunt gaudere partu justitiæ in quibus Dei timor non procreat conceptum innocentiæ. Sed nec illos conceptu hujusmodi timor impugnat quos splendor rectæ fidei non illustrat. Crede mihi, ut verba Dei cum affectu audias, audi ut timeas, time ut diligas, dilige ut mandata perficias. Nam ex perfectione mandatorum sequitur felix adeptio præmiorum. Deum igitur time, et mandata ejus observa. Hoc est omnis homo. Vale in Domino semper, et sic vive ut et conscientia tua tibi interius perhibeat testimonium, et exterius valeas esse fratribus in exemplum.

EPISTOLA III.

AD EUMDEM.

Afflictum consolatur. Ut ad verum medicum Jesum Christum confugiat. Ipsi scribere supersedeat.

Dilecto suo in Christo fratri OSMUNDO monacho Mortuimaris, frater ADAM, servus servorum Dei, qui apud Perseniam militant, salutem in Spiritu sancto.

Importunitas est tædii mater, ubi eam ardentior dilectionis sinceritas non excusat. Verum nihil est vera dilectione fidentius, nec aliquid opportunius esse existimat quam importune illi insistere de quo fidit. Hæc fiducia dilectoribus Dei præstat orandi constantiam; nec ideo ab instantia orationis deficiunt, quia in eo quem amant confidere se cognoscunt. Tu videris erga me hanc habere amoris fiduciam. Et ideo de tædio notari te non metuis, quia tribuit tibi confidentiam internæ conscientia charitatis. Sed quid est, obsecro, quod tantum de teipso mihi conquereris, et varias mentis tuæ ægritudines mihi proponis quasi ad remedium et exponis? Aut quid potest habere commodi morbum suum ostendere eadem invalitudine laboranti? Annon quodam modo dolorem ægrotanti exaggerat qui de se illi planctus et lacrymas exhibet quem potius consolari debeat? Infirmitates tuas illi potius debueras revelare cui præstita est virtus sanitas animæ, et cui cum sanitate animi data est etiam peritia medicandi. Non enim statim qui mentis sanitatem, id est virtutem obtinet, ideo medendi peritiam habet. Sed qui utrumque a Deo consequitur, feliciter male habentibus præsto est et medetur. Nam ridiculum est quemquam medicinalis artis exercere officium, et quibus curam impendit exhibere se languidum. Et vix efficaciam potest habere in exhibendis remediis, quem reddunt contemptibilem evidentis signa languoris. Cum igitur virtus sit animi sanitas, cujus ægritudo est vitium, ægritudini tuæ remedium non exhibeo, qui in infirmitorio mundanæ miseriæ hoc morbo saucius usquequaque decumbo. Sic sic propter neglectam custodiam cordis abundat et superabundat vita vitiis, et ex languoribus abundantium vitiorum consensu adhibito viperea soboles nascitur peccatorum. Agit siquidem intestina vitiorum inhæsio ut pene continua sit in nobis peccati recordatio : quæ tamen si delectationem secum non habuerit vel consensum, nihil per hoc agitur in Deum timentibus nisi bellum. De bello autem, si mens in constantiæ virtute persistit, victoria provenit, et victoria ad coronam provehitur, quam nisi qui legitime certaverit non meretur. Satagit itaque animus virtutis ut quia contraire non potest motibus primis, saltem usque ad delectationis vel consensionis periculum non labatur, ne etiam e vicino quandoque ad perversitatem operis pertrahatur. Verum infelix animus meus et ex more primis motibus assidue quatitur, et ex cogitationibus ab eis orientibus periculose illicitur, et tantum ex morbo hujusmodi invalescunt delectatio et consensus, ut me sæpissime ad consensionis illicitæ trahant opus. O si, quemad-
A modum præcipit sapientia, cor omni custodia servaretur, nec animus ex peccati delectatione iniquitatem conciperet, nec ex concepto hujusmodi partus nequitiæ proveniret! Certe si Dei timor sollicitas exerceret excubias, ad cordis aditum omni prorsus nequitiæ negaret introitum, et, sicut ab ingressu animæ per vigilantiam peccatum marceret, ita quod per negligentiam male intrare potuit, per pœnitentiam ab interioribus propulsaret. Est enim Dei timor amator innocentiæ, et nihilominus justitiæ æmulator, assuetus damna innocentiæ per justitiæ rectitudinem restaurare. Dum enim anima, quæ ad Creatoris injuriam innocentiam perdidit, per pœnitentiam de seipsa justitiam Deo facit, nonne videtur tibi per pœnitentiam reparare innocentiam, cui
B sane multo gratius erat illam non descendisse de Hierusalem in Jericho, non in latrones incidisse, quam vulneratæ a latronibus salutis remedia procurasse? Beatus tamen est qui prius amissam innocentiam pœnitendo resurgit ad justitiam. Sed felicior est qui sic divini timoris custodia communitur ut contra innocentiam quidquam agere dedignetur. Nihil igitur est divino timore beatius; cujus pondere dum animus figitur, non per varia vanis cogitationibus agitatur. Dum enim officii sui stimulo cor assidue tangit et pungit, aliud aliquid quam ipsam punctionem vel punctionis causam in memoriam venire vix sinit. Qui dum ad ostium cordis salubriter et feliciter sollicitus custos excubat, amori
C ad solemnizandum interius locum præstat. Timor siquidem sanctus facillime cogitationes otiosas a conspectibus cordis, dum Deo intendit, exsufflat, voluptuosas desiderio propositæ honestatis persequitur, malitiosas oppositione simplicitatis et pietatis exturbat. Per piam igitur sancti timoris sollicitudinem compressis incursibus vitiorum, sedatis cogitationum tumultibus, sabbatizante jam conscientia, amor solemnizat interius, et tanto jucundiores ferias agit quanto mentem liberam ad cœlestia affectanda cognoscit. Tu igitur, charissime, cum festivitas hujusmodi ex amoris infusi beneficio lætificaverit tibi mentem, habe me solemnitatis internæ consortem; nec bonum collatum tibi facias singulare, sed amici adhuc exterius mendicantis in tuis
D deliciis recordare. Frange, inquam, panem tuum mendicanti et esurienti amico; quia in hoc te vere amicum probaveris, si amici esuriem refeceris pane tuo. Panis tuus Christus est, panis tuus charitas tua est, panis tuus oratio tua est, panis tuus est compunctio lacrymarum, quibus non modo tua sed etiam peccata diluis amicorum. His utique panibus se die ac nocte refici asserit Propheta sanctus : *Fuerunt mihi*, inquiens, *lacrymæ meæ panes die ac nocte* (*Psal.* XLI). Certe quanto his panibus avidius reficiebatur, tanto ad portanda aliorum onera fortior reddebatur. Cœlestis siquidem panis refectio ita confirmat cor hominis ut et ipse in laboribus possit subsistere et se fortem comportandis oneribus fraternis velit et valeat exhibere. Certe

qui panibus hujusmodi vescitur, tam fortis efficitur, tanto figitur pondere, ut non dico evertere, sed vix eum vanæ cogitationes et inutiles valeant commovere. Dum enim vel ex Scripturarum vel ex lacrymarum panibus dulciter et avide reficitur animus in vinea Domini Sabaoth laborantis, non impellitur, non agitatur cogitationum flatibus variis, quia ipsæ cogitationes, eo ipso quod vanæ sunt, solidatam consueti cibi fortitudine mentem a suæ stabilitatis rectitudine non inflectunt. Cum panibus hujusmodi saturatus fueris, saltem serva mihi aliquid de reliquiis, ut ex eis refectus possim et ipse in laboribus meis subsistere, quos supra modum et ultra vires noveris excrevisse. Cæterum de animæ tuæ ægritudinibus, de quibus mihi in litteris tuis conquereris, ad illius opem et curam festina confugere qui, juxta verbum suum, non sanis sed male habentibus venit remedium exhibere. Ipse enim dicitur Christus, qui et sauciati vulneribus salutiferam unctionem apponit. Ipse dicitur Jesus, qui unctos a se plenæ saluti restituit. Medicinæ ipsius efficaciæ volo te commendatum esse; cui tu devote et humiliter supplica ut meæ quoque invalitudini adsit ipsius gratiæ efficax medicina. De cætero, fili, noli mihi molestus esse, nec a me aliquid amplius quæras; quia, licet respondere petitionibus tuis deinceps non proponam, te tamen in veritate diligere, quandiu in veritate steteris, non desistam. Vale in Domino semper.

EPISTOLA IV.

AD EUMDEM.

Arguit quod per interpositam personam responsum ab Adamo obtinere tentaverit.

Fratri OSMUNDO frater ADAM.

Astutus es, et callide agis, quid quod per te obtinere posse diffidis, per personam interpositam a me quæris. Et revera talem personam interposuisti cui, quod per eam postulabas, hac vice negare non potui. Sed forte alias aliud facerem, si tantam ab ea pro te instantiam sustinerem. Nunc igitur habes epistolam quam quæsisti. Habes et cor meum in visceribus Jesu Christi. Et licet me gaudeam a necessitate scribendi quiescere, tamen nunquam in Spiritu sancto desinam te amare. Utinam humilitatis meæ litterulas apud te reconditas detineres, nec tenuitatis meæ inopiam cæterorum auribus intimares! Si enim per Scripturam prohiberis laudare hominem in vita sua, quomodo eniteris efferre laudibus meæ rusticitatis opuscula, præsertim cum secreti amoris nostri secreta colloquia deberent sæcularibus quibusque celari? Semper consuevit sancta dilectio collocutionibus secretis gaudere. Eo facilius hæc flamma restinguitur cum ventis exposita inconsultius proponatur. Quod igitur tibi ex magno amore secretius dico vel scribo, vide ne per te fiat in propatulo. Quia, ut dixi, sæpe flatibus ventosæ laudis tepescit aut exstinguitur vis amoris. Vale in Domino semper.

EPISTOLA V.

AD EUMDEM.

De amore Dei.

Dilecto suo in Christo fratri OSMUNDO monacho Mortuimaris frater ADAM, humilis servus fratrum Perseniæ, in Mortuomari mori vitiis et virtutibus vivere.

Utinam, fili mi, sit tibi mare mortuum quod fuit Israeli mare Rubrum, ut, dum tibi per illud liber transitus, duce gratia, datur, in eo cum suo Pharaone persequentes te Ægyptii submergantur! Gloriose enim sub manu Moysi triumphans de illis, per illud festinas ad solitudinem. Quippe qui didicisti experimento quod divino amori sit amicissima solitudo. Qui enim amori cœlestium vacat, fugit turbam, strepitus vitat, et frequens Marthæ ministerium Maria fastidit, ut audire et videre eo securius quo secretius Christum possit. Nihil certe tam facit ad amoris negotium quam solitarium esse, id est monachum. Nam religiosa et quieta monachi conversatio ipsa est quam sanctus amor desiderat solitudo. Nec tamen amoris hujus pietas in tantæ solitudinis otio constituitur ut piæ sollicitudinis timore privetur. Sed timorata et timida est semper amans anima, ne in amoris sui periculum sit a bono opere per negligentiam otiosa. Et talis quidem est amor divinus. Sed nihilominus pia plenus est sollicitudine amor fraternus; et qui sinceriter alterum diligit, a dilecto respectus sui oculum vix reflectit. Ecce, fili, dilectionis tuæ suscepi litteras, et mihi lectæ sunt, et ex earum lectione cognovi apertius quod revera amor nunquam est otiosus. Ubi enim infigit affectum, illuc dirigit oculum, nec insatiabili oculo patitur non videre quod affectu tenaci et avido delectat amare. Videtur hoc sapere poetæ sententia, licet loquatur de dilectione contraria, in quodam versiculo ita inquiens:

Res est solliciti plena timoris amor.
(OVID., *epist.* I.)

Quemadmodum enim natura ignis non quiescit in sui nutrimentum sorbere materiam quæ ei supposita fuerit, sic mens, nimirum amantis desiderio amoris ignita, totam rem quam diligit in sui attrahit gaudii incrementa, sollicite de illa cogitat, lætanter de illa loquitur, et ubicunque thesaurum reposuerit suæ dilectionis, ibi nimirum et affectum et aspectum delectabiliter collocat suæ mentis. Ubi enim amor, ibi oculus, et juxta evangelicam sententiam: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum* (*Matth.* VI). Habet quilibet in amore suo gaudium suum, et de re circa quam magis afficitur plenius gaudet et delectabilius meditatur. Et quid mirum, fili? Certe inter potentias animæ nulla est amore liberior, nulla liberatior, nulla dulcior, nulla est æque fortis. Cum materiam sibi accommodam flamma illa invenerit, ignescit vehementer, æstuat dulciter, ardet suaviter; et cum fortiter accensa fuerit, vix eam res aliqua intercidit. Verum tibi considerandum est quæ igni tuo fomenta adhibeas. Non facillime potes decipi,

dum fortiter amas quod amore tuo dignum esse minime certius comprobasti. Virtuti impendendus est amor. Sola animi virtus diligenda est in hominibus. Sed sola anima virtus, cum sit appetenda, specialiter et inhianter imitanda est; est etiam, in quocunque fuerit, singulariter diligenda. Hæc idcirco dixerim amantissime, quia nimium cito caperis, et me videris diligere quasi de sanctitate mea conscius sis. Sed licet me quamvis indignum gaudeam diligi, nollem te tamen in amore cujuspiam fraudem pati. Dilige Deum fontem sapientiæ, auctorem virtutis, datorem gratiæ, promissorem gloriæ, beatitudinis largitorem. Servire illi, regnare est; diligere, virtus; inhærere, sanctitas; pervenire ad illum, salus; illum tenere, honor et gloria; cum illo esse, beatitudo et felicitas sempiterna. Cæterum, sicut asseris in litteris tuis quod nihil a me requiras, prohibitionem meam bene servare videris. Sed quid est, obsecro, mihi scribere, nisi alicujus responsi rescriptum requirere, ut, dum quasi compellor respondere litteris, indirecte litteras expetere videaris. Verumtamen propter hoc non irascar tibi, si volueris et potueris sæpius rescribere mihi; quia revera ex frequentibus litteris est amoris quædam probatio permanentis. Ego autem nihil aliud a te quæro nisi ut pro peccatis meis ad Deum tua perseveret oratio, et sic per ejus gratiam vivas ut dignus sis qui quod petis obtineas; quia nulla mihi de meis meritis est fiducia, nisi me oratio adjuvet et sublevet aliena. Vale in Domino semper.

EPISTOLA VI.

AD ODONEM EPISCOPUM PARISIENSEM (2).

Arguit ipsum quod suæ diœcesis presbyteris tallias imposuerit

Patri in Christo charissimo O. Dei gratia Parisiensi episcopo, frater A., omnium monachorum minimus, salutem in spiritu scientiæ et pietatis.

Quoties scribit amicus meus, amicitiæ ratio et amoris pristini usus ad memoriam redit: non ita, fateor, venerabilis Pater, affectio mea te sibi sentit accommodum, sicut ante consuevit aliquoties experiri. Verum non hoc amici vitio, sed affectioni potius vitiosæ ascripserim, licet occurrat mihi aliquid unde non immerito alterari dilectio videatur. Pro vario sane rerum statu amoris natura se variat, et erga causas dissimiles, dissimilesque materias solet dissimiliter æstuare. Cum igitur in uno eodemque homine amicum attendo et episcopum, et alterum familiari gaudeat diligentia, alterum vero pro dignitate sibi et exigat reverentiam, amor reverentiæ nescius dominiique impatiens, tantæ dissidentiæ non consentit. Ubi nimirum in amoris negotio intervenit necessitas reverentiæ, amor patitur de inæqualitate dispendium, seque suo jure charitas spoliari conqueritur, ubi exsulat a contubernio unitatis. Dum igitur honori impenditur debitum reverentiæ, nescia necessitatis dilectio, dum egredi terminos vicariæ connectionis compellitur, in affectu procul dubio minoratur. Ex hoc efficitur ad visitandum tardior, verecundior ad colloquium, ad salutandum timoratior, ad petendum timidior, tenacior ad præstandum. Cum ego itaque sim inter modicos minimus, tu magnus inter maximos, quæ, obsecro, rerum tam dissidentium potest esse conventio, ut in rebus tam disparibus amica sibi paritate dilectio delectetur? Non hæc idcirco, Pater venerande, dixerim, quod te desistam aliquando venerari et diligere, dummodo apud te conversari virtus et veritas non desistant. Illas enim diligere ad quamcunque se officinam contulerint, mei est omnino, Jesu opitulante, propositi; nec illi potero per affectum deesse, quem gratia voluerit tantis splendoribus illustrare. Et certe licet amor gratuitus omnem pene habeat necessitatem reverentiæ suspectam, non potest amator virtutis ista affectuose non diligere etiam in episcopis, licet satagat castigare affectum, ne se per effectum prodat foris. Applausus quippe contemptibilium erga spectabiles facillime de conventu arguitur, unde consultius intra affectum puritas amoris se continet, quam se foris aliquibus indiciis manifestet. Ego proinde incola claustri dulcius et securius elegi frequentare Cisterciensis philosophiæ tugurium, quam amicum sequi et per urbes invisere, quem me lugeo pene in episcopo perdidisse. Verumtamen damni hujus in hoc idoneam recompensationem recipio, si per venerationem tuam misericordia et veritas apud alios et maxime subditos faciunt quid faciendum tibi per sacerdotii ministerium injunxerunt. Statua salis es, pastui et profectui animalium communem te exhibe, ut qui de modio erectus es super candelabri eminentiam, universis ardeas in lucernam. Venit tempus ut, si quæ est gloriæ tuæ magis splendor elucescat, dum de firmamento Ecclesiæ ille Lucifer occidit, qui vitæ suæ radiis et doctrinæ splendoribus tum toties hemisphærium illustravit. Te arbitror intelligere, sapienti enim loquor, quia de piæ memoriæ cantore Parisiensi (3) id dixerim, et utinam de tanti viri morte doleas, qui, secundum quorumdam opinionem, minime de ejus dolebas absentia, cui tamen rei fidem non potui adhibere! Omittenda sunt interim alia quæ famæ tuæ imputat communis vulgi opinio duriori quidem invectione dignissima, si esset qui te vere diligeret, et vera esse illa inveniens, te vere accessibilem amicis correctionibus inveniret. Sed forte causaris me irreverentius loqui, nec omnino humilitatem id sapere, quod invehor in episcopum tam audacter. Sed hoc est revera quod dixeram, quia amor reverentiam nescit; imo, sicut sibi animus, sic secure loquitur cum amico. Oblitus sum, fateor, episcopalis reverentiæ, de antiquo amore

(2) Odo de Sulleio, qui defuncto anno 1196, Mauricio episcopo Parisiensi successit.

(3) Innuere videtur Petrum cantorem Parisiensem scriptis suis illustrem, qui factus monachus Cisterciensis in Longipontis monasterio, non sine opinione sanctitatis decessit.

adhuc quid retinens, nec absens potero unquam parcere tibi : quantalibet debeatur reverentia dignitati, zelus vitiis, amor debetur virtutibus, et utinam æmulatio nostra in amico non inveniat, unde vulnus ferat vel inferat, sed quod potius ipsum lætificet, se delectet! Cæterum cum paternitatem tuam videre per memetipsum meruero, exprimam tibi viva voce quæ nunc melius arbitratus sum reticere. Silentio tamen prætereundum non censeo, quod fere omnium opinione vulgatissimum, te videlicet diœcesis tuæ talliasse presbyteros, quod non modo a perfectione, verum etiam a pietate et justitia videtur esse penitus alienum. In hoc, venerande Pater, grave fecisti scandalum te amantibus, et qui de lucerna super candelabrum posita flammam potius exspectabant quam fumum, te mirantur et dolent in hac parte potius fumare quam flammare. Fumus quippe oculis molestus esse solet et naribus, et qui de te exempla lucis videre, et olfactum bonæ speci concipere se sperabant, in utroque de contrariis molestiam patiuntur. O quid vera dilectione fidelius? quid sincerius charitate quæ firma est? quæ dum ex modico fermenti totam massam corrumpi non dubitat, aliquo malo quod evitari valeat cauteriari conscientiam non permittit. Utinam malum istud nec tu in consuetudinem ducas, nec exemplo tuo miser mundus ad consecutiam [consecutione] trahatur, quin potius remediis manifestæ pœnitentiæ non esse faciendum dedoceas, quod exemplo tui operis minus esse culpabile docuisti! Tantus quippe episcopus, tantum desideratus ab omnibus, tantis sanctorum omnium votis a Domino expetitus, tantis fidelium lacrymis ad proferenda germina perfectionis irrigatus, non debet habere in conscientia, multominus agere debet in evidentia, unde sua lædatur opinio, unde tam devota omnium exspectatio defraudetur. Quod si, ut dicitur ab aliquibus, te multis debitis obligatum necessitas aliquid agere compulit, ubi tamen tyrannica non intervenit extorsio aut potestativa exactio, sed humilis ac supplex necessitatis insinuatio, aliquid benigne rogaverit, certe non hoc tam talliationem dixerim quam collectam. Licet enim et hoc perfectionem non redoleat, satius tamen fuit hoc semel in vita agere, quam præpediente incertæ mortis articulo, multa debita impersoluta dimittere in grave debitoris periculum et damnum irreparabile creditoris. Sæpissime enim, imo fere semper istud solet evenire episcopis, illis obeuntibus, sic a potestate terrena bona eorum diripi, ut quod debuerint vel ordinaverint non patiatur exsolvi. In meliorem partem charitas interpretari solet ambigua, quam conscientiam habueris in facto tu videris, ne forte, quod absit! idolorum (servitus) avaritia, de Christianorum episcopo cultorem fecerit idolorum. Veruntamen etsi te non reprehendat cor tuum, species tamen mala facta est universis in scandalum, dum et malis insultandi præstatur occasio, et boni se dolent in te perdere quod sperabant. De cætero, Pater, aliqua in corde habeo, quæ longum et forte indignum erat scribere, quæ cum nuntius noster vel nuntii vivæ vocis ministerio venerationi tuæ expresserint, si exauditione digna judicaveris, humiliter et obnixe postulo adimplere.

EPISTOLA VII.

AD ODONEM EPISCOPUM PARISIENSEM.

Tota est de amore et humilitate. Sub finem gratias agit de charitate duabus mulieribus impensa tempore famis.

ODONI venerabili episcopo Parisiensi, quem in Spiritu sancto diligit, frater ADAM peccator, salutem.

In mentem mihi sæpius venit, ut tibi, amantissime, scribam aliquid, unde et quem affectum habeam erga te, tibi aliquatenus innotescat, et tuæ erga me dilectionis affectio incalescat. Utinam sermo meus apud te olei vicem exhibeat, quod dum in amoris tui flammam mittitur, ex hoc flamma eadem nutriri valeat et augeri! nutriri dico et augeri erga me, qui etsi non sum dignus quem diligas, quæcunque tamen digna sunt non ambigo te amare. Verum alio bono non indiget animæ meæ mendacitas [mendicitas?], nec aliud de negotiis amicitiæ emolumentum desiderat, quam ut amare et amari feliciter mereatur. Hoc mihi totum est ad amicos negotium. Hæc mihi in scribendo sola materies, nec aliud possum meis litteris laudare vel diligere, quam quod ita sufficit tenaciter nos unire. O felix unio, a cujus compage sanctus amor præcidit et separat quidquid se a mundana non dividit vanitate! O felix amor qui, sicut trahit de animi virtute originem, sic non habet aliunde quam de veritatis operibus incentivum! felix, inquam, amor, cui est inimica spes sæculi, cui est tota ambitio in desideriis æternorum : amor nimirum sanctus quanto est corruptionis impatiens, tanto ei suspectum est quidquid noverit subditum vanitati. Denique sicut non deest ei æmulatio æmulorum vehemens, sic non deest ei appetendorum cognitio, ne fallatur. Itaque de splendore veritatis instruitur, ne eum multiplex vanitas tenebrosæ varietatis obscuret. Satagente autem virtute, ad desiderium incorruptionis accenditur et extenditur, ne eum concupiscentia carnis emolliat et enervet. O si processibus ejus perseverantia non defuerit, quid in perfectione sanctus amor præmii obtinebit? Quid illi gloriæ erit, cum in pleno splendore veritas infulgebit? Quid illi suavitatis et dulcedinis erit, cum perseverantis virtutis desiderio ad pleni amoris meridiem effervebit? O beata exspectatio! o votis omnibus remuneratio appetenda! o felix anima quæ, cum hanc margaritam invenerit, pro comparatione ipsius quidquid est aliud distrahere non cunctatur! Corporis itaque et animæ incunctanter est distrahenda possessio, ut thesaurum in agro absconditum valeas felicius quærere, effodere fortius, certius invenire, retinere firmius, jucundius possidere. Abjicienda sunt onera sæculi, honores computandi in nihilum, nequitia omnis repellenda ab animo, ut possit aliquatenus sancti amoris primitias prægustare. Sicut enim puris men-

tibus dignanter influit, sic et liberas invenire desiderat, quas non exturbet aut occupet terrenæ strepitus actionis. Ubi enim Spiritui sancto solemne Sabbatum agitur, feriata mente opus est, quæ aliquatenus servilis operis deformitate non obnubilet spiritualium lætitiam feriarum. In timoris feria de initio sapientiæ amor sumit exordium, peccatorum tumultibus finem ponens. In feria pietatis id agitur, ut cultui divino intendatur sinceriter et oppressorum miseriis compassione sollicita succurratur. In feria quæ spiritus scientiæ nuncupatur, animus ad interiora se retrahens, suæ pensat subtiliter rationis judicium, ne ipsius caligante vel frigescente igniculo, in his quæ agenda sunt obscuretur. In feria spiritus fortitudinis providetur, ut, cum tempus tentationis advenerit, necessariis munita præsidiis viriliter anima reluctetur. In spiritu consilii felix feria celebratur, dum animus ad omne quod intendit, nihil de se fidens, Spiritus sancti consilium quærit, seque aliis in eodem Spiritu consiliarium per omnia fidelem impendit. In feria spiritus intelligentiæ tantæ puritatis festivitas agitur, ut non modo terrenæ affectiones animum onerent, sed etiam corporum imaginationes non subeant, ut tanto clarius cœlestia contemplentur, quanto felicius quæ terrena sunt interim in memoria habentur. Quid de illa extrema et suprema feria dixerim, quæ spiritus sapientiæ appellatur? Non mihi datum est experiri quam magna est multitudo dulcedinis hujus Sabbati; quippe qui necdum præcedentes ferias merui celebrare, sed necdum in spiritu timoris Domini servituti criminum et vitiorum tumultibus valefeci, quo pacto de cæteris feriis sapientiæ, aut de ipso sapientiæ Sabbato audeam commentari? Ex hac ipsa præsumptione facile est intelligere, me necdum intelligentiæ vel sapientiæ spiritum percepisse, qui de rebus tam abditis inexpertus ausus sum disputare. Confido tamen quia apud dilectoris animum amor excusabit excessum. Id nimirum habet sanctus amor officii, ut sicut delictum in dilecto nullatenus dissimulat, ita et confitenti dare veniam benigna facilitate non negat. Revera si inesset mihi timoris Domini spiritus, timuissem aut videri magniloquum, et me potius sub modio humilitatis absconderem, quam in magnis et mirabilibus super me ambularem. Humilitati sanctæ omnis fere est odiosa præsumptio, et quantumlibet in sublimi excreverit, nihil sibi tutius esse reputat quam latere prudenter; cœlo inhiat, dum se juxta sui nominis rationem ab humo non dividit, et quo se in sui æstimatione inclinat inferius, eo cœlestium acclinis est altitudo. Nescio quo pacto etiam inclinare cœlos potens est spontanea humilitatis dejectio, et mira facilitate cœlestem exaltationem adipiscitur, dum humi læta residens, et de humo nihil appetens, de solo conscientiæ testimonio gloriatur. Non sic illa, non sic natione cœlestis superbia, quæ dum juxta sui rationem nominis super se ire, et seipsam supergredi nititur, suo ipso pondere præcipitata inferius confractione

A insanabili dequassatur. Humilitati proinde omnis altitudo suspecta est, quam esse amicam superbiæ non ignorat. Quidquid caro gloriam reputat, odit et exsecratur humilitas, licet in sua simplicitate ita se contineat, ut de re nulla velit vel audeat judicare. Amans quippe silentium, secreti appetens, ita suæ mediocritatis se coarctat limitibus, ut nihil aliud appetat, quam se scire. Scire alia esse credit superfluum, sciri ab aliis existimat vanitatem. Tam superfluitatis expers est, quam jactantiæ, in altero temperantia utens, in altero justitiæ desiderio inardescens. Magnam hic advertere potes humilitatis prudentiam, quæ municipium mentis his communit obstaculis, ad omne certamen inexpugnabilis ei est fortitudo. O felix, o vere necessaria virtus humilitas, quæ, dum nihil

B aliud quam se scire appetit, se minime ab ejus scientia sapientiæ cœlestis thesaurus abscondit! Ignem quippe secreti amoris sub consideratione propriæ vilitatis, quasi sub quodam cinere humilis animus contegit, unde se devoti cordis officina ad illustrationem et fervorem accendit. O quam libenter humilis Christus ad diversorium tale se colligit, ubi amoris ignem ejus semper paratum adventui humilitatis sollicitudo custodit! Ut enim dicit Psalmista: *Ignis ante ipsum præcedet* (*Psal.* XCVI); et anima illa idonea est illum recipere, quem non oportet ignem aut oleum mendicare. De intus et de cœlo hæc veniunt, et qui ignem semel accensum in se voluerit perdurare, omnes sollicite obtineat aditus, per quos ventosæ vanitatis levitas ad exstinctionem

C ignis valeat insufflare. Verum etsi ignis qui vehementer efferbuerit vento flante non exstinguitur, sed accenditur magis, adeo tamen est formidolosa humilitas, ut nunquam de humili conscientiæ diversorio progredi tutum putet. Ibi stellam maris Mariam libere cogitat, ibi feliciter assistit partui Virginis, ibi beatæ illi infantiæ delectabiliter adjocatur, ibi se totum Verbi coaptat cunabulis, morum innocentia felici colludit infantiæ, et in cordis jubilo pueri vagitibus combalbutit. Pretiosissimis habet pro sericis illis adornari panniculis, quibus obvolvitur Verbum infans. Deinceps ad divinum illud pectoris sacrosancti sacrarium tota aviditate se convehit, et quantum vacat, plena de cœlo ubera

D sugit. Talibus interim nutrimentis tenera deliciatur infantia, ut, cum in virum perfectum provectiori ætate profecerit, portare et peragere possit negotium crucis. Gratia sane hoc opus, quos virtutis provectio exercitatos pro consuetudine sensus habens de sapientiæ studiis imbarbavit. Mecum optime agit, si inter collactaneos suos me Jesus meus connumeret, si suscepto interdum ad matris ubera suæ delinitionis sorbitiunculas partiatur. Ad hoc quippe Patris Verbum vitæ panis comminui voluit in lacte carnis, ut qui in forma Dei cibus erat solidus angelorum, per abbreviationem carnis exinaniret se in sorbitiunculam parvulorum. Obsecro te, charissime, cum tibi convivium escæ fortioris sapuerit, cum te grandium cibus oblectaverit, in deliciis tuis ne sis meæ

immemor parvitatis. Si ad celebrandum sapientiæ Sabbatum, interdum Spiritu sancto te promovente, perveneris, vel id saltem mihi impetra, ut de diversorio non ejiciar Verbi infantis. Hic interim tota philosophiæ meæ est ratio, alibi quam hic non possem esse suavius, hinc tota pendet exspectatio spei meæ. Parvulus sum, cui lacteo cibo opus est, non solido, quanquam in incrementa mea transire non dubitem, quidquid amicorum meorum beata esuries de cibo devorat fortiori. Cæterum, amantissime, videbo faciem tuam, cum vacuum fuerit, quoniam nondum vacat. Anni præsentis sterilitas, et totius mundi communis interitus me domi retinent, et quasi cuidam funeri assistere me compellunt. Egrediar tamen, Deo volente, aliquando de sepulcro hujusmodi, et in amicorum visitationibus et colloquiis suscitabor. Tu eos interim meo salutabis ex nomine, quos me charitate non ficta diligere comperisti. Pro duabus illis pauperculis mulieribus, Deum, ut credo, timentibus liberalitati tuæ grates refero, quibus apud Balneolum hoc (4) famis tempore misericorditer ex parte maxima providisti. Ne trahat ab illis, obsecro, pietas manum, a quibus nondum famis necessitas se retraxit. Vale.

EPISTOLA VIII.

AD STEPHANUM CARTHUSIENSEM MONACHUM, ET PRIOREM DE PORTIS.

De meditanda Christi infantia et passione.

Fratri et amico sibi in Christi amore verissimo STEPHANO, monacho Carthusiensi, et priori de Portis, abbates de Caroliloco, et de Sarnaio, et novissimus omnium de Persenia, in Spiritu sancto amare feliciter et fideliter reamari.

Ex litteris tuis, amantissime, sumpta est tibi rescribendi occasio, in quibus postulas ut per unum ex nobis tibi uni trinæ nostræ dilectionis unio se tibi uniens, de unico illo bono, aliquid consolationis rescribat. Et id quidem ex animo facimus, annuentes petitioni, et congratulantes affectui, nisi quod parcius laudare debueras, quos interius non vidisti. O quam tutum non est eorum insistere laudibus, quos adhuc conscientia peccati cauteriat, ne sic laudatum, quod facile evenit, tentet elatio, sicut notare consuevit adulatio laudatorem! Verum apud impuras mentes hoc agitur, quas non elimat sancti amoris sinceritas, quemadmodum tua elimari et liquefieri in nos felici experientia comprobamus. Igitur quia nos tres artificio sancti Spiritus in funiculum casti amoris triplicem intorsisti, quo se tua innodaret affectio sicut in se, cum triplex sit, facile non poterit rumpi, sic a te, cum tenax sit, difficillime poterit denodari. Spiritus sancti artificiosa dignatio funiculum istum intexuit, qui tanto est in se ex glutino individuæ charitatis tenacior, quanto ejus constructio suavior est colligatis. Quam felicius est his astringi nodis, his vinciri nexibus, his a theatrali mundi petulantia vinculis retineri, quam sæcularibus implicari negotiis, quam vitiorum arctari perplexitatibus, quam carnis illecebris retineri! O sancti amoris jugum, quam dulciter capis, quam gloriose illaqueas, quam suaviter premis, quam delectabiliter præmiis honoras, quam feliciter uris, quam fortiter stringis, quam erudis sapienter! O felix amor, ex quo eruditur strenuitas morum, affectuum puritas, subtilitas intellectuum, desideriorum sanctitas, claritas operum, virtutum fecunditas, meritorum dignitas, sublimitas præmiorum! o felix amor, cui est in mundi contemptum ambitio, in vitia zelus, in peccata odium, in carnem pugna, in prosperis moderatio, in adversis patientia, concupiscentia in promissis æternis! Hic amor nos unit, hic nostræ unioni te copulat, et qui unius moris in domo Dei nos efficit, ad unum vineæ unius denarium de sanctæ unanimitatis perseverantia per Dei gratiam aliquando promovebit. Verum interim nutriendus est amor, pascendus est alimentis sapientiæ, matris gratiæ blandimentis dulcioribus confovendus. Parvuli sumus, lacteis opus habemus sorbitiunculis; sed quæ nostræ Virginis... insumatur. Ideo ad partum hujus consulte refugimus, de diversorio parientis eligentes non regredi, ut ad sacrosanctum pectoris virginalis sacrarium plena ubera ebibamus. Mater nostra est, et mater dulcissima; abesse a tanta dulcedine teneritudo lactentium non valeret. Alibi interim non possemus esse tutius, nutriri dulcius, confoveri suavius, custodiri firmius, instrui melius, sanctius renovari. Quam jucundum est Verbi infantis se coaptare cunabulis, præsepi assistere, locum non habere alibi quam in diversorio, ubi puerperæ non est locus! *Non erat*, inquit, *ei locus in diversorio* (*Luc.* II); ideo eum in præsepio reclinavit. Non contingat nobis a diversorio illo divertere, ab illo averti præsepio, ubi in hordeum animalium frumentum versum est angelorum. Ex quo enim granum frumenti cœlestis in terra cecidit, quasi in se hordei saporem et spem piis jumentis exhibuit, dum et Deitatis suæ medullam tunicavit folliculo mortalis corporis, et se necessitatum mearum exasperavit aristis. Sed et nunc figuris quasi quibusdam pallearum folliculis medulla involvitur veritatis. O cum ad statum venerit homo mortalis angelicum, nulla tunc cibo ejus asperitas inerit, quem nuda Veritas ex adipe frumenti plenissime satiabit. Sed quid nos perfrui et fragiles de jumentorum oneribus, aut angelorum honoribus dicimus, qui præ teneritudine infantiæ nostræ maternis adhuc delinitionibus indigemus? Satis est nobis, si materno incumbere pectori, si permittatur inter ubera commorari. Inde fluenta gratiæ, inde nutrimenta humilium, inde fluentis fluminis impetus civitatem Dei lætificans, inde lac et mel summæ suavitatis erumpunt, inde in virum perfectum noster adolevit par-

(4) Hac de fame loqui videtur breve *Chronicon Elnonense* ad annum 1197: « Viatici copia deficiente, fit fames acerbissima, et clades vehemens. »

vulus, qui se in puerum de magnitudine cœlesti abbrevians, nos sibi in collactaneos adoptavit. Putasne amantissimus puer collactaneis suis invidet viscera matris, aut matris ubera, qui ideo ipsam elegit in matrem, ut esset etiam ipsa humilibus in nutricem? Cum igitur asperitate hordei vesci non soleat teneritudo infantium, et minus sit ad esum frumenti idonea; interim nutriantur uberibus, et molliori matris gremio foveantur; discant se Verbi coaptare cunabulis, piæ simplicitati colludere, balbutientis commutire vagitibus, adjocari infantulo corridenti.

Tota hæc est philosophia simplicium, dum interim defuerit ætas virtutis provectior, quæ solito cibo uti idonea, perferendæ sit accommoda passioni. Si hujuscemodi ludis Odonem tuum adhibere volueris, non solum non abnuimus, sed etiam cum lætitia suscipimus huic innocentiæ colludentem. Est enim ipse amator simplicium, et nostri dilector verissimus, licet tu in amorem ipsius privilegium merueris obtinere. Assume tecum hominem, et intra Verbi diversorium, ipsum nobiscum constitue, ut de nostræ Virginis partu pari lætitia jucundentur. Si pastores advenerint inter signa deferentes angelica sine nobis, de tantæ rei mysterio non mirentur; si stella magos adduxerit, advenientium participentur lætitiæ, et illis mystica deferentibus, nos quæ illis signata sunt offeramus. Nec dubium apud te aurum abundare quod offeras, qui præ auro Hierusalem sterquilinium Babyloniæ contempsisti. Providendum est tibi ut de auri tui copia tui suppleas cantoris inopiam, qui adhuc specietenus huic mundo deserviens videtur et ipse ex animo lutum sæculi calcare. Felicius erit desiderium cordis habitu prætendere corporis, et Dominicæ stigmata passionis præferre in facie actionis. Verum multa est illi in auro tuo fiducia, nec potest nobis lætitiam suæ bonæ voluntatis abscondere, quod te quasi thesaurum in agro abscondito meruerit invenire. Ubi enim cœlestis sapientiæ splendor rutilat, ubi ignitæ charitatis fervor, vel fulgor efferbuit, aurea sunt ibi sæcula, ibi abundat quo regii pueri dignitas honoretur. O si incensum divinæ orationis Verbi offeramus incunabulis, et ita divinum illud thurificemus altare, ut totum puerperæ Virginis diversorium bono impleamus odore! Ibi certe dignum est non solum flamma fervoris devotæ orationis incendere thura, sed et igne amoris virtutum concremare aromata, ut testimonio aromatizantis conscientiæ non desit suaveolentia bonæ famæ. Felix qui aurum et thus puero nostro obtulit, felix qui sacrificio tali myrrham adjungit! Vides quia puer noster interim myrrham non offert, sed suscipit, et nos qui ei collactanei sumus, quomodo passionum amaritudines offeremus? Offeremus tamen, cum eo nos usque gratia ejus provexerit, ut dura pati et aspera ætas virtutis robustior possit. Interim passionis asperitas, amaritudo myrrhæ teneræ ætati non congruit, nisi quod myrrha arcere vermes a conditis corporibus consuevit. Ergo in fide passionis et mortificatione carnis myrrham magis suscipimus, quam offerimus, qui etsi ad fortia mittere manum non possumus, nos tamen utcunque intra Christi diversorium a vitiorum vermibus, a peccati putredine custodimus. Jucundum est nobis philosophari de talibus, et merito in his solemnizat festivitas cordium, ex quibus habet solemnis lætitia incentivum. Merito trinæ unioni nostræ tuum compaginasti binarium, dum cantorem tuum, qui noster est tecum afferens augmentasti multipliciter festum nostrum. Dum enim tribus duos in charitatis compagine conjunxisti, quasi quinque virgines inter non fatuas effecisti. *Quinque*, ait, *ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes* (*Matth.* XXV). O si a quinario nostro illa excludatur fatuitas, quæ a sponsi nuptiis illas quinque fatuas dicitur exclusisse! Fatuum prorsus est de titulo se virginitatis extollere, et in virtute animi rem nominis non habere. O si quinque prudentes fuerimus, et quinquepartitam sensuum continentiam incorrupta fidelitate servemus! Incorrupta fides, immotumque continendi propositum faciunt mente virginem, facit autem amor justitiæ sapientem. O prudens virginitas! o prudentia virginalis, quæ, dum studio charitatis suæ actitat, recte virgo, id est fide mentis integra perseverat! Felix cui datum est hujus gloriæ virginitatis jungere lilium corporis virginalis! Vernat intus, vernat et foris virgo carne et spiritu, præferens rosam amoris, carne lilium castitatis. Prudens virginitas unctioni est amica, oleo non caret lætitiæ, sine lampade et oleo non procedit, et lampadem quidem habet de perspicuitate puritatis vitream, de paupertate voluntaria strictam, deorsum et clausam, de concupiscentia æternorum latam, superius et apertam. Sed unde habebit oleum, nisi se contineat intra puerperæ nostræ diversorium, nisi se colligat ad Virginis partum. Ipsa quippe est oliva fructifera; oliva, inquam, speciosa in campis, ut gratia ejus et misericordia omnibus sit communis. In campis posita florem campi protulit, ex cujus amœnitate pulcherrima campestria sibi humanæ turpitudinis nuditas procuravit. Campestria sunt perizomata velamenta turpitudinis, quæ dum flore isto sibi consumit, quicunque per fidem et amorem virginei partus criminum verecunda deponunt. Cavendum est nobis, ne simus expertes olei, ne de fatuis virginibus reputemur. Habemus puerperam nostram quasi olivam fructiferam: quæ, cum sit mater misericordiæ, oleum lampadibus nostris infundit, et cum sit regina justitiæ, ignem dilectionis accendit. Acceptis jam et accensis lampadibus, ad nuptiale Simeonis gaudium occurramus. Honestas certe sanctæ conversationis gerit in nobis vicem lampadis, cum sit paupertate stricta et castitate clausa inferius, perspicua puritate interius, charitate superius dilatata, cœlestium contemplatione aperta. Acceptis itaque, ut dictum est, lampadibus nostris, accepto oleo de visceribus matris Virginis, mutuato luminis radio a

stella maris, in lætitia cordis jungamus nos lætitiæ Simeonis. Nunquid sine nobis parvulus noster in templo præsentabitur, aut sine nobis Simeon de nostra consolatione lætabitur. Non expedit nobis parvulum illic abeuntem deserere, vel Simeonis illuc præconia non audire. Totum quippe quod agitur in nostræ festivitatis lætitiam dedicatur. Sed nunquid qui puero nostro aurum, thus et myrrham cum magis obtulimus, pro eodem retrahendo columbam, et turturem offeremus? Non deerunt etiam nobis hic columbina simplicitas, et de incolatus prolongatione castitas, quibus si paritas geminæ charitatis infuerit, Jesum sibi nostra devotio retinebit. Ubique pueri puerum sequuntur, si eum in munditia corporis et cordis innocentia commutamus. Ipso proficiente ætate et sapientia apud Deum et homines, nos quoque incrementa sumamus de consimilibus alimentis. Semel ei adhæsimus, collactaneos suos in omni tribulatione non deseret, et inter tentationum molestias confortabit. Quos fecit in se crescere, non sinet in se deficere, sed perficere, et occurrere in virum perfectum solita largitate præstabit, si in his quæ in illo vidimus, aut de illo audivimus facta per ipsum et audita ab illo sedula intentione vixerimus, quantum putas in fide ejus et dilectione crescemus? Sic opus est certe ad crucem properantibus, quia nisi solidiori cibo et largiori usi fuerint, timendum est ne passionis pondus sustinere non possint. Hic jam intueri libet juvenem nostrum summam patientiam in patibulo præferentem, quem vidimus puerum in præsepio summam innocentiam demonstrantem. Quam dignum esset, ut quos habere voluit collactaneos in infantia, commilitones haberet in pœna? Qui ergo astitimus vagienti in cunis, cur non patienti assistamus in clavis? Cur non ruimus in oscula et amplexus pendentis, cum nos ad hoc brachiis invitet extensis? Propter nimiam charitatem, qua nos immeritos diligit, ad clavorum confixionem manus et pedes extendit. Caput spinis coronandum sine contradictione exhibuit, quod vix tremebundus Baptista tangere ausus fuit. A sputis et colaphis beatam illam faciem non avertit, in qua insatiabiliter sublimitas angelicæ puritatis intendit: insatiabiliter dico, quia, etsi dum Jesu visioni plene reficitur, nullum tamen ex satietate fastidium generatur. Est eis in plena satietate plenum desiderium, et in plenitudine desiderii omnium satietas est bonorum. Libentius forte audires nos loquentes de talibus, sed in magnis et mirabilibus super nos ambulare timemus. Revertamur potius ad id quod pro tempore congruit; nobis redeamus ad consolationem victimæ salutaris. Considera quia os Verbi incarnati innoxium, ex quo sapientiæ cœlestis flumina profluunt, in sua siti fellis potatur amaritudine et

A aceti. Miro modo Rex justitiæ totum se exponit injuriæ et nocentis lancea militis latus transfigitur innocentis. Non attendis in virgineo Agni corpore aperiri quinque virginibus fontes quinque. Quam feliciter quinque sumus, si, ut supra dictum est, prudentes virgines non fatuæ existamus! Habent enim prudentes virgines duos fontes in Agno pedibus, in quibus ex spe misericordiæ cordium diluantur affectus. Habent et duos in confixione duarum manuum, ex quibus largiter et magnifice profluunt munera gratiarum. Fons quintus ex Agni latere profluit, qui de profundiori abysso ex parte cordis oriens, profusionis gratiæ fluvium mittit. Inde nimirum effluit et supereffluit, ubi omnes sapientiæ et scientiæ thesauros in se absconditos B Christi plenitudo custodit. Hujus fluminis impetus totam Dei civitatem lætificat, totam terram ad germinandum inebriat, nec esse potest in ea aliquid boni germinis, nisi de irrigante irriguo hujus fontis. Utinam, frater charissime, unio nostra intendat hæc studiose mirari, meditari assidue, pie venerari, ardenter diligere, contemplari subtiliter, fideliter exoptare! Si in cellis cordium nostrum huic philosophiæ perseveranter institerimus, si huic uni bono individua mentium unione adhæserimus, vere erimus monachi, nostræ unionis quinarium unientes uni sanctæ et individuæ Trinitati. Ipsa enim beata Trinitas et trina Unitas est unica sanctorum exspectatio, et laborum sanctorum felix remuneC ratio in cujus desiderio nos faciat unanimiter vivere, qui nos fecit per amoris compaginem unum esse. Verum quia peccatores et miseri sumus, et procellis expositi magni maris, ad maris stellam leva oculos cordis, ut quæ nobis Solem justitiæ protulit, injustitiæ nostræ quærere veniam nunquam desit, amicos nostros, quos in Spiritu sancto diligimus, orationibus tuis et tuorum commendamus attentius, non solum eos quos meruisti cognoscere, sed quos te constat in nostris cognitionibus possidere. Habeat hic epistola finem, sed finem non habeat amor, et probet effectus operis quam intentus sit affectus amoris. Amen, amen.

EPISTOLA IX.

AD COMITISSAM PERTICENSEM (5).

D *Præclaram ei vitæ formam præscribit.*

Dilectæ suæ in Christo illustri comitissæ Perticensi, frater A. peccator, salutem in Spiritu sancto.

Deposcit a me tuæ devotionis instantia, ut te aliquibus litteris de animi virtute commoneam, et incitem ad desiderium æternorum. Felix plane et laudanda petitio, et utinam esset apud me unde felicem sortiretur effectum! Verum magna est animæ illius temeritas, cui non se unctio Spiritus sancti infuderit, nec habere potest aliunde unde sibi vel alibi profectus materiam subministret. Ad

(5) Mabot (*Mahaut*), ut videtur, Blesensem, Theobaldi Magni, Campaniæ comitis, filiam, quæ Rotroco, hujus nominis tertio, nupserat; seu Mathildem Saxonicam, Henrici Leonis filiam, Godefridi III, Rotroci filii, conjugem: alterutram enim videntur innuere verba, *juxta exigentiam alti sanguinis tui*, quæ infra occurrunt.

Spiritum proinde sanctum corde convertamur et A animo, et tu audiendo illi inhæreas, et ego de illo hauriam, quo tu salubriter docearis. O quam illi opus est munda mente et humili, qui se in Spiritus sancti dedicat officinam! Officiosa nimirum humilitas, dum omnem fastum elongat superbiæ, et e diverso fit initium sapientiæ timor Domini; sollicite providet prudens humilitas, ut illi incommodo hoc remedium opponatur. Dum itaque motibus elati timoris opponit se timor humilis, animam non patitur sordescere peccatis. Cæterum qui sine timore est, non justificabitur; quia, dum negligitur aditus cordis, a penetralibus animæ superbia non arcetur. Virtus humilitatis et per timoris spiritum exstinguit superbiam cordis, et nihilominus carnis terit superbiam sanctæ remedio parcitatis. Amica sane B est Spiritui sancto humilitas et mundum semper ei præparat habitaculum, cui displicere non ambigit cor immundum. *Super quem*, ait Dominus, *requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum et trementem verba mea?* (*Isa.* LXVI.) Ubi certe humilitas, ibi quies, ibi timor, reverentia mandatorum. Humilitas te tibi homo ostendit quid sis, quid fueris, quid postmodum sis futurus. Paulo ante nihil eras; incipiens esse vile semen eras, nunc vivis vile vas stercorum, paulo post vermium esca eris. Quid superbis, terra et cinis? Quid conditionis propriæ oblivisceris? Quid non te citius morituram esse recordaris? Quid intendis mundo qui labitur, qui in percussionis suæ fragoribus ruinam sui amatoribus C minitatur? Fallax plane est gratia et vana est pulchritudo, quæ non modo non faciunt longum gaudium, sed evanescunt citius in lamentationis æternæ tormentum. Non sunt amanda quæ transeunt, non sunt amplectenda quæ fugiunt. Illis potius insistendum quæ feliciter permanent in æternum. Obstruenda est via vitiis, peccatis præfigendus est terminus; ad lucem respirandum est gratiæ, ut nobis infulgeat dies gloriæ et honoris. Fugitivi mundi abjicienda est vanitas, mortificanda est voluptas lubrici corporis, resecandum est omne superfluum, ut sancta frugalitas in Dei filiam te adoptet. Sobrius est spiritus vitæ, intemperantiæ nihil. Non divertit ad animum, a quo frugalitatem viderit exsulare. Non interest ludis aleæ, non ei D est cordi schaccorum otiosa sedulitas, ipsius puritati non congruit scurrilitas histrionum. Non affectat divina puritas longos vestium tractus, ad nihilum aliud necessarios, quam ad concitandos pulveres, et ad gressus festinantium retardandos. O superflua vanitas! o inutilis ostentatio non sufficere pretioso cultui adornare sterquilinium corporis, nisi etiam longiori tractu concitati pulveres attrahantur! Ad injuriam oculorum et narium hoc perfecit cordium effeminatio, quia et oculos claudere et nares obstruere, et avertere faciem solemus, ab hujusmodi pulveribus tali artificio concitatis. O infelix et prioribus incognita prorsus adinventio, quæ iter impedit et visum offendit! Iter, inquam, impedit, quia superfluæ vanitatis ostentatio a veritate sectanda cor avertit; visum confundit, quia, dum per intuitum effeminatæ consuetudinis tentatio spectantibus ingerit se, ab intuenda cœlesti pulchritudine oculos rationis abducit. O consuetudo immisericors, ut unde debuit contegi nuditas pauperum, contegas et contrahas pulveres platearum. Non erubescunt feminæ nostri temporis probrosæ assimilari vulpeculæ, ut sicut bestiolæ illæ pollent longioribus caudis, sic istæ gloriantur in longis tractatibus fluxæ vestis. O quam sæpe, quod pejus est, de prædis pauperum, de spoliationibus viduarum, de exactionibus pupillorum vestes hujusmodi conquiruntur! Hinc habentur mutatoria in perticis, hinc sumuntur impensæ in sumptuosis beneficiis, hinc saginantur ventres in conviviis accuratis, et ab illis habet nobilitas sæculi cibos lautiores, et quæque pretiosa, qui pene assidue vivunt in paupertate suprema. Utinam tu, filia, ista sæpe recogites, nec juxta exigentiam alti sanguinis tam affectes huic sæculo conformari, quam placere illi studeas, qui altissimi Patris Filius voluit humiliter humanari! Pensa quid illi debeas, qui et te de nihilo fecit, et sua signavit imagine, similitudine insignivit, visitavit incarnatione et conversatione docuit, redemit passione, glorificavit resurrectione, sublimavit ascensione, Spiritus sancti gratia confortavit? Totam te illi debes qui se totum tibi contulit, licet te carnali marito placere oporteat; ille nihilominus jus suum in te repetere non desistit. Certe licet animam et corpus creaverit, licet utrumque juris ipsius sit, jus tamen tui corporis interim pro lege conjugii viro cedit; sed animam sibi vindicans, in jus alterius transire non sinit. Carnalis maritus sponsus est carnis tuæ, Deus tuus sponsus est animæ: neutrum tamen eorum nulla commovet zelotypia, dum ubique permaneas fidelis et casta. Cœlesti sponso debes animæ pudicitiam, sicut carnalium carnem exhibere pudicam. Ille pudicitiam animæ tuæ dotavit splendoribus angelorum, quam dotem in fidei mysterio et spei certitudine suscepisti. O si dotem hanc diligas, si sponsum hunc quasi parum tibi dederit non asperneris! Nobilibus es orta natalibus, et secundum carnem regio procreata et sanguine vel semine; sed incomparabiliter es ex dote ista nobilior, qua te sponsus ille nobilis investivit. Intende illi, illum dilige, ad illum suspira, quia ipse dulcor unicus, pulchritudo summa, gaudium singulare, ne propter alium jus suum illi negaveris, et cum iste carnalis vitæ afficitur, tu in illo cœlesti affici spiritualiter delecteris. Justus quippe est, imo ipsa justitia, conjugii legem ipse instituit, et cum reddis unicuique quod suum est, tu quoque expers cœlestis justitiæ non existis. Sic igitur in carne tua jus suum exhibeas viro, ut Deum non spolies jure suo, quia non cedet tibi in prosperum, si usurpative jus in alterius usum transferas alienum. Alligata es viro, teneris ex necessitate

illi obsequi in quantum contra legem matrimonii A nihil disponit. Ille enim est præferendus in omnibus, qui et in carne mortali transitorium ordinavit conjugium, et immortali animæ immortalem se dedit sponsum. Illam proinde tui partem secundum quam desponsata es Christo, pretioso cultu exorna virtutum, ut bonorum operum sobolem concipias de Spiritu sancto. Quidquid boni cogitas, quidquid boni loqueris, quidquid boni operis agis, totum de Spiritu sancto concipis, nec aliunde potest concupiscentia animæ fecundari, quam de conceptione gratiæ Spiritus sancti. Summa itaque vigilantia opus est, ut omni custodia serves cor tuum, si tamen dedicasti illud in Spiritus sancti habitaculum. Quod si non feceris, quid agis? Qualis vel quomodo sustines diem mortis cominus venientis? B Veniet, veniet, et cito veniet certissimæ mortis incertissima hora, et felix tu si, cum venerit, invenerit te paratam. Sit igitur tibi humilis animus, castum corpus, torus immaculatus, habitus moderatus, victus sobrius, vultus verecundus, sermo pudicus, munifica manus, quæ pro facultate indigentibus necessaria largiatur. Alioquin non poterit excusari conjugium, præsertim cum non de imperio, sed de indulgentia concedatur. Nota quia indulgentia dum meliora non eligit, remedium quidem habet, sed præmium non acquirit. Igitur conjugium quod de indulgentia concessum est, instituitur ad remedium, et ipsum ineffcax, nisi trium honorum observantia defendatur. Primum, est fides; secundum, spes prolis; tertium dicitur sacra- C mentum. Fides est, cum sic se invicem servant, ut nec alterutrum a carnis debito fraudent, ne dum vivunt copulam alienam requirant. Spes prolis est, ut eo studio et intentione conveniant, ut de fidei sacramentis erudiant et Dei cognitione informent quod gignunt. Sacramentum est, cum duo in carne una viventes ita similitudinem Christi et Ecclesiæ sua unanimitate exprimunt, ut nulla ratione tam individuæ unionis divortium quærant.

Si tribus his bonis conjugium a culpa defendentibus, opera misericordiæ et pietatis adjunxeris; si in ipso licito carnis opere modum mensuramque tenueris; si dies solemnes et jejuniorum ferias profectibus animæ deputatis in hujus carnis usum D non usurpaveris, nequaquam a salute longe eris. Ideo mater ejus dies illos instituit, ideoque tempora jejuniorum observantiis deputavit, ut quidquid in carnalium transactionibus culpæ admittitur, confessione, oratione, eleemosynis, in his temporibus diluatur. His temporibus convenit animam vacare et videre quam suavis est Dominus, quæ abunde experitur in aliis temporibus, quam fœda est caro, quam vilis est mundus. Ecce, amantissima mea, formulam hanc me tibi depingere coegisti, ad quam si viam tuam et vitam correxeris, et tibi gloriam, et mihi lætitiam adaugebis. Ille tibi vires tribuat, ille te, sponsumque tuum, sobolemque tuam, in omni pace et salute custodiat, qui se diligentium vota semper prospicit, et felici perseverantiæ in præmium se exponit. Vale.

EPISTOLA X.

AD GUILLELMUM NOBILEM ADOLESCENTEM.

Timorem Dei in primis et Mariæ Virginis cultum ei commendat.

Guillelmo suo bonæ indolis adolescenti, frater A. peccator, vanam sublimitatem alti sanguinis nobiliori morum gratia et gloria transvolare.

Postulas, fili, et instanter petis tuis litteris meis aliquam tibi virtutum formulam excidi, cui tuæ initia imprimas juventutis. O vere laudabilis, et digna omni exauditione petitio, quæ signum futuræ sit evidens probitatis! Utinam subesset mihi ratio, suppeteret ingenium, scientia infulgeret, afflueret eloquentia, quo te vere propheticis studiis informarem! Puerum sane insignem moribus, generis sublimitate conspicuum, non decet ignobili degenerare studio, nec inanis scientiæ fallaciis dementari. Veritate opus est, non mendacio; certitudine, non fallacia; stabili inhærendum est, non mobili; pleno incumbendum est, non vacuo; solido innitendum est, non inani. Qui aliter fecerit, casurus est, et risum merito suo faciet spectatori. *Filii hominum, usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium* (*Psal.* IV)? cum neutrum, sive vanitas, sive mendacium sit mansurum. Utrumque malum, utrumque vanum, nec aliqua ratione vestra dilectione est dignum; quod utrumque est damnabile et damnosum. Est solida veritas, et vera soliditas, quæ diligatur securius, quæratur justius, utilius teneatur. Ipsa est animi virtus, Verbi videlicet incarnati dilectio, quem nosse vivere, cui servire regnare est, et diligere sola salus. Ipsa est philosophia humilium, simplicium sapientia, lætitia proficientium, pervenientium plenitudo. Disce, fili, huic philosophiæ intendere, et tuis honorare principiis, ut et tu ipsius initium consequaris. Hujus initium sapientiæ timor est, qui dum ad liberalium artium scientiam parvulos nutrit et erudit, vitiis quibuslibet ferulam suæ correctionis opponit. Sub timoris magisterio tenera parvulorum initia convenit erudiri, ut ad disciplinas, quas diximus liberales, possint liberius postmodum promoveri. Timor amico verbere castigat animum, ne aut de generis, aut scientiæ nobilitate superbiat, ne de corporis incolumitate lasciviat, ne de successibus, aut lasciviis insolescat. Bonus magister timor est ubique, animum continua lectione sollicitat, ne interruptis seriis, ad otia vanitatis divertat. Denique de parcimonia in conviviis legit, in cubilibus de pudicitia, de frugalitate in colloquiis, in actionibus de justitia, in moribus de innocentia, in obsequiis de modestia, de disciplina in cunctis. Fili, si hujus magistri ferulæ adolescentiæ tuæ manum non subduxeris, faciet te Dei docibilem, ac per hoc mortalis sapientiæ non ignarum. Dei quippe agnitio immortalis est sapientia, et si dilectio cognitioni adfuerit, bonum te facient et beatum: bonum pri-

mo, beatum postea; quia ad beatitudinem gradus est bonitas, sicut fructum in naturalibus flos præcedit. Ubi se bonus in florem non fuderit, inanis est fructuum exspectatio, nec illi beatitudo speranda est, cui bonitas non infloret. O si juventus tua floris hujus amœnitate vernaverit, vernantique pulchritudini etiam odoris suavitas societur! Huic certe flori non desinit decoris amœnitas, et odoris suavitas, quia gravitas disciplinæ et opinio bonæ famæ inserviunt bonitati. Verum floris hujus genus multiplici diligentia colitur, et ad hujus philosophiæ mysterium, septem quibusdam gradibus, quasi totidem disciplinis liberalibus pervehitur. Prima est artium istarum humilitas, per quam et homo ad sui cognitionem reducitur, et contemnenda sæculi vanitas edocetur. Secunda est pudicitia carnis, quæ carnalibus adversatur illecebris, ut antidotum continentiæ incentivis libidinum opponatur. Tertia est sobrietas, mater continentiæ, vel pudicitiæ quæ dum recidit omne superfluum, insolescere non patitur corpus celeriter moriturum. Quarta est veritas quæ, dum regulis justitiæ linguam erudit, vanitatem et mendacium labiis interdicit. Quinta est benignitas quæ, tam cauta circumspectione erga omnem hominem agit, ut nulli faciat quod juste pati ipsa non velit. Sexta est pietas, quæ tam larga liberalitate fraternis se necessitatibus exponit, quanta sibi subveniri in sua necessitate requirit. Septima est charitas, quæ, Deum tanto amore complectitur, ut mandatis ejus nullatenus reluctetur. Ex his septem disciplinis liberalibus provenit bonitas cui summe bonus beatitudinem pollicetur. Quæ disciplinæ merito liberales dicuntur, quia quos ad cœlestem philosophiam instituunt expeditos et liberos et libertatis spiritu plenos reddunt. De timoris autem magisterio, de magistri hujus auditorio artes istæ dicuntur, quia procul dubio, qui timoris renuit esse discipulus, nec bonus esse poterit, nec beatus. Scriptum quippe est: *Qui sine timore est, non justificabitur* (*Eccli.* I). Cum igitur timor sit initium sapientiæ, si sapere cupis, Deum time. De ipsius amore taceo; quia satis est tibi interim per timoris initium vitiis resistere lubricæ juventutis, donec processu temporis ad virtutes proficias: quod ex studio fit amoris. Cum enim initium moribus sit animæ, cui unitus est, sanitas, satis est interim morbi causas excidere, ut non fomenta vitiis ministrentur. Cæterum, fili, in fine epistolæ unum tibi consulte suadeo, quod sicut est jucundum et facile, ita et honestum, et utile, et plenum gloriæ et honoris. Mariam cole et dilige, illam venerare et lauda, illi mundis et medullatis studeto placere obsequiis, quam sic non dubites totius dulcoris et odoris præferre plenitudinem præcellentem. Illam tibi in matrem suscipe, in nutricem dedica, elige in sponsam, in amicam constitue: quam cum charitatis tuæ dono investieris, et amoris ejus suavissimi prædulcia oblectamenta persenseris, nullam prorsus aliam contingere patieris.

A O felicem violentiam qua regnum cœlorum diripitur, quia revera maxima opus est violentia in carne fragili et corrupta perseverantis pudicitiæ propositum custodire! Illis tamen est facile, quos illexit amor nostræ Virginis, quæ cum sit ubique imperiosa et præpotens, est etiam ex miseratione gratuita, si illam amaveris, tuumque illi dedicaveris corpus, tibi etiam non deerit amor meus. Alioquin quomodo potero vel illum respicere, cui tantæ suavitatis delicias videam non placere? Vale, vive et dilige quam diligere est, vivere et valere.

EPISTOLA XI.

AD G. MONACHUM PONTINIACENSEM.

Formam instituendorum novitiorum ei præscribit.

Fratri et amico in Christo charissimo G. mo-
B nacho Pontiniacensi, frater A. peccator, salutem in Spiritu sancto.

Importuna nimis instantia me, charissime, compulisti, ut tibi de ædificatione animæ aliquid scriberem, et maxime quod ad institutionem novitiorum pertineat et doctrinam. Rem certe postulasti difficilem, ut quo modo novitii instituantur edoceam, qui nec fui in mea conversione novitius, nec adhuc in mea hac conversione [*f.* conversatione] maneo innovatus. Cum enim aliquando canonicæ sinceritatis albedine infelici commercio in monachum denigraverim, et nunc, Deo volente, de plena illa et peregrina nigredine ad candorem virginis liliosæ reversus sim, licet me pœnitentem misericors illa susceperit, non tamen in novitium me
C recepit. Et certe cum veteratæ deformitatem nigredinis nondum a me præsumptæ institutio novitatis obliteret, quo pacto philosophari me compellis de sanctæ splendoribus novitatis? Novitius enim, si rem sui nominis tenet, eo a veteris hominis deformitate exuitur, quo in novi hominis pulchritudinem per correctioris vitæ studium reformatur. Ego, ego nondum exutus a veteri necessario tibi excidere formam novi. Verumtamen ex debito sponsionis meæ teneor dicere aliquid, quia instantia tua promittere me coegit. Igitur quia novitii a novitate transsumuntur, quæ sit ipsa novitas, quæ vetustas illi contraria inquiratur. Et quia non prius quod spirituale est, sed quod animale, de veteri homine
D prius videndum est.

Quatuor sunt in quibus hæc vetustas potissimum consideratur, scilicet amor mundi, cura superflua proprii corporis, usus peccandi, defensio peccati. Amor mundi triplici animum vetustate corrumpit: accendit enim eum ex desiderio dignitatis, inflat eum appetitu vanæ laudis, onerat et aggravat divitiis quæstuosis. Hæc omnia, aut de cordis superbia veniunt, aut eidem superbiæ fomenta suggerunt et supponunt. Illum vero animalis corruptionis dispendio necesse est antiquari et senescere, et ita propinquare ad interitum, quem constat veneno superbiæ esse infectum. Antiquus enim serpens, dum initium omnis peccati superbiam humanæ naturæ in suis adhuc vitiis venenatissime instilla-

vit, dum suæ veternosæ antiquitati illam obnoxiam A fecit, indulta beatæ novitatis gloria spoliavit. Quem igitur per superbiam terrenæ dignitatis inflat ambitus et extollit, ventosæ laudis anhelatio exsufflat et subruit, avaritia ex quæstu divitiarum in pulverem spargit et perimit; hic talis ex multo vitiorum senio veterascit. Et hoc quidem solet amor sæculi in suis sectatoribus operari. Cum enim mundus in maligno positus sit, et nequissimum sit ipsum quærere, cum vanitas sit et umbra volatilis, et insanum sit post ipsum currere, non sanæ mentis est, sed desipientis hunc amare. Nam quid est amor mundi, nisi quædam phrenesis animi quæ, dum nescit quæ sursum sunt quærere vel sapere, sed quæ sunt super terram, quasi a sensu bonæ valetudinis mentem efficit alienam? Qui itaque novitiari B desiderat, a vanissimæ vetustatis ejus insania cor avertat; alioquin non poterit novis sapientiæ interesse studiis, nisi prius, amota insani amoris amentia, factus fuerit compos mentis. Verum tunc primo ad mentem redire incipit, cum jam stabili proposito de sæculo deserendo disponit, satagens ut extra limen propriæ domus mundi eum non comitetur affectus; sed in ipso limine quo de propriis rebus cœpit egredi, ibi incipiat mundo mori. Non, inquam, debet eum mundi amor prosequi ad portam monasterii, quia ibi secundum facit gradum, ubi etiam relicturus est corpus suum. Hinc est quod Deus ad Abraham sic locutus est, dicens: *Exi de terra tua, et de cognatione tua, et veni in terram, quam monstravero tibi* (*Gen.* XII). Terram quippe C bonam et optimam, terram lacte et melle manantem non videre, multo minus intrare idoneus, nisi prius a terra spinas et tribulos germinante, et a cognitionis carnalis affectu robur mentis effeminante exisset. Hinc est quod animæ quam instruit Spiritus sanctus per Psalmistam, sic dicit: *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam* (*Psal.* XLIV). Audi, ut credas, quia fides est ex auditu; vide, ut diligas, quia multum proficit dilectio ex affectu; inclina aurem tuam, ut obedias et jussa peragas, quia dilectio comprobatur ex actu. In quo autem obedies, obliviscere populum tuum, et domum patris tui; alioquin non concupiscet rex decorem tuum. Non, inquam, erit in te decor, qui sit in D concupiscentia regis, nisi de terra tua et de cognatione tua exiveris, nisi domum patris tui et populum tuum oblita fueris, nisi per oblivionem vitiis carnis et concupiscentiis moriaris. Hinc est quod per seipsum Dominus in Evangelio sic ait: *Qui non reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut agros, propter nomen meum, non est me dignus* (*Matth.* XIX). Et certe si propter Deum relinquenda sunt licita et necessaria, quanto magis pro eo illicita et superflua devitanda? Sed quia fugitivum mundi perduximus ad portas monasterii, ut secundum innovationis suæ faciat gradum, qui in exitu de Ægypto fecerat primum, nos quoque currentis orationis hic gradum figimus, ut recepto paululum spiritu, hic secundum hunc gradum et ejus considerationem fortius ascendamus.

Forsitan, charissime, dum hæc legis, irasceris; et qui tibi petieras destinari utilia, forsitan irrides minus necessaria scriptitantem. Sane cum excusationem nolueris, sed nec dilationem recipere, factus sum insipiens, tu me coegisti. Verumtamen quod semel cœpi, non desinam prosequi; et si petitioni tuæ non sufficiam, meæ tamen utcunque satisfaciam sponsioni. Tibi enim, non juxta velle tuum, sed juxta posse meum, spopondi me, si recolis, pariturum. Igitur qui, convertendi studio, primum innovationis suæ gradum fecit in contemptu mundi, secundum facturus est in ingressu monasterii, in postponenda scilicet cura propriæ carnis, quæ tamen, juxta Apostolum, in necessariis non negatur. *Carnis*, inquit, *curam ne feceritis in desideriis* (*Rom.* XIII). Naturæ consulendum est, non culpæ; necessitati prospiciendum est, non indulgendum voluptati: *Voluptas enim habet pœnam, et necessitas parit coronam.* Et item illud de Regula (cap. 7): *Mors secus introitum delectationis posita est.* Cum igitur ad portam monasterii veneris, et ibi vestem animæ carnem exueris, et quam de mundo tuleras, ipsi adhuc reclamanti mundo remittis. Tuleras quippe vestem hanc de anathemate, de corruptione illam susceperas, enutrieras eam cum vitiis et concupiscentiis, et ideo extra sanctuarium debes dimittere quidquid in ea mundi impuritas potest reclamare. Naturam condidit Deus, auctor culpæ non exstitit; nec nos debemus odisse aut persequi quod suo non remittitur Creatori. Natura fovenda est, et auctoris sui mancipanda negotiis; corruptionem tamen et vitia, quæ a Deo non veniunt, persequamur. *Nemo*, ait Apostolus, *carnem suam odio habuit; sed diligit, et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam* (*Ephes.* V). Verumtamen in tantum carnem deseris, in quantum affectibus suis emoreris, in quantum vitiis suis et concupiscentiis suis valefacis. Intra Spiritus sancti auditorium, nihil prorsus carnis est inferendum; sed solum sine carne introeat spiritus, ubi solis est spiritualibus intendendum. Non debent sane caro et sanguis spiritualibus interesse negotiis, nec ea quæ ad regnum Dei et justitiam ejus pertinent participari digna sunt quæ regnum Dei minime possidebunt. *Caro*, ait Apostolus, *et sanguis regnum Dei non possidebunt* (*I Cor.* XV). Hoc est ergo carnem foras relinquere, nihil ei præter necessaria quærere, et sola illa judicare necessaria, quæ secundum discretionem Patrum potest ordinis forma pati, et locus tribuere quem petisti. Ne remanseris infra, nihil ultra quæsieris, sed regia via incede per medium, quia et superspatiosum est ultra limites Patrum progredi, et vitiosum est infra eorum terminos remorari. Si mediator vis amicitias jungere, si digne vis ministerio mediatricis assistere, vide ne discedas a medio, vide ne quid nimis, ne quid facias sine modo. In oculis homi-

num piis conformare moribus conviventium, sed intus scientia coram Deo, si potes, alios transgredere diligendo, hoc solum est in quo moderator sæculorum nostra delectatur immoderantia, cum nostri amoris in ipsum affectio sine modo intenditur et mensura. Ipse auctor omnium omnia condidit, et quod creaturis contulisse cognoscitur, hoc requirit. Habe pondus, serva numerum, mensuram tene, nec dividi poteris ab auctore. Falsitas non habet pondus; unde fertur et evolat in interitum. Pondus nescit levitas, cor non sinit esse stabile neque firmum. Numerum non servat singularitas, cum sit numerus collectio unitatum. Ubi regnat diversitas, non est collectio, sed divisio unionum. Modum ignorat superfluitas, et nihil ab ea admittitur mensuratum. Falsitatem devitet sancta novitas, ne quid in ea sanctitatis specie simulatorie pallietur. Singularitatem suspectam habeat, ne divisa ab aliis, non cum aliis numeretur. Intemperantiæ superfluitatem effugiat, ne moderatori per immoderantiam reluctetur. Subsistat in pondere gravitatis ad disciplinam, in pondere veritatis ad justitiam, in pondere stabilitatis ad perseverantiam, ne a proposito suo decidat, ne a loco quem elegit abscedat. Beatus plane quem ponderis gravitas reddit stabilem, ratio numeri socialem, moderatio mensuræ frugalem. Stabilem in fide, socialem in charitate, frugalem in conversatione. Quid hic jam carnis remansit, quominus spiritus Spiritui sancto intendere totus possit? Hinc jam ad lectionem tanti magistri, in secretarium animi de variis animæ officiis. Officia diversa conveniunt, et pro deliciis affluentis et influentis sapientiæ de corporalibus cogitare contemnunt. Nam etsi intra monasterium de institutione obedientiæ corporales abundant observantiæ, nihilominus est eorum translatio spiritualis, quatenus agentis intentio sit cœlestis. Sicut enim cœlestia terrena intentione transacta plerumque agentibus carnalia fiunt, sic et carnalia spirituali intentione transacta his efficiuntur spiritualia qui hæc agunt. De cætero sibi caveant qui spirituales esse contendunt, ne se eis Satanas in angelum lucis transfiguret, ne de prætextu salutis negotium perditionis obumbret. Provideant, inquam, sibi, ne sicut in tempore vetustatis suæ habuerunt usum peccandi, ita in tempore novitatis circumspecto careant timore peccati, quia contra peccandi usum solliciti habeant timoris remedium opportunum. Ut enim consuetudo peccandi de insolenti securitate nascitur, ita et assueto timore repellitur; quia, sicut est securitas initium malitiæ et progressus, ita timor Domini est initium sapientiæ et provectus. Hic jam, quia loqui de tertio convertentium gradu aggredimur, opportunum est, ut recepto paululum spiritu, ad exsecutionem sequentium reparemur.

Quantumlibet, dilectissime, ab hoc opere meæ parvitatis dissentias, quod forte dixerim alia et aliter quam sperabas, tamen sicut spero,

A nunquam sic avertes oculum, quin ex integro legas totum. Obsecro autem te, cum legeris, ne me nimis festinus damnaveris; sed prius omnia prospice diligenter, et tunc de his quæ reprehensibilia sunt, opportunius judicabis. Certe cum amicus sis, amici turpitudinem non nudabis, sed satages quomodo apud te sit occultum quod pro vitio suo fore videris occultandum. Ego autem ne reprehensionis formidine videar ab incœptis desistere, nihilominus prosequar quod incœpi. Cui cœlitus datum est pro amore paupertatis, mundi amorem contemnere, et continentiæ laborem carnis voluptati præponere, satagere debet omnimodis ut usum peccandi eliminet timor Dei.

B Sed, dicet aliquis, quomodo potest habere peccandi consuetudinem, qui jam mundum reliquit et carnem? Sed certe qui per mundi contemptum et carnis despectum carnales illecebras devitavit, huic contra spiritales nequitias certamen juge remansit. Quid, si forte retinuerit in affectu, quod effectu relinquit et actu? O quanti hodie sub religionis habitu vivunt, qui, etsi specietenus mundo vel carni non serviunt, in corde tamen reversi sunt in Ægyptum, et interna cogitatione relapsi sunt in peccatum! Speciem quidem sanctitatis actu et habitu præferunt, sanctitatis voto et professione addicti sunt; sed nomen habentes quod vivant, intus mortui sunt; quia, cum foris pauperes et continentes appareant, mente tamen ad gloriam transC itoriæ laudis, vel ad gradum cujuslibet dignitatis aspirant. Cum enim per illa duo prænominata superius, scilicet mundi contemptum, et carnis despectum, spiritus immundus ab homine exierit, cum per loca arida et inaquosa, scilicet corda sanctorum spiritualia, requiem sibi non invenit, ad prioris domus habitaculum semper redire intendit, et dicit: *Revertar ad domum meam unde exivi* (*Luc.* XI). Cum itaque viderit domum illam mundatam quidem a pristinis sordibus, ornatam religiosis traditionibus, vacantem vero a spiritualibus desideriis, et cogitationibus otiosis intentam, tunc ad illam cumulatior redit, et deinceps sibi cautius hanc defendit. Assumit enim, ut testatur Dominus, septem alios spiritus secum nequiores se, et inD gressi habitant ibi. Tunc fiunt novissima hominis illius pejora prioribus: quia, qui ante religionis habitum et votum apparebat quod erat manifeste malus, deinceps intendit quod esse non satagit, videlicet dici sanctus. O quam infelici commercio qui mundum cum immundo ejus principe a Spiritu sancto expulerat, spiritumque suum Spiritus sancti magisterio votiva necessitate subdiderat, iterum expellit, et effugat a se Spiritus sancti gratiam, et spiritum suum immundo remancipat possessori! Ex hoc hypocrita persequitur et effugat Spiritum sanctum, sicut et Spiritus sanctus disciplinæ effugit fictum. Plane Spiritus sanctus non effugeret, nisi persequeretur eum aliquis et fugaret. Persequitur autem ipsum et effugat, qui eum pietatis gratia intentione

pravæ voluntatis abnegat, speciem tamen virtutis ad deceptionem et elusionem gratiæ usurpative retentat. Duplici quidem injuria Spiritum veritatis fictus prosequitur, quod et ipsum a se violenter extrudat, et violentius speciem ejus ad usus contrarios raptor crudelis usurpat. O detestabile malum! o pene inexpiabile facinus sub prætextu mansuetudinis exacerbare summæ mansuetudinem bonitatis? o summa infelicitas, sub novi hominis formam totum conformare se veteri, et sub novitii appellatione et habitu vitiosæ vetustatis retinere senium in affectu! O si post abrenuntiationem mundi, si post abjectionem corporis, negata fuisset janua cordis, vigilantiæ commissa timoris, non intrasset ad cor spiritus fictionis! Solertissimus est enim janitor iste, et amori tam subservit humiliter, et fideliter ministrat, ut nihil omnino quo amoris festivitas perturbetur, admittat. Nunc autem quia et male ostium viatori patuit, immundus spiritus, assumptis secum septem aliis spiritibus nequioribus se, ad suam domum recurrit, ut per septenarium comitantium vitium intelligas in mensura; quia enim septem diebus universa temporalitas agitur, per septenarium universitas designatur. Moneantur ergo novitii ut in tertio gradu se credant timori, quia frustra facti sunt continentes, si aliquatenus sine timoris custodia dimiserunt cordis fores. Beatus plane homo qui semper est pavidus; sicut enim timor Domini malum non operatur, ita qui fuerit expers timoris, esse poterit expers et salutis. Qui sine timore est, non justificabitur; non poterit sapere, quandiu sine initio fuerit sapientiæ. Timor enim est initium sapientiæ, nec aliquid insipidum intus intrare patitur, ubi amor in splendoribus sapientiæ jucundatur. Splendores sapientiæ sunt virtutes animæ, per quas in secretario pii cordis festa continuantur amoris. O felix novitas! o nova festivitas, quæ non in cœno sæculi, sed in cœlo puri animi celebratur! Ad festa hujusmodi invitantur novitii, qui tanto festivius celebrantur interius, quanto vigilantius servat cordis aditum timor sanctus. O quam strenue se habent animi de tanto janitore securi! nec melius omni custodia cor nostrum servare, quam si hunc janitorem habuerimus circumspectum.

De cætero humilitas comes timoris individua tanto securius, quanto secretius cordis disponit officia; et quidquid in luce sapientiæ ordinatum viderit, ad amoris arbitrium ordinat et componit. Humilitas sane nunquam sine contubernio discretionis progreditur; sed tanto se cautius ubique et in omnibus agit, quanto ex timoris familiaritate et consortio semper formidolosa, semper sibi suspecta existit. Humilitas mirum in modum quanto minus se reputat, tanto abundantia gratiarum exuberat; quia nimirum fons sapientiæ, qui de medio paradisi voluptatis egreditur, in illam tanquam in locum humiliorem de supernis influere lætatur. Hinc jam grata et gratiosa humilitas singulis quibusque

A virtutibus suas in mente mansiones constituit, officia singulorum disponit, et nihil tam in corporeis sensibus quam in affectibus animæ geritur, quod non humilitatis timoratæ magisterio gubernetur. Denique intentioni rectitudinem et simplicitatem assignat, rationabilitati deputat sapientiam, et ut præcipuam ibi discretio teneat mansionem, ad irascibilitatem se colligit æmulatio, et zelus Dei secundum scientiam est exercendus. Concupiscibilitatem partitur charitas, geminoque in Deum et proximum hanc inflammat affectu. Intellectum irradiat veritas, quæ, dum splendore suo errores quosque depulerit, ad gratiam quoque contemplationis perducit. Apud affectionis puritatem hospitatur misericordiæ pietas, et inde sine acceptione personarum miseriis ne-

B cesse habentium se exponit. In voluntatis palatio justitia sibi tribunal constituit, et inde moribus et operibus, sensibus et affectibus æquitatis edicta imperiosa severitate proponit. Pax viro in conscientiæ testimonio sibi quietis cubiculum ponit, cui tanto suavius osculum justitia porrigit, quanto omne peccati cauterium a veritatis proposito tollit. *Justitia*, inquit, *et pax osculatæ sunt* (*Psal.* LXXXIV). Tunc nimirum pacem justitia osculatur cum satagente justitia, sic voluntas ad unguem tota corrigitur, ut de nullo ipsius cauterio conscientia mordeatur. Sed et pax ipsa osculatur justitiam, cum pacis æternæ susceptio laboriosam justitiæ remunerat actionem. Ecce quæ et quanta eis inveniunt,

C qui novis conversionis suæ gaudiis timorem deesse non sinunt. Revera ibi locus peccandi consuetudini non habetur, ubi, juxta Psalmistam, *Domino in timore* servitur (*Psal.* II). Cæterum illi frequenter desipiunt, qui initium sapientiæ Dei timorem negligunt, nec tam sæpius in peccata corruunt, sed etiam, quod gravius est, peccata defendunt. Sicut enim ille qui justitiam innovat, semper se in principio sermonis accusat, sic e contrario, qui justus non esse, sed videri appetit, accusatus ab alio se defendit. Quanto nimirum subtilius laboriosa arte simulationis se fictus palliat, tanto gravius palliationis suæ denudatio hunc molestat. Difficile enim qui fictus est, sic in sua prævalet simulatione celari, quin valeat signis aliquibus

D deprehendi. Sed jam quia de quarto convertentium gradu loqui incipere volumus, hic ea de tertio finiamus.

Cum ab initio hujus opusculi me prius de vetustate dicturum postea de novitate promiserim: nunc autem cum de utroque nimis et permiste locutus sim, jure lectionis non mereor gratiam, quod meam nescierim aut neglexerim persequi sponsionem. Siquidem actum est. Sed tu, frater charissime, non acquiesceres, nisi meam prodere me insipientiam coegisses. Tibi ergo, tibi imputandum, quidquid in his litteratis invenies minus rectum. Ego vero qui prodere insipientiam meam cœpi, de quarto quod promissum gradu perloqui non desistam. Quam sit noxium, quam sit vetustati obnoxium peccata defendere, ex hoc satis intelligitur, quod

inter omnia salutis remedia nihil confessione salubrius prædicatur. Et quid est confessio nisi proprii reatus accusatio, cum humiliter et aperte et integre et fideliter peccata sua illi confitens dicit qui super eum super hac re potestatem accepit : Teneor siquidem illi peccata mea per confessionem detegere, cui animæ meæ claves a Domino sunt commissæ. Divinæ institutio humilitatis remedium exhibuit, diabolicæ defensionis elatio excusationis latibulum adinvenit. Eadem quippe malignitate, qua vult et facit virtutis æmulus peccata fieri, eadem vult malignitate celari. O si primus parens humani generis excusationem non quæsisset in peccatis ! Certe si suam culpam humiliter excusasset [*f.* accusasset], non tam crudelem mortis sententiam excepisset. Nunc autem delinquere et delitescere voluit, qui cor suum in verba malitiæ declinavit. *Mulier*, inquit, *quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno et comedi* (*Gen.* III). Quid miser agis? Quid culpam tuam in auctorem refundis? Num propterea ille peccavit, quia sociam mulierem tibi concessit? Tibi magis imputa, tu magis accusa, cum in tua esset potestate positum scire et posse vitare peccatum. Igitur, sicut in remediis aliquid humili confessione salubrius non habet, sic inter crimina peccati defensione nullum nocentius invenitur. Qui peccata defendit, et veritatem abnegat, et persecutor est pietatis. Qui confitetur et accusat, meretur justitiam, et amicus efficitur veritatis. Et hoc quidem agit timor humilis per hoc justificari impetrans a peccatis. Totum et juge est timoris officium, virtutibus dare operam, nominis confessioni insistere peccatorum. Mirabiliter confertur industria timoris sanctæ negotio innovationis, dum et cordis aditum foris a criminibus quibusque defendit, et incidentes intus pulveres lavacro confessionis abstergere satagit. Quæ sunt crimina non opus est tibi ostendere, quibus mundum aspicis plenum esse. Quid? incidentes pulveres dixerim forte, præsertim cum præ sui subtilitate nonnisi forte, purgatioribus oculis videantur. Quid autem sunt incidentes pulveres nisi cogitatus innumerabiles orationis tempore animæ oculis involantes? Nonne quasi quosdam infestissimos pulveres pariunt mille occursus phantasmatum, quibus orantes vel meditantes importunissime molestantur, cum præsentissimæ majestati divinæ assistimus, et alia pro aliis aut cogitamus, aut dicimus, quæ nec nostri propositi sunt, nec loco, nec tempori congruunt? Quid aliud quam quosdam pulveres agitamus, quibus nobis serenum veri luminis occultamus? Certe etsi pulveres isti oculos non eruunt nobis, confundunt tamen aciem, et ab intuitu veræ lucis avertunt tempore orationis secundum præsentiam corporis coram Deo assistere in choro cum aliis esse, et quasi aut negligendo aut contemnendo præsentiam Dei per mundi spatia aut carnis vitia animaliter evagari. Spiritus

A sane sanctus aufert se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu. Qui sine intellectu sunt, plane sunt irrationabiles, ac per hoc sunt etiam bestiales. Si itaque opus tuum sine intellectu fuerit, hoc est irrationabile, nonne erit obsequium bestiale? Sed *si bestia tetigerit montem, lapidabitur* (*Exod.* XIV), quia qui bestiali mente, hoc est sine intellectu, divinis inservit officiis, magis ex duritia cordis lapidei cruciatur quam oblectet eum divinæ præsentiæ bonitas tam suavis. Jugiter igitur et assidue de his est facienda confessio quæ abundantissime semper invenit circa penetralia cordis, quod debeat accusare et plangere in facie sacerdotis. In planctum animæ veniat quod de præteritis malis nondum digne pœniteat, quod malis instantibus provide nimis restat,
B quod accipiendis Dei beneficiis se indignum exhibeat, quod tot et tam sæpe acceptis ingrata existat. Non negligat plangere et exprimere motus et resolutiones immundæ carnis contra munditiam et gratiam honestatis. Sensus accusare non negligat corporales ad gravitatis et disciplinæ discidium, pro suis diversitatibus, evagantes. Delicta quis intelligit? Quis intellectum ad liquidum comprehendit? Quoties accommodamus aures animi suggestionibus inimici! Quoties affectu recurrimus ad oblectamenta mundi! Quoties efficimur transgressores voti! Quoties negligimus præcepta Dei! Quoties in divinis officiis somnolenti sumus aut tepidi! Quoties ad obedientiam segnes et tardi! Quoties negligimus curam proximi! Quoties ei facimus quod
C nollemus ab ipso pati! Quoties ab ipso exigimus districte, quæ ei, si exigeret, minime faceremus! Sæpe adversitate dejicimur, prosperitate extollimur. Sæpe de bonis quod per gratiam Dei aut habemus aut agimus, non Dei sed nostram gloriam quærimus. Sæpe dissimulamus quod multum volumus; sæpe simulamus nos aliud esse quam simus. Sæpe de malis in nobis agnitis minus quam oporteret confundimur, sæpe in maledicta aliorum indiscreta æmulatione invehimur. Sæpe contra Dei justa judicia murmuramus. Sæpe cum fratres nostros ædificare debemus, his potius corruptionis exempla monstramus.

Hæc quidem omnia omnibus meis similibus satis
D communia sunt, præter spiritualia quæ singulis pro casuum varietate contingunt. Qui ita sub religionis habitu hæc in se sentiunt et consentiunt, expertes procul dubio sanctæ novitatis existunt. Qui vero sentiunt et dissentiunt, et ex ipso sensu dolent et plangunt, jugiter confitendo accusant, et quantum prævalent corrigunt, sicut propter hoc nomen novitii et virtutem non perdunt, sic festivæ novitatis gaudio non carebunt. Perseverantiæ studeant, desiderio puritatis insistant, et ut facilius suum obtineant desiderium, timor cordis non deserat ostium, quod ubi talis permanserit ostiarius, pereundi non poterit esse metus. Timor est humilitatis nutritius, confessionis seminarium, custos innocentiæ, patientiæ fundamentum. Timor est æmulatio disciplinæ,

castimoniæ paranymphus, virga justitiæ, misericordiæ consiliarius, initium sapientiæ, amoris præambulus, cubicularius conscientiæ, vitæ decus. O felicem animum, cui vitiorum vias timor obstruit, ut in his splendoribus sapientiæ devotione libera solemnizet! Hic de contemptu mundi beata paupertas exoriens sitit adhuc ambitione novitia vitæ divitias melioris. Hic virtus continentiæ de interdicta carnis superfluitate exhilarans exutum sua vetustate spiritum novis gaudiis vitæ sociat spiritalis. Hic timor Dei consuetudinem peccandi exterminans non patitur inquietari a vitiis internæ solemnia novitatis. Hic confessio humilis de industria et operatione timoris cordis interiora circuiens, singula de peccato caute arguit et accusat, ne de securitate solemnitas insolescat, et miro modo quæ facta sunt conferens, faciendis proponit ante oculos exemplar Dominicæ passionis. Dumque Jesum Christum et hunc crucifixum cordi reducit ad memoriam, in æstimatione tantæ rei suam non reputat actionem. Et revera quæ potest in nobis æstimatio esse virtutis, dum consideratur patientia misericordissimi Redemptoris? Non exhorruit sputis et colaphis illam faciem gloriosam exponere in quam angeli concupiscunt. Non veritus est dorsum flagellis, caput spinis, membra clavis configenda supponere vel subjicere, quæ nihil penitus meruerunt. Meruerunt dico de pœna. Nam dum hæc tolerant sine culpa, nos a debito pœnæ et culpæ per indebitam gratiam absolverunt. Nos igitur adhærentes illi, imitemur illum, et quæ illi de voluntate nostra pro nostra necessitate promisimus, ad nostram gloriam, per ejus gratiam pro nostræ facultatis modulo persolvamus. Si durum visum fuerit itineris arrepti propositum, ad nostræ Virginis confugiamus auxilium, quia cui se misericordissima illa auxiliatricem præbuerit, in omni tribulatione nostra et angustia fortis erit. Candorem liliosæ ejus innocentiæ trahamus in nos per munditiam conscientiæ, nec desit nobis cum pudicitia carnis instantia fecundi operis, quo ornetur fecunditas virginalis. Ad nostræ siquidem Virginis partum totum debemus habere respectum; et si veri esse novitii, et si vere innovari volumus, novi partus gratiæ novis et plenis desideriis intendamus. Si enim per ipsam justificationis gratiam possumus obtinere, sic ipsa duce ad gloriam poterimus pervenire, ipso præstante qui ex ipsa natus est Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

EPISTOLA XII.

AD MARGARITAM VIRGINEM.

Ejus precibus se commendat

MARGARITÆ virgini, frater A. peccator, de immarcessibili castitatis lilio sponso virginum complacere.

Quoniam Christum diligere tenemur, tantum ipsius templa venerari et honorare debemus. Habi-

A taculum quippe ipsius est sincera castitas, illa maxime quam Christi vera charitas consecravit. In hortis plane et liliis vernare flos campi et lilium convallium Christus Dominus invenitur. O si lilio rosa non defuerit, ut castitatis candor charitatis colore roseo suffundatur! Quam pulchræ sunt genæ, quibus ad plenum decorem amor honestatis se sociat, charitas castitati! Speciosum forma præ filiis hominum speciei hujus alligat elegantia, quia vultus pulchritudinem morum simplicitas commendabat. Morum simplicitas, puritas affectionum, operationum justitia, observantiæ disciplinæ laudabiles dignam faciunt animam osculis et amplexibus Conditoris. O contractum venerabilem! O nuptias honorabiles, a quibus omnis excluditur fœditas, in qui-

B bus nulla corruptio locum habet! O felicem sobolem, quæ de tali contractu processerit, quæ sicut de Spiritu sancto concipitur, ita etiam sanctæ matris Ecclesiæ uberibus enutritur! Ubera ista de cœlo plena sunt, lac spiritalis doctrinæ distillantia, quo sensuum simplicitas et innocentia ad virile robur morum, divini amoris et perfectionis intelligentiæ provehuntur. Arbitror quod per Dei gratiam in hanc ætatem perveneris, quæ non jam sicut collactaneo Christo Christi colludas cunabulis; sed Christo crucifigi idonea cibum possis mandare duriorem. Tu enim propter verba labiorum ejus custodire vias duras et cupis et prævales ad Crucifixi exemplum circa crucis titulos gloriari. Verum in lecto tali sponso tuo copulari non horrueris, ad

C thalami gaudium quandoque pervenies, qui crucis expers est penitus et doloris et laboris. Obsecro te, dilectissima, ut cum in Jesu tuo bene tibi fuerit, pro meis apud eum excessibus depreceris. Cum solito profusius tibi splendor ille festinus arriserit, dilectorem tuum dilecto tuo commenda attentius, ut quem mente adoro et diligo, te satagente et orante, tecum valeam obtinere. Amen. Vale.

EPISTOLA XIII.

AD GUILLELMUM HELIENSEM EPISCOPUM (6).

Dehortatur eum tacite a regis servitio.

GUILLELMO Heliensi episcopo dominique regis Anglorum cancellario, frater A., salutem in spiritu veritatis.

D Quod sublimitati vestræ tam frequentibus litteris vel nuntiis importuni sumus, partim facit familiaritas vestra, qua immeriti fruimur, partim necessitas nostra, qua gravamur. Verumtamen neutra res apud liberales animos moleste accipitur, quia et familiaritati ne in contemptum veniat, providet congratulantis amicitiæ veritas, et necessitati misericordiæ compassio non negatur. Ex utroque igitur sumens audaciam, non vereor oculis vestris litteras etiam solito prolixiores ingerere, licet illos sibi detineat tam varia, tam multiplex rerum occupatio, quæ etiam sibi deesse animum non patitur nec ad horam. In tanta igitur tamque communi

(6) Guillelmum a Longo Campo, Angliæ cancellarium, episcopum Heliensem ab anno 1189 usque ad annum 1197, et regni administrum.

ruina rerum labentium animum habere perdidisse est, quia ubi per omnia discrimen virtutum imminet, vix poterit virtus ulla subsistere, quam solum diligimus in amicis; ubi nimirum illa perierit, amicos habere desinimus, et quæ conservata poterat de amico generare lætitiam, amissa tristitiam ingerit et dolorem. Felix amor! cui sola virtus in causa est; et laudabilis est amicitia, quæ sicut aliunde quam de virtute animi non habet summarium; sic nec aliunde sibi flagitat incentivum. In illa et ad illam venerationis vestræ personam diligimus; et utinam mundanæ vanitatis diluvium, cujus tam periculosæ innatatis gurgitibus, hoc nobis bonum non invideat in amico. Amicum sane vos dixerim, quandiu nobis animi virtus infuerit, ut vel ipsam adhuc habitam intentione servetis sollicita, vel elapsam quanto citius maturetis ad integrum reparare. Quam difficile est incedentem per lubricum non titubare sæpius, aut prolabi! Quam difficile est eum qui in obscuris graditur, non sæpius pedibus suis offendere, corruere gravius, duriusque elidi! Præter morem est per crepidinem montis gradu fluctuare pendulo, et vento perflante et inflante, fortius de sublimibus ad infima non extrudi. Facile istis illa eveniunt quos amor virtutis non solidat, nec illustrat cognitio veritatis. Ubi hæc duo defuerint, res est in periculo, nec aliud est vita talium, quam abyssus: abyssus, inquam, terra est, cujus facies tenebris tota obvolvitur, ubi minime virtutis studio veritatis cognitio suffragatur. Quam felix anima, quæ thesauros hujusmodi habere non negligit, quam rerum talium sursum trahit ambitio, nec inferiorum et vitiorum fœditatibus patitur implicari! Ejus quippe dignitatis est animus, ut sit ei proprium sublimiora appetere, si tamen suo judicio non fallatur. Ad hoc veritatis splendor est utilis, qui cum de rationis aere totius nebulas erroris abduxerit, etiam in fulgentem sibi sine fraude penset et æstimet veritatem. Nulla deinceps ratione splendor ille tam feliciter infulgens animo seipsum æstimanti viluerit; sed agitur in eo quasi post matutinum meridies, cum de splendoris aspectu et usu in amoris desiderium inardescit. Ex hoc amor virtutis splendori veritatis adjungitur, et exsultat in mente dies una quæ nota est Domino, dies lætitiæ, dies festivus. Hæc est dies quam fecit Dominus, dies exsultationis, dies festus et dies lætitiæ, cujus non merentur felices experiri radios tenebrarum filii infelices. Tenebrarum filios dicimus, qui de subterraneo miseræ carnis non exeunt, qui in carceribus corporum tenebrosis deservientes operibus, nunquam alibi quam in sepulcris concupiscentiæ commorantur. O misera servitus, et omni fonte lacrymarum plangenda subjectio, esse sub sensibus putare delicias, processum et impunitatem malitiæ credere gloriam, licentiam criminum, virtutum præponere libertati! Quam longe sunt ista a filiis lucis, a cœli civibus, a contemptoribus sæculi, a justitiæ dilectoribus, a sectatoribus Crucifixi! In

A Ægypto sane Israelitici non permanent, nec luti et lateris peccata affectant servilia, multo minus apud Ægyptios apostatare æmulantur. Non deterret eos maris Rubri transitus, nec solitudinis inexperta asperitas, quominus ad promissæ delicias suavitatis aspirent. Quid de Moyse duce Israelis dixerimus, qui non modo Pharaonis abominatur obsequia, verum etiam populum officiosa persuasione sollicitat ad fluentem lacte et melle manantem patriam anhelare? Non decet ducem populi, Ecclesiæ præsidem terreni regis inservire satellitio; potius est opus ejus de Ægypto progredi, et ingredi viam quam repatrians Israel imitetur. Crucis Christi bajulum tanquam ductorem itineris convenit in capite processionis procedere, et ad perferendas pro salutis
B adoptione cruces quaslibet exemplis præeuntibus animare sequaces. O infelicia tempora nostra! O dolendos hominum mores! O plangendos illos, maxime quos habere debuimus defensores! Doctores populi terræ promissionis obliti sunt, et voluptuosæ servitutis illecti dulcedine, se et suos Pharaonis dominio pene inevasibiliter subdiderunt. Utinam aliquando hæc vobis Ægypti servitus præ desiderio veræ libertatis displiceat, et quod vobis collata scientia vos nescire non patitur, forti animo diligatis. Forti quippe animo, et masculinæ virtutis substantia in Ægypto non vivere feminam, ubi a Pharaone decretum est Hebræorum masculos jugulari. Felicius est in virtutibus vivere quam effeminari in vitiorum mollitiem, cum falsæ dulcedinis me-
C tuenda extremitas in æternæ amaritudinis absynthium commutetur. Hoc optime novit vestra discretio, et si mundus vobis imperans vos de rebus hujusmodi philosophari permitteret, et pleniorem scientiam et efficaciorem facundiam haberetis, faceretis et vos aliquando quod faciendum esse cognoscitis, et quod in his qui faciunt approbare videmini et laudare. Si laudabiles sunt apud vos quos vitæ venerabilis forma reddit laudabiles, dignum laude est ut eis quos laudabiles creditis, vos vitæ laudabilis consortio copuletis. Si morituri regis curia curis plena vos impedit, vestri potius curam cogitate officii, in quo vobis tanto opere dum creditis curæ vestræ ovibus est curandum. Cæterum,
D Pater, sicut vere optamus vobis quæ bona sunt, ita sumus pro vobis orantes assidue. Utinam orationibus nostris nihil obviet, quo sui efficacia vacuentur! Latorem præsentium quem ad præceptum vestrum consensimus transfretare in Angliam, liberalitati vestræ commendamus attentius, ut de ipso sollicitudo vestra provideat, ne (quod absit!) in dispendium gloriæ vestræ, et in nostræ filialis amicitiæ læsionem, tanti itineris labor, præsertim cum dispositione vestra arreptus sit, sine fructu remaneat exspectato. Vale.

EPISTOLA XIV.

AD AMICUM.

Excusat se quod ejus petitioni non possit facere satis.

Patri et amico charissimo in Christo, frater A. hu-

milis ejus filius, a desideriis carnis Christi carcere coerceri.

Totum, Pater, humilitati vestræ debeo: et utinam tanta esset voluntas obsequii, quanta mihi est voluntas obsequendi! Nunc autem impossibilitas quæ voluntati meæ facit verecundiam, facit etiam amicum in sua pati petitione repulsam. Inconsueta nimirum præsentis temporis sterilitas, et parvulos meos ablactare me compulit, et ad aliarum domorum ubera transmittere novissime magno dolore cordis mei coegit. Unde interim, absente conventu, neminem licet recipere, præsertim cum sine fratrum nostrorum consilio minime tale quid aliquando promittamus vel præsumamus. Facile recipiet excusationem discretio, et inter veros amicos defectum quem facit impossibilitas, vera dilectio non causatur. Cæterum de sanctitatis vestræ statu, nos inquirere amor filialis sollicitat: et utinam quæ circa vos aguntur possem sæpius agnovisse! felicem plane nos dixerim, cui Christi solitudo tam dulcis est, ut quidquid in Ægypto est sapidum, nobis faciat fastidire. Beatus plane cui oblectatio sæculi venit in tædium, qui lutum Pharaonis contempsit et lateres, et præ auro Jerusalem sterquilinium Babyloniæ conculcavit. Quam felix est ejus exspectatio, qui ad studium virtutum se transtulit, cui solus est in desiderio Christus, cujus anima splendor beatæ immortalitatis illuxit! Non diffido de vobis quin vel tenax Christi amor retineat, et quantaslibet labentium ruinas cognoveritis, vos stabile mentis propositum in amore permanentium solidabit. Arcta quidem est via virtutis et ardua, sed contemptoribus sæculi levigat eam suavis unctio quæ de Spiritus sancti dulcedine cordis influit mansuetis. Facite me, obsecro, experientiæ illius vestræ participem, qui, etsi petitioni vestræ effectum præ difficultate non tribuo, amare tamen vinctum Christi sinceriter non desistam. Vale.

EPISTOLA XV.

AD NICOLAUM.

Hortatur ut Christo mente semper adhæreat, ejusque præsertim infantiam contempletur.

Nicolao suo, frater A. peccator, in Spiritu sancto amare fideliter et amari feliciter.

Instantiæ tuæ me debitorem constitui, cum petitioni tuæ me satisfacturum promisi. Verum, etsi petitioni tuæ aliquatenus satisfecerim, devotioni tamen non arbitror satisfactum: avida quippe est sanctæ devotionis esuries, et dum fame sitique laborat, justitiæ minime de inopia sufficiens, percipiet alimentum. Erit tibi proinde respectus in Jesum, ex quo tibi plene satietas emanabit. Est quippe dives in omnes qui invocant illum, et qui unus cum illo efficitur spiritus, non deficiet omni bono. Est nimirum fons bonitatis misericordiæ pelagus, ex quo profluunt et affluunt charismatum dona, flumina gratiarum. Inde piis cordibus influit magna multitudo dilectionis, quam abscondit timentibus se ipse qui solus timendus est et amandus. Timor ipsius

A initium sapientiæ est; et amor, cum perfectus fuerit, sapientiæ plenitudo. Felix anima quam timor initiat ad sapientiam, amor in sapientia perficit et ad splendorem provehit sempiternum. Primus timor dum declinat a malo insipientem tenebris se opponit. In ipso sane tanquam in veri luminis aurora finem sortitur nox criminum, et accipit initium lux salutis. In illo sapientiæ matutino nocti malitiæ præscribitur terminus, et sapientia etiam de suis initiis vincit malitiam et expellit. O sapientiæ diem! O splendorem gratiæ, quæ ignorantiæ vel malitiæ tenebras suo eliminat matutino! O lumen amabile et admirabile puris interim hauriendum oculis, donec pleni amoris lumen clucescat et incalescat! Certe cum venerit amor, cum meridies efferbuerit,

B cum aquiloni discessum imperaverit, auster nihil deinceps obscurum aut frigidum in nostræ rationis aere remanebit. Nihil enim de spiritu intelligentiæ, quem per initium sapientiæ matutinus splendor infundit, meridianus amoris fervor imminuet: quin potius quanto ardentius diligetur illa invisibilis pulchritudo, tanto se conspectiorem purgatio mentibus exhibebit. Sic jam celebrabitur secretæ illius contemplationis solemne sabbatum, ad quod perducit et dirigit præcedentium observantia feriarum. Prima siquidem feria est spiritus timoris Domini, qui mentem, resolutis vitiorum tenebris, quadam novæ lucis jucunditate perfundit. Secunda feria est spiritus pietatis, qui piæ fidei fundamentum collocat

C et componit, et ad divini cultus amorem mentem emollit. Tertia feria est spiritus scientiæ, quæ, dum fluxos motus fluctivagosque discursus lubricæ sensualitatis sub judicio rationis coarctat, recteque intentionis firmitatem ab his lubricis motibus alienam separatamque demonstrat, quasi aquas inferiores in unum locum congregat, et aridam rectæ intentionis apparere facit, quam pro suæ gravitatis pondere, aut præ spiritualium graminum fecunditate terram vocat. De hac arida David loquitur, dicens: *Anima nostra sicut terra sine aqua tibi* (*Psal.* CXLII). Quarta feria spiritus fortitudinis est, qui dum nos contra rebelles motus, et adversantes incursus zelo discretionis accendit, et ad exsecutionem bonorum operum fortes et longani-

D mes reddit, firmamentum fidei nostræ quasi quibusdam sideribus exornat et pingit. *Fides enim sine operibus mortua est* (*Jac.* II); sicut et firmamentum, nisi haberet et luminaria, esset obscurum. Quinta feria est spiritus consilii, qui, dum astuta hostis maligni consilia menti denudat et retegit, quasi quasdam bestias et reptilia super faciem terrenitatis nostræ repentia ad cautelæ nostræ circumspectionem ostendit. In hac etiam feria, id est spiritus consilii, degimus quando de his in quibus a Deo nobis consultum est, nostris proximis consulimus. Sexta feria est spiritus intelligentiæ, qui dum nostræ regionis aciem invisibilium cognitione certam et nobilem reddit, quasi tunc primum et plene formatum hominem in paradisum voluptatis indu-

cit. Septima hujus feria, id est Sabbatum, spiritus requietionis, spiritus sapientiæ est, per quem mens tanto cœlestium non modo splendore cognitionis, sed sapore dilectionis afficitur, ut quidquid cœleste non sit, et in tædium et amaritudine convertatur. Tunc animæ ista experienti erit ex sententia animi illud propheticum dicere : *Secretum meum mihi, secretum meum mihi* (*Isa.* XXIV). Tunc sponsa nihil aliud quærens, nec inferius resilire appetens exclamat lætabunda et laudans dicit : *Dilectus meus mihi, et ego illi* (*Cant.* XX). Quid putas tunc gaudii erit animæ, cum de medio liliorum, in quibus pascitur Agnus ille, auribus ejus insonuerit cantilena omni suavitate jucundior, omni jucunditate dulcior : *Jam hiems abiit, imber transiit et recessit, flores apparuerunt, florentes vineæ odorem dederunt?* (*Cant.* XX.) Et revera jam non erit in mente hiems malitiæ, qui temperantiam vernantis amoris exasperet. Non in carne erit locus miseriæ, quam imber lacrymarum ex vi doloris inundans deploret. Nil aderit, aut inerit, quominus sit, aut plena in mente illuminata de amore Conditoris claritas, aut in carne glorificata de corruptione voluptas. Tunc veraciter cor et caro exsultabunt in Deum vivum, et novitate mirifica immarcessibiliter reflorentes, illud Davidicum decantabunt : *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala* (*Psal.* LXXXIX). Bonum quidem esset nos hic esse, verum præcedentes ferias, quas prius nominavimus, agere antea nos oportet, quam mereamur quid sit vel potius quid sapiatis hoc Sabbatum experiri.

His ergo omissis quæ supra nos sunt, ad quæ non experiendo transvolavimus, ad timoris feriam, cujus interdum observantia pravitati nostræ magis congruit, redeamus. In hac timoris Domini feria, tanquam in initio sapientiæ, tanquam in aurora diei gratiæ, tanquam in ingressu lucis æternæ, oportet satagere parvulos, ut prima cœlestis prophetiæ discere studeant elementa. Verbi proinde infantis magisterio subdenda est nostra infantia, si forte Deus ex ore infantium et lactentium dignetur perficere laudem suam. Unctio quippe ipsius magistra est, quæ docet hominem scientiam, parvulosque docet de omnibus, et sic convalescere facit in viros. Unde et aderit unctio, cujus disciplinæ magisterio se subjiciunt humiles, Spiritus sancti disciplinæ... qui fictum effugit, et a cogitationibus se elongat : quibus ipsa unctio non tribuit intellectum. Sane timor, eo quod mentem humiliat, illuminat, eoque humilibus dat gratiam Deus et intellectum dat parvulis unctione magistra : timor autem ea ratione humiliat, quo aut compungendo ut stimulus, aut conterendo ut malleus timorem animi detumescere facit. Detumescit autem animi timor, cum vanus et ventosus mundi amor intra cordis vesicam male collectus ejicitur, et vice ejus locum occupat amor voluntariæ paupertatis. De cætero timorata humilitas affectum componit, affatum corrigit, maturat A gestum, actum castigat. Denique ab affectu longe facit elationem, ab affatu jactantiam, gestui arrogantiam, actui ostentationem subducit. Dehinc illustrata hac luce clarius deprehendit cavendum esse diabolum, quod hostis salutis sit; contemnendum mundum, quod vanitas sit; despiciendum corpus, quod corruptio sit; deplorandum spiritum, quod peccato consenserit; soli Deo serviendum esse, cui servire regnare est, quem cognoscere veritas, diligere virtus, apprehendere est summum bonum. Hujus prophetiæ prima, ut dictum est, elementa circa Verbi cunabula discere convenit parvulos, qui Verbi abbreviati, id est incarnati, mysterio innocentis animi simplicitate congruunt infantiæ, cœlestis vagitibus pie se humilitatis studio coaptantes. B Transeamus igitur usque Bethlehem, et a sæculi actibus divertentes, subire nullatenus humile Christi diversorium dedignemur. Ibi puer natus est nobis, ibi filius datus est nobis, cujus exinanitio nostra fuit repletio, cujus est abbreviatio eruditio parvulorum. O felix tugurium! O regum palatiis diversorium præferendum! quod cœlestis magisterii auditorium factum est, ubi Verbum parvulos tanto intelligibilius de præsepio erudit, quanto eis per silentium suæ infantiæ nova miræ humilitatis decreta proponit.

Unde, fili, si vere prophetare appetis, a Christi diversorio ne discedas. Ibi Verbum infans vagit quidem in cunis, sed præ Tullii facundia, imo præ eloquiis angelorum ille vagitus est eloquens: linguas C infantium fecit disertas. Ibi angelorum satietas modico lacte alitur, sed cujus alimento humilium nutrita simplicitas in adultam provehatur ætatem, ibi inaccessibilis splendor obvolutus est vilibus pannis; sed quibus sordes criminis detergantur. In præsepi illo angelorum frumentum in hordeum vertitur, sed cujus pabulo jumenta in comportandis oneribus roborentur. Et certe Christi diversorium, claustrum dico intra monasterium, monasterium dixerim ad quod divertens a malo; ut bonum facias, divertisti. Præsepium intra diversorium, claustrum dico intra monasterium, cui te professionis vinculo, et loco disciplinæ, tanquam mansuetum animal obligasti. Quid autem hordeum dixerim in præsepio, nisi D ordinem qui tenetur in claustro, vel intellectum sacri eloquii, qui difficulter elicitur de litteræ integumento, vel certe sacrosanctum Christi corpus, quod de altari sumitur in sacramento. Aristæ quippe et paleæ hordei, asperitates et difficultates quas tolerari oportet inter observantias ordinis instituti, designant nihilominus figuras et integumenta sacri eloquii, signant et sacramentales illas species sub quibus vera sumitur Caro Christi. Quid, inquam, sunt illæ species, color et sapor, forma et pondus, quibus tantum mysterium obumbratur, nisi panni illi quibus Verbum infans in angustia præsepis obvolvitur? Horum fide et dilectione, frequentatione et imitatione, quasi quodam lacte tenera simplicitatis nutritur infantia, quousque adulta in dies alimenta

possit capere fortiora. Cibus sane fortior est inimicos diligere, sui contemptu gaudere, usque ad crucis ignominiam Christum sequi, cum illo cruci affigi, pœnam sine culpa patienter amplecti, præ desiderio et contemplatione quæcunque terrena sunt oblivisci. Cibus iste grandium est, et eorum qui pro consuetudine, juxta Apostolum, exercitatos habent sensus. Utinam tu sis unus ex eis, qui cibo uti tam solido habearis! Mecum optime agitur, si infans præsepis incola, amator diversorii, teneritudini meæ de suis sorbitiunculis aliquid largiatur. Utinam detur mihi assistere Genitricis ejus uberibus, parvuli interesse vagitibus, et ex his discere quod tutum sit sapere, et retinere jucundum. De cætero, frater charissime, quia epistola modum excessit, ego hic finem loquendi faciam, non amandi. Obsecro te ut orationi insistas et operi. Adolescentiæ tuæ tempora veritati subjiciens et virtuti, venerabilem Patrem tuum salutabis ex nomine meo, sed et priorem quoque et cellerarium, quos sinceriter diligo, ex me fideliter salutabis omnes, cum opportune occurrerint, quos mihi charitatis glutino noveris adhæsisse, si schedulam istam penes te retinere volueris omnino, transcribe epistolam, et fratri Evrardo de Sarnaio, ipsius nomine in salutatione posito, ex parte mea transmittes, eadem quippe promissione petitioni ejus teneor, qua instantiæ tuæ fueram obligatus. Quod si, ut fieri solet, minus sederint animo tuo quæ scripta sunt, hanc ipsam schedulam, prius nominato ejus, ut dictum est, nomine posito, cum opportunum fuerit, ex parte mea dirigere non moreris. *Explicit.*

EPISTOLA XVI.

AD ABBATEM DE TURPINIACO (7).

Agit præsertim de amore, de pietate erga Dei Genitricem et in ejus Filium.

Patri et amico in Christo charissimo venerabili abbati de Turpiniaco, frater A. peccator, salutem in Spiritu sancto.

Sanctus amor, qui nos mutuo mentium nexu devinxit arctius, non differt ulterius reddere quod promittere non neglexit. Bene recolis, amantissime, nec excidisse tibi existimo, quid tibi fuerit, te instante, promissum. Tua certe dilectio, quæ tantopere gavisa est de promissione, suspendi exspectationis suæ gaudium non passa est vel oblivisci. Sed quid a me exspectas ut gaudeas, nisi amari fideliter, et id experiri fideliter [*f.* feliciter]? Erit quidem modus sane experientiæ tenor dulcioris epistolæ, si tamen dulci prodierit de affectu. Affectus mei dulcedinem meis experire in litteris, quanquam de affectu et testimonio operum affectus soleat certius æstimari, verum in affectu vis amoris intenditur, nec alium amoris mei tu quæris affectum, quam si in te totus transeam per affectum. Casti nimirum amoris sanctitatis ad interiora cordis se colligit, dum suspectum habet omne quod foris est, nihil securius esse existimat, quam, teste con-

A scientia, se celari. O felix amor! cui est inimica spes sæculi, qui decurrentis mundi curis non curans, non sumit de carnis voluptate fomentum. Incentivum habet aliunde de cœlestium adeptione sollicitus, de terrenorum contemptu non negligens, ad omne quod non decet impatiens et de acceptis beneficiis non ingratus. Amor igitur sanctus habet in animi virtute seminarium, cui fundamentum et tenor est in incorruptæ desiderio veritatis. Tota mihi tecum est de amore materies, sed de illo, cui virtus in causa est, in studio veritas, puritas in desiderio, in opere pietas, in vivendi forma institutio disciplinæ. Nihil est amore dulcius, et cum ipse sui ipsius sit pretium, est etiam ipse pretium sibi. Contrariis certe rebus nomen amoris commune est, sed ex his quæ dicta

B sunt, suspicio tollitur universa. Quod si proprium velimus ei assignare vocabulum, dilectio in Scripturis, sive charitas appellatur; hoc interest quod nomen amoris naturalem magis sonat potentiam, efficientia vero gratiæ exprimitur nomine charitatis. Inter potentias animæ nulla est quæ amore sit dignior, dulcior nulla, nulla est æque fortis. Indignum plane ut quod nostri est melius, ad rei vilioris desiderium se inclinet, aut seipso gaudeat amor, aut si ipse sibi non sufficit felicius quærat gaudium in supernis; in supernis est gaudium quod de summi boni cultu et amore suscipitur, cum pietate et studio colitur singulari. Hoc bonum quod solum et summum est, sicut solo amore quæritur, amore solo

C apprehenditur, sicut apprehensum solo amore tenetur. Amor quærit, amor invenit, amor tenet et retinet, nec dimittit: *Tenui*, inquit, *eum, nec dimittam* (*Cant.* III). Amor quippe pie quærit, feliciter invenit, beate perfruitur et impletur. Non quærit sine lumine, sine suavitate non invenit, sine satietate non fruitur, nec finitur. Hoc bonum quod summum creditur, sicut nihil habet ultra se, sic infra quod sufficiat nihil habet. Summum quippe bonum Deus Trinitas est, ideo summum quia a se existens, per se sufficiens, plena potentia ingens [vigens?], plenam sapientiam habens, plena bonitate indeficiens. Invictæ est potentiæ, quæ existentiam contulit universis. Indeceptæ est sapientiæ, quæ dedit ordinem formamque creatis; incorruptæ bonitatis est, quæ utilitatis

D mensuram pro suæ voluntatis arbitrio singulis partita est creaturis. Hujus boni cognitio te bonum facit, felicem delectatio, sive dilectio, cujus perseverantia faciet de fruitione beatum. Verum ad splendorem tantæ gratiæ, ad gloriæ tantæ delicias, gradibus quibusdam animus proficiens evolat in sublime: Et primus quidem gradus est ab omnibus prorsus illicitis abstinere; secundus est, si ita contemnas illicita, ut nec veniant in affectum; tertius est quæque etiam licita, quantum necessitas patitur, fastidire; quartus est jugis et fervens observantia mandatorum; quintus est diligens et assidua animi circumspectio ad custodiam puritatis; sextus est vir-

(7) Turpiniacum, ordinis Sancti Benedicti monasterium, in diœcesi Turonensi, haud procul ab insula Burchardi et Chinone.

tutum ambitio, profectusque esuriens spiritalis; septimus est inter ipsas virtutes æmulari charismata meliora; octavus est in acceptis charismatibus humilis et devota gratiarum actio et vox laudis; nonus est, si, præ summi boni desiderio, nihil de visibilibus transeat in affectum; decimus est castigare memoriam, et corporeas imaginationes abigere.

Ne desideratæ Rachelis dulcedinem Balæ importunitas mentiatur; solet enim sæpius contemplanti accidere, ut cum Rachelis pulchritudinem, id est, contemplationis puritatem desideret; Bala ancilla Rachelis, id est corporalis imaginatio, Jacob desideriis se ingerat importune. De cætero ultimo loco Jacob Rachelem complectitur, Estherque conjungitur speciosæ præ amore deficiens Assuerus. Animus nimirum, ascensis his gradibus, dum ad defæcatæ B puritatis consummationem, quantum pura mortalitas pati potest, pervenerit, experientia suavitatis mirificæ liquefit; liquefactus clamat, et dicit: *Defecit in salutare tuum anima mea, et in verbum tuum supersperavi* (*Psal.* CXVIII). Memoriam abundantiæ suavitatis expertus eructat et laudat, miratur et clamat, dicens: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* (*Psal.* XXX.) Obsecro, charissime, si, te promovente Spiritu sancto, ad id loci quandoque perveneris, amici tui memoriam in tantis deliciis non postponas: memento, inquam, mei, cum bene tibi fuerit, et licet introducere nuptiali veste carentem non audeas, ne confundaris, amicum quærere vel indulgentiam delicto- C rum. Ego enim infelicissimus hominum, qui cum temere audeam de talibus commentari, nec primum adhuc gradum mereor attigisse; totus quippe in illicitis diversor, qui cum illicita tam sæpe commiserim, merui etiam licita mihi non licere. Quomodo audeo in cœlum os ponere, et de summi boni disputare natura vel gloria, cum malorum meorum me opprimens cumulus, me pene reddat bonitatis expertem? Quid ad miserum de rebus beatis agere? Quid ad vitiosum disserere de virtutibus? Quid ad corruentem deorsum pertinet quæ sursum sunt demonstrare? Heu! miser et moriens, pauper et ignobilis, jacens in sterquilinio criminum qua fronte proloquitur et perorat? Novo præsumendi genere de studiis philosophiæ philosophatur insipiens, et inexpertus non confunditur quod non D didicit edocere. Factus sum quidem insipiens, sed amor tuus me compulit, et mea sponsio cui tenebar: si excessi, da veniam, quia in mirabilibus et in magnis super se meæ parvitatis tenuitas ambulavit. Amodo utendum est mihi voce mediocri, et de his potius quæ ad curam vulnerum pertinent, sermo fiat. Igitur cum infirmis oculis splendor cœlestium sit difficilis, ad columnam nubis et caliginis lippientes oculos reflectamus. Columna sane nubis et caliginis est firma sublimitas nostræ Virginis, ex qua quidem sibi caliginem claritas deitatis obduxit. Dum enim Verbi omnipotentis splendor per conceptum Virginis obvolvitur nube carnis, quid aliud fuit in illa carne peccati similitudo nisi in nube

A caligo? *Nubes*, inquit, *et caligo in circuitu ejus* (*Psal.* XCVI); quia Verbi splendor et purissimæ carnis nube obvolutus est, et in eadem carne est infirmitate circumdatus. Sed in columnam quam præmisimus intendamus.

Attendamus quam firma, quam fortis, quam recta, quam levis, quam porrecta est, quam sublimis, quam firma est cui cœlum et terra innititur; quam recta quæ peccati maculam nescit; quam levis est quæ nullam duplicitatis fugam admittit; quam erecta est quæ meritorum altitudine omnem creaturam transcendit; quam sublimis est quam Altissimi Filius dignissimam sibi matrem ab æterno prævidit; quam felix est quæ Dei est et mater et sponsa, porta cœli, amœnitas paradisi, angelorum domina, regina mundi, sanctorum lætitia, advocata credentium, fortitudo pugnantium, errantium revocatio, pœnitentium medicina. O certa salus! o compendium vitæ! o spes veniæ unica! o suavitas singularis! Merito tu es domina. Penes te bonorum omnium est reposita plenitudo. Reconditi sunt apud te thesauri veritatis indeficientes et gratiæ, pacis et misericordiæ, salutis et sapientiæ, gloriæ et honoris. Tu mihi es in fluctuatione anchora, in naufragio portus, in tribulatione subsidium, in dolore consolatio. Tu es in oppressione subventio, in opportunitate auxilium, in prosperitate moderantia, in exspectatione lætitia, in labore recreatio. Quidquid de laudibus tuis garrire possum, tua est laude minus, omni laude dignissima. Si linguis hominum et angelorum eloquar; cum me totum effudero, parum erit. Ad illam potius tui laudem me transfero, quæ in amoris carmine sic cantatur: *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* (*Cant.* VI.) His verbis breviter et subtiliter, veraciter et sublimiter, laus exprimitur suæ gloriæ quadriformis. Cum enim nasceris, quasi rutilans aurora consurgis, ortus nimirum tuus vicem auroræ tenuit, in quo dies gratiæ cœpit; nox vero infidelitatis et ignorantiæ finem fecit. Cum Solem justitiæ concipis, more lunæ etiam fulgentis solis beneficio illustraris. Luna enim a sole lumen mutuat, quia ei natura spissioris corporis negat, unde quidquid habet pulchritudinis, habet ex beneficio mutuati splendoris. Cum Solem justitiæ paris, soli congrua similitudine compararis. Sicut enim dum prolato radio non corrumpitur aut minuitur solis corpus, sic te parientem non violat prolatio sacri partus. Et quid, o electa ut sol, quid est partus tuus, nisi solis cujusdam splendor æternus? Splendor hic ubique lucens etiam in tenebris, etsi tenebræ eum comprehendere non merentur. Denique splendor hic illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; sed homines dilexere magis tenebras quam lucem. Tibi autem, mater misericordiæ, competit electio solis, quæ splendoris æterni radios exhibes universis.

Cæterum cum de sæculo nequam assumpta es ad

possit capere fortiora. Cibus sane fortior est inimicos diligere, sui contemptu gaudere, usque ad crucis ignominiam Christum sequi, cum illo cruci affigi, pœnam sine culpa patienter amplecti, præ desiderio et contemplatione quæcunque terrena sunt oblivisci. Cibus iste grandium est, et eorum qui pro consuetudine, juxta Apostolum, exercitatos habent sensus. Utinam tu sis unus ex eis, qui cibo uti tam solido habearis! Mecum optime agitur, si infans præsepis incola, amator diversorii, teneritudini meæ de suis sorbitiunculis aliquid largiatur. Utinam detur mihi assistere Genitricis ejus uberibus, parvuli interesse vagitibus, et ex his discere quod tutum sit sapere, et retinere jucundum. De cætero, frater charissime, quia epistola modum excessit, ego hic finem loquendi faciam, non amandi. Obsecro te ut orationi insistas et operi. Adolescentiæ tuæ tempora veritati subjiciens et virtuti, venerabilem Patrem tuum salutabis ex nomine meo, sed et priorem quoque et cellerarium, quos sinceriter diligo, ex me fideliter salutabis omnes, cum opportune occurrerint, quos mihi charitatis glutino noveris adhæsisse, si schedulam istam penes te retinere volueris omnino, transcribe epistolam, et fratri Evrardo de Sarnaio, ipsius nomine in salutatione posito, ex parte mea transmittes, eadem quippe promissione petitioni ejus teneor, qua instantiæ tuæ fueram obligatus. Quod si, ut fieri solet, minus sederint animo tuo quæ scripta sunt, hanc ipsam schedulam, prius nominato ejus, ut dictum est, nomine posito, cum opportunum fuerit, ex parte mea dirigere non moreris. *Explicit.*

EPISTOLA XVI.

AD ABBATEM DE TURPINIACO (7).

Agit præsertim de amore, de pietate erga Dei Genitricem et in ejus Filium.

Patri et amico in Christo charissimo venerabili abbati de Turpiniaco, frater A. peccator, salutem in Spiritu sancto.

Sanctus amor, qui nos mutuo mentium nexu devinxit arctius, non differt ulterius reddere quod promittere non neglexit. Bene recolis, amantissime, nec excidisse tibi existimo, quid tibi fuerit, te instante, promissum. Tua certe dilectio, quæ tantopere gavisa est de promissione, suspendi exspectationis suæ gaudium non passa est vel oblivisci. Sed quid a me exspectas ut gaudeas, nisi amari fideliter, et id experiri fideliter [*f.* feliciter]? Erit quidem modus sane experientiæ tenor dulcioris epistolæ, si tamen dulci prodierit de affectu. Affectus mei dulcedinem meis experire in litteris, quanquam de affectu et testimonio operum affectus soleat certius æstimari, verum in affectu vis amoris intenditur, nec alium amoris mei tu quæris affectum, quam si in te totus transeam per affectum. Casti nimirum amoris sanctitatis ad interiora cordis se colligit, dum suspectum habet omne quod foris est, nihil securius esse existimat, quam, teste conscientia, se celari. O felix amor! cui est inimica spes sæculi, qui decurrentis mundi curis non curans, non sumit de carnis voluptate fomentum. Incentivum habet aliunde de cœlestium adeptione sollicitus, de terrenorum contemptu non negligens, ad omne quod non decet impatiens et de acceptis beneficiis non ingratus. Amor igitur sanctus habet in animi virtute seminarium, cui fundamentum et tenor est in incorruptæ desiderio veritatis. Tota mihi tecum est de amore materies, sed de illo, cui virtus in causa est, in studio veritas, puritas in desiderio, in opere pietas, in vivendi forma institutio disciplinæ. Nihil est amore dulcius, et cum ipse sui ipsius sit pretium, est etiam ipse pretium sibi. Contrariis certe rebus nomen amoris commune est, sed ex his quæ dicta sunt, suspicio tollitur universa. Quod si proprium velimus ei assignare vocabulum, dilectio in Scripturis, sive charitas appellatur; hoc interest quod nomen amoris naturalem magis sonat potentiam, efficientia vero gratiæ exprimitur nomine charitatis. Inter potentias animæ nulla est quæ amore sit dignior, dulcior nulla, nulla est æque fortis. Indignum plane ut quod nostri est melius, ad rei vilioris desiderium se inclinet, aut seipso gaudeat amor, aut si ipse sibi non sufficit felicius quærat gaudium in supernis; in supernis est gaudium quod de summi boni cultu et amore suscipitur, cum pietate et studio colitur singulari. Hoc bonum quod solum et summum est, sicut solo amore quæritur, amore solo apprehenditur, sicut apprehensum solo amore tenetur. Amor quærit, amor invenit, amor tenet et retinet, nec dimittit: *Tenui*, inquit, *eum, nec dimittam* (*Cant.* III). Amor quippe pie quærit, feliciter invenit, beate perfruitur et impletur. Non quærit sine lumine, sine suavitate non invenit, sine satietate non fruitur, nec finitur. Hoc bonum quod summum creditur, sicut nihil habet ultra se, sic infra quod sufficiat nihil habet. Summum quippe bonum Deus Trinitas est, ideo summum quia a se existens, per se sufficiens, plena potentia ingens [vigens?], plenam sapientiam habens, plena bonitate indeficiens. Invictæ est potentiæ, quæ existentiam contulit universis. Indeceptæ est sapientiæ, quæ dedit ordinem formamque creatis; incorruptæ bonitatis est, quæ utilitatis mensuram pro suæ voluntatis arbitrio singulis partita est creaturis. Hujus boni cognitio te bonum facit, felicem delectatio, sive dilectio, cujus perseverantia faciet de fruitione beatum. Verum ad splendorem tantæ gratiæ, ad gloriæ tantæ delicias, gradibus quibusdam animus proficiens evolat in sublime: Et primus quidem gradus est ab omnibus prorsus illicitis abstinere; secundus est, si ita contemnas illicita, ut nec veniant in affectum; tertius est quæque etiam licita, quantum necessitas patitur, fastidire; quartus est jugis et fervens observantia mandatorum; quintus est diligens et assidua animi circumspectio ad custodiam puritatis; sextus est vir-

(7) Turpiniacum, ordinis Sancti Benedicti monasterium, in diœcesi Turonensi, haud procul ab insula Burchardi et Chinone.

tutum ambitio, profectusque esuriens spiritalis; septimus est inter ipsas virtutes æmulari charismata meliora; octavus est in acceptis charismatibus humilis et devota gratiarum actio et vox laudis; nonus est, si, præ summi boni desiderio, nihil de visibilibus transeat in affectum; decimus est castigare memoriam, et corporeas imaginationes abigere.

Ne desideratæ Rachelis dulcedinem Balæ importunitas mentiatur; solet enim sæpius contemplanti accidere, ut cum Rachelis pulchritudinem, id est, contemplationis puritatem desideret; Bala ancilla Rachelis, id est corporalis imaginatio, Jacob desideriis se ingerat importune. De cætero ultimo loco Jacob Rachelem complectitur, Estherque conjungitur speciosæ præ amore deficiens Assuerus. Animus nimirum, ascensis his gradibus, dum ad defæcatæ puritatis consummationem, quantum pura mortalitas pati potest, pervenerit, experientia suavitatis mirificæ liquefit; liquefactus clamat, et dicit: *Defecit in salutare tuum anima mea, et in verbum tuum supersperavi* (*Psal.* CXVIII). Memoriam abundantiæ suavitatis expertus eructat et laudat, miratur et clamat, dicens: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* (*Psal.* XXX.) Obsecro, charissime, si, te promovente Spiritu sancto, ad id loci quandoque perveneris, amici tui memoriam in tantis deliciis non postponas: memento, inquam, mei, cum bene tibi fuerit, et licet introducere nuptiali veste carentem non audeas, ne confundaris, amicum quærere vel indulgentiam delictorum. Ego enim infelicissimus hominum, qui cum temere audeam de talibus commentari, nec primum adhuc gradum mereor attigisse; totus quippe in illicitis diversor, qui cum illicita tam sæpe commiserim, merui etiam licita mihi non licere. Quomodo audeo in cœlum os ponere, et de summi boni disputare natura vel gloria, cum malorum meorum me opprimens cumulus, me pene reddat bonitatis expertem? Quid ad miserum de rebus beatis agere? Quid ad vitiosum disserere de virtutibus? Quid ad corruentem deorsum pertinet quæ sursum sunt demonstrare? Heu! miser et moriens, pauper et ignobilis, jacens in sterquilinio criminum qua fronte proloquitur et perorat? Novo præsumendi genere de studiis philosophiæ philosophatur insipiens, et inexpertus non confunditur quod non didicit edocere. Factus sum quidem insipiens, sed amor tuus me compulit, et mea sponsio cui tenebar: si excessi, da veniam, quia in mirabilibus et in magnis super se meæ parvitatis tenuitas ambulavit. Amodo utendum est mihi voce mediocri, et de his potius quæ ad curam vulnerum pertinent, sermo fiat. Igitur cum infirmis oculis splendor cœlestium sit difficilis, ad columnam nubis et caliginis lippientes oculos reflectamus. Columna sane nubis et caliginis est firma sublimitas nostræ Virginis, ex qua quidem sibi caliginem claritas deitatis obduxit. Dum enim Verbi omnipotentis splendor per conceptum Virginis obvolvitur nube carnis, quid aliud fuit in illa carne peccati similitudo nisi in nube caligo? *Nubes*, inquit, *et caligo in circuitu ejus* (*Psal.* XCVI); quia Verbi splendor et purissimæ carnis nube obvolutus est, et in eadem carne est infirmitate circumdatus. Sed in columnam quam præmisimus intendamus.

Attendamus quam firma, quam fortis, quam recta, quam levis, quam porrecta est, quam sublimis, quam firma est cui cœlum et terra innititur; quam recta quæ peccati maculam nescit; quam levis est quæ nullam duplicitatis fugam admittit; quam erecta est quæ meritorum altitudine omnem creaturam transcendit; quam sublimis est quam Altissimi Filius dignissimam sibi matrem ab æterno prævidit; quam felix est quæ Dei est et mater et sponsa, porta cœli, amœnitas paradisi, angelorum domina, regina mundi, sanctorum lætitia, advocata credentium, fortitudo pugnantium, errantium revocatio, pœnitentium medicina. O certa salus! o compendium vitæ! o spes veniæ unica! o suavitas singularis! Merito tu es domina. Penes te bonorum omnium est reposita plenitudo. Reconditi sunt apud te thesauri veritatis indeficientes et gratiæ, pacis et misericordiæ, salutis et sapientiæ, gloriæ et honoris. Tu mihi es in fluctuatione anchora, in naufragio portus, in tribulatione subsidium, in dolore consolatio. Tu es in oppressione subventio, in opportunitate auxilium, in prosperitate moderantia, in exspectatione lætitia, in labore recreatio. Quidquid de laudibus tuis garrire possum, tua est laude minus, omni laude dignissima. Si linguis hominum et angelorum eloquar; cum me totum effudero, parum erit. Ad illam potius tui laudem me transfero, quæ in amoris carmine sic cantatur: *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* (*Cant.* VI.) His verbis breviter et subtiliter, veraciter et sublimiter, laus exprimitur suæ gloriæ quadriformis. Cum enim nasceris, quasi rutilans aurora consurgis, ortus nimirum tuus vicem auroræ tenuit, in quo dies gratiæ cœpit; nox vero infidelitatis et ignorantiæ finem fecit. Cum Solem justitiæ concipis, more lunæ etiam fulgentis solis beneficio illustraris. Luna enim a sole lumen mutuat, quia ei natura spissioris corporis negat, unde quidquid habet pulchritudinis, habet ex beneficio mutuati splendoris. Cum Solem justitiæ paris, soli congrua similitudine compararis. Sicut enim dum prolato radio non corrumpitur aut minuitur solis corpus, sic te parientem non violat prolatio sacri partus. Et quid, o electa ut sol, quid est partus tuus, nisi solis cujusdam splendor æternus? Splendor hic ubique lucens etiam in tenebris, etsi tenebræ eum comprehendere non merentur. Denique splendor hic illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; sed homines dilexere magis tenebras quam lucem. Tibi autem, mater misericordiæ, competit electio solis, quæ splendoris æterni radios exhibes universis.

Cæterum cum de sæculo nequam assumpta es ad

cœlestia, facta es omni nequitiæ spiritali terribilis quasi castrorum acies ordinata. Fuisti itaque aurora consurgens in ortu, lunæ pulchritudinem plane habuisti dum gratia plena facta es. Tu Verbi incarnati conceptrix soli merito comparata es manens illibata in partu, terribilis ut castrorum acies ordinata in transitu, quo cœlis lætantibus, angelis obsequentibus, sanctis exsultantibus, vexillis virtutum coruscantibus, terribilis dæmonibus apparuisti.

Igitur, charissime, tota est nobis fiducia in partu nostræ Virginis, et licet indignus existam, ejus laudibus insistere non desistam. Si indiges misericordia, apud viscera Virginis copiosior invenitur; si veritatis cultor es, age gratias Virgini, quia virgineæ carnis Veritas de terra orta est, quam tu colis, si pacis sectator es: nihilominus age gratias, quia ex ea tibi nascitur pax quæ exsuperat omnem sensum; si es executor justitiæ, vide ne ingratus sis Virgini, quam ipsius utero mediante justitia de cœlo prospexit; si fides tua aliquo partis contrariæ pulsu quatitur, respice Virginem, et quod erat titubans, stabile solide stabilitur; si concupiscentia carnis te delectat, respice Virginem et periculum castitatis aufertur: si mentem pulset elatio, in Virginem verte intuitum, et de merito humilitatis virgineæ tumor animi detumescit; si iracundiæ accensus es facibus, oculos leva ad Virginem, et de ejus tranquillitate mitesces: si de via vitæ te ignorantia aut error abduxerit, ad stellam maris Mariam respice, et in luce ejus ad veritatis semitam reduceris; si vitium avaritiæ idololatriam imperaverit, recole munificentiam Virginis, et cum paupertatis amore tibi veniet pietas largitatis. Ad omne periculum pietas Virginis subvenit, et potens est subvenire. Age gratias ejus partui, de cujus plenitudine charismatum universitas emanavit. Nobis peperit virgo, noster est partus, nobis natus est puer, et filius datus est nobis. Quam jucundum est et innocens colludere parvulo, coaptari cunabulis, vagitibus commutire! O quam felix infantia, quæ tali combalbutit infantulo, et ejus panniculis se involvit. Pannis quidem, quibus Verbum infans involvitur, sordes criminum derterguntur, vagitibus parvuli ploratus compensantur æterni, quos irrisores innocentiæ merebantur. Fascia qua stringitur in cunabulis, sanctæ est religionis districtio, cujus institutione religamur in claustris. Fenum in quo jacuit, quod subtus se habuit, indicat carnem quæ spiritui subjicitur. Quid Deus quia repositus est in præsepio, nisi quia animarum positus est cibus in altari? Præsepium quippe illud altare exprimit, quia in sacro-sancto Christi corpore animalia pia pascit. Hæc sunt quibus erga nos Dei amor ostenditur. Hæc sunt quibus amor noster accenditur et nutritur. Horum consideratio timorem incutit, ad pietatem movet, erudit ad scientiam, ad fortitudinem roborat, acuit ad consilium, illustrat ad intellectum, inflammat ad sapientiam, præparat ad coronam.

A Ideo nimirum Verbum omnipotens se abbreviavit in parvulum, ut infantibus infans congrueret, et se humilis humilibus coaptaret.

Tota interim sit nostra philosophia de Verbi incarnati infantia, et quæ ex ea metuntur aliquatenus erga nos amorem Dei studeamus pro viribus et fideliter remetiri. Eamdem dicere mensuram non audeo, quia sicut bonitatis ejus et sapientiæ non est numerus, sic amor ejus immensus est æternus. Se ex toto amat, qui totus essentialiter est amor, cui non est aliud amare quam esse. Quam differenter amant, amor et amans, affectus et afficiens, qui amor est et qui particeps est amoris! Totа se deitas effudit in hominem, totam se anima exhibuit ad obedientiam, totum se deposuit corpus ad mortem,

B mortem autem crucis, sic toto se nos amavit Omnipotens, et parum est si totum quod sumus, si totum nostrum modicum impendamus; nos pro illo mori volumus, et ipse maluit mori quam nostro deesset amori. Sed præmaturum est jam de morte parvuli agere, cujus paulo ante adjocabamus cunabulis, felici ejus infantiæ colludentes. Obsecro te adhuc revertamus ad cunas, adhuc infantizemus, cum parvulo, nostræ nutrimentum infantiæ de ejus serbitiunculis insumentes. Adjungamus nos sugenti ubera, si forte de prædulcissimo illo lacte nobis aliquid instilletur, mihi de collactaneis suis cum pectus matris non innudet, dat eis locum ut et ipsi inter ubera commorentur. Ubera illa de cœlo plena

C sunt et indeficienti suavitate reficiunt, nec lactentium multitudine vacuantur, sed nec mater illa se misericors negare solet lactentibus, licet totam illi unico se conservet. O ubertas indeficiens! O magna multitudo dulcedinis, quam de viscerosæ Virginis uberibus sugit esuries parvulorum! Si vis, bonum est nos hic esse, bonum est nos hic immorari diutius, nusquam alibi melius interim possumus quam hic esse. Mira hic novitas solis nota parvulis, ut angelorum nutrix Sapientia lacte Virginis indigeat enutriri. Quid mirum si nostræ paupertatis infantia edulium lactis hujus desideret, cum illo lacte se refici Dei Virtus et Sapientia glorietur? Isto quidem lacte matris esuries nostra pascitur, si ex pueri vagientis lacrymulis flammæ inferi restin-

D guuntur. In magnis proinde cordium agentes solemniis, auscultemus ipsos pastores quid referant nobis de splendoribus Orientis. Orienti nostro nec pastorum testimonia nec desunt præconia angelorum: *Testimonia tua, Domine, credibilia facta sunt nimis* (*Psal.* XCII), *Mirabilia testimonia tua, Domine, ideo scrutata est ea anima mea* (*Psal.* CXVIII). Quid enim sanctius? Quid sentiri suavius? Quid salubrius credi potest? Quid audiri utilius? Quid cogitari sublimius? quid verius prædicari? Et bene quidem in tanta cordis solemnitate jucundas agimus ferias: sed tamen diei instans austeritas est horrori; nec immerito splendorem tantæ sublimimatis obnubilat quod incontaminatæ carnis teneritudinem circumcisionis duritia martyrizet. Quis

sine compassione vel audiat carnem teneram incidi durius, quæ cum culpam omnino nescierit, finem criminibus dare venit? Jure in legem invehimur, quæ suis putat egere remediis Agnum innocentiæ singularis. Dura nimis circumcisio, quæ littera celebrabatur in spiritu, quæ carnem incidit, non vitium. Ad illam potius quæ cordis est transeamus. Sine tamen obsecro, sine puerum circumcidi, sine legislatorem legi dispensatoriæ subjici, et quod dedit ipse suscipiat, et ibi lex unde cœperat finiatur. Lex Christi amoris est veritas, quæ omne vitium circumcidit. Lex est amor, qui ligat et obligat, et cum excidat omne quod malum est, vix unquam excidere ipse potest. Charitas quippe unquam excidit, hic amor nos unit, hic amor solemnizat in cordibus quæ Christi cunabula non dimittunt. Hic amor in Magis visitat puerum triumque munerum mysteriis veneratur. Ecce interim festivitas nostra resplenduit, et mundi oriente splendidior ad verum orientem nos fidei stella perduxit: non bene dixi perduxit, nisi forte aliquid abduxerit nos ab illo. Penes illum immorari est melius, nusquam salus est alibi, nusquam securitas sine illo, semper teneamus quod nostrum est, nostra protendatur solemnitas usque ad gaudium Simeonis. Sine nobis sua eum mater non offerat in templo. Inveniat solemnis ejus præsentatio nos præsentes. Utinam casti amoris puritas unum par turturum in illa oblatione nos faciat! Utinam quasi duos pullos columbarum nos sanctæ exhibeat simplicitas charitatis! His enim virtutibus, his avibus figuratis nostrum nobis poterimus redimere Redemptorem. Nondum sane ad mortem est hæc ipsius oblatio, necdum congruit passio tempori vel ætati; castitatis amore, simplicitatis desiderio. Si neutri defuerit geminæ charitatis binarius, Jesum nobis possumus retinere. Nutriatur in nobis Jesus, proficiat apud nos ætate et sapientia, ut opportuno in tempore suæ sit idoneus passioni. Interim parvulus est, non cogitat de passione, potius apud eum de uberibus est agendum. Quod si Herodis gladios devitans aufugerit, Ægyptus eum non suscipiat sine nobis. Beatius est cum illo fovere latebram, quam in oculis hominum præsumendo de viribus grandia devitare. Quod si ipse voluerit, aut mater ejus consuluerit, nos remanere ad gladios, pium est pro innocentia trucidari. Cum de Ægypto redierit, cum eo habitemus in Nazareth, ut vernantis vitæ floribus valeamus suaviter redolere. Nazareth quippe flos dicitur, et eum convenit florere virtutibus, qui Filio Virginis solet familiare contubernium exhibere. Quod si duodennis jam factus, inconsultis parentibus, in Jerusalem remanere voluerit, felices nos si esse voluerit consocios facti hujus. O felix triduum! O totius festum lætitiæ! toto illo triduo vacare, illi intendere, verbis gratiæ refici, quæ de ejus ore procedunt: alibi eum quæri non convenit, in his quæ Patris sui sunt semper vult esse, nec nos ab eo utinam dividamur! Si ad fluenta Jordanis accesserit, Joannis intingendus baptismate, oportet nos fontem illuc prosequi, qui in tot et tantis ab ipso ablui indigemus. Abluti ab ipso, in ipso proficiemus multipliciter, ut apertione cœlorum paternæ vocis testimonio descensus sancti Spiritus in columba, ipsius Joannis præconio ipsum perfectius agnitum plus amemus. Huc usque Jesum prosecuti fuimus, quomodo deinceps, aut in desertum a spiritu ductum, aut tentatum a diabolo deseremus? alioquin qua fronte audebimus nuptiis interesse, aut insipidam aquam in vina transire pro deliciis probabimus, aut quomodo poterimus communicare gaudiis, si nolumus communicare pressuris? *Vos* inquit Dominus, *estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum* (*Luc.* XXII). Quam felix est voluntaria tentationum perpessio, cui regni cœlestis dispositio præparatur! Cæterum ad fidei robur, ad augmentum spei, ad incentivum amoris, qui de infantis innocentia convaluimus, necesse est jam in virum perfectum de virtute juvenis aliquid dicere. Jam puer excrevit in juvenem, dicentem mira, mirabilia facientem. Jam curat paralyticos, leprosos mundat, cæcos illuminat; surdis auditum, claudis gressum, mutis officium linguæ reformat; suscitat mortuos, siccis pedibus mare calcat, dæmonem fugat, ventis et pelago imperat, omnem infirmitatem solo imperio curat, peccatores ex misericordia suscipit; mentium cogitationes intelligit, de quinque panibus quinque millia hominum reficit, superbiam Pharisæorum et Scribarum scientiam ad omne verbum mira responsione confundit. His omnibus mirabilius est, quod omnimodam satagit patientiam ad omnem exhibere injuriam; et cum in summa innocentia sit, ei summa potentia nihilominus servat obedientiam summam: et in his omnibus noster est, et quos procul dubio ad ubera matris collactaneos habere voluit, a suæ obedientiæ fructibus non excludit. Obsecro te, cum pavere et tædere, et mœstus esse, instante morte, cœperit, manibusque tundi nocentium innocens ipse voluerit, ne relicto eo fugerimus; sed venditum, traditum, tractum ad contumelias corde conjunctissimo comitemur. Etenim sua redemptione nos redimit, sua traditione custodit, sua nuditate nos operit; et quia indebite cædi et conspui et deludi non respuit, debitam nobis ignominiam sempiternam excludit; quia facies ejus velatur et cæditur, quia genu flexo irrisorie salutatur, quia spinea ei corona plectitur, æternum a nobis opprobrium amputatur; quia sua crux ei ad bajulandum imponitur, quia extra civitatem ejicitur, quia toto corpore in ligno crucis extenditur, quia totum corpus lancea clavisque configitur, æternæ per hoc maledictionis sententia revocatur. Jam attende de corpore Agni quinque pernecessarios fontes perduci. Habemus geminos in totidem pedibus, totidem in geminis manibus; et dum apertione lateris profluit quintus,

veni, dulcissime, hauriamus aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.

Sed forte dicis : De vulneribus Domini mei video sanguinem manare et aquam. Ad quod ego : De latere Christi creduntur fluxisse sanguis et aqua. Quanquam Christi sanguis, qui sui pretio sanat, redimit et coronat, in eo aqua est, quod lavat, reficit et refrigerat. Lavat a peccato, reficit spe, refrigerat ab æstu carnalis concupiscentiæ. Verum aquæ de Salvatoris fontibus hauriuntur, cum fluenta gratiæ fidei labiis de Christi vulneribus extrahuntur. Itaque vulnera pedum fontes sunt, sed fontes olei, vulnera manuum fontes balsami, vulnus lateris fons est vini. Quomodo, inquis, cum de locis hujusmodi non videatur fluere nisi sanguis ? Audi quomodo. Oleum sanat, balsamum flagrat, vinum inebriat. Oleum est misericordia, quam ad pedes Jesu reus accipit, cum humiliter veniam petit. Ecce vides oleum manare de pedibus. Balsamum, eo quod de fontibus manuum profluit, profuit. Est pretiosa virtutum opinio, quam justus de Christi munificentia sumit. Reo satis est si veniam consequatur ; justo non sufficit, nisi virtutum gloriam mereatur. Illam præstat misericordia humiliter pedibus provoluto, hanc largitur magnificentia ad manuum munificentiam animi virtute erecto. Cæterum de cella vinaria confossi lateris exuberat vinum mirificæ vel vivificæ charitatis. Et certe si Christus est vitis vera, si caro est vitis uva, quomodo vinum non erit sanguis qui de carne decurrit ? aut quomodo sponsa Ecclesia in suis nuptiis sponso complaceret, si hoc ab ipso vinum in sacrosanctis mysteriis non haberet ? hoc est vinum quod lætificat cor hominis, dum sanguis Christi in anima generat sobrietatem amoris. Sed ecce quid, dilectissime, facimus ? Cur non fuimus ad amplexum pendentis, cum nos ad hoc ipse brachiis invitet extensis ? Cur non ad deosculandum accedimus, qui placidissimam illam faciem nobis exponi et coaptari videmus ? Cur non jugiter ubera vulnerum sugimus, pedum maxime ad quos prostrati jacemus ? Ecce consolator noster ad Patrem rediit, et tanquam verus obediens, capite inclinato, licentiam redeundi accipit : quasi enim licentiam redeundi accipit, dum, inclinato capite, spiritum tradit. Recedit pastor bonus, magister sapiens, suavis Dominus, amicus dulcis, pater pius ; et nos orphani, quid agemus ? Vides quia abcessum ejus a corpore corporea natura non patitur ; sed tota vertitur in lamentum ? Sol obscuratus est, quia occasui veri luminis morem exhibuit lamentantis, quia terræmotus agitur, quia petræ scinduntur, quia templi velum disrumpitur, quando cœlorum de morte actoris impatientia demonstratur. Heu ! quam inconsolabilis esset nostra desolatio, nisi de resurrectionis instantia fideremus ! Cito resurget a mortuis. Bonum sepulcrum non oportet deserere, sed cum beatis mulieribus emamus aromata, ut corpus mortui perungamus. Uti-A nam revertens ab inferis, nos Jesus aromatizantes inveniat, ut corpus ejus, id est, membra Ecclesiæ, maxime electos et pauperes pietatis et misericordiæ aromatibus condiamus ! O si quando ille se dilectrici Magdalenæ suæ redivivus amor reddiderit, nos illius lætitiæ participes fieri non refutet ! O felices nos, si cordibus nostris ille splendor resurrectionis infulgeat ; si, fermento malitiæ et nequitiæ expurgato, sinceritatis azyma carnem Christi pia aviditate voremus ! Cavendum est tamen ne huic nostro convivio lactuca desit agrestis, quia illi lætitiæ... minime, aut amaritudo mortis, aut metus peccati sollicitat. Est de periculo insolentiæ formidandum. Si igitur in hac nostra festivitate exsultaverimus cum tremore, et si de fermento B superbiæ moribus nostris miscuerit, etiam post peractam ascensionis lætitiam, adventum quoque Sancti Spiritus dabitur experiri. Ecce Spiritus sanctus amor est, et dignum est, amantissime, ut ibi oratio mea desinat unde cœpit. Ab amore quidem cœpi, ex amore magno scribere volui, et dixi quod potui de amore ; dulcis est amoris materies, dulcis et prædulcis affectio, et cujus est tam dulce officium, præmium quoque dulce erit ; nec aliud sanctus amor exspectat in præmio, nec ad aliam aspirat gloriam, quam ut valeat sui plenitudinem promereri. Implebitur autem, quando fons amoris Jesus de paradiso voluptatis prorupit, ut in suis aromatibus quoddam gloriæ diluvium operetur. C Amemus illum, et in illo nos amemus invicem, quia nihil est in vita felicius, quam amare fideliter et amari. Huic amori nullatenus amor mundi nos subtrahat, quia non est amor, sed amicitia amor mundi. Amor mundi sensum turbat aut præripit, suavitatem cordis evacuat, et dum sapientiæ Christi renititur, nihil agit aliud quam insanit. Caput nostrum, Christus est. Cujus capitis sensus est amor cœlestium, et aliena velle vel agere, est amentiæ, non amoris. Desinam te igitur in amore cœlestium, nec alibi melius te possum dimittere, licet hoc amore non desinam te amare. Amabo, inquam, quantum amor mundi me patitur, quia, fateor illud, sæpedictæ amicitiæ non sum expers. Infelix ego sæculi curis sub prætextu religionis inhæreo, D et qui mundi contemptum juraveram, relabor sæpius in Ægyptum, corpore manens in Ecclesia, mente mundana circumeo ; et cum debeo, quia video, cogitare de cœlestibus, in ambitum temporalium totus feror. Subveni, quæso, amico ; subveni, et cum tuæ orationis instantia fac jungi suffragia filiorum. Ea est veri amoris probatio, si pro eis quos in Christo diligimus, nostras Christo animas offeramus. Verum ibi specialius habeto mei, et fac haberi memoriam, ubi Agnus sine macula immolatur, quia omni est acceptius holocausto.

Cæterum venerabilem priorem meo saluta nomine, quem et mei dilectio tetigit, et Christi charitas vulneravit. Saluta fratrem tuum mihi dilectissimum, tibi autem fide et dilectione germanior

quam carne. Saluta monachum illum, cujus nomen mihi excidit, non excidit autem, volente Domino, mihi anima, quam in sinu meo visus est posuisse. Saluta juvenem illum qui in tantum sugit mel de petra, quantum est Christus, ut a petra traheret nomen, et animi firmitatem. Saluta illum in quo est gratia, qui gratiæ Dei et nominis appellatione, et animi devotione consentit. Saluta G. portarium, qui stans in portis justitiæ, mihi aliquid de cœlestibus reportabit. Saluta fratrem hospitalem, qui non solum terrenis devote ministrat hospitibus, sed et Christo hospitium in se fecit. Saluta totum sanctæ universitatis collegium, quia sibi sancta charitate me colligans, etiam in mea viscera se collegit. Super omnia et ante omnia, saluta mihi animam illam quam nosti mihi conjunctissimo corde unitam et agnitam, agnominatam quidem de nomine Agni, et ignitam ardoribus Spiritus sancti. Ad illam totum me deferes, totum me ingeres, illi et licet me in sancto amore possideat totum, per recentem tamen memoriam innovabis affectum. De perfecto amore Dei et contemptu mundi commone eam, de fugiendis hominum laudibus, de vitanda familiaritate sæcularium, ut tacito convinctiori corde sponso inhæreat, quanto nil sibi de ipso mundus usurpat. Stet et instet apud Deum pro excessibus meis, quia totum me cœpit in Domino ejus amabilitas charitatis. Salutet et ipsa ex nomine meo omnes animas illas quas nosse poterit nos amare, qui bonorum omnium indigemus amore. Non poterit autem de me illa dulcissima anima fructuosius commoveri, quam si hæc ei permittatis epistola ostendatur. Valeat et duret, et perficiatur in Domino sanctitas ejus, et vos omnes in Domino valeatis.

EPISTOLA XVII.

AD B. CANONICUM TURONENSEM.

Exponit quomodo Maria Dominum magnificaverit.

Domino et amico suo magistro B. canonico Turonensi, frater ADAM peccator, charitatem de corde puro.

Dilectionis vestræ parabam quidem parere imperio, sed dum me penitus imparem imperatis experior, hoc onus pene rejicio quod suscepi: non enim respondet ingenii tenuitas sublimitati materiæ, quam injungitis, nec conscientia culpæ cauterio vulnerata, de magnificis magnificæ matris Dei laudibus loqui secure præsumit. Animum quippe meum terrenæ intentionis pondere vergentem in infima terret majestativa quædam magnificentia, quam licet lippientibus oculis, tamen utcunque in excellentissima Dei matre considero, quæ jam ab angelo salutata, jam de Spiritu sancto imprægnata, jam in montana virtutum quarumlibet elevata, Joannis nondum nati motibus honorata, propheticis Elisabeth vocibus commendata, præ nimia cordis exsultatione clamat, et dicit: *Magnificat anima mea Dominum* (*Luc.* I). Unum vehementer timeo, ne omni laude dignissima Dei mater diminutione suæ laudis reputet quidquid

A incircumcisis labiis garrire potero, præsertim cum non sit speciosa laus in ore peccatoris. Verum quia sponsioni meæ teneor, et vestræ charitatis innitor suffragiis, ad cellam aromatum, ad apothecam sapientiæ, ad matrem misericordiæ Mariam me confero, ut cujus magnificat anima Dominum, magnificari, hoc est laudari non refugiat per os meum. Magnificat, inquit Maria, anima mea Dominum; attende primitus ubi magnificat Dominum. Certe in montanis, in civitate Juda, in domo Zachariæ. In montanis magnificatur Dominus, qui in campestribus blasphematur; in campestribus orant qui, secundum prophetam, *blasphemaverunt sanctum Israel*, et *abalienati sunt retrorsum* (*Isai.* I). In campestribus, inquam, maledictionis et confusionis Adam et

B Eva, qui, perdita carnis integritate, abalienati a veritatis altitudine, fecerunt sibi campestria; quippe qui veritatis montana perdiderant et virtutis. De valle itaque mundanæ vanitatis, de profunditate humanæ corruptionis, de campestribus communis iniquitatis, exsurgens Maria, abiit in montana cum festinatione. Montana sunt perfectionis fastigia; fastigia ipsa sunt veritas illuminatissimæ mentis, virginitas integerrimæ carnis, virtus Altissimi obumbrans ad gravidationem montis. Hæc sunt montana, in quæ Maria conscendit; hic et domus Zachariæ, hic civitas Juda. Civitas est hominum collectio numerosa sub una lege viventium. Populum hunc faciant rationabiles Mariæ cogitationes, sanctæ virtutes, ordinatissimæ actiones, quas in con-

C fessione laudis divinæ lex ordinat charitatis: Juda quippe *confessio* dicitur; Zacharias, *memor Domini*; domus Zachariæ est pectus virgineum mandatorum Dei memoriæ retentivum. In his montanis posita Dei mater, dum audit Elisabeth prophetantem quid futura sit, dum commemorat quid de Domino, angelo nuntiante, audierit, dum conscientiæ puritatem attendit, dum carnem suam ab omni extraneam corruptione perpendit, dum se totam in sublime agi divinitus conspicit, jam sæculo altior, jam omnem creaturam merito jure, prærogativa singularis gratiæ, immensitate lætitiæ transcendens, canticum novum cantat Domino, dicens: *Magnificat anima mea Dominum*. Magnificat anima

D Mariæ Dominum, quæ et ipsa magnificatur a Domino; nisi enim prius magnificaretur a Domino, non poterat magnificare Dominum anima Mariæ, magnificat ergo eum a quo magnificatur, magnificat non solum laude oris, non solum sanitate corporis, sed singularitate amoris. Multi magnificant lingua, sed blasphemant factis, et persequuntur superbia cordis; de quibus scriptum est: *Confitentur verbis se nosse Deum, factis autem negant* (*Tit.* I). Isti non magnificant, sed quantum in eis est nomen Domini minorificant. Hi sunt quibus apostolus: *Blasphematur per vos*, inquit, *nomen bonum inter gentes* (*Jac.*, II). At in Maria magnificat lingua, magnificat vita; magnificat anima mea Dominum lingua, magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur divinis laudibus

eloquendo, vita eamdem gloriam operibus promerendo, anima singulariter diligendo, contemplationis volatibus attingendo, mente et ventre incomprehensibilem magnificentiam comprehendendo. *Magnificat*, inquit, *anima mea Dominum*. Quomodo magnificas? Nunquid majorem facis eum cujus magnitudinis non est finis? *Magnus Dominus*, ait Psalmista, *et laudabilis nimis* (*Psal.* xcv). Magnus est et tam magnus, ut magnitudo ejus nec comparationem habeat nec quantitatem; quomodo ergo magnificat eum quem necdum de minimo facis magnum, nec de magno majorem? sed magnificas quia laudas, magnificas quia inter mundi tenebras sole lucidior, luna pulchrior, rosa fragrantior, nive candidior, divinæ cognitionis splendorem dilatat. Magnificas ergo non magnitudini primæ augmentum conferendo, sed lumen veræ Deitatis incognitum mundanis tenebris inferendo; Dominus quippe, quem magnificas, sicut ignorat defectum, cum sit æternus; sic profectum non recipit, cum sit perfectus. Æternus est, quia nec initium habet nec finem. Perfectus est, cui nihil deest ad plenitudinem. Hunc tamen tu magnificas, dum in tantum te meritis excedentibus elevas, ut gratiæ recipias plenitudinem, ut merearis sancti Spiritus superunctionem, ut mater Dei effecta, virgo perseverans, intacta, pereunti sæculo parias Salvatorem. Sed et hoc quando Dominus tecum, qui sua dona fecit merita tua: unde et tanto plus magnificare diceris, quanto amplius in Christo ab ipso magnificaris. Quid ergo est quia magnificat anima tua Dominum, nisi quia ipsa magnificaris per ipsum, ut et plenitudinem gratiæ magnifice consequaris, et ad magnificentiam gloriæ singularis gloriosis et superexaltatis virtutibus extendaris? extendaris, dico, quia Spiritus sancti rore tota complueris, tota cœlesti unctione perfunderis, ut in modum pellis unctæ anima tua tantum extendatur per amoris desiderium, ut ad ipsum perveniat Dei Verbum. Tu enim es fiscella Moysi, tu vas Verbi, tu cellarium novi musti, quo credentium debrietas debriatur. Tu Mater Dei, meta peccati, qua et de profundo emergitur vitiorum, et pertingitur ad delicias angelorum. Quam magnificata sunt opera tua, domina nostra, sed per illum quem magnificat anima tua! Hic plane deficit parvitas mea dum loqui nitimur de magnificentia tua. Dum enim tu in montana magnificentiæ virtutum conscendis, ut ibi magnificet anima tua Dominum, ego infelix in profunda miseriæ et vitiorum præcipitor, nec tenet anima mea misera in mundanis concupiscentiis modum. At tu, mater misericordiæ, quia sum sicut lapis in acervo Mercurii, et quasi plumbum in aquis vehementibus, et ponderosus sum, quia me movere non possum: trahe me post te, ut currere post te valeam in odore unguentorum tuorum, in tuarum exemplis respirare virtutum, pennis orationum juvari ut, te suffragante, prius discat anima mea Deum timendo a malo recedere, et postea tecum amando et justitiam operando magnificare Dominum, cui est honor et gloria, imperium et potestas in omnia sæcula sæculorum. Amen.

EPISTOLA XVIII.

AD FRATRES SUOS.

Commendat eis humilitatem et mansuetudinem, hortaturque ad portandum Domini jugum.

Fratribus et amicis in Christo dilectissimis, quos et Christi amor fecit unanimes, et Dei gratia nominis unius consortes, frater ADAM peccator, in re sui nominis permanere.

Alterius vestrum devota me compellit instantia vos aliquibus de virtute animi commonere, et certe cum utrumque vestrum sinceritate diligam, et nos in multa sinceritate diligatis alterutrum, ego autem refundi in me plenius vestræ bonum sinceritatis experiar; quid aliud vobis loqui potero, quam quod amorem sapiat et virtutem? Verum de puteo aquarum viventium mihi hauriendum est quidquid per me sitis vestra sibi meruit propinari. Puteus aquarum viventium Christus est. Abyssus inaccessibilis luminis, inattingibilis gratiæ plenitudo. Altus est puteus, nec humilitas mea in hoc in quo hauriat habet, nisi vicem funis oratio jugis exhibeat et pro hydria sit desiderium me immergens. O felicem illum qui hinc extrahere potuit fluenta sapientiæ salutaris! Arida est anima quam putei hujus fluenta non irrigant. Non virtutum est idonea ubertati. Fons iste convallibus influit et emissiones sui mellifluas consuevit humilibus elargiri. Experitur animus humilis quantæ sit suavitatis infusio, quanta ubertate corda tali rore respersa pinguescant. Quam familiaris est Sapientiæ cœlesti humilitas, quam ferax virtutum, quam locuples meritis, quam capax est cœlestium secretorum! Tota quippe acclinis est actio, tota aviditate aquis incumbit viventibus, nec aliquo pacto respicere patitur quidquid sibi vitæ desiderium non accendit. Viventes sane aquæ putei sunt, dona multiformis gratiæ Christi, aquæ sunt quia lavant, quia refrigerant, quia refocillant; viventes sunt, quia negotium mortis exterminant; in puteo sunt, quia secretum divinæ elationis et causas tam secretæ ordinationis omnibus non revelant. Hæ quippe absconditæ a sapientibus et prudentibus, et parvulis revelantur, solis nimirum humilibus eorum cognitio vera datur et perceptio, quam præsumens de se superbia non meretur. Felix itaque est humilitas, quæ in his aquis meretur habere lavacrum, ne quid in ea contaminationis appareat vel remaneat. Meretur refocillationem ut in omni certamine fortis existat. Nec enim verus humilis sine certaminibus tentationum esse potuit: præsertim cum superbia semper contrariæ sibi humilitatis et si non speciem tamen gloriam æmuletur. Nil quidem humilitate gloriosius, cujus gloriæ sublimitatem licet superbia usurpative appetat, humilitatis tamen speciem, quia abjectior est, vix usurpat. Usurpat tamen aliquando, cum sine illa vane gloriari non prævalet, a quo astutius humilitatis prætextu

se palliat secretius, ad cujus expletionem elationis prorumpat intentio. Discite filii esse humiles, et ab illo discite, qui hujus magister est efficax disciplinæ Christus, siquidem disciplinæ hujus magister est, quam non modo verbo et lingua prædocuit, sed opere et veritate tenenda esse monstravit. *Tollite*, ait magister bonus, *tollite jugum meum super vos, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI), etc. Quatuor tibi, homo, discenda esse proposuit, si bene intelligis, et retines quæ mandavit. Proposuit tibi quid discere, a quo discere, quomodo discere debeas, et quo fructu. Discere debes esse mitis et humilis corde, et ab illo discere qui est mitis et humilis corde; discendi modus est tollere jugum ejus super te, discendi fructus est animæ tuæ requiem invenire; *et invenietis*, inquit, *requiem animabus vestris* (*ibid.*). Ars igitur quam discere debet Christianus et Christi discipulus, imo quæ facit Christi discipulum mitis humilitas sive mansuetudo humilis appellatur. Peritia hujus artis non in multitudine verborum, non in sermonis elegantia, non in quæstionum perplexitatibus, non in conflictibus disputationum, sed in morum experientia et in purioris conscientiæ testimonio retinetur. Mansuetudo enim tranquillat mores, animumque componit, neminem lædit, neminem concutit, nemini patitur calumniam irrogare, contemptum sæculi delicias reputat, terrenæ strepitum fastidiens actionis, peccatorum occasionem præstruit, intercludens aditus vitiorum, corporalium sensuum januas sollicitudini disciplinæ committens, intus agit Sabbatum innocentiæ in pacis æternæ feriis solemnizans. Mansuetudo quippe dum suspectum habet omne quod foris est, ad sui largitoris manum consueto more se colligit desursum, ut de intus inde reficiatur exspectans. Mansuetudo quæ manus suetudo dicitur, quia sic ad Christi manum facta est, ut ad aliud quam ad ejus gratiam non aspiret. Humilitas vero comes individua mansuetudinis, et ipsa piæ tranquillitatis ejus ferias æmulatur. Hinc est quod inter injuriarum molestias quas plerumque pati necesse est, satagit non irasci. Parum dixi, satagit non irasci; quin potius in tribulationibus vera humilitas gloriatur. Humilitas Pauli libenter in infirmitatibus gloriatur, nec reputat gloriam, nisi quod redoleat Christi crucem. *Absit*, inquit, *mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (*Galat.* VI). Sicut mansuetudo applaudit innocentiæ, sic patientiæ fidit humilitas, per quam omne gaudium existimat cum in tentationes varias contigerit incidisse. Igitur et ipsa humilitas pressa pondere sui nominis, humi læta residet : cui omnis fere suspecta est altitudo : humi siquidem residere non confunditur, non erubescit terram se fateri et cinerem, ut cum elegerit abjectiorem locum, ad digniorem quandoque cum gloria provehatur. Scriptum est enim : *Qui se humiliat exaltabitur* (*Matth.* XXIII). Humi residens scandalorum spinas, tentationum tribulos non veretur : quæ ad ipsam compungendam de humo sæpius proferuntur ; adhærens

A quippe terræ, teritur et conteritur, et contritionis utilitas conculcatam lætificat, ut in vocem exsultationis erumpat, et dicat : *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies* (*Psal.* L). O me miserum! o me infelicem ! hujus artis expertem, hujus felicis prophetiæ ignarum faciunt me cordis impuritas et iniquitas actionum, adhuc perfecte cum illis me habere sentio, quibus inclamat Dei Spiritus terribiliter in Propheta : *Filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium* (*Psal.* IV)? Plumbei cordis gravitas, et multivolæ vanitatis dilectio falsæ jucunditatis apud me mendacio delectantur. Specie tenus veritati deservio, sed timeo ne revera virtutem non habeam pietatis. Orate instantius, vigilate instantius et sollicitius, B ne nostra charitas suæ existimationis damnum sentiat in amico. Sed jam ad magistrum a quo discendum est, sicut lingua, ita et animo revertamur. Iste magister est Dei ipsa Sapientia omnium artifex, quæ essentiam dedit universis et formam. Ipse est Verbum omnipotens, qui docet hominem scientiam. Ipse est Patris unigenitus, primogenitus nostræ Virginis, qui sacrificio præfert misericordiam : est enim plenus gratiæ et veritatis, a quo omne animal accipit benedictionem, sicut scriptum est : *Et imples omne animal benedictione* (*Psal.* CXLIV). De magistro hoc considerandum est, unde venerit, quid passus sit, quo abierit, quid promiserit, quid minatus sit. Ex corde Patris venit, sicut Pater ipse loquitur, C dicens : *Eructavit cor meum verbum bonum* (*Psal.* XXXIV). In cor Virginis venit, sicut eidem Virgini dicitur : *Dominus tecum* (*Luc.* I). Cor suum nobis aperuit, cum semetipsum exinanivit, ut nos humilitatis doceret exemplum. Cor nostrum sibi quæsivit, cum se amatorem et habitatorem cordium esse ostendit, dicens : *Deliciæ meæ sunt, esse cum filiis hominum* (*Prov.* VIII). Constat igitur quod qui ex corde nascitur, in corde matris Virginis conversatur, ex corde loquitur, se mansionem cordium diligere protestatur, sicut nonnisi mundo corde videtur, ita nonnisi mundo corde sentitur. Si igitur viri cordati estis, si habitatorem cordium Jesum intra vos sentire diligitis, necesse est ut omni custodia corda vestra servetis, sicut scriptum est : *Omni custodia serva* D *cor tuum* (*Prov.* IV). Hanc custodiam cordis habuerat, et in cor suum cordium dilectorem attraxerat qui dicebat : *Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum* (*Psal.* LXXII). Ecce unde venit, unde processit vita cordium, magister cordatus, scilicet a corde. Ejicienda est proinde de corde nostro omnis impuritas, ut sentiri possit dulcor, unicum gaudium singulare. Concupiscentiam carnis eliminet veritas castitatis; concupiscentiam oculorum longe faciant disciplinæ gravitas et internæ desiderium puritatis. Elidant superbiam vitæ, paupertatis amorem, contemptus honoris. Ideo Verbum per carnem venit, ideo hunc veniendi modum elegit, ut in carne quam accepit intra Virginem, dediscat caro vitæ carnalis amorem, nec debuit Verbi divinitas se sine carne

offerre carnalibus, nec melius potuit in hominibus amor rerum carnalium emori, quam si eos de cœlestibus instrueret Verbi præsentia incarnati. Jam quid de tanti negotii doctrina dicemus? Doctrinam ipsius commendant indubitata veritas, et cœlestis altitudo Sapientiæ. Vitam, cui doctrina testimonium perhibet, prædicant consummatæ justitiæ opera, et summa viscera misericordiæ. Honorant passionis obedientiam summæ innocentiæ puritas et humilitas patientiæ singularis.

De cætero illuc rediit unde venit, naturam vestram mortis triumphatione, in qua paulo minus ab angelis minorari voluit, ultra omnes angelorum altitudines in consessu paternæ dexteræ sublimavit. Ecce ibi sumus, ibi vivimus, ibi regnamus. Regnamus plane ubi substantiam nostram regnare gaudemus. Minime illinc abesse possumus, ubi jam potiorem nostri partem capit hominis. O felices nos, hujus capitis membra sumus, si huic capiti unitate fidei et amoris compagine cohæremus! In hoc jam promissionis arrham accepimus, quia ipsum dixisse in Evangelio minime dubitamus: *Volo, Pater, ut ubi sum ego, illic sit et minister meus* (*Joan.* XII). Cum promisisset se suis gratiam daturum et gloriam, et interim gratiam tribuat confidite, et gratia bene utentibus gloriam parat. Tamen nec in tempore gratiæ sancti sine gloria vivunt, sed de testimonio conscientiæ cum Paulo gloriantur, et dicunt: *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* I). Verum, ne quis de promissione gloriæ nimis confidat, aut de gratiæ successibus insolescat, memor semper divinæ comminationis existat. *Væ*, ait, *his qui perdiderunt subsistentiam* (*Eccli.* II). Et in Evangelio: *Væ vobis, divites, qui habetis consolationem vestram. Væ qui ridetis nunc, quia plorabitis et flebitis* (*Luc.* VI). Igitur a virtute deficientibus et de præsentis vitæ solatiis confidentibus, fletum oculorum et stridorem dentium comminatur, qui mites et humiles interim de testimonio conscientiæ, et pro modo de perfruitione gloriæ consolatur. Hæc sunt, filii, quæ discenda et scienda sunt de magistro, a quo discendum est quidquid utiliter est sciendum; verum ab ipso minime discit, qui discendi modum tenere contemnit. Discendi modum magister ipse describit, dicens: *Tollite jugum meum super vos* (*Matth.* XI): jugum enim ejus tollere super se, est discendi modum tenere. Et quid jugum ejus, nisi amor ejus? Jugum, inquam, ejus est amor permanens, fidelis, et sanctus, et suavis, rectus et dulcis. *Jugum*, inquit, *meum suave est*, *et onus meum leve* (*ibid.*). O amoris jugum, quam delectabiliter oneras! quam dulciter capis! quam suaviter ligas! quam leniter premis! Hic amor, hoc jugum idcirco jugum dicitur, quia, Verbi et animæ suave conjugium jungens, nullo divortio patitur separari. Non sentis animam tuam novitate fidei adolescentulam, confessione lotam, innocentia candidam, casti timoris pudore verecundam, humilitate maturam, custodia disciplinæ compositam, patientia roseam, charitate jucundam, pietate amabilem, amictu justitiæ decoratam, Verbo Dei quodam contractu fidei desponsatam? O cum ad id loci pervenerit anima, cum in cellam hanc vinariam introducta fuerit, quid non deinceps poterit de sponso cognoscere, aut in quo dilectæ suæ se poterit ille celare? Hic jam requiem sibi anima felix invenit, et jam disciplinæ suæ percipit fructus, cum jam discendi remanet labor nullus. Hic locus speciosus ad videndum, spatiosus ad manendum, et ad pausandum quietus, cum usque pervenerit anima, et hanc sibi requiem beatam invenerit, tunc lætabunda et laudans clamabit: *Hæc requies mea in sæculum sæculi* (*Psal.* CXXXI), etc. Tunc innixa super dilectum suum, totaque illi adhærens, sicut non poterit aliud quam illum diligere, sic nec poterit, nec oportebit aliunde gaudere. Tunc speciosa et suavis et tota deliciis affluens, suave illud epithalamium jucunditate mirifica decantabit: *Dilectus meus mihi*, *et ego illi* (*Cant.* I). Ipse illi plena lætitia, ipse integra gloria illi erit, cum ad quietis hujus felicitatem perveneritis, sive interim, sive raptim, et transeuntes per desiderium, sive felicius per mentis excessum, sive beatius per vitæ terminum, rogate, quæso, me gloriæ vestræ fieri participem, quem hic habetis in amore consortem. Estote interim de animi virtute servanda solliciti, quia per virtutis indeficiens exercitium, ad præmium pervenitur æternum. Nunc igitur quia vester sum, quidquid boni est in vobis reputans meum, nunc de me in Christo estote solliciti, qui in ipso esse non possum immemor vestri. Valete.

EPISTOLA XIX.

AD QUEMDAM AMICUM.

Hortatur ad mundi contemptum.

Rogasti me sæpius, frater charissime, ut tibi scriberem aliquid unde tibi et fidei fervor accresceret, et morum ædificatio proveniret. Placuit mihi petentis devotio; et quia me annuendo debitorem constitui, aliquando teneor solvere quod promisi. Erit igitur mihi materies animi virtus, quam haud parum promovet mundi contemptus. Certe quantum appetitur animi virtus, tantum devitandus est amor mundi; amor quippe mundi inimicum Deo constituit; econtrario virtus desiderium parit æternorum. Nisi æterna fuerint in desiderio, nullatenus ex corde quæruntur. In desiderio autem esse non possunt, nisi virtus ad videndum illuminet, et ad diligendum inflammet. Neutrius istorum, scilicet luminis et amoris, capax est animus, quem mundanæ cupiditatis terrenitas inquinat et obscurat: ista nimirum terrenitas et lutosam in se habet fœtulentiam, cujus contactus mentem commaculat; et obtusam grossitudinem, cujus objectus lucem supernæ majestatis et claritatis ne possit penetrare retardat. Abjicienda est igitur terrena cupiditas de appetitu animi, ut exaltatus animus de terra, cœli vicem exhibeat cœlorum habitatori. Certe cum omnium sit Conditor Deus, cum cœli et terræ sit Dominus, nonnisi in cœlis habitationem habere dicitur: cum procul

dubio cœlorum nomine corda cœlestia designantur. Corda cœlestia sunt, quorum est in cœlis conversatio, quorum ornatus et cælatura est ex virtutum sideribus, qui tantum se a terrenis fæcibus mente separant, quantum cœli a terra locorum positione, et rerum ordine distant. O appetenda sublimitas! o splendor virtutum mirabilis, ubi locum non habet amor labentium, sed feliciter animus figitur in mansuris, dum respuitur vanitas; dum iniquitas devitatur, dum spiritui corpus subjicitur, dum pro sola vitæ fragilis necessitate, usus temporalium quæritur! Sic amor mundi ad cor accessum non invenit, dum veritatis amor et virtutis studium in corde sobrio famem generant æternorum. O felix esuries, omni refectione jucundior, quam in fine satiat infinitæ beatitudinis plenitudo! Ad hanc plenitudinem hominem condidit amor omnipotens; sed dum noluit intelligere ut bene ageret, devenit ad inopiam miserrimæ paupertatis. Factus est itaque miser homo, de pleno vacuus, de locuplete indigens, de stabili profugus, exsul de cive, de glorioso ignobilis, de honorabili ignominiosus; quippe qui de similitudine Creatoris, et de paritate angelicæ dignitatis, infelici commercio comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis. O utinam, homo, solum tibi accessisset humana mortalitas, ut perdita benignissimi Conditoris similitudine insensato pecudi compareris, et non majori infelicitate pene in omnibus pecude inferior habearis! Cum enim sis carne corruptior, vita peccati turpior, insitæ rationis abusione insipientior, corporis quoque sensibus invalidior, obligatione mortis æternæ infelicior, dum in his omnibus tibi jumentum præcellit, unde in te captivata natura superbit? præcellis tamen pecudibus insitæ rationis beneficio, secundum quam tibi impressa est nobilissima Conditoris imago. Ratione uti, ut convenit, est impressam servare imaginem; illum cujus imago diligere, est ejus retinere similitudinem. O quantæ est felicitatis et gloriæ creaturam suo similem fieri Creatori! Hanc vobis præstat gloriam amoris sinceritas, quo, dum Deo conformes efficimur, exsecramur omnibus modis maculas peccatorum. Amor nimirum sanctus eo est corruptionis impatiens, quo semper animum ad desiderium incorruptionis accendit.

Hæc extentio desiderii rugam duplicitatis in corde non patitur, pariterque tumorem elationis elongat. Amoris hujus benignitas livorem fugat invidiæ, et opponit iræ motibus dulcedinem lenitatis. Amoris alacritas anxietatem excludit tristitiæ, et contra rapacitatem avaritiæ exhibet antidotum largitatis. Tam sobrius est sanctus amor, ut quia suspectam semper habet carnis mollitiem, gulæ et ventri velit parcimoniam principari. Tantum ei placet honestatis propositum, et tanta est ei in servanda honestate circumspectio, ut non modo fœditatem abominetur luxuriæ, sed nec etiam respicere valeat quidquid potest esse tantæ turpitudinis incentivum;

A suspecta enim habet verba et nutus petulantiæ, loca et opportunitates subterfugit, et quaslibet satagit occasiones præscindere, ex quibus splendor honestatis conscientiæ vel infamiæ discrimen incurrat; oportet enim sanctos habere testimonium ab his qui foris sunt, et providere bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Cæterum tibi virtus est in desiderio, sed adhuc coram hominibus de specie virtutis confunditur. Non arbitror enim virtutem habere ad meritum, de cujus ostensione displicere formidat oculis pessimorum. Sunt plerique quos delectat virtus, sed videri erubescunt, quia esse appetunt, aut faciunt, aut facere se fingunt plerumque in contrarium, pluris habentes morem sæcularibus gerere quam ad interni sui pectoris B arbitrium, juxta conscientiæ testimonium, se habere. Crudelis est sane qui famam negligit, et cui crudelitas propriam vulnerat famam, non est misericordia quæ conscientiam facit sanam. In omnibus, fili charissime, erit tibi respectus in Jesum, quem nosse est vivere; diligere, salus, sequi, gloria, consequi summum bonum. Quod si non sufficit ipsum attendere Verbum in sinu Patris, ubi est solidus cibus gaudium; vel mecum attende ipsum in partu Virginis breviatum, in lacte virgineæ carnis comminutum, ut sorbiciunculas habeat infantia parvulorum. Verbum quippe omnipotens, sicut sua potestate nos condidit; sic sua miseratione nos refecit; et quemadmodum innocentia suæ humiliationis nos C erudit, ita innocentiæ passione redemit. Facti ergo ab ipso, refecti per ipsum, convivamus ipsi, conversemur in ipso, quia ipsum sentire et sapere exhilarat conscientiam; ipsum laudare et honorare commendat famam, ipso frui et perfrui præstat gloriam sempiternam. Amen.

EPISTOLA XX.

AD A. DE VITREIO.

Piis eum informat sermonibus

Domino et amico suo magistro A. de VITREIO, frater ADAM dictus abbas Perseniæ, sapere quæ sursum sunt, non quæ super terram.

Ut quæ devotio tua, frater amantissime, petiit, et quæ imperitiæ meæ promisit præcipitatio, tandem impleat sacræ studium charitatis, arguis me men- D dacii, quod minime promissa solverim. Est reprehendenda oblivio quæ promissum fidei suo fraudat effectu. Nunc igitur si apud te est locus pœnitentiæ, negligentiæ meæ dabis veniam, quia fateri sine tormento confusionis non audeo me tibi aliquando fuisse mentitum. Devote itaque petis et instanter pulsas ad ostium, ut tibi scribatur aliquid unde normam in te excipias, quasi aut doctus aut potens sim magistris correctioris vitæ tradere instituta. Non sermo mihi tam potens, non vita tam venerabilis, non tam conspicui mores, ut esse valeam aut debeam sapientibus in exemplum. Verum totius directionis linea, ad quam morum inæqualitas et animi tortitudo deprehenditur, Christus est, cujus subesse magisterio summa sapientia est, cujus ferulæ sub-

ducere manum virtus est approbata. Ipse est enim innocentiæ pelagus, fons misericordiæ, patientiæ magisterium, fluvius sapientiæ, gloriæ splendor, Verbum omnipotens, quod quamlibet super terram intra Virginem, super crucem breviatum sit, omnis sapientiæ et scientiæ thesauros in se absconditos retinet et custodit. Hoc Verbum omnipotens cordi nostro inscribitur, non pergamenum conscientiæ illud retinet, quam suis ducta lineis innocentiæ puritas non componit. O felix! o super aurum et topazion appetenda inscriptio, ubi cœlestis sapientiæ Verbum lineis animæ superscribitur, quas facit et exarat innocentiæ rectitudo, æquitatis propositum, intentionis simplicitas, mansuetudo infantiæ spiritualis! Ad infantiam istam se Verbum istud inclinat et aperit, et quemlibet sui brevitate, hoc est istud inclinat et aperit, hoc est sui exinanitione, obscurum sit. Lucidius tamen de eo ratiocinatur humilitas, et dum sapientibus et prudentibus splendor ejus absconditur, familiarius revelatur innocentia parvulorum. Ex ore enim infantium et lactentium perfecisti laudem qui ante sæcula a Patre genitus et modo a matre genitus, qui modo infantes genitos rationabiles sine dolo lac facit suæ incarnationis concupiscere, quo enutriti valeant unum Verbum ad plenum formare, alioquin quomodo ex ore infantium laus perfecta fieret, nisi ad plenum Verbum formaret illud infantia, in quo meritorum fundatur perfectio, ex quo plenitudo gratiæ et veritatis emanat?

Denique quod infantes, id est non loquentes, Verbum istud lactet et enutriat ostendit, juxta prophetam, medium illud silentium, cujus tempore sermo omnipotens a regalibus sedibus veniens (*Sap.* XVIII), dum se hujus mundi sapientia obscurum exhibet, sui intellectum uberius parvulis administrat. Certe quemadmodum Verbum istud nonnisi ex ore infantium sonat, nonnisi ad silentes accurrit, sic ipsius Verbi glotta, hoc est Spiritus sanctus, nonnisi in aquis Siloe quæ fluunt cum silentio Verbi sacramentum exponit. Aquæ Siloe quæ fluunt cum silentio populus Sion, populus sanctorum est, in quorum feriis cultus justitiæ silentium custoditur. Aquæ Siloe quæ fluunt cum silentio flumina gratiarum sunt, cœlestes doctrinæ de fructu sapientiæ, de vitæ refrigerio prodeuntes. *Super quem,* ait Verbum vitæ, *requiescet Spiritus meus, nisi super humilem et quietum et trementem verba mea?* (*Isa.* LXVI.) Denique Spiritus sanctus non incongrue Verbi glotta, id est lingua dicitur, unde et in igneis linguis super apostolos veniens, eis de Verbi sacramento exposuit quidquid ad doctrinæ plenitudinem necessarium fuit. Quidquid enim obscuritatis sui abbreviatione Verbum incarnatum contraxerat, totum elucidavit magistra unctio Spiritus sancti, dum et tantæ exinanitionis causas edocuit, et ad explicandum magisterium ineffabile linguas infantium erudivit. Unde et ipsum Verbum pro similitudine carnis peccati obscurum, pro brevitate corporis a suæ majestatis immensitate contractum, de suo expositore loquens ait: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis* (*Joan.* XVI). Si vis igitur intelligere Dei Verbum, si desideras ejus glottam legere et intelligere, Spiritum sanctum, humilitate opus est et quiete cum obedientia mandatorum. In omnibus requiem quærit spiritus sapientiæ, et humilitate quietem comparat, et quietem conscientiæ mandatorum exsecutione defendit. Qui enim tremit verba Dei, ipsa timorate exsequitur. Porro in tali exsecutione tremor exsultationi miscetur: Unde David: *Servite Domino in timore et exsultate ei cum tremore* (*Psal.* II). Cæterum pius obedientiæ labor perseveranti non completur instantia, nisi interim status rectitudinem mutabilium amor vanus et lubricus inquietet. Quieta denique opus est mente, ubi lucem sapientiæ timor officiosus accendit. Non enim facile lucerna in vento accenditur, nec meretur tam aeris turbati commotio lumen serenitatis amictum. Necessaria est ergo humilitas quæ ventosam excludat superbiam, et cordis aerem sereniori puritate tranquillet. Idonea est hæc tranquillitas jubar divinæ illustrationis suscipere, nec sedem illam refugit spiritus veritatis, cui verax humilitas requiem procuravit. Non hic radices mittit pullulans in omne malum cupiditas, non hic tumultuatur ambitio, non hic inimica pacis contentio locum habet, non hic superbiæ trabes cordis obscurat oculum, non virtutis palliatione se latebrosa celat simulatio, non hic mollities cordis effeminati jactitat impudentiam, non superba divitiarum jactantia per extensa in perticis mutatoria gloriatur, non hic irritamentis gulæ ventris procreatur ingluvies, nec ipsa ciborum intemperantia libidinis rabies excitatur. Sicut vitiis ita et divitiis abrenuntiat Verbi discipulus, cultor virtutis et paupertatis amator, non fœdatur vitiis, non jocis dissolvitur, non marcet otiis, non in carnis desideriis æstuat, non deliciis affluit, non incumbit muneribus, non prædis inhiat, non prædiis dilatandis insistit, considerans nimirum quam arcta et ardua est via quæ ad vitam graditur, et angusta porta qua ingreditur. Prompto animo tribulationes amplectitur et angustias, totus cruci inhærens non sine damno reputat quidquid ei crucis imaginem non repræsentat. Totus denique est in disciplina discipulus Verbi, ut ex ubere disciplinæ humilietur ad timorem, ad scientiam erudiatur, et ad patientiam exerceatur, ad gloriam elimetur. Cum enim illud divinum recolit: *Ego quos amo castigo, et arguo* (*Apoc.* III), eo se præsumit Dei filium, quo se sentit verberibus cœlestis disciplinæ subjectum. Non enim deest disciplina Verbi magisterio, nec disciplina est expers verberis cum trahat nomen a verbere Verbum Patris, quia et virga suæ potestatis verberat aerias potestates, et per virgam de radice Jesse, ex qua cor paratum est, nostros correxit errores. Verbum enim incarnatum dum in carne sua verbera sustinuit, quæ nobis debebantur, dum flagellis dorsum exposuit, suos imitatores ad disciplinæ suffe-

rentiam informavit. Disciplina quippe pacis nostræ est super eum, et livore ejus sanati sumus. Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit, quia, si supra dorsum ejus dorsum innocentiæ fabricaverunt peccatores, debent corpus noxium corruptum vitiis flagellis subducere pœnitentes.

Inspiciamus, si placet, quot disciplinas innocentiæ Verbum in passione susceperit, quarum procul dubio fidelis Verbi discipulus est imitator et prædicator existit. Septem sunt, ut considero, quarum primam sustinuit in flagellis, secundam in sputis, tertiam in colaphis, quartam in spinis, quintam in clavis, sextam in esca fellis, septimam in lanceatione lateris. In his septem disciplinis vere liberalibus tota patientiæ Christianæ prophetia consistit. Ecce proposui tibi speculum in quo te intuearis sæpius, verius agnoscas, plenius accipias donum et gratiæ formam et virtutis. Tuum scire, tuum sapere, totum in Jesu sit, ultra quem nil est appetendum, citra quem non animo consistendum. In ipso nimirum relucet paternæ gloriæ splendor, in ipso redundat Spiritus sancti unctio suavis : unde Christi nomine quo signatur, suos participes potens est insignire. Est enim Christus unctio infirmorum, ægrotantium salus, condimentum vitæ, conscientiæ illustratio, unctio misericordiæ, pinguis suavitas bonitatis. Ipse est in peregrinatione viaticum, in certamine virtus, in triumpho victoria, in corona præmium, in repatriatione gloriæ plenitudo. O super omnia et præ omnibus suavis repatriatio, in qua terminus miseriæ ponitur, aspirat dies nescius noctis, risus lætificat qui non vertitur in dolorem! O jucunda temperies, in qua gloriæ redivivum mortalitatis hiemem fugat, lacrymarum imbribus finem ponit, et æternæ renovationis immutatione cœlis reflorentibus suavis illa in cymbalis bene sonantibus resonat cantilena : *Hiems transiit, imber abiit et recessit, flores apparuerunt, vineæ florentes odorem dederunt*, etc. (*Cant.* II). Tunc intra abyssum luminis discipuli veritatis et æternam de mortis evasione securitatem, et plenam de Dei visione lætitiam obtinebunt. Bonum est nos hic esse, nil amplius discere, non amplius quærere aut volumus aut debemus. Ego quidem dabo finem sermoni, tu insiste orationi, et operi ut tecum obtinere valeam quod audisti. Amen, amen.

EPISTOLA XXI.

AD AMICUM.

Excusat se quominus adversus Judæos scribat.

Dilecto suo, ADAM Perseniæ dictus abbas, instanter et importune.

Petisti, frater charissime, ut tibi scribam aliquid quo et credentium fides firmari, et infidelium maxime Judæorum possit pertinacia confutari. Verum cum multa sint penes me, quæ huic petitioni tuæ effectum invideant, tria sunt quæ meis potissime in hac ratione conatibus obviare videntur. In primis videre mihi videor, quia pugnam istam conten-

A tioso magis animo, quam studio veritatis affectes; secundum, quia quemadmodum contentiosis veritas non elucet, ita nec nos ad contentionem quemquam armare verbis aliquibus decet : sicut enim contentiosi esse nolumus, sic nec contentiosos diligimus; multominus ad contentionem debemus inducere, aut operam impendere contendenti. Ut enim ait Paulus ad Timotheum : *Servum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati* (*II Tim.* II). Tertium est quia, si id etiam pietatis studio quæreres, labor est prorsus inutilis de fide cum Judæis contendere · quos Dei judicio internæ constat cæcitatis tenebras incurrisse. Incrassatum est quippe cor populi hujus, et,
B donec plenitudo gentium introeat, sicut in nocte, ita et in meridie palpabit, carnalis Israel sua infidelitate cæcatus. Obduruit namque in silicem, licet carnalis sit, imo corde obcaluit in duritiam adamantis : unde per prophetam dicitur : *Peccatum Judæ scriptum est stylo ferreo, in ungue adamantino* (*Jer.* XVII). Sicut enim lapis adamas nulla pene scissione dissolvitur, sic Judaicæ infidelitatis duritia nulla ratione vel auctoritate mollitur. Non est igitur impar cæcitas cum illis habere de veritate conflictum, ubi conflictus nullum prævalet obtinere fructum. Sunt tamen plerique, qui non tam rerum examini, quam verborum certamini dantes operam, magis gloriantur de plausibus hominum vanis,
C quam de vivente judicio veritatis. Damnanda prorsus insania veritatis negotio in vitium vanitatis abuti. Væ illis qui veritatem de injustia detinent, qui ponunt lucem tenebras, qui de justitia inaniter disputant, qui vanitatis inania de soliditate fulciunt veritatis. Inimica plane veritati est vanitas, nec de jure potest confutanda vanitas inimicos revincere veritatis. Non decet igitur ut qui vanitati dat operam, incorruptæ veritatis negotia pertractet. Veritas quippe est incorruptio et totius æquitatis splendor et linea. in quam omnis enormitas et tortitudo offendit. Absit ergo ne incorrupta veritas ad sui defensionem corruptoribus egeat! Magis in ipsos vanitatis invehitur sectatores. Veritas certe simplicitati amica est, et de humilitatis innocentia
D gloriatur. Non quærit quæ sua sunt, non affectat quæ vana sunt, nec in mundi amatoribus locum habet. Cœlestis nimirum sapientiæ splendor est veritas, quam non assequuntur nisi pauperes spiritu.

Quid igitur tibi et illi? Tu pelago vanitatis transmersus es, et submersus in diluvio aquarum multarum! et tu audes de veritatis splendoribus somniare? Nonnisi in populo honorificato hæc sapientia radicavit. Longe est ista a curis curiæ, ubi magis incuria pene incurabilis dominatur. Sub dominatione ista perit fides, et justitia exsulat, et veritatis illustratio cessit tenebris vitiorum, regimen istud sua Christum cruce spoliat, ut jam non re, sed solo nomine cruci mittet Christianus. Cum his potius de fide disserendum est, qui Dei Filium habentes

ostentui, Judæorum facti participes, Christum iterum crucifigunt. His oppone te ipsum, si te fidei confitearis amicum, quia si fidei amicus es, qui pro ea decertare velis et valeas, procul dubio a te exsulat sæculi amor, qui Dei constituit te inimicum. Scriptum quippe est, *quia qui voluerit esse amicus hujus sæculi, inimicus Dei constituitur* (*Jac.* IV). O infelices animos qui cœlestibus amicitiis amorem præferunt terrenorum. Cœli et terræ Dominus universis præferendus est, non modo verbo et lingua, sed opere et veritate diligendus. O animos a vera nobilitate degeneres, quæ dum divinæ similitudinis nihil commune cum terrenis fæcibus habet, nec carnalis amoris amentiam comitatur! Cor nimirum sursum elevans, sidereis splendoribus inserit, nec divinæ imaginis pulchritudinem intus patitur, deformitate fœdari. Non hic avaritiæ idololatria, non superbiæ tumor, non libidinis fœda rabies, non malitiæ horrenda cæcitas ibi locum obtinent; tibi ex proposito divinæ similitudinis dignitas conservatur. Honor iste non pascitur jocis, non otio solvitur, non induitur mollibus, non se cibis ingurgitat, non plausus hominum quærit, non spectaculis delectatur, non hic schaccorum otiosa subtilitas mansueti cordis felix otium inquietat, non hic infelicis aleæ ludus male redimit tempora, quæ toties cum fastidio defluuntur, quoties sine sceleribus transiguntur.

O curas hominum! O quantum est in rebus inane!
(PERS. *Sat.* I.)

O utinam sola esset in curis hominum vanitas, et non iniquitas se sociam faceret individuam vanitati! Imo certe iniquitatis mater vanitas, partuque vipereo iniquitatem vanitas parit. Genimina viperarum sunt hæc, sed ab his liber est animus, qui ad usus debitos sola utitur ratione. Debitus enim rationis usus, quantum ad intelligentiam cœlestium perficit, tantum a curis mortalium mens elongatur. In ratione quippe positus est divinæ status imaginis, et similitudinis honor : unde jumentum sapit non hominem quoquam divertere extra lineas rationis. Per lineas enim rationis ducta et directa operatio, aut fidem ne moriatur custodit, aut jam mortuam ad vitam reducit : *Fides enim sine operibus, mortua est* (*Jac.* II). Unde non ibi dicenda ratio, ubi minime recta intentio reperitur; quia si de beneficio rationis fuerit intentio recta, rationabilia erunt opera procul dubio, quæ, sicut dictum est, aut fidem mortuam poterunt suscitare, aut ne mori valeat providere. Moderamen igitur rationis affectibus nostris per Dei gratiam ordinem tribuit, sit virtutum materies, morum æquitas, disciplina operum, totius seminarium honestatis : affectus enim animi circa rationem dispositi, virtutum effectus et nomina sortiuntur.

Cæterum irrationabilis est vita, ubi ratio non erudit intentionem, ut recta sit; nec voluntatem afficit, ut sit pia; de eadem enim luce, incorporeæ scilicet rationis, intentio illustratur ad rectitudinem, et exhilaratur ad pietatem voluntas. Verum hæc in fidelium cordibus fiunt. Nam hujus gratiæ penitus est expers infidelis : *Sine fide enim impossibile est placere Deo* (*Hebr.* II). Et Apostolus : *Omne quod non est ex fide, peccatum est* (*Rom.* XIV). Sed nunquid fidelem dixerim, in quo fides est mortua, et qui fidei operibus contradicit? An non contradicit operibus, qui verbo confitetur se nosse Deum, factis autem negat? Non videtur fidem sapere, cujus animus incompositus, vultus turbidus, sermo insulsus, actus inhonestus, impudicus oculus, tactus illecebrosus, avidus vitii appetitus. In fide non regnat cupiditas, non tumultuatur ambitio, non elatio tumet, non ira fremit, non sordet luxuria, non ventris ingluvies porcum sapit. Qui talis est, fidelis non est, nec eum convenit fidei negotia pertractare. Quod si tua tibi conscientia perhibet testimonium, te hujusmodi subjectum pestibus, consulo tibi cum illis familiarem habere conflictum. Liberatus ab his, jungaris fidelium numero, potens etiam alios ad fidei regulam revocare. Melius pugnat pro fide operis unctio, quam sermo. Efficacius est exemplum boni operis ad persuadendum de fide, quam si pro fide in multiloquio disceptetur. Felix tamen doctrina oris, cum scientiæ præloquitur operatio! Felix in quo fides attestatur utrumque! Satage igitur honeste vivere, ut tua tibi fides ad justitiam reputetur. Tu enim te totum testimonio fidei debes, fidei quippe minister et Evangelii præco factus es de jure et officio sacerdotis. Vide ne desit officio animi virtus, ne ad fidei defensionem vel præconium minime idoneus habearis. Tunc enim fides est, quæ te faciat virtutis participem, si fidem, et operis veritas, et decus castimoniæ comitetur. Angelicæ incorruptionis æmulare gloriam, quibus participatione nominis, officii sublimitas te conjunxit; scriptum quippe est in Malachia : *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, quia angelus Domini exercituum est* (*Malach.* II). Custodi igitur a maliloquio labia tua, quibus concessum est de officio totius gratiæ et efficaciæ verba loqui. Non hoc certe concessum est angelis, nec hujus gloriæ officium angelica natura meretur sacrosancta tractare mysteria, terribilia sacramenta conficere, non est spirituum, sed hominum, quos tanti gradus sublimare gloriæ vocatio divina dignatur. Sacerdotibus quidem cooperantur angeli, nec omnino possunt deesse mysterio, ubi Rex angelorum inter manus hominis incomprehensibilia operatur. Quantum ergo putas sacrilegium os vanitati polluere et mendacio quod semel incorruptæ consecratum est veritati? quo pacto de eodem fonte dulces et amaræ aquæ possunt effluere, eademque labia veritatis deformari eloquio falsitatis? diffusa est gratia in labiis tuis, totiesque erit lac et mel sub lingua tua, quoties illa ad mysteriorum efficaciam pronuntias verba. Mel, inquam, et lac sub lingua tua, quoties ad prolationem tuam sub visibilibus speciebus Deum hominem constituunt verba illa. Verba nosti. Tre-

menda est sacrosancta eorum prolatio, et vis incomprehensibilis mysterii efficax, quæ sacerdotum ministerio sunt concessa divinitus.

Quo igitur pacto erit sub labiis tuis labor et dolor et venenum aspidum, cum tanta tamen possit in labiis tuis verborum vis? A multiloquio igitur et vaniloquio, a stultiloquio et turpiloquio, et falsiloquio et maliloquio, debes os tuum compescere, quia cœlestibus consecratum mysteriis constat esse. O quam puro corde, quam mundis manibus, quam simplicibus oculis, illa actio exsequenda est, in qua agitur de Virginis partu, de Agni passione, de redemptione hominum, de criminum indulgentia, de virtutum plenitudine, de lætitia angelorum! Quis tibi es et qualis, ubi inter manus tuas Virgo de Spiritu sancto concipit, cum te proferente B verba mysterii illibata, visibilis oblationis substantia in divinæ carnis substantiam transit? Quo pacto ad vanitatis superflua, ad materiam petulantiæ, ad fomenta libidinum, illos oculos ex proposito vertis, quibus et virginei partus munditiam et Dominicæ passionis innocentiam in tuis fieri manibus intueris? Qua fronte audes tuis digitis inhonesta tangere, quibus tractas honestatis auctorem, amatorem innocentiæ, gratiæ largitorem? Manus tuæ sanguine plenæ sunt, et ad candidissimam sindonem Dominicæ carnis eas mittere non formidas? Vide, fili, ne si te rapacitas avaritiæ forte lupum fecerit, Agnus fugiat potius quam exspectet: et revera lupi præsentiam agni teneritudo non sustinet: sicut nec milvii ingluviem gal- C linæ pullus; sic nec accipitris rapacitatem columba. Et quidem non ex metu Agni hæc fuga agitur, nec in veritate suæ carnis præsentiam etiam pessimis denegat, sed eos fugit quando ad perniciem et ad judicium se sumi a talibus sinit. Magis ex præsentia lupi Agnus occiditur, cum indigne accipiens, vel inhoneste conficiens, reus Dominici corporis et sanguinis invenitur. Quomodo ergo, qui talis est, Judæorum infidelitatem redarguit, et de reatu Dominicæ mortis convincit, qui sacramenta indigne accipiens, ejusdem se culpa reatus involvit? Et illi quidem, si cognovissent, nunquam gloriæ Dominum crucifixissent. Tu cognoscis et occidis, quoties reus corporis et sanguinis ejus indigne D accipiendo efficeris. Longe exsecrabilius est viventem et regnantem in sæcula iterum male vivendo crucifigere, quam cum in mortalem adhuc et humanum subjectum indigentiis Judæus nesciens voluit desævire. Deterior fidei hostis est falsus Christianus, sciens et persequens, quam Judæus persequens et ignorans; sed intra fidei sinum nullus malo atrocior sacerdote, qui non mala ignorantia, sed avaritia Christum persequitur, cui tanto debuerat familiarius obsequi, cohærere firmius, ministrare fidelius, quanto se dignantius et mirabilius credit illi. Verum (quod sine gemitu dicendum non est), sacerdotes nostri temporis ita se vitiis armaverunt in Christum, ut in ipsum potius A quam pro illo conjurasse videantur. Arma ferunt in ipsum, qui pro ipso pugnare debuerant; et virginem ejus, hoc est Ecclesiam, sicut ait Propheta, constuprantes, *usque ad verticem* corruperunt. (*Jer.* II.)

Denique vita eorum facta est omnibus exemplar malitiæ, sentina criminum, spectaculum ignominiæ, ambitionis materies, et totius aversionis forma deformis: quorum est inexplebilis et inexplicabilis avaritia, libido insatiabilis, ambitio infinita. Simonem nimirum et Giezi imitantes, domum Dei in templum idoli infelici commercio mutaverunt. *Avaritia enim*, ut ait Apostolus, *est idolorum servitus* (*Col.* III), cujus quæstum pietatem putantes, nullum admittere sacrilegium reverentur. Plus enim curant nummos quam animas, plus muros quam mutos, plus canes quam pauperes; plus denique carnis suæ quos de fornicatione suscipiunt, quam matris Ecclesiæ filios, quibus præesse et prodesse tenentur. O infelices istos, qui de suo volentes honorari ministerio, ipsum omnimodis ministerium inhonorant! Jam enim vituperatur eorum ministerium, dum per illud, non Christo, sed sibi ministrant, satagentes ex fructu officii suæ satisfacere voluptati. Se crucis Christi servos fatentur, dummodo ex illa emolumentum carnale suscipiant; sed beatam sequi crucis ignominiam erubescunt. Sic cruci serviunt, ut non crucem sentiant, cum potius sub obtentu crucis, de crucis beneficio carnis luxuriam et mollia voluptatum consectantur. O sæculis omnibus detestanda abusio! ideo colere crucem, ut habeas unde vaces illecebris, unde sumas velamen malitiæ libertatem. In cruce Christi et crucis obsequio summa et sola libertas est; sed quibus cordi unctio est, et veritas in affectu. Cæterum amatores sæculi, contemptores cœlestium, plerumque dum exsequuntur omne quod pium est, de crucis titulo se tuentur; cæci enim sacerdotis officium, nisi cruci militat: tu tamen videris utrum verum redoleas sacerdotem. Bonus sacerdos est in quo commendat dignitatem ordinis ordinatæ studium actionis. Bonus sacerdos est qui non modo Patri immolat Filium, sed semper satagit immolare seipsum, alioquin quomodo comedit, vel immolat agnum, qui nec Ægyptum deserit, nec renes accingit? Hebræis tantum et egredientibus de Ægypto licet agnum immolare paschalem. Non est Ægypti sacrificium istud, quin potius agnum vel ovem edere dedignantur. Ægyptius est sæcularis, quem delectant peccatorum tenebræ, cui placet Pharaonis damnatio, cui cordi est in luto et latere occupatio. Ægyptus *tenebræ* sonat, Pharao *dissipatio*, lutum et voluptatum mollities, quam in lateris duritiam consuetudo convertit. Non ista agentibus agnum immolare præcipitur, sed Israelitæ ad solitudinem festinanti; renes accingit continentia, de tenebris educunt veritas et sinceritas, generatque pœnitentiæ amaritudinem lactuca agrestis.

Vide igitur, tu qui Agnum immolas, utrum exeas de Ægypto. Quod si revera egrederis, immola reverenter. Non debet deesse immolatis renibus castitatis cinctorium, nec manibus fidei baculus, nec pedibus exemplorum calceamenta sanctorum. Pedes affectus sunt, manus opera, quorum utraque munienda sunt, affectus exemplis de imitatione sanctorum, opera fide ad eruditionem malorum multorum. Si hæc tibi defuerint, et tamen ab Agni immolatione non temperas, non es Israëlita, sed Ægyptius; non es fidelis, sed apostata; non es sacerdos, sed sacrilegus; non es defensor fidei, sed offensor. Cæterum, quid tibi dicam de blasphemiis, quæ de tuis toties sonare labiis audiuntur? Quia enim tu jurationem putas, et ex populari temeritate vertisti in consuetudinem, nos blasphemiam esse docemus et dicimus, et credimus. Certe cum verba sacerdotis, aut vera sint, aut sacrilega, toties nomen Dei sui in vanum assumere, non est jurare, sed blasphemare. Quid illud est quod sacrilego ore, corde tam impuro, tam incircumcisis labiis, etiam inter actus diabolicos beata Jesu membra in jurandi, imo in blasphemandi consuetudinem adducuntur! Non est hoc humanum, sed prorsus diabolicum, perditæ mentis homines, sub obtentu juramenti impiis garrire vocibus quod totis tremebundum cordibus, totis visceribus est amandum. Non audet, nec potest ipse diabolus in Christi majestatem delinquere, nec tantum excedere potuit in Christum Judaïca quidem ignorantia, quantummodo in ipsum infelicissimi Christiani delinquunt. Si nosset diabolus, si nosset Judæus, Domino gloriæ pepercissent. Christianus credit, et despicit, agnoscit et abjicit, adorat et blasphemat, orat et impugnat. Age igitur pro fide tua, pro officio tuo, ut omittens interim disputare cum Judæis superflue, quia nec ad te pertinet, deteriores illis fidei tuæ domesticos verbo et vita instruas Christianos.

EPISTOLA XXII.

AD AGNETEM VIRGINEM.

Litteris mandat quæ in conventu virginum palam disputaverat.

(Ex ms. B. Mariæ de Misericordia Dei et Claravallensi.)

Agneti virgini Christi, frater Adam dictus abbas Perseniæ, inter virgines prudentes deputari.

Tanti mihi est, filia, in amore Christi amor tuus, ut sicut non possum negare quod postulas, ita nullatenus volui petita differre. Adeo præceps est amor sanctus in omne quod virtutis est, ut, dum semper spiritualium suspirat ad incrementa profectuum, indesinenter aliquid sibi providet incentivum. Verum mirum in modum amori sancto sic proficere, languere est, et quo amplius in desiderium virtutis extenditur ardor cordis, eo magis mens a se deficiens proficit in Deum ex desiderio liquefacta amoris. Utinam languidulam te amor iste reddiderit, et ad ignitum eloquium sponsi tui

A liquefacta sit anima tua, ut possis ex sententia animi dicere illud amantis : *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est* (*Cant.* v). Tu igitur ex verbis meis accendi desiderans, petisti instantius, ut quæ aliquando in conventu virginum, te præsente, ad ipsarum ædificationem disputaveram, traditum litteris recollectum breviter tibi transmittere non negarem. Verum cum tenor sermonis illius, aut ex toto, aut ex parte maxima elapsus sit, cum eadem mihi sit materies et causa eadem, te orante, aderit idem spiritus qui de eodem capitulo, et si forte non eadem, dabit tamen non diversa sentire.

Capitulum est ut recolis : *Domine, bonum est nos hic esse* (*Matth.* xvii). Quis hoc dicit? amicus B sponsi et sponsæ custos Petrus, eo in Christo solidus, quo Christum specialius amans totus erat amoris flamma ignitus. Et revera quid melius, quam amatorem amoris in amore incorruptionis persistere; et non solum fidei oculo incommutabilem pulchritudinem intueri, sed etiam certissimæ spei brachiis amplexus stringere, purissimæ affectionis tenera miscere oscula, confabulationibus sinceri cordis sponsum vel interpellare præsentem, vel invitare absentem? Sponsus quippe virginum fons amoris est, dulcedinis pelagus, abyssus gloriæ, unica amantium consolatio : qui cum fideli sponsæ semper sit majestate præsentissimus, dilectione proximus, quamdam tamen ejus absentiam indicat C crucians et liquefaciens animam inexstinguibilis desiderii effectus; mens puri amoris desiderio liquefacta dum tota suspenditur, ad plenariæ gaudium consolationis, molestissime tolerat dispendia dilationis. Dum defectibus tamen suis reputat, quia non apprehendit quod amat, eo subtilius in amoris desiderium proficit, quo ex defectu suo se humilians ex consideratione propriæ infirmitatis sui sublimitatem attendit amoris. Ex hoc Verbi sponsa talibus constricta articulis, mandat dilecto per nuntium quod amore langueat, quod absentis anxietur desiderio, quod amabile vulnus charitatis sustinere non prævalet, nisi se speciosus forma præ filiis hominum Sponsus per præsentiam manifestet. Inde jam sequens Agnum quocunque D ierit, pascens cum eo, et cubans in meridie, non jam ei tanquam absenti nuntios dirigit; sed oculo ad oculum videns, et facie ad faciem colloquens, exclamat et dicit : *Domine, bonum est nos hic esse.* Ac si dicat : Jam non amore langueo de absentia tui; jam non me cruciat vis dilati desiderii, sed in tui præsentia, tota per amorem convalui, quia habere tui præsentiam, non languere, sed sanari est. Felices tamen, et multum felices sunt, qui ex tali languore deficiunt, quia nulla est animæ medicina, quæ languoris hujus desideriis non fuerit liquefacta. O quam salubris est languor iste, quam satians et reficiens Sponsi desiderium, quam longe est a salute, quæ hac vulnerata non fuerit charitate! Sed hoc melius experitur sponsa, quam ser-

vus. Illa quippe quo tenerius diligitur, eo securius atque secretius de familiari contubernio gloriatur. Sponsa nimirum in cubiculi secreta admittitur, et inter arcana tori maritalis solemnia sponso munda et ineffabili commistione unitur Ex hoc jam de Spiritu sancto concipiens, vernat et virginat virtutum sobolem, bonorum operum procreat filios, id habens remedio in languore amoris, ut his fulciri floribus quærat, et stipari talibus delectetur malis. Verum id languor agit amoris, ut per spiritum et desiderium sanitatis quam affert et offert Dei præsentia, sint et flores immarcescibiles et imputribilia poma. Flores enim in horto Sponsi sunt virtutes in desiderio animæ, quos facit immarcescibiles, et charitas quæ nunquam excidit, et desiderata æternitas quæ finem nescit.

Cæterum mala, et per corticis colorem, et granorum multitudinem significant et multiplices carnis passiones in sanctis, et multiplicitatem bonorum operum in unione et ardore charitatis. Hæc sponsa in se melius experitur et sentit, quippe quæ, ut dictum est, intus admittitur, et eo ad divini consilii secretum purior pervenit, quo nudior ab integumentis carnalibus et corporis imaginibus incorruptæ veritatis thalamum conjunctius subit. O quam ineffabilis est hujus copulæ spiritalis oblectatio! ubi dum de medio tollitur quidquid carnis est, eo ad omne gaudium dilectum suum anima constrictius apprehendit, quo se nuditati innocentiæ ejus incorruptæ veritatis nuditas non abscondit. Sed si forte boni hujus interdum absentia sponsam languere fecerit, dum continue habere desiderat quod semper habere non sufficit, dum differtur inconsolabiliter quod immobiliter appetit, tunc interim fulciri floribus quærit, quia aut de intellectibus Scripturarum, aut de exemplis sanctorum, aut de innocentia actuum spiritualium, aut certe de profectibus aliorum se pro tempore consolatur et pascit: *Fulcite me*, inquiens, *floribus, stipate me malis, quia amore langueo* (*Cant.* II), tanquam dicat: Quoniam de dilecti absentia crucior, quia interim amabili ejus præsentia frui non mereor, forte si fuero fulcita floribus, si fuerit lectulus noster floridus, per florum redolentiam mihi restituetur dilectus. Et hæc quidem sponsa. Quid autem servus? vix in vestibulo stare permittitur, admittitur nunquam, ejicitur sæpius, crebrius vapulat, quippe quem timor foris portandis hominibus deputat, et propriæ conscientiæ reatus flagellat. *Ejice*, ait Scriptura, *ancillam et filium ejus* (*Genes.* XXI); ideo servum, quia ancillæ filium; ideo ejectum, quia servum, quia servus non manet in domo in æternum. Ego, ego ille infelix sum, a quo tu non ancilla, sed Domini mei sponsa, et ideo domina mea de amore Sponsi requiris, quem si tamen divini contractus jura non violas, per te melius sentis, apprehendis tenerius, oblectabilius experiris. Quo ergo pacto, tam leviter de cubiculo Sponsi egrederis, et de interioribus tuis foris servum Sponsi tui consulis, præsertim cum nesciat servus quid faciat dominus ejus? Intus, intus, bone Jesu, quæreris melius, inveniris citius, teneris strictius, dulcius oscularis. Cum te osculato Agnes Agni sponsa, quia diffusa est gratia in labiis tuis, jubilare poterit, et epithalamium illud sacræ virginis Agnetis psallere: *Mel et lac ex ejus ore suscepi* (*Cant.* IV), et: *Sanguis ejus ornavit genas meas.* — *Revertere ergo, revertere, Sulamitis, revertere, revertere, ut intueamur te* (*Cant.* VI). Discurre per hortum conclusum, et scito in cubilibus et in hortis aromatum tuum deliciari dilectum. Quam speciosa facta es et suavis in deliciis tuis, si fœdera cœlestis matrimonii illibata custodis! si candorem suum immarcescibiliter retinet odor lilii virginalis, si candori intermista virgineo genas animæ tuæ rosa purpurat castitatis! Talem pulchritudinem in genis animæ quærit, qui scrutatur renes et corda. Quærit ut tota pulchra sit amica ejus, quia ipse est speciosus forma, non solum præ filiis hominum, sed etiam præ vultibus angelorum. Quam elegans est facies sponsæ! quam et candor virginalis innocentiæ lacteam reddit, et verecundiæ tenerioris rubor suffundit; alioquin imitatur pallorem candor, qui nullo rubore suffunditur, nec lilium castimoniæ habet gratiam, quod non facibus amoris ignitur. Talis est dilectus tuus, candidus et rubicundus, quem et munditia virginei partus profert in lilium convallium, et roseus cruor ex inæstimabili charitate effusus in martyrum tinxit purpureum ornamentum.

Cum igitur hæc animadvertis et diligis, et introducta interius experiris, sive te languidam reddat, sive inebriet et absorbeat vis amoris, puto, exclamas et dicis: *Domine, bonum est nos hic esse.* Introducta quippe in cellam vinariam, ad Sponsi transfigurationem videndam proveheris, dum illic proficisceris proficis, sed dum proficis nescis. Quare hoc? Quia advertere profectus suos, et virtutes metiri, eo proximum est ruinæ, quo superbiæ est vicinum. Superbia enim, ut ait quidam sanctus, natione cœlestis est, et de puritate virtutum impura elatio sæpius exordium sumit. Utile est igitur in magnis et mirabilibus quasi nescire seipsum, ut quo amplius animum amoris pietas sursum elevat, eo amplius ex eodem amore ab omni tumore deficiens, ad humilitatis infima liquefiat. Hinc est quod Petrus cum in transfiguratione mira videret, mira cum dispensatione in tanta elevatus altitudine, quid loqueretur nesciret. Quid est igitur ex magnitudine amoris liquefactio cordis, nisi humilitas quæ salubriter hominem a se deficere docet, cum eum charitas, aut ad profectum virtutum promovet, aut in perfectionis fastigio sublimem tenet. Liquefactionem vero humilitatis ad ignem sancti amoris devotionis lacrymæ testantur foris. De cætero etiam in carne munda fit hortus irriguus, ubi tanto immarcescibilius vernat amœnitas virginitatis, quanto opportunius eum rigat intima aspersio divini roris.

O virtutem humilitatis necessariam, quæ, dum medium tenet hoc modo, moderatur singula; ut et candorem virgineum castiget verecundia, ne deformiter palleat; et charitati sollicite providet, ne de securitate oblita reverentiam per superbiam insolescat! His floribus ornandus est conscientiæ lectulus, his floribus fulciendus est animus qui paratus est in montem ascendere ubi transfiguratur dilectus. Transfigurari enim necesse est ipsam animam, et peregrinam terrenæ cupiditatis deponere formam, ut idonea sit transfigurantis sponsi secretam cernere claritatem. Hinc est quod Christus ascendens in montem ubi transfigurari debuit, tres tantum discipulos, Petrum scilicet, Jacobum et Joannem secum assumpsit. In Petro nota firmitatem perfecti amoris, plus enim cæteris Petrus amavit, et a firma petra ob fidei non fictæ constantiam nomen traxit. Jacobus, qui interpretatur *luctator* sive *supplantator*, humilitatem significat, quæ et vitia supplantat per innocentiam, et contra adversa luctatur per patientiam. Per Joannem exprimitur carnis integritas, quæ hoc meretur privilegium, ut ad incorruptæ veritatis provehatur secretum. Si flores istos de horto voluptatis decerpsisti, miris odoribus Sponsi gratiam oblectasti, revocasti absentem, præsentem fortiter tenuisti, et dixisti: *Tenui eum, nec dimittam* (*Cant.* III), et illud: *Dilectus meus mihi, et ego illi* (*Cant.* I). Ex hoc in illum transfigurata et configurata similitudini ejus cavere debes omnimodis, ut vultus tui amplius non sint in diversa mutati. Unitatis enim et indemnitatis amator est sponsus tuus, qui semper unus et idem permanens eo suspectam habet omnem varietatem, quia omnis pene varietas amica est mutabilitati, mutabilitas vanitati, vanitas falsitati, quam detestatur veritas Sponsi tui. Ex hoc eris videre idonea, quomodo resplendeat facies ejus sicut sol, intueri vestimenta ejus sicut nix, et a nube lucida obumbrari.

De cætero si non ignoras te, sicut Petrus qui nesciebat quid diceret, scis et habes unde facias tria tabernacula: Sponso tuo unum, Moysi unum et Eliæ unum. Quid enim est Sponsus tuus nisi amor æternus? Hic pascat et cubet, et tabernaculum habeat in meridie, hoc est in fervore tuæ charitatis. Moyses lator et zelator divinæ legis significat scientiam vel zelum disciplinæ regularis, cui tabernaculum est in fiscella scirpea, hoc est in tractabili et sine nodo iniquitatis conscientia humilis cordis. Per Eliam, qui et carne integer fuisse creditur, et ab Helios, hoc est a *sole* secundum aliquos nomen trahit, significatur veritas, vel evidentia operum lucis, quæ quasi tabernaculum habent in candelabro excellentiæ virginitatis. Splendoris intuitus in facie Sponsi est præmium et remuneratio charitatis interim de dilati desiderii suspensione languentis. Splendor et claritas niveæ vestis est humilitatis gloria interim vilitate et extremitate gaudens. Obumbratio lucidæ nubis est et hic protectio, et postmodum omnimoda liberatio virginitatis. Intra nubem istam receptæ non nubent, neque nubentur. Tunc innixa super dilectum, sequetur Agnes Agnum quocunque ierit, et per itinera æternitatis ejus deducta, de æternitate amoris, secura dicet: *Domine, bonum est nos hic esse.* Cum illuc perveneris, et bene tibi fuerit, vide ne sis immemor meæ infelicitatis, cum teneriori amplexu Sponsum strinxeris, suscipe apud eum causam servi, ut de vestibulo timoris in thalamum introducatur amoris. Ne invideas servo posse adoptari saltem in filium cum tibi sufficiat sponsæ privilegium, ad laudem et gloriam Sponsi Ecclesiæ, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

EPISTOLA XXIII.

AD N. AMICUM SUUM.

Agit de odio vitiorum, virtutis amore, et vanitatis contemptu.

Dilecto suo N., frater ADAM qualiscunque Perseniæ abbas, veræ philosophiæ studiis insigniri.

De odio vitiorum, de virtutis amore, de mundanæ vanitatis contemptu charitas imperat miscere colloquium cum amico. Amicum te, fili charissime, dixerim, non quia a te amari merear, sed quia in illum charitatis sinum te colligo, cujus latitudo neminem prætermittit. Charitatis nimirum amplitudinem mundi non superat latitudo. A sinu charitatis etiam inimicos diligere amicorum collectio non excludit. Nihil igitur charitate felicius, cui tamen est in vitia odium, in homines amor, in angelos transitus, desiderium in æternis. Hæc dissidentia unit, disjuncta compaginat, perversa corrigit, diligit bona, et optima quæque custodit. Hæc mihi te vinxit in spiritu, licet parum facie cognitum, divisum locis, conversatione alterum, professione diversum. Tu enim vivis in sæculo, in sæculo militas, ego sæculi rebus valefaciens, in tabernaculo claustri Christo proposui militare. De scientia animi loquor; nam te puto sæculum diligere, quem sæcularibus video implicari negotiis, et ea quæ mundi sunt studiosius actitare; ubi quippe est thesaurus hominis, ibi est et cor ejus. Quid igitur mirum, si laberis, qui labentibus inhærens, ex desiderio eo impetu deorsum traheris, quo vana species rerum suos præcipitat amatores? Amare certe quæ mundi sunt, est contempsisse cœlestia, est inimicum fieri æternorum. Ab internis exsulat bonis requisitor præsentium, nec dignus est amore opificis, qui ipsum opificem operi suo præferre non novit: præferre dico, non tantum rationis judicio, sed electione amoris. Amor iste beatum facit animum, cum illud amat quo spoliari non possit invitus; cum enim nil sit humana voluntate liberius, id solum non potest admittere, quandiu habere voluerit quo beata efficitur illo fruens.

Appetendum est igitur, et quærendum bonum illud, quo dum semel investita mens fuerit, non potest amittere, nisi volens. Quod si boni hujus investituram mens beata perseveranter tenuerit, etiam carnis suæ cum fuerit devicta corruptio, et

sopita omnis repugnantia in æternam conferet transitum libertatem. O felicem transitum, unde nec libeat, nec liceat resilire! O bona æternitatis possessio, quæ nonnisi tribulationis transitoriæ pretio comparatur! O felicis philosophiæ insigne studium, ubi corpus omne mens inhians, in superna fastidit, et de servitute carnis quam conterit, veram carni et animæ comparat libertatem! Quid enim carne moritura servilius? et tamen ordine præpostero liberioris naturæ nobilem spiritum de communi obsequio cogimus famulari. Interim quippe in sæculi filiis rationis humanæ captivatur nobilitas, ut mirum in modum obsequium irrationabile ratio carni deferat, et in obsequiis carnis suum astuta sit ministerium usurpare. Prudentiores quippe sunt filii hujus sæculi filiis lucis in generatione sua, quia nimirum prudentior est ad malum ratio in secularibus sensualitati contra rationem supposita, quam sit ad bonum in spiritualibus viris, in quibus est carni suæ jure prælata. Quid igitur ratione abuteris, et Creatoris imaginem, quæ sola est ratio, irrationabili amore carnalium oblitteras et abradis? Similis certe similem quærit, et vix in aliquo rerum genere hæc regula fallitur, cum ad suum participium et ad suam similitudinem singula convertantur. Quo igitur pacto solus Creator in homine suam perdidit similitudinem, quam tam sibi dissimilem deformitas injustitiæ reddit? Injustitiam sane dixerim eum, qui ad æterna creatus est, ex desiderio remorari in temporalibus, cor in labentibus figere, et non potius reputare molestiam quod a vero lumine per interpositam carnis molestiam sicut per parietem retardatur. Quod si objectam parietis molestiam reputas, non densare lutum sed diruere, non augere sed minuere consilii erat. Certe amator æternorum molestum carnis parietem, et si diruere non potest, fulcire refugit. Non ei honores accumulat, non quærit reditus, non cibus ingurgitat, sed quod de necessitate exigitur, satagit temperantius indulgere. Quam longe est hoc philosophandi genus a dilectoribus sæculi, quorum deus venter est, qui quæstum existimant pietatem, qui damnum reputant non peccare. Hi sunt quibus virtus oneri, honori est vitium, qui paupertatem Jesu et crucis ignominiam abhorrentes, appetunt florere in sæculo, de ministerio sanctitatis. Utinam, fili charissime, ab his longe fieri velles, et tenere sanctorum itinera, quæ a cruce non dubitas inchoare! In cathedra enim crucis philosophiæ nostræ nos magister instituit, cujus qui noluerit sequi magisterium, omnimodis non poterit obtinere promissum. Ad hanc philosophiam te invitat anima mea, amor meus. Lege ergo, et perlege, et relege sæpius hanc amoris epistolam, in qua etsi verba non sapiunt rhetorem, faucibus tamen cordis tui sinceræ dilectionis repræsentent saporem. Vale, charissime, et si totum quod legis non peragis, volo te tamen correctius vivere quam vixisti. Vale.

EPISTOLA XXIV.

AD MAGISTRUM PHIDEBALON.

Contra judices et jurisperitos sæculi.

Dilecto suo in Christo magistro Phidebalon, frater Adam pauperum Perseniæ servitor indignus, immaculatam legem Domini opere et veritate Justiniani legibus anteferre.

Licet bonam voluntatem tuam erga nos, fili charissime, palam sit ex litteris tuis agnoscere, evidentius tamen et efficacius de testimonio operis comprobatur integritas voluntatis. Familiaritatis certe meæ seminarium, cujus per affectum, Deo monumentum præstante, copiosa seges exuberat, non a me fateor sumpsit initium; sed a te potius, qui gratuito tuæ liberalitatis præventu, te mihi
B prius incognito, et postmodum sæpius semper in merito ad obsequii diligentiam alacriter obtulisti. Beneficia nimirum, quæ accipientium merita prævolant, gratiora non immerito displicato merito judicantur: et certe quæ de gratuito affectu prodeunt, fecundiori effectu dignum est compensari. Beneficia sane illa intelligo, quibus te mihi promptum et alacrem exhibuisti in salutationibus, affabilem in colloquiis, in negotiis familiarem, in dandis consiliis officiosum, devotum in exhibitione reverentiæ, humanum in obsequiis, si quando in hospitio tuo sim receptus. Hæc omnia sicut ex abundantia cordis emanasse non ambigo, sic non debeo per vitium ingratitudinis annullare. Ex his sollici-
C tudini tuæ datur patenter intelligi, me non posse non amare, quia meus es, et utinam te nulla mihi ratione præripiant aut locorum distantia, aut diversitas studiorum? Difficile enim fieri solet, ut diu integer inter eos nexus amoris permaneat, quos disjungit institutio, intentio dividit, locus separat, disparat actio, propositum dissimile variat, studii dissidentia cohærere non sinit. Tu siquidem pro amicitia sæculi inimicitias cœlestes non metiris, tenens lutum, cœno inhians, incumbens carnalibus, mobilibus et transitoriis immota mente stabilique desiderio cohæsisti. Aliud mihi plane propositum intentioque longe dissimilis, qui, aspirante Deo, visibilia cuncta fastidiens, de felici et sola exspectatione gaudeo futurorum. Ibi veræ scientiæ inful-
D get claritas, quam nulla dubietatis aut ignorantiæ caligo confundit. Ibi plenæ dulcedo sapientiæ, quam nulla falsitas aut amaritudo desipere facit. Ibi jucunda sempiterni veris temperies exhaustam plenitudinem lætitiæ securioris infundit. Ad hoc ducit, hoc tribuit divinæ legis peritia, quæ convertit animas, non subvertit. Juris hujus scientiam colonia Cisterciensis me docuit, ubi doctor et dator justitiæ Christus de cœlestis juris peritia suos instituit sectatores. Verum tu quia de terra es, aliter sapis, hujusque magnam sapientiam adhuc tibi non sapere mundanæ sapientiæ requisitio protestatur. Sed forte jactantiam reputas, et præsumptionis meæ arguis, quia me præter morem laudare videar, et te non verear increpare. Charitas, fateor, sic

loqui imperat; et si vis veniam impetrare quam postulas, dabis et ipse veniam sic loquenti. Verus siquidem amor tam assentationis expers quam formidinis, sicut palpare non novit, sic nec parcere; sed tanto vehementius quanto confidentius invehitur in amicum. Igitur quisquis sis, quomodocunque te habeas, ego te pro parte mea non cessabo diligere, pro posse meo id satagens, ut sit amoris mei Christus in causa. O si tu in flammam meam oleum mitteres, et de tuis profectibus meæ dilectionis augmenta penderent! o si virtuti animi dares operam, et mundanæ vanitati valefaciens, postponeres contemnenda! o si tibi esset ratio, quæ fidei radiis illustrata, omne quod facit injuriam juri, per judicii rectitudinem reprobaret, quia distortum est istud, et a regula juris et æqui resiliens homines hominum fieri judices, et pene universos videri contra justitiam conspirasse! Auctorem suum judicem sæculorum suo jure spoliant, et ausu temerario cujus judicium non possunt effugere, nituntur justitiam exturbare. Inde est quod corpus immunditiæ, mentem superbiæ jurisdictioni subjiciunt, et sub vitiorum tyrannide serviunt miserabiles, qui sub rege virtutum poterant regnare felices. Vides jam quia exsulat castitas, humilitas peregre abiit, recessit justitia, aufugit fides, refriguit charitas; et, iniquitatis ubique superabundante diluvio, intra domesticos cœli parietes veritas se recepit. Plangenda namque tempora nostra, delendique sunt generationis hujus homines, cui, cum fere omnes peritiam juris, vel quærant, vel habeant, juris tamen observantiam parvipendunt. Judex sæculorum ubique injuriam patitur, nec de jurisperitis invenies aliquem, qui se in cœlesti jam exhibeat advocatum. Omnes si dederint, etiam in injustis causis multos advocatos inveniunt: solus Christus, licet sit dator omnium, cum sit causa ejus justissima, habere aliquem non meretur. Ubique sponsa ejus opprimitur, blasphematur ipse ab omnibus, pauperes, orphani, viduæ, præda divitum facti sunt, nec illis, aut juris nostri peritia, aut legum subvenit disciplina, de inflante scientia soli inservitur quæstui, solumque ventosa loquacitas requirit commodum pecuniæ vel honoris. Videmus ad jurisperitos dignitates et bona transire Ecclesiæ, et mirum in modum, cum eos sequi Crucifixum pudeat, usurpare Crucifixi patrimonium non verentur. Exsecranda prorsus abusio, ut quanto in jure peritiores exstiterint, tanto inveniantur ad juris injuriam promptiores. Verborum cavillationibus potentes sunt, et docti ad subversionem judicii, aut impium justificare pro muneribus, aut de injustitia convincere innocentem. Utinam tu, charissime, ob juris observantiam, quæras juris scientiam, ut cum de ademptione juris juste vixeris, in cœlestis juris regulas offendere confundaris. Hoc erit oleum flaminis mei, ingerere de correctioris vitæ profectibus, amori meo facere gaudium, qui propositum habeo de sola animarum salute lætari. Utinam tibi de appetenda animi virtute sit studium, quod facile contemptum mundi parere consuevit! Virtus quippe sic instituit sui possessoris animum, ut honores onera reputet, indignetur dignitatibus, mediocritatem suadeat, quæ sanctæ cognata est paupertatis. Circa hoc maxime viget virtutis moderatio, ut carnem compellat renuntiare voluptatibus, spirituique humiliter ancillari. Utinam status meus, pauperumque qui mecum militant studiis versetur vitalibus, ut et tu gaudeas, cum audieris, qui hujus rei notitiam inquirebas. Collætamur quotidie, fili, fatigati pressuris ingentibus, et, sicut habet se mundana varietas, multo discrimini subjacemus. Transfretare quidem cupimus, sed in incertitudinis hujus pelago quotidiana tempestas exoritur, et nisi misericors Jesus manum piæ ereptionis extenderit, vix ad portum poterimus enatare. Ecce ista est scientia permaxima; jamque dixi superius visibilia ista nobis esse contemptui, quia sunt periculo et labori. Confidimus tamen, quia qui dedit, etiam proposito militiæ perseverantiam non negabit. Orationum nostrarum petisti suffragia, sed et rescriptum nostrum devote et humiliter postulasti: petitio tua in utroque effectum obtinuit, nisi quod litteræ meæ forsitan ad te gratiam non habebunt. Prolixus enim et durus sum quod utrumque lectorem solet offendere, nisi me apud amicum zelus charitatis excuset. Vale.

EPISTOLA XXV.

AD SANCTI MARTINI CULTORES.

Probat sanctum Martinum apostolis similem congrue dici.

Omnibus B. Martini memoriam pie venerantibus (8), ADAM inter veneratores ejus exiguus, Patris ejusdem vestigiis inhærere.

Plerosque scandalizari audio, quia Martinum nostrum parem apostolis cantet et glorietur Ecclesia, quæ Martini laus fere ubique terrarum in ore resonat, maxime in illis locis, ubi celebrius et devotius ejus sanctitas honoratur: unde propositi mei est Martini confutare æmulos, obtrectatores persequi, ab eo utique implorans auxilii gratiam, a quo ille accipere meruit ut par esset et diceretur apostolis. Spiritualis quippe gratiæ virum donatum gloria apostolis parificare potuit, et procul dubio parem fecit qui solus existens incomparabilis sine comparatione summus est, cujus pax exuberat omnem sensum. Cæterum ea quæ infra eum sunt quantumlibet ea naturæ suæ dignitas vel bonitas Creatoris extulerit, non refugiunt paritatis consortium, et quia instituit Conditoris auctoritas, non invidet communio charitatis. Quid igitur ut Martinus par apostolis esset fieri potuit? An non potuit? Si non

(8) Hæc epistola exstat in *Bibliotheca Cluniacensi* sub nomine sancti Odonis edita, ubi Quercetanus observat mss. codices Adami non Odonis nomen præferre.

potuit, et limitibus quibusdam coangustatur Dei omnipotentia. Ubi est quod in Scripturis Deus omnipotens appellatur? An fortasse omnipotens Deus est, sed gratiæ privilegium quo donavit apostolos, perfectis eorum sequacibus non voluit elargiri? Si autem, quia verum est, potuit facere omnipotens, ut qui perfectionem evangelicam bene vivendo tenuerant, æqualitatem gloriæ quoque sortirentur, quid impedit Martinum ne gradus apostolici sublimitate donetur? An quia ad promerendam gratiæ sufficientiam non accepit? An accepit quidem, sed apostolorum invidia, quod nefas est dicere, ei gloriæ consortium denegavit? Quis vel hoc cogitare audeat? Et dicit fortasse aliquis, ideo Martinum non esse parem apostolis in gloria, quod eis fuerit inferior sanctitate. Unde hoc probas, quicunque hoc dicis? An inde sumis argumentum, quia apostoli prius electi, quod a Domino præsente per carnem vocati, quia apostoli antonomasia ab eo sunt appellati? Si hac de causa Martinus est eis inferior, quia nil horum habuit; ergo inferior et Paulus, quia et posterius ad fidem venit, et Dominum in carne mortali non vidit, nec ab eo apostolici nominis impositione honorari meruit sicut alii, de quibus scriptum est, quia *eos apostolos nominavit* (*Luc.* VI).

Quod si ideo apostolos præferas, quia Dominum, antequam pateretur in carne, præsentem, et post resurrectionem sibi apparentem et colloquentem videre meruerunt, quod et multis aliis datum est, quia, teste apostolo Paulo, visus est plusquam quingentis fratribus; similiter certe et hoc Martinus assecutus est, quia nulli alii concessum legitur ut nondum renatus videre Christum Dominum mereretur. O gloriosam cathecumeni nostri chlamydem, qua se tegi Christus non inglorium reputat [*Edit.* gloriam reputat], sed longe renati fides gloriosior, qui Christo nil quod peteret denegavit! Nam si quis contendat de miraculis, præferrique apostolos velit in virtutibus, totus exclamat orbis Martino testimonium præbens, plura eum, imo in eo Christum signa fecisse, quam de aliquo unquam aliqua scriptura authentica protestetur. Denique si quis objiciat, quia in umbra Petri ponebantur infirmi, et sanabantur; et nos de stramine in quo jacebat Martinus legimus frequenter factas fuisse virtutes. Plus est sane vile stramen, absente Martino, operari virtutem, quam umbram Petri, quia sine Petri præsentia non potuit fieri [umbram] præstare remedium infirmanti. Verum sine Christo, nec potuit Petrus præsens, nec Martinus absens virtutis aliquid fecit. Mira quidem hæc sunt, et digna omni admiratione miracula, vel umbram Petri sub ejus præsentia, vel in absentia Martini paleas in quibus jacuerat Martinus operari mirabilia: sed longe mirabiliora, et in solo Martino eminentia reperimus. Contigit nonnunquam ut, eo festinante ad visitandum infirmum aliquem, priusquam medietatem confecisset itineris, advenientis virtutem sensisse ægrotum, ve-

A nienti obviam processisse incolumem. Satis esset languenti, ad recuperandam salutem, non solum pervenisse, sed velut iter inchoandi, veniendi inchoasse Martinum. Hoc de Evantio avunculo suo Severus Sulpitius protestatur. In apostolis fortasse aliquis prærogativam martyrii anteponit? Martinus autem per effusionem sanguinis martyr non fuit, nisi quod tota vita ejus martyrium fuit. Apostolos certe, et voluntas et temporis necessitas fecit martyres, sed quid proprie [*Edit.* propter hoc] hujus gloriæ Martinus perdere debuit, cui etsi temporis necessitas non obtulit gladium persecutoris, a corde tamen ejus voluntas non defuit passionis. Non caret gloria martyrii, quem constat desiderio martyrem extitisse: alioquin Joanni apostolo, quia vitam sup-
B plicium non extorsit, martyrii negatur gloria, cum tamen testatur Veritas quod sit suum calicem bibiturus. Hunc procul dubio calicem Martinus passionis bibit, qui per innumeras incredibilis abstinentiæ cruces seipsum voluntarie macerans, in cinere et cilicio testis Jesu invictissimus spiritum exhalavit. Si ergo Martinus, quantum in ipso erat, martyr fuit apud eum qui de voluntatibus judicat, non habebit facti pondus sanctissimæ efficacia voluntatis, præsertim cum omne hominis meritum in bona voluntate consistat? Non enim opera hominis merita ejus sunt, sed signa meritorum; quanquam et si perfectionem colligamus ex operibus, nemo Martino præfertur. Si forte ideo quis inferiorem
C judicet apostolis Martinum, quia illi fuerunt principes populorum, doctores orbis, fundamenta Ecclesiæ et fundatores, primi eruditores fidelium, tanquam qui in schola Christi teneant magistralis cathedræ dignitatem: unde nec ratio patitur magistris æquari discipulos, maxime cum magister et omnium Dominus dicat: *Non est discipulus supra magistrum, nec servus supra dominum suum* (*Luc.* VI). Quid igitur? Quia summi Magistri prohibet auctoritas magistro discipulum præferri ideo posse, negat posse æquari. Attende quod sequitur: *Sufficit discipulo ut sit*, inquit, *sicut magister ejus* (*ibid.*). Ecce discipulis magistri æqualitas non negatur, si tamen perfectionem magistri per imitationis studium discipulus æmuletur. Cum ergo perfectus di-
D scipulorum apostolorum discipulus Martinus, et gradu sacerdos apostolicus, et apostolicis actibus insignitus, et in operatione signorum pene fuerit plusquam apostolus; quid impedit ut paritatem gloriæ non obtineat, quem per omnia vitæ similitudo commendat? Quid ergo? Dum ista de Martino asserimus, sublimitati apostolicæ derogamus? Absit! Apostolos magis pro nostra facultate extollimus, dum ad eorum imitationem, Martini perfectionem fieri non negamus. Veruntamen etsi non sit eis dispar gloria, quia non eis fuit dispar in vita, tamen secundum aliquid apostolica sublimitas antecellit: præcedit sicut causa effectum, sicut materia materiatum, et sicut principium est prius eis quæ ex eo inchoant esse suum. Unde quoniam apostolica

doctrina causa, et materies, et principium est fidei disciplinæ et religionis in patribus, ut hoc debet et potest præferri omnibus, non tamen ideo, vel meritis, vel gloria præeminet universis. Quo enim pacto apostolis pares non sunt, qui similem apostolis vitam ducunt, paria miracula faciunt, pariter judicabunt, pariter regnabunt, pariter unum denarium propter unum unius vineæ laborem habebunt? Hoc solum interest, quod in erogatione denarii, non est apud Patremfamilias personarum acceptio; sed fiunt novissimi primi, et primi novissimi; nec est inter accipientes invidia, nec jactantia meritorum. Quomodo ergo Martinum esse apostolis parem invides, cum tanta sit dispensatoris veritas, tanta accipientium charitas, ut qui fuit in labore novissimus, inveniatur in acceptione denarii primus? *Erunt*, inquit, *novissimi primi, et primi novissimi. An oculus tuus nequam est* (*Matth.* XIX), quia bonus est dispensator præmii, quia tale est remuneratoris beneplacitum, ut cum omnes ejusdem acceptione parificentur denarii, primo tamen remunerentur novissimi, quam primi. Quæ potest inter eos esse disparitas, quibus par idemque denarius erogatur? Certe quamvis sit inter electos dispar claritas, quia stella a stella differt in claritate; est tamen in dispari claritate par gaudium, cum sit Deus omnia in omnibus. Quod si omnium electorum, quantumlibet meritis differant, ea est paritas, ut unum idemque sit omnibus in consummatione charitatis, in visione Conditoris, in æternitate immortalitatis gaudium, quid putas gloriæ præ cæteris Martinus obtinuit, quem apostolorum vestigiis inhærentem perfectio apostolica, virtutum prærogativa, signorum potentia, præ cæteris illustravit?

Quod si ea quæ prosecutus sum assertioni morum non sufficiunt, jam deinde proponatur aliquid ex quo manifestum sit perfectioni apostolicæ non imparem esse Martinum. Certe Spiritus sanctus apostolis et apostolorum imitatoribus datus est; sed eo modo quo super apostolos venit, nunquam vel raro in aliquem sanctorum descendit. At qui super apostolos visibiliter in igne apparuit: se quoque visibili specie et potentia in globo igneo super Martini caput, dum sacramenta offerret, ostendit: qui, etsi variis loqui linguis quia necesse non erat, Martino non contulit; ita tamen singularis flamma divini amoris ignivit eum, ut et vivens in corpore, per cordis charitatem totus igneus esset; et postquam migravit a corpore, aliquoties totus igneus visibiliter appareret. Hinc est quod Trojano Sactonensi episcopo in igne ostensus est, et ad exsequias Pelagiæ matris Aredii abbatis globus igneus totam illustrans ecclesiam de cœlo venit, clamantibus energumenis, ad defunctæ exsequias pervenisse Martinum. Non dissimiliter Gregorio Turonensi ejus reliquias in Novam basilicam inferenti apparuit. Brachio etiam vir quidam oratorium ingrediens, globum igneum per ecclesiæ superiora discurrere sæpius videre consuevit. Non est igitur hæreticum confiteri virum apostolicum per omnia ad apostolicæ paritatis consortium sublimari. Qui ergo ex ignorantia Martini meritis detrahit, intueatur, legat et discat Dominum non solum de apostolis, sed etiam apostolorum imitatoribus dixisse: *Volo, Pater, ut ubi ego sum, illic sit et minister meus* (*Joan.* XII). Quid est ubi ego sum, nisi qualis ego sum? ac si dicat: Volo ut ad similitudinem [*Edit.* æqualitatem] gloriæ, quam ego habeo per naturam, perveniant ministri mei per gratiam. Inde scriptum est: *Cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est* (*I Joan.* III). Quid igitur an soli apostoli ministri Christi sunt? An non Christi minister et Martinus, et ipse inter perfectos perfectissimus? Si ergo ministri Christi Christo in gloria similes sunt, et per hoc pares sunt, quo pacto inter ministros Christi paritas esse non potest? Quod si aliquis ex invidia Martini titulos derogat, corrigatur; alioquin potens est Deus Martini, in Martino mirabilia faciens, ulcisci sanctum suum, et temerariæ assertioni finem imponere, præsertim cum sit tibi melior pia dubitatio de occultis, quam litigiosa contentio de incertis. Venerare itaque de cætero Martinum, qui ei hactenus, aut ignorando, aut invidendo detraxeras: et ne diffitearis apostolis parem, quem etiam Christo esse non dubitas in gloria similem, si tamen verum tibi dixisse videtur, qui ait: *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (*Ibid.*). Hic interventu Martini opus est, ut qui Christo similis, ac per hoc non dispar esse apostolis, apostolice vivendo, Christum imitando, Christo donante, promeruit, nobis adhuc in dissimilitudinis regione viventibus impetret veniam, reducat ad gratiam, præsentet ad gloriam, quam cum Christo habet, a Christo qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

EPISTOLA XXVI.

AD R. ABBATEM DE VERNUSIA (9).

Informat eum de pœnitentia seu de confessione.

Domino et amico suo venerabili R. abbati de Vernusia, frater ADAM omnium monachorum minimus, eis in Vernusia vernare floribus quos non vitiorum flamma deflorent.

Rogasti me sæpius, amantissime, ut de pœnitentia tibi aliquid scriberem, quod me fateor facturum promisi. Verum dum vires pensarem, dum metirer ingenium, pœnitere me cœpit obligationis meæ et suscepti oneris, quod portare non possem. Eligebam magis siquidem in defectu meo verecundiam pati, quam sub imposita sarcina periclitans temerarie incurrere præsumptionis discrimen. Ecce tu proposito meo impune obvias, quieti reniteris, mensuram cogis excedere: dumque rerum natura non habet, de vena tenui speras affluentiam fluentorum, et res quidem quam postulas utilis est valde et necessaria, major quam meis conatibus conveniat,

(9) Vernusia, ordinis Sancti Augustini monasterium in diœcesi Bituricensi.

exiguitati autem meæ nimis difficilis et ardua supra modum; verumtamen, orante Christoque largiente auxilium, aggrediar loqui quod nescio, docere incipiam quod non didici, confidens quod vires quas imperitia denegat, et obediendi humilitas, et tua charitas et larga Dei benignitas ministrabunt.

Universitatis Conditor sicut unus est omnium Dominus, sic unam fieri voluit omnium servitutem. Hebetato itaque ex lippitudine peccati humanæ rationis oculo, cum jam non sufficeret creatura visibilis, et per substantiam carnis fieri voluit ut patriam spirituum jungeret corporum patriæ. Ut utramque in unam rempublicam ordinaret, qui hujus reipublicæ gubernator existens et dominus, sic superna contemperavit infimis, ut superioris patriæ divitias terrenis communes faceret, et patriæ inferioris inopiam de superioris abundantia relevaret. Majestas igitur imperatoria de cœlestis aulæ sublimibus, ad suæ domus inferiora descendens, locum videlicet humanæ habitationis pro tribunali carnis assumptæ residens, tria proponit et proponi facit edicta.

Primum edictum est sapientia; secundum est pœnitentia, tertium est gloria. Primum proposuit hominem assumendo; secundum inter homines prædicando, tertium homines justificando. Edictum sapientiæ sonuit de nube carnis, edictum pœnitentiæ de visceribus intonuit pietatis, edictum gloriæ promulgat amplitudo divinæ charitatis. Egrediamur jam in plateas Scripturarum, si forte audiamus ibi proponentes hæc edicta præcones. Edictum sapientiæ proponitur, cum Christus Dei virtus et Dei sapientia Mariæ per angelum nuntiatur. Edictum pœnitentiæ promulgatur, dum veritas mendacis mundi malitiam arguens, humanum genus ad pœnitentiam exhortatur. *Pœnitentiam*, inquit, *agite, appropinquavit enim regnum cœlorum* (*Matth.* III). Jam per sapientiam illustratis, jam per pœnitentiam emendatis, edictum gloriæ multifariæ inculcatur, cum miraculorum operatione, corporis resurrectione, gloriosa ascensione Dei gloria manifestissime declaratur. Primo venire sapientiam oportuit, quæ et mundi sapientiam fatuam faceret, et humanæ menti suas tenebras indicaret. Hanc itaque ex vestigio sequitur prima. Dum enim sapientiæ inflantis typus expellitur, mensque ad lucem divinæ sapientiæ seipsam conspicit, jam nimirum in turpitudinis suæ usu confunditur, quæ se ante male metiens pulchram sibi se mentiebatur. Ex hoc jam sibi displicet quæ male sibi placet primitus, et cogitat eradere turpitudinem, quæ nobiles illuminati cordis oculos offendit; hoc displicere est pœnitere, pœnitere corrigi, corrigi est justificari, justificari est ad gloriam reparari. Sapientia itaque homini suum languorem demonstrat, demonstratum pœnitentia curat, sanatum et salvatum gloria in salute conservat. Lux sapientiæ cor illustrans est Christi imitatio, dum in Christi imitatione tanquam in speculo vitæ nostræ vulnus conspicimus, quid in nobis reprehensibile, A quid correctione dignum sit invenimus. Nunc igitur quia primum regis nostri edictum audivimus, ad tonantem in Christo Dei sapientiam fide cucurrimus, quantisque subjaceat malis vita nostra, ipso nos docente, didicimus. Quid restat, nisi ut curari valeat languor noster, pœnitentiæ remedium assumamus? Unde quia naufragium passis loquimur, quid sit, ubi sit, qualiter inveniri possit portus pœnitentiæ, quantum Deus donaverit disputemus? Pœnitentia cognoscentis seipsum dolor est animi, qui cum emendationis proposito plangit, et persequitur quidquid in se Deo noverit displicere. Dolere nimirum non potest, nisi is prius ex vera sui cognitione sibi ipsi viluerit? Vilescere non potest, nisi noverit se; se nosse non potest, nisi ad lucem venerit; B ad lucem non veniet, nisi Dei sapientiam, hoc est Christum vitæ humanæ speculum et fide et imitatione secutus fuerit; sed nec sequi potest, nisi liberum arbitrium prævenerit gratia Redemptoris. Respectus itaque gratiæ generat in corde humilitatem, humilitas dolorem. Humilitas quippe est virtus, qua homo verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit, cui contrarium operatur superbia, per quam homo supra se elatus, dum propriam excellentiam inordinate diligit, majorem se quam sit mentitur. Dolor itaque cordis quo pœnitet hominem quod peccaverit, punit in homine quidquid a veritatis linea distortum reperit, et ferens in manu sua radium illustrantem, de respectu gratiæ miserentis accensum, per omnes angulos cordis, sedulus ma- C litiæ persecutor discurrit, nec solum portat secum radium cognitionis, sed et stimulum compunctionis, et malleum contritionis. Dolor nimirum pœnitentiæ circa animæ vulnera morem medici gerens, primo cor pungit, secundo conterit, tertio ungit. In pungendo acuitur, in conterendo malleo ferit, in ungendo emplastrum apponit. Primo ergo compunctionem, secundo contritionem, tertio devotionem operatur. Videamus quibus jam stimulis cordis punctio sive compunctio fiat. Pœnitentia certe triplici aculeo cor pungit, ut non simpliciter pungi, sed compungi, hoc est ex omni parte pungi dicatur. Primus est pudor oriens ex considerata turpitudine operis; secundus anxietas quam parit offensa mul- D tiplex Creatoris; tertius formido pœnæ infernalis. Confunditur ergo, quia turpiter egit; anxie dolet, quia benignitatem Dei male vivendo exacerbavit; et quia malorum ultor est Deus, vehementer expavescit. Putasne, elicietur sanguis, nisi tot stimuli cordi altius infigantur? Sanguinem puncti cordis intellige lacrymas apparentes in oculis. Pennatæ sunt lacrymæ istæ, nil in se habentes carnalis ponderis miro divinæ sapientiæ artificio statim de corde ascendunt ad oculos, et de oculis volant ad cœlum.

Vis videre quod volant ad cœlum? Regem sæculorum attende, quid dicat: *Gaudium est*, ait, *angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente* (*Luc.* XV). Quam impetuosa est aqua de abysso

cordis erumpens! uno eodemque momento animam lavat, oculos rigat, cœlos pulsat, lætificat angelos, spoliat inferos; quia, sicut per compunctionis lacrymas flamma divini amoris accenditur, sic flammæ inferi exstinguuntur. Hujus itaque fluminis impetus lætificat civitatem Dei, dum beati cives supernæ Jerusalem pœnitentium lacrymis delectantur. Adeo, inquam, impetuosus est torrens compunctionis, ut Deum commoveat, animæ sordes amoveat, et linguam moveat ad cordis accusationem, ad peccati exprobrationem, ad oris confessionem in facie sacerdotis. Certe lacrymæ istæ amaræ sunt et dulces, et per hoc efficaces : amaræ sunt, in quantum eas extorquet vehementis doloris violentia; dulces sunt, in quantum ex eis speratur indulgentia. Sic sic necesse est ut antidoto amaritudinis sanetur venenum ex parte delectationis. Vidisti quid sit actus compunctionis, vide et malleum contritionis; utrumque timor est, sed ex diverso respectu. Timor initialis acus est, sed malleus est timor perfectus. Acus initialis timoris pungendo, cor ad sanitatem aperit, et saniem insani tumoris emittit; malleus autem contritionis, dum cor penitus mundo mortuum reddit cum proposito non peccandi, etiam amorem mundi in corde occidit. Initialis itaque timor in corde generat odium mali, et ex parte amorem boni. Perfectus timor facit ex integro contemnere mundum, et toto desiderio sequi Christum. Quatuor sunt in quibus perfectus amor consistit, scilicet odium peccati, contemptus mundi, contemptus sui, amor solius Dei. Initiali timori sufficit odisse peccatum, diligere bonum; contemnere autem mundum, abnegare seipsum, nonnisi cordis est, cujus omnis grossitudo malleo perfecti timoris est attrita, ut dicere veraciter possit : *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum* (*Philipp.* I). Et iterum : *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies* (*Psal.* L); quia conteritur, comminuitur, et redigitur in pulverem. Tunc cor in pulverem malleo contritionis redigitur, quando prorsus deposito tumore, homo se vere lutum existimat et fatetur. Pulvis est, sed quem non projicit ventus a facie terræ. Pulvis est, in quem spuit Jesus, et saliva sapientiæ salutaris humectat. Pulvis iste de cœlo pluvia devotionis infunditur, ne vento diabolici turbinis aliquatenus agitetur. Devotionis enim lacrymæ de cœlo sunt, quia non ex puteo extrahuntur tumoris, sed ex nube descendunt amoris. Puteus est timoris compunctio, nubes amoris est devotio. Ideo nubes est devotio, quia pluit, et umbram facit; pluit irriguum superius; umbram ne urat æstus facit. Irriguum superius est in lacrymis, quas scindit devota mens ex magnitudine amoris. Æstus est concupiscentia carnis. Igitur postquam mens fuerit initialis timoris acu perforata, et postmodum perfecti timoris malleo comminuta; tertio irrigui superioris imbribus irrigata, jam super se venientem bibens imbrem, generat herbam opportunam. Quid est hoc? statim veritas de terra cordis ideo fructuosi, quia devo-

A tionis imbre compluti exoritur. Ecce de bona terra fructus optimus. Fructus hic veritatis, est verax confessio criminis, confessio est voluntaria et verax accusatio animi et peccatorum ordinata manifestatio in facie sacerdotis; voluntaria, non tormentis extorta; ordinata, ut fiat cui debet, et de quibus debet. Illi tantum confiteri debes, qui in rebus hujusmodi super te acceperit potestatem, vel cui ipse permiserit. Tua enim confiteri debes, non aliena peccata, et ea simplicitate qua te fecisse commemoras, nil ex falsa humilitate adjiciens, nil ex fallaci justitia, vel ex inordinato pudore subtrahens. Timorate, non irreverenter; humiliter, non superbe; simpliciter, non jactanter; modeste, non procaciter; privatim, non publice; sacerdoti tuo tantum,
B non cuilibet; coram Deo, non coram hominibus est confessio facienda. Quocirca de quibusdam scriptum est : Quia *peccatum suum sicut Sodomæ prædicaverunt, non absconderunt* (*Isai.* III).

Notandum tria genera esse confitentium. Confitentur quidam non habentes propositum desistendi a peccatis; confitentur quidem alii propositum emendationis habentes, sed cum tempus tentationis advenerit minime persistentes; confitentur tertii, qui se quidem a peccatis continere proponunt, et per auxilium gratiæ propositum ad finem perducunt. Eorum qui sine proposito emendationis sunt, alii propriam iniquitatem in tantum diligunt, ut nolint a peccato desistere, etiamsi possint; alii
C quidem vellent iniquitatem deserere; sed consuetudine peccati, quasi inviti retinentur in peccati oblectatione. Illi miseri, isti miserabiles; illi mortui Lazari et sepulti morte et sepultura signati, isti viventes sepulti sunt, qui, etsi quia inviti portant lapidem malæ consuetudinis, sub lapide tamen vivunt per desiderium liberationis. Illi difficillime liberantur, pro eo quod exasperant in sepulcris. Exasperare in sepulcris, est teneri in profundo mortalis peccati, et tamen contemnere suscitari. Illi facilius et frequentius revocantur, quos etsi vinciens catena consuetæ voluptatis fortiter ad interitum trahit, et fragilitas naturæ proclivior, quia ad malum, ad mortem compellit, frequenter tamen ad cor redeunt. Sæpe post tergum respiciunt, si
D forte respectum gratiæ ejus qui educit vinctos in fortitudine sua, aliquatenus mereantur. Unde et in ipsis flagitiis positi, multa bona plerumque faciunt, operibus misericordiæ insistunt, esurientes pascunt, nudos vestiunt, hospites colligunt, indigentibus officia humanitatis impendunt: a Deo, tam precibus, quam operibus implorantes, ut peccata sua quæ nimis diligunt, quibus carnali voluptate contra conscientiam suam adhæserunt, pro quibus ad mortem se pertrahiscunt, quæ per se nullatenus deserere possunt, divina tandem inspiratione dexteræ Excelsi mutatione per veram pœnitentiam conversi relinquunt. Dicendum est istis, quia *regnum cælorum vim patitur, et violenti diripiunt illud* (*Matth.* XI); et quia in revincenda consuetudine prava sum-

ma violentia opus est. Qui enim male blandientibus A illecebris vim inferre, Deo auxiliante, noluerint, poterunt quandoque per Dei gratiam ad pœnitentiæ remedium de profundo iniquitatis emergere, et redire in gratiam Patris misericordiarum, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Alioquin si, quod absit! eos computrescentes in stercoribus suis hora mortis invenerit, eis utique et pro eis dolendum est; quoniam hinc male exeuntes, mala invenient, et quos diutius ad pœnitentiam Dei pietas exspectavit, non conversos durius severitas divina condemnabit. Non confidant omnino in bonis operibus quæ viventes inter etiam sua ipsa flagitia faciunt; quia, etsi nullum bonum irremuneratum, tamen non omne bonum meritum est ad salutem. Unde bonorum quæ B fecerunt, aut in vita sua a Deo receperunt temporalem retributionem, aut si post mortem reservata sunt, non erunt quidem remunerabilia ad salutem, sed ad æternæ pœnæ aliquantulam mitigationem. Væ illis qui in vita sua de bono opere quod fecerunt, receperunt mercedem suam! Receperunt autem multi, aut in salute corporis, aut in dono sapientiæ litteralis, aut in divitiis, aut in quibuslibet aliis successibus terrenæ et transitoriæ felicitatis: quæ etsi temporalia sint, et bonis malisque communia, tamen ab æterno et justo Deo miseris mortalibus conceduntur. Diximus aliqua de his quorum voluntas in tantum captiva est, ut malæ quidem consuetudinis patiantur tyrannidem; suam ta- C men rogant mutari in melius voluntatem, id est quodam modo volentes, dum et vellent nolle quæ carnaliter volunt, et tamen carnali voluntati vim inferre non volunt. Sed quid dicendum est de illis qui, etsi malam voluntatem omnino se gerere norunt, velle tamen corrigere nolunt? qui in tantum proprias tenebras diligunt, ut non solum non velint corrigi, sed nec velint habere voluntatem hoc volendi. Talis voluntas diabolica est; diabolus enim non solum non habet voluntatem bonam, sed nec vellet habere. Verumtamen cum hoc in diabolo corrigi non possit, corrigi potest homo, quandiu vivit. Mutet voluntatem, et inveniet gratiam; imo ipsam voluntatem per gratiam immutari oportet. Verum cum sine gratia boni esse non possumus, non est D tamen culpandus Deus, si gratiam noluerit elargiri. Si mali sumus, culpandi sumus; si boni, laudandi minime, quia a nobis non sumus quod boni sumus. Laudandus est Deus de bono nostro, non culpandus de malo; nos econtra de malo culpandi, sed de bono minime laudandi, quia a nobis malum quod sumus, a Deo autem quidquid boni in nobis, vel habere possumus vel habemus. Jam ad illud confitentium genus, qui cum emendationis proposito ad judicium sacerdotis accedunt, sed in eodem proposito non persistunt, animum revocemus. Laudandi sunt isti, quia bene incipiunt, quia contra diabolum arma assumunt, qui vitiis suis certamen indicunt, quia cum diabolo conflictum inveniunt, quia Jesum peregrinum prius et hospitem intra se per pœnitentiam colligunt, quia se cœlesti medicinæ sanandos offerunt, sed vehementer arguendi sunt, quia tam cito a pugna desistunt, arma rejiciunt, Jesum quem susceperant a se tam irreverenter expellunt, sanata per pœnitentiam vulnera cuspide iniquitatis redivivæ confodiunt, valentes utique dicere cum Propheta: *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ* (*Psal.* XXXVII). Igitur nil profuerunt eis lamenta præcedentia, ubi replicantur peccata. Recurrant ad fontem misericordiæ, innovent lamenta pœnitentiæ, tanto amarius ingemiscentes, quanto Dei gratiam superbius irritasse noscuntur. De cætero, omnem locum suspectum habeant, eventuum occasiones, temporum opportunitates formident, nulli ætati se credant, omni studio consortia devitent, aspectus, colloquia personarum quas peccati sui complices habere consueverunt; in cibis et potibus teneant modum, magis insistentes operibus charitatis quam amplificationibus terrenæ facultatis. Hoc modo poterunt sanari vulnera eorum, quæ sunt eis tanto periculosius inflicta, quanto delectationis toxicatæ cuspide sæpius ad irritationem medici innovata

Veniendum est ad eos quorum est compunctio efficax, confessio verax, propositum perseverans. Ex occasione istorum, de confessione plenius agendum. Sacerdos vicem Christi tenens, cum viderit saucium secus viam, non pertransire miserum immisericorditer debet; sed Samaritani, hoc est Jesus, gestu, voce, officio, affectu, debet prætendere, et ostendere viscera misericordiæ, se coaptare vivum semivivo, oleumque vulneribus instillare; et cum utrumque sit necessarium, oleo primitus demulcenda sunt vulnera, ut cum se, ob levitatem olei experti tractabilem vulneratus exhibuerit, postmodum infundi securius vini austeritas possit. Debet itaque sacerdos, id est custos animarum existens, pœnitentem benigne suscipere, diligenter de modo confessionis instruere, spe veniæ confovere. Ecce oleum, per cujus levitatem peccator attrahitur, ne vel timore pavefactus refugiat, vel pudore confusus confiteri quæ fecerat erubescat. Instruendum est diligenter quid sit, quantum valeat, quo ordine facienda sit confessio, siquidem debet esse in corde gemitus, in ore singultus, in oculis fletus. Debet esse in contritione cordis malorum omnium recordatio, in labiis accusatio, in proposito emendationis satisfactio. Debet vere pœnitens humiliter et veraciter confiteri Christi vicario, hoc est sacerdoti, quod fecerit, modum quo fecerit, quoties fecerit, ubi et quando fecerit. Si de luxuria agitur, in quem sexum deliquerit, cujus professionis, aut ordinis, aut legis fuerit, per, aut cum qua deliquerit. Hæc omnia a discretis in vera confessione consideranda sunt; et cum multa sint peccandi genera, exprimendum est peccati genus, et utrum sit ex ignorantia, aut ex infirmitate, aut industria perpetratum. De modo peccandi dicendum est, quia etiam

in naturali luxuria, qua solummodo inter conjuges licita est, modus exsecrabilis esse potest. Notandum est hic quia luxuria alia non naturalis, et per hæc omnino non licita, alia naturalis et illicita, alia naturalis et licita. Turpe quidem est loqui de talibus, sed turpius est talia operari. Si non facerent homines quæ turpia essent, et omnino reprehensibilia, nec nos reprehendere, nec de turpibus turpia loqui oporteret. Nunc autem turpissima opera hominum incorrepta relinquere, turpe quidem est, quia Deo odibile est, et quia gratum est Deo, ideo pulchrum humani operis turpitudinem reprehensionibus quibus possumus emendare.

Luxuria itaque non naturalis, et ideo illicita in pari sexu, vel in sexu dispari, etiam inter conjuges membris non ad hoc concessis abuti : naturalis et illicita in scortationibus; naturalis et licita in conjugibus, si tamen consuetum modum teneant, si in hoc ipso modum custodiunt, si loco et tempore mutuæ infirmitatis debitum solvant. Non enim quia aliquo modo licet, statim omnimodo, omni loco, omni tempore licet. Observandus est locus, ne sacratus sit; tempus quoque gravidi ventris, tempus separationis præscriptum, tempora quoque quibus est divinis observantiis insistendum; quæ omnia si inter conjugatos neglecta, valde reprehensibilia sunt, et offendunt Deum. Quid putas offensæ erit, si exerceantur in abominabili luxuria scortatorum? pro modo itaque, loco et tempore de facto judicandum est. Cumque rebus semper illicitis hæc etiam ad augmentum iniquitatis adjuncta fuerint, debet in auctores spiritualis judicis pia severitas acrius commoveri.

Verumtamen in omnibus judiciis anteponenda est misericordia, et qui propriæ iniquitatis est conscius, in sua debet pensare, et metiri infirmitatem alterius, ne, dum manu minus discretæ severitatis de fragili vase rubigo abraditur, vas fragile penitus conteratur. Sic oleo vinum, sic vino oleum vicissim, et temperate miscendum est, ut nec sola olei levitas per mollitiem remissionis timorem evacuet, nec vini austeritas per exacerbationem terroris nimiam veniæ lenitatem elonget. Numerus quoque inquirendus est, tantoque puniri debet districtius malum, quanto fuerit sæpius repetitum. Jam in sexu hæc est habenda discretio. Inquiratur utrum clericus aut laicus fuerit; si laicus, utrum liber ab uxore necne; nam si personæ a lege tori liberæ sint, restat ut peccatum sit simplex fornicatio, inter consanguineos et affines incestus. Raptus vero est quando vim inferunt castitatis prædones, plusquam adulterium inter religionis cujuslibet professores. Si de clerico agitur, inquirendum est cujus ordinis, utrum diaconus vel sacerdos; tanto enim quis magis, vel minus deliquit, quanto eum sacri ministerii dignitas magis vel minus sanctitati addicit. Inquiratur itidem de muliere utrum conjugata fuerit an non, utrum virgo vel vidua, utrum votum continentiæ fecerit, utrum habitum religionis habuerit,

A utrum denique pretii cupiditate, an solius voluptatis amore consenserit ad peccatum. Hæc omnia inquirere ad discretionem pertinet sacerdotis. Confiteri humiliter, distinguere subtiliter, emendare salubriter, ad contritionem pertinet confitentis. Non enim sufficit innotescere medico, ubi doleas, aut quomodo langueas, nisi morbi causam et languoris efficaciam manifestes. Jam expositis vulneribus, sapienti incumbit medico, ut oleum infundat et vinum, circumliget medicamentum, imponat in jumentum, ducat in stabulum. Oleum est misericordia Dei, quæ dolorem pœnitentiæ per spem veniæ lenit. Vinum est austeritas divinæ justitiæ, quæ peccata nullatenus inulta dimittit. Oleum infundimus, cum Deum tantæ misericordiæ dicimus, ut ex

B justitia ejus commissa mala puniri oporteat. In hoc est oleum quod vere pœnitens æternaliter non damnatur; in hoc vinum intellige, quod necesse est ut perpetrata iniquitas, aut hic temporaliter, aut post mortem graviter puniatur. Horrendum est enim incidere in manus Dei viventis. Melius est enim ut mala tua, dum vivis, tu ipse punias, quam ea post mortem divinæ ultioni reserves. Si tu punire volueris, ipse ex misericordia parcet : non enim judicabit bis in idipsum. Si malis tuis parcere vis, ipse ex justitia districtius puniet, quia malorum non est amator Deus, sed ultor. Post infusionem olei et vini, vulnera alligantur : tunc medicamenta circumligantur, cum propositum vitæ melioris assu-

C mitur. Jumentum in quod levatur, est adjutorium gratiæ, quo per profectuum varios gradus defenditur. Stabulum in quo ponitur, est propriæ humilitatis utilis recordatio, quæ præteritæ felicitatis immemorem animum esse non patitur.

De cætero sacerdoti ministerii sui clavibus utendum, ut ei quem videt educi divinitus de lacu fæcis, festinet aperire thesauros salutis. Claves istæ duæ sunt, scilicet judicandi scientia, et potestas ligandi et solvendi. Hæ sunt claves regni cœlorum, quæ collatæ sunt Petro, et cuilibet sacerdoti. Debet itaque judex spiritualis diligenter audire, et examinare prudenter, subtiliter agere, ut, quantum possibile est, cognoscat animum et propositum confitentis. Interpres nimirum contritionis est gemitus,

D dimissi et afflicti vultus verecundia, testificatio promissionis spontaneæ, humilis ad omnem satisfactionem subjectio, certa sunt indicia vere pœnitentis. Cum igitur sit in corde ad Deum contritio, foris appareant signa contritionis ad hominem. Contritio vero omnino esse sine charitate non valet. Jam manifestum est hujus per gratiam suscitatum esse interius peccatorem, consecutum veniam, quia charitas operit multitudinem peccatorum. Denique scriptum est quia quacunque hora ingemuerit peccator, de peccato salvus erit. Perpendens hæc judicis scientia, suspendat judicium; interim timeat inferre sententiam, ubi tantam mirari potest Dei misericordiam, quia non est arctandum satisfactionis injunctæ vinculum, quantam misericordi-

ter absolvit divinæ bonitas pietatis. In multis enim de Dei misericordia præsumendum est, præsertim cum quis toto corde converti cognoscitur ad eum qui justificat impium. Ubi quippe Spiritus Domini, ibi libertas, ubi libertas, nulla necessitas: unde Veritas in Evangelio: *Si Filius*, ait, *vos liberaverit, vere liberi eritis* (*Joan.* VIII). Quid igitur in hujusmodi pœnitentibus non habent sacerdotes potestatem ligandi et solvendi? Tu dicis quia ligandi non sunt per satisfactionis impositæ necessitatem, quos Deus et a vinculo peccati absolvit, et debito pœnæ æternæ per veram cordis contritionem; sed iterum quid sacerdotis auctoritas solvit, si, ut asseris, contriti vere cordis charitas quælibet iniquitatis vincula rupit? Si ergo sacerdos nil ibi ligat, aut solvit, ubi sunt claves quas accepit? Videtur etiam oris confessio superflue fieri, si ante confessionem constat per solam cordis contritionem peccata dimitti. Quod autem dimittantur in compunctione, testatur Psalmista dicens: *Dixi: Confitebor adversum me injustitias meas Domino*, etc. (*Psal.* XXXI.) Non ait, confessionem feci; sed de facienda confessione in corde contrito deliberavi, et tu misericors, remisisti impietatem peccati mei, et illud quod supra posuimus: *Quacunque hora ingemuerit peccator de peccato suo, salvus erit* (*Ezech.* XXXIII). Frustra ergo sacerdos quæritur, frustra peccator confitetur, frustra Christi sacerdotibus ligandi et solvendi potestas datur. Sed ecce, si sola cordis contritio peccata diluere creditur, cur confessio oris, tam corpore, quam corde facienda jubetur? Interim enim oris confessio pœnitentibus dicitur esse necessaria, ut qui tempus habens confiteri, neglexerit, indulgentiam peccatorum consequi omnino non possit. Ecce quomodo, non una, sed multiplex, solvat nodos ejus qui omnium habet scientiam. Dicendum est itaque quod contritio cordis peccata diluit, et tamen oris confessio facienda sit. Si quæras quare facienda sit confessio, cum sufficiens sit peccata delere contritio, respondeo tibi, quia præceptum est ut fiat. Si præceptum est, obedire teneris; si teneris, et non obedias cum possis, contemnis; si contemnis, superbus es; si superbus es, tibi resistit Deus, quia alta a longe cognoscens, non nisi humilia respicit. Quod si etiam præcepti causam requiras, humilitati tuæ satis esse debuerat Dei cognoscere voluntatem, non inquirere rationem. Ideo ergo præcepit, quia sic voluit; ideo voluit, quia sic nobis expedire cognovit: unde nec similiter præcepit, sed etiam in præcepto isto remedium spirituale nostræ saluti constituit. Quare hoc voluerit Deus, ut in hoc præcepto salutis nostræ summam poneret, sicut est non credere perniciosum, ita inquirere præsumptuosum. Voluit quippe Deus, ut quod per se agit, in corde infundendo gratiam compunctionis, manifestum fiat vices suas agentibus in Ecclesia per confessionem oris. Quare hoc? Ut videlicet mysteriorum cœlestium dispensatores, rectores animarum, sacerdotes quos noverint solutos interius per gratiam Dei, solvant et ipsi per potestatem ministerii; quos autem solvant, solutos sciant; pro solutis habeant, solutos pronuntient. Solvant denique a metu pœnæ, quos absolvit charitas a vinculo culpæ. Hoc est enim sacerdotem solutos ostendere, quos per se dignatio divinæ pietatis absolvit. Denique Dominus per se Lazarum ad vitam reducit, per se de sepulcro suscitatum educit; sed apostolis resuscitati et educti solutionem indicit, dicens: *Solvite eum, et sinite abire* (*Joan.* XI). Prodierat quippe vivificatus, sed tamen ligatus institis. Tres sunt institæ quibus ligantur mortui, etiam postquam fuerint a Deo invisibiliter suscitati, infamia scilicet, quam peccando publice crudeliter neglexerunt; horror gehennæ, quam dum se meruisse non ambigunt, relaxatam sibi per contritionem ex nimio pavore diffidunt; sacramentorum participatio, qua se indignos injustitiam operando fecerunt. Prima instita solvitur, dum testimonio sacerdotis ejus medicatur conversio, qui infamis antea in populis habebatur; secunda solvitur, dum, sacerdote docente, quanta sit veræ contritionis efficacia, promissæ spei sola solvitur solatio, amaritudo in spirituale gaudium commutatur; tertia solvitur, dum sacerdos vere contritum, vere emendatum ad sacramenta accedere fiducialiter exhortatur. Ligat quoque, dum doctrina religionis diligenter informat, ne ulterius dissolutus per vana desideria effluat. Hoc modo solvit et ligat judex ecclesiasticus pœnitentes. Eos autem confitentes, qui pluribus quidem criminibus involuti, minus compuncti inveniuntur, fortius ligare, fortius condignæ satisfactionis vinculis arctare debet, ut quod minus efficit dolor cordis, saltem suppleat labor carnis. Potest quidem dolor contriti cordis sufficere ad omnem emendationem, etiam sine labore corporis, sed nunquam potest sufficere labor pœnitentiæ exterioris, si omnino defuerit dolor cordis. Cum autem pœnitentia sacramentum sit; sacramentum vero sit invisibilis gratiæ visibilis forma; hic vere pœnitentiam agere dicitur, qui et rem sacramenti habet interius in compunctione cordis, et sacramenti speciem visibilem foris repræsentat in labore satisfactionis. De satisfactione vero dicendum est quod, secundum modos peccatorum et diversitates peccantium, mensura satisfactionis imponenda est: quod discretioni relinquitur sacerdotum, in cujus rei discretione etiam ligandi et solvendi habent potestatem, dum pœnitentes et satisfactione debita ligant, et iterum solventes de pœnitentia aliquid misericorditer relaxant. Sunt et alii ligandi et solvendi modi, de quibus nil ad præsens pertinet, ut cum anathematis vinculo stringitur, et iterum ab eodem vinculo per sacerdotalem indulgentiam liberatur. Sed de his hactenus.

Cæterum de pœnitentia multa dicenda erant, quæ nos, aut causa brevitatis omittimus, aut fortasse ideo quia ad prosequendum singula ingenii sufficientiam non habeamus. Hoc tamen nosse velim

eos, qui pœnitentem suscipiunt pluribus irretitum criminibus, non posse pœnitere de uno, dum perdurat in aliis, quia Deus illius satisfactionem non approbat, qui unum dimittens, in aliis perseverat. Ut igitur digne Deo satisfaciat, confiteatur de singulis, et dimittat. Militibus etiam illis constitutis officiis, quæ sine peccato agi non possunt, et ex quorum occasione multa flagitia perpetrata sunt, dicendum est quod dignos pœnitentiæ fructus facere non possunt, nisi peccati differentes officia, mutent vitam. Peccata semel exposita humili confessione, et congrua satisfactione juxta judicium sacerdotis multata, non sunt ulterius in confessione repetenda, nisi causa humilitatis voluerint qui confitentur. Solent tamen abrenuntiantes sæculo habitumque religionis assumentes in ingressu monasterii, omnem vitam suam spirituali patri per ordinem humiliter explicare. Pœnitentibus in extremis non est injungenda satisfactio, sed innotescenda. Incendiarii et homicidæ diœcesani episcopi sunt judicio reservandi. Sunt et alia multa, et forte necessaria, quæ salubriter scribi de pœnitentia possent; sed hæc interim tibi, Pater venerande, sufficiant, usquequo uberioris fontis tibi venas aperiat, qui emittit fontes in convallibus, qui sitientes justitiam potat aqua sapientiæ salutaris. Suscipe itaque munusculum, et contra magniloquos rusticanum excusa sermonem, sciens profecto quod non multum curavi de nitore verborum, aut de subtilitate sententiarum, dummodo aliquatenus viderer implesse promissum.

EPISTOLA XXVII.

AD COMITISSAM CARNOTENSEM (10).

Ad rerum mundanarum contemptum, et Dei amorem eam accendit.

Nobili comitissæ Carnotensi, dilectissimæ suæ in Christo, frater ADAM pauperum Perseniæ servitor indignus, salutem in Domino.

Postquam, charissima, discessi a te, corpore quidem, qui non discedere corde potui, recordatus sum sæpius tuæ liberalis benevolentiæ, quæ, parum licet cognitum, cum tanto tamen gaudio me suscepit. Tenaciter inhæsit animo illa tuæ devotionis alacritas, quæ pia quadam violentia tecum remorari etiam per biduum me coegit. Veniunt in mentem dulcia verba amicitiæ novellæ, colloquia quibus conferebamus pariter, de peccati odio, de contemptu mundi, de virtutum studiis, de sermonibus Scripturarum, de sanctorum exemplis, de cœlestis vitæ gaudiis appetendis. Hæc sunt quæ per totum fere biduum illud contulimus, et ex his de te spem incœpi habere et concipere; quod utinam mea desideria non fraudentur. Hac igitur æmulatione succensus, decrevi dilectioni tuæ scribere aliquid, quo te ad appetitum illius rei admoneam, quæ sola quod salus sit operatur. Est certe in Jesu sola salus et summa, quam facile obtinet verus vanitatis

A humanæ contemptus. Fallax quippe gratia, et vana est sæculi pulchritudo, umbra est levis et fugax, nocturnoque somnio similis figura vanitatis transitoriæ, quæ sola potest illudere dormienti: verum vigilans animus hujusmodi phantasias non patitur; quippe quem instituit ratio, fides illuminat, sollicitat timor, movet charitas, spes extendit, gloriæ cœlestis pulsat ambitio, pia pauperum compassio crucifigit. Sic dirigitur mentis aspectus in Jesum, et intenta in verum lumen intelligentiæ acies, dum a se excutit somnum fallaciæ, insaniæ non admittit. Somnus sane, et somnia vanitates, et insaniæ falsæ penes te abundant copiosius, scilicet luxus opum, pretiosarum vestium pompa, fastus honoris, superfluitas vestium et sumptuum, ciborum accu-

B rata exquisitio. Tantarum devoratio deliciarum, tanta epulorum frequentia, alti sanguinis tanta nobilitas, tanta obsequentium multiplicitas, tanta rerum prosperitas, tantis morum rerumque dispendiis conquisita laudis humanæ vanissima vanitas, quæ omnia semper fere voluptuosæ carnis illecebris famulantur. Nolo, obsecro, irasci vera dicenti amico, quia, etsi veritas odium parit, non id tamen agit inter eos qui sanctæ charitatis vinculis astringuntur. In odium vitiorum sanctus amor semper ignescit, et loquitur, et in illos invehitur magis, quos magis diligere comprobatur. Amicorum parcere vitiis adulatio est, non dilectio; nec tam amicitiam quam inimicitiam sapit, non redarguere quos ama-

C mus. Felicem plane te dixerim, amabilisque Jesus desideratissima visione dignissimam; si pro amore illius ab oculis cordis pulveres supranominatos abegeris, ut videas clarius, quam charius valeas adamare; pulcher est enim et desiderabilis aspectu: speciosus forma præ filiis hominum; qui cum sit « Splendor gloriæ, et omnis pecie elegantior (*Psal.* XLIV), » nihil minus habet in plenitudine bonitatis quam in perfectione splendoris, tam bonus quam pulcher, tam speciosus quam pretiosus, tam patiens quam sapiens, tam humilis quam sublimis. In ipsum respice, in ipsum intende, ad ipsum extendere, tende ad ipsum, et quidquid ad ipsum non pertinet, corde et animo deserere ne cuncteris. Amoto luxu, resecatis superfluis, parcimoniæ metas ingredere, sobriumque

D immerge spiritum divinæ torrentibus veritatis. Verum hanc ebrietatem non hauriunt, nisi quos sanctæ mediocritatis amor insobriat, nec Mediatoris meretur gloriam, cui mediocritatis moderantia non medetur. Medicinalis parcimoniæ studio et elapsæ vitæ damnum restituitur, et quod de vita remanet ne pereat providetur. Mediocritas autem non recedit a medio, etiam modum non deserit, dumque Moderatori sæculorum inhiat, Mediatorique Dei et hominum Christo inhæret, omne quod ultra citraque superfluit exsecratur. Non hic longi vestium tractus matronarum pedes impediunt, nec pulveris concitati turbinibus offendunt intuitus

(10) Aliciam, Ludovici VII, Francorum regis, filiam, Theobaldi viduam, anno 1191 in obsidione Acconensi defuncti; vel Catharinam, filiam Radulfi, Claromontis apud Bellovacenses comitis.

oculorum. Ubi, inquam, regnat mediocritas, non de pupillorum prædiis augentur prædia, nec partitæ onerantur mutatoriis, quibus corpora vasa stercorum adornentur. Non patitur mediocritas ut de exactionibus viduarum equorum stramenta imphaleret ambitiosior apparatus: non patitur de spoliis pauperum ingurgitari ventris ingluviem, nec gulæ irritamenta ex cibo conquirere lautiori. Non, inquam, patitur sancta mediocritas illa dari histrionibus, unde pasci, aut tegi debuit indigentia miserorum.

Certe si purpurato diviti placuisset mediocritas, nec ad januam ejus Lazarum cruciasset esuries, nec ipsum divitem cruciatus inferi suscepisset. Epulabatur quotidie splendide, induebatur purpura et bysso: et quamvis Scriptura sacra hæc eum de rapina vel usura fecisse non dixerit, incurrisse tamen eum æternæ periculum damnationis ostendit. Nota quod Scripturæ veritas divitem illum de nullo prorsus crimine arguit, nisi quia in deliciis agens, misericordiam pauperi non impendit. Quid, si in deliciis ageret, easdemque delicias illicite conquisisset? Certe in deliciis vivere, grande peccatum Apostolus reputat, ubi de institutione viduarum ad Timotheum, sic ait: *Vidua quæ in deliciis vivit, vivens mortua est* (*I Tim.* v). Non erat mirum hæc dicere, si de acquisitis illicite deliciis viduam causaretur. Non erat mirum hæc dicere, si vivens in deliciis vidua, nil pauperibus largiretur. Nunc autem simpliciter dixit, quod vivens in deliciis, mortua sit, licet eam, aut rapinæ in subditos, aut tenacitatis in pauperes non causetur. Suspectas proinde debes habere delicias, illudque solerter attendere, unde scilicet veniant, aut quo vadant. Veniunt plerumque certe de injustis subditorum exactionibus, de gravaminibus pauperum, de pupillorum lacrymis, de spoliationibus viduarum; et unde lætantur qui diripiunt, inde lugent inconsolabiliter qui amittunt. Illud autem satis evidens est, quo vadunt quæ sic directa sunt, quia nulla ex eis utilitas alia quæritur, nisi quia summa diligentia ex eis carnis cito moriturae sterquilinium inquinatur. Toto igitur studio circa cultum et curam animæ vigilandum est, cui auctor vitæ et immortalitatem in conditione contulit, et imaginem suam gratuita bonitate impressit, et gloriæ cœlestis indeficientes delicias ex nimia dilectione promisit. Cæterum ne de forma vivendi alia esset dubitatio, per seipsum venit, per seipsum vitæ præcepta contradicit, in seipso conversandi exempla præbuit; et quod impossibilitati nostræ erat difficile, facto facile fecit suæ actionis exemplo. Debemus itaque suscipere et implere præcepta, mirari et imitari exempla, diligere et desiderare promissa. Præcepta omne quod vanum est omni animæ interdicunt. Exempla crucis gloriam prædicant et proponunt; promissa, ne in crucifixione deficias, de beatæ spei consolatione sustollunt. Spes autem tota et consolatio nobis est in partu nostræ Virginis, in

A flore fragrantiæ singularis. O sempiterni veris fructiferum florem, omni gratia pretiosum, omni plenum gloria, omni elegantia speciosum! Quam inæstimabilis illi est in odore suavitas! quam incomparabilis amœnitas in decore! quam magna in sapore dulcedinis multitudo! Utinam, anima mea, odor iste sit tibi semper in naribus! utinam sapor hic a cordis faucibus non recedat! Per te inæstimabili certe tantæ suavitatis fragrantia quidquid sæculum redolet fetidum reputatur. Præ hujus saporis dulcedine judicatur amarissimum quidquid carni dulcescere consuevit. Quam oblectat tam mirificæ amœnitatis jucunditas, non potest vel saltem respicere vanitatem. O virgam de radice Jesse! O Virginem omni laude dignissimam, quæ dum,
B absque sui defloratione, hunc florem protulit angelorum, corda et hominum suavitate mirifica satiavit! Hæc nobis est inter sæculi fluctus, inter maris procellosi naufragia, præsidium singulare. Ipsa est naufragis portus, desolatis solatium, mœstis consolatio, reparatio perditis, languentibus medicina. Virga est, qua magistra unctio utitur veritatis, sectatoribus correctionis tribuens disciplinam, sanctus nimirum Spiritus officinam disciplinæ plenissime habitans, et eam flexibilem per misericordiam et per rectitudinem justitiæ fecit porrectam Est enim hæc virga flexibilis, porrecta, gracilis, recta, levis, fructifera, fertilis, odorifera et suavis: flexibilis per misericordiam, porrecta per excellentiam, gracilis per humilitatem, recta per æquita-
C tem, levis per peccati immunitatem, fructifera per fecunditatem, fertilis per virtutum plenitudinem, odorifera per opinionem, suavis per amorem. In istam respice, amplectere istam, istam lauda et dilige, quia cui Maria advocata esse voluerit, contra omnes inimicitias prævalebit. Lauda Virginem voce, et vide ne voci vita aliquatenus obloquatur. Cum sit tota laudabilis, nil in te cesset a laudibus, quia nil esse arbitror laudabilius, quam se laudibus ejus totam impendere, quæ Conditoris honor et gloria, laus est et lætitia angelorum. Sed jam in Mariæ laudibus finem suum sortiatur epistola: quam forsitan tibi facit sui ipsius prolixitas onerosam. Si quid in ea durum vel difficile intellectui
D tuo occurrerit, habes penes te G. venerabilem capellanum, qui tibi possit et sciat singulas difficultates explanare. Laico sermone tibi scripsisse debueram, nisi quia te comperi Latini sermonis aliquantulam intelligentiam percepisse. Utinam te illam ex nomine meo salutare non pigeat, quam ad consilii nostri mysterium tertiam, me tamen prius commonente te, vocasti! Tam tenaciter illa pro sui devotione et honestate meis inhæsit visceribus, ut suavem ejus memoriam nulla mihi oblivio valeat invidere, cum eam ex parte mea salutaveris, id etiam ipsam ex nomine meo commoneas, ut tam integra dilectione Sponso virginum Christo inhæreat, ne virginitatis ipsius lilium, quo adhuc ver-

nare creditur, aliqua sacculi marcessere corruptione patiatur. Vale.

EPISTOLA XXVIII.

AD AGNETEM VIRGINEM.

De pia utriusque animorum unione.

AGNETI virgini, quam tota animi dilectione complectitur frater ADAM peccator, salutem in Agno sponso virginum.

Indubitata fide teneo, quod Spiritus sanctus in te suam constituerit mansionem. Ipsius operante gratia, spreta concupiscentiæ carnalis turpitudine, angelorum pulchritudinem adamasti. Propterea et ipse totus tibi inhæreo, quia penes te desiderii mei thesauros teneas, amorem scilicet et desiderium Creatoris. O felix amor, quo vera vanis, certa dubiis, utilia noxiis, honesta lubricis, æterna transitoriis præferuntur! O delectabile desiderium, quo ille solus quæritur, cujus inquisitio delectabiliter cruciat, cujus inventio est lætitiæ plenitudo! Cum sui copiam tibi præbuerit, nunquid te mei patietur esse immemorem, qui nec ad horam charitatis tuæ me patitur oblivisci? O quantum me lætificat tui amoris sinceritatis recordatio, quanquam pie me sollicitat tui profectus desiderium, et diu jam exspectata consolatio de aspectu. Plurimum certe sanctæ dilectioni confert mutua confabulatio se pie amantium, et mirum in modum etiam de aspectu corporeo spiritualis ignescit affectus. Quanta putas jucunditas est illum videre qui solus est salus et summa suavitas, si tam salutiferum est et suave tantæ suavitatis habitacula intueri? Videbo te cum vacuum fuerit, etiam oculis carnis; nam te videre animo semper vacat. Cum magna sit nobis in equitaturis penuria, et palefridum te audiente nobis regina promiserit, ne te pigeat accedere ad ipsam, et ut suis promissionibus fidem faciat commonere. Diu enim est quod invisere sanctum istum conventum desidero, et si haberem quo competenter tibi evehi possem, desiderii mei consummatio non tardaret. Vale.

EPISTOLA XXIX.

AD J. BELISMENSEM ARCHIDIACONUM.

De silentio.

Dilecto suo in Christo J. Belismensi archidiacono, frater ADAM peccator, salutem.

Injungit mihi aliquid, frater charissime, tuæ petitionis instantia, quod fateor formidolosus aggredior; quippe cui nec subest animi virtus ad experientiam, nec scientia sufficiens intelligentiam administrat. Et certe cui ista duo defuerint, non potest laudabili pollere facundia, præsertim cum non sit in mente unde linguæ tinguatur calamus, nec mores sapiant quod sermonibus explicetur: melius mihi suaderes silentium quam de censura et utilitate silentii scriptum a me aliquod postulares. Rei nimirum rationem quam postulas non inveniunt, nisi amatores silentii, quietis sectatores, quibus datum est cultum justitiæ silentium æmulari. Verumtamen, licet gratiam istam non meruerim, merebitur

A fortassis tua devotio, etiam in sterili fructum quem desideras invenire. Aderit itaque disputanti de silentio amica silentii Trinitas, quæ et ex ore infantium et lactentium suas laudes perficere consuevit. Quicunque sub discipuli forma Verbi incarnati frequentat auditorium, eo debet diligere et servare silentium, quo in magistrum sibi eligit Dei Verbum. Magister enim humilium Christus, non modo ea ratione Verbum Patris dicitur, quod sit voluntas ejus omnipotens, sed ideo etiam dicitur Verbum, quod semper requirat auditum. Qui audit, auscultat; qui auscultat, silet; qui silet et audit, alieni audientiam præstat. Semper igitur Pater exigit a creatura rationali silentium, cui semper loquitur tale Verbum. Nam Verbi hujus ineffabilis

B generatio sola est creaturæ rationalis eruditio, cui sola spiritalis infantia eo exhibet reverentiam debitæ audientiæ, quo feriatam custodit innocentiam in silentio et quiete. Semper loquitur nobis Pater, dum semper Verbum ineffabile generat, et ad æternum ejus eloquium continuum debet creatura silentium. Verbum autem omnipotens cognoscitur, nec intelligere, nec diligere, qui ab eo non metuit cordis auditum avertere; unde scriptum est: *Vir linguosus non dirigetur in terra* (*Psal.* CXXXIX); in terra quippe non dirigitur qui, divini rationem eloquii percipere, aut intelligere non meretur. Id autem non meretur vir linguosus, qui dum in lingua et lingua loquitur minima, quid Verbi Spiritus in

C linguis igneis deferat experitur. Vides quantum tota Trinitas approbet silentii disciplinam. Pater silentium diligit, quia, dum de substantia sua coæternum sibi Verbum ineffabiliter generat et proponit, procul dubio ad hujus arcani intelligentiam intentam cordis aurem requirit; unde in Psalmo loquitur: *Eructavit cor meum verbum bonum* (*Psal.* XLIV). Verbum quoque ipsum non immerito sibi fieri silentium exigit, quia, dum thesauros sapientiæ et scientiæ omnes in se custodit, ad illos quasi nostris auribus inculcandos, quasi quamdam linguam nobis non ignotam nostram humanitatem suscepit; unde Moyses: *Prope est Verbum in ore tuo et in corde* (*Deut.* XXX). Et evangelista Joannes: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I). Spiritus

D etiam Verbi summam sibi obedientiam fieri voluit, dum Verbum abbreviatum, et ideo magis obscurum, quasi per quasdam glossas exponens, se in linguis igneis revelavit; nam glossæ *linguæ* interpretantur. Spiritus enim sanctus de obscuritate Verbi abbreviati, id est usque ad servi formam exinaniti, quasi quamdam expositionem fecit, dum tanti mysterii causas ipsius Verbi discipulorum tam evidenti dispersione linguarum impressit.

De isto sui glossatore et expositore Spiritu sancto sic Verbum Patris loquitur: *Ille me*, inquit, *clarificabit, quia de meo accipiet* (*Joan.* XVI). Et iterum: *Cum veniet Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, ille testimonium perhibebit de me* (*Joan* XV). Quod autem silentium diligat Spiritus sanctus

testatur Dominus per prophetam: *Super quem*, inquit, *requiescet Spiritus meus, nisi super humilem et quietum et trementem sermones meos?* (*Isa.* LXVI.) Ubi nimirum humilitas et quies, ibi motio spiritalis silentii, pax et tranquillitas solemnizant, amicum est paci, amicum tranquillitati silentium, non potest agi sabbatum cordis, ubi labor labiorum silentii retundit disciplinam. Hinc est quod Spiritus sanctus septiformis dicitur, quia in septem feriis ad vacandum Verbi auditorio componit et ordinat sabbatum cordis: unde illæ feriæ septem dona Spiritus sancti sunt, quæ enumerat Isaias, quæ quasi septem silentia sunt, dum universitatem vitiorum ab animo silere et cessare compellunt: nam et septenarius pro universitate ponitur, et silere cessare dicitur. Quasi igitur septem silentia sunt, quæ universis vitiis silentium sua auctoritate imponunt. Silentia sunt, quæ, dum peccatorum reatus et vitiorum tumultus sopiunt, ad deligenda et diligenda Verbi incarnati mysteria aures cordis idoneas reddunt. Unde ex his omnibus silentiis Sermo omnipotens sibi interim medium eligit, quia ad illum a regalibus sedibus familiarius venit, qui in Spiritu fortitudinis quidquid est puritati contrarium superat et prosternit. *Dum medium*, inquit, *silentium tenerent omnia, Sermo omnipotens a regalibus sedibus venit* (*Sap.* XVIII); quia nimirum illum regali sede dignum mediator judicat, qui in medio constitutus, fortiter peccatis repugnat. Nonnisi in Spiritu fortitudinis imponitur silentium vitiis, nec id alibi quam in medio agri, quia virtus medium vitiorum utrumque redactum a sapientibus appellatur. Virtute siquidem animi opus est, ut vim inferas regno cœlorum, ut violenta illud aviditate diripias, ut ab auditione mala avertens aures, soli illas accommodet auditorio Verbi et obedientiæ mandatorum. Silentium istud est medium, quo omnipotens Sermo ad medium mediator deducitur, et parvulum in medio discipulorum se statuens, se parvulis imitandum quasi modo genitis infantibus exhibeat in magistrum. Infantes ergo hujusmodi non fantes, id est silentes sunt, qui videlicet salutare Dei cum silentio præstolantur. *Bonum est*, ait propheta, *præstolari salutare Dei cum silentio* (*Thren.* III). Salutare Dei mysterium est et gratia Verbi incarnati: cui audiendi aurem non accommodant, cui audientiam minime præstant, qui linguam maris Ægyptii non desiccant, id est qui loquacitatis superfluæ fluxum non cohibent, et linguam a multiloquio non castigant: *Qui dimittit aquam*, ut dicit Scriptura, *caput est jurgiorum* (*Prov.* XVII). Dimittere aquas, est linguam maris Ægyptii non tenere, id est linguæ fluxum amaricantis minime cohibere. Quid est tam tumidum et tam instabile quam mare? Quid tam amarum quam jurgium? Et quid mare Ægyptium, nisi cor amaricans et tenebrosum? Ægyptus enim tenebræ interpretantur. Aquas, inquam, maris Ægyptii dimittit, qui per linguæ ministerium et oris meatus cordis amaritudinem et tumidam vanitatem effundit. Nonne videtur tibi jurgium esse contra Verbi incarnati mysterium, contra regulæ præceptum, contra conscientiæ testimonium, loquendi excedere terminos, et silentii frangere vota? Certe Verbum Dei omni homini quamdam silentii legem indixit, cum de omni verbo otioso rationem in die judicii reddendam comminatus est et prædixit. Silentium enim est, non omnino non loqui, sed ponere custodiam ori tuo, et ostium circumstantiæ habere in labiis: id est, quomodo et quando oporteat, ubi et quantum debeas, quid et unde conveniat eloquaris. Est enim tempus tacendi et tempus loquendi. Sit itaque vox Domini super aquas, ut aquæ Siloe fiant et fluant cum silentio, ut verbis tuis Verbum Deus præsideat, et linguæ præcipi is volubilitas lege silentii refrenetur. Fides, ratio et auctoritas multum cœlestis philosophiæ professoribus commendant silentii disciplinam: primo quia, Sapientia Dei attingens a fine usque ad finem fortiter, omnia suaviter silenterque disponit. Secundo, quia eadem Sapientia sibi Verbi nomen assumit; unde: *In principio erat Verbum*, etc. (*Joan.* I). Tertio, quia idem Verbum infans, id est silens in carne nostra apparuit; unde: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I). Quarto, quia susceptioni infantiæ nostræ medii silentii tempus elegit. Quinto, quia cum in eo essent thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, per ætatem carnis jam duodennis, jam in synagoga docuit, sed ab hominibus legis doctrinam humiliter audivit. Sexto, quia in passione sua, quasi agnus coram se tondente obmutuit. Septimo, quia vox ejusdem Verbi, scilicet Joannes Baptista, silentium legi et prophetis imposuit: *Lex enim et prophetæ usque ad Joannem* (*Luc.* XVI). Octavo, quia Spiritus Verbi in igneis linguis adveniens, Verbi discipulos silentes et orantes, et corda audientium sonitu repentino commovit. Nono, quia ipsius Verbi sponsa, id est Ecclesia, eo silentium æternæ quietis non deserit, et eo affectuosius aurem tribuit, quo sibi dici divinitus audit: *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam* (*Psal.* XLIV). Audi, ut credas, quia fides ex auditu; vide, ut diligas, quia amor proficit et perficitur de aspectu; et inclina aurem tuam, ut obedias ex humilitatis affectu, et obedientiæ perseveres in actu. Audi famam sponsi tui, quoniam nomen ejus est oleum effusum; vide speciem dilecti, quia speciosus est forma præ filiis hominum; et inclina aurem tuam, ad exsecutionem mandatorum, et imitationem exemplorum. Audi prius, et vide posterius; quia fides ducit ad intelligentiam, et per fidem ad speciem pervenitur. Sic sponsam Verbi non loqui et garrire, sed audire et videre convenit, quia videre non poterit, nisi prius audierit: unde silentium deserit, et Verbi gratiam perdit, et nominis dignitatem. Ecclesia *convocatio* sive *convocata* dicitur: non enim venisset, nisi convocata fuisset; non se vocari audisset, nisi voci Verbi in silentio audientiam præstitisset. In tantum Verbi vocatio vult in discipulis suis per-

lentium, ut, cum discipulos ad prædicationem mittit, neminem per viam salutare permittat: *Neminem per viam salutaveritis* (*Luc.* x). Certe dum Dei populo lex divina proponitur, in ipsis suis initiis de facienda Deo audientia, et de tenendo silentio Israel commonetur: *Audi*, inquit, *Israel, et tace, Deus tuus, Deus unus est* (*Deut.* iv). Proinde Verbi discipulus, aut se false profitetur Verbi discipulum, aut veraciter tenet et diligit sacramentum. Quid hic dicturi sunt quidam, tam monastici, quam canonici ordinis professores, qui cum linguam et labia Dei Verbo dedicaverint, et se silentii disciplinæ ex vocis obligatione subdiderint, nihilominus assidue per multiloquium diffluunt, et laborant omnimodis ne teneant quod voverunt? Non est in ore eorum veritas, quia cor eorum vanum est. Nec potest munda veritas sedere in labiis quæ loquuntur ex abundantia vanitatis. Ut enim ait Dominus Christus, Verbum omnipotens: *Ex abundantia cordis os loquitur* (*Luc.* vi). Quid dicam de his qui venenum aspidum habentes, sub labiis sæpe imprudenter turpia proferunt, detractionibus venenatis inserviunt, mentiri, perjurare, contendere, perverse interpretari quidquid boni viderint in aliis nullatenus erubescunt? Sepulcrum sane est guttur eorum, et de sepulcro gutturis tot quasi mortuos efferunt, quot mortis exempla in aliorum perniciem proponunt, perversa loquendo, et eadem actitando. Hæc tibi, frater, interim de silentii utilitate sufficiant: quæ et si devotioni tuæ non satisfaciunt, mensuram tamen meæ parvitatis excedunt. Jam superest ut æmulemur silentium, et teneamus ipsi quod commendavimus, non silentes ab ejus laudibus ad quem auditus noster debet esse suspensus, sermo omnipotens Jesus Christus, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

EPISTOLA XXX.

AD BLANCAM COMITISSAM CAMPANIÆ.

Sermones suos quos petierat ei mittit, declaratque quatuor esse necessaria ad gratiam promerendam.

Dilectæ et prædilectæ, semperque in Christo diligendæ B. illustri comitissæ Campaniæ, frater A. servus servorum Dei, qui apud Perseniam Christo serviunt, salutem, et ad ea quæ Dei sunt devotam semper gerere voluntatem.

Instanter, filia, tuæ dilectionis devotio postulavit, quatenus sermunculos meos tibi transcriptos dirigerem, et hoc quippe ex multo desiderio deposcere videbaris. Digna plane et laudanda petitio, si quæ Latine (11) dicta sunt per te posses intelligere, aut si eo modo dicta essent, quo ex eis tibi posset ædificationis beneficium provenire. Ad hoc enim, ut arbitror, sermones ipsos expostulas, ut ex eorum lectione ædificata, proficias, dummodo tibi interdum

A forte vacanti ab aliquo exponantur. Scito, filia, quod sententia cujuslibet dicti, si de lingua in linguam translata fuerit, vix in peregrino idiomate, sua ei sapiditas vel compositio remanebit. Liquor enim cum de vase transfunditur, aut in colore, aut in sapore, et odore aliquatenus alteratur. Verum quibuscunque modis possem, tuæ ex animo ædificationi intenderem, et utinam tu catholicis exhortationibus et his quæ dicta sunt, tam studiose intenderes, ut coram Deo et hominibus gratiam invenires. Sane ad id gratiæ obtinendum quatuor esse necessaria liquet, quibus habendis cito cordis ambitu te insistere oporteret. Primum est fidei non dubiæ rectitudo: quæ cum te orthodoxam reddiderit, ad cognoscendos et devitandos errores et figmenta

B quælibet vera te scientia illustrabit. Rectitudo fidei est, cum et Deus creditur quod verax sit, et mente creditur quod summum bonum sit, quod est illi uniri, quod est vere Christi membrum effici, vere in Dei filium adoptari. Soli qui in Deum credunt, spiritum adoptionis recipiunt, ac per hoc, dum Christo incorporantur, adoptionis non immerito filii appellantur. *Omnis*, inquit Apostolus, *qui credit in illum, non confundetur* (*Rom.* x). Et procul dubio in illum credere est se a confusionis operibus penitus extraneis exhibere. Si tenueris hanc rectitudinem fidei, reputaberis inter filios Dei, ac per hoc hæres Dei et cohæres Christi efficieris, et nullatenus in æternum, sicut ab ipso dictum est:

C Morieris. *Qui credit*, inquit, *in me, non morietur in æternum* (*Joan.* xi). Filiorum quippe Dei transitus ex hac vita non vere est mors, sed magis natalis dicitur, quia in transitu suo a mortalibus exuti corporibus, ad veræ vitæ refrigerium renascuntur. Secundum, est innocentia morum, quæ dum ministratio fidei per confessionem et pœnitentiam reparatur, tutissime deinceps divini timoris custodiæ delegatur. Felix plane sollicitudo timoris, quæ, dum fidei obedire solerter satagit, et punire quod amissum est per pœnitentiam non omittit, et ad reparationem intendit innocentiæ, dum omni vigilantia... eorum custodit. Igitur de fide timor nascitur; quia, nisi crediderit, quid timeret? De timore pœnitentia nascitur; quia, nisi timor pœnæ mentem

D afficeret, quis se de suis excessibus emendaret? *Horrendum* quippe *est incidere in manus Dei viventis* (*Hebr.* x): quem horrorem dum menti assidue fidelis timor inculcat et incutit, eligit se potius de suis reatibus pœnitendo corrigere, quam ipsos reatus puniendos Dei viventis manibus reservare. Sic dum pœnitentia agitur, dum per timoris officium mens puncta et compuncta, quod male absorbuerat confitetur; dum tegitur noxa, restituitur innocentia, et sic boni efficiuntur mores, dum exclusis quibuslibet noxiis, incipiunt esse innocentes. Vides, filia, quia de fide qua in Deum creditur, iniquitas ab

(11) Hinc patet Cistercienses olim non Gallice sed Latine sermones suos coram fratribus in capitulo pronuntiasse: qua de re vide, si lubet, Mabillonii observationes in sermones S. Bernardi.

animo omnis excluditur, bellum vitiis desideriisque pravis indicitur, quæ, etsi sentiuntur in nobis invitis, nihilominus obsistendum est eis, ne saltem valeant dominari. *Non regnet*, ut ait Apostolus, *peccatum in nostro mortali corpore* (*Rom.* VI). Peccatum quidem inesse non prohibuit, sed ne regnum, vel dominationem habeat in nobis indixit. Si itaque inesse in nobis vitia et desideria nihilominus sentimus, sed non consentimus, nihil ex his in Christo Jesu damnationis habemus. Quandiu enim sentimus et consensum negamus, tandiu de illis cum Dei adjutorio triumphamus: consentire enim est succumbere et amittere innocentiam, quam tandiu per Dei gratiam custodimus, quandiu, negato eis consensu, eorum certamina toleramus. De innocentia morum sequitur justitia operum, quam necessariam esse ad operandam Dei gratiam loco tertio collocamus; quatuor enim supra esse diximus, quibus necessario Dei gratia acquiritur et servatur. Duo postrema operum justitia, et perseverantia virtutum: justitia est non modo metu gehennæ de se Deo pro illatis sibi injuriis justitiam exhibere, sed etiam est virtus ipsius justitiæ omnibus quæ præcipit Deus, fideliter et filialiter obedire. Ad hanc justitiam pertinet operum afferre fructum, aliud trigesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum, secundum quod in bonam terram ceciderit semen sanctum. An non semen sanctum est fides, qua in Deum creditur? An non innocentia morum bona terra est, quæ sancti timoris officio diligenter extollitur. Inde provenit ille triplex fructus, tricesimus scilicet qui intelligitur in fidelitate castimoniæ conjugalis, et sexagesimus, qui fructus est continentiæ vidualis; et centesimus, quem profert excellentia virginalis. Tricesimus et sexagesimus fructus a te exigitur; quia et fidelis in conjugio exstitisti, et nune ad libertatem vidualis continentiæ pervenisti. Ex centesimo fructu quem facit virginitas, nihil interim tibi dico, qui tamen ante vinculum conjugii te tantæ rei ferventissimum habuisse desiderium non ignoro: ille qui de voluntatibus judicat, propositum illum tibi faciat fructuosissimum; licet ab ipso nolens deducta sis compulsa consiliis amicorum. Age ergo, recompensanda recupera, in exsecutione fructus tricesimi et sexagesimi, qui interim minus de centesimo peregisti. Insiste operibus justitiæ, sive de te, Deo exhibente,

A justitiam pœnitendo, sive mandatis et justificationibus ejus adimplendis filialiter intendendo.

Nota quod hujus justitiæ quadriforme est exercitium: primum, est in inspectione sacræ lectionis; secundum, est in studio sacræ meditationis; tertium, est in instantia devotæ orationis; quartum, est in religiosa sollicitudine activæ conversationis. Sacra lectio tanquam speculum intendit quid tibi sit faciendum; in studio meditationis quæris et invenis quem in faciendo teneas modum. Instantia orationis impetrat cœlitus faciendi adjutorium. Activa conversatio de Dei confidens adjutorio aggreditur opus bonum. Quatuor ista traducta ferunt in usum et consuetudinem, purificatum perducunt animum ad cœlestium contemplationem. Sed heu! quid tibi et B cœlestium contemplationi, quam per occasionem terreni et transitorii principatus totum pene mundanæ vanitatis demersit pelagus? Hinc damnabilis in vidua curiositas vestium, sumptuum superfluitas, numerositas ferculorum, collectarum multiplicitas, pompa equitantium, pauperum spoliatio, multifaria declinatio obsequentium, cupiditatis intuitu impunita perfidia Judæorum, scelerata licentia feneratorum, assidua tumultuatio in judiciis litigantium, quæ omnia quantumlibet sint contraria divinæ justitiæ et saluti animæ, si in hoc statu posita, a te amovere curaveris, derisiones et opprobria hominum patieris. Quid est igitur infelicius, quam ibi contra conscientiam remorari ubi necesse est C periclitari, et scienter tenere transitoria, quæ et quotidie fugiunt, et fugiendo in animo amorem æternitatis aut minuunt, aut exstinguunt. Cogita igitur, charissima mea, cogita sæpius de justitia operum et de perseverantia virtutum, quia ille solus ad portum salutis applicat, qui in justitia operum et virtutum patientia perseverat. Sic enim bona terra fructum affert in patientia cum innocentia morum semen fidei suscipit et bonos fructus opera justitiæ facit, et eosdem fructus ad retributionis æternæ coronam perseverantia per patientiam promovet et perducit. Cæterum, amantissima, meos in hoc libro transmitto tibi sermones, qualescunque sint, quos tantopere postulasti, ut si eis usa fueris, et aliquam tibi conferant meliorationem, et per occasionem ipsorum tuum in memoriam habeas dilectorem. Vale

ADAMI ABBATIS PERSENIÆ

SACRI ORDINIS CISTERCIENSIS ALUMNI, NATIONE GALLI, VIRI DOCTISSIMI AC DISERTISSIMI,

MARIALE

Quo ejusdem Adami de Mariæ Deiparæ Virginis laudibus sermones aurei ac fragmenta pretiosa ad posteritatis notitiam transmittuntur.

OPUS HACTENUS INEDITUM

Ex perantiquo codice pergameno ms., olim bibliothecæ monasterii Casamarii erutum notisque illustratum a P. Hippolyto MARRACCIO, *Lucensi, e congregatione Clericorum Regularium Matris Dei.*

(Romæ, typis Ignatii de Lazzaris, 1652, in-12. — Edimus juxta exemplar asservatum in bibliotheca Universitatis catholicæ Lovaniensis, quod nobiscum perhumaniter communicavit D. NÈVE, ejusdem bibliothecæ custos.)

Et rursus post tenebras spero lucem.
JOB XVII.

ADAMO ABBATI PERSENIÆ

VIRO DOCTISSIMO. SANCTISSIMO AC TOTI MARIANO.

CUI. A
Maria Dei hominis Mater,
In fluctuatione Anchora,
In naufragio Portus,
In tribulatione Subsidium,
In dolore Consolatio,
In oppressione Subventio,
In opportunitate Auxilium.
In prosperitate Moderantia,
In exspectatione Lætitia,
In labore Recreatio semper fuit.
Cujus sententia (et quidem optima)
Mariam cœli Reginam quærere, Virtus;
Invenire, Salus;
Apprehendere, Gaudium;
Diligere, Laus et Honor;
Tenere, neque dimittere, summum Bonum:
QUI
A Maria mundi Domina
Vel ad punctum momentumque discedere, B
non solum, non tutum,
Sed periculosum omnino arbitratus:
Tenerrimo prorsus affectu cordis
Morumque candidissima puritate
Ei semper inseparabiliter adhæsit:
Illamque ut certam animæ suæ post Deum salutem,
Compendium vitæ,
Cœlestis patriæ Semitam,
Spem veniæ unicam,
Cordis Illuminatricem,
Spiritusque Suavitatem singularem,
Ex superni luminis illustratione
Et clarissime agnovit,
ac demississime veneratus est.
HÆC
Quæ ipse olim
(inter alia magni ingenii
Ac religionis eximiæ monumenta)
Aureo non solum calamo,
Sed ore, et pectore pietatis pleno,
De magnæ Dei Matris laudibus, encomiisque
Composuit,
Una cum corde, ac seipso toto,
Virgineo tholo,
ut Anathema sacrum,
per ipsius gratissimas manus,
(ut acceptiora habeantur)
appendenda,
Dat, dicat, consecrat,
Mortalium infimus
Hippolytus Marraccius.

EMINENTISSIMO PRINCIPI;

MARCO ANTONIO FRANCIOTTO

S. R. E. CARD. AMPLISSIMO

SAC. ORDINIS CISTERCIENSIS PROTECTORI.

Post fundatores Marianos amplissimo tuo nomini consecratos (nil de mea humilitate sollicitus, quia de tua humanitate securus) iterum ad te venio, princeps eminentissime, Adami abbatis Perseniæ, ordinis Cisterciensis Opera Mariana, typis hactenus intacta, et a quadringentis et amplius annis in situ ac tenebris hucusque sepulta, in clarissimo protectionis tuæ lumine collocaturus. Secundo autem venio ad te, non tantum, ut primo, libens et volens, meam meæque congregationis universæ in te, tuosque debitam observantiam declaraturus; sed quia ad alium si venirem, justa possem ab omnibus repræhensione castigari, utpote protectionem quærens sine protectore. Cum enim tu solus, ex sedis apostolicæ decreto, Cisterciensis ordinis sis protector: Opus ab ordinis Cisterciensis alumno elaboratum, cui melius justiusque ad protegendum, quam eminentiæ tuæ offeram? Quis rite protegit, nisi ex officio protector? Nec solum quia a Cisterciensi ordine est, sed quia etiam de Deiparæ Virginis laudibus pertractat, Opus hoc speciali jure debetur tibi; qui ab ortu ipso totus eidem Deiparæ Virgini mancipatus, miro cum pietatis sensu, aut per quotidiana pietatis exercitia, aut per assiduam Marianarum virtutum imitationem, ab ipsius laudibus nunquam cessas. In festo Nativitatis beatissimæ Virginis, e piissimis parentibus Curtio Franciotto, ac Clara Balbania patriciis Lucensibus, et avita nobilitate non minus quam clarissima virtute lucentibus, in hanc mundi lucem natus es, ut indicaretur, te, a nativitate ipsa, usque ad ultimum vitæ terminum, Augustissimæ cœlorum Reginæ constantissima pietate ac immutabili devotione victurum; ejusque cultum, honorem ac venerationem, in te primum, postmodum vero etiam in aliis usque ad extremam illam rerum lineam studiosissima diligentia curaturum. Nihil profecto est (quamvis multum alioquin sit), nobilissimi sanguinis tui, cum familia roburea Sixti IV et Julii II Romanorum pontificum conjunctio (Luchina enim Sixti neptis et Julii soror, Io: Francisco Franciotto matrimonio juncta), si cum præclarissimis virtutum tuarum ornamentis, ac præsertim cum ardentissimo tuo erga magnam Dei Matrem studio conferatur. Et quidem suavissimæ Dei Matris benignitatis, et benevolentiæ luculenta in te exempla ac vicissim devotissimæ mentis tuæ ac obsequiosissimæ voluntatis in eamdem suavissimam Dei matrem clarissima testimonia, ad æternam posteritatis memoriam, hoc loco saltem leviter delibare nullo pacto omitterem, nisi ad tui modestiam animi sese mea hæc epistola submittens, non quid virtutibus tuis debeatur, sed potius, quid aures tuæ pati possint, in præsentia consideraret. Gaudet porro Adam meus, et Deo meritas ac immortales gratias agit, quod ex providentissima consultissimaque Deiparæ Virginis benignitate, ipsius Mariano Operi ille provisus sit patronus, quo, in Deiparæ cultu, ac cæteris etiam omnibus Christianarum virtutum ornamentis, vix ipse majorem melioremque optare potuisset. Sperat Opus suum, quod primam sub faustissimis eminentiæ tuæ auspiciis lucem vidit, omnem sub iisdem vitam victurum, atque aleam adversam nullatenus formidaturum. Nec diffidit appellandum ab omnibus jure merito porphyrogenitum, quod primo in tua purpura natum sit. Exire in lucem tandiu distulit, ut tua videret tempora, tibique suo sese sisteret protectori. Serius fortasse, quam par est, emersit e tenebris; sed non sine numine tam sero emersit, ne videlicet tuæ protectionis gloria fraudaretur. Exspectavit diu, sed non male, imo optime exspectavit, dum exeundi moram protectionis tuæ felicitate compensavit. Acceptum fert ille tibi, quod tandiu sepultus in tenebris, sub luce tua vitæ restitutus, in suo Opere rursum vivat; et beneficio gratus, quamvis sit ipse solvendo, vices tamen suas Deiparæ etiam delegat, ut illa eminentiam tuam dignis processibus muneretur. Dignus est ipse protectione tua, non solum quia Cisterciensis ordinis est (cujus protectio, prudentissimo SS. D. N. Innocentii X, judicio tuæ curæ demandata); sed quia etiam ex illo ordine est, qui (Gregorii XI pontificis maximi testimonio), cum inter religiones cæteras Deiparæ Virgini sit singularitate devotionis ascriptus; eique unanimiter, et uno humero (ut Jacobus de Vitriaco S. R. E. cardinalis in *Historia occidentali* loquitur), ubique devotissime inserviat; etiamsi ejus protector non esses, attamen, ob eximium tuum erga augustissimam cœli Reginam studium, tua non potest protectione privari. Accipe igitur, princeps eminentissime, benignitate tibi innata, hoc Adæ abbatis Perseniæ Opus Marianum, quod ab interitu vindicatum vitæque restitutum, tanquam protectionis jure tibi omnino debitum, tuo patrocinio committo, et paterno affectu amplexum, ex tui officii munere, atque etiam ex ardentissimo tuo in Deiparam affectu, fove et protege. Quidquid autem hic meum est (quod video quam sit exiguum, atque a tua amplitudine et meritis alienum) totum (cum mihi majus in præsentia non suppetat); totum, inquam, eminentiæ tuæ demississime offero: et in mei in te devinctissimi obsequii ac debitæ venerationis testimonium, et in aliquam, quamvis minimam, significationem illorum beneficiorum, quibus tu, ac Illustrissimi fratres tui, Nicolaus et Bartholomæus Franciotii, lectissimæ pietatis ac probatissimæ virtutis viri, universam congregationem nostram arctissime tenetis obligatam. Licet enim gratias, quibus nos ex vestra humanitate dignamini, nunquam, etiamsi vellemus, referre possimus; sequemur tamen memoria sempiterna, et gratus animus, magis quam hæc pagina, altissime semper impressas conservabit. Ne autem ingrati omnino simus, Deum opt. max. assiduis ac calidissimis precibus interim exorabimus, ut fratres tuos totamque familiam tuam gratia ac bonis omnibus in dies augeat. Te vero supra Nestoreos annos, Deiparæ ac divæ tuæ suffragatione, diu in terra servet incolumem, ut Romani imperii arcem, quam hucusque tuarum virtutum lumine implesti, ac in dies imples, ad totius Christiani orbis felicitatem, in altiori gradu constitutus, luce compleas clariori. Romæ ex ædibus S. Mariæ in Campitello, die 15 Martii, anno a Virginali partu 1652.

Eminentissimæ dominationis tuæ
intimus servus,
HIPPOLYTUS MARRACCIUS.

LECTORI.

In bibliotheca monasterii Casamarii (et Casamarium est celebris abbatia in diœcesi Verulana provinciæ Romanæ, olim quidem Benedictinorum, sed ab anno Domini 1140 a Cisterciensibus possessa, ut in sua abbatiarum Cisterciensium notitia, inquit Gaspar Iongelinus) in hujus, inquam, monasterii bibliotheca exstabat perantiquus quidam codex pergamenaceus Latine m. s., pulchro quidem, sed in multis corrupto charactere exaratus, in quo una cum aliis veterum Patrum litterariis monumentis, sermones Adæ abbatis Perseniæ, tanquam gemmæ, inclusi continebantur. Hic autem codex, cum ab ejusdem monasterii Patribus reverendissimo Patri D. Hilarioni Rancato ordinis Cisterciensis in Alma urbe generali præsidi, non argenti vel auri, sed solius virtutis ac bonarum litterarum æstimatori, dono datus fuisset; atque ab hujus postea humanitate (est enim virtuti doctissimus, ita in amicos beneficentissimus) mihi etiam fuisset communicatus, animadvertens ego in prædictis Adæ sermonibus nonnullos esse de magna Dei matre, ac æternum virgine, hactenus in oblivionis tenebris sepultos, qui si publici fierent juris, multum possent pietati prodesse, ingentemque Marianarum laudum declamatoribus fructum utilitatemque afferre; statui illos, una cum Marianis fragmentis ex aliis ejusdem auctoris sermonibus collectis, sub Marialis titulo, additis notis, tanquam clarissimum vetustatis monumentum, pro communi bono, per typos publicare; existimans rationi maxime dissentaneum, diuturnioribus tenebris amplius obvolvi eas lucubrationes Marianas, quæ jugi hominum memoria, atque ipsa sunt æternitate dignissimæ. Spero autem non defuturos, qui ex hujus Mariani Operis gustu, ad omnium Adæ Operum publicationem efficaciter inflammentur. Quod qui præstabunt, doctissimum disertissimumque Scriptorem, non quatriduo, sed a quadringentis et amplius annis mortuum, velut ab inferis vindicatum, in vitam revocabunt. Clarissimi ordinis Cisterciensis splendori atque ipsius Ecclesiæ catholicæ ornamento optime consuluisse censebuntur, seque ipsos de litteraria republica reddent, et præsentibus et posteris fructuosissime bene merentes. Interim, amice lector, labore hoc cum incolumitate fruere, et meam hanc qualemcunque in Mariani Operis editione operam, æqui bonique consule. Vale.

ADAMI ABBATIS PERSENIÆ

MARIALE.

—

1-11 SERMO PRIMUS.

IN ANNUNTIATIONE B. VIRGINIS.

Egredietur virga de Radice Jesse (1), *et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini* (*Isa.* XI). Senescente jam sæculo, auctor sæculi ad reparandum hominem apparere dignatus est. Antiquabatur, et senescebat miser mundus, et propinquabat ad interitum. Pereunti mundo mira se novitate antiquus dierum opposuit, juxta Jeremiæ vaticinium, « novum faciens super terram, ut femina circumdaret **12** virum (*Jer.* XXXI), » gremio uteri sui. Dum itaque per hanc novitatem nostræ vetustatis senium dele sit, in nova nos immortalitatis suæ luce reparavit. Reparavit, inquam, misericorditer, quod creavit potenter. Huic tanto operi necessaria erat virga de radice Jesse, ex qua nasceretur fructus, qui gustatus non inferret mortem, sed reformaret ad vitam. In antidotum, ergo prioris arboris, cujus fructus mortem intulit, de virgulto Davidicæ stirpis, hanc vitam fructificans, Virga processit : Virga hæc Virgo Maria est; fructus virgæ, Virginis partus. In tantam arborem crevit hæc virga, ut communis salutis fructum proferens, dum mater Omnipotentis efficitur, et angelorum Regina, et sæculorum Domina prædicetur. Sine termino dila-

A tavit se arbor ista, « operuit montes umbra ejus, et arbusta ejus Cedros Dei (*Psal.* LXXIX). » Montes accipe sublimes meritis sanctos : umbram nostræ arboris, privilegium gratiæ singularis, quod nostræ Virgini contulit obumbrans ei Altissimi virtus, et plenitudine gratiæ cumulans mentem, et partu divino gravidans ventrem. Umbra hæc nil habet in se umbratile, nil imaginarium, **13** vel inane. Summa et sola ubi veritatis soliditas, et solida veritas : verus enim Unigenitus in vera Virgine, verum assumpsit hominem, hoc est corpus et animam; naturam, non culpam. Veritati susceptæ novæ non defuit veritas innocentiæ. « Peccatum quippe non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (*I Petr.* II). » Dum ergo lux incorporea veræ divinitatis
B sibi veraciter corpus humanum univit, ex unito et objecto sibi corpore in partem alteram umbram fecit. Umbra illa fides vera. Fides vera, quæ per Incarnationis mysterium justificat impios, glorificat justos (*Prov.* XVII), et de vallibus facit montes excelsos. De umbra ista dicit sponsa in Cantico amoris : « Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi (*Cant.* I). » O umbram necessariam illicitis ardoribus temperandis ! Si confugias ad umbram illius arboris, hoc est si credas et diligas partum Virginis, « per diem sol non uret te, neque luna per no-

ctem (*Psal.* CXX). » Arbusta ejus, merita ejus, quæ cedrorum altitudinem, hoc est Angelorum sublimitatem transcendunt (2). O arborem fructuosam, in medio paradisi plantatam, ramis expansam, radice firmatam! Ipsa quippe est, **14** quæ dicit: « In Sion firmata sum, et in Civitate sanctificata similiter requievi (*Eccli.* XXIV); » et illud: « Radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius (*ibid.*). » Arbor illa scientiæ boni et mali (*Gen.* II) gustu suo experientiam mali contulit, et boni scientiam ex parte abstulit, et de bono miserum fecit. Hæc arbor sapientiæ fructum proferens, et palatum animæ reparat ad saporem boni, et malorum experientiam dedocet, restituens hominem amissæ beatitudini. Hoc modo crevit virga in arborem, profecit virgo in Altissimi genitricem. In horto cœlestis Agricolæ (*Joan.* XV) sunt arbores malæ, steriles, fructuosæ. Malæ sunt, quæ noxios fructus ferunt. Steriles sunt, quæ nec bonos proferunt. Fructuosæ sunt, quæ bonorum fructuum ubertate pinguescunt (*Psal.* LXIV). Arboribus malis et sterilibus securis ad radicem posita est, incisura eas, nisi mutentur. Inter bonas arbores incomparabiliter optima est virga de radice Jesse, ex qua vitæ fructus processit. Summum enim bonum est fructus iste, cujus bonitate quæ non participat arbor, bona esse non potest (*Matth.* VII). Participata nimirum bonitas fructus hujus, et malis arboribus confert plurimum, **15** ut bonæ fiant; et steriles fecundat, ut fructus ferant, et fructuosas purgat, ut fructum plus afferant. Quas hoc modo non mutat, incidit, et in ignem mittit (*ibid.*) ut ardeant. Est enim iste fructus, est et securis, qua infructuosæ arbores exciduntur. Securis, inquam, est incarnatus Unigenitus, cujus quasi manubrium est humanitas, quia ferrum incidens subtilitas Deitatis. Ubi ligna silvarum plaudunt manibus, æmulamini potius virgam de radice Jesse egredientem, ex qua poteritis habere exemplum, et virtutem fructificandi, quam arborem scientiæ boni et mali (*Gen.* II), ex qua provenit vobis sterilitas, quæ vos obnoxios facit securi. Amate fructum, timete securim. In filio Virginis diligite misericordiam, metuite veritatem: nam seu veritatem incidit, et est securis, seu misericordiam, et est fructus terræ sublimis. Misericordiæ debetur amor, justitiæ per judicium incidenti debetur timor. Sterilitatem nostram aut moveat amor, aut terreat timor. Certe timorem ipsum non infructuosum dixerim, qui, dum mala recidit, eo ipso sterilitatem evacuat, quo per ipsum manus ad bona opera consuescit, **16** vel saltem a malis pœnæ formidine dissuescit. Magna utilitas est, dum timorem necessarium exterminationem peccati, virtutis seminarium incutit arboribus infructuosis, sed hoc nonnisi ponatur ad radicem arboris (*Matth.* III), hoc est ad intentionem cordis. De intentione enim, quia de radice habet homo, ut inutilis sit vel fructuosus. Idcirco non ad ramos, sed ad radicem securis ponitur, quia frustra

A foris amputat ramos mali operis, si intus remaneat malum in radice intentionis. Itaque, ut dictum est, securis ad radicem posita timorem incutit. Quid non timeant arbores infructuosæ, cum securim videant parantem sibi incisionem, et minantem combustionem? Dicit enim, qui eadem securi incidit: « Quia omnis arbor, quæ non facit bonos fructus, excidetur et in ignem mittetur (*ibid.*). » Verbum est Joannis Baptistæ, qui, dum Salvatoris adventum præcurrit, et ipsum venientem ostendit, quasi securim ad radicem arborum ponit. Dum ergo de Virgine Filius Dei nasciturus prædicatur, quasi de virga securis processura promittitur.

Nota mysterium. Virgo Dei, et hominis mater virga; Deus homo virginis **17** filius est securis.
B Virga cedit, ut corripiat; securis excidit, ut destruat. Virga corripit, ut corrigat; securis destruit, ut in ignem mittat. Virga utimur in correctione parvulorum; securi in exterminatione spinarum. Virgæ correctio, est in misericordia, sicut scriptum est: « Corripiet me justus in misericordia (*Psal.* XIV.) » securis excisio in furore et ira. Virga corripiens corrigit ad virtutem, securis exterminans percutit ad consumptionem. Quem non correxerit virga in spiritu lenitatis, securim exspectet necesse est in spiritu judicii et spiritu ardoris. Qui ad matris misericordiæ exemplum se non corrigit, terribilem ejus filium in judicio sentit. Hæc est Virga, qua primo corripitur et corrigitur mundus, de qua ipse
C mundi Conditor per Prophetam dicit: « Visitabo in Virga iniquitates eorum (*Psal.* LXXXVIII). » Mundus quipe in virga corripitur, dum ei per exemplum, et partum Virginis, in quo sit reprehensibilis, et condemnabilis demonstratur. Sed quam misericors ista correctio fuit? Non hanc furor judicis, sed ira columbæ vindictam in crimina facit. Non odii, sed pacis est talis ultio, qua flagellat filium pater, ne pereat **18**; quia non reo severitas impenditur, sed reatui, nec se judicem Dominus exhibet, sed amicum. Zelus Domini exercituum facit hoc, dum in virga visitat iniquitates orbis, et tot verberibus atterit peccata hominum (*Psal.* LXXXVIII), quot virtutibus illustrat Virginis partum. Hæc virga, qua tot ictus dorso imprudentium dedit, quot virtutibus ostensis
D in se mundi insipientis vitia debellavit. Et quia vitiorum meta, et virtutum origo exstitit, ideo recte virga virtutis appellatur, cum dicit: « Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion (*Psal.* CIX). » Non immerito virga virtutis divinæ Virgo Maria dicitur, cujus fide, vita, partu, exspirans vitiis, ad virtutem sæculum respiravit.

Hanc virgam emisit Dominus ex Sion, quia sicut dicit Isaias: « Egressa est virga de radice Jesse, » orta est virgo de stirpe David, qui sicut ipse de se in Psalmo testatur: « Constitutus est super Sion, montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus (*Psal.* II). » Virga hæc flexibilis, recta, porrecta, fructifera; flexibilis per misericordiam, recta per judicium, porrecta per virginitatis excellentiam,

LECTORI.

In bibliotheca monasterii Casamarii (et Casamarium est celebris abbatia in diœcesi Verulana provinciæ Romanæ, olim quidem Benedictinorum, sed ab anno Domini 1140 a Cisterciensibus possessa, ut in sua abbatiarum Cisterciensium notitia, inquit Gaspar longelinus) in hujus, inquam, monasterii bibliotheca exstabat perantiquus quidam codex pergamenaceus Latine m. s., pulchro quidem, sed in multis corrupto charactere exaratus, in quo una cum aliis veterum Patrum litterariis monumentis, sermones Adæ abbatis Perseniæ, tanquam gemmæ, inclusi continebantur. Hic autem codex, cum ab ejusdem monasterii Patribus reverendissimo Patri D. Hilarioni Rancato ordinis Cisterciensis in Alma urbe generali præsidi, non argenti vel auri, sed solius virtutis ac bonarum litterarum æstimatori, dono datus fuisset; atque ab hujus postea humanitate (est enim virtuti doctissimus, ita in amicos beneficentissimus) mihi etiam fuisset communicatus, animadvertens ego in prædictis Adæ sermonibus nonnullos esse de magna Dei matre, ac æternum virgine, hactenus in oblivionis tenebris sepultos, qui si publici fierent juris, multum possent pietati prodesse, ingentemque Marianarum laudum declamatoribus fructum utilitatemque afferre; statui illos, una cum Marianis fragmentis ex aliis ejusdem auctoris sermonibus collectis, sub Marialis titulo, additis notis, tanquam clarissimum vetustatis monumentum, pro communi bono, per typos publicare; existimans rationi maxime dissentaneum, diuturnioribus tenebris amplius obvolvi eas lucubrationes Marianas, quæ jugi hominum memoria, atque ipsa sunt æternitate dignissimæ. Spero autem non defuturos, qui ex hujus Mariani Operis gustu, ad omnium Adæ Operum publicationem efficaciter inflammentur. Quod qui præstabunt, doctissimum disertissimumque Scriptorem, non quatriduo, sed a quadringentis et amplius annis mortuum, velut ab inferis vindicatum, in vitam revocabunt. Clarissimi ordinis Cisterciensis splendori atque ipsius Ecclesiæ catholicæ ornamento optime consuluisse censebuntur, seque ipsos de litteraria republica reddent, et præsentibus et posteris fructuosissime bene merentes. Interim, amice lector, labore hoc cum incolumitate fruere, et meam hanc qualemcunque in Mariani Operis editione operam, æqui bonique consule. Vale.

ADAMI ABBATIS PERSENIÆ

MARIALE.

1-11 SERMO PRIMUS.

IN ANNUNTIATIONE B. VIRGINIS.

Egredietur virga de Radice Jesse (1), *et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini* (*Isa.* XI). Senescente jam sæculo, auctor sæculi ad reparandum hominem apparere dignatus est. Antiquabatur, et senescebat miser mundus, et propinquabat ad interitum. Pereunti mundo mira se novitate antiquus dierum opposuit, juxta Jeremiæ vaticinium, « novum faciens super terram, ut femina circumdaret **12** virum (*Jer.* XXXI), » gremio uteri sui. Dum itaque per hanc novitatem nostræ vetustatis senium dele sit, in nova nos immortalitatis suæ luce reparavit. Reparavit, inquam, misericorditer, quod creavit potenter. Huic tanto operi necessaria erat virga de radice Jesse, ex qua nasceretur fructus, qui gustatus non inferret mortem, sed reformaret ad vitam. In antidotum, ergo prioris arboris, cujus fructus mortem intulit, de virgulto Davidicæ stirpis, hanc vitam fructificans, Virga processit: Virga hæc Virgo Maria est; fructus virgæ, Virginis partus. In tantam arborem crevit hæc virga, ut communis salutis fructum proferens, dum mater Omnipotentis efficitur, et angelorum Regina, et sæculorum Domina prædicetur. Sine termino dila-

A tavit se arbor ista, « operuit montes umbra ejus, et arbusta ejus Cedros Dei (*Psal.* LXXIX). » Montes accipe sublimes meritis sanctos: umbram nostræ arboris, privilegium gratiæ singularis, quod nostræ Virgini contulit obumbrans ei Altissimi virtus, et plenitudine gratiæ cumulans mentem, et partu divino gravidans ventrem. Umbra hæc nil habet in se umbratile, nil imaginarium, **13** vel inane. Summa et sola ubi veritatis soliditas, et solida veritas: verus enim Unigenitus in vera Virgine, verum assumpsit hominem, hoc est corpus et animam; naturam, non culpam. Veritati susceptæ novæ non defuit veritas innocentiæ. « Peccatum quippe non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (*I Petr.* II). » Dum ergo lux incorporea veræ divinitatis

B sibi veraciter corpus humanum univit, ex unito et objecto sibi corpore in partem alteram umbram fecit. Umbra illa fides vera. Fides vera, quæ per Incarnationis mysterium justificat impios, glorificat justos (*Prov.* XVII), et de vallibus facit montes excelsos. De umbra ista dicit sponsa in Cantico amoris: « Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi (*Cant.* I). » O umbram necessariam illicitis ardoribus temperandis! Si confugias ad umbram illius arboris, hoc est si credas et diligas partum Virginis, « per diem sol non uret te, neque luna per no-

ctem (*Psal.* cxx). » Arbusta ejus, merita ejus, quæ cedrorum altitudinem, hoc est Angelorum sublimitatem transcendunt (2). O arborem fructuosam, in medio paradisi plantatam, ramis expansam, radice firmatam ! Ipsa quippe est, **14** quæ dicit : « In Sion firmata sum, et in Civitate sanctificata similiter requievi (*Eccli.* xxiv) ; » et illud : « Radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius (*ibid.*). » Arbor illa scientiæ boni et mali (*Gen.* ii) gustu suo experientiam mali contulit, et boni scientiam ex parte abstulit, et de bono miserum fecit. Hæc arbor sapientiæ fructum proferens, et palatum animæ reparat ad saporem boni, et malorum experientiam dedocet, restituens hominem amissæ beatitudini. Hoc modo crevit virga in arborem, profecit virgo in Altissimi genitricem. In horto cœlestis Agricolæ (*Joan.* xv) sunt arbores malæ, steriles, fructuosæ. Malæ sunt, quæ noxios fructus ferunt. Steriles sunt, quæ nec bonos proferunt. Fructuosæ sunt, quæ bonorum fructuum ubertate pinguescunt (*Psal.* lxiv). Arboribus malis et sterilibus securis ad radicem posita est, incisura eas, nisi mutentur. Inter bonas arbores incomparabiliter optima est virga de radice Jesse, ex qua vitæ fructus processit. Summum enim bonum est fructus iste, cujus bonitate quæ non participat arbor, bona esse non potest (*Matth.* vii). Participata nimirum bonitas fructus hujus, et malis arboribus confert plurimum, **15** ut bonæ fiant; et steriles fecundat, ut fructus ferant, et fructuosas purgat, ut fructum plus afferant. Quas hoc modo non mutat, incidit, et in ignem mittit (*ibid.*) ut ardeant. Est enim iste fructus, est et securis, qua infructuosæ arbores exciduntur. Securis, inquam, est incarnatus Unigenitus, cujus quasi manubrium est humanitas, quia ferrum incidens subtilitas Deitatis. Ubi ligna silvarum plaudunt manibus, æmulamini potius virgam de radice Jesse egredientem, ex qua poteritis habere exemplum, et virtutem fructificandi, quam arborem scientiæ boni et mali (*Gen.* ii), ex qua provenit vobis sterilitas, quæ vos obnoxios facit securi. Amate fructum, timete securim. In filio Virginis diligite misericordiam, metuite veritatem : nam seu veritatem incidit, et est securis, seu misericordiam, et est fructus terræ sublimis. Misericordiæ debetur amor, justitiæ per judicium incidenti debetur timor. Sterilitatem nostram aut moveat amor, aut terreat timor. Certe timorem ipsum non infructuosum dixerim, qui, dum mala recidit, eo ipso sterilitatem evacuat, quo per ipsum manus ad bona opera consuescit, **16** vel saltem a malis pœnæ formidine dissuescit. Magna utilitas est, dum timorem necessarium exterminationem peccati, virtutis seminarium incutit arboribus infructuosis, sed hoc nonnisi ponatur ad radicem arboris (*Matth.* iii), hoc est ad intentionem cordis. De intentione enim, quia de radice habet homo, ut inutilis sit vel fructuosus. Idcirco non ad ramos, sed ad radicem securis ponitur, quia frustra

A foris amputat ramos mali operis, si intus remaneat malum in radice intentionis. Itaque, ut dictum est, securis ad radicem posita timorem incutit. Quid non timeant arbores infructuosæ, cum securim videant parantem sibi incisionem, et minantem combustionem ? Dicit enim, qui eadem securi incidit : « Quia omnis arbor, quæ non facit bonos fructus, excidetur et in ignem mittetur (*ibid.*). » Verbum est Joannis Baptistæ, qui, dum Salvatoris adventum præcurrit, et ipsum venientem ostendit, quasi securim ad radicem arborum ponit. Dum ergo de Virgine Filius Dei nasciturus prædicatur, quasi de virga securis processura promittitur.

Nota mysterium. Virgo Dei, et hominis mater virga; Deus homo virginis **17** filius est securis. B Virga cedit, ut corripiat; securis excidit, ut destruat. Virga corripit, ut corrigat; securis destruit, ut in ignem mittat. Virga utimur in correctione parvulorum; securi in exterminatione spinarum. Virgæ correctio, est in misericordia, sicut scriptum est: « Corripiet me justus in misericordia (*Psal.* xiv.) » securis excisio in furore et ira. Virga corripiens corrigit ad virtutem, securis exterminans percutit ad consumptionem. Quem non correxerit virga in spiritu lenitatis, securim exspectet necesse est in spiritu judicii et spiritu ardoris. Qui ad matris misericordiæ exemplum se non corrigit, terribilem ejus filium in judicio sentit. Hæc est Virga, qua primo corripitur et corrigitur mundus, de qua ipse C mundi Conditor per Prophetam dicit : « Visitabo in Virga iniquitates eorum (*Psal.* lxxxviii). » Mundus quipe in virga corripitur, dum ei per exemplum, et partum Virginis, in quo sit reprehensibilis, et condemnabilis demonstratur. Sed quam misericors ista correctio fuit ? Non hanc furor judicis, sed ira columbæ vindictam in crimina facit. Non odii, sed pacis est talis ultio, qua flagellat filium pater, ne pereat **18** ; quia non reo severitas impenditur, sed reatui, nec se judicem Dominus exhibet, sed amicum. Zelus Domini exercituum facit hoc, dum in virga visitat iniquitates orbis, et tot verberibus atterit peccata hominum (*Psal.* lxxxviii), quot virtutibus illustrat Virginis partum. Hæc virga, qua tot ictus dorso imprudentium dedit, quot virtutibus ostensis D in se mundi insipientis vitia debellavit. Et quia vitiorum meta, et virtutum origo exstitit, ideo recte virga virtutis appellatur, cum dicit : « Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion (*Psal.* cix). » Non immerito virga virtutis divinæ Virgo Maria dicitur, cujus fide, vita, partu, exspirans vitiis, ad virtutem sæculum respiravit.

Hanc virgam emisit Dominus ex Sion, quia sicut dicit Isaias : « Egressa est virga de radice Jesse, » orta est virgo de stirpe David, qui sicut ipse de se in Psalmo testatur : « Constitutus est super Sion, montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus (*Psal.* ii). » Virga hæc flexibilis, recta, porrecta, fructifera ; flexibilis per misericordiam, recta per judicium, porrecta per virginitatis excellentiam,

fructifera per Unigeniti conceptionem. Hæc virga A virgam extrudit a virga; **19** per hanc enim virgam virtutis effectum est, ut non relinqueret Dominus virgam peccatorum, hoc est virgam divinæ hæreditatis, de qua per Psalmistam dicitur: «Redemisti virgam hæreditatis tuæ (*Psal.* LXXIII), » etc. (3) Hæc est virga Moysi, quæ virgas magorum Ægypti legitur devorasse, quia virginei partus Veritas totius mundi hæreses retexit et interemit (4). Ipsa est virga Aaron, quæ sine succo floruit, fronduit, et nuces protulit (*Num* XVII.), quia beata Dei mater sine viro Salvatorem concepit et peperit. O quam flexibilis, quam fortis, et quam fertilis directionis virga, mater misericordiæ, Regina virtutum, Genitrix Salvatoris! Flexibilem te facit immensa pietas: fortem incorrupta potestas: fertilem divini partus B fecunditas. Tanta est pietas tua, quanta potestas. Tam pia es ad parcendum miseris, quam potens ad impetrandum quod postularis. Quando enim non compateris filiis miseris, mater misericordiæ? Aut, quando illis opem conferre non poteris, cum sis ipsius mater omnipotentiæ? Eadem procul dubio facilitate obtines apud Omnipotentem quodcunque vis, qua facilitate nostra innotescit miseria tuæ visceribus **20** pietatis. O quanta fiducia nobis per te ad Deum esse potest! Sicut non potes non sentire per compassionem passiones nostras, cum non possis odisse filios misericordissima mater: sic non potes non obtinere eis remedium, si petas, cum ad hoc, et non nisi propter hoc, ex te nasci voluerit C misericordiarum omnipotentis Patris Filius. Tu enim mater exsulis, tu mater Regis. Tu mater rei, tu mater Judicis. Tu mater Dei, tu mater hominis. Per te ergo factus est reus frater judicis, per te facta est una hæreditas Regis et exsulis. Cum enim utriusque mater, utrumque habes filium, et per te efficitur frater Unigenitus adoptati. Quid igitur reo timendum est, cui in causa sua idem est frater qui et judex, et talis judex, cui proprium est misereri semper et parcere (*Orat. miss. Defunct.*), et qui misericordiam superexaltet judicio? (*Jac.* II.) Timere ne debeat ut pereat, cui misericordissima mater clementissimi fratris, et judicis se piissimam matrem exhibet, et potentissimam advocatam? Tu misericordiæ mater, non rogabis D pro filio Filium, pro adoptato Unigenitum, pro servo Dominum, pro reo Judicem, pro creatura Creatorem, **21** pro redempto Redemptorem? Rogabis plane, quia qui Filium tuum inter Deum et homines posuit Mediatorem, te quoque inter reum et judicem posuit mediatricem. Ad hoc nimirum electa es, et assumpta in matrem Omnipotentis, ut in partu tuo inveniat veniæ locum iniquitas peccatoris. Ad hoc te in cellam aromatum suorum erexit medicus (5); ut apud te, et per te recipiat sanitatem ægrotus. Si ergo causam tuæ tantæ sublimitatis attendas, te totam debes miseris, ut eis reportes antidotum reconciliationis; nec unquam tu poteris faciem judicis invenire difficilem sicut te reus nunquam invenit inexorabilem. Abundas enim et superabundas pietatis visceribus, quia non solum implevit te, sed supervenit in te ad cumulatioris gratiæ plenitudinem Spiritus sanctus (*Luc.* I). Ne igitur avertant faciem tuam a nobis (*Psal.* L) abundantia in dies crimina nostra et iniquitas circa propositum super iniquitate apposita. Te medicinam nostram super filii tui verbo convenimus, quod dicit: « Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent (*Luc.* V). » Certe si non sanis, sed ægrotantibus necessarius est medicus, eadem ratione illis **22** major medici impendenda est cura in quibus abundant vulnera graviora.

Quia ergo, Domina, omnes nos peccatorum nostrorum vulneribus laborare cognovisti, pro omnibus interpella medicum quem omnibus peperisti. Sed illis, misericors, majorem impende sollicitudinem in quibus infirmitatem perspicis graviorem. Quid enim omnibus magnificentiæ opem neges, quæ sicut non pateris pietatis, ita nec pateris angustias potestatis? Infinita tibi pietas, infinita potestas. Thesauros tuæ gloriæ non solum non exhaurire, sed nec imminuere potest tuæ magnificentiæ effusio largitatis. Tribue quod vis, nihil minus habes. Ditare potes indigentiam singulorum, sed indeficientes copiæ perseverant. Ille nimirum tua plenitudo est, qui sicut augmentum non accipit, cum sit immensus; nec detrimentum, cum sit simplex: ita nec finem, cum sit æternus. Ergo jam repatriare exsules, quia vult et potest judicii sententiam dispensare misericordiæ mater, per quam nos voluit Deus judicii in filios adoptare. Tantum odite quæ mundi sunt, et injustitiæ opus abjicite, quoniam mater **23** nostra, etsi misericordiæ mater est, nihilominus est et justitiæ parens. Virga quippe nostræ correctionis est flexibilis per misericordiam, et recta per judicii veritatem. In correctione virga reductionis, in directione (6) baculus sustentationis: per virgam emendatur reus, ne pereat; per baculum sustentatur justus, ne cadat. Uterque indiget matre Domini, et reus et justus. Ipsa enim, et in virga misericordiæ corrigit devios, et in baculo justitiæ suæ sustentat correctos. Ipsa est in virga flexibilis, et in baculo fortis. Virgæ percussio servum emendat in filium, baculi sustentatio filium perducit ad regnum. Unde, qui hujusmodi est, exclamat, et dicit, gratias agens Deo: « Virga tua, et baculus tuus ipsa me consolata sunt (*Psal.* XXII). » Mater enim Domini utrumque habet a Deo, ut et per misericordiam virga sit, reum corrigens, et reducens ad gratiam, et per rectitudinem sit baculus justum deducens, et perducens ad patriam. Hac virga, et hoc baculo usus est Pastor bonus, dum quæreret ovem, quæ erraverat, inventamque suis imponeret humeris, et reportaret ad gregem (*Luc.* XV). Tanta est in matre Domini **24** fortitudo, ut in ea et per eam vere ad infirmitatem humanæ carnis se fortitudo omnipotentis humiliaverit. Eo enim ipso Virgo Maria fortis efficitur, quo in utero ejus fortis et potens in prælio Dominus (*Psal.* XXIII)

per carnis susceptionem fragilis infirmatur. Fortis nimirum et valida est ut mors dilectio Virginis (*Cant.* VIII) quæ ad infirma toleranda invitare potuit, et meruit fortitudinem Omnipotentis. O Reginam angelorum, cœlorum Dominam, fide singulariter fortem, meritis privilegiatam, potestate incomparabilem, gloria singularem! Ipsa quippe virga ferrea est, qua mundus regitur, mundi princeps prosternitur, confractu infernus aperitur. Hac virga forti fortem armatum, in pace atrium possidentem, fortior illo superveniens rex virtutum percussit et attrivit (*Luc.* XI). Denique vincula, quibus alligatus est, fortis iste in sacrario virginalis uteri texuit, et operatus est ipse sanctus. Vis nosse quæ sunt vincula illa? Suscepta a Verbo corporis membra sine culpa. In his membris dum defectus nostros indeficiens Verbi fortitudo sustinuit, sic deficiendo male confidentis hostis fortitudinem superavit. **25** O si tam potens fuit Verbum in defectibus! quid, si virtutes exereret et exerceret deitatis?

Denique, quid fortitudinis virga virtutis nostræ non habuit, cui regem virtutum ipsa Dei fortitudo, id est Gabriel angelus nuntiavit? Gabriel quippe *fortitudo Dei* appellatur, qui Virginem salutasse, et nostræ salutis nuntium dicitur attulisse. « Ave, inquit, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus (*Luc.* I). » In his verbis angeli, Verbum Deus humanatur, virginalis fecundatur integritas, hodiernæ diei solemnitas consecratur. In hoc quod dicit « gratia plena, » attende singulare Virginis meritum. In hoc quod dicit, « Dominus tecum, » nota virginalem conceptum. Dum « benedicta in mulieribus » dicitur, imperiosæ Virginis honorem designat æternum. Quam fortis est sermo nuntii! quam omnipotens sermo, quem nuntiat! quam fortis Mariæ fides, quæ in momento, dum verbum angeli credula recipit, Verbum Deum beata concipit, et mater Dei efficitur, cujus ancillam se vix nominare præsumit. O mira Mariæ, et sæculis omnibus prædicanda humilitas! Præordinata ab æterno in matrem **26** summi Regis, dum verbum tantæ sublimitatis effectum ex angelica salutatione percipit, non se extollit in gloriam, sed corde et voce se deprimit in ancillam. Loquitur angelus, salutat Virginem ex parte illius qui mandat salutem Jacob (*Psal.* LXIII). Virgo audit, silet et credit. Silet reverenter, audit prudenter, credit fideliter. Dum quiescerent et silerent in Virgine omnia, caro purissima ab omni contradictione concupiscentiæ, mens purgatissima ab omni perturbatione malitiæ, dum penes Virginem agitur tale silentium, non silet Sermo omnipotens, sed a regalibus sedibus veniens (*Sap.* XVIII), invenit paratam sibi in Virgine mansionem. Verbo enim Dei idonea paratur mansio, ubi silentium custoditur. Cæterum « vir linguosus non dirigeteur in terra (*Psal.* CXXXVIII). » Ubi enim tumultuat in carne concupiscentia, in mente vociferatur malitia, in spiritu perstrepit et garrit superbia; in his tumultibus et clamoribus non lo-

A quitur Verbum Deus, cum loqui sit per aspirationem sentiri. Et tria quidem silentia optime custodiebantur in Virgine; sed de tribus medium magis approbat Sermo omnipotens. **27** Primum faciebat virginitas, omnis concupiscentiæ tumultum a carne coercens; ultimum faciebat incomparabilis charitas, mentem ab omni perturbatione tranquillans; medium autem in spiritu mansueto servabat humilitas, et excellentiæ virginitatis consulens, et privilegio charitatis providens, ne de magnitudine virtutum aliquod superbiæ periculum nasceretur. Dum igitur hoc medium humilitatis silentium omnia interiora et exteriora intemeratæ Virginis custodirent, mansuetique spiritus singularis humilitas et foris foveret florem castitatis

B immarcescibilem, et intus nutriret ignem charitatis inexstinguibilem venit, ut dictum est, omnipotens Sermo, et dedit voci Virginis vocem virtutis (*Psal.* LXVII), ut angelo nuntianti sublimia responderet humilia, dicens: « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum (*Luc.* I). » Omnipotens quidem Deus licet in matre diligat castitatem, et castitati longe præferat charitatem, nescio quo tamen pacto humilitatem præfert omnibus, et ad illam se familiarius Dominus majestatis inclinat. Humilitas enim eo capax est plenitudinis gratiæ, quo rigidum omne tumidumque **28** fastidiens, humilem semper planitiem inferiorum affectat. Aqua quippe semper ad inferiora dilabitur, humorque de summitatibus

C montium effluens, in planis consuevit plenius abundare. Scriptum quippe est: « Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (*Jac.* IV; *II Petr.* V). » Quod si humilibus non negatur gratia, quid gratiæ ante alios habere potuit, qua, cum suprema quæque incomparabili dignitate excelleret humilia quæque incomparabili humilitate superavit?

Ecce quod ad vallem humilitatis virgineæ tota se divinitatis unda contulit. Frumenti ferax eadem vallis fuit; scriptum est enim, quia « valles abundabunt frumento (*Psal.* LXIV). » In hac igitur valle taliter irrigata exortum est frumentum illud, quod de seipso in Evangelio ait: « Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet (*Joan.* XII). » Rorantibus quippe cœlis desuper,

D nubibusque justum pluentibus, ad abundantiam roris hujus se vallis ista aperuit et germinavit Salvatorem (*Isa.* XLV). Ex hac pluviæ cœlestis infusione plenaria in profundum humilitatis concavum descendente factus est in Virgine nostra fons aquæ salientis in vitam æternam (*Joan.* IV). **29** Væ arbori, quæ ad humorem istum non mittit radices suas! Sterilitate damnabitur, et siccabitur procul dubio arbor illa, cum venerit æstus. Ex hoc fonte irrigantur horti aromatum, id est corda sanctorum, aromatibus virtutem redolentia. Secus decursus aquarum istarum plantavit vineam justorum Deus justitiæ meæ (*Psal* IV). Vitis enim abundans, vitis quæ fructificat suavitatem odoris (*Eccli.* XXIV), est fecunda Mariæ virginitas, ex qua processit ille magnus botrus Cypri, de

vineis Engaddi (*Cant.* I), qui in torculari crucis pressus, et expressus totius vinum gratiæ abundantissime propinavit. Sed jam « vinea nostra floruit (*Cant.* II), » quia virga de radice Jesse Salvatorem concepit. Fronduit, quando obumbrans ei Altissimi virtus, et angelis, et hominibus mysterium occultavit. Fructificavit, quando quem sine contagione conceperat, sine dolore partu edidit. Conceptum itaque Virginis virgæ florem dicimus, velamenta mysterii frondes, partum nucem de virga prolatam. Nux optime convenit sacramento. Denique nascentis unam in tribus substantiis personam figurat. Corium nucis refer ad carnem, testam ad animam nucleum, **30** ad interiorem internæ divinitatis dulcedinem. Corium habet amaritudinem, caro Salvatoris sustinuit passionem. Testa fortior animæ mundum salvantis designat virtutem. Oleum quod de nucleo elicitur, quia reficit, lucet et medetur, divinitati congruit, quando sitientes justitiam satiat, cæcos illuminat, peccatorum vulnera sanat. Ad hoc egressa est Virga de radice Jesse, ut sic floreret, ut tales fructus nobis proferret. Vis videre Virginem vernantem in floribus? Si hortum conclusum castæ considerationis oculo perlustraveris, prospicies, et senties in eo immarcescibile virginitati albescere lilium inviolabilem humilitatis fragrare violam, rosam rubescere inexstinguibilis charitatis Ubi Virgo beata in virtutibus floruit, fronduit in meritis operum, in pariendo Sanctum sanctorum fructum fecit. Sed dicit mihi alius : Quid tu de fructu virgæ loqueris, cum de flore tantum propheta locutus sit ? Certe quia flos ipse etiam fructus est ; « Flores, inquit, mei fructus honoris et honestatis (*Eccli.* XXIV). » Hæc verba Sapientiæ sunt, sed etiam personæ matris Domini convenienter aptantur. Placet igitur tibi, **31** ut Virginis filius, Deus, et homo : secundum hominem flos, secundum quod Deus est, fructus appelletur? Nam fructus a fruendo dicitur. Fructus ergo est æterna divinitas, qua sancti angeli et sanctorum animæ perpetua jucunditate fruuntur. Nec incongrue divinitas fructus dicitur, quia fruentes se beatos facit. Non enim proprie frui dicimur, nisi rebus quæ nos beatos efficiunt. Frui est amore inhærere alicui rei propter se ipsam tantum. Verum cum homo sit Deus, et Deus homo, possumus sine distinctione aliqua Redemptorem nostrum, et florem appellare, et fructum Convenientius tamen assumptæ carnis fragilitatem floris teneritudo designat. Flos enim habet suavitatem odoris, fructus soliditatem saporis. Et licet caro assumpta sit in Deum, et ita flos in fructu, pro statu tamen mortalis adhuc corporis, teneræque ætatis, carnis substantia appellatur nomine floris.

Est etiam fructus secundum talem statum vera Christi caro ; sed hoc verius et perfectius dici potuit, cum per passionem ad impassibilitatem et immortalitatem de patiendi et moriendi necessitate transivit ; cum per temporalem **32** mortem suam a morte perpetua hominem liberavit. Verum quo-

A niam fructus saporem gustare idonei nondum sumus, interim, quod minus est, et satis pro tempore, quantum juvat gratia, olfactum fidei ad floris hujus fragrantiam applicemus. Consideremus fructum virgæ, secundum quod florem eum dicit propheta magis quam fructum, cum tamen indubitate in ipso flore nostræ redemptionis fructum speremus. Nam, juxta paternæ voluntatis dispositum, sicut pro hominibus dignatus est homo fieri, sic etiam voluit pro hominibus homo mori. Alioquin nil nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset (*Off. in Sab. Sanct.*). Flos iste habet in aspectu pulchritudinem, in odore suavitatem, in tactu lenitatem, in substantia teneritudinem, et in carnis specie fructus. Quam pulcher est flos iste in ortu suo, quam nitidus in can-
B dore ! Pulchritudinem ejus tibi insinuat Propheta, cum eum speciosum præ filiis hominum dicit (*Psal.* XLIV). Pulchritudinem istam non in nitore carnis, sed in innocentia vitæ, et splendore virtutis intellige. In tantum pulcher est flos iste, ut in nullo eum peccati commaculet turpitudo. Tanta **33** est odoris fragrantia de isto flore spirantis, ut ad ipsam respiret oriens, et accurrant gentilitatis primitiæ in tribus Magis (*Matth.* II). Attulerunt quidem secum aromata, sed odorem eorum superabat novi floris fragrantia. Odor iste fetorem criminum fugat, et ubique fidei et virtutis fragrantiam spargit. Quid est quod flos iste tactu est lenis, nisi quod ortu suo mundum innovans, Christus ubique est mansuetus et humilis? Attamen flos iste
C teneritudinem habet in substantia, quia homo Christus antequam pateretur, nostris defectibus subjacens, fragilis inventus est in carne humana. Et in his omnibus flos spondebat fructum, quem dedit in tempore suo (*Psal.* I), quando scilicet mortuus est propter delicta nostra, a morte liberans ; et resurrexit propter justificationem nostram (*Rom.* IV), quid sperare debeamus ostendens.

Verum, quoniam hunc Florem fecit tenerum passibilis naturæ fragilitas, ideo atteri et confricari potuit infidelium manibus Judæorum. Per hoc enim quod natura in eo passibilis fuit, occidi potuit a Judæis. Attritio tamen ista floris odorem non restrinxit, sed auxit ; non minuit, sed cumulavit. **34**
D Tantum spirat odoris flos iste, dum atteritur, et exspirat, ut de odore ejus mortui respirent ad vitam. Tantum, inquam, spirat odoris, ut inter manus Judæorum exspirans, inspiret latroni confessionem (*Luc.* XXIII), fidem centurioni et multa sanctorum corpora, quæ dormierant, ad vitam faciat respirare (*Matth.* XXVII). Non tibi videtur hujus odoris mens percepisse latronis, cum socium increpans, cum criminum suorum fetorem redarguens, diceret : « Nos quidem digna factis recipimus, hic autem nil mali fecit? (*Luc.* XXIII.) Jam totis conversæ mentis naribus conculcati floris fragrantiam hauriens, « memento mei, inquit, Domine, dum veneris in regnum tuum (*ibid.*). » Ac si diceret : mira quidem, Domine, fragrantia, quam

A in passione tua sentio, sed magis me delectat satietas æterni saporis quam præstare potes in regno. O florem odoriferum, cujus fragrantia suscitat mortuos, cujus amœnitas angelos pascit! Ubique fragrans, ubique pulcher: Pulcher in virga, ex qua nascitur; pulcher in horto concluso, ex quo producitur; pulcher in horto, ubi traditur; pulcher in horto, ubi reconditur; pulcher in arbore crucis, ubi conteritur; pulcher **35** in horto paradisi, ubi a sanctis angelis et æterna fragrantia et refectione perpetua degustatur. Vides quam recte flos dicitur, qui pene nusquam nisi in horto invenitur? Ex fragrantia hujus floris reus respirat ad veniam, peccator ad indulgentiam, martyr confortatur ad victoriam, dirigitur peregrinus ad patriam. Quando Florem istum Virga nostra producit, ver nostrum B incipit, hiems pertransit, imber abit, dum insolentiam criminum, et senium vetustatis tempus misericordiæ redivivum detergit. In hac itaque solemnitate dum flores apparent in terra nostra, annus benignitatis et misericordiæ incipit, cui initium præparat vernum tempus, hoc est tempus florum. Dies salutis intellige, quando Virgo virginum de radice Jesse producit florem virtutum. Unde cum aperiatur terra, et germinet Salvatorem, primum mensem anni mundum renovantis ad gratiam, quemdam Aprilem possumus appellare. Aprilis enim (quia Aprilis dicitur, quod ad producenda rerum germina matris terræ gremium tali in tempore aperitur) huic mysterio congruit, quod hæc solem- C nitas tempore veris, et octavo **36** Kalend. Aprilis celebratur. Hac enim die, et hoc in tempore, ad pluviam angelicæ salutationis se humilitatis virgineæ sinus aperuit, et de Spiritu sancto Virgo concipiens, tanquam virga floruit, cum interveniente ope et opere sancti Spiritus, de mundissima carne sua carnem creando partui ministravit. Hic flos de virga ascendit, cum Dei Filius de conceptu ad partum venit. Flos iste ascendit, cum sapientia, ætate et gratia apud Deum et homines Salvator profecit, et magis ac magis hominibus, quod Deus esset, innotuit.

Nec tamen sapientia vel gratia profecit in se, qui perfectus erat; sed profecisse dicitur in hominibus, qui de ejus perfectione proficere potuerunt. D Qui illud quod hunc florem Judæus crudelis eadem die attrivit, qua eum virga pietatis produxit? Christus enim creditur eadem die a Judæis occisus, qua die est a Virgine matre conceptus, Octavo scilicet Kalendas Aprilis. Hinc est quod lex Moysi prophetizans, Judæum prohibet dicens: « Non coques hœdum in lacte matris suæ (*Exod.* XXIII). » Ab hora conceptionis perhibetur mulier lac habere **37** in mammis. Hœdus, qui pro peccato offertur, Christum designat, qui pro mundi crimine immolatur. Sed Judæus hœdum in lacte matris coxit, cum in die conceptionis suæ Christo adhibuit ignem passionis. Sed nec illud tacendum est quod dies iste agitur mense Martio, tempore scilicet quo solent reges ad bella procedere. Martius enim mensis a Marte, hoc est a bello nomen habet. Recte igitur mensem Martium, hoc est, tempus belli iste dies insignit, quo videlicet Dominus exercituum, tanquam bellator fortis, ad debellandum mundi principem per Virginem venit. Hinc est quod ad debellanda mala nostra veniens, virga utitur et securi: Virga, ut magister; securi, ut agricola. Quid igitur nobis restat, nisi cor rectius vivere, pro quibus constat Deum cuncta fecisse? Nam virga est Virgineæ virtutis magisterium, per quod nos corrigit; securis est terribile Dei judicium, quo incorrectos excidit. Attendamus itaque virgam, et mutemur ut imitemur. Attendamus securim, et terreamur ut mutemur. Pensemus quia misericordia virgam facit flexibilem, veritas rectam. In **38** ea enim misericordia, et veritas obviaverunt sibi. Discamus hoc exemplo esse animo misericordes, et verbo veraces. Planam scilicet, hoc est sine modo culpæ virgam facit esse justitia, hoc est, humilitas. Justitia quippe humilitas dicitur, sicut Dominus veniens ad baptisma Joannis, cum prohiberet Joannes, testatus est, dicens: « Sine modo, sic enim oportet nos implere omnem justitiam (*Matth.* III), » id est omnem humilitatem. Sed cujus generis arbor est virga ista? Utique oliva est: Oliva enim est signum pacis. Pax vera sine osculo adesse non solet. Verum in hac Virga « justitia et pax osculatæ sunt (*Psal.* LXXXIV). » Sola enim justitia humilitatis veræ pacis osculum recipit, quod nullatenus superbiæ tumor admittit. Simus ergo, et hoc exemplo humiles spiritu, ut habere possimus pacem, et ad Deum et ad fratres. Humilitas enim vera, dum se singulis gaudenter subjicit, eo pacis bono carere non potest, quo nemini præponere se contendit. Nam et persecutionem pati propter justitiam, humilitatem pace non privat, quin potius ipsa humilitas in tribulatione semper exsultat. Si de virga virtutis hos flores decerpsimus, **39** timeamus perdere: si nondum decerpsimus, timeamus perire. Veruntamen per terrorem securis possumus respirare aliquatenus ad odorem floris, hoc est ad spem recuperandæ virtutis. Odorfloris perducit ad fructum, quia spes invitat ad regnum. Virga et securis operantur in nobis timorem; odor floris et gustus saporis accendunt amorem. Vitam nostram corrigunt timor et amor. Timor resecat spinas vitiorum; amor inserit plantationes virtutum. Timor te angustat, vel quia peccasti vel ne pecces; amor te dilatat, ut speres et exsultes. Quo corrigit virga cœlestis magisterii, quos sollicitat timor divini judicii, flos interim recreat per odorem, et ducit postmodum ad fructus æterni saporem. Salvator quippe noster in præsenti vita florem se odoriferum electis exhibet, quibus bona æterna speranda promittit. Sed cum ad promissa pervenerint, fructus satians in æternum erit.

Verum quia sine Spiritus sancti gratia nec a

malis recedere, nec in bonis proficere omnino possumus, ad florem, qui de Virga ascendit, et olfactum cordis levemus, et visum. Nam odor floris **40** hujus, et fetorem fugat carnalis concupiscentiæ, et opinionem reparat famæ. Pulchritudo autem floris, et amœnitas, vetustatem expellit deformis conscientiæ. Odor floris est Spiritus Domini, qui in Christo plenissime requiescit. Quomodo enim non habeat in eo requiem bonitas Spiritus sancti, in quo est prorsus contradictio nulla peccati? Odor iste est virtus illa de qua scriptum est : « Quia virtus exibat de illo, et sanabat omnes (*Luc.* VI). » Odorem istum flos idem campi, et lilium convallium spirabat, et offerebat naribus Judæorum, cum in synagoga eorum assumpto codice in auribus eorum legeret illud Isaiæ prophetæ : « Spiritus Domini super me (*Isa.* LXI; *Luc.* IV). » Et quia odoriferum eum faceret iste secutus adjunxit : « Eo quod unxerit me (*ibid.*). » Et quia ad odorem istum mortui isti respirare deberent, addidit : « Evangelizare pauperibus misit me, » etc., quæ sequuntur (*ibid.*). Hinc est quod finita lectione dicebat eis, quia « hodie impleta est prophetia hæc in auribus vestris (*ibid.*). » Spiritus quidem iste in Virginem supervenit, et ei ad Dominicæ (*Luc.* IV) incarnationis mysterium obumbravit. Sed longe aliter flos de Virga ascendens illum **41** Spiritum habuit, quia super filium Virginis Spiritus sanctus plenissime requievit : et in aliis sanctis spiritus Domini habitat, utpote sine quo sancti esse non possunt, sed non ita excellenter, non ita veraciter, quippe qui nec unum sunt cum eo per unitatem substantiæ, nec omnino sunt sine macula culpæ. Quis enim gloriabitur se castum habere cor, cum Joannes apostolus dicat : « Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est (*II Joan.* I). » At unigenitus Dei Filius, et secundum quod Deus est, eadem est cum Patre, et Spiritu sancto natura, quamvis alia sit persona, et secundum quod homo est, accepit eumdem Spiritum sine mensura (*Joan.* III) : ubique ad Virginis matris exemplum se corrigit, qui districti judicii Dei securim pertimescit. Hic per laboriosam timoris sollicitudinem ad amoris requiem tendit. Sed interim affectatam requiem non apprehendit, nisi ad odorem floris refloreat, qui de Virga ascendit, et in quo Spiritus Domini ad omnem plenitudinem requiescit. Fides enim, et spes, et dilectio Dominicæ incarnationis interim nostrum sabbatum **42** operantur in requie conscientiæ, et de hoc sabbato cordis perducunt ad sabbatum quietis æternæ, ad quam nos perducat filius Virginis, sponsus Ecclesiæ, Christus Dominus noster.

43 SERMO II.

DE PARTU B. VIRGINIS.

Ecce venit Rex (*Matth.* XXI), occurramus obviam Salvatori nostro. De adventu Sponsi tanto sponsa exsultat uberius, quanto ei de ipso certius constat. Non enim demonstraret eminus venientem, nisi videret præsentem. Nisi de adventantis præsentia certa consolatione gauderet, nullatenus ad suæ participationem lætitiæ invitaret alios. Unde lætabunda, et laudans invitatione laudis præconium intonat, dicens : « Ecce venit Rex, » etc., acsi dicat, Ecclesia sponsa regis æterni. Divini non ignara consilii, a suæ exspectationis desiderio non fraudata : Ecce « venit desideratus cunctis gentibus (*Agge.* II) : » Ecce venit omnium salus. Jam non erit timor in finibus nostris, quoniam inter metas nostræ sortis, communis video **44** præsentiam Salvatoris. Ecce venit, qui præfiguratus in patriarchis, promissus a prophetis, jam exhibetur ab angelis, « Quod nascetur ex te Sanctum, » ait angelus Mariæ, « vocabitur Filius Dei (*Luc.* I). » Ecce vox demonstrantis est, et admirantis pariter et lætantis. Quem demonstrat admirabilem, admiratur demonstrabilem, ac per hoc sentit magis amabilem esse causam demonstrationis, probans et experiens solius esse amoris. Ecce venit, inquit, quem semper optavi, quem votis omnibus exquisivi, cujus per internuntios promissa toties et salutationes accepi. Ecce venit per seipsum, ut me osculetur osculo oris sui. Unde venit, et quo vadit? Qualis venit, et quo transit? Quomodo venit, et quando venit? Quousque descendit, et quare venit? Venire est de loco ad locum transire. Venire est locum in quo quis stabat, deserere, et accedere ad alium in quo incipiat esse. Quomodo ergo venire dicitur, qui non mutatur? « Ego sum, inquit, Deus, et non mutor (*Malac.* III). » Quomodo transire de loco ad locum dicitur, qui ubique totus fide indubitata esse creditur? Qui cœlum, et terram implere incircumscripta **45** essentia præsentissimæ majestatis asseritur? Et tamen venit, cum per internæ aspirationis gratiam humanis mentibus innotescit. Venit, cum se per auxilium non deesse ostendit. Venit, cum se visibilem per substantiam carnis exponit. Unde autem veniat, ipse loquitur dicens : « Ego ex Deo processi, et veni (*Joan.* VIII). » Venit ergo Deus ex Deo, ex alto oriens, ex corde Patris Verbum bonum, a regalibus sedibus Sermo omnipotens, e cœlo Dominus, ex Sole splendor, ex omnipotentia virtus, ex sinu Patris Filius unicus, sicut ipsi Filio Pater in Psalmo loquitur, dicens : « Ex utero ante Luciferum genui te (*Psal.* CIX). » Venit ergo, venit, cum de Patre nascitur, et procedit. Venit, cum hanc eamdem ineffabilem generationem dignanter hactenus innotescens, corda hominum ad suæ dulcedinis experientiam trahit. Venit, quando per exhibitionem benignitatis, et humanitatis assumptionem, nos in omni charitate præveniens, docet quantum diligat, et quantum diligi velit. Venit autem de longinquo, non quia non sit omni creaturæ præsentissimus, sed quia est majestate summus, invisibilitate occultissimus, subtilitate **46** simplicissimus, veritate incorruptissimus, æquitate justissimus, ab omni iniquitate alienissimus. Itaque de longinquo venit, non quia præsentissimus longe

sit, sed longe est ab eo corruptio, quæ inter creatorem et creaturam distantiam facit.

Sed qui sic venit, et inde venit, quo vadit? Scriptura dicit, quia « facies ejus erat euntis in Jerusalem (*Luc* IX), » et ideo a Samaritanis non est receptus. Ipse autem dicit: « Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt, domus Israel (*Matth.* XV). » Ecce pastor vadit ad oves, quærere scilicet, et reducere, quæ perierant. Jerusalem libenter veniens divertit, quia ad eum studiose pax vera se colligit, quem intendere, et aspirare ad visionem pacis agnoscit. Jerusalem quippe *pacis visio* interpretatur. Visio pacis est cognitio, approbatio, contemplatio Trinitatis. Est autem in cognitione fides, in approbatione electio, in contemplatione experientia. Pax non incongrue Trinitas dicitur, quia hoc nomen pax constat ex tribus litteris, sicut divinitas est in tribus personis. Et hujus quidem nominis prima littera Patrem notat; quæ sequitur, Filium, qui in Apocalypsi loquitur: « Ego sum alpha, et omega, **47** principium et finis (*Apoc.* I): » et in Evangelio: « Ego principium, qui et loquor vobis (*Joan.* VIII). » Alpha enim *principium* interpretatur. X duplex consonans significat Spiritum sanctum, qui est connexio et consonantia amborum. Vel duplex consonans ea ratione dicitur, quia in electorum cordibus dilectionem geminam operatur, per quam Dei et proximi concordia custoditur. Vel certe ideo duplex consonans dicitur, quia, dum sui roris intima aspersione animum tangit, et ungit, et mortificatione necessaria delectationes carnis exstinguit, suavis harmoniæ consonantiam ex psalterio, et cithara facit: psalterium quippe jucundum cum cithara (*Psal.* LXXX). Per hoc etiam Spiritus sanctus unumquemque electorum Jerusalem, id est visionem pacis efficit, dum sopitis contradictionibus, et repugnantiis carnis et spiritus, ipsum sempiternæ et æternæ pacis amatorem et sectatorem ostendit. Hæc enim omnia operatur unus et idem Spiritus pacis et dilectionis. Quod si Jerusalem, *pacis*, id est Dei *visio* dicitur, quid aliud dici debet domus Israel, nisi electorum Ecclesia, a qua, et in qua Deus videtur? Israel quippe *videns Deum* interpretatur. **48** Quæ sunt itaque oves, quæ perierunt domus Israel, nisi aliqui ad vitam prædestinati, et tamen, Dei exigente justitia, peccatorum tenebris obvoluti? Sed quare dicuntur oves, cum per injustitiam deseruerunt innocentiam, et ideo de domo Israel periisse dicantur? Sed tamen sunt oves ratione electionis, merito prædestinationis, licet interim periisse videantur fœditate noxii operis; sunt enim tales, qui, etsi simplicitatem innocentiæ deseruerunt, humilitatem tamen pœnitentiæ non refugiunt, et recolentes bona, quæ intus habuerunt, foris gementes dicunt: « Veni, Domine, et noli tardare, relaxa facinora plebis tuæ Israel (*Offic. Eccl.*). » Ecce unde venit, et ad quos venit. Sed qualis venit? Quis hoc explicare sufficiat? Certe venit infirmus, et omnipo-

A tens, parvus et immensus, temporalis et æternus, localis et incircumscriptus, passibilis et incommutabilis, homo et Deus, infans et Verbum; pauper et dives, sapiens et quæ stulta sunt mundi eligens, innocens et in similitudine carnis peccati apparens. Denique venit candidus, et rubicundus, qualem eum sponsa ejus describit: Candidus, quia **49** « candor lucis æternæ (*Sap.* VII), » rubicundus, quia sua cruentatus passione; candidus peccati immunitate; rubicundus flammans charitate: candidus splendens virtutum pulchritudine, rubicundus ardens æmulatione. Secundum « similitudinem carnis peccati: » Venit, « non habens speciem neque decorem (*Isa.* LIII); » secundum immunitatem peccati: Venit « speciosus forma præ filiis hominum B (*Psal.* XLIV); » sicut ei voce Patris per Psaltem dicitur: « Specie tua, et pulchritudine tua, intende, prospere procede et regna (*ibid.*). » Jam qua via venerit videamus (7). Ejus via Virgo Maria fuit. Per mentem, et uterum Virginis complevit suæ itinera æternitatis. Ibi « misericordia et veritas obviaverunt sibi (*Psal.* LXXXIV), » quæ sunt « universæ viæ Domini (*Psal.* XXIV). » Universæ quippe viæ Domini « misericordia et veritas (*ibid.*). » Apud etiam Virginem « justitia et pax osculatæ sunt (*Psal.* LXXXIV), » quæ regem justitiæ et auctorem pacis ad negotium humanæ salutis adducunt. Hæc dicuntur itinera æternitatis, quia salus nostra nobis venit ex eis, et æternitas invenitur in singulis. De misericordia Domini dicitur: « Misericordia Domini ab æterno C (*Psal.* CII); » de veritate: « Et veritas Domini in æternum **50** manet (*Psal.* CXVI); justitia autem ejus manet in sæculum sæculi (*Psal.* CXI); pax ejus exsuperat omnem sensum (*Philipp.* IV), » et pacis « ejus non erit finis (*Luc.* I). » Hæ sunt viæ Domini rectæ lætificantes corda (*Psal.* XVIII), et per has vias rectas justum deduxit Dominus, et adduxit usque ad uterum Virginis, unde inchoaret opus nostræ liberationis, ubi, ut dictum est, Virgo Maria, et quædam via vitæ est, per quam ad nos Rex virtutum venit; et nihilominus nobis via est, quæ nos ad ipsum reducit (8). Ipsa est misericordiæ Mater; ipsa est de qua veritas oritur (9); ipsa est Regina justitiæ; ipsa nostræ consummatio pacis. Et misericordia quidem D in affectibus et visceribus Virginis opportunissimam sibi mansionem tanquam in matris sinu constituens, et miseriis hominum efficaciter compatiebatur, et miserationum Domini dulciter recordabatur, et dicebat: « Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine, sicut jurasti David in veritate tua? » (*Psal.* LXXXVIII.) Et iterum: « Miserere, Deus, plebi tuæ, supra quam invocatum est nomen tuum (*Eccli.* XXXVI), » etc. Veritas vero in incorruptione virginalis propositi, et in puerperio uteri incorrupti solido splendore subsistens, et figurarum legalium **51** umbras reserabat, et peccatorum tenebras arguebat et dicebat (10): Lex et prophetæ usque ad Mariam (*Luc.* XVI). Et iterum: « Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, et quæritis men-

dacium? » (*Psal.* XC.) Scilicet quoniam intra Virginis uterum mirificavit Dominus Sanctum suum (*Psal.* IV). Justitia quoque perfectione singulari sibi opera Virginis vindicans, et in osculum pacis, totis desideriis inhians, etiam de longanimitate sustinentiæ gloriabatur, et sic loquebatur: « Cum invocarem exaudivit me Deus justitiæ meæ, in tribulatione dilatasti mihi (*ibid.*). » Et illud: « In odorem unguentorum tuorum curremus (*Cant.* I). » Cæterum pax ordinatissima inter secretissimæ puritatis arcanum se conferens, sub testimonio plenioris gratiæ virgineam conscientiam tranquillabat; illam oleo lætitiæ et exsultationis exhilarans atque dicens: « Dilectus meus mihi, et ego illi (*Cant.* II); et illud: « Quid mihi est in cœlis, et a te quid volui super terram? Defecit caro mea, et cor meum, Deus cordis mei (*Psal.* LXXII). » Erant itaque Virgini, ut dictum est, misericordia in affectu, in partu veritas, justitia in actu, pax in otio spirituali, in quo caro et Spiritus, omni **52** cessante repugnantia, solemnitatis internæ jucundas ferias peragebant. Non incongrue sanctitas Virginis dici potest via virtutis, per quam Dei virtus et Dei sapientia Christus ad infirmos et fatuos venit. In tantum autem de torrente nostræ mortalitatis et passibilitatis hac in via bibit (*Psal.* CIX); in tantum hanc viam arctam Dominus majestatis invenit (*Matth.* VII), ut necessitas patiendi et moriendi, quam voluntarie suscepit ex Virgine, et Verbum omnipotens in puerum breviaret, et Dominum gloriæ usque ad formam servi exinaniret (*Philipp.* II). Verumtamen hanc viam, per quam venit, facit æquitas rectam, veritas certam, virginitas mundam, fecunditas fructuosam, pietas accessibilem, charitas communem, humilitas facilem, singularitas admirabilem, pax amabilem, æternitas tutam. Hæc omnia in Virgine nostra singulariter mirabilia, et mirabiliter singularia inveniuntur. Felix via, quam qui tenuerit, non errabit (*II Petr.* II). Felix Maria, (11) quam qui perseveranter amaverit, non peribit! (*Joan.* III.) Benedictus qui per illam venit; benedicta ipsa per quam benedictio venit; benedictus qui, ipsa duce, venienti occurrit. Sed quia jam tenemus viam, **53** per quam venit, inspicere libet quomodo venit.

Bene venit, qui in nomine Domini venit (*Joan.* XII); bene venit, qui in nubibus cœli venit (*Matth.* XXIV); bene venit, qui « saliens in montibus, et transiliens colles » venit (*Cant.* II). » Quid sit nomen ejus, sponsa nos docet, cum dicit: « Oleum effusum nomen tuum (*Cant.* I). Quam bene venit, qui totus in oleo venit. Venit in oleo gratiæ, ut illud infundat ad medicinam. Venit in oleo, ut illustret ad scientiam. Venit in oleo, ut mores condiat ad sapientiam. Ipse enim est nomen Patris, oleum infirmorum, Filius olei splendoris, cœlestis Sapientiæ condimentum. Ipse venit in nubibus cœli, quia hujus olei abundantiam rorantibus cœlis desuper, et nubibus pluviam voluntariam effundentibus (*Isa.* XLV), et nomen regiæ unctionis, et unctionem regii nominis

A Christus communicavit Ecclesiæ filiis. Unctus est quidem Christus oleo isto præ participibus suis (*Psal.* LXIV), sed nihilominus participium unctionis, et nominis omnibus contulit Christianis. Væ illi, qui unctionis nomen participat, et rem nominis male vivendo habere detrectat. Christianum enim decet ex sacræ unctionis profusione esse tractabilem, et ex titulo regii **54** nominis dignitatem habere regalem. Christianus enim *inunctus* dicitur, haud dubium quin in sacerdotem et regem, cum solis sacerdotibus et regibus unctio debeatur. Unde et Christianis omnibus Petrus loquitur: « Vos autem genus electum, regale sacerdotium (*I Petr* II). » Christus autem est lecythus hujus olei, quo cum sit quisque fidelis perunctus, nihilominus lecythus olei
B non est imminutus (*III Reg.* XVII). Christus enim non accepit Spiritum ad mensuram, cum secundum mensuram donationis unicuique fidelium data sit gratia (*Ephes.* IV). Hæc unctio gratiæ nobis venit in nubibus, et de nubibus cœli. Recte orat propheta, ut nubes pluant justum (*Isa.* XLV), quia hujus unctionis pluvia justificat impium. Computrescit quippe peccati jugum a facie olei, cum peccatum solvitur in confessione et dilectione nominis Christi. Quid autem sunt nubes cœli, nisi secretæ inspirationes Spiritus sancti, quæ mentem rore Spiritus sancti compluunt, aut ipsa membra corporis Christi, quæ latentem in eo divinitatem obnubunt? Nubes quippe et terram compluunt, et cœlum tegunt. Sunt etiam nubes cœli, prædicatores regni,
C qui, ut nubes **55** volant, et per aerem divinæ speculationis discurrendo coruscant. Quod si cœlum sacra Scriptura dicitur, dici possunt nubes cœli, figuræ et ænigmata sacri eloquii; ut si cœlum dicitur sancta Ecclesia, quid erunt nubes cœli, nisi Ecclesiæ sacramenta? In nubibus istis continetur aqua nostræ ablutionis, id est nostri cognitio et dilectio Redemptoris. Unde scriptum est: « Qui ligat aquas in nubibus (*Job* XXVI). » Venit etiam « saliens in montibus, et transiliens colles (*Cant.* II), » quia angelorum et hominum transcendit altitudines. Salit in montibus, tanquam fons Dei salientis in vitam æternam (*Joan.* IV). Ipse enim mons est olivarum, mons pinguis (*Psal.* LXVII), mons in ver-
D tice montium. Colles transilit, quia omnium sanctorum merita, quæ et de sua plenitudine tribuit, incomparabili sublimitate præcellit. Ecce quomodo venit. Sed qui taliter venit, quo tempore venit? Apostolus de tempore adventus ejus loquitur, dicens: « Postquam venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum in terris (*Galat.* IV). » Nunquam venit Dei Filius nisi in plenitudine temporis. Temporis plenitudo est tempus in ejus providentia præfinitum, **56** quando venire velit et debeat, secundum dispositum suum. Verum quod tempus suæ ordinationi congruat, et quando, sicut est præordinatum, adveniat, ipse solus novit nosque hujus cognitionis expertes reliquit.

« Nescimus » enim, sicut ipse ait in Evangelio,

« quando Dominus noster venturus sit; sero, an A media nocte, an galli cantu, an mane (*Marc.* XIII). » Quoniam sero venit, cum in extremis agentem, et non merentem inopinato gratiæ suæ prævenlu à perversitate sua corrigit, et compungit. Hoc tempore latroni adfuit, cui extrema agenti tam subito et fidei meritum dedit et paradisum aperuit (*Luc.* XXIII). Media nocte venit, cum in tenebris ignorantiæ, vel mediis tribulationibus constitutum per indebitam gratiam educit ad lucis vel refrigerii portum. In galli cantu venit, quando ad prædicationis vel sacræ lectionis verba, audientium corda convertit. Mane venit, quando nocte criminum elapsa, et peccandi voluntate deposita, lucem pœnitentiæ matutinam pietatis splendor infundit. An non sero ad Adam venit, cum ad auram post meridiem, B dic vergente in vesperam, innocentia declinante in culpam, abscondenti **57** se a facie solis, et charitatis ardor refriguit, et immortalitatis splendor occubuit? An non media nocte in Ægyptum venit, quando crepturus populum suum in tribulatione maxima positum, primogenita Ægypti percussit? (*Exod.* XII.) Sic etiam in Galli cantu venit, quando juxta legalium promissa sacramentorum, et voces prophetarum, ad liberandum hominem per Virginem venit. Galli quippe cantus, secuturæ lucis nuntius, sermonem designat propheticum, quo veræ lucis prænuntiabatur adventus. Et ecce iterum mane veniet, cum post noctem hujus sæculi judicii dies illucescet extremi. Nescimus tamen utrum dies illa, C nobis futura sit lucis æternæ diluculum, an (quod Deus avertat!) crepusculum æternæ noctis. Ideo in timore et in sollicitudine semper esse debemus; quia, etsi de adventu judicis certi sumus per fidem, quando tamen veniat, aut qualis veniat nobis certitudinem non habemus. « Nemo enim scit, sicut scriptum est, utrum tunc dignus amore, an odio, sit futurus (*Eccle.* IX). » Verum primus iste adventus nostri Salvatoris, proprie et spiritualiter plenitudo temporis appellatur, cum **58** scillcet, expletis temporibus divinæ providentiæ, impletæ sunt Scripturæ, et humanæ miseriæ plenitudini opposita est plenitudo misericordiæ Dei. « Ibi enim superabundavit gratia, ubi iniquitas superabundavit (*I Tim.* I). » Ubi consummatio justitiæ fecit iniquitatis consummationem, ibi omnis consummationis D vidit finem propheta David. Tempus hujus plenitudinis fuit plenitudo hujus temporis: est medium illud silentium, sive noctis intermedium, quo sermo omnipotens a regalibus sedibus venit, et infidelitatis seu diffidentiæ silentium rumpens, « linguas infantium disertas fecit (*Sap.* X). » Bene, et congrue mediator ad medium, et ad silentium sermo accurrit. Medium quippe silentium, id est plena et perfecta cessatio a bono in profunda nocte ignorantiæ ex longa Dei oblivione provenerat. Interim mediatricis nostræ filius, omnipotens mediator venit in medium, ut de medio tale silentium faceret; et se Verbum infans infudit infantibus, ut ex ore infantium laudem perficeret (*Psal.* VIII). Venit Sermo ad silentium, venit Verbum in infantiam, et mirum in modum per silentium infantiæ suæ, « et linguas infantium disertas fecit, » **59** et juxta prophetam, « linguam maris Ægyptii desolavit (*Isa.* XI). » Per incarnati enim Verbi mysterium, dum infantia apparuit Sapientia, « obstructum est os loquentium iniqua (*Psal.* LXII). » Et juxta eumdem prophetam: « Omnis iniquitas oppilabit os suum (*Psal.* CVI). » Sermo itaque velociter currens (*Psal.* CXLVII), qui tam suaviter, et silenter nostræ mysteria salutis disposuit, dum « a fine usque ad finem fortiter attingit (*Sap.* VIII), » etiam usque ad miseriæ nostræ profunda dignanter descendit. Miseriæ nostræ profunda sunt, in fragili carne concipi, ad laborem nasci, necessitatis humanæ defectibus subjici, carcere hujus exsilii coarctari, non carere carnis similitudine peccati, mortis legibus obligari. Has omnes necessitates absque peccato Dei Filius Verbum omnipotens non necessitate, sed voluntate suscepit, et dum se solus « inter mortuos liber (*Psal.* LXXXVII), » tantis necessitatibus voluntarie subdit, ad veram nos libertatem reducit. Unde Apostolus: « Qui eruit, inquit, nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii charitatis suæ (*Coloss.* I). » Certe vidisti, fili hominis, quousque Filius Dei descenderit, quantum se Pater misericordiarum ad miseros inclinaverit. **60** Totum enim misericordia, et miseratio fuit, quidquid misericors et miserator Dominus erga miseros fecit. Verum ad hoc conversus videbis miserationes majores. Intuere genus passionis et mortis; intuere profundum inferni inferioris. Certe crucis supplicio temporalem vitam finiens, mortis imperium triumphavit, et ut inferos exspoliaret, illuc descendere non refugit. Ibi infernum momordit, et morti morsum mortuus inflixit, quo cibi vetiti morsus, ex quo mors oriebatur, recompensationem accepit. O miranda divinæ sublimitatis humilitas! O stupenda supernæ pietatis dignatio! Quid in tormentis pœna crucis durius? Quid in opprobriis forma crucis probrosius? Attamen quisque ad formam servi se exinanivit, etiam usque ad mortem crucis seipsum humiliter dejicere non exhorruit (*Philip.* II). Et qui rex gloriæ, in cœlis semper manens consistit, etiam per suæ dignationis præsentiam potenter inferos spoliavit. Rex enim noster, etsi in infirmitate apparuit, non tamen plenitudinem potestatis amisit. Regia quippe potestate etiam in infirmitate non caruit, et quanta est ei in omnium creatione potentia, tanta ei in malorum **61** perpessione patientia fuit. Sicut regis nostri omnipotentiam prædicat mundus creatus ex nihilo, cui dare voluit, et potuit existentiam et formam; sic in eo insigne regiæ virtutis insinuat patientiæ fortitudo insuperabilis, per quam mundus reformatur ad vitam. Venit itaque rex in potestate et unctione: non enim sine unctione regiam obtinet dignitatem, nec sine potestate regia regiam obtinet unctionem. Venit rex ex potestate regia fortis et

rectus; ex unctione tractabilis et quietus. Venit delibutus unguentis tanquam unctio infirmorum; venit in fortitudine regis tanquam efficax regimen animarum. Cum itaque Rex regum, nomen aut regum dignitatem sine unctione non habeat, merito rex noster Christus dicitur, quo nomine tam regia quam sacerdotalis unctio designatur. Oleo nimirum invisibili in regem et sacerdotem Christus inungitur, quem, juxta Petri sententiam, « Deus Pater unxit Spiritu et virtute (*Act.* x). » Hoc oleo plenus, id est Spiritum sanctum non ad mensuram accipiens, et regnum gratiæ suis participibus tribuit, et se pro eis offerens, verum sacerdotem ostendit.

62 Igitur occurramus regi nostro; et quia delibutus unguentis venit, a quibus unctionis nomen trahit, curramus ad ipsum, et curramus in odorem unguentorum suorum (*Cant.* I). Unguenta ejus sunt charismata sancti Spiritus, quo tanquam oleo lætitiæ præ suis est participibus unctus (*Psal.* XLIV). Odor unguentorum est fides, et amor virtutum, quæ, sicut in ipso plenissime habentur, ita et de ejus plenitudine pro suæ dispensationis arbitrio, quibus ipse voluerit, tribuuntur. Bene autem ei occurrimus, si quare venerit attendentes, et causam ejus adventus fide non ficta approbantes, oblatum nobis nostræ redemptionis pretium gratanter et fideliter amplectamur. Ad hoc enim venit, ut nos redimeret, non corruptibilibus auro vel argento, sed incorruptibili suo sanguinis pretio (*I Petr.* I). Tota nimirum causa adventus ejus nostra est salus. Tanto itaque debemus devotius et festivius regi nostro occurrere, quanto cognoscimus ipsum nullam habentem indigentiam bonitate tam gratuita immeritorum utilitatibus deservire. Non itaque corporum motibus, sed progressibus fidei, affectionum passibus, virtutum operibus venienti **63** ad nos, propter nos, Salvatori nostro obviam occurramus, ut sicut venit ad nos per susceptam humanitatem, ita etiam in nos veniat, et suam in nobis constituat mansionem. Qui cum Patre, etc.

64 SERMO III.

DE PARTU B. VIRGINIS.

Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit (*Psal.* CXLIX). Novis est efferenda laudibus hodiernæ celebritas novitatis. Quid enim non novum, ubi cœlum, et terram novam, cœli et terræ Dominus facit? Cœlum quippe novum Virginis partus; terra nova est Virginis uterus. Per hæc duo, nova fiunt omnia, dum per novam Verbi Dei in carne nativitatem vetustas abjicitur luctuosa (12). O quam mira novitas, ubi antiquus dierum, puer unius noctis efficitur! Ubi Verbum est caro, Sapientia infans, Deus homo, Virgo mater, suæ ancillæ filius omnium Dominus **65** et creator! Innovato igitur corde opus est ad excipiendam tantæ novitatis lætitiam. Sonet vox tubæ corneæ (*Psal.* XCVII), in solemnitate neomeniæ. Audiatur vox exsultationis (*Psal.* CXVII) et salutis in tabernaculis justorum *Psal.* CXI), quia Sol justitiæ oritur in tabernaculis peccatorum: exortum A est enim in tenebris lumen rectis corde. Etsi lucentem in tenebris lucem tenebræ non comprehenderunt (*Joan.* I), lucem tamen suam inter tenebras lucis filii deprehendunt. Unde cantant canticum novum, et dicunt: « Puer natus est (*Isai.* IX). » Hoc cantare, credere, diligere, et sperare, non solum justis, sed et peccatoribus suadetur. « Cantate, ait, Domino canticum novum; cantate Domino, omnis terra. » Omnis terra, omnis homo; ne forte ab hac laude vel lætitia justus velit excipere peccatorem. Imo pene totum est peccatoris quod agitur; quia Jesus non justos vocare (*Matth.* IX), sed quærere, et salvum facere venit, quod perierat (*Luc.* XIX). Pertinet igitur ad omnes cantare canticum B novum, et neminem, quantum in ipso est, a salute excipit, qui Dominus omnium nasci omnibus venit. Justis est canticum novum nova vita, qua in azymis sinceritatis et veritatis (*I Cor.* V) **66** epulantur, et exsultant in conspectu Dei, et delectantur in lætitia (*Psal.* LXVII). Peccatoribus est canticum novum timor et pœnitentia, per quam in Dei Filio renascentes, vetera, novis supervenientibus, projiciunt, et ad vetustissima veterum comedenda resurgunt. Nova sunt quæ novus Adam per mysterium novæ instituit nativitatis; vetera sunt culpa et pœna, in quibus nos Adæ veteris corruptibilis generatio propagavit; vetustissima veterum sunt illa ineffabilis, et æterna nativitas, qua Deus Pater ante Luciferum Verbum suum de sua substantia sibi per omnia C coæquale, et consimile generavit (*Psal.* CIX). Temporalem Christi nativitatem diligere, et, præ amore illius, omne quod aliud est fastidire, est nova supervenientia veteribus anteferre. Æternam vero ejus nativitatem credere et intelligere, et, præ contemplatione ejus, omne quod animo occurrit, quantum fieri potest, abigere, est vetustissima veterum in esum mentis et delicias revocare.

His deliciis justus pascitur, nec potest non cantare canticum novum, cum eum tantæ dulcedinis refectio reddiderit innovatum. Eadem Dei miseratione ad easdem **67** delicias per pœnitentiam peccator renascitur; nec potest ipse non cantare canticum novum, cum ad innovationem sui, sibi præter merita videat apponi delicias angelorum. Hinc est D quod auditur « in voce exsultationis et confessionis sonus epulantis (*Psal.* XLI). » Epulatur nimirum peccator humilis, dum se suis pascit lacrymis, dicens: « Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte (*ibid.*). » Sed inter epulas auditur sonus, cum inter lacrymas concrepat gemitus, vel certe laus misericordiæ Redemptoris cum accusatione propriæ iniquitatis. Habet autem laus illa vocem exsultationis, habet et accusatio vocem confessionis; ut sit in voce exsultationis et confessionis sonus epulantis. « Quare ergo tristis es, anima mea, et quare conturbas me? » (*Ibid.*) Licet sis per molem criminum terra, licet te deorsum trahat actio ponderosa, canta tamen Domino canticum novum, quod cantare præcipitur omnis terra. « Spera in Deo

(*ibid.*), » et erit tibi canticum novum ipsum spei desiderium. Tali suspensa, et extensa desiderio, veterem hominem cum suis actibus deorsum exues, et novum, qui secundum Deum creatus est (*Ephes.* IV), libere evolans **68** sursum requires. Tunc sequeris vocem apostoli, qui exhortans ait : « Quæ sursum sunt sapite, ubi Christus est in dextera Dei sedens (*Coloss.* III). » Canta ergo, anima mea, canta Domino canticum novum, et omitte jam cantare canticum vetus. Canticum vetus est illa discors consonantia, qua te antiquo hosti perverse consocians, te huic sæculo deformiter conformasti ; contra hoc quod prohibet Apostolus : « Nolite conformari huic sæculo, inquiens (*Rom.* XII) : Canticum vetus est exsultatio de terrenis, felicitas de transitoriis, lætitia in malefactis, impunitas in peccatis. Denique canticum vetus est initium omnis peccati superbia, quæ ab antiquo hoste principium habuit, et primum hominem imitatione malitiæ veteravit. Denique hæc vetustas quasi quodam hæreditario jure in omnes veteris Adæ filios transiens, ita veternosi serpentis legibus obnoxios fecit, ut nisi Unigeniti subveniret nova in carne nativitas, ad interitum necessario traheret damnabilis illa vetustas. Unde Apostolus : « Quod antiquatur et senescit, prope interitum est (*Hebr.* VIII). »

Itaque hujus veteris cantilenæ sonus ita in omnem terram exierat, et ita **69** omnium aures occupaverat, ut nusquam pene audiretur cœlestis harmoniæ consonantia, nunquam verbo Dei audientia fieret, nec dulcissima vitæ mandata humano caperentur auditu. Est enim canticum vetus, ubi clamor et indignatio, ubi contentio et blasphemia, ubi rixæ et odium, ubi tumultus et inquietudo, ubi carnalibus vitiis spiritales se jungunt nequitiæ, ubi denique de superbia cordis oris impuritas ad operis iniquitatem prorumpit. Talibus namque sonis male consonantibus veteris cantici deceptibilis modulatio explicatur, flatu scilicet, voce et pulsu. His tribus etiam modis instrumentalis musica exercetur.

Verum quod nunc ad rem attinet, flatus pertinet ad tumorem superbiæ, quæ sensum cordis reddit inflatum. Vox ad usum sermonis, quo de corde tumido verbum prodit impurum ; tactus ad motum corporis, quo opus explicatur injustum. Corde igitur tumido, ore impuro, motu corporis impudico dum veteri homini deservitur, quædam veteris cantici maleplacens melodia excutitur, cujus fallaci dulcedine et carnis concupiscentiæ nutriuntur, et alliciens mundus **70** attrahitur et dæmonis applaudens impuritas oblectatur. Dum his fallacibus modulis totum se inclinat et impendit Herodes, dum se saltatrix impudica coaptat Herodias, et suo providet pacem incestui et facile obtinet truncari capite Joannem Baptistam ; Joannes quippe *gratia Dei* dicitur, quæ gratia quasi truncatur capite, dum ejus principium ab illis præciditur qui, veteris vitæ capti voluptuosa dulcedine, divinæ novitatis expertes inveniuntur.

Nunc itaque, quia de cantico veteri aliqua diximus, arguentes nosmetipsos quod illud pene semper cantavimus, jam ad melodiam cantici novi, ad vitæ novæ dulcedinem et lingua et animo transeamus. Verumtamen hoc de cantico veteri adjiciendum, quod ipsum a vocibus superacutis incipit, suoque cantori miserabilis raucedinis horrorem immittit. Superbia enim super omne quod dicitur, aut quod colitur Deus, ventosa se levitate extollit (*II Thess.* II). Unde scriptum est : « Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper (*Psal.* LXXIII). » Sed sermo Dei vivus et efficax (*Hebr.* IV), Verbum scilicet Patris omnipotens, de sua soliditate offendentem in se superbiam allidit, et **71** conterit, in inferni profunda demergit, sicut scriptum est : « Qui se exaltat, humiliabitur (*Luc.* XIV) : » et illud ; « Superbis Deus resistit (*I Petr.* V). » — « Peccator autem cum venerit in profundum malorum, » quasi cui raucedo vocem abstulit, non Dei judicium laudat, non peccatum suum humiliter accusat, sed « contemnit (*Prov.* XVIII). » Hinc est quod ille rex, qui super omnes filios superbiæ (*Job* XLI) canticum illud totius dissonantiæ, quantum alte potuit, intonuit, et dixit : « Ponam sedem meam ad aquilonem, super astra cœli exaltabo solium meum, similis ero Altissimo (*Isa.* XIV). » Sed hæc ejus antiphona concordiam vocalem non habuit, quia in cœlestis musicæ harmoniam offendens, in concordabilis dissonantiæ lapsum incurrit. Verum cantici novi melos a gravi et humili voce incipit, et suavi modulatione, etiam demulcens angelos, ad aures Omnipotentis ascendit., sicut scriptum est : « Qui se humiliat exaltabitur (*Luc.* XIV). » Deo enim « humilium semper et mansuetorum placuit deprecatio (*Judith.* IX). » Ad cantici hujus novi modulos invitamur cum dicitur : « Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit (*Psal.* XCVII). » Quam bene, quam congrue ad cantandum nos manu **72** fortis invitat ! David enim *manu fortis* dicitur : illi nimirum divinæ laudis lætitia competit, qui divinæ manus adjutorio fortiter mundi hujus desideria triumphavit. Unde, et idem Manufortis etiam *aspectu desiderabilis* dicitur, quia qui circa vitiorum turpitudinem spiritus fortitudinem accipit, recipit etiam ex desiderio virtutis aspectum decoris. Unde et Daniel sanctus, a vitiis continens et desideriis cœlestibus æstuans, vir desideriorum appellatur (*Dan.* X). Est igitur Deo, et angelis aspectu desiderabilis, cui forti manu vitio resistenti in desiderio est decor virtutis et in ore est canticum speciosæ laudis. Huic tali competit cantare canticum novum et ad cantandum alios invitare, quia, sicut scriptum est : « Rectos decet laudatio (*Psal.* XXXII) : » et alibi dicitur : « Quia non est speciosa laus in ore peccatoris (*Eccli.* XV). » Unde, et Manufortis iste in quodam loco exsultat, et laudat et gratias agit, dicens : « Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium et digitos meos ad bellum (*Psal.* CXLIII). » Et quod non sit expers cantici novi, in sequentibus hujus psalmi ostendit, dicens : « Deus, canticum novum cantabo

73 tibi, in psalterio decem chordarum psallam tibi. » Verum cum cantare sit exsultantis, exsultare amantis, amare filiorum, videtur præceptum canticum novum solis filiis esse propositum. Quare ergo non dicitur, cantate, filii, Patri vestro Deo, sed dicitur, « cantate Domino? » Domino certe debetur servitus in timore (*Psal.* II). « Si ego sum, ait, Dominus, ubi est timor meus? » (*Malach.* I.) Servus itaque qui non manet in domo in æternum (*Joan.* VIII), non in canticis exsultat, sed in luctu et lamentatione flagellum formidolosus exspectat. Sed sciendum quia est « fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam (*Luc.* XII); » est servus malus et piger, qui in sudario abscondit pecuniam domini sui (*Luc.* XIX); et servus mercenarius, qui per omnia sequitur retributionem (*Psal.* CXVIII). Est servus conditionalis qui famulatur ad oculum (*Coloss.* III), nec Dominum suum diligit, sed metuit pœnam.

Ex his omnibus cantat canticum novum fidelis servus, quemadmodum et felix filius. Filius cantat, et exsultat in charitate; fidelis servus cantat et exsultat in humilitate. Certe uterque cantat, quia laudat. Laudat justus, quia de perceptis beneficiis gratias agit; laudat humilis reus, quia Dei judicia approbans **74** et misericordiam admirans, sua opera reprehendit. Hoc solum interest inter filium et servum fidelem, inter justum et peccatorem humilem, quod filii charitas cantat in psalterio, servi humilitas psallit in cithara. Psalterium sonum reddit a parte superiori; cithara a parte inferiori. Psalterium est exsultatio justi ex contemplatione et desiderio supernorum; cithara est rei humilis lamentatio ex consideratione et horrore malorum suorum. Cum divinæ puritati et fraternæ charitati per consonantiam morum et operum concordat, tunc in psalterio intus cantat. Cum passiones carnis edomat, cum membra sua, quæ sunt super terram, « mortificat (*Coloss.* III), tunc servus humilis citharizat. Est autem «Psalterium jucundum cum cithara (*Psal.* LXXX), » quia grata est Deo et placens justorum innocentia. Sed nihilominus ei mortificatio pœnitentium est accepta. Cæterum et justo psalterium, et pœnitenti est cithara, ipse cui Pater Deus in Psalmo loquitur dicens: « Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium et cithara (*Psal.* LVI). » Et ipse utrumque se esse annuens: « Exsurgam, ait, diluculo. » Surgens quippe Jesus mane prima Sabbati discipulis **75** suis in multis argumentis per quadraginta dies apparuit (*Act.* I). Ex tunc ad decem dierum exspectationem, quasi ad decem chordarum extensionem, repentino sonitu, Spiritus sanctus venit (*Act.* II), et ad Verbi omnipotentis intelligentiam, quasi ad psalterii melodiam, dum omnium gentium linguas consonas fecit, omne genus humanum convocavit. Psalterium, inquam, decem chordarum est Patris Unigenitus, quia, dum ad justificationem hominum decem legis mandata proponit quasi decem chordas ad sui laudem in seipso tetendit. Se autem pœnitentibus quasi citharam fecit, dum per carnem « et carnis

A peccati similitudinem (*Rom.* VIII) » innoxii corporis membra pro nocentibus in ligno crucis extendit. Sic nimirum David noster Saulis vesaniam temperavit, dum per crucis supplicia in suo corpore citharizans, sua morte diaboli impetum refrenavit. Est itaque Christus psalterium secundum divinitatem, cujus contemplationis dulcedine suos amatores oblectat: cithara est, secundum suscepti corporis passionem, dum pro reis moriens, eos ad veniam vocat. Psalterii sonus est, ubi dicit: « Ego et Pater unum sumus (*Joan.* X), » et iterum: **76** « Volo, Pater, ut ubi ego sum, illic sit et minister meus (*Joan.* XII); » citharæ melodia est, ubi ait: « Discite a me quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* XI): » Et adhuc dulcius citharizans ait: « Pater, ignosce illis, quia

B nesciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII). » Citharæ duo ligna habet: unum superius solidum, alterum inferius concavum. Superius solidum est omnipotens deitas, inferius concavum est unita deitati humanitas. Hoc lignum concavum dicitur, quia humana natura in Christo tantæ gratiæ susceptibilis invenitur. Unde Apostolus: « In quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (*Coloss.* II). » Chordæ, quæ inter duo ligna tenduntur et de concavitate ligni inferioris sonoræ redduntur, sunt opera misericordiæ, quibus miser homo redimitur, et quæ nobis salutis nostræ efficacia per incarnationis mysterium exhibentur. Cithara non habet determinatum numerum chordarum, quia non est finis Dei miserationum, sicut scriptum est: « Misericordiæ ejus non

C est numerus (*Orat. Eccl.*) »

Quod si novem angelorum ordines attendis, et quasi decimam chordam glorificati hominis supereminentem excellentiam, dum in hac consideratione **77** Sapientiæ bonitatem miraris, laudas et diligis, quasi decem chordas cujusdam psalterii tangis. Sed ad hoc quis idoneus? Non excutit, aut percipit modulos tam miræ suavitatis, quem non extulerit ad virtutum sublimia purificatæ intelligentia mentis. Illorum sunt hæc qui facti sunt hostes malitiæ, amatores justitiæ, æmulatores angelicæ puritatis. Tales, quo amplius anhelant ad æternæ retributionis denarium, eo suavius et subtilius tangunt Psalterium decem chordarum; qui de-

D narius numerus tam inenarrabili dulcedine resonat, ut suavitas ejus omnem intellectum humanæ et angelicæ rationis excedat. Prima chorda est æterni Verbi nativitas, quod est Patri suo consubstantiale et coæternum; secunda est secretum præordinationis suæ consilium; tertia est potentia qua initium universitati per essentiam dedit; quarta, sapientia quæ formam præstitit; quinta, bonitas qua suam providentiam gubernandi impendit; sexta, justitia qua de rationali creatura prævaricante debitam ultionem expetiit; septima, gratia, qua patres elegit; octava veritatis scientia qua legem tulit; nona, misericordia qua **78** nos redemit; decima, revelatio filiorum Dei, cujus exspectatio creaturam suspendit. Cithara est vel una omnium, modus scili-

cet nostræ liberationis, vel singulæ singulorum citharizantium in citharis suis, hoc est lætantium in corporibus propriis, peccati stimulo et tunica mortalitatis exutis. Qui enim hic in mortificatione sui corporis citharizat canticum humilis confessionis, ibi in ejusdem corporis glorificatione citharizabit canticum æternæ jubilationis. Quia igitur tenemus psalterium, cantemus in eo canticum novum, ad exemplum, et imitationem pueri qui natus est nobis (*Isai.* IX), qui plenus est gratiæ et veritatis (*Joan.* I). In novam renascamur infantiam, ut per innocentiam vitæ correctioris capaces efficiamur sanctæ novitatis. In psalterio puri cordis et cithara casti corporis psallamus circa cunabula Verbi infantis, miscentes et vagitibus ejus etiam lacrymabilis pœnitentiæ necessarios gemitus. Sonent in novitate vitæ moduli virtutum, qui in auribus Verbi perficiunt canticum novum. Sunt enim novem quædam quæ hanc in nobis jure perficiunt novitatem. Et quia de auctoritate Scripturæ **79** novam vitam, novum canticum dicimus, illa novem quasi novem notulas, in quibus disponatur novum canticum, appellamus. Prima itaque nostri cantus nota est fides non ficta; secunda, humilitas vera; tertia, carnis continentia; quarta, disciplinæ gravitas; quinta, oris veritas; sexta, pietas fraternæ compassionis; septima, patientia in adversis; octava, desiderium æternitatis; nona est immobilis animi constantia in omnibus istis. Recte proficientium et suspirantium ad novem ordines angelorum mores disponit concentus et consonantia harum virtutum. Cur autem cantandum sit Domino canticum novum, causa subinfertur cum dicitur : « Quia mirabilia fecit. » Mirabilis est Deus in majestate sua, mirabilis in sanctis suis (*Psal.* LXVII), mirabilis in cunctis operibus suis, ubique et in omnibus est mirabilis, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari Rubro (*Psal.* CV). Mirabile est opus mundi creatio cum elementis suis, sed longe mirabilius est incarnatio Verbi cum sacramentis suis. Mirabilia quidem sunt opera naturæ, sed quia usu viluerunt, quasi vetera sunt, nec interim **80** novi cantici exsultationem merentur. Verum nova mirabilia, quibus nos innovat miranda Dei misericordia, nova sunt cantica laudibus efferenda. Inter omnia mirabilia quæ artifex sapientia fecit, tria sunt singulariter mirabilia, et mirabiliter singularia, quæ et superius ex aliqua parte tetigimus, scilicet quod mater et virgo, Verbum infans, Deus homo. Hæc sunt nova, quia inaudita sunt; et mirabilia, quia naturam excedentia. Ex fide et dilectione istorum mirabilium pendet innovatio nostra. Propterea pueri qui natus et datus est nobis, vocatur nomen « admirabile (*Isai.* IX), » quia mentibus sua gratia innovandis in seipso parat tam stupendæ miracula novitatis. Certe cum Pater idem « futuri sæculi, et princeps pacis, » tribus supradictis mirabilibus quartum addidit (*ibid.*), ut quemadmodum beatus et potens Deus factus est

A homo misericorditer, ita miser homo sublimetur in Deum mirabiliter : tunc plenus erit novi cantici sonus, tunc erit suavis plenæ lætitiæ jubilus, quia « Deus erit omnia in omnibus (I *Cor.* XV). »

Tunc apparebit in virum perfectum (*Ephes.* IV), qui modo nascitur nobis in puerum, et **81** qui nunc filius datus est nobis in participem nostræ tribulationis, tunc se offeret nobis datorem et principem æternæ pacis. Tunc videbimus et affluemus, mirabimur et dilatabitur cor nostrum (*Isai.* LX), quando « sicut audivimus, ita et videbimus in civitate Dei nostri (*Psal.* XLVII). » Tunc plena experientia sentiemus; quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te (*Psal.* XXX). Quam nobis parare dignetur puer qui B propter hoc natus nobis filius, qui ad hoc datus est nobis, qui tecum et cum Spiritu sancto vivit et regnat, etc.

82 SERMO IV.

IN PURIFICATIONEM B. MARIÆ.

Obtulerunt pro eo Domino par turturum, aut duos pullos columbarum (*Luc.* II). Ad festum Luminis mente luminosa colendum invitat Pater luminum filios lucis. « Accedite ergo ad eum et illuminamini (*Psal.* XXXIII). » Siquidem ipse « qui habitat lucem inaccessibilem (*I Tim.* VI), » dignanter factus est accessibilis, ponens nubem carnis descensum suum, ut infirmus et infimus haberet accessum. O descensum misericordiæ! « Inclinavit cœlos, » hoc est excelsa divinitatis, « et descendit » C per præsentiam carnis, « et caligo sub pedibus ejus (*Psal.* XVII). » Pedes quibus ad nos venit, sunt misericordia et veritas. Quod carnem **83** nostram accepit, pes misericordiæ fuit; quod sine mendacio peccati accepit, veritas fuit. Attamen sub pedibus ejus caligo fuit, quia in corpore, quod assumpsit ex misericordia et veritate, hoc est sine culpa, similitudo carnis peccati apparuit. Hinc alibi scriptum est : « Nubes et caligo in circuitu ejus (*Psal.* XCVI). »

Nubes et caligo, quia in nube caligo, hoc est in carne, peccati similitudo. O caliginem reparando lumini necessariam. Certe dum carnis nubem peccati similitudine caliginosam sibi lux vera adhi- D buit, per objectum hujus caliginis, et mundi sapientia, et malitia hominum, et dæmonum astutia caligavit. Inde cæcitas contigit in Israel (*Rom.* XI), et dum Dominum gloriæ non cognovit (*I Cor.* II) lucem veram tenebras reputans, redemptionis nostræ negotium nesciendo peregit. Unde ergo lux vera posuit carnem latibulum suum, inde auxerunt tenebras suas filii tenebrarum. Accedat ergo caro ad carnem, in qua dediscat quæ carnis sunt, et sic de carne paulatim transire in spiritum doceamur. Accedat, inquam, et nunc maxime, quia jam aliquatenus plus solito **84** jubar suum Sol novus exerit, et qui hactenus apud Bethlehem inter angustum præsepium paucis cognitus claudebatur, hodie in Jerusalem in templo Domini coram pluribus

præsentatur. Usque nunc tu Bethlehem, communi luce sola gavisa es, et, insolitæ novitatis superba privilegio, splendoris paritate ipsi etiam contendere poteras orienti : imo (mirabile dictu) in angusto præsepi apud te plus erat luminis, quam proferre soleat oriens mundani solis. Quid tu ergo communes radios universitati existentium invidebas? Vix lucem illam paucis pastoribus ostendisti. Vix tres Orientales viros ad præsepium novi luminis admisisti. Sed jam de absconditis tuis Sol, totum orbem illustraturus, progreditur, utrum apud te aliquid reliquerit tenebrarum, tu videris.

Hodie itaque offertur in templo templi Dominus, et offeruntur pro eo aves superius nominatæ. In hac enim præsentatione gemina celebratur oblatio; una fit de ipso, altera pro ipso. Et cum pro eo aves offeruntur, oblatio oblatione redimitur. Pretio avium, pretium nostrum redimitur, et Redemptor noster **85** redimitur antequam nos redimamur ab ipso. Digna plane et singularis oblatio, vilium quidem avium pretio interveniente redempta, sed tempore opportuno genus humanum impretiabili sui sanguinis pretio redemptura ! Et hic habemus tertiam oblationem, qua Agnus Dei pro salute mundi in ara crucis se obtulit Deo Patri. Facturus est etiam quartam oblationem in fine mundi, quando, sicut scriptum est, offeret et tradet regnum Deo Patri (*I Cor.* xv). Habemus itaque quatuor oblationes distinctas, quarum prima facta est de ipso a parentibus, secunda pro ipso de avibus, tertiam fecit ipse de seipso, quartam faciet pro se de suis. In his omnibus instruimur quid credere, quid imitari, quid sperare debeamus. Prima oblatio de humilitate nos instruit, cum humiliter legi subjicitur legislator et judex; secunda ad paupertatem voluntariam nos invitat, cum universitatis Auctor et Dominus hostiam pauperum pro se offerri elegit; tertia ad pietatis viscera nos emollit, cum pius Dominus mori pro impiis per manus nocentium et crucis supplicium non refugit. Jam in quarta **86** oblatione præmium nostrum est, si quintam de nobis exhibeamus ad meritum. Quintam de nobis facimus, si nosmetipsos et in legis observantia humiles, et in contemptu mundi voluntarios pauperes faciamus, et in compassione proximi misericordes exhibeamus. Si in his tribus obtulerimus nosmetipsos, imitati Dominum, ad quartam pertinebimus quam de suis faciet in gloria per seipsum. Verum cum prima et secunda magis insigniant diem istum, ad illarum considerationem et linguam et animum revocemus. « Obtulerunt, inquit, pro eo Domino par turturum aut duos pullos columbarum. » Bene et congrue pro agno aves offeruntur. Reservetur, obsecro, agnus in Pascha; aves interim immolentur. Non hujus loci vel temporis est immolare agnum ; id melius fiet in Pascha, cum Pascha nostrum immolabitur Christus (*I Cor.* v). Agnus quippe Christus est, cujus innocentiæ singularis merito de vitiis ad

A virtutes fit transitus, qui Paschæ nomine designatur. Hanc nobis innocentiam turtur et columba reservant. Turtur significat castitatem, columba simplicitatem. **87** Castitas excludit luxuriam, malitiamque simplicitas. Castitas amica est virginitati, et veritati simplicitas. Est autem virgo et veritas Virginis nostræ Filius, Agnus noster innocentia omnis. Per oblationem igitur turturis et columbæ nobis Agnum servamus, si per munditiam carnis et simplicitatem cordis veram animi innocentiam custodimus. In hac oblatione duo avium paria commemorantur, duæ scilicet turtures et duæ columbæ. Duo paria geminam dilectionem Dei et proximi significant. Primum par significat per genus volucrum castitatem, per numerum charitatem. Est

B enim turtur avis casta, quæ, amisso pari, alium non recipit, solitaria volat, et pro cantu gemitum habet. Talis est sancta viduitas post conjugium, talis est castitas per continentiam reparata post lapsum. Dum dilectæ castitati metuunt, secretum appetunt, turbas fugiunt, et de prolongatione incolatus gemunt, et dicunt : « Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est ! habitavi cum habitantibus Cedar (*Psal.* cxix). » Candida nimirum, et angelici splendoris amica castitas, Dum Cedar habitantibus, id est, tenebras voluptatum **88** amantibus cohabitare metuit, merito de exsilii prolongatione luget et gemit. Binarius ad charitatem refertur, quia nonnisi ad alterum charitas proprie haberi

C dicitur. In pari igitur turturum figuratur dilectio Dei, quam nonnisi caste viventes servare possunt; in pari columbarum dilectio proximi, quam nonnisi columbina simplicitate viventes custodiunt. Adverte oblationis sacratæ mysterium, et offer, tu, Domino similia in acquisitione virtutum, Par certe turturum et duos pullos columbarum obtulisti, si casto corpore, si simplici corde, si fervens charitate, vitæ novitatem induisti. Recens quippe ætas in columbarum pullis spiritualiter significat infantiam novitatis. Quod si etiam pauperem esse hanc hostiam attendamus, quid aliud, quam de appetenda et diligenda paupertate monemur? « Beati enim pauperes spiritu (*Matth.* v). » Ecce quanta nobis loquitur in mysteriis oblatio Verbi infantis! O dignum

D omni admiratione miraculum! A regalibus sedibus veniens omnipotens sermo (*Sap.* xviii), infans in carne vagit in cunis, qui immensus regnat in cœlis, et quod interim non valet eloqui **89** per ætatem carnis, docet et clamat in mysteriis prophetarum, in sacramentis. Ecce mutas aves per pietatem fidelis intelligentiæ divinæ philosophiæ interpretes et habemus et tenemus. Misceamus vagitibus immensi parvuli et planctum turturis et gemitus columbinos. Utraque enim avis gemitum pro cantu habet. Offeramus in carne nostra turturem castitatis, offeramus in mente columbam simplicitatis. Non sit turtur sine gemitu, non sit castitas sine peccati luctu, ut dicere valeamus : « Vox turturis audita est in terra nostra (*Cant.* 2. » Quid est vox turturis « in terra

nostra, » nisi luctus caste viventium in carne mi- A sera, in carne terrena, adhuc a bonis patriæ per miseriam aliena! Aliena quippe terra est caro nostra, in qua non jubilum, sed gemitum; non cantum,.sed planctum [dare] debemus, juxta vocem cujusdam gementis et dicentis : « Quomodo cantabimus canticum Domino in terra aliena ? » (*Psal.* CXXXVI.) Vere aliena, in qua « peregrinamur a Domino (*II Cor.* v). » Attamen turtur nec apparere, nec gemere solet, nisi tempore florum et renovatione vinearum. Unde postquam dictum est, « vox turturis audita est » sequitur **90** Scriptura dicens : « Flores apparuerunt, vineæ florentes odorem dederunt (*Cant.* II) ». Dum enim in casto corpore sonat gemitus cordis de dilectione quietis, interim vernant flores bonorum operum, in quibus B sperari fructus debeant præmiorum. Quemadmodum enim in flore fructum sperat agricola, sic in meritis ex occultis divinæ gratiæ prodeuntibus fructum æternitatis per spem odoratur conscientia. Vineæ florentes sunt decore, colore et odore illustratæ virtutum laboriosæ actiones. Quam felix, quam pura est anima, quæ se Deo talem obtulerit turturem in nido carnis, columbam in solitudine quietæ mentis. Quanta puritas, ubi nulla carnem libido inquinat, nulla mentem malitiæ amaritudo exasperat. Qui talis est, idoneus est Purificationis solemnia celebrare. Sic enim præsentis diei solemnitas appellatur. Quid ergo? (13) Purificari hac credendum est purissimam Domini matrem, C cujus tam singularis et in partu et post partum fuit puritas, ut totius puritatis nobis proferret auctorem ? Quid impuritatis, quid sordidum contrahere potuit, ex qua omnis puritas emanavit? Dicatur **91** iste dies purgatio Mariæ, sive purificatio, non quod in eo beata Dei Genitrix purificata sit, quæ ab ipsa conceptione Verbi, sicut nullatenus peccato consensit, ita nullam prorsus carnis repugnantiam sensit. Sed quia per partum ejus, vel oblationem partus, purgatus est homo peccato pollutus. Aut certe, ut dies iste Purgatio Mariæ dictus sit, fecit legis consuetudo, fecit vulgi opinio, devini partus miraculum secretique mysterii consilium nescientis. Cæterum (14), non Mariæ, sed nostra per Mariam purificatio facta est, quæ D dum sine omni peccato Dei Filium concepit et peperit, nostras impuritates detersit. Unde si partum ejus fide non ficta amplectamur, si oblationis hodiernæ mysterium animi virtute in templo piæ mentis exsequimur, nos magis in hac celebritate purgamur. Si enim per veram fidei confessionem veri Judæi sumus, sex lapideas hydrias ad purificationem nostram positas habemus in Domini hac oblatione. Quid tu non vides in paupercula hostia exemplum voluntariæ paupertatis, in turture signari continentiam carnis, in columba simplicitatem cordis, **92** in duplicato binario typum geminæ charitatis, et sequentem ex his novitatem, quæ figuratur in pullis? Jam sæpe ista commemorata sunt. Sex hydriæ dici possunt, quia aqua sapientiæ salutaris plenæ sunt usque ad summum. Udor græce *aqua* dicitur, unde hydriæ nuncupantur; lapideæ sunt, non propter duritiam, sed ob perseverantiæ firmitatem. Vade jam, et lavare in eis, et purgaberis, ut pure celebres internæ solemnia purificationis. Aut si forte alias ad purificandum cor hydrias quæris, de lapide Christo excide tibi sex opera illa misericordiæ, quæ ipse lapis angularis Christus (*Ephes.* II), per Evangelium nobis proponit. Primum est esurientem pascere, secundum sitientem bibere, vel potare; tertium nudum vestire; quartum hospitem colligere; quintum infirmum visitare; sextum carceratum redimere. His eleemosynis animæ purificantur, et in templo pacifici cordis veræ purificationis festivitas celebratur. Nam et eleemosyna, quæ mentem lavat, ex aqua nomen trahit. El enim *Deus*, moys *aqua* dicitur. Recte eleemosyna dicitur aqua Dei, quia peccatum est ignis diaboli. Aqua **93** exstinguit ignem, et eleemosyna peccatum excludit (*Eccli.* III). « Date, ait Dominus, eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis (*Luc.* XI). » Adhibe tibi hujus aquæ lavacrum, et « si fuerint peccata tua ut coccinum, quasi nix dealbabuntur (*Isai.* v). » Et quid, inquam, facturus est claustri incola, qui has hydrias ad manum habere non potest? Habentibus enim mundi substantiam sex illa opera misericordiæ proponuntur. Quid ergo faciet pauper spiritu, qui cum rebus mundi, etiam desideria reliquit habendi? Iste talis priores sibi hydrias habeat in affectu et actu; istas etiam in affectu. Nam internus arbiter, qui de voluntatibus judicat, etiamsi bonæ voluntati implendæ facultas defuerit, tamen præmium non negabit. Non enim multa operantibus, sed bonam voluntatem habentibus angeli pacem repromittunt. Cum in ortu Salvatoris canunt, et dicunt : « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II). »

Quod si in aquis Siloe, quæ « fluunt cum silentio (*Isai.* VIII), » hoc est in claustralibus observantiis suæ purificationis hydrias monachus habere maluerit, habeat sibi arctam et arduam **94** viam obedientiæ, cujus perfectio in sex observantiis (*Reg. S. Bened.* cap. 5), quasi in totidem hydriis, continetur : Prima quidem hydria est ut obedientia plena jam sit, hoc est, ut indifferenter impleat omne bonum quod a majore præcipitur; secunda est ut in faciendo moram pati nesciat; tertia est ut in faciendo præceptum non præferat aut nolentis responsum, aut vultum irascentis; quarta est ut ex voluntate id faciat, ne aut simulans bonum, aut malum cordis dissimulans, hilaritatem facies mentiatur; quinta est discretio in præceptis, ut sciat etiam de quo, et quantum et quandiu obedire debeat, ne fallatur; sexta est longanimitas perseverantiæ, quæ ad plenum mentem purificans, æternæ glorificationis salute donatur: sicut scriptum est : « Qui perseveraverit usque in finem,

hic salvus erit (*Matth.* x). » Sexque hydriarum, quæ de perfectæ obedientiæ firma petra exciduntur, prima dicitur plenaria, secunda velox, tertia hilaris, quarta voluntaria, quinta discreta, sexta perseverans. In hujusmodi sex hydriis lavantur et purificantur qui non indigent nisi ut pedes lavent, sed sunt mundi omnes (*Joan.* xiii) : qui contemptores **95** mundi, et contemptores sui tam expeditis gressibus ad æterna festinant, ut nihil amori Christi præponant, et quamvis terram carnis, quam adhuc gerunt, pedibus spiritualium affectuum conculcent et conterant, adhuc tamen de pulvere carnis pedes contrahunt affectionis. Pulvis iste, dum hic vivitur, semper contrahitur, sed nihilominus semper contractus detergitur, dum per veram obedientiam vita prior infatigabiliter exercetur. Quam pura est vita illa, et quam digne purificationis hodiernæ festum agit, quæ mundi lutum inquinans abjicit, de se nihil sibi relinquit, sed se totam Deo subjiciens, omne quod caro est, mente purificata transcendit, et propriæ voluntatis devitans dispendia, alieno se arbitrio ad acquirendam animi libertatem committit. Virtus nimirum obedientiæ fideliter et perseveranter custodita purificabit, et purgabit filios Levi (*Malach.* iii), ut Salvatori ad templum venienti obviare idonei sint, et Hypapantem Domini celebrare. Nam Hypapante, id est obviatio, hæc celebritas appellatur. Hodie enim cum puerum Jesum parentes ejus ad templum deferrent, ut offerrent, leguntur **96** ei sancti senes Simeon et Anna, præmoniti a Spiritu sancto, obviasse, et omnibus, qui exspectabant redemptionem Jerusalem, ipsum esse, quem lex et prophetæ Salvatorem præmiserunt prophetizasse (*Luc.* ii), Et hæc nonnulla ratio, cur hujus diei solemnitas Hypapante vocetur. Cæterum Deo digne obviat, qui se a vitiorum contagione purificat, et congruo ordine in solemnitate cordis studium purificationis antevenit lætitiam obviationis. Non enim Domino virtutum obviant vitia, nec congruere potest impuritas puritati. Purificatio quippe veste nuptiali induit et innovat animam, quam et Annæ religio, et pietas justi Simeonis commendat. Certe cum Christus sit pax et veritas, si de ejus gratia pie et juste vivimus, impletur in nobis illius obviationis festivitas de qua Psalmista dicit : « Misericordia et veritas obviaverunt sibi; justitia et pax osculatæ sunt (*Psal.* LXXXIV).» Misericordia obviat veritati, quando fideliter implet præceptum; et justitia paci, quando recipit post præcepti laborem pacis æternæ promissum. Hinc est quod senex iste sanctus Simeon, in quo misericordia et justitia inveniuntur, in **97** Christo veritatem, et pacem invenire, tenere et osculari meretur. Unde exclamat, et dicit: « Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum Verbum tuum in pace (*Luc.* ii). » Primo, ut dictum est, invenit misericordia veritatem, quæ cum se invenerint in corde hominis, « universæ quippe viæ Domini misericordia et veritas (*Psal.* xxiv), » tunc

A introducunt justitiam. Sed quæ est ista misericordia? Illa, qua sui miseretur homo. De qua scriptum est : « Miserere animæ tuæ placens Deo (*Eccli.* xxx).» Magna misericordia est, suæ animæ misereri, ut Deo placeat. Quid enim illo crudelius, qui seipsum male vivendo interficit? Aut cui bonus erit, qui sibi nequam est? » (*Eccli.* xiv). Per hanc misericordiam declinatur a malo, et expurgatur a corde peccati mendacium, ut de terra purgati cordis veritas oriatur, quæ doceat facere bonum. Ex his duobus perficitur integritas Justitiæ, quæ sicut malum non facit, ita bonum facere non omittit. Justitia pacem invenit, quia pax æterna est justitiæ retributio.

B Nota, quia cum misericordia et veritas sibi obviant, de osculo nihil dicitur (*Psal.* LXXXIV), nisi cum justitia pacem invenit. Quare hoc? quia videlicet **98** declinare a malo, et facere bonum (*Psal.* xxxvi), quod misericordiæ et veritatis est opus, laborem habet et certamen; sed pacis æternæ quietem accipere, quæ per osculum indicatur, et ad justitiæ præmium pertinet, omnem excludit laborem. Tunc enim ut scriptum est : « Lux oritur justo, et recto corde lætitia (*Psal.* xcvi). Tunc abstergit Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum et mors non erit amplius (*Apoc.* vii). » Tunc si præcesserit in nobis purificatio vitiorum et virtutum obviatio, erit nobis revelatio sempiterni luminis et gloria interminatæ quietis.

C Hic jam venit in memoria tertia appellatio hujus festivitatis quæ etiam a vulgo dicitur *Festivitas candelarum*. Illam quippe exsultationem, quam meretur cordis purificatio, ad quam tendit præscripta virtutum obviatio, ardens candela designat. Quia etsi lumen verum in cera virgineæ carnis absconditum, quod et Simeon hodie in manibus gestare meruit, repræsentat (*Luc.* ii); nihilominus tamen vitæ cœlestis puritatem et jucunditatem futuræ lucis, quæ tandem manifestabitur in electis, præfigurat. In cereo accenso tria apparent, quæ tres substantias in Christo **99** demonstrant. Cera designat carnem sinceram; lychnus cera circumdatus, animam in carne latentem; ignis in utroque unitam carni et animæ Verbi naturam. Veri quidem

D hujus luminis Simeon bajulus esse meruit, sed purificaverat eum turturis et columbæ spiritualis oblatio, et in templo piæ mentis ejus celebris virtutum obviatio solemnizabat. Ipse turtur in carne, ipse columba in spiritu. Et quia has virtutis aves pro adeptione agni, Agnus ipse mente, licet annosus ætate obtulerat, ideo acceperat responsum a Spiritu sancto, se non visurum mortis tenebras, donec videret lumen vitæ (*ibid.*). Utinam æstuet anima mea desiderio Simeonis, ut merear esse bajulus tantæ lucis. Sed certe, ut sæpe dictum est, nisi prius purificata mens fuerit a vitiis, ut postmodum de claustris carnis pennis virtutum evolans, « obviam Christo in aera (*I Thess.* iv) » veræ libertatis procedat; nec cum Simeone vera luce

lætari poterit, nec in pace dimitti. Necesse est A ergo, ut purificata mente cum virtutum operibus obviemus Domino, hoc modo interim Hypapante Domino celebrantes. Verum felicius, et festivius hanc solemnitatem **100** agemus, cum sub adventu sponsi, media nocte clamore facto, inter prudentes virgines accensis lampadibus procedemus obviam sponso et sponsæ (*Matth.* xxv); nam bene illius professionis inenarrabile gaudium significat hæc nostra hodierna processio. Amemus ergo, et imitemur in Simeone et Anna, quod in turture et columba significari dicimus, quia tunc non sapiet cantus gemitum columbæ vel turturis, sed vertetur in jubilum æternæ laudis. Tunc sicut hodie, imo melius quam hodie, justi Simeonis canticum communi lætitia concinemus, dicentes : « Nunc dimittis (*Luc.* ii), » etc. B

Nota in hoc cantico quatuor esse versus, quia quatuor sunt lætitiæ cœlestis progressus. Primus est in exspectatione et desiderio pii cordis; unde in primo versu se in pace dimitti proclamat. Secundus est in fructu et proventu piæ expectationis, unde in secundo versu corporeis etiam oculis se videre salutare Dei, hoc est Salvatorem, exsultat. Tertius est in charitate de profectibus alienis, unde in tertio versu hoc salutare Dei omnibus populis communicari denuntiat, dicens : « Quod parasti ante faciem **101** omnium populorum (*ibid.*). » Quartus et ultimus progressus est sempiterni luminis revelatio, et gloriæ manifestatio, quod in quarto versu commemoratur cum dicitur : « Lumen ad revelationem C gentium, et gloriam plebis tuæ Israel (*ibid.*), » id est populi sanctorum facie ad faciem videntis Deum, cui est honor et gloria, in sempiterna sæcula. Amen.

102 SERMO V.

IN ASSUMPTIONE B. MARIÆ.

Mulierem fortem quis inveniet? Procul, et de ultimis finibus pretium ejus (*Prov.* xxxi). Non hoc dicitur, quod impossibile, sed quod difficile sit mulierem fortem invenire. Pene enim hodie difficilius est invenire quemquam, qui velit quærere vel desideret invenire, quam ipsam invenire mulierem fortem. Mulierem hanc fortem quærere virtus est, invenire salus, apprehendere gaudium, diligere D laus et honor, tenere neque dimittere summum bonum. Sed jam quid hæc mulier fortis intelligi debeat, ubi, quando, quomodo, quæri oporteat, videamus. Quomodo enim inveniri poterit, nisi quæratur? Aut, quomodo **103** poterit quæri, nisi sciatur ubi valeat inveniri? Quomodo hoc aliquis noverit, nisi didicerit? Discere autem unde poterit, nisi se magisterio disciplinæ subdiderit? Difficile est certe, ut assumat formam discipuli, ut disciplinæ efficiatur patiens, cui deest non ignara subjectionis humilitas, quem reddit, aut languor ignaviæ negligentem, aut tumor superbiæ contemptorem. Superbia nimirum proprii tumoris cæcata grossitudine, sicut ex ipso tumore agitur, ne sit tractabilis, sic impedit ejusdem tumoris objectio, ne lucem recipiat veritatis. At humilitas semper est delicata et tenuis; eo patens et pervia vero lumini, quo se strictius et simplicius agens, sanctæ semper est consentanea paupertati (15). Mulierem itaque fortem sane possumus intelligere Dei sapientiam, aut matrem ipsius sapientiæ Mariam, aut sapientium matrem Ecclesiam, aut certe sedem sapientiæ animam. Sapientia Dei mulier appellatur, propter omnium bonorum, quæ ab ipsa defluunt, fecunditatem. Ipsa est enim, quæ loquitur : « Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei (*Eccli.* xxiv). » Ipsam omnium **104** rerum parentem ostendit Psalmista, sic Domino loquens : « Omnia in sapientia fecisti (*Psal.* ciii), » etc. Denique per evangelistam mulier appellatur, cum ab ipsa Dei sapientia per similitudinem dicitur : « Quæ mulier habens drachmas decem, et si perdiderit unam ex illis (*Luc.* xv), » etc. Ubi mater mulier appellatur, non quod fracta sit ad mollitiem voluptatis, sed propter naturam sexus infirmioris, unde ei a Domino dicitur : « Quid mihi, et tibi est, Mulier? » (*Joan.* ii.) Et Gabriel angelus, eam benedictam in mulieribus protestatur. Apostolus quoque Dei Filium factum ex muliere (*Galat.* iv), id est, de tali sexu carnem assumpsisse commemorat (16); nam alibi nomen mulieris Veritas a Virgine removere videtur, cum Joannis Baptistæ laudes exsequitur, dicens : « Inter mulierum natos non surrexit major Joanne Baptista (*Matth.* xi). » Sed ibi vocat mulieres quatenus voluptuosæ mollitiei non sunt expertes contactus virilis, cujus rei penitus ignara est integritas virginalis. Sapientium, hoc est sanctorum mater Ecclesia mulier dicitur, quæ continui partus et gemitus angustia fatigatur. Sunt in ea dolores ut parturientis (*Psal.* xlvii), et dum sanctorum **105** sobolem, quam ex Spiritus sancti suscipit gratia, tenere educat, ardenter diligit, de eorum tentationibus et periculis materno affectu continuo dolet et gemit. Unde et sponsus ejus de ipsa in Evangelio loquitur dicens : « Mulier, cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus (*Joan.* xvi). » Anima etiam, quæ sedes est Sapientiæ, ea ratione mulier dicitur, quod affectuosa quadam teneræ pietatis mollitie supra dilectum suum innitatur. Affectu misericordiæ mollis, operum fertilitate fecunda, dum sponsum suum Jesum supra omnia, et in omnibus diligit, individua se ei puritate conjungit, et dicit : « Dilectus meus mihi est, et ego illi (*Cant.* i). » Fallacem quippe hominum gratiam et vanam rerum pulchritudinem non attendit, sed casti timoris sibi custodiam adhibens, diligenter illud conservat, et audit : « Fallax gratia, et vana est pulchritudo; mulier timens Dominum, ipsa laudabitur (*Prov.* xxxi). » Verum quia Dei sapientiam mulierem fortem posse intelligi superius diximus, quomodo id intelligi debeat latius explicemus.

Dicitur enim mulier propter fecunditatem, fortis

propter virtutem. Dicitur virtus propter omnipotentiam; **106** dicitur fecunda propter plenitudinem. Dicitur fortis, quia « attingit a fine usque ad finem fortiter (*Sap.* VIII); » dicitur fecunda quia « disponit omnia suaviter (*ibid.*). » Denique fortitudo ejus in duobus maxime consideratur. In plena potentia, et plena patientia. In plena potentia, quia nullam habens indigentiam de nihilo cuncta creavit; in plena patientia, quia omnem habens innocentiam, ab injustis omnem injuriam æquanimiter toleravit. Fecunditas ejus itidem in duobus maxime perpendi potest. In plena sapientia, et plena misericordia. In plena sapientia, qua universitati existentium formam et ordinem dedit; in plena misericordia, qua inveteratum hominem a debito mortis, per indebitæ mortis gratiam et pretium proprii cruoris absolvit. O quam potens fecunditas, et quam fecunda potestas! Quam fortis in infirmitate, quam fertilis in paupertate hæc mulier fuit! In infirmitate, qua exinanivit semetipsum Dominus omnium usque ad formam servi (*Philip.* II); in paupertate, qua non habuit ubi caput reclinaret in mundo (*Matth.* VIII) ipse Conditor mundi. Sed certe illa exinanitio fuit salutis humanæ **107** completio; et illa paupertas, pauperum fuit locupletatio. Dum enim fortitudo omnipotens se tam dignanter exinanivit, nostræ vanitatis inanitas soliditatem et robur accepit. Dum dives omnium Dominus se nostræ indigentiæ defectibus subdidit, nostræ paupertatis insufficientia ad sufficientiam divinitatis vel Deitatis excrevit. Denique tam fecunda fuit exinanitio, ut gloriam augeret angelis, pastoribus gaudium faceret, fidem magis, pacem procuraret quoque hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II). Tam potens hæc infirmitas fuit ut curaret paralyticos, leprosos mundaret, cæcos illuminaret, surdis auditum, claudis gressum, mutis officium loquendi restitueret, mortuos suscitaret (*Matth.* XI), siccis pedibus super aquas ambularet (*Matth.* XIV), tempestates et maria solo imperio tranquillaret (*Matth.* VIII), dæmones ab obsessis corporibus effugaret, omnem infirmitatem verbo curaret (*Matth.* IX), verbis mirabilibus scientiam Scribarum et Pharisæorum superbiam confutaret (*Matth.* XXIII). Tam fortis, inquam, hæc infirmitas fuit, ut Christo secundum naturam passibilem moriente, fieret solis obtenebratio, terræmotus concussio, veli diruptio, petrarum **108** scissio, monumentorum apertio, sanctorum corporum resuscitatio (*Matth.* XXVII), inferni spoliatio, et mirum in modum tunc fortius firmitas elementorum concutitur, cum nostræ mulieris infirmitas abjectior reputatur. Sed, quæso, ubi, vel a quo, hæc mulier fortis invenitur? Certe, ut Scriptura dicit: « Non invenitur sapientia in terra suaviter viventium (*Job* XXVIII). » Suaviter vivunt, qui desideriis voluptuosæ carnis inserviunt, et quanto amplius ab operibus justitiæ tenebrescunt, tanto minus lucem sapientiæ apprehendunt. Illi ergo non quærunt, qui

A tenebras diligunt, qui insistunt vitiis, qui mandata vitæ non custodiunt, qui habentes pietatis speciem, virtutem ejus abnegant (*II Tim.* III), et contemnunt. Ille igitur sapientiam quærit et invenit, qui bene quærit; bene autem quærit, qui, ut dictum est, ubi, quando, quomodo debeat, quærit. Dicat igitur ipsa Sapientia, dicat ubi inveniri possit. « Ego, inquit, in altissimis inhabitavi, et thronus meus in columna nubis (*Eccli.* XXIV). » Hoc est quod dicit Scriptura: « Procul, et de ultimis finibus pretium ejus (*Prov.* XXXI). » Alibi dicit Scriptura, quia « Sapientia trahitur de occultis (*Job* XXVIII). » Quæ sunt occulta nisi altissima? **109** Quæ vero altissima, nisi cœlestia? Cœlum quoque occultum dici potest ea ratione, quod occultare celare dicitur, ubi Sapientia trahitur de occultis, hoc est de cœlis, tum scilicet « regnum cœlorum vim patitur (*Matth.* XI), » cum timor, qui est initium sapientiæ (*Eccl.* I), insipientiæ se opponit et pœnitentiæ dolor, injustitiæ damnatis operibus, regnum cœlorum, quod soli debetur justitiæ, apprehendit. Denique cœlos corda sanctorum congrue dicimus, altitudine virtutis excelsa, cœlestium contemplatione sublimia, innocentiæ puritate serena, subtilitate intelligentiæ defæcata, virtutum dispositione siderea, ardore charitatis ignea, virtute patientiæ solida, spei longanimitate erecta, quæ dum laudis humanæ favores fugiunt, dum se, quantum in se est, ab oculis humanis abscondunt, dum Dei habitationem intra testimonium conscientiæ celant, cujusdam specialis cœli in se imaginem repræsentant.

De his occultis thesaurum in agro absconditum celantibus trahitur Sapientia, quia ad sapientiam rudes quosque, licet cum difficultate, erudiunt cœlestium virorum exempla. Denique Sapientia habitat in consilio et eruditis **110** interest cogitationibus (*Prov.* VIII), et ideo « omnis gloria ejus filiæ regis ab intus (*Psal.* XLIV), » quia Sapientia consilii sui secretum non communicat omnibus. Unde et in Evangelio ipsa Sapientia loquitur: « Confiteor tibi, Domine, Pater cœli et terræ, qui abscondisti hæc a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis (*Matth.* XI). » Ubi parvuli, id est humiles, consecretales sunt sapientiæ, et quantumlibet in altissimis ipsa inhabitet, facilius ad illam pertingit humilitas: et quanto se inferius dejicit, tanto sapientiæ sublimitas ei familiarius se inclinat. « Deus enim superbis resistit, et humilibus dat gratiam (*I Pet.* V); » et dum per medium montium pertranseunt aquæ, fontes in convallibus emittuntur (*Psal.* CIII). In consilio itaque, et in consilio sanctorum humilis invenit sapientiam, quæ « in malevolam animam non introibit, nec habitabit in corpore subdito peccatis (*Sap.* I). » Quando quæri oporteat sapientiam ipsa Sapientia docet, dicens: « Qui mane vigilaverint ad me, invenient me (*Prov.* VIII). » Mane est fidei tempus, quia per fidem interim est quærendum, quod nobis expediat in futu-

rum. Fides enim est lux matutina, qua interim illuminamur in **111** spe, donec aspiret dies, et inclinentur umbræ, et nos per speciem plena meridies consoletur. Sicut enim lux matutina præcedit splendorem meridiani fervoris, sic fidei mysterium divinæ prævenit speciem visionis. Unde Propheta: « Mane, inquit, astabo tibi (*Psal.* v), » hoc est in fide, et fideliter ministrabo. Et cum species venerit, id est cum limpidiorem claritatem fervor meridianus attulerit, tunc videbo « quoniam non Deus volens iniquitatem tu es (*ibid.*). » Jam quia ubi, et a quo, et quando quærenda sit sapientia diximus, superest, ut quomodo etiam quærenda sit, videamus.

Ipsa quærendi modum exponit, dicens: « Transite ad me omnes qui concupiscitis me (*Eccli.* xxiv); » ubi concupiscendo, et transeundo quærenda est. Concupiscendo æterna, transeundo a temporalibus. Transire, est transitum facere; transitum facere, est pascha celebrare. Pascha enim *transitus* dicitur. Pascha celebrare, est Agnum immaculatum offerre. Paschalis autem festivitas proprie est Hebræorum, id est transeuntium: Hebræi enim *transeuntes* interpretantur. Qui igitur sæculum nequam mente deserit, qui a vitiis et concupiscentiis **112** carnis ad desiderium spirituale se colligit, qui a rebus transitoriis ad æterna, et manentia Spiritu transit, ille Sapientiam quærit et invenit. Agnum quippe offert, qui se Deo exhibet carne mundum, corde mansuetum, actu innoxium, vultu placidum, victu sobrium, lingua veracem, specie irreprehensibilem, opinione laudabilem, fraterna compassione misericordem. Hoc modo quæritur Sapientia, cujus « pretium procul, et de ultimis finibus (*Prov.* xxx) » esse dicitur. Quam procul sinus Patris, unde ipsa egreditur? Quam procul est ineffabilis illa, et æterna generatio, quæ ante sæcula a Patre generatur? Quam procul est incorruptæ matris virginalis integritas, ex qua Verbum caro efficitur? (*Joan.* i.) Quam procul est altitudo humanæ naturæ ante peccatum, unde in carne Verbi peccati immunitas conservatur? Quam procul est singularis innocentia, in qua per hominem vixisse, et miracula fecisse cognoscitur? Quam procul est sine exemplo illa patientia, in qua per indebitæ mortis supplicium auctor mortis diabolus superatur, homo mortis reus absolvitur, æternæ vitæ libertas restituitur? Idcirco pretium ejus, vel **113** quo ipsa pretiosa existit, vel quo pro nostra redemptione exsolvitur, de ultimis finibus venit. Ultimi fines quatuor esse videntur: duo superius ultimi, ultra quos nihil est superius; duo inferius ultimi, et infra eos nihil ulterius. Duo superius ultimi sunt, æterna generatio, qua Verbum de Patre sine matre nascitur; et incorrupta nativitas, qua idem Verbum de matre sine patre generatur; duo fines inferius ultimi sunt, quod crucis pœnam patienter sustinuit sine culpa, et quod mortuus descendit ad inferos sine pœna (17). Nihil prima et æterna generatione sublimius, nihil secunda et incorrupta nativitate mirabilius. In tormentis nihil pœna crucis ignominiosius, in triumphis nihil inferni spoliatione terribilius. De his ultimis finibus liberationis nostræ pretium venit, quod redemptis tanto pretiosius esse debet, quanto de tam longinquo veniens potuit efficaciam tantam habere. Jam quomodo hæc verba, quæ de Sapientia, utcunque intelleximus, et sapientiæ matri Mariæ conveniant, secundum gratiam, quam ipsa gratiæ mater nobis impetraverit, videamus.

Dicitur itaque **114** mulier, non fracta mollitie voluptatis, sed quod sit in ea natura sexus fragilis, vel quod mollescat affectu, utpote misericordiæ mater, ad teneritudinem pietatis (18). Quam fortis hæc mulier fuit, quæ sine exemplo, tam sexum quam sæculum invicti spiritus fortitudine superavit! Quam fortis fuit, quæ in corpore fragili posita, et in sæculo nequam adhuc peregrinans, æmula puritatis angelicæ, omne quod creatum est mentis sublimitate transcendit! Denique ad mulierem fortem fortitudo Dei Gabriel mittitur, quam gratia et fortitudine plenam invenit; parituram etiam Verbum omnipotens protestatur. An non fortis Maria fuit, cujus « fortis ut mors dilectio (*Cant.* viii), » in tantum virtutis Altissimi obumbratione convaluit, ut et Rex virtutum, Dominus fortis et potens in prælio (*Psal.* xxiii), infirmus in ea fieret; et fortis armatus atrium, quod in pace possidebat, dimitteret (*Luc.* xi) et infirmitas hominum ad salutem ex ea plenariam perveniret? Sed ubi, obsecro, hæc mulier tantæ fortitudinis invenitur? Procul utique, quia sicut gratiæ plenitudine omni creaturæ præcellit, sic incomparabiliter gloriæ sublimitate transcendit. **115** Procul, inquam, est, quia licet sit mediatrix, et singularis misericordiæ compassione propitia, est tamen incomparabilis excellentiæ privilegio super omnem altitudinem angelorum exaltata. Procul est pretium ejus, quia « speciosus forma præ filiis hominum (*Psal.* xliv), » de pretiosa ejus carne nascitur, quo pretio genus humanum redimitur, et ipsa sanctorum omnium angelorum et hominum meritis et gloriæ antefertur. Ultimi fines sunt incomparabiles virtutes Mariæ, in quibus omnis consummationis finem se Propheta testatur videre, sic Domino dicens: « Omnis consummationis finem, latum mandatum tuum nimis (*Psal.* cxviii). » Quid enim illo mandato latius, quo mandat salutes Jacob (*Psal.* xliii), qui in salutatione Mariæ, quam ei Gabriel ex Deo attulit, salutem omnibus, quantum in se est, præparavit? Sunt itaque ultimi fines humilitas Mariæ incomparabilis, singularis virginitas, charitas spiritualis, privilegiata fecunditas. Quæ omnia sicut nullum omnino exemplum antevenit, sic nullum omnino meritum vel æquiparat, vel excellit, omnino excipitur Patris Unigenitus, primogenitus ipsius Virginis, qui **116** licet Spiritum ad mensuram non acceperit (*Joan.* iii), tamen de his ultimis finibus, id est summis Mariæ virtutibus nostræ redemptionis pretium venit, se-

cundum naturam, quam ex carne Virginis traxit.

Sunt ii, ut dictum est, ultimi fines, Virginis consummatæ virtutes, ex quibus recepimus inæstimabilis pretii partum, tanquam ex floribus fructum. Ittamen flores manent immarcescibiles, nec sicut n naturalibus fructus finis est floris, sic in matre Domini partus est terminus virgineæ castitatis. Est enim « hortus conclusus, fons signatus (*Cant.* IV). » Hortum facit eam inauditæ fecunditatis fertilitas; conclusum reddit inviolati pudoris integritas. Fons est, quia de plenitudine gratiæ fluenta misericordiæ fundit; signatus, quia alienum a signo fidei non admittit. « Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano (*ibid.*). » Fons est Maria, patens et accessibilis ex profusione et facilitate misericordiæ; puteus est altus et capax ex mysterii admirabilis profunditate. Completum est enim in ea « magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum in spiritu, apparuit **117** Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est mundo, assumptum est in gloria (*I Tim.* III). » Aquæ viventes gratiæ cœlestes sunt, « quæ fluunt impetu de Libano, » quæ Virgini collatæ sunt, ex paternæ plenitudinis altitudine superveniente in Virginem Spiritu sancto. Potest quippe intelligi impetus improvisa plenitudo gratiæ sancti Spiritus, quam, dum candor lucis æternæ Mariæ infunditur, quasi de Libano, qui *candidatio* dicitur, aquarum viventium torrens erumpit. Est igitur Maria fons hortorum, scilicet ablutio, satietas et refrigerium congregationum sanctarum. Quot enim habet Ecclesia conventus sacros in fide viventes partus virginei, tot sunt et horti. Et certe his omnibus ministrat partus misericordissimæ matris et pœnitentiæ lavacrum, quo tergatur iniquitas et desiderium justitiæ, quo reficiatur devotio et protectionis umbraculum, quo ardor carnalis concupiscentiæ refrigescat. Ecce quanta est mulieris nostræ fecunditas, quanta est fontis signati profusio, cujus semper opportuna rigatio tantam in hortis Ecclesiæ tribuit ubertatem. Huic fonti irriguo, huic misericordissimæ Virgini **118** specialiter deputaverim ego (19) monasteria Cisterciensium: quippe quæ omnia et memoriæ et meritis ipsius matris devotione debita dedicantur. O quantus debet esse in meis candor cordium, et morum puritas, (20) qui et candore habitus et titulo nominis virginalis lilii albedinem imitantur! Albi nimirum monachi dicuntur, non modo quod albedine vestium fulgeant, sed quod candoris virginei ministri spirituales existant.

Quid ergo nos infelices, et miseri et nimium nigri sub candido habitu, circa nostræ Virginis lilium tanta densitate succrescere spinas et tribulos toleramus? Quid odiorum spinas et detractionum aculeos ibi plantamus infeliciter, aut infelicius confovemus; unde spirare et fluere virtutum aromata debuerunt? (21) Virginem nostram potius imitari debuimus, et filiali affectu matri beatissimæ conformari. Ipsa enim non modo in remedium data, sed

A est proposita in exemplum virtutis. Non itaque decet album monachum cultorem sinceritatis virgineæ, specialem Mariæ filium superbiæ flatu intumescere, curiositatis vitio esse superfluum, **119** immundis desideriis animum dare, fraternæ pacis denigrari odio, invidiæ livore torqueri, circa virginis ministerium negligere propositum sanctitatis. Quo enim pacto ministrare potest tantæ humilitati superbia, tantæ honestati impuritas, tantæ munditiei inhonestas, tantæ charitati odium, detractio tantæ benevolentiæ, tantæ paci murmuratio, tantæ sobrietati ingluvies, tantæ veritati falsitas, crudelitas tantæ misericordiæ, præsertim eorum qui ad honorem tanti mysterii, de peccati sterquilinio, de extrema paupertate, de generis ignobilitate venerunt?

B Quam sæpe videmus hujusmodi eorum in claustris ea ad curam carnis quærere quæ nec in sæculo habere potuerunt? Ob hoc sub umbra religionis non umbratiliter, sed veraciter vanitati inserviunt, superbiunt inter humiles, inter pœnitentes voluptuosius vivere volunt, ambiunt honores, qui mundi contemptum juraverant, solam sanctitatis imaginem præferentes, lupus celatur sub ovis vellere, nec agnoscitur, donec eum prodiderit ululatus. Ululatus est fratrum sanguinis avida nimis detractio, quam mater ejus invidia **120** in denigratione sinceritatis monasticæ generavit. Unde bonitati tuæ, propitia misericordiæ mater, relinquitur, purgare hortos quos rigas, ut sicut dilectores tuos fluentis

C gratiæ ad irriguum devotionis inebrias, sic duros corde et aridos ad pœnitentiæ fructum humectes. Aufer de hortis Ecclesiæ odiorum spinas, murmurationum tribulos et libidinis urticantis pruriginem, quæ omnia de inimica floribus aquilonis intemperie nasci solent. Te imperante surgat aquilo, te vocante veniat auster, quo perflante horti refloreant, virtutum spirent aromata, et tuæ opinionis flagrans suavitas ad notitiam perveniat singulorum. Alioquin nisi astiteris parturienti Ecclesiæ, et obstetricis morem geras sponsæ filii tui, vires parturiens non habebit. Mulier enim ista, dum parit, tristitiam habet, quia nondum venit hora ejus (*Joan.* XVI). Nondum quippe completus est sanctorum populus, nondum mulier ista totum in lucem gloriæ effudit puerum.

D Sed adhuc tam Herodes quam Pharao in partum Ecclesiæ debacchantur. Est tamen Ecclesia mulier fortis: mulier ex fecunditate, quæ per sacramentum **121** fidei Deo parere filios non desistit, fortis ex petra, super quam fundata, tentationi non cedit; est enim mulier hæc, uti in Apocalypsi legitur, « amicta sole, et luna sub pedibus ejus (*Apoc.* XII). » Luna significat mutabilitatem, et defectum temporalium, quæ omnia electorum Ecclesia sub pedibus habere dicitur, quia nequaquam amor temporalium ejus affectibus dominatur. Amicta quippe sole, sic splendore solis illuminatur, et ardore perfecte accenditur, ut nihil aliud quam ipsum solem justitiæ contempletur. O quam difficile hæc mulier invenitur, quæ in paucis abscondita, tanquam ele-

ctus thesaurus in agro absconditus occultatur! Hinc est quod Sponsus ejus in Evangelio sic loquitur, dicens: « Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro (*Matth.* XIII). » Regnum quippe cœlorum est gloriosa unanimitas celatorum. Celati sunt sancti, qui, quantum in eis est, se celant et abscondunt. Semper intus sunt, semper januis clausis se contegunt, et, dum propriæ gloriæ testimonium intra conscientiam ferunt, dum ab ore hominum laudem aut testimonium non requirunt, cœlorum **122** habitatorem ad se ingredi faciunt, cui dicunt: « Tu autem in nobis es, Domine, et nomen tuum invocatum est super nos (*Jer.* XIV); » et illud: « Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ (*II Cor.* I). »

Hanc itaque Ecclesiam sanctorum, sive hortum conclusum, sive signatum fontem, sive thesaurum in agro absconditum, sive regnum cœlorum, sive pudoris claustrum, sive mulierem fortem nomines, idcirco « procul, et de ultimis finibus pretium ejus, » quia pretiosam facit eam æterni sponsi amor internus. Quid enim cœlestis sponsi æternitate ulterius, divinitate superius, charitate interius, virtute potentius? Idcirco nimirum sponsa ejus ab exteriorum intuitu vel appetitu se dividit; idcirco ad interiora se colligit, imo inter claustrum conscientiæ se recludit, quia quo diligentius ab oculis hominum se celavit, eo cœlum in se secretius cœlorum habitatori composuit. Hujus spiritualis claustri, ubi se claudunt, et celant cœlestes animæ, claustri visibilis fabricata figuram tenet. Unde, juxta formam materialis claustri, etiam illud invisibile in quatuor lateribus fabricatur: primum est contemptus mundi, secundum **123** horror inferni, tertium necessitas voti, quartum desiderium cœlestis regni. Inter quatuor ista latera per disciplinæ regularis obedientiam se cohibent et abscondunt qui vanam sæculi libertatem deserunt, qui a se lateribus aquilonis evellunt. Possunt hæc verba, quæ superius dicta sunt, etiam cuilibet sanctæ animæ convenire, nisi quia difficile est sanctam aliquam invenire: « Mulierem fortem quis inveniet? » — « Defecit sanctus, diminutæ sunt veritates a filiis hominum (*Psal.* XI), » virtus evanuit, invaluit vitium, et refrigescente jam sæculo in immensum iniquitas abundavit. Quis ergo inveniet mulierem fortem? Mulier fortis non incongrue dicitur anima sancta. Sancta quippe dicitur, quod sancita sit, id est in virtute animi confirmata. Quoniam igitur animi virtus sanctificat, quoniam divini nominis timor et amor confirmat, et in bonis operibus habet fecunditatem, et propter virtutis constantiam quamdam in se retinet firmamenti stabilitatem. Dum enim in sanctitatis proposito per gratiam sanctificatur, ab infimis et infirmis operibus sublimitate mentis erigitur, in quoddam firmamentum stabile solidatur. **124** Tale autem firmamentum cœlum dicimus, quia, sicut dicit auctoritas, « vocavit Deus firmamentum cœlum (*Gen.* I). » Idcirco Deum in sanctis habitare, hoc est in cœlis, dicimus, quia sancti, in sanctitatis proposito confirmati, sunt etiam firmamentum effecti. Si autem firmamentum, et cœlum, quod ab omni fæce terrenitatis humanæ sit alienum. Hinc est quod Græce agios, sanctus Latine dicitur. Agios autem *sine terra* interpretatur.

Itaque id est sanctus quod est sancitus; sancitus autem qui confirmatus; confirmatus vero dicitur qui in firmamentum sit factus, firmamentum autem est stabile et firmum, longe a terra divisum, siderum mira varietate cœlatum. Tale est cor sanctum, inviolabilis sanctitatis proposito firmum, a terrenis desideriis alienum, diversis virtutibus, quasi sideribus adornatum. Quis, obsecro, vel ubi talem inveniet? « Procul certe, et de ultimis finibus pretium ejus. » Utinam apud te tuam talem invenias, vel ut talis effici possis, procul et de ultimis finibus, id et quærere et afferre non pigriteris! O quam procul est ille honor quem in conditione accepit! Quam procul **125** est divinæ similitudinis dignitas, qua insignita desipuit. Nam « cum in honore esset homo, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis (*Psal.* XLVIII). » Certe quod tanti pretii sit rationalis anima, ut pro redemptione ipsius inæstimabile pretium, Verbum caro factum (*Joan.* I), solvatur; mirabilis ejus creatio fecit. Cum enim ad similitudinem suam eam Conditor fecit, quatuor ei suæ imaginis insignia signa impressit: traxit enim de Conditoris æternitate immortalitatem, de sapientiæ sublimitate rationis excellentiam, de invisibilitate essentiæ naturæ simplicitatem, de largitatis liberalitate arbitrii libertatem. Quam procul sunt illa quatuor, de quibus ista quatuor humana anima traxit? procul sunt, quia omnem sensum exsuperant, et omnem rationem et intellectum hominum et angelorum excedunt; ultimi fines sunt, quia, cum sancti ad illa comprehendenda pervenerint, ulterius nil requirunt. « Ut possitis, ait Apostolus, comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas et profundum (*Ephes.* III). » Longitudo est creatoris æternitas, latitudo est ipsius charitas, **126** sublimitas est altitudo sapientiæ, profundum est incomprehensibilis subtilitas invisibilis essentiæ.

O si servasset rationalis anima cum longitudine immortalitatis longanimitatem perseverantiæ, cum latitudine liberæ voluntatis libertatem justitiæ, cum sublimitate rationis altitudinem contemplationis divinæ, cum profunditate essentiæ simplicis simplicitatem innocentiæ, pretium suum, quod ei de tam loginquo venerat, minime perdidisset! Nunc autem, etsi pretium divinæ similitudinis perdidit, quia virtutem amoris deseruit, omnino tamen sine pretio non fuit, quia a pretiosa auctoris imagine non recessit. Pretiosa quidem est imago, quam in cognitione veritatis inamissibiliter tenuit; sed longe pretiosior est similitudo, quam in amore virtutis susceptam amor peccati nimis festinus

abrasit. Sed jam ad nostram Virginem corde et animo, veritate et opere recurramus.

Ipsa est portus noster, ipsa est anchora spei nostræ, ipsa est mulier fortis, fecunda, et potens, ad quam nobis confugiendum est qui sumus inopes et infirmi. Sufficiens est ejus fecunditas mendicitatem **127** filiorum expellere, fortitudo ejus sufficiens nil de suis præsumentes viribus liberare. Stella maris Maria est necessaria in hujus incertitudinis pelago naviganti. Portus est totius misericordiæ mundo naufragium patienti. Ne diffidat reus, ipsa mater nostra, quæ nobis genuit judicem nostrum, fecit etiam nobis de judice advocatum. Si propter culpam desideras veniam, respice in Mariam confidenter, et misericordiam obtinebis. Si in tribulatione positus pusillanimitate dejiceris, ex corde refuge ad Mariam, et patientiæ fortitudinem impetrabis. Si te mundi amator abjuratus insequitur, ad mundi dominam Mariam recurre, et mundana omnia uti stercora conculcabis. Si te carnis tentat illecebrosa mollities, invoca Virginem, invoca Mariam, et in obumbratione, quam ei virtus Altissimi fecit (*Luc.* I), ardoris illiciti refrigerium consequeris. In omni denique impugnatione dæmonum ad angelorum reginam Mariam confugies, et ad imperatricis nutum cessabit calliditas tentatoris. Ipsa est quippe aurora consurgens, quæ tenebras arguit quæ malis terminum, quæ finem ponit erroribus, et veri **128** luminis radios administrat. Est enim Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, vitæ via, forma justitiæ, pœnitentiæ medicina, magisterium patientiæ, disciplinæ exemplum, Ecclesiæ gaudium, miseriæ terminus, porta paradisi, et portus. Ad quem nos perducat Jesus Christus.

ADAMI ABBATIS PERSENIÆ FRAGMENTA MARIANA.

129 FRAGMENTUM I.

Descendit Christus virgo, et humilis, et descendit per virginalem uterum humillimæ matris, ut qui utramque naturam utroque morbo corruptam curandam susceperat, utroque antidoto penes se abundaret. Ecce quomodo descendit, et qua descendit. Descendit sane per virgineum corpus, descendit sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram (*Psal.* LXXI), descenderunt gratiarum flumina in Mariam. O necessarium vellus virginitatis Mariæ impassibilis, quod tam silenter, et suaviter suscepit pluviam gratiæ salutaris! o pluviam voluntariam, qua dum virginitatis **130** purissimæ velius immaduit (22), et ipsi velleri mundo immensus candor accrevit, et immunditia nostra lavacrum, ubi dilueretur, accepit. Asperges me, domina mea, hoc hyssopo, et mundabor, lavabis me rore isto tibi de corde patris infuso, et super nivem dealbabor (*Psal.* L). Tu tota munda, tota candida, tota divini roris aspersione compluta, et de inviolabili utero Agnum singularis innocentiæ paris, et de inadmissibili vellere sanctorum animas calefacis. Per tua viscera summa puritate innocentia, plena miserationum affluentia, fluvius miserationem Christus descendit, qui inundans in diluvium totius gratiæ, totius mundi sordes abstersit. Per verba tua lac et mel summæ dulcedinis distillantia, in virum perfectum noster parvulus adolevit, qui in fortitudine patientiæ suæ onera nostræ insufficientiæ supportavit. « Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit (*Isa.* XIII), » et humeros quibus portaret ex te habuit, dum corpus passibile ex tua carne suscepit. Per te descendit, per te parvulus ad humiles venit, qui te in causa nostra advocatam constituit, qui teipsam pro immenso munere **131** mundo dedit. Te ad nos veniendi viam elegit, te nobis in repatriandi semitam ordinavit. O via expers asperitatis et duritiæ, expers ignorantiæ et erroris! Nempe « misericordia et veritas in te obviaverunt sibi (*Psal.* LXXXIV). » Nec misericordia in te pateretur quid asperum esse vel durum, nec veritas quidquam inesse pateretur obscurum. O via communis salutis, expers iniquitatis et malitiæ, expers molestiæ et laboris. In te « pax, et justitia osculatæ sunt (*Ibid.*) » Non tibi inesse distortum aliquid æquitas justitiæ sineret, nec aliquid inesse laboriosum pacis tranquillitas sustineret. Tota es suavis et clara, tota dulcis et recta, mitis et pacifica, quæ et nobis illuminationem nostrorum cordium de corde Patris adducis, et nobis loquens ad cor (*Ose.* II), corda credentium in te trahis. Nobis, ut dictum est, ad cor loqueris, quibus dominum cordis tui, Verbum scilicet incarnatum, producis. Qui ergo per te descendit, videamus quousque descendit. Descendit certe usque ad susceptionem corporis nostri, usque ad similitudinem carnis peccati. Descendit usque ad perpessionem molestiarum, usque ad tolerantiam injuriarum. Descendit **132** usque ad injuriam passionis; descendit usque ad ignominiam crucis et mortis; descendit usque ad triduanæ sepulturæ obsequium; descendit usque ad spoliandum infernum.

FRAGMENTUM II.

Sed cum infirmis oculis fit cœlestium splendor

difficilis, ad columnam nubis et caliginis lippientes oculos reflectamus. Columna sane nubis et caliginis, est firma sublimitas nostræ Virginis, ex qua quamdam sibi caliginem claritas Deitatis obduxit. Dum enim Verbi omnipotentis splendor per conceptum Virginis obvolvitur nube carnis, quid aliud fuit in illa carne peccati similitudo, nisi quædam in nube caligo? « Nubes, inquit, et caligo in circuitu ejus (*Psal.* xcvi), » quia Verbi splendor et purissimæ carnis nube est obvolutus, et in eadem carne est infirmitate circumdatus (23). Sed in columna, quam præmisimus, intendamus. Attendamus quam firma, quam recta est, quam erecta! Attendamus, inquam, quam firma, quam fortis, quam recta, **133** quam lenis, quam porrecta est, quam sublimis! (24) Quam firma est, cui et cœlum et terram innititur! Quam fortis, quæ contra universas hæreses et spirituales nequitias invincibiliter præliatur! Quam recta est (25), quæ peccati maculam nescivit! Quam lenis est, quæ nullam duplicitatis rugam admittit! Quam erecta est, quæ meritorum altitudine omnem creaturam transcendit! Quam sublimis est, quam Altissimi Filius in dignissimam sibi matrem ab æterno providit? Quam felix est, quæ Dei est, et mater, et sponsa, porta cœli, amœnitas paradisi, angelorum domina, regina mundi, sanctorum lætitia, advocata credentium, fortitudo pugnantium, errantium revocatio, pœnitentium medicina! O certa salus, o compendium vitæ, o spes veniæ unica, o suavitas singularis! Mihi totum es domina; penes te bonorum omnium est mihi reposita plenitudo. Reconditi sunt apud te thesauri indeficientes veritatis et gratiæ, pacis et misericordiæ, salutis et sapientiæ, gloriæ et honoris. Tu es mihi in fluctuatione anchora, in naufragio portus, in tribulatione subsidium, consolatio in dolore. **134** Tu tuis es in oppressione subventio, in opportunitate auxilium, in prosperitate moderantia, in exspectatione lætitia, recreatio in labore. Quidquid de laudibus tuis garrire possum, tua est laude minus, omni laude dignissima, sed tamen teneor te laudare. Si linguis hominum te eloquar et angelorum (*I Cor.* xiii), cum me totum effudero, parum erit. Ad illam potius tui laudem me transfero, quæ in amoris carmine sic cantatur: « Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? » (*Cant.* vi.) His verbis breviter et subtiliter, veraciter et sublimiter laus exprimitur tuæ gloriæ quadriformis. Cum enim nasceris, quasi rutilans aurora consurgis. Ortus, nimirum, tuus vicem auroræ tenuit, in quo dies gratiæ cœpit, nox vero infidelitatis et ignorantiæ finem fecit. Cum Solem justitiæ concipis, more lunæ, ex fulgentis solis beneficio illustraris. Luna enim a sole lumen mutuat, quod ei natura spissioris corporis negat, unde quidquid habet pulchritudinis, habet ex beneficio mutuati splendoris. Cum Solem justitiæ paris, soli congrua similitudine **135** compararis: A sicut enim de prolato radio non corrumpitur, aut minuitur solis corpus, sic te parientem non violat prolatio sacri partus. Jam quid, o electa ut sol, quid est partus tuus, nisi solis cujusdam splendor æternus? Splendor hic ubique lucet, etiam in tenebris, etsi tenebræ eum comprehendere non merentur (*Joan.* i). Denique splendor hic illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*ibid.*); sed homines magis tenebras dilexere quam lucem. Tibi autem competit, mater misericordiæ, electio Solis, quæ splendoris radios exhibes universis.

Cæterum, cum de sæculo nequam assumpta es ad cœlestia, facta es omni spirituali nequitiæ terribilis quasi castrorum acies ordinata (*Cant.* vi). B Fuisti itaque quasi aurora consurgens in ortu. Lunæ plenæ pulchritudinem habuisti, dum gratia plena facta es, in Verbi incarnati conceptu. Soli merito comparata es, manens illibata in partu. Terribilis ut castrorum acies ordinata in transitu, quo cœlis lætantibus, angelis obsequentibus, sanctis exsultantibus, vexillis virtutum coruscantibus (26), terribilis dæmonibus apparuisti. Ubi tamen tota nobis est fiducia in partu **136** nostræ Virginis, et licet existam indignus, laudibus tamen ejus insistere non desistam. Si indiges misericordia, apud viscera Virginis copiosior invenitur. Si veritatis cultor es, age gratias Virgini, quoniam tibi de terra virgineæ carnis veritas orta est (*Psal.* lxxxiv), quam tu colis. Si pacis sectator es, nihilo-C minus gratias age Virgini, quoniam tibi ex ea nascitur « pax, quæ exsuperat omnem sensum (*Philip.* iv). » Si es executor justitiæ, vide ne ingratus sis Virgini, quoniam ipsius utero mediante « justitia de cœlo prospexit (*Psal.* lxxxiv). » Si fides tua aliquo pravæ conscientiæ pulsu quatitur, respice Virginem, et quod erat titubans solide stabilitur. Si concupiscentia carnis oblectat, Virginem respice, et periculum castitatis aufertur. Si mentem pulsat elatio, in Virginem verte intuitum, et de merito virgineæ humilitatis tumor animi detumescit. Si iracundiæ accensus es facibus, oculos leva ad Virginem, et de ejus tranquillitate mitesces. Si de via vitæ, vitæ te ignorantia aut error abduxerit, ad D stellam maris Mariam respice, et in luce ejus ad veritatis semitam reduceris. Si vitium avaritiæ idololatriam imperaverit, recole munificentiam Virginis, et cum **137** paupertatis amore tibi veniet pietas largitatis. Ad omne periculum pietas Virginis subvenit, et potens est subvenire. Age gratias ejus partui, de cujus plenitudine charismatum universitas emanavit. Nobis peperit Virgo, noster est partus, nobis natus est puer, et filius datus est nobis.

FRAGMENTUM III.

« Magnificat, inquit Maria, anima mea Dominum (*Luc.* i). » Attende primitus ubi magnificat Dominum. Certe in montanis, in civitate Juda, in domo Zachariæ. In montanis magnificatur Dominus, qui in

campestribus blasphematur. In campestribus erant, qui, secundum prophetam, « blasphemaverunt Sanctum Israel, et alienati sunt retrorsum (*Isai.* I). In campestribus, inquam, maledictionis et confusionis Adam et Evæ, qui, perdita carnis integritate, abalienati a veritatis altitudine, fecerunt sibi campestria : quippe qui veritatis montana perdiderant, et virtutis. De valle itaque mundanæ vanitatis, de profundo humanæ corruptionis, de campestribus communis iniquitatis « exsurgens **138** Maria, abiit in montana cum festinatione (*Luc* I). » Montana sunt, perfectionis fastigia. Fastigia ipsa sunt, veritas illuminatissimæ mentis, virginitas integerrimæ carnis, virtus Altissimi obumbrans (*ibid.*) ad gravidationem ventris. Hæc sunt montana, in quæ Maria conscendit; hic est civitas Juda; hic domus Zachariæ. Civitas est hominum collectio numerosa sub una lege viventium. Populum hunc faciunt rationabiles Mariæ cogitationes, sanctæ virtutes, ordinatissimæ actiones, quas in confessione laudis divinæ lex ordinat charitatis. Juda quippe *confessio* dicitur; Zacharias, *memor Domini;* domus Zachariæ, est pectus virgineum, mandatorum Dei memoriæ retentivum. In his montanis posita Dei mater, dum audit, Elisabeth prophetante, quid futura sit; dum commemorat quid de Domino, Angelo nuntiante, audierit, dum conscientiæ puritatem attendit, dum carnem suam ab omni extraneam corruptione perpendit, dum se totam in sublime agi divinitus conspicit, jam sæculo altior, jam omnem creaturam merito vitæ, prærogativa singularis gratiæ, immensitate lætitiæ transcendens, canticum novum **139** cantat Domino, dicens: « Magnificat anima mea Dominum. » Magnificat anima Mariæ Dominum, quia et ipsa magnificatur a Domino : nisi enim prius magnificaretur a Domino, non poterat magnificare Dominum anima Mariæ. Magnificat ergo eum, a quo magnificatur. Magnificat non solum laude oris, non solum sanctitate corporis, sed singularitate amoris. Multi magnificant lingua, sed blasphemant factis, persequuntur superbia cordis, de quibus scriptum est: « Confitentur se nosse Deum, factis autem negant (*Tit.* I). » Isti non magnificant, sed, quantum in eis est, minorificant nomen Domini. Hi sunt, quibus Apostolus : « Blasphematur per vos, inquit, nomen bonum inter gentes (*Rom.* II). » At in Maria magnificat lingua, magnificat vita, magnificat anima Dominum. Lingua, magnificentia divinæ sanctitatis, gloriæ laudibus eloquendo. Vita eamdem gloriam operibus promerendo. Anima singulariter diligendo, contemplationis volatibus attingendo, mente et ventre incomprehensibilem magnificentiam comprehendendo. Magnificante Domino Mariam, animaque Mariæ magnificante Dominum, **140** sonuit vox Mariæ. Sed vox Virginis in virtute, vox Virginis in magnificentia (*Psal.* XXVIII). « Magnificat anima mea Dominum. » Mirum valde est quod se magnificare Dominum dicat, cum in A ea, per eam, et propter eam minoratus sit paulo minus ab angelis Dominus (*Psal.* VIII). « Homo enim natus in ea (*Psal.* LXXXVI), homo factus est ex ea, et per hoc quod assumpsit ex ea, minor Patre, minor angelis, subditus hominibus inventus est Filius Dei. Quod assumpsit ex ea, forma est servi, ad quem suscipiendum, « cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum (*Philip.* II), » et qui erat incomprehensibilis in se, factus comprehensibilis in Maria.

Quanta est minoratio, de incomprehensibili fieri comprehensibilem? minoratio hæc facta est in Maria. Quomodo ergo anima Mariæ Dominum magnificat, quem in tantum susceptio suæ carnis abbreviat? Verbum enim abbreviatum fecit Dominus B super terram intra Mariam. Dic ergo, Maria, quomodo Deum magnificat anima tua? An fortasse, quem magnifice laudat anima tua, dispensatorio abbreviat caro ex te suscepta? Ita plane est. Nam, et magnus, et parvus in te reperitur, qui **141** immensus est. Magnus in anima, parvus in carne; magnus in altitudine dilatati per gratiæ plenitudinem animi, parvus inter angustias puellaris uteri. Propterea magnificat anima tua Dominum, quia sui abbreviatione ita magnificat uterum tuum. In regis itaque magnificentiam tota dilatatur Maria, dilatatur spiritus, dilatatur uterus. Spiritus gaudio inenarrabili, uterus conceptu ineffabili. Magnificat ergo Dominum exsultatione devotæ mentis, quæ magnifi- C catur a Domino in puro pondere casti ventris. Utrobique portat Maria gaudium; et gaudium quo peccati tristitia aboletur, mundi luctus depellitur, planctus pœnalis absolvitur, cœlestis lætitia restauratur. Quid ergo Mariæ mens nisi schola virtutum, scala angelorum, eruditio hominum, piscina misericordiæ, respectus justitiæ? Quid uterus Virginis nisi quædam summi Regis cathedra, unde cœlestis Sapientiæ edicta proponit, exempla virtutum ostendit, mundi sapientiam fatuam reddit? Habens proinde Maria penes se gaudium angelorum et hominum : « Magnificat, ait, anima mea Dominum, et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo (*Luc.* I). » **142** Attende quid dicat. Anima ejus magnificat Dominum, spiritus exsultat in Deo. D Magnificat Dominum laudatio Mariæ, magnificat Mariam spiritus ejus exsultatio; Spiritus Dei lætificat spiritum Mariæ; Spiritus Dei Spiritus sanctus est, Spiritus sanctus oleum invisibile est. Tanto igitur verius, tanto gloriosius exsultat Maria, quanto (27) præ cunctis mulieribus differentius est oleo invisibili uncta. Alioquin quomodo Christus de Virgine nasceretur, nisi Virgo cœlesti oleo singulariter ungeretur? Virgo quippe prudentissima oleum in lampade habuit (*Matth.* XXV), cum gratiæ plenitudinem in spiritus puritate suscepit. Quid est, obsecro, quod in Deo spiritus Mariæ exsultavit, nisi quod oleum lætitiæ exhilarans interioris hominis ejus faciem, in lampade Virginis abundavit? Lampas sane est luminis vas vitreum, desuper latum per

materiam, deorsum strictum per formam, fragile A per naturam. Hæc est vita Mariæ, cœlesti irradiata fulgore, plena oleo misericordiæ, perspicua puritate, charitate superius dilatata, paupertate spiritus inferius districta, fortis in sexu femineo, qui fragilis est natura. Ecce **143** habes sapientissimæ Virginis lampadem, habes et in lampade oleum. Vis etiam videre in oleo ferrum, in ferro scirpum, in scirpo ignem accensum? Ferrum, est durans et perdurans mentis humilitas; scirpus, est mansueta et sine nodo peccati virginitas. Ne igitur quæras nodum in scirpo. Alioquin si in Maria nodum criminis salus hominum invenisset, quomodo in ea et per eam, nodosam perplexitatem mundani criminis absolvisset? Ignis in scirpo, est Deitas in Virginis utero

Consumitur quidem visibilis scirpus ab igne, nec tamen violatur virginitas ab integritatis Auctore. Lampas igitur Mariæ infrangibilis, oleum indeficiens, scirpus inconsumptibilis, ignis inexstinguibilis. Miratur Moyses in deserto rubum ardere et non comburi (*Exod.* III); mirare tu in virgineæ lampadis oleo scirpum nullatenus ab igne consumi. Igne adhibito, perseverat integer scirpus; quia, Deum et hominem concipiente Maria, illibatum remanet virgineum corpus. Idcirco exsultat Mariæ spiritus, quia, superabundante in ea oleo lætitiæ, superveniente in ea Spiritu sancto, sine consumptione accenditur ejus scirpus, **144** sine corruptione virginitas fecundatur. Idcirco exsultat. Ubi exsultat? In Deo salutari suo, non in rebus pessimis.

Nota, quia exsultatio alia mundi, alia Dei. Exsultatio mundi in tribus existit: in corporis incolumitate, in rerum prosperitate, in malitiæ impunitate. Exsultatio hæc, non est ex intimis, sed foris in rebus pessimis; corporis hæc est exsultatio, non spiritus; ideo foris est et de exterioribus, non intus, de spiritualibus. Non est spiritus in Deo salutari, sed in desiderio sæculari. Cæterum, « omnis gloria filiæ Regis ab intus (*Psal.* XLIV) » est. « Exsultat, inquit, spiritus meus in Deo salutari meo. » In tribus maxime Mariæ exsultatio perpenditur: quia de ancilla efficitur mundi regina, de paupercula Dei mater et filia, de nupta Virgo puerpera. Metire, si potes, quantum exsultationis hæc tria considerata Mariæ conferant. Sed ipsa licet honore præemineat angelis, licet immensum illum, et attingentem a fine usque ad finem fortiter (*Sap.* VII) penes se habeat, tamen quanta sit spiritus ejus exsultatio metiri non potest. Exsultat ergo, etsi exsultationis suæ modum non proferat. « Quia respexit humilitatem, inquit, ancillæ **145** suæ (*Luc.* I.) » Ecce quanta Mariæ humilitas. Non ait sponsæ suæ virginitatem, non sanctitatem matris suæ. sed « respexit, inquit, humilitatem ancillæ suæ. » O respectum gratiæ, quem non nisi humiles promerentur! O gratam humilitatem Mariæ, quam angelorum etiam sublimitas admiratur! O pretiosissimam virginitatem, quæ humilitatis merito partu divino fecundatur! Sterilis esset virginitas, si humilitas defuisset. Nunc autem virginitati humilitas fecunditatem tribuit: fecundata virginitas humilitatem exaltat et extollit; quia « qui se humiliat exaltabitur (*Luc.* XIV). » — « Respexit, ait, humilitatem ancillæ suæ; » et juste quidem: Veritas quippe oriens de terra virgineæ carnis, respectum meruit justitiæ de cœlo prospicientis. « Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit (*Psal.* LXXXIV). » Veritas de terra oriens est verax et virens virginitas, quam sicut non falsavit interius consensus mentis, non corrumpit exterius libido carnis.

Respexit ergo Dominus, et descendit in hortum suum, unde spirabat hyssopus humilitatis, vernaB bat lilium castitatis, et in medio rosa fragrabat amoris. Ipse respectus descensus fuit. Ex hoc **146** respectu, ex hoc descensu, tanta Dei mater est gratia cumulata, ut vere beatificatam super omnes, beatam dicant omnes generationes (*Luc.* I); ubique prædicatur Mariæ gloria, ubique excellentia Mariæ attollitur; cujus memoria nil est dulcius, gratia nil salubrius, pietate nil efficacius, patrocinio nil tutius invenitur. Ipsa est porta cœli, portus naufragii, hortus paradisi, baculus, quo mundus debilis sustentatur, virga qua corripitur iniquitas orbis (28), columba in qua manet Spiritus sanctus ad emundationem impietatis. Columba, inquam, est, cujus simplicitatis antidoto, venenati serpentis detegitur astutia multiformis. Hujus pennas columC bæ sibi dari poscebat qui strepitus mundanos fastidiens, secretæ cujusdam solitudinis spiritualem requiem sitiebat, dicens: « Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam? (*Psal.* LIV). Quid est « requiescam, » nisi dormiam? ubi dormiam, nisi « inter medios cleros? » (*Psal.* LXVII.) Inter medios enim cleros sentitur refrigerium, quod præstant « pennæ columbæ, » et pennæ hujus columbæ sunt « deargentatæ, et posteriora ejus in pallore auri (*ibid*). » Quid super hunc locum diversi doctores dixerint, legistis, ut arbitror; aut si **147** non legistis, scrutamini Scripturas, et legite. Sed et audite etiam, ut petistis, non quod loquar ex me, sed quid loquatur in me Dominus Deus (*Psal.* D LXXXIV), sine quo nihil possumus facere (*Joan.* XIV). Pennæ hujus columbæ duæ sunt, scilicet humilitas et virginitas. Deargentatæ sunt, divino eloquio insignitæ. Argentum enim eloquium Dei est. Eloquium Dei Verbum Dei, Verbum Dei Filius Dei. Quid est igitur argentum in columbæ pennis, nisi Filius Dei in Maria per præsentiam carnis? His pennis leves et expediti volant ad cœlum, his male deorsum æstuantibus refrigerii paratur umbraculum. « Posteriora dorsi ejus in pallore auri. » Ecce Maria nos præcessit ad gloriam, præcedentem sequentes, quid de præcedente nisi dorsum videmus? Posteriora dorsi ejus nos sumus, quicunque post dorsum ejus relicti, aliquatenus imitari conamur. Faciem ejus in meritis, dorsum intellige in exemplis. Illa

præmisit, ista nobis reliquit, ut ad humilitatis virtutem et munditiam castitatis informemur. Posteriora hæc in pallore auri sunt. Per aurum, quo nullum in metallis pretiosius est, designatur Mariæ virginitas, qua nihil **148** post Deum est excellentius. Aurum hoc habet splendorem, habet et pallorem: splendorem in veritate naturæ, pallorem in mutabili superficie massæ : splendorem ergo naturaliter, pallorem accidentaliter. Splendor auri est castitas incorrupta, pallor est castitas post lapsum per continentiam reformata. Utrumque est in auro Mariæ, et splendor et pallor, quia adhærendo ei, alii permanent in integritate corporis, alii eam de longe sequentes, etsi florem perdiderint virginitatis, castitatis tamen amore vincunt in se luxuriam carnis. Quid igitur? Si virginitatem perdidimus, idcirco nequaquam ad Virginem, vel ad Virginis filium pertinemus? Ne desperes. Nam « posteriora dorsi ejus » sunt « in pallore auri. »

Æmulare continendo, per pallorem castitatis, splendorem aureæ virginitatis, et sic pertinebis ad posteriora dorsi, quæ sunt in pallore auri. Quam pulchra columba hæc, et quam dives! Deargentata est in pennis, in posterioribus deaurata. In pennis sonat argentum et lucet, in dorso splendet aurum et pallet. Lux argenti refertur ad gratiam, sonus ad doctrinam, **149** splendor auri ad sapientiam, pallor ad patientiam; pallor, qui est indicium vultus afflicti, designat patientiam in adversis exhibitam ex amore Dei. Ergo et gratiæ plenitudo, et doctrinæ rectitudo sunt in pennis columbæ, id est in virtutibus Mariæ; fulgor cœlestis sapientiæ et pallor patientiæ sunt in dorso columbæ, hoc est in externo actionis virgineæ. Sed quare in dorso aurum? Ut sequentibus, et dorsum solum intuentibus aurum ostendatur in dorso. Quid auro concupiscibilius? Quid in præcedenti dorso conspicabilius? Qui igitur aurum in dorso portat, sectatores et æmulatores habere desiderat. Æmulare ergo charismata meliora (*I Cor.* XII). Bonum est argentum, sed aurum multo melius. Bona est doctrina, sed longe melior sapientia. Doctrina enim sine sapientia est scientia inflans sapientia est charitas ædificans (*I Cor.* VIII). Sed ad hæc quis idoneus? Cui, inquam, datum est pennas has intueri et hoc aurum æmulari? Cui concessum est dormire inter medios cleros? Græcæ locutionis usus est. « Inter medios cleros » dicunt pro hoc ut dicat Latinus, in medio clerorum. Cleros *sors* dicitur, sors hæreditas **150** appellatur. Duæ sunt sortes, duæ sunt hæreditates filiorum hominum: una quam habent ex eo quod sunt filii Dei, altera quam habent ex eo quod sunt filii hominum; illa cœlestis, ista est terrena; illa animæ, ista corporis; illa futura, ista præsens; illa debet esse in desiderio, hæc in usu necessario. Qui igitur requiescit inter utrumque, inferioris strepitum fugiens, superioris quietem appetens, sic dormiendo videt speciosam sicut columbam, ascendentem desuper rivos aquarum. Unde et David videns requiem quod esset A bona: « In pace in idipsum, ait, dormiam et requiescam (*Psal.* IV). » Unde etiam sequaces habere volens et socios suæ dormitionis: « Si dormiatis, ait, inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi ejus in pallore auri. » Medium clerorum, ubi dormiendum est, charitas dici potest, per quam in animo mundi cupiditas tumultuosa sopitur, et æternæ hæreditatis quietum desiderium excitatur. Vis videre medium clerorum? Mediatricem intuere Mariam. Ipsa media est inter cœlum et terram, media et mediatrix inter Deum et hominem. Mediam intelligamus **151** per condescensionis clementiam, quæ tantum supra cœlos elevata est per gloriam. In ipsa igitur quiescendum est, quia super ipsam requiescit Spiritus almus, sine quo B omnis spiritus inquietus.

FRAGMENTUM IV.

Et quid dicit Mediatoris Spiritus in Propheta? « Non habitabit, inquit, in medio domus meæ, qui facit superbiam (*Psal.* C). » Domus Mediatoris est Ecclesia, hujus domus medium est, aut Mediatoris mater mediatrix Maria, aut veritas anguli nescia, aut virtus mediæ charitatis. Non igitur ad mediatricem pertinet, non in veritate ambulat, non in charitate habitat « qui facit superbiam, » quam bonis inimicam communibus, et privatæ gloriæ cupidam sanctorum communio non admittit. Cum ergo Rex virtutum jure nomen Mediatoris obtineat, ipsaque regina virtutum Maria se exhibeat mediatricem C hominum, merito judex ecclesiasticus virtutibus operam dare debet, et per moderamen discretionis satagere, ne quis nimis **152** faciat vel loquatur. Non enim frustra in medio duorum animalium cognoscitur Verbi incarnati infantia.

FRAGMENTUM V.

Adeo est formidolosa humilitas, ut nunquam de humilis conscientiæ diversorio progredi tutum putet. Ibi stellam maris Mariam libere cogitat, ibi feliciter assistit partui Virginis, ibi beatæ illi infantiæ delectabiliter adjocatur, ibi se totum Verbi coaptat cunabulis, morum innocentia felici colludit infantiæ, et in cordis jubilo piis vagitibus combalbutit. Pretiosissimis habet pro sericis illis adornari panniculis, D quibus obvolvitur Verbum infans. Deinceps ad divinum illud pectoris sacrosancti sacrarium tota aviditate se convehit, et, quantum vacat, plena de cœlo ubera sugit. Talibus interim nutrimentis tenera deliciatur infantia, ut, cum in virum perfectum venerit, provectiorique ætate profecerit, portare et peragere negotium crucis possit. Grandium sane hoc opus est, quos ætas virtutis provectior, **153** exercitatos pro consuetudine sensus habens, de sapientiæ studiis imbarbavit. Mecum optime agitur, (29) si inter collectaneos suos me Jesus meus connumeret; si suscepto interdum ad matris ubera suæ delinitionis sorbitiunculas partiatur. Ad hoc quippe Patris Verbum vitæ panis comminui voluit in lacte carnis, ut qui, in forma Dei, cibus erat solidus an-

gelorum, per abbreviationem carnis exinaniret se in sorbitiunculam parvulorum.

FRAGMENTUM VI.

Si durum visum fuerit itineris arrepti propositum, ad nostræ Virginis confugimus auxilium, quia, cui se misericordissima illa in auxiliatricem præbuerit, in omni tribulatione et angustia fortis erit. Candorem liliosæ ejus innocentiæ trahamus in nos per munditiam conscientiæ, nec desit nobis cum pudicitia carnis instantia fecundi operis, quo honoretur fecunditas virginalis. Ad nostræ siquidem Virginis partum totum debemus habere respectum. Et si veri esse **154** novitii, et vere innovari volumus, novi partus gratiæ plenis desideriis intendamus. Sicut enim per ipsam justificationis gratiam possumus obtinere, sic, ipsa duce, ad gloriam poterimus pervenire, ipso præstante, qui ex ipsa natus est Jesus Christus Dominus noster.

FRAGMENTUM VII.

Quasi oliva speciosa in campis (*Eccli.* XXIV). Si Virginem nostram olivam dixerimus, erit oleum partus ejus (30). Virgo sane nostra est «oliva speciosa in campis,» quia gratia ejus, et misericordia omnibus est communis. In campis posita florem campi protulit, ex cujus amœnitate pulcherrima campestria sibi humanæ turpitudinis nuditas procuravit. Campestria sunt perizomata velamenta turpitudinis, quæ de flore isto sibi consuunt, quicunque per fidem et amorem virginei partus criminum verecunda deponunt. Est etiam «speciosa in campis,» quia Ecclesiarum pulchritudo specialis. Speciosa quippe facta est, et suavis ex qua «speciosus forma præ filiis **155** hominum (*Psal.* XLIV)» nascitur sanctæ suavitas unctionis. Christi Ecclesiæ campi congrue dici possunt, quos disciplinæ cœlestis aratrum colit, doctrina Evangelii serit, justitiæ exsecutio fertiles reddit. In his campis est oliva fructifera, mater misericordiæ Virgo Maria. De oliva profluit pinguedo olei, fundit gratiæ plenitudinem, misericordiæ unctionem profert mater Christi. Quam jucundum, quam suave est illi cohærere, quam salutiferum intra puerperæ diversorium remorari! Si infirmus es, de diversorio illo abundanter profluit oleum infirmorum. Si sanus es, et de testimonio conscientiæ arridet tibi justitiæ sanitas, oleum lætitiæ suscipis ex Maria. Species morum, operum decor, meritorum gloria, totum de gratia Mariæ suscipitur, cum amatur. Cum enim plena sit gratiæ et tota misericordiæ deliciis affluens, nihil gratiæ omnino accipimus quod nobis non conferat partus ejus. Nostra est Virgo, nostra sunt Virginis viscera, noster est Virginis partus, nostra sunt quæ penes illam de cœlestibus actitantur (31). Periculosum est ergo ad punctum ab illa discedere, apud quam nostræ suavitatis **156** deliciæ reponuntur, divitiæ salutis, sapientia et scientia, penes Virginem nostris usibus reservantur. In partu nimirum Virginis thesauri sapientiæ et scientiæ ad locupletationem pauperum absconduntur (*Coloss.* II). «Propter miseriam inopum et gemitum pauperum (*Psal.* XI),» venit de corde Patris Christus in cor Virginis, et in Virginis utero pauperum gazophylacium collocavit. Inde pauperes spiritu locupletati sunt, quos mundi superbia, vanitate et mendacio non ditavit. «Filii hominum, usquequo gravi corde (*Psal.* IV),» a corde Virginis elongatis? «Utquid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium (*ibid.*),» cum intra nostræ Virginis uterum «mirificavit Dominus sanctum suum? (*Ibid.*)» Cur non properatis ad oleum? Vestrum est quod hic agitur, nulla enim ratione dives omnium Deus pauper fieret nisi ut se pauperibus coaptaret. Nulla ratione olivam fructiferam in campis poneret, nisi ut misericordiam Virginis communem omnibus exhiberet. Hinc est quod non regibus in palatiis, non divitibus in urbibus sui mysterii hujus ratio primo innotuit, sed pastoribus, qui in campis erant, qui supra gregum suorum **157** custodiam vigilabant (*Luc.* II). O salvantis benignitas! o nascentis miseratio! o puritas et pietas parientis! o utinam essem de parvulis, quibus hæc revelata et acta sunt, ut philosophari interim de aliis non liberet! Quid dulcius quam Verbi inesse cunabulis, quam in diversorio Christi feriatum et liberum esse, et infantiæ colludere tam felici? Ignoscite, quæso, ignoscite puero, si ubera de cœlo plena non deserit, si sacrosanctum pectoris virginalis sacrarium non dimittit. Ad incontaminata vestigia Virginis piscina posita est pietatis, ubi pueri balneantur. Nostis ætatem hujusmodi frequentiori lavacro indigere, facillime sordes contrahit, et opus est ut materna sollicitudine consuetiori balneo diluantur. Proinde a contubernio sacræ Virginis longe procedere tutum non arbitror. Quis enim mihi provideret in talibus, si indulgentissimæ matris misericordiam elongarem? Tenebo illam, non discedam ab illa, quia si misericordiæ ejus sollicitudo defuerit, facile fecero abortivum.

158 NOTÆ AD MARIALE.

AD SERMONEM I.

Sermonem hunc enumeravi etiam in bibliotheca Mariana parte I, dum de Adamo Perseniæ abbate, ejusque Marianis lucubrationibus agerem; et cum ad beatissimæ, et immaculatæ virginis Deiparæ laudis ac cultus promotionem non parum conducat, utiliter etiam et magno animarum bono, nunc primum prodiens perlegetur.

(1) *Egredietur Virga de radice Jesse.* Hunc Isaiæ locum ad Mariam Deiparam virginem spectare **159** affirmant Tertullianus in lib. De carne Christi, et lib. IV adversus Marcionem; S. Gregorius Thau-

maturgus, orat. II, in Ann. B. Virg.; S. Ambrosius, in lib De benedict. patriarch., cap. 4, et in libro De instit. virg., cap. 9; S. Augustinus, serm. 3 de Tempore, et lib. III De symbolo ad catechum., cap. IV; S. Joan. Chrysost., in psal. XXII, homil. 116; S. Leo papa, serm. 4 de Nativ. Domini; S. Ephrem Syrus, in orat. de Laud. Virg., S. Hieronymus, in cap. XI Isaiæ, et in epistola ad Eustochium de Custodia virg.; S. Gregorius Magnus in lib. I Reg., cap. I; S. Germanus Constantinopolitanus orat. in Natalem Deiparæ; Cosmas Hierosolymitanus, hymno 1 in Theogoriam; Damascenus, orat. 1 et 2 de Nativ. B. Virg.; Chrysippus, in orat. de Deipara; Eusebius Edissenus homil. in festo Visit. B. V.; Paulus Diaconus, serm. 2 de B. Virgine: Ambrosius Ansbertus, homil. in festo Purificationis; Georgius Nicomediensis, orat. de Præsent. Deiparæ; Idiota, in Contemplatione B. V.; Isidorus Hispalen. in Com. super lib. Num., cap. XV, et in Allegoriis Novi Testamenti; S. Ildephonsus, serm. 6 de Assumpt., et in lib. VII De virginitate S. Mariæ, cap. 3; Joannes Geometra, serm. in Annunt. B. V.; Vigilius Tridentinus, lib. III adversus Eutychen: Hysychyus, serm. 2 de Laud. B. Virg.; Venantius Fortunatus, elegia in Laud. S. Mariæ; Eleutherius Tornacensis, serm. in festum Annunt.; S. Anselmus in tract. De concep. B. Virg.; S. Bruno **160** Carth., serm 1 de Laudibus Virg.; Rupertus abbas, lib. II in Isaiam, cap. VI., lib. I in Cant., lib. II in Matth., et lib. XI De victoria Verbi Dei, cap. 8; B. Petrus Damianus, serm. in Annunt., et serm. in Assumpt. B. Virginis; Amedeus Lausannensis, homil. 8 de Laud. B. V.; S. Bernardus, homil. 2 de Adventu, homil. 2 de Laud. Virg. super *Missus est*, serm. in Signum magnum 2 in die Pentecostes; Petrus Blesensis, serm. 1 in Adventu Domini. Philippus abbas, lib. I in Cant., cap. 1-6; Honorius August., in Sigillo B. Mariæ; Cæsarius Heisterbacensis, in homilia de Visitatione B. Mariæ, et in Prologo libri De miraculis B. V.; Fulbertus Carnotensis in Versiculis de B. V.; Radulphus Ardens, homil. 1 in Annunt., et homil. 1 in Nativ. B. Mariæ; Innocentius papa III, in Encomio de beatissima virgine Maria; Albertus Magnus in Biblia Mariæ in Isaiam prophetam, et in Postillis super cap. X Lucæ; S. Thomas Aquinas, serm. 1 in Annunt. B. Virg.; S. Bonaventura in Speculo B. Virg., cap. 5, et in expositione super *Salve, Regina*; Hugo de S. Victore, lib. IV Erud. Theol., miscell. 2, tit. 27; Hugo de S. Caro, in cap. XI Isa.; S. Antoninus archiepiscopus Florent. in Summa theol. parte III, tit. 31, cap. 3, et 4 p. tit. 15, cap. 3; Trithemius abbas, lib. I De miraculis B. Virginis in Dittelbach., cap. 10; Joan. Picus Carthusianus, lib. I in Cant. cantic., cap. 13, B. Thomas a Villanova, concione 2 de Nativ. B. V.; S. Brigitta **161** in serm. de Excell. B. V., cap. 11; Richardus a S. Laur., lib. V De laud. Virg., col. 281; Mauritius de Villa Probata in Corona B. Virg., serm. 3; et, ut alios omittam, Richardus S. Victoris qui, de comparatione Mariæ ad virgam et Christi ad florem, insignem tractatum composuit. Hinc Ecclesia Græca, in Menæis, die 24 Martii Mariam vocat *Virgam mysticam, quæ germinavit florem divinum, de radice Jesse palam exortum.* Et ibidem, die 25 Julii: *Virgam præfloridam, et omni prædicatione majorem, quæ ex se attulit florem, qui nunquam marcescit.*

(2) *O arborem fructuosam.* Sub metaphora etiam arboris Deiparam laudant S. Cyprianus, vel auctor sermonis apud ipsum de Christi Nativitate; Eusebius Emissenus homil. in festo Visit. B. V.; Rupertus abbas, lib. II Commentariorum in Leviticum; et S. Ephrem Syrus in tract. De margarita pretiosa, ubi Mariam vocat, *Arborem æterni Patris ad melioris naturæ susceptionem factam.* Richardus etiam Victorinus, expositione in Cant. cant., cap. 39, *Deiparam appellat, Arborem sublimem et nobilem*

A *quæ sublimem protulit fructum, Dei videlicet Filium;* Amedæus Lausannensis, homil. 1 et 8 De laud. Virg.: *Arborem salutiferam in medio paradisi plantatam, cujus fructu indeficienti et partu immortali cœligenis atque terrigenis est jugis epulatio, continua exsultatio, felix et sempiterna* **162** *laudatio;* Hugo de S. Victore, serm. 47, qui est de Assumpt. B. Mariæ, *Arborem Libani, quia de sæculo præsentis carnis originem habuit et ipsius Libani, id est, sæculi altitudinem, se ad alta subrigens, excessit, cunctam mundi gloriam suarum sublimitate virtutum inæstimabiliter transcendendo;* S. Bruno Carthusianus, vel potius episcopus Signinus, serm. de Assumpt. B. V., *Arborem pulcherrimam, cujus fructum, id est Christum, suscipere debemus in infirmitatibus nostris, cujus nunquam debemus oblivisci, sed ad ipsam semper respicere, fructumque vitæ et salutis ab ea quærere;* S. Bonaventura in Speculo B. Virginis, cap. 5 et 14, *Arborem magnam, quæ*
B *late ad homines, longe ad angelos, alte ad Deum suos ramos extendit; arborem pulchram foliis oris, pulchriorem in floribus cordis, pulcherrimam in pulcherrimo fructu ventris, arboremque altissimam, simul et brevissimam, altissimam dignitate, brevissimam humilitate, altissimam in oculis Domini, brevissimam in oculis suis;* Absalon abbas, serm. 3 de Assumpt. B. V., *Arborem nostram fructiferam, in cujus ramis fructum dulcem copiosissime omnes invenire possunt, nisi forte languente appetitu, tanquam ægroti, quæ suavia sunt et dulcia fastidiant: sic enim plerumque solet accidere, quod palato non sano pœna sit panis, et ægris oculis odiosa lux est, quæ puris est amabilis;* Alb. Magnus, in Postillis super cap. XI Lucæ, *Arborem virtute* **163** *virentem, plantatam secus decursus aquarum, hoc est rivos uberrimos donorum Spiritus sancti, consolationum et gratiarum; quæ portavit fructum dependentem a sanctis visceribus, et pendenti a visceribus sacrosancti sanguinis*
C *sui, ad formationem, et nutrimentum, et augmentum, succum subministravit;* S. Antonius de Padua, serm. in Dominica in Ramis palmarum, *Arborem pulcherrimam, cujus fructus fuerunt humilitas et paupertas: quos fructus nobis servare debemus, juxta illud Levitici* XXIII: « *Sumetis vobis fructus arboris pulcherrimæ;* » denique S. Methildis, lib. I Gratiæ spiritualis, cap. 45, *Arborem super omnem terræ altitudinem, et latitudinem extensam; perspicuam ut speculum perlucidum, folia habentem aurea suavissimum sonum reddentia, in cujus summitate flos fuit delicicsissimus, qui totum orbem contexit, et odore mirifico respersit.* Mitto, brevitati studens, S. Bernardinum Senensem, serm. 1 De glorioso nomine Mariæ; Isidorum Thessalonicensem in Mariali a nobis edito, orat. 4 de Assumpt.; S. Brigittam in serm. Angelico, cap. 8; Mauritium de Villa Probata, in Corona B. Virg., serm. 1 et 3; Richardum de S. Laur., lib. XII De laud. B. V. a pag. 1001 et deinceps; anonymum in hymno Græco apud Bu-
D teonem, pag. 125; aliosque non paucos sub arboris symbolo Mariam Deiparam virginem celebrantes.

(3) *Hæc est virga Moysi.* De Maria Deipara **164** prout in Moysi virga mystice figurata, præclare omnino Leo imperator in Mariali a nobis edito, orat. 3; Rupertus abbas, lib. I Commentationum in Cant. cant.; Absalon abbas, serm 1 in Annunt., et serm. I de Assumpt. B. Virg.; Albertus Magnus in Biblia Mariæ super librum Exodi; S. Thomas Aquinas, serm. 1 in Annunt. B. Virg.; S. Bernardinus Senensis, serm. 1 De glorioso nomine Mariæ; S. Antoninus in Summa theol., par. III, tit. 31, cap. 3, et part. IV, tit. 15, cap. 24; Mauritius de Villa Probata in Corona B. Mariæ, serm. 7; et Richardus a S. Laurentio, lib. XII De laud. Virg., col. 1025, 1026, 1027 et 1028. Cujus tantum verba lectori subjiciam, digna prorsus quæ hic ad laudem Virginis inserantur. *Hæc* (Maria) *est virga Moysi, per quam fecit signa in Ægypto, et ad quam in omni*

necessitate recurrebat (Exod. iv), quia Christus per Mariam mirabilia fecit in mundo. Hæc est virga pastoralis, qua Moyses gregem suum minavit ad interiora deserti (Exod. iii), quia sicut oves regente virga minantur, sic exemplo Mariæ corriguntur mores fidelium, et quasi quodam ordine componuntur. Propter hoc orat Dominum Michæas in fine (cap. v): « Domine Deus noster, pasce populum tuum in virga tua. » Item (Exod. iv) dixit Dominus Moysi: « Quid est quod tenes in manu tua? Respondit Moyses: Virga. » In hoc notatur quod hæc virga teneri debet in manu per similitudinem operum, **165** *non in ore tantum per invocationem et laudem, vel in corde per fidem, quæ sine operibus mortua est (Jac. ii). Virga Moysi versa in colubrum dracones Ægyptiorum devoravit (Exod. vii), quia cum Maria Christum induit carne, quæ similis erat peccatrici, hæreses, quibus impii in Ægypto, id est mundo illudebant, cum virtute suæ prolis, cum exemplo suæ sanctitatis delevit. Quod impletum est quando, ipsa cum filio ingrediente Ægyptum, omnia idola corruerunt, sicut prædixerat Isaias (cap. xix). Vel aliter, B. Virgo ore aperto ad filium exorandum, devorat et annihilat serpentes, id est astutias dæmonum, et tentationum animas venenantes, ut dictum est serpenti (Gen. iii): « Ipsa conteret caput tuum. » Vel etiam tunc devorat serpentes, id est astutias dæmonum tentantium, quando facit cum tentatione proventum, juxta illud (Psal. cvi): « Omnis sapientia eorum devorata est. » Item, hac virga, percussit Moyses aquam fluminis coram Pharaone et servis ejus, et versa est aqua in sanguinem, et pisces, qui erant in flumine mortui sunt (Exod. vii). » Similiter, et Maria precibus suis, meritis et exemplis, conversis peccatoribus, et maxime dilectoribus suis, mundanas et carnales delectationes, quæ cito præterfluunt ut aqua, convertit in abominationem et amaritudinem, quasi in sanguinem, quem nemo potest bibere, et sic moriuntur pisces fluviales, id est vanæ curiositates. Item hac virga extensa* **166** *in cœlum a Moyse (Exod. ix), « dedit Dominus tonitrua, et grandinem, ac discurrentia fulgura super terram Ægypti: » in quo innuitur, quod virga hæc incutit timorem quibusdam superbis, qui Deum non timent, nisi quando tonat et fulgurat, et eos exterret, dans gratiam cogitandi mala sua, quod præcipue fit, quando considerant quam graviter ipsa punita sit in filio, licet nunquam peccaverit. Unde et Simeon ei prædixerat: « Tuam ipsius animam pertransibit gladius (Luc. ii); » nam « si in viridi ligno fiunt hujusmodi, in arido quid fiet? » (Luc. xxiii.) Item hac virga extensa super terram Ægypti (Exod. x), « ventus urens levavit locustas, quæ devoraverunt omnem herbam terræ, et omnia poma arborum, et nihil viride reliquerunt. » Per hujusmodi virorem designantur dotes et corporum pulchritudo, quæ cito transeunt, quia forma bonum fragile est, et sæpe a locustis superbiæ sive luxuriæ devoratur. Sed B. Virgo dans gratiam cogitandi quod, fallax gratia et vana est pulchritudo (Prov. xxxi), et quod omnis viror exterior citius marcescit, et quod fructus bonorum operum a vana gloria facile devorantur; juvat multos, ut hæc omnia parvipendant. Item filiis Israel recedentibus ab Ægypto (Exod. xiv) et arctatis hinc a mari, hinc a montibus, hinc a Pharaone; ab ante si quidem erat mare, quod non poterat transvadari; a latere montes excelsi qui non poterant transmeari; a posteriori* **167** *Pharao armatus cum electis, et armatis universis principibus suis, qui non poterant declinari; et perplexis, et desperantibus posse evadere, extensa est virga super mare. Ad cujus elevationem divisum est illud mare, et per ipsum sicut per aridam statim facta est via. Moraliter: mare Rubrum mundus sanguinolentus vitiis et peccatis; montes difficiles, ærumnæ et miseriæ hujus mundi, quæ multos non sinunt pœnitentiam aggredi; Pharao princeps, et Ægypti diabolus, potestates aereæ et homines mali. Sed ab omnibus per adjutorium Virgæ nostræ, sperantes in eam facile possumus liberari. Et propter hoc exemplo Moysis in omni necessitate recurrendum est, et refugiendum ad eam. Item, moraliter: Per mare Rubrum designatur vera contritio, et amara ex recogitatione præcedentium peccatorum, quæ sanguines appellantur ibi: « Libera me de sanguinibus Deus,* etc. (*Psal.* x), » *et debet hoc mare dividi, ut amaricemur pro commissis et omissis, pro carnalibus et spiritualibus peccatis, pro substantia et circumstantiis peccatorum. Vel divisio maris est per gratiam virgæ nostræ diminutio tentationis, quod fit quando per adjutorium ipsius intercidit flamma ignis. Hæc est virga Moysis qua percussit petram (Exod. xvii; Num. xx), et fluxerunt aquæ, ita ut biberet populus, et jumenta; petra Christus (I Cor. i): « Petra autem erat Christus. » Duritia hujus petræ rigor* **168** *sive severitas justitiæ divinæ. Ipse autem nunquam ita severus, aut durus est erga peccatores, quin effundat aquas gratiarum, vel indulgentiæ si hæc Virga ipsam tetigerit pia oratione. Propter hoc dicitur (Num. xx) quod cum Moyses elevasset manum, percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, id est copiosa fluenta misericordiæ, ita ut biberet populus, id est rationabiles et jumenta, id est jumentini et brutales. Sed hæc petra Christus videlicet ab hac virga quasi bis tangitur cum primitus puritas virginalis, et secundo dignitas maternalis ipsi in precibus a matre repræsentatur. Et propter hoc dicit filius (Cant. iv): « Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum. » Et hæc duplex vulneratio est istius petræ gemina percussio. Vel quasi gemina percussio sunt oratio ad Patrem et ad Filium jussio, unde dicimus matri: « Ora Patrem, jube Natum. » Aliter, sicut dicit Petrus Manducator, petra ista signat duritiam cordis humani; quod quasi inflexibile est, et maxime ad obediendum propter quamdam quasi libertatem ingenitam humano animo, ut præesse vellit, non subesse; sed hanc duritiam virga ista exemplo suo percussit, cum divinæ voluntati tam facile obedivit, respondens: « Ecce ancilla Domini (Luc. i), » cujus proprium est obedire. Aliter: Tunc humani cordis duritia virga ista percutitur, cum peccator induratus respectu gratiæ misericorditer ab ea tangitur, ut ab ipso fluant rivuli lacrymarum. Aliter: Per* **169** *hanc virgam interrupit Dominus petram, id est humani cordis duritiam in eremo, id est in peccatore infructuoso, pleno feris, id est monstris peccatorum, qua duritia interrupta adaquat peccatores, id est reficit aquis lacrymarum, quæ provocant aquas gratiarum.* Hactenus Richardus a S. Laurentio, l. c.

(4) *Ipsa est virga Aaron.* Nec solum Deipara, ut ostendimus, virga Jesse, et virga Moysis, sed et virga Aaron, quæ sine succo floruit, fronduit et nuces protulit (*Num.* xvii). At talis enim celebratur a S. Athanasio Alexandrino, orat. in Occursum Domini, seu in Purif. B. Virg.; S. Ephrem Syro orat. de Laud. Virg.; S. Augustino, serm. 3 de Tempore, et serm. 19 ad fratres in eremo; S. Eleutherio Tornacensi, sermon. in festum Annuntiationis B. V.; S. Ildephonso Toletano, serm. 6, de Assumpt.; Sergio Hierapolyta, in orat. de Nativ. Virg.; S. Isidoro Hispalensi, in Com. super lib. Numer. cap. 15; S. Germano, in Mariali a nobis edito in orat. de Nativ. Virg.; S. Joan. Damasceno, in Menæis Græcorum, die 17 Januarii; Ambrosio Ansberto, homil. in festo Purificat. B. Virginis; Georgio Nicomediensi orat. de Præsent. B. Virg.; Fulberto Carnotensi, serm. 1 de Nativ. Virg.; Petro Damiano, serm. de Assum. B. V.; Bernardo Claravallensi, serm. in Nativ. Virg. de Aquæductu; Vigilio Tridentino, lib. iii adversus Eutychen tomo V Biblioth. Patrum, parte iii; Philippo abbate, lib. i in Cant., **170** cap. 16, et tomo VI Moral. in Cant.; Petro Cellensi, in lib. De panibus, cap. 21; Hugone Victorino, lib. iv De proprietatibus et epithetis rerum, cap. 2, in Adnotationibus elucidatoriis Evangelii S. Joannis, et lib. iv Erud. Theologic., miscel-

2, tit. 27; S. Brunone Carth., in lib. De laud.. Ecclesiæ, cap. 3; S Thoma Aquinate, serm. 1 in Annunt. B. V.; S. Antonio de Padua, serm. in Dominica XII, post Trinit.; Alberto Magno, in Postillis super cap. X et XI Lucæ, et in Biblia Mariæ super lib. Num.; Ruperto abbate, lib. I Com. in Cant. et lib. II Comment. in Num.; Absalone abbate, serm. 1 in Annunt.; S. Bonaventura in Speculo B. Virg., c. 8; S. Bernardino Senensi, tomo I, serm. 59; B. Laurentio Justiniano, serm. de Annunt. B. Mariæ; S. Antonino, in Sum. theol. III p., tit. 31, cap. 3, et 4 p., tit. 15, cap. 5 et 24; Richardo a S. Laurentio, lib. XII De laud. Virg., col. 1032; Ugone Carensi, in c. XVII libri Numerorum; aliisque permultis. Quorum verba, cum in ipsis auctoribus sint obvia, huc advocare supersedeo, præsertim cum fere omnes similitudinem in eo constituant, quod sicut virga Aaron sine cultura humani auxilii floruit et fructum fecit, sic B. Virgo absque contactu hominis Filium Dei de Spiritu sancto concepit et peperit.

(5) *Ut apud te, et per te recipiat sanitatem ægrotus.* Hanc etiam ægrotorum a morbis omnibus curativam ac persanativam virtutem in Deipara Virgine agnoscens Ecclesia **171** Græca, in suo rituali, in Officio olei sancti eidem Deiparæ supplicat in hunc modum: *O sola pura, quæ pacis pelago ditata es, jugibus tuis apud Deum precibus a morbis, et calamitatibus famulum tuum eripe, ut incessanter te magnificet.*

Respice clementer, Mater Factoris omnium, de superis, et tuis intercessionibus amaram infirmitatem languentis hujus solve.

Deipara, perpetua Virgo sanctissima, protectrix valida, portus et murus, scala et munimen, miserere, compatere; ad te namque solam recurrit ægrotus.

Pura celebranda, super omnes Domina benigna, oleo divino unctorum miserere, et famulum tuum salva.

In Dei tui domo oliva fructifera, o mater Dei, apparuisti, per quam misericordia orbis plenus factus est, serva ideo precum tuarum ope hunc ægrotum.

Tu quæ pugillo cuncta continentem divina ratione in utero conclusisti, et ineffabiliter corpus ei dedisti, mater Dei, nunc pro infirmo interpella, precamur.

Laudibus et orationibus servorum tuorum susceptis, Virgo, gravibus infirmitatibus et languoribus tua prece libera, o illibata, eum qui per nos ad tuam divinam protectionem recurrit.

Eadem in eodem rituali, in Officio funereo **172** in sacerdotem vita functum, sic Deiparam alloquitur: *Protectio tua, Deipara Virgo, medica spiritualisque officina est, ad quam confugientes, animæ morbis liberamur.*

Et in canone pro pueris defunctis: *Sapientiam, Verbumque Patris quæ peperisti, animæ meæ grave vulnus sana, et cordis mei dolorem tempera.*

Et in canone in pestilentialis morbi periculo: *Congruorum te remediorum fontem a te procedens abyssus Christus Dominus effecit, famulos tuos propterea infirmitatis turbine agitatos libera. Vehementibus, et continuis doloribus perculsi tibi, Virgo, cuncti procidimus, potenti tua protectione cunctos salva, o pura, miserere Dei Sponsa, ab hac pernicie, et morbo gravi nos præserva, et infirmitatibus medere, o Domina. In hujus vitæ nocte caligo nos infirmitatis obvolvit, morborumque tenebræ contexerunt undique: at tu illuce mihi, recreationis splendor, o pura, et ad valetudinis lumen me deduc. Maria purum virginitatis vasculum a morbis et calamitatibus nos munda, et ab ingruente infirmitate nos eripe, ut tecum fide celebremus.*

173 *Tu refugium tutissimum, et securus es asylus, spes desperatorum, immaculata; servos itaque tuos acerbe ægrotantes visita, infirmitatis amaræ onus sublevo, pestilentialis calamitatis morbum averte, et famulos tuos serva, Virgo Deipara.*

Tandem in officio communis supplicationis, eamdem his verbis affatur: *Remediorum copiam fideliter te laudantibus, et ineffabilem tuum fetum*

A *superexaltantibus, o Virgo, profundis animæ infirmitatibus, carnisque doloribus, o Virgo mederis.*

Vide quæ diximus in Mariali S. Isidori archiepiscopi Thessalonicensis in notis ad or. 1 de Nativitate Virginis, num. 11 per totum. Vide etiam Justinum Miechoviensem, tomo II in litanias Lauretanas super illud B. Virginis elogium, *Salus infirmorum*, discursu 355, 356, 357, 358; et Laurentium Chrysogonum in Mundo Mariano, parte II, disc. 17 ubi plenissime de Deipara, humanarum infirmitatum medica ac morborum omnium curatrice.

(6) *Baculus sustentationis.* Baculi etiam nomenclatione Deiparam honorant S. Sabbas abbas in Menæis Græcorum, die 28 Januarii ubi vocat *Baculum cæcorum*, S. Germanus patriarcha Constantinopolitanus in suo Mariali a nobis edito, orat. 1 de Præsentatione, et Eutychianus in Vita Sancti Theophili, quæ exstat apud Surium, tomo I die 4 **174** Februarii, ubi appellant *Baculum senectutis*; S. Bonaventura in Psalterio B. Virginis, B ubi nuncupat *Baculum pauperum et miserorum*; Jacobus archiepiscopus Januensis, serm. 3 de Annunt. et serm. 6 de Assumpt., ubi indigitat *Baculum debiles sustentantem et regentem*, et *Baculum senectutis et debilitatis prophetarum*, et alii. Quod autem B. Virgo baculi instar sustentet justos cultores suos, ne cadant, atque in peccata labantur, ostendi in notis ad Mariale Leonis imperatoris, in notis ad orat. 2 de Præsentatione, num. 6 quo lectorem cupidum ablego.

Notæ ad serm. 2 de partu B. Virginis.

Hunc cum eo, qui proxime sequitur, de partu beatissimæ Virginis sermonem, de Adventu etiam, ac de Nativitate Domini prænotatos, idcirco in bibliotheca Mariana recensere omisi, quia cum codex Casamariensis, in quo Adami nostri opera continentur, mihi tunc adhuc esset invisus, aliorum tantum relatione nitebar, recensebo tamen ambos C in ejusdem bibliothecæ editione secunda, si votis annuere dignabitur Deus, cum sint omnium notitia ac lectione dignissimi.

(7) *Ejus via virgo Maria fuit.* Mariam Deiparam viam Dei ad nos venientis, itemque viam nostram, qua ad Deum ipsum tendimus, **175** et probat hic Adam, et confirmant multi veterum Patrum, nempe Augustinus in orat. de quinque Hæresibus, cap. 5, dum Mariam vocat *viam*, *quam Dominus suo itineri præparavit*; Anastasius archiepiscopus Antiochenus, orat. 1 in Annuntiationem, dum eamdem appellat *Viam salutis nostræ*; Venantius Honorius Clementianus Fortunatus episcopus Pictaviensis, elegia in Laudem S. Mariæ, dum nuncupat *Viam ad cœlos humano generi sub tartara lapso*; Joannes Geometra, serm. in Annunt. sanctissimæ Dei Genitricis, dum astruit *Viam redeundi iterum erranti*; Seraphicus doctor Bonaventura in Psalterio B. Virg. dum celebrat *Viam nostræ reconciliationis*, et *Viam* D *ad Patriam sanctitatis*; S. Bernardinus Senensis, serm. 1 de glorioso nomine Mariæ, dum prædicat, *Viam, per quam spargitur lux, et dividitur æstus super terram* (*Job* XXXVIII); *lux enim æterna est super tenebrosum mundum per ipsam sparsa, id est manifestata, et æstus, id est calor charitatis Spiritus sancti partitus est super terram, ut non sit jam, qui se abscondat a calore ejus* (*Psal.* XVIII); Alanus Insulensis in Anticlaudiano, lib. V dum canit *Viam vitæ*; denique Mauritius de Villa Probata, in Corona nova B. Mariæ, serm. 2, 6 et 12, dum promulgat *Viam nostram, viam regiam intrandi ad gloriam, viam recreationis Filii Dei altissimi, et viam, qua pervenitur ad Deum.* Vide Adamum **176** nostrum in fragmento 1 Mariano, ubi iterum de Maria via, experte asperitatis et duritiæ, experte ignorantiæ et erroris.

(8) *Ipsa est mater misericordiæ.* Post summam illam, omnibusque retro sæculis inauditam Deiparæ nomenclationem, nihil de Maria ac pro Maria dici

potest, vel ad laudem præstantius, vel ad commendationem illustrius, vel ad gloriam divinius, quam quod vere sit ac peculiariter mater misericordiæ. Dicitur autem mater misericordiæ, vel quia Deum, cui proprium est misereri semper et parcere, illum nobis hominem pariendo, reddidit singulari modo misericordem, videlicet non tantum secundum effectum, ut antea, sed secundum affectum et experientiam nostræ miseriæ, juxta aurea Apostoli verba ad Hebr. II : *Nusquam angelos, sed semen Abrahæ apprehendit, unde debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret.* Vel dicitur mater misericordiæ, quia divinæ misericordiæ clementiæque abyssum, cui vult, et quomodo vult, et quando vult, creditur aperire; ut, quamvis enormis, peccator non pereat, cui Sancta sanctorum patrocinii sui suffragia non patitur defuisse. Vel denique dicitur mater misericordiæ, quia benignissima ejusdem Virginis habitudo, et indoles, tota nativo misericordiæ succo concreta, atque composita sit, ut vapor quidam virtutis Dei, et emanatio misericordiæ ejus dici queat. Hoc autem **177** matris misericordiæ titulo Deiparam compellant, non solum Ecclesia, ut ex divino officio manifestum est : *Maria mater gratiæ, mater misericordiæ*, et : *Salve, Regina, mater misericordiæ;* non solum angelici spiritus, ut Petrus Dorlandus in Chronico Carthusiensi, lib. v, cap. 5, testatum reliquit; non solum innumeri sanctorum Patrum, quorum vel nuda nomina nimis operosum esset adducere; sed ipsa etiam beatissima Virgo eodem titulo se non semel insignit, ut patet ex Vita sancti Odonis abbatis Cluniacensis, ex Theodorico de Apoldia in Vita S. Dominici, libr. II, cap. 13; atque ex D. Brigitta, libr. VI Revel., cap. 10. Et vere mater misericordiæ : *Cui*, ut loquitur Andreas Cretensis, ora. 2 De dormit., *pro ea, quæ illi cum filio, et curatore omnino intercedit propinquitate, innatum omnino est omnibus misereri.* Vere mater misericordiæ, *cujus ubera* (ut parte II in Cant., cap. 23, cribit Richardus Victorinus) *adeo pietate replentur, ut alicujus notitia miseriæ tactu, lac fundant misericordiæ, nec possit miserias scire, et non subvenire.* Vere mater misericordiæ cum, teste S. Brigit., libr. VI Revel., cap. 10, *Nullus sit adeo maledictus a Deo, qui quandiu vivit, ejus careat misericordia, quia propter ipsam levius tentatur a dæmonibus, quam aliter tentaretur, nullaque sit pœna in purgatorii igne, quæ propter ipsam non remissior sit, et levior ad ferendum, quam aliter esset.* Optime **178** inter alios de Deipara misericordiæ matre Joan. Gerson cancellarius Parisiensis, tract. 2 De canticis, in hæc verba scribens : *Quid ultra negare tibi, mater misericordiæ, potuit, si proprium pro te filium consensit offerri tantæ miseriæ? Quid concedet beatifica in cœlis, quæ talia dabat in terris afflicta? perdidit miseriam, nunquid et misericordiam? perdidit profecto compassionem afflictivam, sed retinet compassionem electivam atque succursivam.* Sic ille. Qui et tract. 4 super *Magnificat* expendens illud quod rex Assuerus hilaritate perfusus dixit Esther : *Quid vis, Esther regina? quæ est petitio tua? etiamsi dimidium partem regni petieris, dabitur tibi* (*Esther* V), affirmat id quod Esther in typo promissum fuit, completum esse in Virgine; quippe cui ipse Deus dimidium regni sui largitus est : ait enim Dei regnum duabus contineri partibus, potentia scilicet et misericordia, juxta illud psalmi LXI : *Duo hæc audivi, quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia :* Deum vero retenta potestate, Virgini misericordiam attribuisse tanquam sponsæ regnanti.

(9) *Ipsa est regina justitiæ.* Id est regina omnium virtutum. *Justitia enim*, ut libr. VI Ethicorum, inquit Aristot. Peripateticorum princeps, *est virtutum præclarissima, et ipsa est omnis virtus.* Quod testatur Nyssenus, libr. De beat. orat. 4, dum explicans illud Matth. V; *Beati qui esuriunt, et sitiunt justitiam*, A inquit : *Omnis* **179** *virtus nomine justitiæ signatur.* Omnium vero virtutum regnum fuisse a Deipara possessum asserit Idiota, in sua Contemplatione, cap. 2, dum Virginem alloquens, ait : *Nullo genere vacasti virtutum, o Virgo, plusquam beata. Quodcunque donum alicui sanctorum unquam datum fuit, tibi non fuit denegatum, sed omnium sanctorum privilegia omnia habes in te congesta;* et confirmant Rupertus abbas, lib. IV in Cant. canticorum, dum scribit : *Quidquid gratiarum, o Virgo, quidquid virtutum, quidquid operationum cœlestium mundus accepit, emissiones tuæ sunt.* B. Petrus Damianus, in ser. De Assumptione, dum versans illud Cant. cap. III : *Sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii*, subdit : *Universus ergo pulvis pigmentarius in Virgine conjectus est, quia in ea virtutum conventus reverendum sibi thalamum consecravit.* S. Bonaventura, libr. De eccles. Hier., part. IV, circa finem, fatus : *In ipsa*, B Deipara, *omnium virtutum genera sine mensura et numero sunt inserta.* Denique, ut alios omittam, Hieronymus in serm. de Assumpt. in hunc modum loquens : *Si diligenter attendas, nihil est candoris, nihil est splendoris, nihil est virtutis, quod non resplendeat in Virgine gloriosa.* Sed non solum virgo Deipara est regina justitiæ, prout justitia omnium virtutum aggregatione coalescit, sed etiam prout justitia specialis est virtus **180** unicuique tribuens quod suum est. Hanc enim adeo eminenter ac basilice possedit, ut ejus jure merito et sit et dici possit regina. Unde Richardus a S. Laurentio, libr. IV De laud. Virg., col. 277, de ejusdem Virginis justitia locutus dixit : *Justitia reddit unicuique quod suum est, et Maria angelo salutanti discretam reddit responsionem, scilicet : « Quomodo fiet istud?* (*Luc.* I.) » *Deo laudem, et gratiarum actionem dicens : « Magnificat, etc.* (*ibid.*) » *Hominibus sufficientem instructionem, dicens* (*Joan.* II) *: « Quodcunque dixerit* C *vobis facite. » Item ipsa reddidit « quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo* (*Matth.* XXII); » *reddidit enim Deum mundo, quem per Evam mundus amiserat, et mundum, id est amatores mundi, quantum in se est, reddere Domino nunquam cessat precibus, meritis et exemplis; per ipsam enim specialiter factus est et Deus mundi et mundi Deus.* Sic ille. De justitia autem B. Virginis plenissime et pientissime inter alios Dionysius Carthusianus, libr. III De laud. Virg., art. 12, et libr. III De præconio Mariæ, art. 4, quem legisse non pœnitebit.

(10) *Lex et prophetæ usque ad Mariam.* In Maria enim finem acceperunt quæ a lege et prophetis dicta sunt, et Mariæ omnium rerum finis obtigit, cum omnium figurarum ipsa ostenderit eventum, ut probat Georgius archiepiscopus Nicomediensis in orat. de Præsent. B. Virg. Quo respiciens Andreas Cretensis **181** Orat. de Dormit. Deiparæ, Mariam vocavit *Finem testamentorum, quæ fecit nobis Deus*, et S. D Ildephonsus, serm. 1 de Assumptione ad Mariam concurrisse dixit *Omnia eloquia prophetarum, et omnia ænigmata Scripturarum.* Nec omittendus Rupertus abbas, qui, libr. I, in Isaiam, cap. 34, asseruit *in Mariæ utero omnium prophetarum sanctorum completum esse propheticum.* Hinc S. Bonaventura in Laude B. Virginis, cum ostendisset Mariam Deiparam in sacra Scriptura et prophetis multipliciter figuratam, nempe per fontem qui ascendebat de terra (*Gen.* II), per lignum vitæ plantatum in medio paradisi (*ibid.*); per paradisum irrigatum a fluvio voluptatis (*ibid.*); per arcam Noe, per quam fuit genus humanum tempore diluvii conservatum (*Gen.* VI et VII); per arcum cœlestem quem Dominus posuit in signum (*Gen.* IX); per scalam quam vidit in somnis Jacob (*Gen.* XXVIII); per rubum qui ardebat, et non comburebatur (*Exod.* III); per vas, in quo servatum fuit manna (*Exod.* XVI); per virgam Aaron, quæ habuit fructum præter opus naturæ (*Num.* XVII); per stellam et virgam, de quibus prophetavit

Balaam (*Num.* xxiv); per concham Gedeonis, de qua habetur (*Judic.* vi); per domum Domini quam ædificavit Salomon, et gloria Dei eam implevit (*III Reg.* vi); per Abigail, quæ fecit pacem inter Nabal et Davidem (*I Reg.* xxv); per Judith, quæ Holofernem peremit, et populum liberavit **182** (*Judith.* xiii); per Esther, quæ Aman fecit suspendi, et Mardochæum cum populo liberari (*Esther.* vii); per columbam, quæ attulit ramum olivæ Noe, et filiis suis in arcam (*Gen.* viii); per perticam, quæ tulit serpentem æneum in deserto (*Num.* xxi); per portam clausam, per quam vir non transivit (*Ezech.* xliv), et per mulierem, quam vidit Joannes (*Apoc.* xii). Tandem Deiparam alloquens, concludit :

In te totum perficitur,
Quidquid verbis propheticis,
De te Virgo, prædicitur,
Et legis ænigmaticis.
Sive, quidquid angelicis
Tibi verbis exprimitur,
Finitis verbis typicis,
Res manifesta cernitur.
Tu lapis es angularis,
Quæ das figuris terminum.

Vide, si libet, notas nostras ad Mariale S. Germani patriarchæ Constantinopolitani, in notis ad orat. de Nativitate Deiparæ, num. 14, ad illud : *Omnis prophetiæ luculentissimum complementum.*

(11) *Quam qui perseveranter amaverit, non peribit.* Alphonsus Tostatus episcopus Abulensis, quæst. 1 in cap. v libri I Regum, quærens cur Philisthini arcam Dei tangentes non perierint, quemadmodum perierunt Israelitæ, non solum tangentes, sed etiam aspicientes (*I Reg.* vi), inter alias rationes hanc **183** reddit : *Quia*, inquit, *erant nimis devoti circa venerationem arcæ, quod patet, quia impenderunt ei maximum honorem, quem impendere poterunt, scilicet, quia posuerunt eam in loco sacratissimo totius terræ suæ, scilicet, in templo Dei magni Dagon.* Sic ille. Si ergo Philisthini propter arcæ devotionem temporali morte perire non potuerunt, quis putet, aliquem, qui erga B. Virginem devotus fuerit, æterna morte perire posse?

Morte dignus erat sacerdos Abiathar, sicut ad eum dixit rex Salomon (*III Reg.* ii) : *Et quidem vir mortis es.* Sed quia arcam Domini portaverat, vita ei fuit condonata : *Te non interficiam, quia tulisti arcam Domini.* Si igitur ferens arcam non periit, quomodo perire poterit ex corde colens B. Virginem? Sunt qui putant Ozam sacrilegum ab æterna damnatione liberatum, atque æterna salute donatum, quia mortuus dicatur juxta arcam (*II Reg.* ii). Si juxta arcam mortuus non perit, sed æternum vivit, peribitne aliquis, si vivat et moriatur juxta Deiparam? Femina, licet nocens, perire non potest morte violenta, dum infans in utero ejus est, propter infantis innocentiam; nec anima fidelis Virginis devotione gravida æterna morte perire potest propter tantæ Virginis merita. Porro cultores Virginis æterna morte perire non posse, præter Adamum nostrum, asseruit inter alios S. Anselmus, in lib. De miraculis beatæ Virginis, dum **184** dixit : *O felix Maria, sicut omnis peccator a te aversus et a te despectus, necesse est ut intereat : ita omnis peccator ad te conversus et a te respectus, impossibile est ut pereat.* Asseruit B. Hermannus, seu Josephus Steinuelfensis, in hymno ad B. Virginem, dum cecinit :

Gaude, fons, qui non siccaris;
O quam suavis, dum gustaris!
Te qui bibit, non peribit;
Te qui quærit, nunquam perit.

Asseruit B. Petrus Damianus, S. R. E. cardinalis, dum libr. ii, epist. 14, hæc scriptis prodidit : *Nec ad æterni judicis poterit perire conspectum, qui Genitricis ejus sibi providerit auxilium.* Asseruit Albertus Magnus in Biblia Mariæ super Isai. prophetam, A dum ibi hæc dicit : *Gens et regnum, quod non servierit tibi, o Mater mea, peribit* (Glossa : *in die judicii*). Quasi dicat : *Ergo qui servierint ei non peribunt.* Asseruit S. Bonaventura in Psalterio B. Virginis, sic ibi Deiparam allocutus : *Pax multa diligentibus te, Domina, anima eorum non videbit mortem in æternum.* Asseruit Richardus a S. Laurentio, lib. ii, De laud. Virg. in hæc verba scribens : *Servire Dei Genitrici debes, dum vivis, post mortem vivere si vis.* Asseruit Ludovicus Blosius dum in Canone vitæ spiritualis, cap. 18, his dictis usus est : *Fieri non potest ut pereat qui Mariæ sedulus et humilis cultor fuerit.* Asseruit **185** denique pius anonymus auctor, apud eumdem Blosium inter dicta Patrum, cap. 5, dum hanc ibi orationem fudit : *Enimvero in æternum perire non potest, quisquis illam* (Mariam) *devote, et perseveranter colit atque invocat.* Opportunissime huc facit, quod refert Cæsarius Heisterbachensis homil. 1, in Dominica Septuagesimæ, nempe : B *Cum duo adolescentes apud Toletum in necromantia simul studerent, ut unus illorum ingravescente infirmitate moriturus esset, alter eum adjuravit quatenus infra trinarium, sibi apparendo, in quonam statu esset indicaret. Quod cum ille promisisset, post mortem socio, sedenti in ecclesia et psalmos legenti pro anima ejus, visibiliter adfuit, asserens se in maximis pœnis esse, et æternaliter propter studium artis diabolicæ damnatum, et adjecit : « Revera necromantia secundum titulum suum mors est animæ, et, si in illa decesseris, simul mecum tormentis æternis subjacebis. » Cui cum diceret : « Ad qualem vitam mihi consulis? » Respondit ille : « Ad ordinem Cisterciensem. » Et adjecit : « Non est aliquis ordo in Ecclesia, de quo tam pauci descendant ad inferos; habent enim specialem Advocatam* (*Dei Genitricem notans*) *quæ non sinit illos perire. »* Hactenus Cæsarius. Expende hoc ultimum, *quæ non sinit illos perire.*

186 NOTÆ AD SERMONEM III.

C (12) *O quam mira novitas, Virgo mater!* Admirandam hanc virginis simul et matris novitatem, seu stupendum hunc virginitatis una cum fecunditate nexum, licet nostrum intellectum omnino excedat, sitque omni nostra oratione longe superior : celebrant tamen in suis operibus multi sanctorum Patrum, videlicet S. Josephus confessor in Menæis Græcorum, die 4 Januarii, ode 8, illis verbis : *O miraculum super omnes miraculorum fines elevatum, qua ratione perfrui potes virginitate simul et partu undique purissima Numinis Sponsa!* S. Joan. Chrysostomus, homil. 49 in Gen. dum inquit : *Audiens quod virgo peperit, admirare et obstupesce, sed ne sis incredulus miraculo.* Titus Bostrensis, ad caput i Lucæ, ad illa verba : *Quia fecit mihi magna*, dum in persona Virginis sic fatur : *Admirabilia per me operatus est, nam cum virgo essem, præpotenti illius voluntate naturæ fines supergressa concepi, nulliusque viri commercio usa, digna effecta sum, quæ* D *non cujusvis promiscue, sed unigeniti Filii Dei mater fierem.* Origenes homil. 1 in diversos, dum ibi scribit : *O magnæ admirationis gratia! Ipsa eademque virgo, ipsa et mater Domini. Quis unquam ista audivit? quis vidit talia? et quis cogitare potuit ut mater virgo esset,* **187** *et intacta generaret, quæ et virgo permansit et genuit? Sicut enim quondam rubus comburi videbatur, et ignis eum non tangebat, et sicut tres pueri in camino ignis inclusi habebantur, et tamen eos non lædebat incendium, nec odor fumi erat in eis; vel quemadmodum Danieli intra lacum leonum incluso claustris non apertis allatum est prandium ab Habacuc, ita et hæc Virgo sancta genuit Deum, sed intacta permansit, mater effecta est, sed virginitatem non amisit.* S. Cyrillus Alexandrinus, homil. 6 in Nestorium, dum hac utitur oratione : *Et quis adeo valet eloquio, ut plurimum laudatam Mariam satis celebret? Ipsa est mater et virgo : o rem admirandam! Miraculum hoc me*

stupidum reddit. Paulus episcopus Emissenus, homil. de Incarnat. Christi, Alexandriæ dicta, quæ habetur in parte concilii Ephesini, dum exclamat: *O rem admirandam! parit virgo; fit mater, et tamen non omnia patitur exacte quæ matribus competunt. Miraculum hoc Isaias propheta quondam prævidens, exclamavit dicens: « Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium (Isai. VII).* » S. Gregorius Nyssenus, dum in orat. de Christi Nativ. in has voces erumpit: *O miraculum ingens! virgo mater fit, et virgo permanet. Vides opus novum naturæ? in aliis feminis quandiu virgo aliqua est, mater non est: posteaquam enim mater facta fuerit, virginitatem non habet: hic vero duo* **188** *illa nomina simul concurrunt, eadem enim et mater et virgo est.* Et Alanus Insulensis, in Anticlaudiano, libr. V, dum canit:

Hic superos cives proprio præcellit honore
Virgo, quæ proprium pariendi lege pudorem
Non perdens, matris meruit cum virgine nomen.
In qua concordant duo nomina, lite sepulta
Quæ secum pugnare solent, litesque movere.
Nec jam discordant mater virgoque, sed ipsis
Litibus exclusis, se pacis ad oscula vertunt.
Hic natura silet, logicæ vis exsulat omnis.
Rhetoricæ perit arbitrium, ratioque vacillat.
Hæc est, quæ merito divini muneris usu
Nata Patrem, Natumque parens concepit, honorem
Virgineum retinens, nec perdens jura parentis.

Sileo S. Proclum Constantinopolitanum, homil. de Christi Nativitate, ubi asserit: *Stupendam sane planeque inauditam esse hanc virginis et matris copulam;* S. Ambrosium, in libr. De institut. virg., cap. 5, ubi affirmat *virginem parturire majus esse miraculum quam mortuum reviviscere;* Arnoldum Carnotensem, in tract. De laud. Virg., ubi pronuntiat, *in supernis et infernis admirationi esse virginem* **189** *puerperam.* Lectoremque plura de hac materia sitientem remitto ad S. Ildephonsum in libr. De virg. S. Mariæ, cap. 2; D. Bernardum, homil. 1 super *Missus est*, et serm. 3 in vigilia Natalis Domini; Richardum Victorinum, libr. I De Emmanuele, cap. 12. et libr. II, cap. 25; Ricchardum a S. Laurentio, libr. IV De laud. Virg., col. 253 et 254; et alios. Pulchre enim ille, et vere:

Natura quod recusat,
Quod usus ipse nescit,
Quod nulla mens prehendit,
Quod sidera obstupescunt,
Quod terra contremiscit,
Quod omnia reverentur,
Vis, Christiane, dicam?
Virgo Deique mater.

(JACOBUS PONTANUS, libr. V *Florid.*).

NOTÆ AD SERMONEM IV.

Sermonem hunc germanum esse Adami nostri fetum, patet e Goffrido Tilmanno, in allegoriis super cap. II Lucæ, ubi ex hoc sermone deprompta, sub nomine Adami Persen., duo notabilia fragmenta adducit.

(13) *Purificari hac credendum est purissimam Domini matrem,* etc. Si tergi possunt primæ nives, si emaculari potest eboris candor, si mundari potest fons illimis, si limpidus **190** solis radius in undis eget immergi, ut innocuæ lucis sordes eluat, Maria quoque purificatione eguit. Cum enim purificari non possit nisi impurum, emaculari nisi fœdatum, detergi nisi infectum, ablui nisi sordidum, quid in Maria impurum purificandum, quid fœdatum emaculandum, quid infectum detergendum, quid sordidum abluendum? profecto nihil. Nonne Maria, teste S. Ephrem Syro, in orat. de Laud. Virg., *Purior solis radio et splendoribus?* Nonne ipsa, teste Psello, in cap. VI Cant., *Puritate cherubim et seraphim antecelluit?* Nonne eadem, teste Anselmo, in libr. De conceptu virginali, cap. 18: *Tanta nituit puritate, ut major sub Deo nequeat intelligi? Quid igitur in ea purificandum esse potuit,* inquit, serm. 1 De purif.; Guerricus abbas Ignacensis, *quæ virgo concepit, virgo peperit, virgo permansit, imo quæ ipso conceptu plane purificata fuit? Quid, inquam, mundandum habebat conceptus ille, qui solus facere potest mundum de immundo conceptum semine, qui fontem, quo immundus purificatur, edidit, fontem domus David, qui hodie patet indefesseque scatet in ablutionem peccatoris et menstruatæ?* Sic Guerricus. Apposite proinde B. Virgo (*Cant.* VI) lunæ fuit a Spiritu sancto assimilata, *pulchra ut luna.* Sicut enim luna, licet maculas quasdam se aspicientibus habere videatur, revera tamen nullam in se habet maculam, ut tradunt philosophi, **191** ita B. Virgo, licet accedens ad purificationem, maculam quamdam purgandam habere hominibus visa fuerit, revera tamen pulcherrima, prorsusque immaculata semper exstitit. *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te* (*Cant.* IV). Quare autem B. Virgo, cum purificatione non egeret, nec esset purificationis legi obnoxia, voluerit tamen purificari, et se ipsam purificationis legi subdere, optime inter alios edisserit Joan. Baptista Novatus, tomo I De eminentia Deiparæ, c. 14, quæst. 2, ubi novem hujus rei affert rationes.

(14) *Non Mariæ, sed nostra per Mariam purificatio facta est.* Quod Mariæ purificatio nostram impuritatem abraserit, erudite ac ingeniose probat Josephus de la Zerda in sua Effigie Trinitatis, academia 23, sect. 1, quem tu consule.

NOTÆ AD SERMONEM V.

Est hic sermo omnino pulcherrimus, suoque auctore dignissimus: cujus memini in bibliotheca Mariana, parte I, in Adamo Perseniæ abbate.

(15) *Mulierem itaque fortem sane possumus intelligere matrem sapientiæ Mariam.* Per mulierem fortem, de qua Salomon, Proverbiorum **192** cap. ultimo, cum Adamo nostro Deiparam intelligunt S. Bernardus, serm. 9 inter parvos, et serm 2 super *Missus est;* Absalon abbas, serm. 3 De Purific. B. V.; Albertus Magnus in Biblia Mariæ super librum Proverbiorum; Richardus a S. Laurentio, libr. IV De laud. Virg., col. 221 et 225, libr. VI, col. 417 et 418, et lib. XII, col. 989; S. Antoninus archiepiscopus Florentinus, IV parte Sum. theol., tit. 15, cap. 44; S. Bernardinus Senensis, tomo 1, serm. 52, qui est de angelica salutatione; Petrus Blesensis, serm. 1 in Adventu Domini; atque alii plures. Mulieris autem nomine (ut de fortis cognomine nunc sileam) rectissime ac sapientissime Virgo Deipara nuncupatur, vel quod mollescat affectu, utpote misericordiæ mater, ad teneritudinem pietatis, ut hic inquit Adamus noster; vel quod meritis et precibus suis emolliat Dominum, ut punitionis et vindictæ erga hominem ob peccata obliviscatur, ut probat Richardus a S. Laurentio, libr. VI De laud. Virg., col. 415 et 416; vel ne ob divinæ maternitatis summæque sanctitatis excellentiam, a creaturæ pusillitate exempta, in deitatis fastigium collocaretur, atque ab hominibus ut Dea adoraretur, ut colligitur ex Epiphanio, hæresi 79; vel ne non vere mater quibusdam putaretur, cum non defuturi essent, teste Gotfredo, libr. VII, q. 6, qui Virginem non proprie peperisse docturi essent, Christumque cum Manichæis, ut habet **193** S. Augustinus, libr. De hæresibus, cap. 51, et lib. I contra Julianum, phantasma credituri, quinimo cum Valentinianis nihil ex ea corporis assumpsisse, ut tradit Bernardus Luzemburgicus in Catalogo hæreticorum, sed cœlo delapsum, per eam, velut laticem per fistulam transivisse. Vel denique ex virginea fecunditate, cum licet sit virgo, sit etiam mulier, id est mater, ut expressit Alb. Magnus in Mariali, cap. 35, dum scripsit: *Prophetiæ quæ de persona beatissimæ Virginis loquuntur, ipsam appellant modo virginem, modo mulierem. Isaias* (VII): « *Ecce virgo concipiet,* » *Jeremias* (XXXI): « *Mulier circumdabit virum,* » *ad signandum videlicet quod habitura fuerit et virginis integritatem et mulieris*

fecunditatem. Sic ille. Nec audiendi sunt hæretici, qui mulierem, pro ea quæ corrupta est virumque passa, tantum usurpari mentiuntur, cum, ex usu sacræ Scripturæ communique doctorum sensu, mulieris nomen commune sexus vocabulum sit, neque minus ad virginem quam ad nuptam pertinere inveniatur. Probat hoc S. Augustinus, libr. De fide contra Manichæos, cap. 22, tum ex testimonio Moysis, tum ex Hebraicæ linguæ proprietate; probat et Origenes, homil. 8 in Levit., ex vulgari usu loquendi, et sic ratiocinatur *Si recte dicitur vir ille, pro sola temporis ætate, qui nullius admissionem feminæ noverit, quomodo non eadem consequentia etiam virgo, quæ intemerata* **194** *permansit, pro sola ætatis maturitate mulier nominetur?* Tertullianus quoque, libr. De velandis virginibus, idem clarissime docet, mulieris scilicet nomen ita in Scripturis accipit ut etiam iis competat feminis, quæ viros passæ non sunt, et ad sexum ipsum, non autem ad gradum sexus pertinere. Vide Cyrillum Hierosolymitanum catech. 10: Gaudentium serm. 9 in Joan., Primatium in Epist. ad Galatas, et præsertim S. Ambrosium in libr. De institut. virg., cap. 5, ubi inquit : *De mulieris nomine quid movemur? Ad sexum retulit; non enim corruptelæ, sed sexus vocabulum est, vulgi usus non præjudicat veritati* Sic ille

(16) *Num alibi nomen mulieris veritas a virgine removere videtur.* Licet, ut dixi, mulieris nomen commune sexus vocabulum sit, neque minus ad virginem quam ad nuptam pertinere inveniatur, attamen, cum saltem aliquando mulieris vox, stolidi vulgi arbitrio, signet corruptelam, juxta illud Quinctiliani, lib. VIII, cap. 4 : *Objurgantibus quod* (Cicero) *sexagenarius Popiliam virginem duxisset; cras mulier erit,* inquit. Hinc est quod Patres nonnulli de Maria Deipara virgine loquentes, ad significandum nullum in ea vel minimum corruptionis fuisse vestigium, a mulieris vocabulo abstinuerunt, virginemque a muliere distinxerunt, ut ex eorum verbis hic appensis cuilibet potest esse perspicuum. **195** Ambrosius super illud Luc. VII : « *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista :* » *Nunquid etiam major est Salvatore? absit! Joannes enim natus mulieris, Christus autem virginis natus est : ille corruptibilis uteri sinibus fusus est, iste impollutæ vulvæ flore progenitus.* Idemque in cap. I Lucæ, ad illa verba : « *Et cogitabat qualis esset ista salutatio :* » *Erubescebat ergo Maria, erubescebat etiam Elisabeth. Et ideo videamus quid intersit inter mulieris et virginis verecundiam. Illa de causa erubescebat, hæc pro verecundia. In muliere modus pudoris adhibetur, in virgine pudoris augetur gratia.* Cyrillus Hierosolymitanus, catech. 12 : *Et nos recipiamus Verbum incarnatum vere non ex voluntate viri et mulieris, ut hæretici dicunt, sed ex virgine et Spiritu sancto.* Epiphanius, lib. I contra hæreses, hæresi 30 : « *Ecce Virgo in utero habebit.* » *Virgo autem non appellatur, quæ viro conjuncta est, et nuptiis copulata mulier.* Petrus Chrysologus, serm. 117 : *Ubi sunt, qui conceptum Virginis Virginis partum mulierum partubus existimant exæquandum, cum illud de terra sit, hoc de cœlo?* Clemens Alexand., lib. I, Pædag., cap. 6 : *Mulieres quidem prægnantes, cum matres factæ fuerint, lac emittunt, Dominus autem Christus fructus virginis.* Syricius papa, epist. 2 adversus Jovinianum, in tomo I conc. : *Per mulierem mors successit, per Virginem salus* **196** *evenit.* Petrus Damianus homil. de Assump. B. V. : *Non secutus est dolor partum, quia non præcessit libido conceptum. Dictum namque fuerat Evæ : « In dolore paries filium* (*Gen.* III). » *Quæ sententia in aliis matribus viguit, in Maria vero modum sui juris amisit. In mulieribus fixa perstitit, in virgine prævalere non potuit.* Origenes, in Levit. homil. 8 : *Addi quoque ad hoc etiam illud potest, quod lex ista, quæ de immunditia scribitur, ad mulierem pertinet : de Maria autem dicitur quod virgo concepit et peperit. Ferant ergo leges contra mulieres,* A *virgines vero ab his habeantur immunes.* Denique S. Ephrem Syrus, de margarita pretiosa : *Facta est sancta Maria, non jam mulier, sed virgo et gratia plena.* Quod si aliqui mulierem nuncuparunt, statim etiam virginem appellarunt, ne suspicio aliqua corruptelæ subreperet, dimidiatumque vocabulum occasionem præberet erroris. Audi Dionysium Areopagitam in Menæis Græcorum : *Nostram quidem carnem assumpsit, sed supra humanæ substantiæ modulum, etsi enim ex muliere, non tamen ea qualicunque, sed virgine.* Audi Nazianzenum, orat. 35 : *Natus quidem est, sed etiam genitus erat, ex muliere quidem, cæterum virgine.* Audi denique Chrysostomum, in cap. I Isaiæ, ad illa verba : « *Butyrum et mel comedet :* » *Nec enim in eo singula quæque evariabant, et neque in eodem omnia nobiscum communia. Nam quod* **197** *ex muliere natus sit, commune est omnibus; quod autem ex virgine, nostra omnium conditione est augustius.*

B (17) *Nihil prima et æterna generatione sublimius, nihil secunda et incorrupta nativitate mirabilius.* Pulcherrime de hac utraque Christi generatione, divina scilicet et humana, S. Maximus, hom. 6 de Natali Domini, et hom. 5 in Epiphan.; S. Joan. Damasc., orat. 1 de Nativ. Virg.; Albertus Magnus, in Postillis super cap. II et XI Lucæ, et super cap. I Matthæi; Goffridus Vindociencis, in serm. de Purif. B. Virginis; Hugo Victorinus, tom. III, collatione tertia de Verbo incarnato; Origenes, homilia 3 in diversos; B. Thomas a Villian., Conc. 2, de Nativ. V.; et, ut alios omittam, S. Augustinus, tom. X, serm. 18, de Nativit. Domini, qui est sermo 22, de Tempore, cujus solius verba, dignissima lectu, hoc loco afferre non piget. Sunt autem hujusmodi : *Hac die est natus ex Virgine matre, qui ante sæcula æternus est genitus ex Deo Patre. In illa nativitate ex impassibili nascitur Genitore; in ista ex incorrupta* C *natus est virgine. Illam solus Pater scivit ipse qui genuit; hanc in se sola Virgo et mater intemerata cognovit, quæ virum in concipiendo non pertulit. In Patre impassibilitas, in matre incorruptibilitas. In Patre perpetua divinitas, in matre æterna virginitas. Ex Patre invisibiliter, ex matre visibiliter sed incomparabiliter ex* **198** *Patre, atque incomparabiliter ex matre : quia incorruptibiliter in illa nativitate Patrem Deum habet sine homine matre; in ista matrem habet virginem, sed hominem non habet patrem. In illa coæternus est Patris et coæternus auctoris, in ista filius est virginis, et auctor est matris : ipse enim formavit uterum, qui descendit in uterum; exivit de utero, et non corrupit uterum, ut qui Deum Patrem habet in cœlis, virginem matrem haberet in terris. In illo sine tempore genitus, in ista in fine temporum natus; in illo nascitur sine fine, in ista concipitur sine semine; in illo sine initio generationis, in ista sub conditione legis et* D *carnis; in illo invisibilis Deus, in ista visibilis homo per corpus, quia « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I) »; *in illo impassibilis, in ista mortalis; in illo excelsissimus, in ista subjectus; subjectus siquidem injuriis passionis et mortis, mortis autem crucis.* Sic ille.

(18) *Quam fortis hæc mulier fuit!* De B. Virginis fortitudine summa optime Albertus Magnus in Mariali cap. 101, ubi in hunc modum philosophatur : *Quidquid est fortius fortiore, fortius est infirmiore : Beatissima Virgo fuit fortior tribus fortioribus omni viatore : ergo ipsa fuit fortior omni viatore! Tres fortiores omni viatore sunt Deus, mors, diabolus. Humilitas beatæ Virginis Deum superavit quodammodo, quando eum de cœlis ad terras humilitate deducens, charitate vinculatum* **199** *pariter, et humiliatum, et vulneratum in sua virginitate incarceravit. Unde* (*Cant.* I) : « *Dum esset Rex in accubitu suo,* » *etc. Et Prov.* XXXI : « *Mulierem fortem quis inveniet? procul, et de*

ultimis finibus pretium ejus. › Ultimi fines sunt A *deitas et humanitas, maxime a se distantes. Unde fortissima mulier fuit quæ hæc conjunxit. Sic ergo fortitudo beatissimæ Virginis rigorem fortitudinis, et divinæ severitatis superavit, de quo* (*Num.* XXIII) : ‹ *Cujus fortitudo similis est rhinocerotis,* › *cujus fortitudo in gremio Virginis mansuescit, et sic patet per quem modum beatissima Virgo Dei fortitudinem superavit. Item, secundus, fortis est mors, cui nemo mortalium resistere potest* (*II Reg.* XIV) : ‹ *Omnes enim morimur, et quasi aquæ dilabimur super terram, quæ non revertuntur.* › *Hac fortior erat beatissima Virgo, quæ mortem destruxit, sicut enim mors intravit per feminam, et vitam destruxit, ita et beatissima Virgo fuit destructio mortis, et ita fortior fuit morte. Tertius, fortis est diabolus, de quo dicitur* (*Job.* XLI) : ‹ *Non est potestas super terram, quæ ei possit comparari.* › *Beatissima Virgo fuit fortior illo, juxta illud Gen.* III : ‹ *Ipsa conteret caput tuum.* › B *Item, actus fortitudinis essentialiter est firmiter adhærere. Beatissima Virgo adhærebat Deo inseparabiliter. Ergo fuit aliis fortior improportionabiliter. Item, actus fortitudinis est terrenas cupiditates* **200** *non tantum reprimere, sed penitus oblivisci; hoc autem non contingit in aliquo viatore in via, interim quod fomes aliquo modo viguit; sed solum in Virgine potuit, in qua fomes exstinctus fuit. Ergo habuit actum fortitudinis per modum patriæ, et super omnem viatorem sine proportione.* Hæc Albertus, l. c., quæ fere repetit in Biblia Mariæ super Prov., cap. XXXI. Plura autem de fortitudine B. Virginis sitienti ex Patribus aliisque; auctoribus offerunt Novatus de Eminentia Deiparæ, tom. II, cap. 5, quæst. 23 : Miechovius in litanias Lauretanas, tom. II, disc. 389; Raynaudus in dypthicis Marianis, parte II, puncto 6, num. 18; Posarel, in Corona B. Virginis, lib. III, cap. 5 et alii.

(19) *Monasteria Cisterciensium, quæ omnia et* C *memoriæ, et meritis ipsius Matris devotione debita dedicantur.* Cur omnia ordinis Cisterciensis monasteria B. Mariæ Virgini Deiparæ a primis illis Patribus dedicata fuerint, causam reddit Cæsarius Heisterbacensis, lib. I illustrium Miraculorum, cap. I, his verbis : *Quia cœnobium, de quo exierunt* (anno videlicet 1098), *constructum fuerat in honorem beatæ Dei Genitricis Mariæ; tam ipsi, quam eorum successores de eodem novo monasterio* (nempe Cistercio) *propagati, omnes suas ecclesias in honore ejusdem gloriosæ Virginis censuerunt esse dedicandas.* Sic ille. Verba autem sanctorum illorum Patrum **211** quibus omnes ordinis sui ecclesias angelorum Reginæ devoverunt, ex libro Definitionum antiquarum, dist. 3, cap. I, desumpta, ut refert Chrysostomus Henriquez in Menologio Cisterciensi, die 26 Januarii, hæc sunt : *Quoniam gloriosæ Dei genitricis Virginis Mariæ vita inclyta, mirifica dignitas, sanctitas eximia cunctas* D *illustrat Ecclesias, regulat, et informat; omnes ecclesiæ nostræ conventuales in ipsius honorem fundentur et merito dedicentur.* Hæc illi. Licet autem Cisterciensis ordinis ecclesiæ, et monasteria inviolabili Patrum Cisterciensium lege consecrata sint Dei Genitrici, observat tamen in præcitato Menologio, die 15 Augusti, Chrysostomus Henriquez, experientia constare, fere omnia, vel forte omnia in assumptionis B. Virginis memoriam esse dedicata, cum ubique locorum in summo altari inter angelicas turbas cœlos conscendens depingatur Virgo gloriosa, et omnia quæ ipse vidit in Hispania et Belgio sui ordinis monasteria, in memoriam assumpt. B. Virg. cognovit esse constructa. Atque idipsum de monasteriis et ecclesiis ejusdem ordinis per Galliam et Italiam mihi testatus est reverendissimus Pater (cujus amicitia, ob præclaram eruditionem atque doctrinam plurimum glorior) P. Joannes Bona, congregationis reformatæ S. Bernardi ordinis Cisterciensis nunc abbas generalis.

(20) *Qui et candore habitus.* Cum a suæ **202** institutionis initio Patres Cistercienses nigris vestibus uterentur, anno salutis 1101, die 5 Augusti, beatissima Virgo Deipara de cœlo in Cistercium descendit, atque eorumdem habitum de nigro in album colorem mutavit, sub SS. abbate Alberico. Hujus autem rei historia sic habet : *B. Patre Alberico, ejusque monachis laudes et matutinas horas devote canentibus adfuit Deipara Virgo, cœlestium spirituum constipata phalange, præferens manibus candidam et nitidissimam cucullam, quam stupentis Alberici capiti imponit. Sed ecce miraculum miraculo excipitur, simulatque enim habitus ille Alberico impositus est, monachorum in choro canentium cucullæ colorem mutarunt, et quæ antea nigri erant coloris, repente candidissimæ instar nivis colore sunt infectæ, et statim ex oculis servorum suorum Virgo beatissima evanuit.* Hactenus historia. Pro cujus veritate et confirmatione multos allegat auctores Chrysostomus Henriquez ordinis Cisterciensis historiographus generalis, tum in Fasciculo sanctorum ordinis Cisterciensis, lib. I, distinct. 2, cap. 2, et tum in Menologio Cisterciensi die 5 Augusti; quem tu consule. Vide etiam Colvenerium in calend. Mariano, die 5 Augusti, § 2; Benedictum Gononem in Chronico Deiparæ ad annum Domini 1109; et fundatores nostros Marianos, cap. 9.

203 (21) *Virginem nostram potius imitari debuimus.* Cum vera ac solida erga Deiparam Virginem devotio in ejus præsertim sita sit imitatione virtutum, nil mirum est si Patres, ardentissime desiderantes quemlibet Christi fidelium vere ac solido ejusdem Deiparæ Virginis esse devotum, ad ipsius quoque imitationem nos non tantummodo hortari, sed quodammodo impellere in suis operibus satagerint. S. Hieronym., t. IX, in serm. de Assumpt.: *Amate quam colitis, et colite quam amatis, quia tunc eam vere colitis et amatis, si imitari velitis de toto corde quam laudatis.* S. Ambrosius, lib. II De virginit.: *Sit vobis tanquam in imagine descripta virginitas vitaque B. Mariæ, de qua velut in speculo refulget species castitatis et forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid tenere debeatis ostendunt.* S. Ildephonsus, ser. I de Assumpt. : *Imitamini matrem Virginem et sanctos omnes quos laudatis, quoniam non tantum illis nostra prodest laudatio, quantum nobis eorum imitatio. Unde sponso magis placet imitator devotus, quam laudator otiosus, tamen vera laudatio cordis, imitatio est operis.* B. Petrus Damianus, serm. in Epiph. Domini : *Reliquit nobis Maria exemplum ut sequamur vestigia ejus, ut tales simus qualis ipsa fuit. Sic ergo, fratres, ad verum* **204** *solem poterimus pervenire, si Virginis et Stellæ nostræ vestigia fuerimus imitati.* S. Bernardus, homil. I super *Missus est : Si virginitatem in Maria non potes nisi mirari, stude humilitatem imitari, et sufficit tibi.* Hugo Victorinus, sermone in quolibet festo B. Mariæ : *Beatam Mariam pro viribus imitari studeamus, ut ejus meritis et precibus cum ipsa glorificari valeamus. Imitemur B. Mariam sub brevitate temporis, ut cum ipsa gloriari mereamur in diuturnitate æternitatis.* Paschasius Ratbertus, in exposit. psal. XLIV : *Tunc eam* (Mariam) *vere diligitis, si imitari contenditis; tunc vere diligitis si eam sequimini moribus et vita ex toto, quæ nihil aliud quam Deum dilexit.* Amedeus Lausannensis, homil. 5 de Laud. Virg. : *Effecti morum similitudine similes Genitrici Dei, post eam adducemur in templum Regis et filii sui* Absalon abbas, serm. I in Annunt. : *Disce, o radix peccatrix, favilla ignis æterni, disce, inquam, exemplo Mariæ Deo humiliari, et esse subjectus*

« *omni humanæ creaturæ propter Deum* (*I Petr.* II). » *Ecce virga quæ omni petenti patriam proponitur imitanda. Videat unusquisque an velit eam imitari, quoniam in virga furoris flagellabit Dominus eos qui illam contempserint.* Anonymus auctor antiquus in Corona quadam beatæ Virginis, quæ exstat in bibliotheca Vaticana Palatina, num. 3605 : *Debent, qui digne cupiunt ministrare* **205** *B. Virgini, ipsam, quantum possunt, in virtutibus imitari, et saltem a longe currere in odorem unguentorum ejus* (*Cant.* I), *quia sicut dicit auctoritas : Venerari sanctos, et non imitari, nihil aliud est quam mendaciter adulari.* S. Bonaventura, in epistola 25 Memorialium : *Ut tua devotio sit B. Virgini accepta, et reverentia grata, ipsius puritatem et munditiam omni virtute, mente et corpore illibate in te ipso servando, toto conatu nitaris humilitate et mansuetudine ejus vestigia imitari.* S. Antoninus in Summa theolo- A gica, IV parte, tit. 14, cap. 24, § 4 : *Imitando beatam Virginem justi efficimur, et sicut sequendo virgam ligneam recte scribimus, et alia agimus ; ita recta opera facimus, imitando vestigia ejus.* Mauritius de Villa Probata, in Corona nova beatæ Mariæ, serm. 9 : *Apes habent unum regem, cujus ducatum sequuntur ; sic nos virginem sequamur Mariam, et illam imitemur.* Denique, ne longior sim, Gullelmus Parvus, in cap. VIII Cant., loquens cum Ecclesia in persona Dei : *Bene piam matrem meam miraris et veneraris. Sed quia in imitatione totus venerationis est fructus, imitare quam veneraris.* Sic ille. Plura autem de imitatione Deiparæ Virginis habes apud Franciscum Arias in speciali opusculo de hac re, ubi eamdem Deiparam Virginem in humilitate, fide, spe, charitate, devotione, **206** obedientia, castitate, modestia, paupertate cunctis fidelibus proponit imitandam.

NOTÆ AD FRAGMENTA MARIANA.

AD FRAGMENTUM I.

Fragmentum hoc, quod de laudibus beatæ Virginis ex partu Salvatoris prænotari potest, desumptum est ex Adami nostri sermone I in Ascensione Domini, estque instar puri auri pretiosum.

(22) *Ipsi velleri mundo immensus candor accrevit.* Conspirant cum Adamo nostro S. Petrus Chrysologus, S. Fulgentius episcopus Ruspensis, S. Ildephonsus Toletanus, iique omnes qui communi stylo docent Marianæ virginitatis candorem a divino partu auctum, vel Deiparæ virginitatem a puerperio incrementum capessivisse. S. Petrus Chrysologus, serm. 142 : *In tuo partu crevit pudor, aucta est castitas, integritas roborata est, est solidata virginitas, omnes perseveravere virtutes. Ille, quo tibi aucta sunt omnia, nihil minuit* ; et serm. 175 : *Feliciter parturit, quæ virginitatis coronam magis magisque pariendo conquisivit, et gloriam* ; Fulgentius orat. de Laud. B. Mariæ, ex partu Salvatoris : *Crevit partu integritas corporis potius quam decrevit, et virginitas ampliata est potius quam fugata* ; S. Ildephonsus, in **207** libr. De S. virg. cap. 11 : *Nunquam mater, nisi quando et virgo, et postquam mater nobilior et virgo. Definito tempore, hunc qui venerat, egredi sentit, et placido egressionis læta processu, aliter procedentem inspicit quam accedentem scivit. Suæ carnis veritate hunc vidit esse vestitum, et in se sui nitoris ac pudoris integritatem minuisse non sentit, sed potius crevisse cognoscit* ; Aurelius Prudentius, hymno 11 :

Sentisne, Virgo nobilis,
Matura per fastidia,
Pudoris intactum decus
Honore partus crescere ?

Goffridus Vindocinensis, serm. I de Nativ. Domini : *Virgo sancta ante partum, in partu virgo sanctior* ; S. Epiphanius, orat. de Laud. Virg. : *Etiamnum sum virgo post partum, purior, si dicere licet, quam antea* ; denique S. Augustinus, serm. 10 de Tempore : *Virgo partui suo nupsit, virginitatem dum pareret duplicavit.* Quomodo autem Deiparæ virginitas ex divino partu lacta fuerit perfectior et auctior, cum virginitas, tam materialiter quam formaliter, non sit capax augmenti intensivi, plene inter alios explicant Josephus de la Zerda in Maria effigie Trinitatis, academia 22, sect. 3 et 5 ; et Theophilus Raynaudus, tum in Nomenclatore Mariano in Glossario ad illud Virginis elogium : *Femina concipiendo virgo reddita*, tum in **208** Diphtycis Marianis, parte I, puncto 7, numero 24.

B

AD FRAGMENTUM II.

Desumptum est ex sermone quem Adam noster de SS. Trinitate conscriptum reliquit ; estque elegantissimis et pulcherrimis Deiparæ encomiis refertissimum.

(23) *Sed in columna, quam præmisimus, intendamus.* Mariam etiam columnæ elogio celebrant Andreas Cretensis orat. 3 de Dormit. B. Virg. ; Theophanes, in Menæis Græcorum, die 23 Februarii ; Joan. Geometra, in orat. de Annunt. ; S. Bonaventura, in Speculo B. Virg., cap. 3 ; Albertus Magnus, serm. 2 in Annunt., serm. 3 in Assumpt. et in Mariali, cap. 220 ; hymnus Græcus apud Buteonem, pag. 131. S. Antonius de Padua, serm. 5 in Dominica post Trinitatem ; Bartholomæus de Pisis, libr. I De laud. virg. fructu 2 ; et alii, quorum memini in Cæsaribus Marianis, in epistola dedicatoria circa finem.

(24) *Quam firma est, cui et cœlum et terra innititur !* C Nam ut libro III Mythologiarum, inquit S. Fulgentius antistes Ruspensis, aliis episcopus Carthaginensis, verius Fulgentius Placiadas (licet istos multi confundant, ut in Pietate Mariana Græcorum parte I, num. 223, notat vir doctissimus ac eruditissimus **209** P. Simon Wagnereck) : *Cœlum et terra jam dudum ruissent, nisi Maria precibus sustentasset.* Unde Galatinus, lib. VII de Arcanis, cap. 2, cum retulisset ex Rabbi Anchelos totum mundum amore B. Virginis matris Messiæ a Deo sustentari, subdidit : *Mundus enim ipse ob nostras pravas actiones nullo pacto consistere posset, nisi ipsa gloriosa Virgo eum sua misericordia et clementia pro nobis orando sustineret.* Sic ille. Cui totidem fere verbis se subscribit Paulus de Heredia in tract. De conceptione B. Virg. Favet S. Antoninus archiepiscopus Florentinus, dum in Summa theologica, parte I, tit. 14, cap. 4, § 4, ait : *Ut hæc inferiora varientur secundum motum lunæ, ita suis Maria* D *meritis et precibus sustentat mundum, et quasi regit, unde mundi Regina dicitur.* Hæc ille. Vide Novarinum in Umbra virginea, excursu 16, per totum, ubi probans B. Virginem esse mundi totius umbraculum ac munimen, scribit, inter alia, quod ipsa est cœli columna, quæ suis precibus cœlum fulciat ; nec non noster Atlas, quæ vere et absque ullo fabularum figmento, universum suarum orationum humeris sustinet, ne labatur.

(25) *Quæ peccati maculam nescivit.* Et quidem etiam maculam peccati originalis ignoravit B. Virgo ; a qua, ne ab ea in primo conceptionis instanti

inficeretur, fuit per Dei **210** potentiam ac misericordiam præservata. Unde in hymnis missalis cujusdam antiqui, quos affert P. Antonius de Balinghen in Parnasso Mariano, a pag. 23 et deinceps, olim in laudem ejusdem B. Virginis canebatur.

Hæc concepta miro modo.
Est ut rosa cum nitore
Et ut candens lilium.
Ut fructus exit a flore
Est producta cum pudore
Præventa per Filium.
Sicut ros non corrumpitur,
Quando in terra gignitur
Elementi rubigine :
Sic Virgo non inficitur,
Cum in matre concipitur,
Originali crimine.
Interim.
Ave, o dulcis Maria,
Christi mater, et filia,
Ulla sine macula.
Tu a Deo fabricata
In conceptu præservata
Nulla trahis scelera.
Iterum denique.
Ave, Regina cœlorum,
Omni laude dignissima,
Quæ concepta es vitiorum
Sine labe purissima.
Salve, Virgo singularis,
211 *Vere sacra margarita,*
Salve, quia stella maris,
Es sine labe concepta.

Sed plura alibi de hac re. Vide interim quæ scripsi in notis ad Mariale Isidori Thessalonicensis in notis ad orat. 2, n. 5.

(26) *Terribilis dæmonibus apparuisti.* Quam terribilis ac formidabilis sit Deipara dæmonibus, patet ex S. Ephrem Syro in orat. ad Virg.; ex S. Cyrillo Alexan., homil. 6, in Nestorium; ex S. Joan. Damasc. orat. 1 de Nativit. B. V.; ex Chrysippo Hierosol. in serm. de Laud. Virginis, ex S. Petro Damiano in serm. de Assump.; ex S. Anselmo Cantuariensi hymno 2, de B. V.; ex Honorio Augustodunensi, in serm. de Nativit. Mariæ; ex S. Bernardo Claravallensi serm. *In signum magnum*, ex S. Amedeo Lausannensi, homil. 2 et 8, De laudib. Virg.; ex Richardo Vict., cap. 26 in Cant. cant.; ex Alberto magno in Mariali, cap. 75 et 140; ex D. Bonaventura in Speculo B. Virg., cap. 3, 6, 9, 10 et 12; ex S. Antonino Florentino, IV parte Summæ theol., tit. 15, cap. 14 et 45; ex S. Bernardino Senensi, tomo I, serm. 51, art. 3, cap. 2 et serm. 3 de glorioso Nomine Mariæ; ex S. Brigitta, lib. I Revel., cap. 9, 16 et 46, et lib. IV, cap. 108 et 203, et in sermone Angelico, c. 20; ex Mauritio de Villa Probata, in Corona B. V., serm. 21 et ultimo; ex Trithemio abbate, lib. I De miraculis B. Virg. in Urticeto; ex Joan. Gersone tract. 4 super *Magnificat*; ex Dionysio **212** Carthus., lib. III De laud. Virg., art. 11 et 20, et in Cant. cant., art. 20 et 21; denique ex Joan. Hailgrino S. R. E. cardinali, in cap. III Cant. ad illud : *Statura tua assimilata est palmæ*; cujus verbis lectorem hic fraudari non patiar; sunt autem hujusmodi : *Sicut palma, id est arbor triumphalis Dominicæ crucis, terribilis est malignis spiritibus; sic beata Virgo merito suæ rectitudinis malignos spiritus terret atque expellit.*

AD FRAGMENTUM III.

De laudibus B. Virginis, super canticum ejusdem B. Virginis *Magnificat* prænotari potest hoc fragmentum, quod bonam esse partem ex iis tractatibus, quos Adam noster, Trithemio et Possevino, testibus, in quosdam sacræ Scripturæ locos elucubravit, mihi ipsi haud difficulter persuadeo, licet ii

A tractatus, saltem integri, a codice Casamariensi, quo uno usus sum, prorsus exsulent, in alicujus bibliothecæ angulo oblivioni, traditi forsan cum tineis blattisque hucusque pugnantes, vel temporis omnia consumentis edacitate penitus absumpti. Est autem fragmentum hujusmodi, seu potius opusculum Adami nostri pietati erga Deiparam consonum, nec sine magna Mariani affectus accessione a quoquam arbitror legi posse.

(27) **213** *Præ cæteris mulieribus est oleo invisibili uncta.* De hac cœlesti B. Virginis unctione, qua ipsa beata Virgo, non exterius, sed interius inuncta dici potest, non in legalem, sed in spiritualem sacerdotem consecrata; præclare omnino Hugo Victorinus, dum tomo II suorum Operum, in serm. de Assumptione, cum Virgine loquens dixit : *Tu filia delicata et omni gratia plena, charissima in deliciis tuis, uncta es ad gloriam decoris tui, et in signum dilectionis. Unctum paritura, et tu quoque uncta es,*
B *ut ipsum in te unguentum prius excellenter effunderet, quod postmodum in utero tuo singulariter acciperet.* Sic ille. Præclare etiam Albertus Magnus, dum in Mariali, cap. 100 et 211, scripsit : *Beatissima Virgo omnibus aliis improportionabiliter plus habuit unctionis, et præ omnibus consortibus suis oleo exsultationis uncta fuit.* Præclare item Amedeus Lausannensis. dum homil. 3 de laud. Virg. hæc litteris mandavit : *Dei Verbum descendit in uterum Virginis, uterum impollutum, immaculatum, consecratum manu unctionis divinæ.* Præclare quoque Joannes Gerson, dum tomo III suorum Operum, tract. 9, super *Magnificat* hoc posuit theorema : *Maria vespere Jovis sancto et si non fuit insignita charactere sacerdotalis officii, nihilominus tunc, et antea, et postmodum fuit in regale sacerdotium præ consortibus suis inuncta, non quidem ad consecrandum, sed* **214** *ad offerendum hanc hostiam puram, plenam et perfectam in altari cordis sui.* Præclare denique Alanus Varenius
C Montalbanus, dum sermone 5, in laudes supersanctæ Dei genitricis Mariæ in hunc modum philosophatus est : *Legamus Scripturas : inungebantur sacerdotes, prophetæ et reges, inuncta est virgo Maria, velut regina, prophetissa : et longe potiori gradu, quæ sacerdotio refulgens. Mater quippe Domini erat, quo gradu insignis omnium, cum veterum, tum recentiorum Patrum superavit dignitates et eminentiam. Erat quippe jus illud maternum, quod virtute omnes inferiores contineret, superaretque gradus. Nefas erat illam a quoquam heroum superari, quæ Dominum in suo utero continuisset, quæ mater Dei et hominis esset, unigeniti Dei Filii, ipsius quoque Dei vivi et veri, incomparabilis, inenarrabilis, prorsus admirabilis mater. Merito ante omnes dignitate, gradu, ordine efferenda erat, quæ talem tantumque Dominum in tam sancto utero suo conclusisset. Multoties inunctum fuisse David legimus, id quod de sacrosancta et intemerata Virgine sentiendum est, ut instar magni David Jesu Christi filii sui, fuerit delibuta oleo exsul-*
D *tationis, oleo Spiritus sancti, oleo sancti et reconditi a sæculis sacramenti, præ participibus suis, uncta in conceptu suo, uncta dum unigenitum filium conciperet, et tunc quidem exuberantioris gratiæ, et omnis consummatæ* **215** *perfectionis et deificationis oleo :* Hactenus Varenius.

(28) *Columba, in qua manet Spiritus sanctus.* Columbæ appellationem et proprietates cum Adamo nostro Deiparæ adaptant tam multi sanctorum Patrum ac sacrorum doctorum, ut, ni brevitas prohiberet, lectori avido ac Deiparæ cultui ex animo indulgenti longissimum ex iis posset confici inventarium. Legendi sunt S. Epiphanius in sermone de laud. Virginis, ubi Deiparam vocat *columbam puram*; S. Sabbas abbas in Menæis Græcorum, die 24 Martii, ubi vocat *columbam unicam pulchritudinis incorruptæ*; S. Proclus Constantinopolitanus, in orat. 6, ubi vocat *columbam simplicem*; S. Augustinus, tomo X, serm. 35 de Sanctis, ubi vocat *colum-*

bam filii sui; S. Ildephonsus, serm. 6 de Assumptione, ubi vocat *columbam Spiritus sancti*; Isychius Hierosolymitanus, serm. 2 de laud. Virginis, ubi vocat *columbam impollutam*; Joannes Eubeus, in orat. de Conceptione Deiparæ, ubi vocat *columbam purissimam*; S. Joan. Damascenus, in orat. de Assumptione, ubi vocat *columbam sacratissimam*; et in Menæis Græcorum, die 22 Januarii, ubi vocat *columbam electam, quæ mentem habuit pennis inauratis spectabilem*; S. Germanus Constantinopolitanus in Mariali a nobis edito, pag. 102 et 103, ubi vocat *columbam rationalem et purissimam, ob divinum* **216** *animæ candorem nive candidiorem, cœlesti sponso unice dilectam, totam omnino ad spiritus rationes formatam, et quasi in spiritum transformatam, quæ hominibus erroris hiemem jam cessasse ostendit*; S. Althelmus Schireburnensis episcopus, in libro De laude virginitatis, cap. 22, ubi vocat *columbam inter sexaginta reginas, et bis quadragenas pellices, quæ propter perenne puritatis privilegium Monarcham mundi, archangelo pronuntiante, Paracleto obumbrante, præcordiis tripudiantibus feliciter suscipere meruit*; Georgius Nicomediensis, orat. 1 de Præsentat. B. Virg., ubi vocat *columbam irreprehensibilem, quæ malitiæ aucupem devitavit, ejus machinamentis facta sublimior*; Michael Psellus, in cap. VI Cant. cant., ubi vocat *columbam electam inter animas omnium hominum qui salvantur*; Franco abbas Affligeniensis, lib. VI De gratia Dei, ubi vocat *columbam sine felle*; Amedeus Lausannensis, homil. 6 de laud. Virg., ubi vocat *columbam Christi per unionem*; Hugo Victorinus, serm. 34, ubi vocat *columbam simplicitate*; Philippus abbas Bonæ Spei, lib. III in Cant., cap. 7, ubi vocat *columbam sponsi cœlestis, quæ propter æternorum absentiam gemuit incomparabiliter, et suspiravit*; Guillelmus Parvus, in cap. II Cant., ubi vocat *columbam fecundam, virginitate formosam, cujus pullus singularis fuit Christus*; Rupertus abbas, lib. III in Cantica, ubi **217** vocat *columbam sine felle, pullos alienos nutrientem, grana candidiora colligentem, in petris nidificantem, gemitum pro cantu habentem, et juxta Scripturarum fluenta residentem*; Honorius Augustodunensis, in Sigillo beatæ Mariæ, ubi vocat *columbam Christi Spiritu sancto plenam, in quam transfudit Deus Spiritus sancti charismata*: Absalon abbas, serm. 1 de Assumpt., ubi vocat *columbam de arca Noe egressam, id est de Ecclesia ortam, quæ ramum olivæ tempore diluvii in illam retulit, quia aquis vitiorum mundum involventibus Christum de se incarnatum in Ecclesia effudit*; Jacobus monachus, in orat. de Nativ. B. V., ubi vocat *columbam incontaminatissimam*; Joan. Hailgrinus S. R. E. card., in cap. II Cant., ubi vocat *columbam Dei Spiritu sancto illustratam*; Albertus Magnus, serm. 1 de Purificat. B. Virginis, ubi vocat *columbam prudentem, simplicem, fecundissimam, generosam*; S. Bonaventura in Speculo B. Virginis, cap. 8, ubi vocat *columbam fidelissimam, quæ inter summum Noe et mundum diluvio spirituali submersum mediatrix exstitit fidelissima*; Jacobus de Voragine, in Mariali, serm. 2, littera O et V, ubi vocat *columbam innocentissimam, non habentem fel amaritudinis, sed totam plenam dulcedine pietatis*; Matthæus imperator Cantacuzenus, in cap. I et V, Cant. cant., ubi vocat *columbam unigeniti Filii Dei, in oculis nil habentem iniquitatis, sed omnia pura, omnia decore composita*; **218** B. Laurentius Justinianus, in lib. De casto connubio, cap. 9, et De triumphali Christi agone, cap. 18, ubi vocat *columbam Sponsi immaculatam, speciosam, suavem, dilectam atque amabilem*; S. Antoninus archiepiscopus Florentinus, in IV parte Summæ theolog., tit. 15, cap. 24, ubi vocat *columbam sine felle peccati, dealbatam, nive candidiorem, meritorum splendoribus Spiritus sancti fecundatam, muneribus electam et præelectam ex omnibus*; S. Bernardinus Senensis, tomo I, serm. 61, ubi vocat *columbam in*

A *foraminibus petræ, in caverna maceriæ, quia, quandiu vixit, dilatato intuitu, et spatioso volatu per foramina passionum corporis Jesu Christi, et per cavernam vulneris lateralis, semper in ejus doloribus gemuit, et continuo latitavit*; Richardus a S. Laurentio, lib. XII De laud. virg., colum. 952, ubi vocat *columbam quæ, cessante diluvio, ramum olivæ in ore suo detulit ad Noe in arcam, Deum humano generi reconciliatum demonstrans*; Dionysius Carthusianus in caput I Cant. cant., art. 8, ubi vocat *columbam Dei, in qua nunquam fuit radix amaritudinis, felleave austeritas, sed simplicitas sapientialis inviolata*; Paulus de Heredia, in tract. De concep. B. Virg., ubi vocat *columbam felle originalis peccati carentem et a peccato originali mundam*; Trithemius abbas in lib. De miraculis beatæ Virginis in Urticeto, cap. 6, ubi vocat *columbam prudentissimæ* **219** *simplicitatis*; beatus Thomas a Villanova, in conc. de Visit. B. Virg., ubi vocat *columbam celerem, per* B *montium culmina in visitatione pervolantem*; Mauritius de Villa Probata, in Corona B. Virg., serm. 17, ubi vocat *columbam divinam, candidissimam, quæ a superno Rege missa, veniens ad nos, portavit nobis privilegium nostræ reparationis et salutis*. Denique, ne longior sim, Joannes Picus, lib. I in Cant, cap. 13, et lib. III, cap. 3, ubi appellat *columbam originali felle minime fermentatam, et columbam Dei, quæ simplicitatem columbinam, mititatem et humilitatem, insuper donorum Spiritus sancti plenitudinem, et ejus charismatum omnium abundantiam commode exprimere suffecit: tantam enim horum omnium copiam divinitus accepit, ut illa propemodum non ad mensuram assecuta videatur.*

AD FRAGMENTUM IV.

Fragmentum hoc de Maria mediatrice desumptum est ex Adami nostri sermone aureo, quem olim ipse in capitulo Cisterciensi habuit. De titulo autem mediatricis Deiparæ indito, præter ea quæ dixi in notis C ad Mariale S. Germani patriarchæ Constantinopolitani, in notis ad orationem in Annuntiationem, num. 5, vide, si libet, Richardum a S. Laurentio, **220** lib. II De laud. Virg., pag. 86; Albertum Magnum super *Missus est*, cap. 9 et 10; D. Bonaventuram in Speculo beatæ Virginis, cap. 8, et D. Antoninum IV parte, tit. 15, cap. 5 et 13.

AD FRAGMENTUM V.

Desumptum est ex sermone, quem Adam scripsit de Sapientiæ sabbato, piissimisque affectibus erga sacrosanctum Deiparæ Virginis puerperium redundat.

(29) *Si inter collactaneos suos me Jesus meus annumeret.* Præcipui pueri Jesu collactanei (utpote sacratissimis Deiparæ Virginis uberibus admoti, ac purissimo ejus lacte recreati), fuerunt S. Joan. Chrysostomus, S. Fulbertus Carnotensis, S. Bernardus Clarevallensis, S. Dominicus Gusmanius, S. Catharina Senensis, ac B. Alanus de Rupe. D. D Chrysostomo enim, ut habetur in Vita Henrici Susonis, cap. 20, Deipara Virgo sancto cuidam homini sese aliquando visibilem exhibens, sic locuta perhibetur: *Vade ad filii mei ministrum Henricum Susonium, et dic ei meis verbis: Quemadmodum litteris proditum est, de præclaro illo doctore Joanne Chrysostomo, quod, cum puer scholasticus esset, et ante aram se dimitteret in genua, ubi ego ipsa in lignea imagine filium meum in sinu meo lactabam, per eamdem* **221** *imaginem dixi filio, ut paulisper cessaret.* De S. Fulberto, hæc ex multis et gravibus auctoribus Gononus in Chronico Deiparæ ad annum 1020: *Venerabilis Fulbertus episcopus Carnotensis, in mortis constitutus periculo propter morbum, quem sacrum ignem vocant, qui ejus linguam adurebat, quadam nocte, cum plus solito doloribus urgeretur, vidit illustrissimam Dominam cum magno comitatu et apparatu se monentem, ut aperiret os. Quod cum fecisset, subito puella illa formosissima, nempe Dei-*

para, lac sacratissimum ex mamilla exprimens, linguam ejus omnino refrigeravit et sanavit. Eo sacratissimo lacte Fulberti genæ perfusæ fuerunt, guttasque in signum miraculi linteolis pretiosis abstergens, adhuc hodie in prædicta ecclesia videre ac venerari licet. De S. Bernardo Chrysostomus Henriquez Hortensis, in suo Menologio Cisterciensi, die 13 Maii gravissimum hoc adducit testimonium, apud Castellionem hactenus servatum, et a reverendissimo domino Edmundo de Cruce Cisterciensi generali justificatum : *In ecclesia S. Beroli castri Castellionis super Sequanam Lingonensis diœcesis, quædam imago in veneratione et honore beatæ Virginis Mariæ antiquitus exstitit constructa : quæ quidem imago S. Bernardo filium suum obtulit miraculose in ecclesia dicens : Bernarde, suscipe puerum meum, totius mundi Redemptorem. Deinde quoque ultra omnem* **222** *humanæ naturæ virtutem, ac si Christi frater naturalis fuisset, manu dictæ imaginis suscepta mamilla illico B. Bernardo sibi devoto, ore aperto tres guttas lactis ab ejusdem imaginis mamillis profluentes, miraculose distillabat. Quibus sic susceptis ab eodem dictæ imaginis mamillæ guttis, ejusdem Dei Genitricis orator, et Christi Filii sui professor, ac cœlestis militiæ confessor fidelis laudes quamplurimas cœlorum reginæ, sancto spirante Pneumate, ejusdem Mariæ opitulante gratia composuit.* De sancto Dominico, ex ipsiusmet Deiparæ Virginis revelatione, parte II, cap. 3 sui Psalterii Mariani, refert B. Alanus : *Quod cum Dominicus adversus Albigensium hæresim acerrime depugnaret, aliquando in proximam Tolosatibus silvam se recepit, ibique augustissimæ cœlorum reginæ (cui singulare est maledicti serpentis caput proterere, omnemque hæresim interimere, atque exstinguere) opem præsidiumque ardentibus suspiriis, multo lacrymarum imbre, triduana inedia, dirisque corporis castigationibus, carne sentibus propemodum lacerata, varieque excarnificata impensius est deprecatus. Adfuit tandem conspicabilis benigna Mater, jacentem semianimemque erexit, atque in virgineos acceptum amplexus fixo osculo dissuaviavit, castissimisque uberibus appressit.* De S. Catharina hæc ex Joannis Gavaston Opere de SS. Tertiariis ord. Prædicatorum litterarum monumentis **223** consignavit Hiacynthus Choquetius in Lib. de Visceribus Maternis beatæ Virginis erga ordin. Prædic., cap. 5 : *Inter præclara cœli munera, quibus lectissima virgo Senensis Catherina, eximia omnium virtutum gloria toto orbe celebris, enituit ; ac præsertim e plurimis Mariani amoris argumentis, non postremum locum habet, quod angelorum Regina cœlo ad eam lapsa, post suavissima colloquia, post oscula vereque maternos amplexus, sacratissimis suis illam uberibus aliquando admovit et ut virgineo lacte non solum labra proluerel, concessit; verum etiam ut ipsum misericordiæ sinum cœlestis nectaris deliciis ebria, veluti exhauriret, ingenti munere donavit.* Denique de Alano hæc in suo opusculo De rosario B. Virginis scriptis tradit Jodocus Beysselius : *Circiter annos Domini 1470, devotissimus doctor Alanus de Rupe, Dominici Patris, ut professionem ita pietatem erga Christiparam imitatus, antiquatam pene, et aliquot sæculis deficientem Coronariorum fraternitatem in lucem revocavit, utique; ejusdem divæ monitu, quæ quendam Dominicum ad hoc ipsum impulerat.* Et post multa : *Quod autem addunt, omnem fidem exsuperat : Virginem divam exerto ubere lactis copiam Alano oranti aliquando et contemplanti in os fudisse. Quo non penetrat Mariæ pietas? putaret merito quivis hæc non vero quidem similia esse, nisi diligere justos ac pios, quanquam* **224** *mortales, potissima superiorum natura esset.* Hæc Beysselius. Neque a pueri Jesus Collactaneis segregabo clericum illum in Deiparam Virginem mire devotum, cui eadem Deipara Virgo pari munere beneficium lactationis exhibuit, ut lib. VII, Speculi historialis

A cap. 84, memorat Vincentius Belvacensis in hunc modum : *Clericus quidam, sup etente rerum copia, sæculo deditus, matris Dei amorem, et reverendam ejus memoriam, sic animo ejus inlixerat, ut quandocunque ecclesiam ingressus, vel per ecclesiam ei contingeret transitus, nulla sæculi sollicitudo, nulla subripere posset oblivio, quin cum omni devotione et humilitate genuflexus diceret : Beatus venter, qui te portavit, Christe, et beata ubera, quæ te lactaverunt, Dominum et Salvatorem nostrum. Hic aliquando molestia corporis tactus, tantum dolor invaluit, ut linguam suam, et labia dentibus commanducaret; idipsum de membris suis facturus, si permitteretur. Cumque jam lingua et labiis penitus consumptis, vehementer a suis in aliis membris teneretur, jaceretque horrendus aspectu, sensibus corporis exemptus, vidit juxta lectuli sui caput, personam consistere pulchra facie, et reverendo aspectu, quæ (quantum datur intelligi) angelus ejus erat ægroti sui ærumnas deplorans, in hunc modum lamentari*
B *videbatur : Quid, o Domina misericordiæ, fons pietatis? Hoccine est gloriæ et gratiæ salutatorium,* **225** *hæccine est lingua in beatificatione ventris, et uverum, et partus tui, longo usu et ardenti affectu sic assuefacta, ut pene nihil aliud sonaret : Domina, Domina? Si tu dees tuis, quis aderit suis? non sic, Domina, non sic ad nihilum deveniet species hominum, si in te non incipiunt habere refugium. Hæc cum angelus diceret, apparuit mater Dei, et quasi satisfaciens de negligentia in servulum suum, de qua insimulabatur, ad lectum ægri propius accedit. Extracto igitur ubere, visa est immittere in os ejus lactis rorem suavissimum, unde subito linguæ integritatem et labiis antiquum decorem, et in toto ejus corpore pristinam reddidit sanitatem. Redditisque sensibus continuo surrexit sanus et incolumis, et factam circa se misericordiam, etiamsi lingua taceret, repentinæ vitæ et morum mutatione cœpit prædicare : etenim se et sua Dei servitio mancipans, de cætero*
C *vitam duxit religiosam.* Hactenus Vincentius.

AD FRAGMENTUM VI.

Fragmentum hoc de protectione atque imitatione Deiparæ Virginis, exscriptum ex Sermone, quem Adam noster de confessione scripsit, pretiosum magis quam amplum est. Ne vero boni doni particula quempiam præteriret, illud apposui.

226 AD FRAGMENTUM VII.

Fragmentum hoc de laude Virginis matris, quo Adam noster suam erga Deiparam pietatem abunde clarescere fecit, exsulat prorsus a ms. codice Casamariensi, quo usus sum : exstat autem sub nomine Adami abbatis Perseniæ apud Godefridum Tilmannum Carthusiæ Parisiensis monachum in Allegoriis in locos utriusque Testamenti, super librum Ecclesiastici, ex quo mutuo acceptum supra appendi.

(30) *Virgo sane nostra est oliva.* Deiparæ Virginis cum oliva similitudinem (quam late his prosequitur
D Adamus noster), late etiam prosequuntur Absalon abbas, serm. de Nativit. B. Virginis; Philippus abbas Bonæ Spei, lib. IV in Cant., cap. 30; Honorius Augustodunensis in Sigillo B. M.; Jacobus de Voragine, in Mariali, littera O, serm. 2; D. Antoninus, III parte Summæ theologiæ, tit. 31, cap. IV; Bernardinus Bustensis, in Mariali, serm. 2, de Assimilatione beatæ Mariæ; Mauritius de Villa Probata in Corona Beatæ Virg. serm. 22; et latissime omnium Richardus a S. Laurentio, lib. XII De laud. Virg., a pag. 951 et deinceps.

(31) *Periculosum est ergo ad punctum ab illa discedere.* Quod probe agnoscens S. Ildephonsus **227** lib. II De virginit. S. Mariæ, cap. 4 : *Veni,* inquit, *mecum ad hanc Virginem, ne sine hac properes ad gehennam. Veni, abscondamur sub velamento virtutis ejus, ne induaris confusione sicut diploide.* Sic ille. Et quare Lucifer dæmon effectus, et angeli e cœlo in infernum delapsi sunt, nisi quia (ut notant Ga-

latinus, lib. VII De arcanis, cap. 4, et Paulus de A Heredia, in tract. De concept. B. Virginis, non longe a fine) a beata Virgine discesserunt, illam, ut futuram Dei Matrem, colere nolentes, sicut Deus præceperat illis? Quare item Judæi a Deo reprobati, tot mala et calamitates, ut videmus, patiuntur; nisi quia (ut lib. IX, cap. 10, probat idem Galatinus) a B. Virgine recesserunt, illi, ut Messiæ matri, famulari renuentes? Hinc sanctus Anselmus, cum Maria loquens: *Omnis*, inquit, *a te aversus necesse est ut intereat.* Sicut enim pietas, et conversio in Virginem signum est æternæ prædestinationis, ita aversio a Virgine, et defectus pietatis in eam, signum est æternæ reprobationis. Ad quod Salomon in persona Virginis loquens dixit (*Proverb.* VIII): *Qui in me peccaverit, lædet animam suam; omnes qui me oderunt, diligunt mortem.* Unde S. Bonaventura in Psalterio B. Virginis inquit: *Qui digne coluerit illam* (*Mariam*), *justificabitur, qui autem neglexerit illam, morietur in peccatis suis.* Hoc etiam idem Joan. Carthagenæ, hom. 2, de Cultu et B

228 devotione erga B. Virginem significare videtur. Ecclesiasticus beatam Virginem cum rosa componit dicens: *Quasi plantatio rosæ in Jericho.* Etenim sicut ad rosam frequenter apes conveniunt, et ejus virtute fruuntur, atri vero scarabei fragrantiam odoris illius ferre non valentes, longe ab ea discedunt; ita prædestinati, velut argumentosæ apes, ad mysticam rosam Mariæ conveniunt, ut mira ejus virtute fruantur, reprobi vero tanquam spurcissimi scarabei eximiæ suæ sanctitatis fragrantiam sustinere non potentes ab ea longe se sequestrant. Quis vero referre valeat quot mala, miserias, calamitates secum convehat iste a Maria Deipara atque ab ejus cultu et pietate recessus? B. Petrus Damianus, lib. VI, epist. 32, reddens rationem quare quibusdam monachis, qui a Deipara discesserant, solitas ejus laudes intermittendo, innumerabilia prorsus mala, nullo juvante remedio, acciderent, ait inter alia: *Quia matrem C veræ pacis de suo monasterio projecerunt, dignum est ut inquietis calamitatum, tribulationumque procellis atque turbinibus agitentur.* Sic ille. Et quid sumus sine Maria, nisi pisces sine aqua, nautæ sine sidere, corpus sine collo et sine capite? Hinc Mauritius

de Villa Probata, in Corona B. Virginis, serm. 27, afferens illud Ecclesiastici XXIX: *Initium vitæ hominis aqua et panis*; et per aquam beatam Virginem intelligens: *Sicut*, 229 inquit, *pisces non possunt vivere sine aqua, ita nos male haberemus sine beatissimæ Virginis gratia.* D. Bernardus, homil. 2 super *Missus est*, de Maria sub sideris nomine sermonem habens, merito exclamat: *O quisquis te intelligis in hujus sæculi profluvio magis inter procellas et tempestates fluctuare quam per terram ambulare, ne avertas oculos a fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis.* Et Philippus, abbas Bonæ Spei, lib. II in Cant., cap. 7 ad illa verba: *Collum tuum sicut monilia*, in hunc modum fatur: *Ipsa* (*Maria*) *est, quæ invenitur Christo capiti sic subesse, ut non sit dubium reliquo etiam corpori superesse; et ipsa inter caput et corpus videtur locum medium obtinere, nec ad Sponsum filii sponsi possunt nisi matre mediante pertinere, præsente ipsa nobis sponso bonum est adhærere, absente vero non possunt membra capiti cohærere.* Et sane sine Maria quid boni esse potest miseris hominibus?

O amœna vitæ vena,

(canebat dulcissime in hymno suo ad beatam Virginem beatus Hermannus, seu Josephus Steinveldensis,

Languet mea mens egena,
Nil est valens, te non habens,
Perit vadens, male tabens;
Gaude, virga, nunquam arens,
Aret autem tui carens.

230 Ita ut anonymus auctor, in Corona B. Virginis, quæ ms. exstat in bibliotheca Vaticana, cap. 5, verissime scripserit: *Hæc* (*Maria*) *est mulier, quæ ubicunque non est, non est nisi gemitus et egestas* (*Eccli.* XXXVI): « *Ubi non est mulier, ingemiscit egens;* » *ubicunque enim non est Maria per gratiam, non potest esse nisi miseria et egestas.* Sic ille. Faxit igitur Deus, ut nunquam a beata Virgine, per ejus cultus oblivionem, ac pietatis intermissionem, vel ad punctum monumentumque discedamus, ne in ea mala ac incommoda incurramus in quæ ab ea discedentes ejusque cultum negligentes incurrunt.

LAUS DEO AC VIRGINI DEIPARÆ.

ANNO DOMINI MCCV

PETRUS PICTAVIENSIS

PARISIENSIS ACADEMIÆ CANCELLARIUS

NOTITIA

(OUDIN, *Comment. de script. eccles.*, II, 1499)

Petrus Pictaviensis, Petri Lombardi Sententiarum Magistri fidelis discipulus, postea celeberrimus in Academia Parisiensi theologiæ magister, ejusdemque Academiæ cancellarius, claruit vitæ meritis et doctrina ab anno 1160, quam posteris exhibuit variis voluminibus. Distinguitur ab altero ejusdem ætatis, qui S. Petri Cluniacensis abbatis discipulus fuit. Scripsit autem iste *Sententias libris quinque* eruditas, atque ex sanctorum Patrum operibus delibatas, quas postea dente satis maligno arrodere ausus est Gualterus, prior Sancti Victoris Parisiensis, in eo opere quod inscripsit: *Contra quatuor*

Galliæ Labyrinthos, Petrum Abælardum, Gilbertum Porretanum, Petrum Lombardum, ipsumque Petrum Pictaviensem. Opus istud vetustis, ipsique auctori coævis exaratum characteribus, Nicolaus Camusat Trecensis canonicus, eruditorum omnium propriaque fama dignissimus, haud diu ante obitum, transmisit ad dominum Lucam Dacherium, in mutui amoris tesseram, unde transcriptum, procuravit edendum Hugo Mathoud, monachus benedictinus Congregationis Sancti Mauri in Gallia, Parisiis in fol. anno 1655, apud Simeonem Piget, via Jacobæa sub signo Prudentiæ, inscriptum : *Petri Pictaviensis in Academia Parisiensi professoris et cancellarii, Distinctiones seu Libri sententiarum quinque.* Epistola ejusdem ad dominum Guillelmum, Senonensem archiepiscopum, incipit : *In deserto manna colligentes, alius integrum gomor, alius plus, alius minus, pro sua quisque aviditate colligebat*, etc. Distinctionis I, caput 1, quod Deus sit et unus. *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intelligibilia conspiciuntur. Creatura mundi homo dicitur, propter excellentiam quam habet ad creaturas, et convenientiam quam habet cum eis*, etc.

Quo Petrus se subtraheret scholasticorum æmulorum dicteriis, hanc *Summam Theologiæ* suæ, *Guillelmo, archiepiscopo Senonensi* et postea Remensi nuncupavit, uti Historiam ecclesiasticam eidem Petrus Comestor nuncupaverat, idque an. 1170 vel circum circa. Erat autem eo tempore cancellarius Academiæ Parisiensis, in qua per triginta et octo annos theol. publicus postea professor exstitit, ut patet ex elogiis ipsi scriptis a Claudio Hemeræo doctore socioque Sorbonico, in libro *De Academia Parisiensi*, pag. 80, ex Chronico ms. Alberici ad annum 1169 : « Parisiis post magistrum Petrum Manducatorem, magister Petrus Pictavinus cathedram habuit theologiam. » Composuit autem has Sententias, *Guillelmo Senonensi archiepiscopo* ante annum 1175 dicatas, cujus sub anni finem a sede Senonensi ad Remensem translatus est. Et Hemeræus citatus pag. 115 : « Magister Petrus Pictavinus, qui annos duodequadraginta theologiam Parisiis legit, ut supra retulimus ex Chronico. Ad eum missa est epistola Innocentii III de querela comitissæ Blesensis et capituli Carnotensis, quæ citatur cap. *ex parte*, De verborum significatione, una cum decano Parisiensi, et Joanne abbate Sanctæ-Genovefæ, qui fuit successor Stephani Tornacensis. Exstat ejus mentio in quadam littera Mauritii episcopi tradita canonicis Victorinis, pro terminis annualium recipiendorum ex præbendis Ecclesiæ Parisiensis, sub dato 1196. Cœlestinus papa constituit Petrum cum Hugone Clementis decano Parisiensi, pacificatorem ejus litis quæ vertebatur inter monachos S. Eligii in insula Parisiorum, et canonicos Sancti-Victoris, de decimis vini et grani apud Vitriacum : et de instrumento ea de re exarato, pendet adhuc illæsum sigillum *Pictavini*, cum hac perigrapha : *Sigillum Petri Pictavini, cancellarii Parisiensis.* Asservantur in bibliotheca Sorbonæ, *Sermones ejus et Allegoriæ ordinariæ super tres libros legis Mosaicæ, Exodum, Leviticum et Numeros*, etc. de quibus supra. » Hucusque Hemeræus.

Idem de illo Chronicon ms. Alberici ad annum 1205 : « Obiit magister Petrus Pictavinus, cancellarius Parisiensis, qui per annos duodequadraginta theologiam legerat Parisiis, etc. Prædictus vero Pictavinus fecit librum De theologicis sententiis ad eumdem archiepiscopum Guillelmum, cujus etiam habentur sermones, Distinctiones et Postillæ : et qui pauperibus consulens clericis, excogitavit arbores Historiarum Veteris Testamenti in pellibus depingere, et de vitiis et virtutibus similiter disponere. »

Exstat etiam quoddam opus ejus in bibliotheca Victorina, littera D. 1, continens in codice optimæ notæ, scilicet, *Distinctiones Psalterii secundum magistrum Petrum Pictaviensem*, quarum prologus incipit : *Facies mihi tentorium in introitu tabernaculi, pretiosis coribus contextum. Tabernaculum, quo Deus in nobis habitat*, etc. Ibidem insignis *Commentarius Petri Pictaviensis* ac primus forsitan qui unquam in *Magistrum Sententiarum* factus sit, aliud opus ab ipsis Sententiis Petri Pictaviensis. Incipit prologus : *Summa divinæ paginæ in considerandis consulit et agendis, id est, in fidei assertione et morum conformatione*, etc. Cupientes, etc., ut apud Magistrum Sententiarum. *More scribentium præmittit Magister proœmium, et hæc est continentia proœmii*, etc. Quamvis Hugo Mathoud, benedictinus monachus, hoc opus unum atque idem cum *Sententiis ejusdem Petri*, quas edidit, asseruerit, dicens : « Quod tantum in paucis variat ille codex ms. Victorinus ab allegato Trecensi edito, hoc excepto quod Victorinus nonnunquam mutilus est, ac in eo deficit epistola præliminaris ad Guillelmum Senonensem archiepiscopum, aut saltem fugit oculos satis tumultuarie legentium. » Opus autem *Sententiarum Magistri Petri Pictaviensis*, incipiens *in Deserto manna colligentes*, etc., anonymum etiam ms. est in bibliotheca S. Ebrulphi, ordinis divi Benedicti, littera T. 9. Denique omnia fere vel pleraque opera *Petri Pictavini* exstant mss. in bibliotheca Claravallis, nempe *Sententiæ magistri Petri Pictavini, Distinctiones Petri Pictavini in Psalterium et Allegoriæ super Vetus et Novum Testamentum*, ut ex accurato illius catalogo anno 1664 confecto, quem apud me habeo, intellexi. *Allegoriæ Petri Pictavini super Tabernaculum Moysis*, mss. Cantabrigiæ in bibliotheca Pembrochiana, cod. 75. Ejusdem *Allegoriæ super Biblia*, mss. privatim in bibliotheca baronis Lumleii, cod. 231. Porro bibliotheca eadem S. Victoris Parisiensis littera SS. 18, a fol. 85, usque ad 180 : *Summa Petri Pictaviensis de mysteriis Incarnationis Christi*, etc., incipiens : *Qui parce seminat, parce et metet : et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus metet vitam æternam. Ideo ut nos in futuro metamus, seminarium verbi Dei proponimus*, etc. Sed tractatus hic 400 annorum, ob anonymitatem incertus est ; nomen auctoris recentiore manu adjectum est. In eadem bibliotheca Sancti Victoris *Sermones magistri Petri Pictaviensis*, mss. littera QQ. 20, codice optimæ notæ, ubi sub initium codicis charactere antiquo, *Sermones per anni circulum cum exceptionibus magistri Petri Pictaviensis.* Tum sub codicis medium, syllabus seu index sermonum ejusmodi, numero LXVIII, post quem sequitur : *In hac medietate libri continentur Sermones quidam per anni circulum, et notulæ excerptæ de Sermonibus magistri Petri Pictaviensis cancellarii Parisiensis, et magistri Stephani præsulis Cantuariensis, et de aliorum tractatibus, quæ omnia circa curam animarum sunt necessaria, sicut inferius patebit.* Deinde sequitur : *Incipiunt Sermones quidam per anni circulum et quædam notulæ excerptæ de Sermonibus magistri Petri Pictaviensis, cancellarii.* Corpora sanctorum in pace sepulta sunt. *Si unius sanctorum præeminentiam et laudes, et ingenium exercitatum et lingua erudita sufficienter explicare non potest*, etc. Ejusdem aliud opus in eodem codice sub finem, litteris rubricatis, bonæ notæ : *Incipiunt Sermones magistri Petri Pictaviensis. Primus est in festivitate omnium Sanctorum.* Sancti per fidem vicerant regna, etc. *Certo certius est quod sancti omnia regna mundi vicerunt, et præcipue illi duodecim duces*, etc.

Cum vero theologiam per annos triginta octo Petrus docuerit, nulli dubium esse debet, quin senex vixerit. Subscripsit cuidam instrumento seu chartæ Mauricii Parisiensis episcopi anno 1184 hoc modo : *Astantibus Mauricio Parisiensi episcopo, archidiacono, etc., Petro Pictaviensi.* Scripsit anno 1196, ut cancellarius, quoddam instrumentum domus construendæ Parvo Ponti adhærentis, quo tempore Hugo Clemens ejusdem Ecclesiæ Parisiensis decanus erat. Senio tamen confectus, obiit anno 1205. De quo Albericus in Chronico ms citatus antea, et scriptor *Historiæ Universitatis Parisiensis* sæculo XII.

Cæterum ut aliorum ex lapsu sibi caveat Lector, notandum duxerim, fuisse alios duos Petros Pictavinos seu Pictavienses, præter istum Academiæ Parisiensis cancellarium, ab ejus ætate non multum discrepantes. Primus horum discipulus Petri Venerabilis abbatis Cluniacensis, cujus opusculum quoddam habes in *bibliotheca Cluniacensi* (1). Alter Sancti Victoris ad muros Parisienses, canonicus regularis divi Augustini, cujus opus *De pœnitentia seu confessione* ibidem asservatur. Hoc *Pœnitentiale* ibidem cum expresso nomine auctoris in codice optimæ notæ, littera II. 13, inscriptum, *Pœnitentialis F. Petri Pictaviensis canonici Sancti-Victoris*. Item littera QQ. 12, cujus hic titulus a me excussus, litteris rubricatis 400 annorum antiquis : *Compilatio præsens materiam habet confessionem, nullum materiæ profitetur auctorem : sed tot habet auctores, quot habet auctoritates.* Incipit autem : *Hunc modum et curam hujusmodi habent quidam confessores*, etc., nec magnæ prolixitatis est At manu prorsus recenti quæ vix 20 annorum est, sub codicis initium *Petro Pictaviensi canonico Sancti-Victoris*, ex fide alterius ms. codicis antiqui attribuitur, qui fuit olim Alexandri Petavii senatoris Parisiensis, de quo sic loquitur Jacobus Petit in *Theodoro Cantuariensi* tomo I, pag. 341. Qui in ms. codice V. el. D. Alexandri Petavii, vocatur *Petrus de Sancto-Victore*, hoc enim habetur in fine codicis : *Explicit Pœnitentiale magistri Petri de Sancto Victore, emendatum a magistro Jacobo ejusdem Sancti Victoris canonico.* Hic Petro Pictaviensi nostro, qui anno 1205 obiit, posterior ætate exstitit : quippe qui scripsit post Præpositivum et Joannem Beleth, quos citat, imo post Petrum Cantorem, quem in suo *Pœnitentiali* imitatur, in multis tam verbis quam sententiis et similitudinibus : quod adnotasse sufficiat. Philippus Labbeus erudite agit de duobus istis Petris, qui Pictavienses dicuntur, in *Nova Bibliotheca mss. Librorum Latinorum, Græcorum et Gallicorum, seu specimine lectionum antiquarum Græcarum, Latinarum et Gallicarum*, quam ex mss. potissimum codicibus regiæ Galliarum bibliothecæ, anno 1653, in-4, Parisiis edendam curavit apud Joannem Henault, parte II, pag. 25, hujus bibliothecæ, his verbis : « Magistri Petri Pictavini, Parisiensis Academiæ cancellarii Glossæ super Sententias M. Petri Lombardi præceptoris sui ex codice Victorino D. 1, in quo ejusdem *Distinctiones in Psalterium*. Illi ferme suppar exstitit Frater Petrus Pictaviensis, abbatiæ Sancti Victoris canonicus, cujus *Pœnitentialis liber* ms. invenitur in eadem instructissima bibliotheca, una cum altero *Pœnitentiali* magistri Petri de Flamesburgo, ejusdem cœnobii canonici. » Hæc loco citato Labbeus. Agit autem *De tribus istis Petris Pictaviensibus*, paucis quidem, sed erudite ac distincte, Carolus Dufrenius du Cange in *Indice auctorum* quem præmisit *Glossario mediæ et infimæ Latinitatis*, col. 138.

(1) Vide *Patrologiæ* t. CLXXXIX.

PETRI PICTAVIENSIS

ACADEMIÆ OLIM PARISIENSIS CANCELLARII

SENTENTIARUM

LIBRI QUINQUE

In lucem primum editi ac notis adornati opera et studio Domni Hugonis MATHOUD, monachi Benedictini congregationis S. Mauri.

(Parisiis, sumptibus Simeonis Piget, via Jacobæa, ad insigne Prudentiæ, 1655, in fol., cum *Roberti Pulli, S. R. E. cardinalis et cancellarii, theologorum, ut vocant, scholasticorum antiquissimi, sententiarum libris* VIII.)

PRÆFATIO AD LECTOREM

HUJUS OPERIS LECTIONI NECESSARIO PRÆMITTENDA.

Spe frustratus quam in conquirendis aliis Pulli operibus multus conceperam (2), ut debita mole sententiarum illius volumen, prelo proxime supponendum, minime careret, coactus sum in alios ejusdem schematis auctores animum et oculos intendere, aliquem ex illis delecturus Pullo comitem, ne solitarius excurreret. Occurrere duo probatissimæ notæ, nec Roberto dispares, cum ætate, tum scribendi charactere : prior, Robertus de Mileduno, in bibliotheca Victorina religiosius asservatus; alter, Petrus Pictaviensis, fidus Magistri Sententiarum discipulus, Parisiensis academiæ cancellarius, et in ea celeberrimus magister, quem vetustis ipsique auctori coævis characteribus exaratum Nicolaus

(2) Vide *Patrologiæ* tom. CLXXXVI

Camuzatius, Trecensis canonicus, eruditorum omnium suaque fama dignissimus, non diu ante obitum transmisit ad sodalem meum Lucam Dacherium, donarium insigne, mutuique amoris tesseram. Arridebat, quia mihi lectione prior, Victorinus ille codex Roberti de Mileduno; jamque calamum ornandis illius cunis aptaveram, cum mihi relatum illius cœnobii mystas, ad quos attinet liber, hac cura magis utiliter defuncturos, velle domestico fetui obstetricari. Non reluctatus (licet diu sit quod uterum gestant) alterius partum, Petri scilicet Pictaviensis, urgere non distuli, conatu nec perfunctorio, nec, ut reor, inutili. Scripturæ sacræ loca, et SS. Patrum sententias, quas frequentiores habet, sidereis notis ad marginem indicavi. Utriusque consensum præceptoris et discipuli, qui certe perpetuus est, identidem adnotavi, grato quidem Lectori studio, sed auctori maxime profuturo; cujus famæ quam in plerisque lubricam habet, consultum volens, nihil satius duxi quam ut illum sibi doctrinæ ducem ostenderem, quippe quem antesignanum theologorum omnium hactenus venerata est schola. Quo enim anathemate reprobandus qui Magistro Sententiarum dictanti scribentique proximus, nec citra pertinaciam, hæsit? Aut si damnare liceat cum in quibusdam visus est aberrasse a tramite veri, quis non æquius succenseat Lombardo cæcutienti, a quo ne vel latum unguem deflectere, discipulo religiosissimum erat? Et hæc mihi causa ubique hujus operis citandi Magistrum ut vadem ejus, cui prælusit publice dictatis et privatis colloquiis.

Post tot in marginibus notas, quæ quo breviores, eo maxime placent aliis observationibus supersedendum esse sic mecum censui, ut et pauci sint qui non ita sentiant, cum præsertim adverterint nihil fere reperiri in auctore utraque dignum anchora, et cui magis assidere debeat Lectoris animus, quod prius non exstet in Magistri Sententiis, et scriptorum ad illas commentariis, aut emendatum, aut illustratum, aut saltem doctorum ungue notatum: cujus ultimi generis selectos habes articulos ad calcem ultimi libri sententiarum ejusdem Petri Lombardi, in quibus singularis audiit apud omnes, nec immerito scholæ repudium passus. In quos cum pariter impegerit auctor, frustra tentassem mederi morbo præsentioribus remediis, quam quos facile comparabis apud omnes et singulos qui prædictis Magistri Sententiis elucidandis longissimam operam impendere. Ne tamen silentio nostro hæreant incauti, putentque in gratiam auctoris me consulto dissimulasse aut reticuisse illius menda non pigebit ea saltem hic recensere quæ vulnus infligunt, aut ab communi theologorum orbita deflectunt.

IN PRIMO LIBRO.

I. — *Ad caput* 22. Quædam habet de imagine in divinis, quæ sumus infra producturi, dum Waltero fiet satis, solitis dicteriis auctorem exagitanti, et cujus solius gratia hic recensemus.

II. — *Ad caput* 31 *et alibi*. Constanter asserit Spiritum sanctum seu Deum, ipsam esse charitatem in anima residentem; et præter eam, nullam aliam creatam et habitualem reperiri; errantem Magistrum secutus lib. I. Sent., dist. 17, § B, etc., quemque merito schola Parisiensis damnavit, et in angulum rejecit.

III. — *Ad caput* 33. Docet cum Magistro I, dist. 24, quod nomina numeralia in Deo nihil ponunt, sed tantum excludunt. Hæsit tamen in hoc nomine *Trinitas*, seu *Trinus*, de quo non audet diffinire an tantum sit exclusivum, sicut hoc nomen *Unus* cum tamen de utroque parem esse rationem, ambigat nemo. Spectare potuit, præter laudatum ab ipso Ambrosium, quemdam Hilarii locum libro *De synodis*, ubi explicans formulam fidei in concilio Sardicensi editam, innuit divinam substantiam respuere numerum. Verum apud utrumque sensus is esto, *Non plures in Trinitate deos esse*, sic enim ad naturam, ut ad personas non respiciant illi SS. Patres.

IN SECUNDO LIBRO.

IV. — *Ad caput*. 4. Quantum ad meritum angelorum et consecutionem essentialis præmii, cespitat cum Magistro II, dist. 11, cujus opinio anathemate Parisiensi feritur.

V. — *Ad caput* 9. Sic gratis disserit de Adamo: « Tunc legitur interfuisse curiæ angelorum, et prophetasse de diluvio, et multis aliis; sed non postea »

IN TERTIO LIBRO.

VI. — *Ad caput* 13. Censet confessionem esse sacramentum Veteris Testamenti, nec efficere quod figurat; sicut nec conjugium. Cui spurio fulgore præluxit Magister IV, dist. 2, § 1. Quantum ad conjugium, sic: « Alia remedium contra peccatum præbent, et gratiam adjutricem conferunt, ut baptismus: alia in remedium tantum sunt, ut conjugium. » Et ejusdem libri dist. 22, § ultimo, sic habet de utroque: « Sacramentum pœnitentiæ sicut et conjugium ante tempus gratiæ etiam a primordio humani generis fuit: utrumque enim institutum fuit in primis parentibus. » Cujus opinionis vel medelam, vel censuram videas apud sententiarios.

VII. — *Ad caput* 16. Sic auctor: « Sacerdos peccatum non solvit nec quantum ad pœnam, nec quantum ad reatum; sed solvit et dimittit, id est ostendit esse solutum et dimissum a Deo quantum ad reatum, » communis Magistro lapsus IV, dist. 17 et 18. Plura videsis in Observat. ad cap. 13 partis quintæ Roberti Pulli (3).

VIII. — *Ad caput* 24. Consequenter quidem, sed male disserit hoc modo de charitatis augmento: « Charitas enim secundum se nec intenditur nec remittitur, sed secundum effectum; » sic sibi præeunte Magistro I, dist. 17, § H. « Charitas penitus immutabilis est, nec in se augetur vel minuitur, nec in se recipit magis vel minus; sed in homine vel potius homini augetur et minuitur, et magis vel minus datur vel habetur, » etc.

IN QUARTO LIBRO.

IX. — *Ad caput* 2. « Ex circumcisione remittebatur tantum originale peccatum; sed nec gratia adjutrix ad bene operandum conferebatur, nec virtutes augmentabantur; quod totum fit per baptismum, præter remissionem originalis peccati. » Qui nævus etiam apud Magistrum eminet 4, dist. 1, § K. « Ibi enim, *in Circumcisione*, peccata solum dimittebantur, sed nec gratia ad bene operandum adjutrix, nec virtutum possessio, vel augmentum ibi præstabatur, ut in baptismo, » etc. Inter selectos errores hic annumeratur.

X. — *Ad caput* 3. « Cæremonialia fuerunt instituta propter significandum, non justificandum, etsi ex charitate fiant. » Quo obice redditur etiam inæqualis doctrina Magistri 4, dist. 1, § B, et proinde in angulum rejecta a censura Parisiensi. Sibi tamen medetur auctor, vergente ad finem eodem capite.

XI. — *Ad caput* 10. Plurima versat hoc capite, et seqq. Petrus quantum ad existentiam humanitatis assumptæ, ob quæ plures habuit sibi infensissimos, et præsertim Walterum a S. Victore, qui libro peculiari, *Contra quatuor Galliæ labyrinthos, Petrum Abælardum, Gilbertum Porretanum, Petrum Lombardum, ipsumque Petrum Pictavinum*. Tot in eum susurris desæviit, tot dicteriis lacessivit, ut iræ non minus quam veritati indulsisse videatur. Censet autem Christum ut hominem non fuisse *aliquid*, sed *alicujus*, id est naturæ humanæ; nec fuisse constantem ex anima et corpore velut partı-

(3) *Patrologiæ* tom. CLXXXVI, col. 1064.

nus sui, licet eas assumpserit, ut in illis appareret visibilis. *Quandiu*, inquit, *vivebat Christus, non erat aliquid ex anima et carne*: Sed qua ratione id opinatus sit, prodit ipse: « Si ergo ibi notetur unitas personæ, verum est quod Christus secundum quod est homo, est aliquid: id est ipse ens homo est aliquid. Si vero notet causam vel conditionem, falsum est. Non enim humanitas facit eum quid, nisi quasi per violentiam, sicut quidam dicunt, huic nomini *aliquid* imponamus significationem aliam quam substantiæ; ut *secundum quod est homo est aliquid*, id est *alicujus modi, alicujus naturæ*. » Cujus opinionis fundamentum habes et exemplum apud Magistrum 3, dist. 6, § F, ad quod graviter offendit discipulus; ut nec desint qui facile putent eum esse ex illis quorum gratia rescripsit Alexander III ad archiepiscopum Remensem lib. v. Decretal., titulo *De hæreticis*, cap. 7, *Cum Christus*. Ex hac autem opinione non pauca deducit auctor, quæ Christianæ, veritati possent officere, nisi benignius, ut decet, explicentur. Hac de re consulendi theologi qui in prædictam et sequentem Magistri distinctionem scripsere, et præsertim antiquiores, quibus, ut de re suo tempore controversa, uberior erat dicendi seges. Indicantur tantum in margine loca, tum quæ Walterus suo pumice tersit, tum quæ rudioribus nonnihil negotii facessere possent.

XII. — *Ad caput* 21. Quædam habet circa potentiam qua Christus potuit animam deponere; in quæ Walterus, qui supra, cœnobita Victorinus, stylum acuit et zelum. Videndus Magister 3, dist. 21, § C.

XIII. — *Ad caput* 22. Præceptoris vestigiis plus æquo inhærens, docet Christum in triduo mortis fuisse hominem, quia peculiariter in eo necessaria non erat unio substantialis animam inter et corpus ad veritatem humanæ naturæ. Quam erroneam in fide sententiam, sed eo sæculo familiarem, docuere præter alios idem Magister 3, dist. 22, et Hugo Victorinus l. II. *De sacramentis*, parte I, cap. 11, et in *Quæst. super Rom.* I. Sed qua sint censura feriendi, docet D. Thomas 3 q., 50 art. Quam sinceram Christiani doctoris et Angelici indolem non habuit amarulentus ille Walterus, qui sapuit quidem, sed non ad sobrietatem.

IN QUINTO LIBRO.

XIV. — *Ad caput* 5. Opinatur validum fore baptismum si baptizans ab omni circa fidem errore immunis nominet unam tantum SS. Trinitatis personam, aut solum Christi nomen; nec aliter id docet Petrus, nisi quia juravit in verba Magistri 4, dist. 3, § E. Nonnullis adhuc scrupulis illo cap te agitatur; sed ævo quo scribebat facile condonandus.

XV. — *Ad caput* 7, in fine. Iterum a vero dissentire videtur, cum scribit necessarium illis non fuisse Christi baptismum qui a Joanne baptizati fuerant, modo fidem Trinitatis habuerint. Sed aberrantem secutus Magistrum 4, dist. 2, § F, minus erravit.

XVI. — *Ad caput* 8. Singularem habet assertionem hujus initio capitis de efficacia baptismi inculpabiliter iterati.

XVII. — *Ibidem*. « Potuit Deus alicui conferre potentiam creatam, qua peccata dimitteret, sed non dimitteret auctoritate sua, sed potius Christi. » Eamdem fere opinionem in Magistro 4, dist. 5, § ultimo, damnavit Facultas sacra Theologiæ Parisiensis; et inter selectos errores annumeratur.

XVIII. — *Ad caput* 11. Singularis iterum hæc assertio de verbis consecrationis in missa, « Ad hoc dicendum quod bis protulit Christus illa verba: cum enim benedixit, ea protulit, et ita ad eorum prolationem facta est transsubstantiatio. Postea fregit et dedit illis, et iterum ait: *Hoc est corpus meum*, etc. Sed tunc non protulit causa benedicendi, et ideo non fuit iteratum sacramentum. Dicunt tamen quidam quod in consecratione alia verba protulit, » etc.

XIX. — *Ad caput* 13. « Cum cætera sacramenta extra Ecclesiæ unitatem celebrari possint, illi qui excommunicati sunt, non possunt hoc sacramentum (*eucharistiæ*) conficere. » Hæc Petrus, hæc Magister, Hugo, aliique, ut in notis ad Pullum, quia communis ætatis morbus.

XX. — *Ad caput* 18. Opinatur cum Magistro et pluribus aliis illius ævi non infimæ notæ theologis, nihil extrinsecum, nullumque cibum transire in veram humani carnem, puta in eam quæ resurrectura sit in supremo mundi die, sed quod ab Adamo per propagationem decisum fuit, mirabiliter augeri et multiplicari, etc. Quæ opinio ut in fide periculosa, rejecta est a Parisiensibus, et pari fato cum aliis superioribus mulctata.

Et hi quidem apud Pictaviensem nostrum obices; qui licet satis superque emineant, hic tamen a me recenseri debuerunt ad cautelam Lectori, mihi ad tutelam. Sed, ut jam præmonui, excusandus auctor præceptori suo deditissimus, quem vel errantem sequi tunc erat in omnium votis. Plura item tempori concedenda, in quo vix theologia (scholasticam dico) cunas egressa, nondum illis veritatibus adoleverat, quas longo disputantium usu studioque certum est e pulvere tandem prodiisse. Sed qua potissimum causa vel excusandus vel damnandus sit noster, ea est tunc ætatis scribentium theologorum indoles, lubricæ rationi nihil non indulgere; ejus adventitio lumine scrutati penitus dogmata fidei, cujus tamen, in nocte, illuminatio; et (qui periculosissimus omnium scopulus) ita problematibus et ancipiti alea omnia miscere, ut plerumque nescias, nisi prudentior, quam in partem debeas propendere. Quæ scribendi methodus nulli quam Petro Pictaviensi familiarior; qui ut erat feracissimi et subtilis pene ad miraculum ingenii, tanta in utramque problematis partem, cum sese dedit occasio, larga manu prodegit, ut sua propemodum mole Lectorem obruant nescium qua parte degat veritas (quæ tamen hæret in atomo) quam utrinque satis probabiliter suaderi anxius contemplatur. Hæc sophistice scribendi ratio theologiam fœdavit, cum in ejus sacrum penetrale admissus dialectices usus, et in eo cœpit audiri Aristoteles, uti conqueritur Walterus libro, qui supra, contra quatuor Galliæ labyrinthos (a variis sophismatum flexibus et mæandris sic notatos) « Quos, ait, uno Aristotelico spiritu afflatos, dum ineffabilia SS. Trinitatis et Incarnationis scholastica levitate tractarent, multas hæreses olim vomuisse, et adhuc errores pullulare. »

Verum licet huic ludo nimium indulserit Petrus, nusquam tamen fidei dispendio lascivire voluit dialecticam suam; quam immodice quandoque luxuriantem Christianæ modestiæ freno coercuit. Ubi dubius hæsit, nihil temere diffinire; ubi solus, nihil loqui voluit. Quod pluribus locis studiosus Lector advertet. Instar omnium sit quod habet ad caput 14, libri IV, ubi in re non ita difficili, sic tamen Christiane sapit: « Horum solutionem mihi scribere non esset pigrum, cum hoc sciam et mihi et aliis necessarium; nisi quia tutiorem novi affectum vera inquirendi, quam incerta pro certis sumendi. Sic quæramus tanquam inventuri; sic inveniamus tanquam quæsituri: de credendis nulla infidelitate dubitemus; de intelligendis nulla temeritate affirmemus. » Et cap. ultimo, ubi de Christo, num vere sit compositus. « Sed de his, inquit, quis me certificabit? Non sufficio explicare hujusmodi argutias. Remove a sacra pagina et aufer argumenta ubi fides quæritur. Est fides non plus sapere quam oportet. Crede quod ita sit, nec quæras quare, » etc. Vide insuper cap. 21 et 33, libri I; cap. 14, 19, 23, libri II, etc. Quam Christianæ modestiæ tesseram, et in obsequium fidei paratissimi animi devotionem advertere noluit prædictus Galterus, seu Walterus, cui invisum omne quod sibi notum non erat; qui nihil non debacchatur in præstantissimos illos ra-

tionalis theologiæ duces, zelo quidem veritatis, sed non secundum scientiam inflatus. Et quam iniquo sæpius in Pictaviensem nostrum animo fuerit, quem Archilochiis edictis proscribendum voluisset, uno duntaxat exemplo Lectori notatum velim.

Libro 1, cap. 22, habet hæc verba Petrus: « Filius enim dicitur imago Patris, ratione proportionis attenta, in eo quod omnis imago ab exemplari deducitur: nec confertur exemplar imagini, ut Achilles statuæ; sed imago exemplari, ut statua Achilli. Ut Filius æqualis Patri dicitur, et coæternus ei, et consubstantialis ei. Quod e contra non dicitur, etsi vere possit dici. » Quæ verba graviter tulit Walterus, sed ignarus phrasim illam Augustinianam esse l. vi. *De Trinit.*, cap. 10. Expendens enim Augustinus hanc Hilarii sententiam de tribus in Trinitate personis, l. ii. *De Trinit.*, sub initium: « Æternitas in Patre, species in imagine, usus in munere; » illudque captu sibi difficile ratus, cur æternitatem A Patri potius quam Filio ascriberet Hilarius, sic scribit: « Non eum secutum arbitror in æternitatis vocabulo, nisi quod Pater non habet Patrem de quo sit; Filius autem de Patre est ut sit, atque illi ut coæternus sit: imago enim si perfecte implet illud cujus imago est, ipsa coæquatur ei, non illud imagini suæ, » etc. Hæc Augustinus; quem ideo citavimus, ne temere culparetur auctor ipsi deditissimus. Plura id genus alia nec minus infeliciter in discipulum et magistrum molitur scribitque Walterus, ut abbati Clarævallensi Bernardo, quem impense coluit, esset satis. Quam iterum opido belle insultat Lombardo, quod scripserit Christum *ex sanguinibus* B. Virginis conceptum fuisse? Sed num imperite, judicent alii, videantque quam inique nonnunquam vapulent tot illustres illo sæculo theologiæ proceres, in quo et qui plura scirent et qui minus, æqua erat illis scribendi libido.

PETRI PICTAVIENSIS
SENTENTIARUM
LIBRI QUINQUE.

—

1 PROLOGUS

Ad D. Guillelmum archiepiscopum Senonensem.

—

In deserto manna colligentes alius integrum gomor, alius plus, alius minus pro sua quisque aviditate colligebat (*Exod.* xvi, 17). Nobiscum bene agitur si post magnum laborem de eo quod aliis residuum est, medietatem gomor colligere datum fuerit. In eo quippe laboris nostri fiduciam ponimus quod nec qui plus collegerat, habuit amplius; nec qui minus paraverat, reperit minus. Sic utique nos si ad altiora verbi Dei penetranda mysteria, gomor perficere nequimus, a Deo perficiendum exspectantes; non ideo desistimus quin saltem juxta id quod edere possumus, colligamus (*ibid.*, 18); et quasi dimidium gomor dispersa, et præ sui tenuitate manus colligentium subterfugientia pro captu intelligentiæ congregantes, velut qui colligit paucas spicas post messem, vel duas aut tres olivas superstites post excussionem, ad acervum portamus. Disputabilia igitur sacræ Scripturæ ut rudimentis ad eam accedentium consulamus, in seriem redigentes inordinata in ordinem redigimus; inveterata per modestam inquisitionem renovamus: solutiones ubi de medio montium fluxerunt adhibemus. Ubi vero Scriptura tacuerit, sumpto pleno pugillo de simila, quod reliquum est de sacrificio, filiis Aaron dimittimus. Quod si nec illi edisseruerint donec sole incalescente manna liquefiat (*ibid.*, 21), quod de agno comedere non poterimus, igni cremandum relinquimus. Hujus autem operis tibi, Pater inclyte Willielme, præsul Senonensis, limam reservavimus, cui et scientia ad discernendum, et facundia ad erudiendum, et mores exuberant ad exemplum. Tuæ igitur bonitatis erit sicut tuus est mos humilibus favere, opus humiliter elaboratum multisque vigiliis causa communis commodi elaboratum, paterna manu suscipere; susceptum splendore correptionis illustrare, correptis auctoritatem præbere. Ordinem quoque quinque partitionum distinximus. In prima agendo de fide Trinitatis; in secunda rationalis creaturæ. **2** In tertia de reparatione quæ facta est per virtutum restitutionem. In quarta de ea quæ semel facta est per Incarnationem. In quinta de ea quæ quotidie fit per sacramentorum participationem.

INCIPIUNT LIBRI PRIMI DISTINCTIONES.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Quod Deus sit, et unus.

(3*) *Invisibilia Dei a creatura mundi, per ea quæ facta sunt intelligibilia conspiciuntur* (*Rom.* I). Creatura mundi homo dicitur propter excellentiam quam habet ad creaturas, et convenientiam quam habet cum eis. Hic per creaturas cognovit Dei invisibilia, ut ait Ambrosius (4). « Ut Deus qui invisibilis erat natura, a visibili sciri posset, opus fecit quod sui visibilitate Opificem demonstraret; ut per certum meritum cognosceretur, et ille omnium Deus crederetur, qui tale opus fecit quod facere omni creaturæ impossibile erat. » Videns ergo homo hanc mundi machinam tam magnam et spatiosam; a nulla alia fieri posse creatura, aliud esse intellexit, quod tam pulchrum et spatiosum opus fecit : et sic optime ductu rationis firmissime Deum comprehendit.

Alia ratione quoque idem probatur. Quidquid in rerum mutabilium universitate consistit, aut est substantia, aut est accidens. Accidens ergo large solemus accipere pro omni eo quod non est substantia : non autem potest esse per se, ergo nec a se, id est sine subjecto, vel a se et a nullo. Si non po-

(3*) Magist. I, dist. 3.

(4) In comment. primi cap. ad Roman.

test quod minus est, id est per se esse, nec illud quod majus est, id est a se. Substantia quoque per se non potest esse, licet enim alibi dicatur quod substantia, est res per se existens, id est non existens in subjecto; non tamen ita per se existit, quod non exigat alias res esse, ad hoc ut ipsa sit sub accidentibus, quibus substat. Dicitur enim substantia a substando, vel a subsistendo. Corporalis vero substantia non potest esse sine loco et sine colore; nec spiritualis sine aliqua affectione quæ ipsa non sit. Oportet ergo tale quid mente concipi quod per se sit, et a se, id est a nullo a quo omnia ista sunt. Illud autem Deus est, quod etiam propter infinitatis inconveniens, unum oportet esse. Nam si esset aliud a quo illud esset, usque ad infinitum procederet.

Adhuc etiam idem alia ratione probatur. Omne quod in rerum mutabilium universitate continetur; aut est totum, aut est pars, vel quasi totum, vel quasi pars, aut proprietas totius vel partis. Quasi totum ideo dicitur quia nec omne totum ejusdem rationis est, vel generis. Est enim totum integrale, et totum universale : integrale vero totum est quodlibet corpus ex partibus constitutum, pars integralis totius. Pars cujuslibet corporis quasi totum integrale est quilibet spiritus, partes vero quasi totius integralis sunt ipsæ virtutes, non dico gratuitæ sed potentiales, id est potentia intelligendi, memorandi. Hæc autem nomina ab uno esse oportet. Nullum enim totum a se est. Eo namque quod a se est nil prius tempore est. Item a nullo toto est compositio partium ipsius, et cum omnis pars nulla sit prior suo toto, non potest aliud totum Deus esse. Nam sic esset prius aliud Deo. Similiter nulla pars Deus est, omne enim totum qualibet parte sua dignius est; Deo autem nil dignius est. De proprietatibus autem totius et partis quod non sint a se et eo priores, probatur ratione qua superius constat de accidentibus esse probatum. Cum ergo nullum istorum a se, ut ostensum est, possit existere; aliud necesse est esse a quo omnia ea sint, illud est Deus unus et solus.

Item cum humana mens se non possit ignorare, scit se aliquando cœpisse, nec hoc ignorare potest; quia cum non esset, ut esset, essentiam sibi dare non poterat, ut quod esset, ab alio habuerit. Primum autem Ens cœpisse non constat, quia si ab alio esset, primus omnium existendi auctor non esset. Imo si ab **3** alio esset, cum illud aliud sibi principium existentiæ dare non poterat, si ab æterno non fuerit, oportet conscendere ad superius a quo essentiam accepit, quod ab æterno fuit; et ita Deus sit, et causa omnium rerum; alioquin haberetur ab æterno fuisse aliquam creaturarum, licet nulla sit ab æterno, cum non possit intelligi creatura quæ non ab alio initium sumpserit, et ita necessario reperitur.

CAPUT II.

Quod Deum esse necesse sit

Item licet aliqui stulti negarent Deum esse, unde Psalmista: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus* (*Psal.* XIII), nullus tamen negare audet, quod si aliqua res est quæ Deus est, quin ipsa res sit, quæ non potest non esse. Unde fit, *si aliquid est Deus, ipsum non potest non esse, ergo aliquid est Deus:* ratio hujus argumentationis in hoc videtur consistere, quod ad veritatem hujus hypotheticæ, *sed si aliquid est Deus, ipsum non potest non esse,* exigit quod Deus non possit non esse; cui oppositioni positio jam sequitur, *si aliquid est Deus ipsum non potest non esse,* sed potius *potest non esse.* Sed illud necessario sequitur, *ergo impossibile Deum posse non esse*, unde necesse est quod sit. Item manifestum est quod si aliquid est Deus, sine ipso non potest aliquod bonum esse; ergo si aliquod bonum, est Deus; sed aliquod bonum est, ergo Deus est. Sicut si aliquid est anima hominis, sine ipsa non potest homo esse, ergo si aliquis homo est, anima est; sed homo est, ergo anima est. Ita multipliciter probatur. Quo concesso probatur etiam unum solum Deum esse. Nam si duo essent principia, vel utrumque insufficiens esset; vel alterum superfluum; quia si aliquid deesset uni quod haberet alterum, non esset summe perfectum. Si vero nil illud quod non illud est, et utrumque omnia, alterum superflueret.

CAPUT III.

Distinctio nominum quæ de Deo dicuntur et de novem generibus.

(4*) His itaque præmissis, sciendum quod quæ de Deo dicuntur vocabulorum, alia conveniunt ab æterno, alia ex tempore. Nec tamen intelligendum est aliqua vocabula ab æterno convenire Deo, eo quod sint ab æterno, sed quia cujuslibet eorum significatio, ab æterno Deo convenit. Convenientium ab æterno, alia uni personæ conveniunt ut Deus, et hujusmodi: alia de tribus personis dicuntur; ita quod de nulla earum, quæ sunt quasi collectiva, ut hoc nomen *Trinitas.* Eorum quæ ab æterno conveniunt, et de una persona dicuntur; alia dicuntur secundum essentiam, ut Deus unus; alia secundum relationem, ut Pater et Filius, et hujusmodi. Et eorum quæ essentialiter ponuntur (5): ut divinitas, essentia; alia personaliter interdum accipiuntur, ut sapientia, bonitas, potentia, Deus. Eorum quæ relative dicuntur alia sunt relativa sola voce, ut similis, æqualis secundum quosdam; alia voce et significatione, ut Pater et Filius et hujusmodi. Eorum vero quæ ex tempore conveniunt Deo, alia dicuntur translative, ut leo, agnus, vermis; alia, non translative, quorum alia dicuntur in respectu, ut Creator, Dominus: alia simpliciter, ut incarnatus, humanatus: eorum etiam quæ in respectu dicuntur ad creaturam ex tempore, alia conveniunt tribus

(4*) Mag. I, d. 22.

(5) Aug. l. II *De Trin.*

personis, ut Creator, Dominus: alia quibusdam et non omnibus, ut *missus* et hujusmodi. A

Ex hujusmodi nominum distinctionibus colliguntur novem genera vocabulorum quæ de Deo dicuntur: sunt enim quæ essentiam significant, et semper accipiuntur essentialiter, ut essentia, divinitas, et hujusmodi. Et sunt quædam quæ existentiam significant; quandoque tamen personaliter accipiuntur, ut **4** potentia, sapientia, bonitas; et sunt quæ relative dicuntur ab æterno; et voce, et significatione ut Pater et Filius. Sunt etiam quæ sunt quasi collectiva quæ de pluribus personis, ita quod de nulla earum dicuntur, ut Trinitas. Sunt etiam quæ in respectu dicuntur ad creaturas, et omnibus personis conveniunt; ut Creator, Dominus. Sunt autem B etiam quæ in respectu similiter dicuntur ex tempore ad creaturas, sed non omnibus personis conveniunt, ut missus. Et sunt quæ ex tempore conveniunt sine aliquo respectu, ut incarnatus, humanatus. In ultimo genere sunt ea quæ translative et per similitudinem de Deo dicuntur, ut agnus, leo, character, et hujusmodi. De his singulis secundum ordinem enuntiationis est agendum.

CAPUT IV.

Ad hoc nomen persona, sequatur regulam eorum quæ tantum essentialiter ponuntur?

(5*) Primo igitur de his quæ essentialiter dicuntur; Augustinus hanc ponit regulam (6), « Quidquid ad seipsum dicitur Deus; et de singulis personis similiter dicitur; et simul de ipsa Trinitate; C non pluraliter sed singulariter dicitur, et est. » Quidquid secundum essentiam de Deo dicitur, de singulis personis dicitur, et de illis in summa singulariter non pluraliter, ut Pater est Deus, Filius est Deus, et Spiritus sanctus est Deus, et illi tres sunt unus Deus, non tres dii (7). A qua tamen regula excipitur hoc nomen *persona*, quod cum dicatur secundum essentiam, et de singulis personarum, non de omnibus in summa singulariter, sed pluraliter accipitur. Quod enim hoc nomen secundum essentiam dicatur, testatur Augustinus (8): « Non est aliud Deo esse, aliud personam esse, sed omnino idem. » Et aliæ multæ auctoritates in id currunt, quas ducere in medium nil gravaret, nisi scripta scribere otiosi, et nil agentis opus videatur. D

Contra id multipliciter objicitur. Idem significatur hoc nomine *persona*, et hoc nomine *essentia*, ergo Pater et Filius sunt una persona vel non sunt una essentia. Item, idem est Deo esse Deum, et esse personam; ergo vel Deus non est Deus essentia, vel Deus est Deus persona. Quod videtur contrarium Hilario dicenti, « Deus non est Deus persona, sed natura. » Item Pater non distinguitur personali proprietate a Filio in eo quod est persona, et est idem Pater Filio in eo quod est persona; ergo Pater est idem Filio, id est persona. Item, Pater est quod Filius, et in eo quod est persona, et in eo quod essentia: ergo vel non est idem Filio in essentia, vel est idem in persona. Item, idem est Patri esse personam, et Filio esse personam. Ergo personam Patris, est persona Filii, vel persona quæ est Patris, est persona quæ est Filii. Item Pater proprietate est Pater: ergo proprietate est hypostasis; ergo proprietate est aliqua persona; ergo proprietate est persona. Non secundum essentiam de Deo dicitur hoc nomen *persona*.

Item Pater proprietate est alia persona, illa proprietate distinguitur ab aliis; ergo esse aliquam personam convenit soli Patri. Item, idem Deo est esse Deum, et esse personam; ergo eo est persona quo est Deus, sed paternitate est persona; ergo paternitate est Deus: Quod enim paternitate sit persona, ita constat, quia paternitate est persona quæ ipsa est persona; ergo paternitate est persona.

Prædictorum non est facile sumere solutionem nisi determinata æquivocatione hujus nominis *persona*. Hoc nomen *persona* interdum significat essentiam, ut cum dicitur Pater est persona, Filius est persona, Spiritus sanctus est persona. Interdum significat quantum hypostasis apud Græcos; ut alia persona est Pater, alia persona est Filius. Interdum in designatione personalis proprietatis ponitur, ut cum dicitur alius est Filius in persona, alius Pater. Item alius **5** est Filius personaliter: interdum tantum significat quantum hic terminus *hæc persona*. Et sic accipitur in quadam auctoritate Hilarii dicentis, *Pater proprietate est persona*, id est hæc persona. Cum vero tot habeat significationes, hoc unum ex diversis adjunctis determinatur in qua illarum significationum ponatur: Cum enim per se ponitur in nominativo casu, ad essentiam refertur: ut cum dicitur Pater est persona, vel Filius est persona. Cum vero in ablativo sumitur, ad proprietatem refertur. Ut dicitur, alius est Pater a Filio in persona, id est in personali proprietate. Quando vero adjungitur huic nomini infinito in designatione alicujus trium personarum, determinate accipitur, ut cum dicitur *Pater est aliqua persona*, id est hæc persona, scilicet persona Patris, vel persona Filii, vel persona Spiritus sancti. Cum vero corporaliter nomini dividuo, ut *alius*, vel *differens* vel hujusmodi, hypostasim significat, ut *alia est persona Patris* quam Filii. Quod tot habeat significationes hoc nomen *persona* Hieronymus (9) ostendit dicens: « Non nomina tantummodo, sed nominum proprietates, id est personarum, vel ut Græci exprimunt, hypostasim, id est substantias confitemur. » Hic invenimus duas hujus nominis significationes expressas. Quod vero essentiam significet, auctoritate Augustini confirmavimus. Quod etiam in designatione alicujus per-

(5*) Mag. I, d. 22.
(6) Aug. l. v. *De Trinit.*, cap. 8, sub finem.
(7) Mag. I, d. 23.
(8) *De Trinit.* VII, 6.
(9) In explanatione Symboli ad Damasum; quæ non Hieronymo sed Pelagio tribuenda.

sonæ determinate ponatur, maxime quando copulatur nomini infinito *aliqua*, habes apud Hilarium in prædicta auctoritate; « Pater proprietate est persona. » Ex qua manifestum est in prædictis argumentationibus impedimentum esse, fallaciam æquivocationis.

Instantia ad primam. Idem significatur hoc nomine *sciens*, et hoc nomine *præscius;* ergo Deus potuit non esse sciens, vel non potuit non esse præscius. Ad secundam sic. Idem est Deo esse justum et esse misericordem; ergo vel Deus non punit per justitiam, vel punit per misericordiam. In ablativo enim significat hoc nomen pluralem proprietatem. Ad tertiam autem sic. Non differt Socrates a Platone in eo quod est sciens; et convenit Socrates cum Platone in eo quod est sciens; ergo Socrates convenit cum Platone in scientia, posito quod Socrates parum sciat, et Plato sit litteratissimus. Utrum tamen congrue dicatur Pater est idem Filio in persona, ita quod idem sit neutrius generis, postea dicetur. Ad quartam eo modo instandum: Socrates convenit cum Platone, et in eo quod est sciens, et in eo quod est albus. Ergo vel non convenit cum Platone in albedine, vel convenit cum eo in scientia, posito quod non sit adeo sciens, sed adeo albus. Ad quintam sic. Idem est Socrati esse hominem et Platoni; ergo homo qui est Socrates est Plato, vel Socrates est Plato. Ad sextam et septimam licet dari istam. Ad septimam sic. Pater aliqua proprietate est Pater vel Filius, illa distinguitur ab aliis personis. Ergo esse Patrem vel Filium convenit soli Patri; tamen quia nondum est diffinitum utrum Pater paternitate sit hæc persona, an exigatur quasi concursus trium proprietatum quæ sunt in Patre; id est paternitatis, innascibilitatis, spirationis, quarum concursu, et nulla aliarum dicatur esse hæc persona, sicut concursu proprietatum Socratis, quod nulla earum Socrates est Socrates; dare solutionem, usque in sequentia ubi de proprietate personarum tractabitur differimus.

Illud potius quærendum est, utrum quælibet personarum sit aliqua persona, quod non videtur; quia cum hoc adjuncto *aliqua* ponitur hoc nomen persona in designatione alicujus personæ determinate sicut supra videtur dictum. Non est autem verum quod quælibet trium personarum sit hæc persona. Et ideo dicunt quidam solum terminum ibi prædicari, et nihil per seipsum ibi significari. Verius tamen videtur quod ibi in designatione hypostasis ponatur, ita quod nullius determinate sed infinite ponatur. Unde nulla persona est quælibet trium personarum, sed quælibet est aliqua, **6** sicut nullus homo est quilibet hominum, sed quilibet hominum est aliquis homo. Item, idem prædicatur: cum dico Filius est aliqua persona, Filius est Filius, ergo eo quo est aliqua persona est Filius, sed eo quo est Filius differt a Patre, et in eodem convenit cum Patre. Ergo in eodem convenit cum eo in quo dif-

A fert ab eo. Item eo quo Filius est aliqua persona, differt a Patre. Per interpretationem igitur est solvendum quod dicitur idem prædicari cum dicitur, Filius est aliqua persona, Filius est Filius, quia non est quod prædicetur cum dicitur Filius est aliqua persona. Ad secundam vero argumentationem ita instantia fertur: eo quo fecit Deus mundum, est Deus, quia sua potentia est Deus.

Item dicit Augustinus (10). « Cum dicimus personam Patris, non aliud dicimus quam substantiam Patris, quocirca ut substantia Patris ipse Pater est, non qua Pater est, sed quo est, ita et persona Patris non est aliud quam ipse Pater est. » Cum ergo idem sit substantia Patris, et persona Patris, sicut substantia Patris communis tribus personis, et persona Patris communis est tribus personis. Item cum B dico Pater est persona, nil aliud prædicatur quam cum dico, Pater est substantia; ergo hæc circumlocutio *persona Patris* nihil aliud significat quam hæc *substantia Patris*, quod falsum est. Ad hoc dicendum quod Augustinus nil aliud vult ostendere, nisi quod hæc duo nomina, *substantia*, *persona*, de Patre dicta idem significant; tantum cum hoc adjuncto, *Patris*, significat hoc nomen *persona* hypostasim quæ est Pater, non essentia; sicut hæc duo nomina *essentia*, *Deus*, idem significant: tamen cum dicitur Deus est essentia trium personarum, non dicitur Deus est Deus trium personarum: multa enim nomina, vel ex adjunctis incongrue ponuntur, C vel ad alias significationes transferuntur.

Item Pater est alius a Filio in persona, idem est Patri esse essentiam et esse personam. Ergo Pater est vel non est alius a Filio in essentia. Si dicitur quod est alius a Filio in essentia; ergo alia est essentia Patris quam Filii. Si dicitur quod non est alius Pater a Filio in essentia, et Pater est idem quod Filius in essentia; ergo Pater est idem qui et Filius; ergo Pater est ille qui est Filius; ergo Pater est Filius. Item Pater non est aliud a Filio in essentia. Idem est Patri esse personam et esse essentiam; ergo Pater est vel non est aliud a Filio in persona: Si vero non est aliud Pater a Filio in persona, et Pater est idem quod Filius; ergo Pater est idem quod Filius in persona; ergo Pater est D eadem persona cum Filio. Ad hoc dicendum et similia, quod minus grammatice dicitur Pater est aliud a Filio in persona, vel est alius a Filio in essentia, quia quamvis idem sit persona et essentia, quædam tamen sunt adjectiva personæ, quæ non essentiæ; nam neutra *aliud* et *idem* sunt adjectiva essentiæ, masculina vero *alius* et *idem* sunt adjectiva personæ. Unde facta commistione adjectivorum, minus grammatice dicitur. Ut cum idem sit hæc propositio et hæc oratio, congrue dicitur hæc propositio est categorica vel hypothetica, incongrue autem hæc oratio est categorica vel hypothetica. Similiter congrue dicitur hæc oratio est perfecta,

(10) Lib. VII, *De Trinit.* c. 6.

sed incongrue hæc propositio est perfecta vel imperfecta. Et in his sume instantiam ad prædictas argumentationes sic : idem est hæc propositio et hæc oratio. Hæc propositio est categorica. Ergo hæc oratio est vel non est categorica. Huic tamen videtur contrarium quod supra illum locum Isaiæ reperitur. *Ego Dominus, hoc est nomen meum; gloriam meam alteri non dabo* (*Isa.* XLII), dicit Hieronymus (11), quia Filius et Spiritus sanctus in Deitate a Patre alter non est. Eamdem gloriam habent. Ideo ita intelligendum ut non esse dicatur alia esse essentia, licet dicatur alia esse persona.

(12) Solet quæri quid significet et hoc nomen *persona* quando eo pluraliter prolato dicitur Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt tres personæ. Si enim essentiam intelligi faciat, 7 plures essentias confiteri videbimur, quia plures personas recipimus, et ideo plures deos. Quod autem essentia ibi significetur, volunt auctoritate Augustini ostendere. Ait enim Augustinus (13) : « Quia pater est persona, Filius est persona, Spiritus est persona. Ideo tres personas dicimus. » Et alibi (14) : Propterea tres personas dicimus, quia commune est eis id quod est persona. » Quia ergo hoc dicitur propter illud, videtur quod hoc nomen, *persona* personaliter dictum, essentiæ significationem teneat sicut et singulariter dictum de qualibet personarum; et idem attribui per ipsum, quando pluraliter profertur; et quando singulariter. Item dicit Augustinus (15). Ex necessitate dicimus personas ut habeamus responsionem ad quæstionem qua utuntur hæretici quærentes quid tres, vel quid tria. At per hoc nomen *quid* de essentia quæritur. Ergo et hoc nomen persona essentiam significat. Aliter enim non conveniret responsio interrogationi. Ideo dicunt quidam quod in prædicta locutione non significatur essentia hoc nomine persona. Imo hypostasis, vel subsistentia, ut hic sensus sit prædictarum auctoritatum, quia Pater est persona, et Filius persona, id est essentia. Ideo dicuntur tres personæ, id est subsistentiæ, vel tres entes. Non enim diceretur tres entes, nisi singuli eorum essent persona vel essentia, sed quia commune est eis id quod est persona, id est essentia : ideo recte dicuntur tres personæ, id est subsistentiæ, vel subsistentes, ut sicut essentia quæ est in eis communis vere ac proprie est, ita illi tres vere ac proprie entes, intelligantur. Nec cum quæritur ab hæreticis quid tres vel quæ tria? ibi hoc nomine, *quid*, significatur essentia; sed est sensus, quid tres sunt illi? id est, quo nomine pluraliter prolato, significantur illi tres? ut potius quæratur de significatione vocabuli, quo possint significari, quam de essentia. Ut cum dicitur quid est anthropos? Sed quia hi videntur laborare in expositione præmissarum auctoritatum Augustini. Nam quomodo sint tres personæ, id est tres entes, quia commune est eis id quod est persona, id est essentia ; quia si non esset eis commune id quod est persona, id est essentia, non dicerentur tres entes, et ita si essent tres entes non dicerentur tres entes.

Volunt et alii aliter solvere satis rationabiliter dicendo hoc nomine *persona*, essentiam significari, etiamsi pluraliter dicatur, cum dicitur Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt tres personæ, ut sit talis intelligentia, quia Pater est persona, Filius est persona, Spiritus sanctus est persona, ideo dicuntur tres personæ, id est tres personæ habentes id commune, quod est persona, id est tres sunt, quorum quisque est persona, id est essentia. Verum eadem ratione posset dici sunt tres dii, id est id habentes commune quod est Deus, et ita de omnibus substantialibus vocabulis. Sed non est ita, quia istud contradicit Scripturæ, ubi dicitur: *Audi, Israel: Dominus Deus tuus Deus unus est* (16) (*Deut.* VI). Licet etiam hoc nomen *res* posset ei adjici, non diceretur sunt tres res, quia res et essentialiter et personaliter ponitur. Raro tamen ponitur personaliter. Nec ideo aliquid esset absolutum si diceretur *tres res;* cum restaret quæstio, quæ tres res? Et licet forte alia invenirentur vocabula ad illius quæstionis absolutionem, cum nullum exquisitius vel congruentius potuit introduci, quam hoc nomen *persona*, quod non solum distinctionem personarum, sed etiam essentiæ identitatem notat plus prolatum secundum etymologiam vocabuli. Dicitur enim persona, quasi per se una. Cum ergo dicitur Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt tres personæ, idem est ac si diceretur, sunt unum et sunt per se, id est sunt unum et sunt distincti quia *unum* notat essentiæ unitatem; *per se*, distinctionem. Sic enim solet dici, istud est unum per se, id est distinctum ab aliis.

Sed dicit aliquis si pro significatione admittatur pluralitas, cur non principali significatione admittatur singularitas; ut cum dicitur Pater et Filius, et Spiritus sanctus sunt personæ, id est sunt unum et distinctum; 8 cur non eodem sensu dicitur sunt persona, id est unum sunt et sunt distincti? Imo magis hoc videtur dicendum, quia potius principalis significatio unitatis essentiæ præjudicare debeat consignificationi dictionis quam secundaria significatio principali in hujus quæstionis solutione recte danda, *Ut ditentur Hebræi oportebit Ægyptios spoliari.* Quæ enim causa quare distributiva nomina careant vocativis, quia vocativus ad unam aliquam personam determinate refertur. Distributio vero locum non habet in uno, sed in pluribus. Unde repugnante distributionis proprietate significationi vocativorum carent distributa vocativis, ut uterque et quilibet. Ita si singulariter proferatur hoc nomen, et dicatur Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt persona, quia singulariter profertur hoc no-

(11) Ubi supra.
(12) Mag. I, d. 23, § 8, etc.
(13) VII *De Trinit.*, cap. 4, circ. med.
(14) Ibid., Paulo ante.
(15) Lib. VII *De Trinit.*, cap. 4.
(16) Augustin. ubi supra. — Mag. ibid. § f.

men, et ad aliquam rem pertinet. Distinctio vero A quæ innuitur per hanc circumspectionem *per se*, quæ implicata est, in uno non habet locum, sed in pluribus distinguendis; aut falso dicitur Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt persona : aut incongrue, quod magis videtur si prædicta attentius revolvantur. Duo enim sunt quæ impediunt congruitatem hujus locutionis ut videtur. Nam quia hoc nomen *persona*, singulariter profertur, et sine adjuncto ad essentiam vult referri. Item quia præcedit Verbum plurale præcedentibus tribus nominativis distinctio illa videtur innuenda quæ implicatur in illo nomine, sed circa unam essentiam non est distinctio. Ideo incongrue videtur dici, sicut et si diceretur : *O uterque hominum amice*. Vel si congrue dicitur, falso dicitur. Cum vero pluraliter B dicitur, *sunt personæ;* innuitur distinctio circa tres entes, et unitas essentiæ per illud vocabulum quasi singulariter significatur; ut quantum ad consignificationem sit plurale, quantum ad significationem principalem singulare, si quis ita argumentetur, *sunt tres personæ, et idem est esse personam et esse essentiam. Ergo sunt tres essentiæ*, maxime cum ibi significet essentiam patet ex prædictis; solutio etiam ad hominem et ad orationem dicta est, quia impedit æquivocatio. Item cum persona sit rationabilis naturæ individua subsistentia Pater et Filius sunt duæ personæ, et cum convertatur diffinitio cum diffinito. Ideo imponitur Boetio quod illam diffinitionem magis posuit ut philosophus quam C ut theologus.

CAPUT V.

An verba quæ de Deo dicuntur sint in prædicta regula vocabulorum quæ tantum essentialiter ponuntur?

A prædicta regula iterum videntur excipienda verba quæ de Deo dicta essentiam significant. Cum enim de singulis dicantur personis, et de illis in summa non singulariter, sed pluraliter accipiuntur; quia non dicitur Pater, et Filius, et Spiritus sanctus est, sed sunt. Ad quod dicendum quod si sustineret analogia recte loquentium ut diceretur : *Pater et Filius et Spiritus sanctus est*, verius diceretur quam dicatur *sunt*. Huic enim locutioni veritas subesset si congruitas adesset. Visum est tamen quandoque D Augustino ita debere dici : *Pater et Filius et Spiritus sanctus est*, sed postea retractavit (17). Uniformis enim debet esse locutio in supposito et apposito, ne humano capiti cervix equina apponatur, et ex quo ita procedere incipit, ut fiat personarum suppositio tanquam plurium sequatur dictio in apposito apponens significationem rebus tanquam pluribus, quod non potest facere, ubi dictio pluralis numeri. Ideo dicitur *sunt*.

Sed objicitur hoc verbum, *sunt* ubi proprie ponitur et est pluralis numeri, essentiam significat; ergo circa essentiam pluralitatem determinat; ergo plures essentiæ ibi attribuuntur Patri et Filio et Spiritui sancto, et locutio tantum verum significat. Ergo Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt plures essentiæ. Objectionis solutio pendet ex arte grammatica. Nam alia ratione dicuntur 9 verba alicujus numeri; et alia ratione nomina vel pronomina, vel participia dicuntur esse alicujus numeri, qui significat rem in proprietate alicujus numeri, id est una vel plures. Verba vero dicuntur esse alicujus numeri, quia attribuunt res suas rebus significatis in proprietate alicujus numeri. Non enim dicitur hoc verbum, *curro*, singularis numeri, eo quod significet cursum in proprietate singularis numeri, sed quia attribuit cursum rei prout habet significari ut una. Cum ergo dicitur : *Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sunt* (*I Joan.* v), hoc verbum *sunt* non determinat pluralitatem circa essentiam, sicut nec alia verba circa sua significata; tunc enim cum vera sit locutio necessario accideret plures attribui essentias, sed attribuit essentiam personis prout significantur ut plures, et hoc non potest facere nisi in voce pluralis numeri, et ideo pluraliter ponuntur quantum ad vocem, sed singulare est quantum ad significationem, quia non essentias sed essentiam copulat, sicut cum dicitur *Thebæ sunt*, hoc verbum *sunt* plurale est voce, sed singulare significatione.

Nec mirum si sequatur verbum plurale post dictiones tribus personis convenientes, quæ in eadem essentia sunt, cum recipiunt quidam. *Marcus et Tullius sunt*, pro eodem homine positis nominibus facta vocum conceptione et non rerum, si ergo pro sola nominum pluralitate dicitur pluraliter *Marcus et Tullius sunt*, nec copulantur ibi essentiæ, sed essentia multo magis pro distinctione personarum inter quas etiam congrue sit connumeratio, ponitur verbum sequens pluraliter, quod tamen singulariter essentiam attribuit non essentias.

Sed iterum instat aliquis sic dicens : *Pater et Filius vivunt; ergo sunt viventes; ergo sunt vivi, et ita justi sunt*. Eadem ratione Pater et Filius sunt omnipotentes et sunt aliquot omnipotentes, et duo omnipotentes, quod contrarium est fidei nostræ. Dicitur enim ab Athanasio : *Non tres omnipotentes, sed unus Omnipotens*. Ad hoc dicendum quod non vere dicatur, *Pater et Filius sunt justi;* et est ratio quare : Duo enim sunt qui faciunt, ut dictio essentiam significans pluraliter dicatur de tribus personis in summa et non singulariter, sed subintellecta distinctio, sicut ostensum est in hoc nomine *persona*, et natura ipsius locutionis, quæ exigit appositum conformari supposito ad sui congruitatem et identitatem accidentium, propter quod et verba præmissis nominativis per constructionem copulatis nonnisi in plurali numero reddi possunt, ut cum dicitur : *Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sunt.* Neuter horum potest reperiri in isto nomine *justus*, vel *potens*, vel aliquo alio, nisi in nomine *perso-*

(17) Simile quid retractat l. I *Retract.*, cap. 4.

næ : non enim exigit natura locutionis ad sui congruitatem perficiendam nomen in plurali numero, cum suppositio facta per nominativos personaliter sibi copulatos, jam habeat a verbo quod exigebat, id est conformitatem in identitate numeri. Unde a nulla alia dictione amplius aliquid exspectat. Imo etiamsi abesset omne verbum, non posset hæc dictio *justus*, vel alia aliqua quæ sit nomen, vel pronomen, vel participium, locum verbi in hoc supplere ut redderet supposito conformitatem accidentium cum perfectione locutionis; cum absque omni alia dictione sit perfecta oratio, absque verbo materialiter apposito nulla est oratio perfecta. Ejus est etiam appositione locutionis, cum sit nota eorum quæ de altero dicuntur. In nulla alia etiam dictione ab hac distinctione persona invenitur talis distinctio subintellecta, per cujus subintellectum possit nomen pluraliter prolatum, essentiam singulariter designare; et quia neutrum eorum quæ dicta sunt invenitur in aliquo vocabulo essentiali, nisi in verbis, et hoc nomine *persona*, nullum eorum pluraliter prolatum designat essentiam singulariter, sed pluraliter consignificat circa essentiam. Unde non est dicendum : *Pater et Filius sunt boni, justi, vel sapientes*, vel quid aliud essentiale apponas.

10 At dicet aliquis : Ergo non est recipiendum eadem ratione, *Pater et Filius sunt viventes, vel potentes omnia*, quia nec in participio aliquod istorum reperitur et ipsum de Deo dictum essentiam non actum significat, quia quæ dictio dicta de creatura actum significat, essentiam ponit de Deo dicta. Unde plures essentias videor apponere cum dico, *Pater et Filius sunt viventes*, sicut cum dico *sunt vivi*. Quod dupliciter est solvere. Dicunt enim, participium ita positum actum significat pluraliter, non qui est in Deo, sed in creaturis; et ideo nil probat pluraliter elici. Sed verius videtur quod essentiam significet, et ponitur oratio constans ex verbo subjecto et participio loco unius verbi quod de Deo dictum essentiam prædicat. Unde recipitur, *Pater et Filius sunt viventes*, id est vivunt, sed non ita, *sunt vivi*; quia non est nominis poni cum verbo, loco verbi, sicut participii.

Sed iterum instabit, quia alicubi ponitur participium pluraliter ubi non potest dici, quod ponatur cum verbo substantivo loco unius verbi. Unde tunc essentiam videtur significare pluraliter, ut si dicam : *Pater et Filius, et Spiritus sanctus sunt tres entes*. Nam ibi quidem participium cum verbo, loco verbi ponitur hæc dictio *tres* substantive. Aliud si dicam *sunt tres entes*, ubi copula est hoc verbum *sunt*, et ponitur hæc oratio *tres entes*. Quare ergo non dicitur similiter *sunt tres justi*, aut *tres omnipotentes?* Ad quod dicimus quod ibi quidem ponitur hoc nomen *tres* substantive, et participium adjective enuntiatur, et ad hypostases refertur. Si vero dicitur *sunt tres omnipotentes*, ponitur nomen A materiale adjective, et hoc nomen *omnipotens* substantive. Ideo non est verum quod sustineret ratio locutionis hoc nomen *tres* poni substantive, et hoc nomen *omnipotens* adjective. Verum esset quod sic diceretur *sunt tres omnipotentes*. Ad hanc ergo argumentationem quæ sic formatur : *Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sunt tres viventes, et sunt tres, quorum quilibet est vivus : ergo sunt tres vivi*. Sic instandum in simili æquivocatione : *Socrates, et Plato, et Cicero sunt tres servientes alicui homini, et sunt tres quorum quilibet est servus alicujus hominis : ergo sunt tres servi alicujus domini vel hominis*. Item : *Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sunt tres qui possunt omnia; Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sunt tres quorum quilibet est omnipotens :* B *ergo sunt tres omnipotentes*, falsa. *Socrates, et Plato, et Cicero sunt tres facientes pontificem unius civitatis, et sunt tres quorum quilibet est pontifex unius civitatis : ergo sunt tres pontifices* Nec sit tibi ridiculosum hujusmodi cavillationes (quæ ibi fuerint ubi quanto simplicius tanto confidentius ambulatur) similibus cavillationibus retundere; sic enim ars arte deluditur, sic (*Isa.* III.) vertex filiarum Sion sicut quæ collo extento ambulant, decalvatur (18); sic quadri lapides in ædificio Samariæ diruuntur (*Mich.* I); sic elevatis hostibus in tumultum ferreum, Rasin et duces ejus in fugam convertuntur (*Isa.* IX.) Item Pater et Filius sunt meliores angelis : ergo sunt boni vel neuter est bonus, vel ita non C sunt boni : ergo non sunt meliores angelis : ergo non præcellunt angelos bonitate, quod constat esse falsum. Ad quam augmentationem facile est dare instantiam sic : Mare Ponticum non est dulce : ergo non est dulcius quam cætera maria; vel sic : Isti uniones non sunt magni : ergo non sunt majores istis lapillis, vel, decem millia non sunt pauci · ergo non sunt pauciora viginti millibus.

Notandum tamen est secundum supradicta, Pater et Filius sunt meliores angelis; Item : Pater et Filius sunt æque potentes, vel sunt coæterni : ergo sunt æterni. Fallacia Isti sunt confratres : ergo sunt fratres. Vel, iste est compater illius, ergo est Pater illius. Sed non provenit, ut aiunt, quia relatio, non essentia significa- D tur his terminis æque *potentes*, *coæterni*. Unde nomen significans essentiam, id est *æterni* vel *potentes*, non potest inde inferri. Nec est intelligendum his terminis significari relationem, sed quamdam personarum ad invicem conferentiam. Si quis tamen inspiciat altius videntur **11** removere potius quam ponere, *sunt coæterni*, id est *neuter est prius altero*. Item una singularis est potentia qua Pater et Filius possunt omnia : ergo non sunt potentiores, sed potentes omnia. Fallacia. Una est essentia trium personarum quæ sunt : ergo ea non sunt tres entes; vel ita, una est tantum notio qua Pater et Filius spirant Spiritum sanctum;

(18) *Decalvavit Dominus verticem filiarum Sion*

ergo non sunt duo spirantes Spiritum sanctum.

Sunt tamen qui dicunt : Hæc nomina, cum sic ponuntur : Pater, et Filius et Spiritus sanctus sunt justi, vel potentes, et adjective tenentur, ad hypostases referri ex adjuncto, non ad essentiam. Si vero addatur nomen numerale, quia tunc substantive ponuntur, ad essentiam referuntur. Unde et prædictas locutiones recipiunt, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, sunt justi, sunt potentes, sunt sapientes, sunt boni, non tamen ideo sunt dii, quod illud non potest teneri nisi substantive.

CAPUT VI.

An hujusmodi nomina Aliquis, Unus, Innascibilis, *masculine accepta sint in eadem regula ?*

A præmissa iterum regula videtur excipiendum hoc nomen, *aliquis*, quod cum videatur de Deo dici secundum essentiam, non tamen de tribus personis dicitur in summa singulariter, sed pluraliter. Non enim Pater, et Filius, et Spiritus S. sunt aliqui. Non enim Pater est is qui est Filius, sed id quod est Filius. Nam masculina ad personam, neutra ad essentiam referuntur. Quod tamen Pater et Filius sunt aliquis, ita videtur posse ostendi : Pater et Filius sunt unus omnipotens, id est tam Patri quam Filio[*subaudi* convenit] esse omnipotentem et esse unum : ergo Pater, et Filius sunt unus, vel non sunt omnipotens. Item ecclesiastica auctoritas approbat quod dicitur in hymno :

Nunc, sancte nobis Spiritus,
Unus Patri cum Filio.

Ergo Spiritus sanctus est unus Patri cum Filio : ergo unus est cum Filio eadem ratione, et Pater est unus cum Filio : ergo Pater et Filius sunt unus. Item hoc nomen *unus* dictum de Deo, vel essentiam designat, vel relationem non essentiam, quia tunc vere diceretur Pater et Filius sunt unus : ergo relationem, et hoc nomen dicitur proprie de Patre : ergo in eo ponit relationem : ergo per eum distinguitur Pater a Filio et Spiritu sancto : ergo solus Pater est unus. Aliter indirecte Pater et Filius non sunt unus, et uterque est unus : ergo Pater et Filius sunt duo. Unde sic in divina essentia alius est Pater et alius est Filius. Item si masculina semper ad personam et neutra ad essentiam referantur, non videtur dicendum Filius est ab aliquo, quia non est ab essentia, quia essentia non gignit. Unde videtur dicendum : Filius est de nihil ; imo potest quoquo intelligatur quod in ore omnium versatur. Pater alio est Deus, alio est Pater. Nam *alio* primo positum ad essentiam videtur referendum, et in neutro genere videtur poni. *Alio* secundo positum ad proprietatem videtur debere referri, et in masculino genere debere poni, cum tamen paternitas nec sit alius, nec alia, nec aliud quam Deus, non videtur dicendum Pater alio est Deus, alio est Pater, et ita Pater eodem est Pater quo est Deus. Et ita eadem proprietate vel eadem essentia Pater est Pater vel Deus ; sed nemo dicit quod proprietate Pater sit Pater, et eadem sit Deus. Contrario tamen cum paternitate sit Pater et non Deus, et divinitate sit Deus et non Pater, alio est Pater, alio est Deus. Videtur dicendum quod alio est Pater, alio est Deus. Imo si quis attentius inspiciat videtur incongrue dictum. Nam *alio* primo positum pro hypostasi Patris ponitur, secundo ponitur pro essentia. Si quis ergo pro appellativo *esse* eorum pro quibus ponitur loco nominis bis positi reddat, vitiosa sit locutio, ut si dicatur, Pater alia proprietate est Pater, alia est Deus. Si quis ergo recipiat, Pater et Filius sunt unus, ergo non sunt aliqui, vera non sunt duo, itaque Pater et Filius, et Spiritus sanctus non sunt tres. Imo si sunt unus, **12** Pater est ille qui est Filius : ergo est eadem persona quæ est Filius. Manifestum est omnibus non debere hoc recipi, Pater et Filius sunt unus, sunt aliquis.

Ut præmissa ergo solvantur. Dicunt quidam quod hoc nomen *aliquis* dictum de Deo significat essentiam. Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sunt aliqui nec sunt substantiæ vel essentiæ. Dictum fuit supra quod id licitum est penuria Latini eloquii ad interrogationem factam ab hæreticis, qui tres, vel quæ tria ; ne nil responderetur ut responderetur tres personæ, non ideo tamen tres substantiæ. Et assignata quidem est ratio quare congruentius hoc nomen persona (19) quam aliquod aliud nomen ad talem interrogationem respondeatur, qua in se habet subintelligentiam distinctionem hanc *per se.* Quæ quidem ratio non convenit in hoc nomine *aliquis*, quod similiter pluraliter dicitur de tribus personis. Nullam enim subintelligenti distinctionem ut pluraliter positum essentiam singulariter significet. Ita talem oportet assignari rationem quæ convenit huic nomini *persona* simul cum hoc nomine *aliquis.* Imo etiam omnibus quæ pluraliter dicuntur de tribus personis.

Ad cujus rei intelligentiam sciendum, quod et hoc nomine *substantia* implicata est æquivocatio apud Latinos, quæ in duobus vocalibus explicata est apud Græcos, id est hypostasis et ousia. Ex parte tamen explicatur apud nos in origine vocabuli, quia dicitur substantia a substando, id est substantia a subsistendo. Substantia a substando dicitur ipsum subjectum quod substat formis, sive sit corpus sive alia res. Substantia a subsistendo dicitur forma, quæ adveniens subjecto illud subsistit, id est sub se et aliis formis sistit, id est substare sibi et aliis facit, sicut imago sigilli ceram quæ in ruditate quadam est et fluxu, quæ omnem formam idonea est suscipere impressione sua substare facit ut interim ad aliam formam transire non possit. Sed substantialis forma duplex est vel quæ facit *quis*, et talis est omnis individualis proprietas, id est individuo et proprio nomine, ut Platonitas cujus participatione Plato est quis ; vel quæ facit *quid*, ut speciale vel generale, id est quæ

(19) Forte *quam aliud nomen*, vel *sub intellectam* aut *subintelligentiam*.

speciali vel generali nomine significatur, ut humanitas, animalitas cujus participatione Plato est *quid*, non vero *quis*. Unde propria nomina ad quis; specialia, generalia, ad quid respondentur: proprietas enim quæ facit quæ personalis vel individualis, vel proprie qualitas dicitur Latine, Græce vero hypostasis; Latine autem substantia dici potest a subsistendo; similiter et subjectum ejus, prout intelligitur, ea participare, dici potest hypostasis. Proprietas autem quæ facit quod Græce dicitur οὐσια, Latine vero substantia, etiam res subjecta ut per ea participans potest dici οὐσια. Si quis ergo secundum reduplicationem scilicet velit procedere, virtutem locutionis exprimens, dicet Plato est hypostasis, et non est οὐσια, quia ex eo quidem Plato est hypostasis non ex eo quod est οὐσια, similiter homo est οὐσια non hypostasis, quia ex eo quod homo est, est οὐσια, non ex eo quod homo est, est hypostasis. Hoc autem nomen *persona* est appellativum rerum prout participat individualibus proprietatibus facientibus *quæque*, non *quid*. Res enim in eo quod est Plato est persona, non in eo quod est homo, est persona. Similiter et hoc nomen *aliquis*, et omne aliquid nomen quod in masculino genere de Deo dicitur si sit adjectivum. Nomen igitur personæ significat substantiam non οὐσιαν, sed hypostasim; similiter et hoc nomen *aliquis*, et hoc nomen *justus*. Unde recipiunt, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sunt aliqui, sunt personæ, sunt justi; similiter Pater, et Filius, et Spiritus sanctus est aliquis, est justus, sed non est proprietas aliqua quæ significet hoc nomen *persona* determinate.

Et instant præmissis argumentationibus sic. Primæ sic: Tam Patri quam Filio idem est esse personam et esse substantiam; Pater et Filius sunt substantia quæ est persona: ergo **13** vel non substantia vel sunt persona. Ad secundam objectionem dicunt quod in hymno debet dici:

Nunc, sancte nobis Spiritus,
Unum Patri cum Filio,

vel dicunt hoc fuisse dictum contra Arium qui computabat gradus in Trinitate dicendo Patrem magnum et Filium minorem, vel Spiritum sanctum non idem esse quod Pater. Alii corrigunt dicentes, unus Patris cum Filio, id est unus Patris et Filii, ut proponatur præpositio pro copulativa conjunctione. Tertiæ objectionis solutio patet secundum eos. Ad quartam sic instant in una facie alius est Socrates quam Plato: ergo in facie alius est quam Plato, vel ita unius faciei sunt Socrates et Plato. Nam, sicut hoc incongrue dicitur, ita et illud: *Pater est alius a Filio in essentia*, ut dictum est supra.

Quidam autem aliter distinguunt substantiam dicentes, tria significari hoc nomine substantia, hy-

A postasis, **ousia et ousiosis. Hypostasim** dicunt rem prout participat individuali proprietate. Ousiosim vocant omnem substantialem formam; ousiam vero rem, prout participat generali vel speciali statu, id est proprietate faciente quid. Nos vero, relictis hujusmodi ambagibus, dicimus hoc nomine *aliquis* vel *unius* nil poni cum de Deo dicitur, quemadmodum nec aliis nominibus numeralibus, sicut in sequenti dicetur. Illud potius inquirendum an hoc nomen *aliquo* neutraliter positum ad essentiam semper pertineat, an aliquando ad proprietatem: ad quod dicendum quod essentiam significat. Unde non est dicendum, Filius est de aliquo, quia non est de essentia; non ideo tamen dicendum est, Filius est de nihilo, quia negatio plus tollit

B quam affirmatio ponat. Removet enim essentiam cum persona. Tamen verum est quod non est Filius de aliquo. Necdum tamen plene discussum est an essentia sit de essentia. Dicit enim quidam hæc nomina personaliter interdum accipi, quod in sequentibus declarabitur.

Quod vero ultimo quæritur an Pater alio sit, Pater et alio Deus, usque ad sequentia ubi de proprietate personarum agemus, differemus

CAPUT VII.

De terminis complexis quæ constant ex una dictione significante substantiam, et alia quæ significat rationem cujusmodi est iste, potens generare.

(20) Est aliud prædicabile quod creditur de Deo

C secundum essentiam. Non observat prædicamentorum regulam, quia non tantum non dicitur de tribus personis in summa singulariter, sed neque de qualibet persona videtur dici, cum ponat Augustinus (21) hanc regulam: De his quæ ad se dicuntur Pater et Filius et Spiritus sanctus non dicitur alter sine altero. Tale est hoc possibile *potens generare*. Quod enim secundum essentiam dicatur, videtur propter hoc nomen *potens*, quod de Deo dictum essentiam significat: nam idem est Dei potentia et essentia. Nam videtur ex adjunctione hujus verbi, *generare*, suam significationem variare. Id ergo videtur Patri esse Deum et posse generare; sic idem est ei esse Deum et aliquid posse; nec tamen de Filio dicitur quod possit generare

D Filium, quia si hoc esset, ergo Filius potest esse Pater alicujus: ergo sui vel Patris, vel Spiritus sancti vel alicujus alterius; nullius alterius, quia nullus alius potuit ab æterno esse. Sed nec potuit esse Pater Patris, quia ita esset idem Pater et Filius ejusdem; nec Spiritus sanctus neque sui, quia nulla res seipsam gignit. Imo si Filius possit gignere, et ille Filius alium Filium, cum non est magis ratio de uno quam de aliis, etiam in infinitum posset produci ratiocinatio.

(22) Quod tamen Filius possit gignere, ostenditur tum auctoritate, tum ratione. Ait enim Au-

(20) Mag. I, d. 27, §. 6.
(21) Lib. VI. *De Trinit.* c. 2.

(22) Mag. I, d. 7, §. b.

gustinus (23). « Absit ut ideo potentior sit Pater Filio, quia Creator genuit Filium, Filius autem non genuit Creatorem, neque non potuit, sed non oportuit. » Ergo Filius **14** potuit gignere Creatorem. Ideo istud solvitur sic : Neque enim non potuit, id est non ex impotentia sui fuit quod Filius non genuit, sed ei non conveniebat ; sic Deus Filius non est Deus Pater ; nec tamen hoc est ex impotentia Filii, vel potest subintelligi tantum sic : neque enim non potuit, sed non oportuit, id est non tantum non potuit, sed etiam non oportuit. Rationes quoque ad id ostendendum multæ inducuntur. Pater habet potentiam generandi, Filius non habet potentiam generandi : ergo aliquam habet potentiam Pater quam non Filius; sic indirecte, vel directe sic : Pater habet potentiam generandi, Filius habet eamdem : ergo Filius habet potentiam generandi. Ideo solvebant antiqui per interpretationem hujus, *Pater habet potentiam generandi, et Filius habet eamdem* : nam iste terminus, *potentia generandi* notionem appellat, id est paternitatem. Idem est enim dicere, Pater habet potestatem generandi, ac si dicatur Pater habet paternitatem generativam; Filius autem non habet eamdem, id est paternitatem. Commodius tamen videntur solvere nodum ; quia, cum dicitur Pater potens est generare, idem est ac si dicatur : Pater est potens et est genitor; et ita duo dicuntur de Patre, et quod habeat potentiam et quod habeat generationem, vel potius quod habeat eam ad generandum, id est ut generet. Cum vero additur : Filius habet eamdem, pronomen sicut non refertur ad gerundium, sed actionem, ita non refertur nisi ad potentiam non ad proprietatem. Potentia eadem est in Filio non ad generandum id est ut generet. Nam gerundium utrumque significat, id est actionem et passionem. Si quis tamen quærat quare magis conceditur potentia generandi est in Patre, propter significationem activam gerundivi, et non potentia generandi est in Filio, ut gerundivum passionem significet, potius usui quam rationi imputandum est. Cum ergo loco pronominis, quod non refertur ubi significantur activi, resumitur totus terminis et dicitur, *Filius habet potentiam generandi*, falsum est. Sicut si dicatur, Socrates videbit hominem album, et eum videbit Plato : posito quod Plato non videbit eum existentem album, non licet resumere Plato videbit hominem album, quia pronomen non referebat significationem totius termini, sed tantum nominis subjecti, qui necessario potest resumi.

Unde et tu ad omnia hujusmodi potes instare velut ita : Filius istius vult ducere uxorem, et pater vult idem : ergo pater vult ducere uxorem; vel sic : Abraham habuit fidem venturi, et tu habes eamdem : ergo tu habes fidem venturi ; vel ita : Petrus habuit potentiam peccandi, et habet eamdem : ergo Petrus habet potentiam peccandi. Item,

A Pater potest generare, Filius non potest generare : ergo Pater potest aliquid quod non potest Filius. Vel ita : Quidquid potest Pater potest Filius; Pater potest gignere ; ergo Filius. Ad hoc dicendum quia posse generare Filium, non est posse aliquid, quia non est ad quid sit divinæ subjectum potentiæ. Generatio enim Filii non est actio eorum quæ subjecta sunt divinæ potentiæ, quia non est de creaturis, sed est super omnia. Non enim ante potuit gignere, genuit. Unde ita potes instare : Pater potest esse Pater, Filius non potest esse Pater : ergo Pater non potest esse aliquid quod non potest esse Filius, non est verum ; quia esse Patrem non est esse quid. Vel ita : Filius hujus vult ducere uxorem, pater non vult ducere uxorem, B aliquid vult pater quod non vult filius. Aliter potentia generandi est in Patre; ea potest Pater aliquid, quia generare potest. Igitur illa potentia potest generare :, Filius potest idem ea vel non ; si idem, ergo Filius potest generare; si non idem, ergo aliquid potest Pater quod non potest Filius (24).

Ad hoc dictum quod non satis eleganter dictum est Pater potest generare, et Filius potest idem, vel non, quia posse generare non est aliquid posse, id est non est aliquid **15** subjectum divinæ potentiæ, et ideo incongrue fit relatio ad infinitum, sicut si dicatur, Pater est Pater, et Filius est idem vel non idem, ut sit ibi neutri generis incongrue est. Item potentia generandi est in Patre, et eadem est in C Filio : ergo potentia generandi est in Patre et in Filio, et videtur non posse sumi instantia in accidentalibus; quia si aliquod pronomen ad aliquam actionem referatur, subtracto pronomine, manet eadem veritas locutionis copulatis duobus verbis, si copulari recte possint (25), ut *currit et idem disputat. Ergo Socrates currit et disputat.* Quod si detur, potentia generandi est in Patre et Filio, eadem ratione potentia generandi est in Filio et in Patre, et ita potentia generandi est in Filio. Ideo quibusdam videtur hæc esse vera, *potentia generandi est in Filio*, quia non innuitur hac locutione quid ad quid sit in Filio, sed tantum quid sit in Filio. Sed ex parte prædicari negatur potentia generandi est potentia generandi in Filio. Si quis inferat, potentia gene- D randi est in Filio : ergo Filius potest generare, fallacia. Virginitas erit in isto : ergo iste erit virgo. Vel potentia peccandi erit in isto, quia jam confirmabitur : ergo iste poterit peccare; vel, gressibilitas est in isto : ergo carente pedibus : ergo potest gradiri. Nam in omnibus his non ostenditur quid ad quid sit in aliquo, sed tantum quid. Prior tamen solutio communior est et verior videtur.

Item, potentia generandi quæ est in Patre, est in Filio, et potentia generandi quæ est in Filio est in Patre : ergo potentia generandi non est in Patre, vel in Filio. Istud solvitur per interpretationem

(23) Aug., l. III, *contra Maxim.*, cap. 12 in fine.

(24) Eadem habent Pullus et Robertus de Miledun., ut ostendimus in notis ad Pullum. (*Patrologiæ* t. CLXXXVI.)

(25) Mag., ead. dist., § 6 f et g.

unius præmissarum. Potest tamen sic instari : Hominem album quem videbit Socrates, videbit Plato, et econtra : ergo vel hominem album non videbit Socrates, vel hominem album videbit Plato. Sicut potentia generandi est in Patre vel Filio, potentia generandi non est in Patre et in Filio : fallacia in præmissis. Socrates vel Plato videbit hominem album, non Socrates et Plato videbit hominem album : ergo non quæcunque videbit Socrates, videbit Plato : vel in ducere uxorem habebit instantiam. Item, potentia generandi vel nascendi est in Patre, nulla potentia generandi quæ non sit nascendi, et econtra : ergo potentia nascendi est in Patre, vel potentia generandi non est in eo : fallacia in præmissis. Uxorem vult ducere iste, et ille nihil, vult iste quod non ille : ergo uxorem vult ducere, vel non ille. Item, hæc potentia generandi est in Filio : ergo potentia generandi est in Filio. Illud solvitur propter interpretationem.

Nondum enim plane discussum est, an ad divinam essentiam congrue fiat demonstratio, ut dicatur potentia hæc est essentia. Item, potentia est potentia Patris et Filii : ergo est potentia Filii : ergo potentia generandi est in Filio : fallacia ultimi. Potentia peccandi erit potentia istius, quia jam confirmabitur : ergo potentia peccandi erit in isto. Item, aliqua potentia est in Filio : ergo potentia generandi vel alia ; sed probatur quod non. Alia nulla potentia generandi est in Filio quæ non sit potentia generandi : ergo nec alia potentia est in Filio quam potentia generandi ; nec aliqua potentia est in Filio, quæ non sit potentia generandi : fallacia primi argumenti. Pater aliquo est Pater : ergo essentia, vel alio ; vel Pater aliquo est Deus : ergo paternitate vel alio. Item, Pater potentia generandi potest generare : ergo possibile est Patrem potentia generare : ergo possibile potest poni. Ponatur illud : ergo Pater potentia generandi generat. Sed idem est potentia generandi et essentia Dei : ergo Pater essentia sua generat Filium : fallacia primi. Socrates potentia sua potest currere : ergo possibile est Socratem potentia sua currere.

Et nota quia cum sint hæc duo verba, *Pater potest generare*, utrumque potest determinatione recipere ablativum ; sed hoc verbum *potest*, quia essentiale est, ablativum essentialiter recipit, et qui non relatione designet. Econtrario, quia hoc verbum *generare* notionem **16** notat, ablativum relationis recipit non essentiæ. Unde congrue dicitur, Pater potentia sua potest generatione generare. Sed non fit permutatio, sicut dicitur Socrates voluntate sua vult pedibus currere, vel, Socrates hodie est, moriturus cras. Item, potentia generandi est in aliquo, illud est Deus : ergo aliquid quod est Deus, potest generare. Si dicat quod potentia generandi in nullo est : ergo potentia generandi nil est potens, et tamen potentia generandi Pater est potens : ergo Deus : A ergo aliquid. Imo, si secundum essentiam hoc dicitur de Deo, quælibet persona est aliquod potens generare, et illæ tres personæ sunt unum potens generare, sicut docuit jampridem dicta regula, et quod divina essentia potest generare ; sed si memoriter tenemus prædicta, iste terminus, *potens generare*, non tantum essentiam, sed etiam relationem notat, unde non est dicendum propter relationem quæ non dicitur de essentia, *Pater est aliquod potens generare*, sed *aliquis potens generare*. Illa tamen potentia aliquid est potens, quia Deus et divina essentia, illa potentia potest quidquid potest, non tamen ideo generare, quia hoc non est posse quid, ut supradictum est. Item, aliud est gignere, aliud gigni : ergo aliud est posse gignere, et aliud posse gigni : fallacia. Aliud B est bonum quam malum : ergo alia est scientia boni quam mali, non ; quia contrariorum est eadem disciplina. Et nota conclusionem ideo esse falsam, quia sensus est : *Alia est potentia qua Pater potens gignere, alia qua Filius potest gigni*, quod supra negatum est.

CAPUT VIII.

Quæstio quare Deus omnipotens dicatur, et de annexis huic quæstioni.

(26) Solet quæri quare Deus dicatur omnipotens. An quia omnia potest, an quia omnia potest quæ vult. (27) Quod enim Deus omnia possit, dicit Augustinus : « Deus omnia potest sed non facit nisi quod convenit voluntati ejus et justitiæ. » Cum tamen Deus C non possit peccare, non possit falli, non possit miser fieri, non videtur omnipotens. Ad quod dicendum quia posse hoc, non est aliqua posse, imo est naturalis impotentia, non naturalis potentia ; et si hæc posset Deus, non omnipotens tunc diceretur, quia nulla potentia est per quam aliquid de facili agimus, et nihil de facili patimur, et nil de facili agimus. Unde posse peccare non est naturalis potentiæ, imo naturalis impotentiæ, quod sic docet Aug. (28) : Magna Deì potentia est non posse peccare, nec ideo minus potens putandus est, quia peccare non potest, cum omnipotens nullatenus sit qui hoc non potest. Item, Deus non potest ambulare, comedere et hujusmodi, posse ambulare est posse quid : ergo aliquid est quod Deus non potest.

D Item notandum est quod hæc omnia subjecta sunt divinæ potentiæ, quia quod aliquis ambulat, loquitur et hujusmodi, hoc facit potentia Dei auctore, non tamen Deus in sua essentia hoc potest agere, quia non habet instrumenta, quibus in sua essentia tales actiones exerceat. Cum autem dicitur, Deus non potest ambulare, vel bibere, aut loqui, non removetur aliquid a potentia Dei (29), sed tantum modus qui pertinet ad defectum et infirmitatem hominum, vel eorum quibus hoc convenit ; quia, licet hoc non faciat in se, facit in aliis, sicut cum dicitur, Deus non est in caputio, vel in bursa istius. Non ideo minus verum est, Deus est in omni loco essentia-

(26) Mag. I, d. 42.
(27) Apud Mag. ibid., § 1.

(28) V. Aug., l. XV *De Trinit.*, c. 15.
(29) Mag., ibid., § b.

liter, quia modus existendi ibi tantum removetur, A scilicet quod non ita includitur loco sicut creatura. Dicunt ergo Deum dici omnipotentem, non quia omnia possit, sed quia potest quidquid vult, ut tradit Augustinus (30) : « Omnipotens dicitur Deus, non quia omnia possit, sed quia potest efficere quidquid vult, ita ut nullus ejus voluntati possit resistere, quæ ipse est. » Quod ut manifestius fiat.

Nota quod duo attenduntur in **17** Dei potentia, quorum unum est quod ipse potest facere quidquid vult, alterum quod nihil omnino patitur (31). Ex quibus duobus conficitur tertium, scilicet ipsum posse facere quæ posse est potentia. Ea vero quæ posse est potentiæ, sunt quibus Dei majestas non læditur; quod dicitur propter peccata, nec ejus excellentia minuitur quod dicitur propter defectus. B Dicitur ergo Deus omnipotens, quia potest omnia quæ posse est potentiæ; sed quod Deus in sua essentia posset loqui, comedere, et hujusmodi non est potentiæ, quia quasi defectus videntur in Deo, si his egeret, et instrumenta quibus exerceret, haberet in quo ejus excellentia minueretur. In prædicta igitur auctoritate Augustini (32) tam large accipitur hoc nomen omnia, ut comprehendat et defectus, et peccata, ubi dicitur Deus posse quidquid vult, cum tamen possit etiam facere quod non vult. Sed ideo istud appositum est, quia fuerunt hæretici qui dicerent Deum aliquid velle quod non potest, vel ut ostendat Deum nil facere, quod non velit quando illud facit, vel ut assignetur differentia C voluntatis Dei ad voluntates hominum, qui plura volunt quam possint. Deus autem plura potest quam velit, nec ideo Deus omnipotens dicitur quia potest omnia quæ vult se facere, vel se posse, vel velle. Nam propter eamdem causam, diceretur Petrus omnipotens, quia omnia potest facere quæ se vult facere, vel se posse aut velle, alioquin non esset beatus, sed quia Deus omnia potest facere quæ vult fieri, quod non convenit Petro, qui vult prædestinatos salvare, nec eos salvare potest.

Non tamen sub silentio prætereundum quod quidam (33) dicunt Deum nihil posse facere nisi quod facit, Dei potentiam arctantes, et ita conantur astruere : Deus nihil potest facere nisi quod bonum est, et nihil bonum est fieri ab eo quod ipse non D faciat : ergo Deus nihil potest facere nisi quod facit. Item justitia Dei exigit ipsum facere quod facit, et id non facere quod non facit; et Deus non potest aliquid facere contra justitiam suam; ergo Deus non potest facere quod non facit, et ita non potest facere nisi id quod facit. Item Deus non potest facere quod justitia ejus exigit : sed justitia ejus non exigit, nisi id quod ipse facit : ergo non potest facere nisi id quod facit. Quod enim hæc sit vera justitia ejus non exigit ut faciat nisi quod facit, patet per contradictoriam quæ est falsa. Justitia ejus exigit ipsum facere quod non facit. Item, Deus non potest facere, nisi id quod debet facere. Sed ipse nihil facere debet nisi id quod ipse facit. Item, Deus aut debet dimittere, aut non debet dimittere id quod dimittit. Si dicas quod debet : ergo non debet facere quod dimittit. At non potest facere quod non debet; igitur non potest facere quod dimittit. De reliqua constat quod sit falsa, scilicet Deus non debet dimittere quod dimittit.

Ad hæc omnia una est et fere communis locutio, adhibita prius hac distinctione, quod Deus alia ratione dicitur bonus, et alia ratione homo. Homo enim dicitur bonus propter opera bona quæ facit, quæ informata sunt charitate. Deus autem non dicitur bonus propter opera bona. Imo opera ejus dicuntur bona, eo quod ipse qui vere est bonus ea facit; si enim ipse quæ sunt mala faceret, vel quæ si fierent ab hominibus essent mala, tamen non diceretur mala opera facere. Imo ea quæ sunt bona quæ tunc dicerentur propter auctorem bonum, scilicet Deum. Cum ergo dicitur, Deus non potest facere, nisi quod bonum est ab eo fieri, si sic intelligas per compositionem. Id non potest facere nisi id quod bonum esset. Si ab eo fieret, verum est (34); si vero per divisionem ita, Deus non potest facere, nisi quod bonum est, id est nil potest facere quod non sit bonum modo, falsum est. Imo potest facere quod malum est modo, et quod malum esset si ab alio fieret; ipse tamen si faceret, bonum opus faceret. Ita est ista determinanda, Deus non potest facere nisi quod ejus justitia exigit eum facere. Similiter, cum dicitur, Deus non potest facere nisi **18** quod debet, id est nisi quod conveniret, si illud faceret (35). Verum dicis.

Nota tamen hoc verbum debet improprie de Deo dici, et verbum venenosum esse (36). Deus enim non est nobis debitor, nisi forte ex promisso, nos tamen debitores sumus ex commisso.

Item, quædam ratio in Deo est æterna, quæ est etiam Deus per quam facit Deus id quod facit, et dimittit id quod dimittit. Ergo, ea manente, non potest facere quod dimittit, vel dimittere quod facit, quin agat contra illam rationem. Contra illam non potest agere, quia ita contra se ageret : ergo non potest vel facere quod dimittit, vel dimittere quod facit. Verum est quidem quod si ratio illa temporalis esset, non æterna, posset dimittere quod facit, non agendo contra illam rationem. Nam, cum prius esset ratio aliquid fieri, et nunc illud omitteretur quod prius fuisset ratio, modo non esset ratio ipsius vel ipsius res. Sic, cum iste prædestina-

(30) Apud Mag., ibid., § f. et *Enchirid.*, 96.
(31) Hæc ipsa Magistri doctrina, § e.
(32) Eadem Magister, § 6.
(33) Inter alios Abælard. Plura de his in nostris observat. in Pullum V. Mag ı, dist. 43

(34) Sic respondet Magister, § c.
(35) Sic Mag., § d.
(36) Apud Mag., ibid, *ut mihi videtur. noc verbum* (debet) *venenum habet.* V. reliqua fere de verbo ad verbum.

tus sit, et si ponatur quod sit damnandus, quod A impossibile est; ita qui prædestinatus dicebatur, non est prædestinatus, nec unquam fuit, verum quod esset prædestinatus. Cum ergo illa ratio sit æterna, non videtur quomodo, illa manente, potest facere Deus quod dimittit. Ad quod dicendum quod Deus, manente illa causa æterna, quia omnia facit quæ facit, id est scipso potest facere quæ non facit, et contrario; non tamen ideo potest agere contra illam causam (37), quia illa ratio, cum sit modo causa alicujus rei, potest non esse causa ejusdem, non potest tamen desinere esse causa illius. Sicut videtur in prædestinatione, Deus ab æterno prædestinavit Jacob, et potuit illum damnare. Nec tamen ideo ageret contra prædestinationem; quia, si damnaret, tunc vere diceretur, nunquam fuit præ- B destinatus. Potuit enim non fuisse prædestinatus, sicut potuit non esse salvandus.

(38) Item ad id indirecte hoc modo, Deus potest aliquid facere quod non facit, nec fecit, nec faciet: ergo potest aliquid facere quod non fuit. Sciturus ergo potest aliquid facere quod non prsciturus: ergo potest aliquid facere sine præscientia. Fallacia ultimi. Nam præmissa sunt vera, et est transitus a divisione ad compositionem. Iste potest te docere litteras quas non novit, qui adhuc illiteratus est et litteras disceret: ergo potest te docere litteras sine notitia. Vel ita: Aliquis homo potest videre, qui non habet oculos (39) quia Antichristus: ergo aliquis potest videre sine oculis. Dicit Augustinus (40), C ad Deum dirigens sermonem: « Nec cogeris ad aliquid invitus, quia non est major voluntas tua potentia tua: quæ quidem major esset, si teipso tu esses major. » Ex quo habetur, quia nec etiam potentia Dei major est voluntate, cum idem sit voluntas et potentia. Unde infertur: Ergo Deus non plura potest facere quam velit, vel plura vult facere quam possit. Ad quod dicendum quod nomine potentiæ, vel voluntatis quandoque ipsam intelligimus divinam essentiam, secundum quod præmissa sunt vera; quandoque subjecta voluntati vel potentiæ, secundum quam major est potentia quam voluntas, id est plura sunt subjecta potentiæ quam voluntati. Vel visus istius non est perspicacior visu illius, et econverso: ergo non plura videt iste quam ille, D vel plura videt ille quam iste. Vel ita: Ista domus non est capacior illa, nec converso: ergo non plura capit ista quam illa, vel capit plura ista quam illa. Item dicit Augustinus (41): « Id solum non potest facere Deus quod non vult. » Unde infertur: Ergo nihil potest facere nisi quod vult. Vel, id solum non est animal quod non est homo: ergo nil est animal quod non sit homo. Quod enim hæc sit vera. Id solum non est animal quod non est homo, ita constat; quidlibet est homo, vel non est homo, non est verum quod aliquid sit homo, et non sit animal. Id non est animal quod non est homo: ergo id solum non est animal quod non est homo. Eodem quoque modo: Id solum non potest Deus quod non vult. Quod etiam si quis inde dubitet, ita ostenditur. Quidlibet vult vel non vult Deus, non est verum quod aliquid velit Deus et non possit, **19** id quod non vult Deus non potest: ergo id solum non potest Deus quod non vult. Item, id solum non vult Deus quod non potest; quidquid non potest Deus non vult: ergo quidquid non vult Deus, non potest. Item, id solum non potest Deus quod non vult, id solum non vult Deus quod non potest. Id solum quod potest Deus, vult: ergo id solum quod vult Deus, potest. Ideo notandum harum duarum: *Id solum non potest Deus quod non vult. Id solum non vult Deus quod non potest*, priorem esse veram, et alteram falsam. Id enim non vult Deus quod potest. Non ergo id solum non vult quod non potest, et in omnibus prædictis subintelligendum est hoc verbum *facere*. Aliter enim non congrue esset dictum Deus potest hoc. Nec te moveat quod dicimus Deum aliquid non posse, cum ita large accipiatur aliquid ut et defectus et potentia comprehendat.

Item aut possibile est Deum facere quæcunque facere potest aut impossibile; si est possibile, ergo potest esse verum. Ponatur: Tunc igitur verum est Deum facere quæcunque potest facere: ergo dicitur, Deus facit quæcunque potest facere. Si vero impossibile est Deum facere quæcunque potest facere: ergo necesse est Deum non facere quæcunque potest facere: ergo necessario Deus non facit quæcunque potest facere: ergo Deus non potest facere quæcunque potest facere. Et videtur esse idem processus argumentando iste ultimus, quod est, cum dicitur: Necesse est Deum non peccare: ergo necessario Deus non peccat: ergo Deus non potest peccare. Item, necessarium est Deum non facere quæcunque potest facere: ergo necessarium est Deum non facere hæc vel alia: et ea posse facere non est magis ratio de aliis quam de his: ergo necessarium est Deum non facere hæc, et ea posse facere; et ita necessarium est Deum non facere hæc quæ tamen potest facere. Item impossibile est Deum esse auctorem omnis naturæ quam potest facere, cum naturas infinitas et multas possit facere quas non facit: ergo necessarium est Deum alicujus naturæ non esse auctorem, et ita non omnis naturæ est auctor Deus.

Ideo notandum quod in his omnibus est fallacia univocationis ex variata appellatione terminorum secundum diversa adjuncta; ideo damus hanc: Impossibile est Deum facere quæcunque potest facere, quia hoc dictum nullo modo potest esse verum. Non tamen inde provenit: Ergo Deus non potest

(37) Ibidem Lombardus.
(38) Ita Mag., sub finem ejusd. §.
(39) *Forte quos*, subintell. *habet* Mag., ibid., § c.
(40) Lib. VII *Confess.*, c. 4.
(41) Apud Magistrum supra, sed non inveni loco citato l. I *De Symb. ad catech.*, cap. 1.

facere quæcunque potest facere. Sicut impossibile est album esse nigrum; non tamen album non potest esse nigrum. Similiter vera est hæc : Necesse est Deum non aliqua facere quæ potest facere, nec tamen hæc vel alia quæ non est determinare quæ confuse proponitur, cum non possit Deus alia facere quibus non possit plura facere : sicut forte necessarium est Linum non scire alia quæ scit Petrus, non tamen hæc vel alia, quia non potest demonstrari aliquod scitum a Petro quod non possit scire Linus; cum sciat id quod difficilius non potest sciri, id est Deum esse trinum et unum, semper tamen necesse est Petrum, qui beatior est, alia scire, ut dictum est a quibusdam, quæ non scit Linus qui minus est beatus.

Huic quoque argumentationi necesse est Deum non esse auctorem alicujus naturæ cujus potest esse auctor : ergo necesse est Deum alicujus naturæ non esse auctorem, et ejus naturæ posse esse auctorem. Instantia similiter per fallaciam divisionis sicut et hic : Necesse est alteram istarum contradictoriarum esse propositionem veram quæ non est facta : (42) ergo necesse est alteram istarum esse propositionem veram, et illa non est facta. Item dicit aliquis (43) : « Deus Pater quem genuit, quia meliorem generare non potuit Nil enim Deo majus), debuit æqualem. Si enim potuit et non voluit, invidus; si voluit et non potuit, infirmus. » A simili, ut dicunt, si Deus aliam creaturam potest facere meliorem quam sit, et non facit, invidus est; et si vult et non potest, infirmus. Et ita volunt probare quod Deus non potest aliam rem facere 20 meliorem quam sit, sicut nec aliud facere potest quam non faciat. Illud autem quod inducitur pro simili non est simile. Deus enim Pater genuit Filium ejusdem substantiæ cujus est ipse, et ideo debuit gignere sibi æqualem cum melior gigni non potuit, sed creaturam de nihilo creat Deus quam meliorem potest facere quam faciat. Quod etiam ita ostenditur indirecte, quod Deus non potest facere rem meliorem quam sit, hoc contingit quoniam quælibet res habet in se perfectionem omnis boni; et ita omnes res æque bonæ sunt, imo æquales Creatori in perfectione sunt. Aut quia res ipsa non potest esse capax illius boni, quod si haberet esset melior, quod si est : nunquid Deus, qui de nihil creavit quod majus est, potest rem efficere illorum bonorum capacem, et ita meliorem? imo si non potest, jam in omni creatura defectus est.

(44) Eodem modo volunt probare quod Deus non potest facere rem meliorem modo quam faciat : quod tamen verum est si modus referatur ad Deum, quia non ex meliori sapientia potest rem facere, nec ex majori bonitate. Si referatur ad creaturam, falsum est. Potest enim Deus cuilibet forte creaturæ

A conferre meliorem statum et excellentiora dona quam habeat. Unde Augustinus (45) : « Alius modus liberationis nostræ Deo possibilis, sed nullus miseriæ nostræ sanandæ convenientior. » Sicut ergo alio modo potuit nos liberare, ita et alio modo potest res alias facere quas facit, ut modus ad creaturas non ad modum referatur. Sed nec iterum videtur quod Deus possit omnia facere quæ posse est potentiæ, quia nec potest virginem post ruinam suscitare, ut dicit Hieronymus (46). Quidam ita intelligunt, id est statum conjugatorum, vel continentium non potest facere comparabilem statui virginum, id est æque habilem et expeditum Dei servitio. Posset quidem ei addere quasdam præeminentias ut faceret eum excellentiorem statu virginum, sed quo

B ad hoc, id est quo ad quamdam habilitatem et idoneitatem, non potest facere hunc statum illi comparabilem. Sed nec videtur istud exquisite dictum; ideo non est adhærendum illi verbo Hieronymi : hyperbolice enim locutus est ad commendationem virginitatis, loquens Paulæ et Eustochio de virginitate. Sicut et in fine Evangelii sui Joannes hyperbolice locutus est, et frequenter in sacra pagina talis modus loquendi reperitur. Sed et iterum super illum locum Evangelii : *Qualia fullo non potest facere super terram* (*Marc.* IX), dicit Beda : « Deus in terra claritatem illam non potest dare fidelibus suis, quam eis reservat in cœlis, » sed accipiendum est, non potest, id est non vult, vel non potest de justitia.

C Item, rationibus idipsum demonstrari potest. Nullo opere, quod sit de genere bonorum, potest vel lædi Dei majestas, vel ejus excellentia minui : ergo quodlibet opus de genere bonorum potest Deus; sed pœnitere est de genere bonorum : ergo Deus potest pœnitere, præcipue cum de illo legatur : *Pœnitet me fecisse hominem* (*Gen.* VI). Vel ita pœnitere est opus bonum, informata charitate, quod posse est pœnitentiæ. Hoc opus non potest Deus : ergo non potest quidquid posse est pœnitentiæ : ergo non est omnipotens. Ad hoc dicendum quod pœnitere ex charitate opus bonum est, et Dei est, id est a Deo est, quia omne opus bonum ab illo, et fit per ministerium ab homine; a Deo autem est per auctoritatem, sicut quod Petrus operabatur miracula, opus

D erat Dei per auctoritatem, Petri per ministerium, et ita idem est opus Dei et hominis. Sed aliter et aliter. Sicut in libro *Retractationum* (47). Putabam quod credere esset opus solius hominis, nunc vero scio quod est opus Dei et hominis. Item Deus Pater non potest in unitate suæ personæ humanam naturam assumere, et hoc est opus per quod nec ejus majestas læderetur, nec excellentia minueretur, sicut nec Filii majestas in aliquo læditur, nec excellentia minuitur, quia est homo : ergo aliquod opus est quod posse est potentiæ, quod Deus Pater non potest facere.

(42) Mag. I, d. 44, § 1.
(43) Aug., l. LXXXIII *Qu.*, q. 50, per totam, paucis verbis tantum omissis.
(44) Mag. I, d. 44, § c.

(45) Lib. XIII *De Trinit.*, cap. 10.
(46) *Ad Eustochium, de custodia virginit.*, cap. 2.
(47) Vide Aug., lib. I *Retract.*, c. 23.

re: quare ergo dicitur omnipotens. Quod autem Deus 21 Pater non possit humanam naturam assumere in unitate personæ ex eo constat; quia si hoc posset, posset utique esse homo; et cum sit alia persona quam Filius, oportet esse alium hominem quam Filium, et ita essent duo homines Pater et Filius: quare duæ substantiæ. Ad quod dicendum Patrem et potuisse esse, et posse esse hominem, et alium quam sit Filius, non tamen ideo aliam substantiam, sicut et Pater est alia persona quam Filius, non tamen ideo alia substantia. Item Filius Dei non potuit assumere carnem Petri vel animam ipsius. Sed hoc erat opus in quo nec læderetur ejus majestas, nec ejus excellentia minueretur: ergo aliquod opus est quod Filius non potuit facere quod tamen non erat contra ejus majestatem. Quare ergo dicitur opus, si dicitur Filium Dei potuisse assumere carnem et animam Petri: ergo Filius Dei potuit esse Petrus. Eadem ratione potuit esse Paulus, et ita potuit esse duorum hominum utraque natura duo homines. Ad quod dicendum, quod potuit Filius Dei assumere corpus et animam Petri, et ut hoc tantum ei conveniret, non tamen ut esset Petrus, quia cum hoc dicitur, et significatur quod propria qualitas Petri et singularis status ei inesset, quod est impossibile, sicut posito quod hoc unde Plato conveniet Socrati. Sed dum ei convenit, Socrati poterit convenire, hoc unde Plato et Socrates poterit esse id cui hoc unde Plato conveniret, non tamen Socrates erit Plato. Potuit ergo Pater et Filius Dei aliam animam et aliud corpus assumere, ita ut habeat duas aut tres animas, et duo vel tria corpora sibi unita; non tamen ideo erit unus et alius homo: nam si hoc esset, vere diceretur, iste homo est ille homo, quia hæc persona humanata et illa persona humanata. Nil enim aliud significat iste terminus *hic homo*, quam iste *hæc persona humanata*, et esset una persona in duabus humanis naturis, et humana natura non est aliud in Deo quam corpus et anima. Non enim est communem speciem de homine Christo, teste Damasceno (48), sicut postea docebitur, accipere.

Item, si duæ naturæ oppositæ ut asinina et leonina in una re singulariter uniantur, non ideo vel Dei majestas læditur, vel ejus excellentia minuitur, hoc non potest facere Deus: ergo non potest omne opus quod posse est potentiæ: ergo non est omnipotens. Quod autem non possit Deus facere idem asinum et leonem, inde videtur constare quia si aliquid est homo, ipsum non est asinus et econtrario, et Deus potest facere ut idem homo sit homo et non sit homo, et idem sit asinus et non sit asinus, ut duo contradictorie opposita simul sunt vera: imo qua ratione potest specialis status confundere in eadem persona, ut idem sit leo et sit asinus, potest duos singulares status commiscere ut idem sit Socrates et Plato, quod est impossibile, et etiam Deo impossibile; quia tunc eidem rei inessent duæ qualitates propriæ, per quarum utramque illa res differret ab omni re cui inesset alia propria qualitas. Et ita cum in una re essent illæ, aliqua res differret a seipsa numero, et ita aliquid non esset id quod ipsum esset, quod Deus nequaquam potest. Unde cum in Christo sint duæ naturæ, non potest Christo convenire, unde primum proprium (49) secundum divinam naturam et aliud secundum humanam. Utrumque enim significaret propriam qualitatem per quam Christus ab illa re differret, cui inesset alia propria qualitas.

Econtrario tamen quod Deus potuerit facere quod idem esset homo et asinus, potest ostendi per hoc quod fecit ut idem esset homo et Deus. Fecit etiam ut eadem esset virgo et pareret, quorum utrumque adeo est difficile ut istud. Item Deus fecit asinam ejus naturæ ut serviret suo Creatori, hujus naturæ fuit quod poterat Deus de ea operari ad libitum: ergo quod Deus fecerit eam loqui, ergo de natura fecit eam loqui. Item virga Moysis hujus naturæ fuit, ut de ea faceret Deus quod vellet; de ea voluit Deus fieri serpentem: ergo hujus naturæ fuit ut Deus de ea faceret serpentem: ergo de natura virgæ fecit eam Deus serpentem. Non ergo 22 contra naturam virgæ hoc fecit. Item, quia cito Deus explicuit causas a primordiali materia, nonne potuit facere ut causæ illæ quæ fecerunt aliam rem asinum, facerent aliam rem hominem, et quæ fecerunt aliam rem hominem, facerent aliam rem asinum, ut effectus istarum haberent illæ, et effectus illarum istæ, ita quod non ageret contra causas illas. Sicut qui instituit hoc *unde homo* ad significandum hominem, posset si vellet instituere ut significaret lapidem, et econtrario. Si ergo Deus modo præest illis causis sicut et prius; contra, non potest earum effectus permutare non agendo contra eas, ut causæ quæ faciunt Socratem hominem, ex præcepto Dei faciant eum asinum. Si ergo facit Socratem asinum, non agit contra naturam; sed est natura, qua mediante hoc facit cui dat hunc effectum, ut id efficiat asinum quod prius efficiebat hominem.

Item, demonstrato serpente in quem versa est virga Moysis, ista substantia fuit virga et modo est serpens: ergo contra naturam est serpens, vel contra naturam fuit virga, cum sint oppositi naturales status virgæ et serpentis. Item hæc substantia contra naturam facta est serpens: ergo contra naturam est serpens. Probatur tamen quod naturaliter: nam aliqua causa est in hac substantia quæ facit eam serpentem, scilicet natura serpentina, quemadmodum et illum serpentem verum aliqua causa facit serpentem, huic generi animalium a Deo naturaliter insita. Alias enim hæc substantia non esset verus serpens. Si ergo aliqua causa quæ facit serpentem, hæc substantia serpens est; et illa causa est inferior: ergo naturaliter hæc substantia est

(48) Lib. III *De fide*, c. 11.

(49) Id est personalitas seu ratio subsistendi.

serpens : ergo natura inferiori mediante. Non ergo hoc est opus miraculosum, quia hæc substantia est serpens. Si vero dicat quod mutata virga in serpentem manserint illæ causæ in virga quæ erat, et faciebant eam virgam in eadem substantia et modo faciunt eam serpentem, mutato effectu, non ideo minus habebitur quin, mediante inferiori causa, hæc substantia sit serpens, et ita non contra naturam.

Item impossibile est Deum facere quod Socrates sit asinus, sed ultimum est impossibile : ergo et primum, vel primum est impossibile : ergo et ultimum. Item Deum facere Socratem esse asinum est impossibile, vel tantum secundum superiorem causam ; vel etiam secundum inferiorem. Si secundum superiorem tantum : ergo simpliciter est impossibile. Si vero secundum inferiorem : ergo secundum inferiorem naturam potest esse verum Deum, facere Socratem asinum : ergo possibile est hoc esse verum secundum inferiorem naturam quod Deus faciat Socratem asinum : ergo si hoc facit Deus, secundum inferiorem naturam hoc agit. Item cur diceretur quia possibile modo Virginem peperisse, et non diceretur possibile est creaturæ esse visurum quia videbit sicut et Virgo peperit. Hoc autem Augustinus tradidit super Genesim, dicens (50) : «Non habuit prima rerum conditio ut femina de costa viri fieret, sed ut sic fieri posset.» Potuit ergo mulier fieri de costa viri quæ est opus miraculosum. Potest igitur eadem ratione et cæcus videre.

Notandum igitur est tria esse genera operum quæ a Deo sunt, quorum alia fiunt auctoritate Dei, mediante seminali causa, ut quod arbores florent, fructificant, et alia hujusmodi, et ea dicuntur opera naturalia. Sunt aliqua quæ ita fiunt ab hominibus quod tamen sint a Deo etiam, qualia sunt artificialia omnia, scamna, templa et ejusmodi. Sunt aliqua quæ operatur auctoritate sua, nullo mediante, ad gratiam suam nobis ostendendam, ut quod Virgo peperit, quod virga in serpentem mutata est, mulier in statuam salis versa : et hæc omnia sunt opera miraculosa. Est igitur in uniuscujusque natura ut Deus possit de ea facere quod voluerit (51). Non est tamen in natura ejus ut faciat si facit, quia non agit opus miraculosum, mediante natura, sed sola sua voluntate. Unde quod hæc substantia est species, non est alia inferiori causa mediante, sed sola Dei voluntate, nec ideo minus
23 fuit verus homo, potest etiam Deus facere ut idem sit homo et asinus, et ut duo contradictorie opposita sint vera, si unum sumatur secundum inferiorem causam, alterum secundum superiorem. Ut verum est Virginem peperis e secundum superiorem naturam, verum est non Virginem peperisse secundum inferiorem naturam. Sed quod ambo sint

A vera secundum superiorem naturam id non posset Deus efficere, cum in hoc ejus excellentia minueretur; quia auctor esset contrarietatis et discordiæ. Nec etiam Deus potest facere ut ambo sint vera secundum inferiorem naturam, ne ejus excellentia minueretur quod oporteret, quia contrarias causas et peremptorias in eadem re singulari posuisset ; cum idem sit homo et Deus, non opposita sunt homo et Deus, ita etiam si idem esset homo et asinus non essent opposita hæc prædicabilia homo asinus. Cum vero dicitur : Impossibile est Deum facere quod homo sit asinus, quin homo sit asinus, negandum ; imo possibile est hoc esse verum, Deus facit hominem asinum, hoc existente in vero, homo est asinus. Erit enim falsum secundum inferiorem
B naturam, licet sit verum secundum superiorem. Cum autem incipit aliquis loqui de possibilitate aut impossibilitate, considerandum secundum quid loquitur, an secundum superiores causas, an secundum inferiores. Quædam enim possibilia sunt secundum istas quæ impossibilia sunt secundum illas. Nec est verum quod hæc substantia fuerit virga, sed de virga facta est hæc substantia quæ est serpens ; sicut substantia corporis Christi nequaquam fuit panis, sed panis versus est in hanc substantiam ; nec ita substantia facta est serpens, imo de substantia virgæ facta est hæc substantia serpentis.

C

CAPUT IX.

An Deus potest quidquid potuit.

(52) Solet quæri an Deus possit quidquid potuit : si enim potuit aliquid quod non potest vel econtrario, videtur quod ejus potentia augeatur, vel minuatur. Quod tamen si dicitur, videtur inde inconveniens accidere : Quidquid potuit Deus potest, Deus potuit incarnari et mori : ergo potest incarnari et mori. Ideo dicunt (53), quod si intelligatur ita : Quidquid potuit Deus, potest, id est quamcunque potentiam habuit, habet, vel cujuscunque rei potentiam habuit, habet, verum est; si vero ita : Quidquid potuit potest, id est quidquid ejus potentiæ fuit subjectum, et modo est subjectum ejus potentiæ. Vel, quidquid potuit facere, potest facere, falsum est. Cum enim dicitur potuit Deus incarnari,
D hoc verbum *incarnari* comprehendit omnia tempora quantum ad significationem, scilicet præterita, præsens et futura. Sed cum verbo præsentis temporis *potest* amittit significationem præteriti temporis, et pertinet ad præsens et futura. Non enim pro eo quod fecit Deus, dicitur hoc facere, sed fecisse. Sicut ergo non vere dicitur, quidquid potuit facere potest facere, sed facere, vel fecisse, vel facturus esse. Fallacia. Quemcunque hominem heri vidisti, hodie vides, heri vidisti hominem locuturum : ergo hodie vides hominem locuturum. Simi-

(50) Lib. IX *De Genes. ad litt.*, cap. 8, paucis omissis.

(51) V. Aug., l. citato *De Genesi*, c. 17.

(52) Mag. 1, d. 44, § ult. eadem habet.

(53) Hac solutione vindicat ab errore opinionem magistri sui hic ; quam nimis temere inter selectos errores repositam esse, quidam asserunt.

liter et in argumentatione plura tempora comprehendit assumptio, quia tria, quam conclusio, quæ tantum duo complectitur, id est præsens et futurum propter verbum præsentis temporis, scilicet *potest*.

Instant tamen quidam contendentes probare quod Deus potest incarnari modo, sic, Deus potuit esse incarnandus modo, nullam potentiam habuit quam non habeat; et econtrario : ergo Deus potest incarnari. Quod Deus potuit incarnari modo, ita arguunt : Potuit enim Deus differre incarnationem suam pro voluntate sua usque ad præsens tempus : nec enim fuit necessarium tunc incarnari quando fuit incarnatus. Item, posito B fuisse illud tempus quod fuit ante C, in quo fuit incarnatus ; Deus potuit in B incarnari modo, nullam potentiam in B habuit, quam in C non habuit, et nullius rei potentiam habuit **24** in B quam non habuit in C: ergo Deus in C potuit incarnari modo. Item si Filius Dei fuit incarnandus, non est incarnatus. Ipse incarnatur vel incarnabitur. Possibile est Filium Dei fuisse incarnandum, et non fuisse incarnatum : ergo possibile est ipsum incarnari vel esse incarnandum. Quod autem possibile sit Filium Dei fuisse incarnatum, ita constat : Omne quod de natura vel de casu fit impossibile, Deo est possibile, sed impossibile est nil fuisse creatum : ergo possibile est hoc Deo : ergo possibile est Deum nil creasse, et non fuisse incarnatum, et nihil fecisse quod fecerit. Et ita possibile est Deum esse creaturum hunc mundum, quia jam creatus est et possibile est Deum mori : ergo possibile est Deum iterum mori, vel bis creare mundum de nihilo. Econtra tamen Deus in carne sua glorificatus est et factus immortalis, id est non potens mori : ergo impossibile est eum iterum mori.

Hoc autem facile est solvere : etsi enim detur quod possibile sit Deum nil creasse propter prædictam rationem et esse creaturum quidquid fuit creaturus, non tamen possibile est Deum bis creare hunc mundum, quia non est necesse Deum creasse mundum, et quia Deus potest non creasse eum. Datur quod possibile est Deum creaturum illum, et si creet illum, jam non creavit. Similiter dicunt quod potest incarnari et mori, quia potest nec fuisse incarnatus nec fuisse mortuus. Sed etiam probatur quod possit incarnari, mori, ita quod sit incarnatus et mortuus, quia potest Filius Dei assumere modo aliam animam et aliud corpus quod assumpserit de alia virgine quam de Maria, in qua carne et anima potest mori, cum tamen modo, secundum quod homo sit immortalis. Sed ad hoc dicunt quod in ea carne et ea anima quas habet, non potest mori de cætero, cum et corpus illud glorificatum sit, immortale, anima impassibilis. Potest tamen mori in alia carne, et in alia anima quam potest assumere, nec est contra potentiam ejus. Sicut et Pater et Spiritus sanctus potest assumere corpus et animam. Quidam tamen volunt instare huic argumentationi : *Possibile est Deo nihil creatum esse : ergo possibile est Deum nil creasse*, assignantes ibi fallaciam com-

A positionis, ita vitantes prædicta inconvenientia, quod scilicet Deus possit esse creaturus hunc mundum.

Quæritur etiam an ab æterno potuit quidquid potuit semel? quod si est, ergo ab æterno potuit creare mundum. Si enim ex tempore hoc potuit et non ab æterno : ergo aliquid potuit ex tempore quod non potuit ab æterno. Non ergo secundum essentiam videtur de Deo dici posse. Si vero ab æterno potuit creare mundum : ergo potuit creare mundum sibi coæternum. Item, nunquam potuit Deus generare Filium quin non posset creare mundum; potuit generare Filium sibi coæternum : ergo et mundum sibi coæternum potuit creare. Item ab æterno habuit potentiam creandi mundum, nec ab

B æterno potuit creare : ergo non quandocunque habuit potentiam illam potuit ea uti. Ideo distinguendum hic secundum compositionem et divisionem, vel potuit secundum amphibologiam ex diversa ratione constructionis hujus orationis *ab æterno* quæ si construatur cum hoc verbo *potuit*, verum est quod ab æterno potuit. Si vero cum sequente infinitivo construatur, ut possit dici *ab æterno potuit creare*, falsum est; nec erat istud ex ejus impotentia, sicut quod non potest peccare. Eamdem fallaciam potes invenire in hoc simili, Antichristus cras erit nasciturus : si enim illud adverbium determinet verbum, verum est; si participium, falsum. Item quidquid fecit Deus potuit non fecisse, sed ipse fecit ut omnes creaturæ possent ab eo

C existere : ergo potuit esse ut nullæ creaturæ possent ab eo existere : ergo potuit esse ut ille non esset omnipotens, et ita ut non esset Deus.

Dicunt ergo quidam Deum non fecisse hoc in tempore ut creaturæ potuerint esse ab eo. Nam ab æterno creaturæ potuerunt esse a Deo. Quod ita improbatur : Nulla creatura **25** potest esse nisi a solo Deo : ergo a solo Deo est ut creaturæ potuerint esse ab eo. Sed quidquid a Deo est, vel per generationem, vel per processionem, vel per operationem est ab eo, hoc non per generationem nec per processionem est ab eo : ergo est ab eo per operationem : ergo hoc in tempore factum est a Deo ut quælibet creaturæ potuerint esse ab eo.

D Ideo distingue : Deus ex tempore fecit ut quælibet creatura ab eo esse potuerit, falsum est. Illa enim potentia æterna est. Nam eadem est potentia qua Deus potuit facere creaturam et qua creatura potuerit fieri ab eo, scilicet æterna, quæ est Deus. Similiter cum quæritur a Deo est ut homo sit prædestinatus, si de prædestinatione dicatur, falsum est. Nam illa Deus est, et ab æterno est. Si de vero, verum est, ut tradunt quidam dicentes : Omne verum a Deo est per operationem, de quo non video quomodo sit verum, cum omne verum sit ab æterno, nisi dicatur alius modus essendi a Deo. Et maxime dubium potest esse de quo fuit sermo cum dicitur : *A Deo est ab æterno quod istud est futurum*, vel, *quod istud ab æterno est futurum*. Si quæratur

utrum a Deo fuerit ab æterno, quod futura essent A futura, et quomodo fuit ab eo, vel per operationem, vel alio modo.

Ut istæ objectiones opprimantur, dicunt sic respondendum : Si dicatur : *A Deo fuit quod futura sint, futura vel præterita*, si fiat sermo de vero, concedi potest quod illud a Deo est per operationem, ut dicunt, quod non video quomodo sit verum, nisi ex tempore nec ab æterno. Si dicas a Deo est quod futura sint futura, vel præscita, id est præscientia qua ea præscit ab eo est, non est verum ; quia non est a Deo, sed Deus.

Attamen objicitur : Si Deus potest esse creaturus quidquid fuit creaturus, potest esse facturus Petrum et Judam et potest non esse appositurus gratiam Petro, et eam esse appositurus Judæ : B ergo potest esse damnaturus Petrum, et salvaturus Judam. Quod si est, ergo potest vel Petrum de meritis defraudare, vel contra Judæ merita eum salvare. Sed istud non valet, ut dicunt, quia non potest vel Petrum damnare ita quod decesserit dignus vita : quod tamen conantur alii probare sic : Si districte ageret Deus cum quolibet, neminem salvaret. Hoc habet auctoritas; quia si districte ageret cum quolibet, de minutis et quadrantibus exigeret rationem ab unoquoque ; si autem persequeretur singula, non posset homo de singulis reddere rationem, quia toto tempore vitæ suæ tenebatur Paulus Deo servire et multis momentis debito obsequio defraudavit : Etsi enim Petrus per pœnitentiam potuit se tantum humiliare, ut tanta esset C humilitas quanta præcedens culpa, tamen non potuit se tantum humiliare quantum et magis tenetur non de præcepto, sed de promisso, vel commisso. Si ergo damnaret Deus Petrum, ita quod Petrus dignus vita decessit, non ideo injuste ageret, sed esset ibi justitia occulta. Hoc idem etiam sic ostendunt : Necesse est Petrum decessisse dignum vita. Sed possibile est Deum damnaturum esse Petrum : ergo possibile est Petrum decessisse dignum vita, et Deum damnaturum esse illum, quia quodlibet necessarium cum quolibet possibile est possibile.

Nobis tamen non videtur quod Deus posset damnare Petrum quin contra justitiam ageret, ita quod D Petrus dignus vita decesserit. Quod enim dicitur : Si districte cum quolibet ageret, neminem salvaret, verum est quod omnes nascimur filii iræ : et si districte ageret nobiscum, non apponeret gratiam per quam salvaremur. Eadem etiam ratione qua conceditur Deum posse damnare Petrum, et tamen non injuste agere, videtur dandum quod Deus possit facere adulterium, nec ideo peccatum ; quod si faceret, bonum faceret, licet adulterium malum sit, cui contrarium est illud : *Si dixero quia non novi eum ero similis vobis mendax* (*Joan.* VIII)

26 CAPUT X.

De voluntate Dei, ubi primo quæritur, an aliquid fiat contra signum divinæ voluntatis.

(54) Sicut a præmissa regula videtur excipiendum hoc prædicabile *potens generare*, ita ab eadem videtur excipiendum istud *volens generare*, quod cum videatur dici secundum essentiam, nec de singulis personis dicitur, nec de singulis illis in summa, quia nec Filius, nec Spiritus sanctus est volens generare, nec ipsi cum Patre sunt unum volens generare; et circa hoc eodem modo objicitur quo circa supra prædicta. Pater vult generare Filium : ergo Pater vult aliquid quod non vult Filius, scilicet, iste vult ducere uxorem, ille non vult ducere uxorem : ergo iste vult aliquid quod non ille. Possent circa hanc quæstionem hæc omnia induci, quæ dicta sunt cum de potentia ageretur. Sed quia prorsus eodem modo hic solvendum est, ideo illis quæ communia sunt huic et illi quæstioni omissis circa ea quæ specialiter ad Dei voluntatem referuntur dubitabilia immoremur, prius tamen ostenso, quot modis dicitur nomen *voluntatis*, ut quando in locutione propositum fuerit quid, de quo, et secundum quid dicatur non ignoretur.

Hoc nomen *voluntatis* dicitur dupliciter. Dicitur enim voluntas Dei, et beneplacitum ejus, et signum beneplaciti. Beneplacitum æternum est, et est ipse Deus. Signa autem voluntatis ejus diversa sunt, et temporalia, ut præceptio et prohibitio, consilium, permissio, operatio. Quæ omnia dicuntur voluntates Dei pluraliter (55). Unde : *Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus* (*Psal.* CX), quia sunt signa voluntatis ejus, sicut et diversi effectus justitiæ Dei pluraliter dicuntur justitiæ; ut : *Justitiæ Domini rectæ lætificantes corda* (*Psal.* XVIII). Similiter : *Misericordias Domini in æternum cantabo* (*Psal.* LXXXVIII), propter varios effectus misericordiæ. Quod voluntas Dei dicatur ejus beneplacitum, non est dubium, secundum illud Apostoli : *Voluntati ejus quis resistet* (*Rom.* IX). Et David : *Omnia quæcunque voluit fecit* (*Psal.* CXIII). Quod voluntas Dei dicitur præceptio et prohibitio, et consilium, legis in Dominica oratione : *Fiat voluntas tua* (*Matth.* VI), id est consilium, præceptum : sub præcepto enim continetur prohibitio, eo quod præceptorum alia sunt prohibitiva, alia ascitiva.

(56) Permissio etiam Dei, et operatio dicuntur Dei voluntas. Unde Augustinus (57) : « Non fit aliquid nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo. » Cum enim dicitur, *velit*, tam bona quam mala comprehendit, sed cum alio modo velit bona, alio mala, ideo determinat postea, « vel ipse faciendo » quantum ad bona; « vel sinendo » quantum ad mala, quæ ita permittit quod non facit. Cum ita dicatur hoc nomen *voluntas* et de bene-

(54) Mag., I, d. 45, *De voluntate Dei.*
(55) Mag., ib., § g.

(56) Mag., sup., § L, hæc cadem habet.
(57) *Enchir.* cap. 95.

plácito Dei, et de signo beneplaciti. Beneplacitum A improprie dicitur voluntas. (58) Signum autem improprie et eo modo quo dicitur ira esse in Deo, quia nobis signa iræ ostendit. Non enim fas est in Deo talem motum intelligere vel iræ, vel gaudii. Omnia enim nomina motum causæ designantia dicta de Deo, non motum causæ, qui nullus est in Deo, sed signa affectionis indicant. In homine vero duo prædicare possunt, et affectum interiorem, et affectum exteriorem. Cum enim dicitur : Iste homo diligit illum, possum hoc intelligere de interiori affectu, vel de exteriori signo dilectionis, quia exhibet signum dilectionis. Si vero de Deo dicatur quod Deus diligat istum, ad effectum vel signum exterius debes referre, quia secundum quod est Deus, non cadit modus diligendi in eum. B Unde quia tria sunt signa dilectionis Dei notabilia, tres solent assignari significationes huic verbo *diligo*, cum de Deo dicitur : diligit enim quia in suo esse conservat, et ita omnia diligit. Diligit etiam quia in tempore apponit gratiam, et ita diligit justos viros. Diligit etiam quia ad vitam prædestinat, et ita diligit solos prædestinatos.

27 (59) Cum ergo dicimus, *id est, esse Dei voluntatem et beneplacitum quod ipse est*, contra id ita objicitur : Idem est Deo velle et esse, sed Deus vult hoc : ergo est hoc falsum. Idem est Deo scire et esse, Deus scit omnia vera : ergo est omnia vera. Vel idem est Deo esse et posse, Deus potest omnia : ergo est omnia. Et nota ideo falsam esse illationem, C quia, cum dicitur, *Deus est volens*, simpliciter ponitur divina essentia. Cum ergo assumo, *Deus est volens hoc*, ibi ponitur essentia cum quodam respectu creaturarum ut sit solus Deus, cujus voluntati hoc est subjectum.

(60) Voluntati ergo Dei quæ ipse est consonant semper eventus rerum, id est nihil fit contra voluntatem illius quæ ipse est, sed contra signa voluntatis multa fiunt, id est contra præcepta, consilia, etc. Multa enim præcipit quæ non fiunt, et multa fiunt quæ non præcipit ; multa similiter prohibet quæ fiunt. Præcepit Abrahæ ut immolaret filium, et tamen non factum est. Cur ergo præcepit ? Ut fides et dilectio Abrahæ ipsi innotesceret, non Deo, cujus Spiritus omnia scrutatur et cui corda hominum D loquuntur. Similiter cæco illuminato prohibuit ne famam suam prædicaret, quod tamen fieri voluit ; et ideo factum est. Cui ergo prohibuit ? Ut nobis exemplum proponeret humanum favorem declinandi. Utrum tamen verum sit quod contra Dei præceptum multa fiant, id prius inquiratur, postea an contra Dei voluntatem quæ ipse est, aliquid fieri possit.

Insistamus ergo ei quod paulo ante de Abraham propositum est. An scilicet contra præceptum Domini fecit, qui filium ad Dei præceptum non immolavit. Circa hujusmodi objiciunt : Deus præcepit Abrahæ ut immolaret filium suum, ipse non immolavit : ergo Deo non obedivit. Eadem objectio de cæco illuminato. Ad hoc dicendum quod cæcus [Abraham] Deo obedivit, id est ejus voluntatem perfecit, sed non obedivit verbo præceptionis. Prius enim Dominus præcepit ut immolaret, cui præcepto non obedivit, quia postea idem per angelum prohibuit fieri. Paterfamilias præcepit huic servienti ut afferat vasa sua, serviens, qui novit voluntatem domini sui, non affert : ergo serviens non obedit domino, quod falsum est ; quia facit ejus voluntatem cum non affert, licet non præceptum, non tamen obedire contempsit facere in serviente patrisfamilias qui Domino non obedit vasa ferendo, non tamen obedire contemnit. Item Deus præcepit Abrahæ ut immolaret filium suum. Et hoc non voluit Deus : ergo aliud habuit Deus in ore et aliud in corde : ergo duplex fuit, quia in corde loquebatur. Ad quod dicendum quod si ad litteram istud de Deo accipias, *Aliud habuit in corde, et aliud in ore*, non est bene dictum. Deus enim nec os, nec cor habet secundum quod Deus, si vero sub hoc sensu, *Aliud habuit in ore et aliud in corde*, id est quiddam præcepit quod non voluit : verum est. Non ideo tamen duplex fuit, sicut patet in præmisso exemplo de patrefamilias. Item Abraham volebat immolare filium, et Deus hoc non voluit : ergo voluntas Abrahæ voluntati Dei erat contraria : ergo ea non merebatur Abraham. Quod tamen ita probatur : Voluntas ejus erat informata charitate, et ejus finis erat charitas ; et si contrarium vellet, id est si nollet immolare filium, pœnam mereretur : ergo Abraham illa voluntate merebatur. Quod autem Abraham voluerit immolare filium ex hoc patet : Abraham voluit obedire Deo, sed sciebat se non posse obedire Deo nisi illud præceptum adimpleret, quod non implere poterat nisi filium immolaret : ergo Abraham voluit immolare filium. Idem etiam sic probatur : Duæ sunt voluntates hominis, voluntas rationis et voluntas sensualitatis. Illud dicitur homo velle simpliciter quod vult voluntate rationis, si ipsa dominatur, et illud non velle quod vult tantum voluntate sensualitatis. Abraham illud volebat voluntate rationis : ergo et simpliciter illud volebat.

Ad hoc dicunt quidam quod Abraham non voluit immolare filium ; voluit **28** tamen obedire Deo, cui tamen aliter se non posse obedire sciebat. Quibus si ita objiciatur : Abraham voluit Deo obedire, et sciebat se non posse obedire ei nisi filium immolaret : ergo volebat filium immolare ; solvunt dicentes, non accidere quod si aliquid antecedat ad aliud, et aliquis vult vel potest antecedens quod ideo velit, vel possit consequens, sicut accidit in scire quod volunt ostendere tam dialecticis exemplis quam theologicis, si Deus fuit nasciturus cras, Deus nascetur cras, et potuit Deus esse nasciturus cras, non tamen potuit nasci cras. Etsi hæc anima fuit incor-

(58) Mag., § ult. et § h, citat. dist.
(59) Mag., ead. dist., § b.
(60) Mag., sup., § i et k, et dist. 47, § ult.

plura esse cras, hæc anima incipiet esse cras. Hæc anima potuit inceptura esse cras, non tamen poterit esse cras. Ita non sequitur, si Paulus est cum Christo, Paulus dissolvitur, Paulus cupit esse cum Christo : ergo cupit dissolvi ; vel, si iste aliquo modo est Romæ, iste est Romæ. Iste vellet aliquo modo esse Romæ, non tamen vellet esse Romæ. Ita non sequeretur, si vult Deo obedire, vult filium immolare, cum sciat hoc verum posse esse sine illo.

Nobis tamen magis verum videtur quod voluerit filium immolare, et illa voluntas meritoria fuit, nec voluntati Dei contraria, licet quæ volebant Deus et Abraham essent contraria. Deus enim volebat ut id vellet Abraham quod tunc Deus non volebat ; et est instandum sic : Iste proponit aliquid, ille non proponit : ergo propositio ab isto prolata contraria est propositioni quam ille profert. Vel, pater istius vult filium suum vivere, Deus non vult illud : ergo voluntas ipsius est contraria voluntati Dei : falsum est. Aliquis enim bona voluntate vult quod Deus vult, ut inimicum suum damnari. Aliquis bona voluntate vult quod Deus non vult, ut patrem suum adhuc victurum. Aliquis mala voluntate vult quod Deus non vult, ut patrem suum mori. Quidam mala voluntate non vult quod Deus vult, ut inimicum suum esse salvandum. Aliquis bona voluntate non vult quod Deus non vult, ut patrem suum victurum. Item Abraham ante prohibitionem angeli habebat voluntatem informatam charitate : ergo si eam ad actum produxisset cum haberet facultatem, plus mereretur voluntate et actu quam sola voluntate. Sed contra tamen ostenditur quia non meretur, quia contra legem naturalem egisset si filium immolasset, cum fecisset quod sibi ab eo fieri nollet : ergo homicida esset, et ita mortaliter peccasset.

Item præcepit Deus Abrahæ quod si fieret, contra legem naturalem fieret ; præcepit ei quod si fieret, præter voluntatem Dei fieret : ergo præcepit ei quod si fieret, contra voluntatem Dei fieret. Possibile erat illud fieri : ergo erat aliquid contra voluntatem Dei fieri. Ad hoc dicendum quod Abraham tunc non fecit, nec facere voluit contra legem naturalem, imo cum lege naturali. Nam lex naturalis est quod creatura suo Creatori obediat, quod et Abraham facere intendebat. Licet enim filio suo fecisset quod sibi nollet fieri, non tamen injuste, et ideo non peccabat in legem naturalem, sicut nec Jacob quando Esau subripuit benedictionem, quia non injuste hoc fecit. Item Deus præcepit Abrahæ quod erat præcipiendum, vel non ; si quid erat præcipiendum : ergo præcipiendum erat ut immolaret pater filium : ergo bonum erat : ergo bona intentione fieri poterat. Ita etiam omne mortale peccatum bona intentione posset fieri ut adulterium, furtum. Si præcepit quod non erat præcipiendum : ergo non erat bonum quod erat bonum : ergo non recte præcepit fieri. Deus fecit aliquid quod non debuit quando carnem assumpsit : ergo non recte id fecit. Vel potest facere aliquid quod est malum : ergo male. Illud enim præcipiendum non erat et tamen a Domino erat præcipiendum. Item Deus præcepit Abrahæ quod non voluit fieri : ergo quod non erat bonum. Solutio pendet ex prædictis. Item Deus præcepit Abrahæ ut immolaret filium et postea prohibuit : ergo aliquid mutationis in Deo fuit.

29 Quod genus argumentationis videtur confirmari per id quod dicit Beda super Marcum (c. x) de permissione libelli repudii : « Nunquid Dominus sibi contrarius est, ut aliquid ante jusserit, et idem post novo fregerit imperio? » Ad quod dicendum quod in Deo nihil fuit mutationis, sed in Dei præcepto. Quod enim dicit Beda contrarietatem esse in Deo, si aliquid ante præcipiat, et postea contrarium, intelligendum est si præcepto semper adhæreat voluntas. Si enim aliquid prius vellet et post contrarium, contrarietas in eo esset, quod potes videre in simili. Nuntiavit Dominus Ezechiæ per Isaiam quod moreretur, et non est mortuus, non ideo aliquid fuit mutationis in Spiritu sancto, quo revelante, hoc prædixit, nec mentitus est propheta quando dixit : *Morieris tu et non vives* (*Isai.* XXXVIII). Sicut nec Jonas mentitus est dicendo : *Adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur* (*Jon.* III). Loquebatur enim uterque secundum inferiorem causam, et non superiorem. Sicut si dicit quis : *Iste cæcus non videbit*. Verum dicit, etiamsi post per miraculum contingat eum visurum. Qui enim sic loquitur, secundum cursum naturalem loquitur, non superiorem causam. Cum enim prophetia sit : *Divina inspiratio per dicta vel facta, rerum eventus immobili veritate denuntians*, hujus prophetiæ immobilis fuit veritas si attendatur secundum quid loquebatur propheta, id est secundum inferiorem causam, scilicet secundum merita Ezechiæ aut ætatem ipsius. Quod enim post adjecti sunt duodecim anni, de divina voluntate, non præcedente causa naturali, fuit; vel, quod verius est, de spatio vitæ suæ naturali quindecim annos Dominus subtrahere comminatus est meritis suis, sed postea cum flevisset, restituit.

Dicet, debet aliquis, superficie illorum verborum aliquid intelligi, *Morieris tu et non vives*. Omnis enim prophetia quæ fit per comminationem, cujusmodi est ista, habet determinationem subintellectam, et mutari potest. Ea vero quæ fit per providentiam Dei absque cooperatione liberi arbitrii, commutari non potest ; quæ vero est per præscientiam, mutari potest ; tamen nulla latet determinatio intelligenda. Quod totum plene invenitur super Matthæum expositum. Hic potest quæri an Caiphas prophetaverit cum dixerit : *Expedit ut unus moriatur pro populo, ut non tota gens pereat* (*Joan.* XI). Quod enim prophetaverit dicere videtur evangelista, qui ait : *Hoc autem non a semetipso habuit, sed cum esset pontifex anni illius* (*ibid.*) : sed si prophetavit, ergo verum vel falsum : sed cum id quod prophetabat a se non haberet, sed a Spiritu sancto propter dignitatem pontificatus : ergo verum

prophetavit. Non enim falsum prophetaret per A Spiritum sanctum : ergo verum dixit; sed qua propositione nisi ista : *Expedit ut unus moriatur ut non tota gens pereat?* Hac igitur dixit verum, sed probatur quod tantum falsum ; intendebat enim dicere et persuadere ut Christum interficerent qui prædicabat destructionem legalium ; quo interfecto, non periret illud semen sæculare, quod etiam a gentilibus in reverentia habebatur, et ita non tolletur gens et locus. Et falsum erat hoc expedire eis, quia non est effectum quod meditati sunt, vel quod consuluit Caiphas, cum postea destructi sint per Romanos. Nihil ergo aliud intendebat dicere Caiphas nisi hoc falsum. Verum est quod de illa locutione hic sensus elici poterat: *Expedit*, etc., B scilicet: *Utile est ut Christus moriatur, et ita non pereat humanum genus in peccatis, sed morte ipsius redimatur;* quem sensum non habuit in illis verbis Caiphas, qui tamen verus est, et ita nonnisi falsum dixit: ergo non prophetavit verum. Item, prophetavit verum : ergo prophetizando enuntiavit verum. Item, ipse non dixit nisi falsum, et a se non habuit illud, sed a Spiritu sancto : ergo Spiritus sancti auctoritate dixit falsum. Item, malo animo dicebat quidquid dicebat : igitur peccabat ex ipso actu prophetandi, et sic illud prophetare fuit ei peccatum.

Ad hoc dicendum quia non prophetavit nisi sub hoc sensu recipiatur, **30** id est locutionem protulerit ex qua sensus propheticus et verax elici C poterat, et tantum falsum dixit; tamen, Spiritu sancto intimante, factum est, ut talem locutionem proferret quæ congrua interpretatione verum significaret. Quem tamen intellectum ipse ibi non habuit, ut ita quodammodo nesciens videatur verum dixisse.

De Jephte etiam hic potest objici, cujus voluntas non placuit Deo, nec etiam sacrificium, sed deliberatio illa quam habebat sollicitus quid Deo offerret (61) ; et ita accipitur *animus* in illa auctoritate. *Animus Jephte placuit Deo et non sacrificium* (*Judic.* XI). Stulte enim vovit, quia, si canis aut aliud occurreret, nunquid immolaret? Et quia animus ipsius, id est voluntas in hoc Deo non placuit, probari potest quia si bona esset voluntas, bonum D esset opus quod ex illa voluntate procederet, quia *non potest arbor bona malum fructum facere* (*Matth.* VII). Item sacrificium illud non placuit Deo. Ergo nec voluntas qua id volebat, sed contrario dixit auctoritas (62), voluit Deus filiam Jephte immolari propter stultum patris votum (63). Si ergo hoc voluit Deus, bonum fuit, sed intelligendum est de voluntate Dei, id est de permissione Dei : permisit enim, non voluit voluntate quæ ipse est : stultum enim erat votum ; ergo indiscretum; ergo non implendum. Si ita accipiatur animus pro deliberatione, non est quod contra objici possit.

Potest et animus accipi pro voluntate. Sæpe enim bona existente voluntate, opera a latere sunt mala, non ea quæ de mala voluntate ; primo loco surgunt sicut bona fuit voluntas Jephte, et opus primo loco procedens, bonum ; scilicet immolare omne quod sibi primo occurreret, sed opus a latere malum, scilicet immolare filiam. Sicut econtrario mala fuit voluntas Judæ et opus tamen a latere bonum, id est salus nostra. Alii dicunt (64) quod præceptum tribus modis dicitur, forma et intentione, ut *Honora patrem et matrem* (*Exod.* XX). Intentione et non forma, ut *Non occides* (*ibid.*) ; forma et non intentione, ut *Vade, nemini dixeris* (*Marc.* I). Tale fuit quod præcepit Dominus Abrahæ de immolatione filii, et fuit non adimplendum sed ad instruendum.

CAPUT XI

An aliquid possit fieri contra voluntatem Dei quæ ipse est?

(65) Patet ex his quæ dicta sunt multa fieri contra signa voluntatis Dei, id est contra præcepta, consilia, prohibitiones, etc. De cætero inquirendum est an possit aliquid fieri contra voluntatem Dei quæ ipse est, id est, an quidquid vult Deus fieri fiat, et econtrario. Non videtur: *Vult enim Deus omnes homines salvos fieri*, ut ait Apostolus (*I Tim.* II), non tamen omnes salvantur. Alibi etiam ait : *Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos sub alas meas, et noluisti* (*Matth.* XXI) : quasi aliquid voluerit Dominus quod impeditus sit facere Jerusalem voluntate contraria ; et ita aliquid voluit quod non factum est. Sed palam est nil velle fieri a Deo quod ipse non faciat, secundum illud : *Voluntati ejus quis resistet* (*Rom.* IX) ; et : *Omnia quæcunque voluit fecit* (*Psal.* CXI). Quod ergo primo dicitur sic exponitur (65*) : Vult omnes homines salvos fieri, id est nullus salvatur, nisi quem vult salvum fieri. Sic dicitur : *Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I.) Id est nemo illuminatur nisi per eum. Eodem modo et illud allidit *Jerusalem*, etc., id est quotquot de filiis tuis voluntate mea semper efficaci congregavi, te nolente et invita, hoc feci. Constat igitur quod Deus nil vult fieri voluntate quæ ipse est quod non fiat.

(66) Quæritur etiam, an quidquid fit, vult Deus fieri? Si enim hoc est, cum malum fiat : ergo malum vult Deus fieri, quod quamvis a vero alienum

(61) Alludit ad lib. *Quæst. Vet. et Novi Test.*, q. 43, ubi pseudo-Augustinus ille plura in Jephte debacchatur; quem tamen verus August. excusat, lib. VII *Qq. Evang.*, q. 49.

(62) *Auctoritate.* Hieron. in VII c. Jeremiæ.

(63) Apud. Aug., supra, in Append. tom. IV, et apud Hieron., supra, et lib. I *contra Jovinian.*

(64) Fundatur illud in doctrina, Magistri I, dist. 45. § k, et dist. 47, § ult.

(65) Mag., I, d. 46.

(65*) Hæc omnia habes apud Aug., *Enchirid.*, c. 97 et 98. Plura in notis ad c. 14 primæ part. *Sent.* Pulli.

(66) Mag., supra, § d et seqq.

videatur, tamen quidam conantur probare indirecte sic. Mala fiunt et Deus non vult mala fieri: ergo mala fiunt contra Dei voluntatem, vel non fiunt præter ejus voluntatem, falsum. Iste est in hac civitate, et rex non vult eum esse in hac civitate **31**: Ergo contra voluntatem regis, vel non est in ea præter voluntatem regis. Item mala fiunt: ergo, Deo volente, vel Deo non volente. Si Deo volente; ergo Deus vult mala fieri: si Deo non volente; ergo Deo nolente; ergo Deo invito; ergo contra ejus voluntatem. Ad quod dicimus quod Deo non volente mala fiunt, non tamen Deo nolente, quia hoc esset quod contra ejus voluntatem fierent, quod falsum est. Sicut iste est in hac civitate rege non volente, non tamen rege nolente, et: Non altero istorum currente Socrates est asinus; non tamen neutro currente Socrates est asinus, et nota hanc esse falsam; *Deus vult mala fieri*, et hanc, *Deus vult mala non fieri*, et hanc veram, *Deus non vult mala fieri*. Item: *Bonum est mala fieri*. Ut enim dicit Augustinus (67): « Non solum ut sint bona, sed etiam sint mala bonum est: si enim non esset bonum mala esse vel fieri, nequaquam esse sineretur ab omnipotenti bono. » Sed Deus vult esse bonum: ergo Deus vult mala fieri.

Ad quod dicendum quod ideo dicit Augustinus bonum esse mala fieri, quia ex malis quæ fiunt elicit Deus bona. Non enim in se bonum est mala fieri (68): dicitur enim aliquid bonum quod est bonum in se et ei cui fit, et ei a quo fit, ut dare eleemosynam ex charitate. Et quod est bonum ei cui fit, et in se, sed non ei a quo fit, ut dare eleemosynam pauperi propter humanum favorem, et quod bonum est ei a quo fit, et in se, sed non ei cui fit; ut prædicare fidem infideli (69): est etiam quod non est bonum in se, nec ei a quo fit, sed tantum aliis bonum dicitur; ut actio Judæorum qua crucifixerunt Christum, sed ideo dicta est bonum, quia inde elicuit Deus bonum, qui ex omnibus malis elicit bona. Unde (70): « Melius judicavit Deus de malis bona facere quam mala nulla permittere. » Cum enim peccant mali, in bono proficiunt boni. Nam: *Flagellato pestilente sapiens astutior fit* (*Prov.* XIX). *Dum superbit impius, incenditur pauper* (*Psal.* X); et peccata proximorum frixorium sunt justorum: *Consumetur nequitia peccatorum et diriges justum* (*Psal.* VII). Et quod Deus non velit mala fieri patet, si enim vellet mala fieri, ergo esset auctor peccati: et quamvis non semper voluntas Dei, id est (71) voluntatis Dei, impleatur ab hominibus, tamen semper impletur de omnibus, sive sint boni sive sint mali. Unde Gregorius (72): « Multi voluntatem Dei peragunt unde mutare contendunt, et ejus voluntati resistentes obsequuntur, dum

A divinæ dispositioni militat quod per humanum studium resultat. » (73) Talis fuit actio Judæorum, quam quidem non voluit Deus, sed voluit passionem ab eis illatam. De illis tamen fecit Deus secundum voluntatem suam, quando eos punivit qui peccaverant. De his autem vel in sequentibus plenius agetur cum de Incarnatione Domini tractabitur.

CAPUT XII.

De his terminis, posse de potentia, posse de justitia, posse de misericordia, *an inter se in propositione convertantur?*

(74) Cum posse et velle dicantur de Deo secundum essentiam, quæritur de hujusmodi terminis, *posse de potentia, posse de justitia, posse de misericordia*. An dicantur secundum essentiam de Deo;
B quod videtur, quia dicuntur de singulis personis, et de illis in summa. Unde videtur quod quidquid potest de justitia, potest de misericordia et potentia, et e converso. Sed de justitia potest Deus omnes damnare: ergo et de misericordia potest omnes damnare, quod falsum esse videtur. Quod autem de justitia possit omnes damnare manifestum est, quia omnes sunt nati filii iræ, et omnes sunt de massa iniquitatis perdita et corrupta in Adam; et si quis de ea excerpitur per aliquam gratiæ appositionem, de misericordia Dei est. Unde de justitia omnes posset damnare. Item Deus potest omnes damnare de potentia; Deus nil potest facere nisi juste: ergo Deus omnes potest damnare de justitia. Econtra **32**
C vero si quis dicat quod non quidquid potest Deus facere de justitia, potest facere de misericordia: ergo aliquid potest Deus facere juste et non misericorditer; non ergo in omni opere ejus comitantur se justitia et misericordia, vel justitia: ergo aliquod ejus opus potest esse sine justitia, vel sine misericordia. Ideo dixerunt quidam quod in quibusdam operibus Dei est effectus misericordiæ sine effectu justitiæ, ut in parvulis baptizatis qui sola Dei gratia nullis præcedentibus meritis salvantur. In aliis est effectus justitiæ sine effectu misericordiæ ut in punitione Judæ et Pilati quos non potest plus punire quam puniat. In aliis est effectus justitiæ simul cum effectu misericordiæ, ut in his qui salvantur.

(75) Et quod ita sit multiplici probare videntur
D auctoritate. Legitur enim: Hic misericordia, judicium in futuro; et alibi: *Judicium sine misericordia ei fiet qui non fecit misericordiam* (*Jac.* II). Et iterum: « Secundum quantitatem culpæ, erit quantitas pœnæ, » et similiter super illum versum psalmi: (76): *Ex usuris et iniquitate*, habetur. « Plus exigitur in suppliciis quam commissum sit in deliciis. » Id etiam sic ratione volunt astruere. Deus potest districte agere cum Juda: ergo non misericorditer.

(67) Cap. 96 *Enchir.*
(68) Hæc eadem apud Mag., citat. dist. 46, § h.
(69) Subaudi *veritati non obedienti*, ut est apud Magistrum.
(70) Aug., *Enchirid.* cap 27 et alibi sæpe.
(71) Desiderari videtur *Signum*.
(72) Citatur etiam a Magist., I, dist. 47, § b, sed paulo aliter.
(73) Mag., ibid., dist. 48, § b.
(74) Magist., IV *Sent.*, dist. 46.
(75) Apud Mag. hic ex Aug.
(76) Psal. LXXI, ad quem locum sic legitur apud Aug.: *Plus mali invenitur in suppliciis quam commissum est in peccatis.*

Item, Deus potest nihil de pœna debita Judæ relaxare; sed si nil de pœna debita relaxat, immisericorditer agit puniendo : ergo Deus potest immisericorditer agere cum Juda.

Ad hoc dicunt quidam quia, etsi nihil relaxaret Deus de pœna debita Judæ, non tamen immisericorditer cum eo ageret; quia in suo esse conservaret, quæ est misericordia maxima; vel quia non permitteret diabolos eum plus punire quam meruerit, et infinita alia sunt occulta in quibus etiam posset effectum misericordiæ impendere, etiamsi nil de debita pœna remitteret. Sunt enim duo effectus justitiæ, patens et occultus. Patens, ut pro peccato reddat Deus pœnam, vel partem pœnæ. Occultum non præsumit humana ignorantia diffinire. Quis enim novit, cur Deus Jacob elegit et Esau reprobavit? Similiter sunt duo effectus misericordiæ patens, et latens. Patet Dei misericordia in parvulis baptizatis, cum sit etiam ibi occulta justitia. Patet justitia in damnatis, cum sit ibi misericordia occulta. In nullo igitur opere Dei est effectus justitiæ sine effectu misericordiæ, vel occulto, vel manifesto, nec econtrario.

Illam ergo auctoritatem, « Misericordia hic, judicium in futuro, » ad evidentiam refertur utriusque, quia hic in via est patens misericordia, ubi dicuntur dies hominis, et annus jubilæus, licet etiam sit et hic justitia in futuro. Justitia manifesta qnando *Ibunt hi in vitam æternam, illi in supplicium æternum* (*Matth.* xxv). Similiter cum dicitur : « Secundum quantitatem culpæ, erit quantitas pœnæ. » Id est si magna fuerit culpa, magna erit et pœna, non dico tanta : singula enim peccata puniet Deus. Unde districte dicitur judicare. Sed de pœna singulis debita remittit, in quo est Dei misericordia. Quod vero dicitur, *Judicium sine misericordia fiet*, etc., supple : sine misericordia, id est quod judicium videbitur esse sine misericordia propter quantitatem pœnæ. Illud vero quod similiter post legitur : « Plus exigitur in suppliciis, » etc., ad diuturnitatem referendum, quia diuturniora erunt supplicia cum sint æterna, quam delicta quæ fuerunt temporalia; vel « plus » id est in pluribus punitur homo quam peccaverit, quia punitur in anima et in corpore, pro peccato in sola anima commisso. Qui sic solvunt, probabiliter solvunt (77).

Alii aliter, dicunt enim Deum posse nihil relaxare de pœna debita Judæ, et quod Deus potest istum facere de potentia, sed non de misericordia aut de justitia. Nam multa potest de potentia, quæ non de misericordia, ut omnes damnare. Utrum tamen ita sit, interjectis quorumdam solutionibus, ita determinabitur. Dicunt enim quidam hanc propositionem dupliciter posse intelligi, *Deus potest nihil de pœna debita Judæ relaxare.* Per compositionem et divisionem. Si per compositionem intelligatur, falsum

A est : hoc enim impossibile est quod Judas tantam pœnam meruerit, et Deus nil relaxaret de ea, **33** hoc enim esset contra Dei misericordiam ; si vero per divisionem intelligas, sic Judas meruit tantam pœnam, Deus nil potest relaxare de pœna hac, verum est. Sed tunc non accidit quod immisericorditer possit cum eo agere : si enim nil relaxaret de tanta, majorem hac meruisset. Quod illa compositio sit impossibilis probatur per aliud : impossibile est Deum minori præmio remunerare Petrum quam meruit, si per compositionem intelligas; tunc enim de merito Petrum defraudaret ; et tamen si divisim intelligas, verum dicis. Similiter impossibile est quod Deus affligat aliquem graviori pœna quam meruit, si per compositionem intelligas, quia
B tunc crudeliter cum eo ageret ; sin vero per divisionem dicis, verum dicis.

Quidam tamen ulterius procedentes recipiunt compositam et divisam, et (quod plus est) quod potest damnare Petrum et salvare Judam, et si damnaret Petrum bene faceret ; et si nil remittat de pœna Judæ debita bene facit, nec ideo immisericorditer cum eo agit ; et si in nullo alio exhibeat ei effectum misericordiæ ; nullum enim malum est quod si faciat, non bene faciat. Quod etiam Petrum possit damnare, id ita ostendunt : Potest Deus cum Petro districte agere ; sed si districte agit, de minutis et quadrantibus exigit rationem ; et si singula persequentur, non posset Petrus de omnibus red-
C dere rationem, quia toto tempore vitæ suæ tenebatur obsequio, et multis temporibus debitum obsequium non impendit, quod obsequium non potuit recompensare Deo. Postea ergo si districte ageret Deus, quod posset juste facere, juste posset eum damnare.

At dicet aliquis, quia vehementer se humiliavit Petrus, ita quod major fuit humilitas in pœnitentia, quam processerit transgressio in culpa, et tunc debitum obsequium, quo videbatur Deum defraudasse, recompensavit. Ipsi tamen adhuc dicunt quod non potuit se in tantum humiliare quin ampliorem humilitatem teneretur Deo exhibere, nec ita Deo devote servire quin teneretur devotius, non dico de præcepto, sed de commisso aut recipiendo præ-
D mio : *Quia non sunt condignæ passiones hujus mundi ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII).

Sed et iterum instant, Petrus decesserat in merito vitæ, et Judas in merito mortis : ergo nec Deus istum salvare, aut illum damnare poterat, nisi utroque revocato ad pristinum statum, Petrus in merito mortis, et Judas in merito vitæ decederet, alioquin dignum vita damnaret aut indignum salvaret, sed hoc esse non poterat quod indignos vita, indignos manentes salvaret, vel quod indignos morte, indignos manentes damnaret. Nam alterum crudelitatis, alterum injustitiæ esset. Ergo nec Deus Judam

(77) Hæc fundantur in Aug. doctrina ad citatum psalm. LXXI.

salvare aut Petrum damnare potest, nisi uterque ad statum vitæ revocetur. Item Deus remisit reatum culpæ Petro, et necessarium est ei remisisse, nec postea potuit aut potest Petrus peccare : ergo nec Deus potest reatum ei remissum imputare quin injuste agat. Ad quod ipsi dicunt : Quod si remisit Deus reatum peccati Petro, et ita decessit, non eum damnabit. Sed non sequitur, quod si remisit non potest imputare; sicut si aliquis est prædestinatus non damnabit eum Deus; sed non, si est prædestinatus non potest eum damnare. Qua enim ratione recipitur, ut dicunt : « Nullum qui decesserit dignus vita potest Deus damnare, » quia hæc duo non possunt simul esse, quod decesserit dignus vita, et damnetur, eadem ratione recipiendum secundum eos videtur qui sit prædestinatus non potest Deus damnare, quia hæc duo non possunt simul esse, quod aliquis sit prædestinatus et postea damnetur; sed istud non valet, non potest non decessisse dignus vita, cum decesserit sic; sed potest aliquis non esse prædestinatus cum fuerit prædestinatus. Imo illud certum non video quomodo possit Deus aliquem manentem dignum vita damnare, et si faciat ita, non facere injuste, sed juste; quin eadem ratione dicatur, quod Deus possit facere homicidium, adulterium, furtum; **34** et si faciat, juste faciat. Ideo primam solutionem magis approbamus, utpote quæ magis communis est et usitata.

Solet quæri, an Dei justitia exigat quidquid Dei misericordia exigit. Si enim Dei misericordia exigit Judam minus puniri quam meruit, idipsum exigit Dei justitia. Ergo justum est Judam minus puniri quam meruit. Item quidquid summæ justitiæ placet, justum est; summæ justitiæ placet Judam minus puniri quam meruit : quod non accidit, quia in prima propositione accipitur justum, id est divinæ justitiæ complacitum; in conclusione refertur ad exigentiam meritorum; unde sic instandum : Quidquid summæ justitiæ placuit, justum fuit; summæ justitiæ placuit, ut Christus crucifigeretur; quod quia ad exigentiam meritorum refertur, inficiandum videtur. Quidam tamen distinguunt multiplicitatem hujusmodi; justum est Judam minus puniri, id est divinæ essentiæ complacitum est; verum est. Justum est, id est merita Judæ hoc exigunt, falsum est. Sic etiam simpliciter videtur negandum, justitia Dei exigit ut minus puniatur Judas quam meruit puniri, propter consignificationem hujus termini *justitia*. Cum enim sic dicitur, principaliter significatur quod Deus justus hoc exigit, id est Deo justo hoc placet. Subinnuitur autem quod approbet merita Judæ quorum exigentia faciat ei relaxationem. Sic etiam cum dicitur : Misericordia Dei exigit ut Judas minus puniatur quam meruit puniri, principaliter significavit quod Deus misericors hoc exigit; subinnuitur autem quod merita ejus exigerent ut amplius puniretur (78). Cum enim dicitur; « Deus est

A justus vel justitia, » essentia divina prædicatur, et etiam quod ipse sit distributor et judex meritorum intelligi datur. Similiter, cum dicitur bonus essentia, Pater et insuper auctor omnium bonorum ostenditur. Inde est quod quædam opera dicuntur esse misericordiæ, quædam justitiæ, cum tamen prorsus idem ibi sit justitia quod misericordia. Sed quia quædam sunt opera quibus ostenditur esse distributor et æquus judex, quæ dicuntur opera justitiæ, ut punire hominem pro peccato : quædam quibus ostenditur miserator et liberator, quæ dicuntur opera misericordiæ, ut relaxare de pœna homini debita; et in aliis operibus dicitur esse effectus justitiæ, in aliis misericordiæ : non quod aliud efficiat justitia quam meserícordia si ad
B essentiam referas, sed quia ex quibusdam effectibus intelligitur judex, ex aliis miserator.

Sic ergo dandum quod misericordia Dei exigit Judam minus puniri quam puniatur; Dei justitia exigit ut puniatur secundum merita, ex quo videbatur quod Deo justo et Deo misericordi placeant duo contraria, id est Judam puniri secundum merita, quod placet Dei justitiæ, et puniri citra merita, quod placet Dei misericordiæ. Sic igitur, cum justitia exigat puniri secundum merita, misericordia citra merita, et quidquid exigit misericordia vel justitia, Deo placet. Placet igitur Deo Judam puniri secundum merita, et citra merita, quæ sunt duo contraria, quæ simul esse non possunt. Hoc autem non accidit; non enim sunt ejusdem rationis
C hæ duæ locutiones. Cum enim dicitur, misericordia exigit ut Judas puniatur citra merita, hic est sensus : Judas punitur citra merita, Dei misericordia hoc exigente; et proprie dicitur hoc. Sed non ex hoc sensu dicitur : Justitia exigit ut Judas puniatur secundum merita. Non enim punitur quantum meruit, justitia exigente; sed potius indicativus ponitur pro subjunctivo; ac si diceretur, Deus justus hoc exigeret, si omnia ejus merita attenderet, sicut dicitur : Justum est illum damnari qui ad tempus dignus est morte, id est justum esset si sic decederet. Et bonum est mihi accipere medicinam, et bonum esset si acciperem.

Quidam tamen in contrarium dicentes, admittunt
D quod Dei misericordia exigit quidquid Dei justitia exigit ut faciat quidquid facit, et econtrario. Quod ita astruere volunt. Dei justitia exigit ut faciat quidquid facit, et Deus per misericordiam punit Judam citra merita. Ergo Dei **35** justitia exigit ut per misericordiam puniat Judam citra merita : et ita nil facit Deus Judæ nisi quod exigit fieri districta justitia : ergo in nullo ei parcit. Item Dei justitia exigit ut in omnibus ejus operibus misericordiam exerceat : ergo Dei justitia exigit ut misericorditer cum quolibet agat. Eadem ratione Dei misericordia exigit ut faciat quod justum est, quidquid facit, nil facit nisi juste; sic ergo Dei misericordia exigit ut faciat quod justum est, et ita quod justitia exigit.

(78) Hæc eadem apud Mag., IV, d. 45, § c

Sic ergo Dei misericordia exigit quidquid Dei A justitia exigit, et econtrario.

Ad hoc dicendum quod si hujusmodi nomina sine consignificatione effectuum sumantur, verum est quod proponitur; sin vero ad principalem significationem referas, et præterea differentiam effectuum intelligas, falsum est. Tunc igitur non est dandum, justitia exigit ut faciat ex misericordia quidquid facit, sed ut faciat tantum. Sed postea assumatur: Deus misericorditer punit Judam: ergo Dei justitia exigit ut misericorditer puniat Judam, est falsum; quia, cum prius ponatur *quid*, postea assumitur modus, quod notatur per adverbium; fallacia. Quidquid facit iste, facit ille, iste bene legit: ergo ille bene legit. Item effectus justitiæ Dei est punire secundum merita, effectus misericordiæ est punire B citra merita. Hos duos non potest simul observare in puniendo Judam: ergo non in opere suo exercet simul effectum justitiæ cum effectu misericordiæ; sed non sequitur, quod si non potest hos duos simul exercere qui oppositi sunt, scilicet quod tantum puniat Judam quantumcunque meruerit puniri, et de pœna remittat; quod ideo non possit alios duos simul exercere. Potest enim, ut supradictum est, totam pœnam debitam irrogare, et tunc non observabit effectum misericordiæ in minus puniendo quam meruit. Sed in aliis, ut in eo quod in suo esse eum conservat, quod non permittit dæmones plus in eum sævire quam meruerit, et in aliis multis nobis ignotis qui sunt occulti effectus misericordiæ.

Unde dicendum est quod non debet ibi assignari C effectus justitiæ Dei, ut sit effectus, punire quantumcunque meruerit puniri; sed quantum meruit puniri, ut indefinite proponas; et tunc non erit iste effectus justitiæ oppositus effectui misericordiæ; sed poterit eos simul in uno opere exercere. Nam quod puniet, erit de justitia; quod citra merita puniet, erit de misericordia. Item, idem est Deo esse misericordem et esse justum; Deus est multum misericors et multum justus: ergo est tantum misericors quantum justus, et econtrario in omnibus ejus operibus est effectus justitiæ simul cum effectu misericordiæ: ergo quia juste punit Judam, tam misericorditer punit eum. Sed quam juste punit eum, tantum irrogat de pœna debita: et quam mi- D sericorditer punit, tam remittit ei de pœna: ergo tantum remittit Judæ de pœna debita quantum irrogat: ergo duplo plus posset juste punire.

Notandum igitur quod cum dicitur: *Deus est tantum justus quantum misericors*, si ad essentiam referas, nihil est, quia non admittitur comparatio in substantialibus; si ad effectus, verum est quod in quibusdam operibus magis apparent effectus justitiæ, in aliis misericordiæ magis. In omnibus tamen operibus sunt uterque: sicut omnis homo scit grammaticam, et omnis musicam, quidam tamen plus sciunt de grammatica, alii plus de musica.

Item: Effectus justitiæ est tantum punire quantum meruit: ergo si totam pœnam irrogaret, justissimus esset; vel ita: Effectus misericordiæ est citra punire quam meruit: ergo, si omnino remitteret pœnam, misericordissimus esset. Ad quod dicendum quod si ita intelligas *justissimus esset*, id est *maximus esset iste effectus justitiæ*, verum est. Item: Deus ab æterno providit quanta pœna esset puniturus Judam: ergo nec potest aliquid de ea remittere, vel ejus providentia potest mutari; falsum. Deus ab æterno prædestinavit salvandos: ergo salvandi non possunt esse damnandi, vel Dei prædestinatio potest mutari.

36 CAPUT XIII.

De scientia Dei.

(79) Sicut hæc nomina *justus, misericors*, quando de Deo dicuntur, eamdem habent principalem significationem, sed diversa consignificant, sic et hujusmodi nomina *præscius, prædestinans*, et hujusmodi eamdem habent principalem significationem divinæ essentiæ quam prædicant, sed varios effectus in rebus ponunt. Eadem enim est causa illorum effectuum quam significant, ideoque secundum varias eorum suppositiones fiunt variæ appositiones; ut cum isti termini idem significent *charitas divina, essentia*, tamen aliud supponitur facta suppositione per hunc terminum *charitas;* aliud facta per illum. Unde vere dicitur: *Essentia divina est in lapide*, non tamen *charitas Dei est in lapide;* quia, cum hic dicitur principaliter, significatur quod divina essentia sit in lapide, et tamen subinnuitur ex vi termini quod faciat eum dilectorem Dei et proximi. Cum autem dicitur: *Essentia divina est in aliquo*, nil consignificatur vel subinnuitur, quia iste terminus nil consignificat, vel subinnuit. Propter has significationes, cum idem sit in Deo essentia et charitas, scientia et præscientia, et prædestinatio, et ita de aliis, non tamen quidquid vere dicitur de essentia et charitate, nec quidquid de misericordia et de justitia, et ita de aliis. Et in quibusdam perpenduntur consignificationes diversæ ex origine vel compositione, ut in his *præscientia* et *prædestinatio*. Nam hæc præpositio *præ* notat antecedentiam, quasi antequam fiat, illud scire faciat. Sicut, Deus res præscivit, id est scivit antequam fierent; et electos prædestinavit, id est antequam essent, eis bona destinavit. Unde cum dico, Deus est prædestinans bonos, Deus præscius malorum; idem prædicatur, sed diversa subinnuuntur; de hujusmodi ergo vocabulis per ordinem agendum, et prius de scientia.

Scientia Dei est tam de bonis quam de malis, de præteritis, de præsentibus et futuris, de entibus et non entibus, ut dicunt quidam; quia *Vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt* (*Rom.* IV). Item, Deus habuit scientiam de rebus antequam fierent, nec res postquam fuerunt aliter ei innotuerunt quam antequam essent. Scivit ergo res antequam essent. ergo omnes res fuerunt ejus subjectæ scientiæ an-

(79) Mag., I, d. 38 et 39.

tequam essent. Item, ego possum gignere filium : ergo filius potest gigni a me. Deus scit de illo quidquid sciret, etsi non esset; nec majorem notitiam de illo si esset quam modo habeat quando non est; nec alio modo quo ad se. Sic ergo Filius meus subjectus est divinæ scientiæ. Sic ergo videtur quod de omnibus non entibus habeat Deus scientiam et omnia; quia, etsi non sint, modo tamen non plura sciret de his si essent, nec alio modo quantum ad se quam sciat modo quando non sunt.

Contra tamen dicet aliquis : Filius qui potest gigni a me, est subjectum divinæ scientiæ : ergo est; quod non valet, ut dicunt. Licet etiam quidam dicant non entia esse subjecta ejus voluntati quia vult ut sint vel non sint, et multa alia vult de illis. Sed ita accideret non plura esse subjecta potentiæ quam voluntati, sicut cum dicitur, hoc est futurum : ergo est; vel præteritum : ergo est.

Sed quæritur quare non entia dicantur subjecta divinæ essentiæ et potentiæ? Sicut enim scit quod non est, id est de eo habet scientiam quæ non est ita et potest quod non est, id est de eo habet potentiam quæ non est, nec fit. Sed voluntati ejus sola entia sunt subjecta, quia nil vult nisi quod est, et ideo nulla non entia ejus voluntati sunt subjecta. Amplior est enim ejus potentia, vel præscientia quam voluntas, id est plura sunt subjecta potentiæ et scientiæ quam voluntati. Item objicitur eis sic : Plura sciuntur a Deo quam sint entia : ergo major est numerus scitorum a Deo quam sint entia. Falsum. Plures homines resurgent quam sunt vivi : ergo major est numerus resurrectorum quam vivorum.

37 Quæritur etiam cum Deus sciat non entia, id est scientiam habeat de eis, an sciat omnia non entia, id est de omnibus habeat scientiam, vel omnia sint subjecta ejus scientiæ? et sunt qui dicunt quod de omnibus habet notitiam, sed non de omnibus habet scientiam, nec omnia scit : sicut ego habeo notitiam de astronomia, non tamen scio astronomiam, nec est subjectum scientiæ meæ, quia Deus sola illa scit quæ fuerunt futura. Illa ergo possibilia quæ possunt esse vera, nunquam tamen fuerunt futura vera, non scit, nec de illis scientiam habet. Eadem ratione non scit opinabilia quæ in sola consistunt opinione, nec unquam fuerunt futura in veritate; quibus tamen probari potest, quod sciat etiam possibilia quæ nunquam fuerunt futura vera, sicut et illis qui dicunt sola enuntiabilia subjecta Dei scientiæ. Habet etiam Deus scientiam de filio qui potest gigni a me; qui tamen nunquam gignitur, ut procedatur supradicto modo. Ideo quod concedunt alii Deum scire et possibilia omnia et impossibilia, quia quæcunque sunt et esse possunt, multa etiam quæ esse non possunt, quæ tamen Deus facere posset, sunt subjecta Dei scientiæ : scit enim Deus de illis quæ esse non possunt. Ut quod aliquis sit homo et asinus, vel aliquid tale, qualia et quanta essent si essent, et quomodo hæc

A haberent a Deo perficere, et eodem modo ac si essent, sicut de illis quæ erunt scit qualia et quanta erunt, quando erunt a Deo perfecta, ac quando erunt. Secundum istos accidit Deum nil posse scire quod non sciat.

Sed contra objicitur : Deus scit quæcunque potest scire, non facit quæcunque potest facere : ergo plura potest facere quam scire, quod falsum est secundum prædicta; imo quæcunque potest facere scit. Falsum. Quæcunque sunt duo homines, sunt duo animalia; non quæcunque sunt duo animalia, sunt duo homines : ergo plura sunt duo animalia quam duo homines. Item, Deus potest quælibet scire, potest quælibet facere : ergo non plura potest facere quam scire. B Cui argumentationi, etsi conclusio sit vera, potest tamen sic instari. Quælibet sunt, et quælibet possunt esse : ergo non plura possunt esse quam sint; sed, data conclusione, procedit aliquis : Non plura potest Deus facere quam scire, nec econtrario, nec plura facit quam scit : ergo non plura scit quam facit. Falsum. Non plura possunt esse homines, quam possint esse animalia, et econtrario, non plura sunt homines quam sint animalia : ergo non plura sunt animalia quam homines. Item. Quæcunque potest Deus facere potest scire, potest incipere facere aliqua : ergo potest incipere scire aliqua. Falsum. Quæcunque poteris legere potes esse lecturus, tu potes incipere legere : ergo potes incipere esse lecturus. Item, multæ res possunt esse quæ nunquam C erunt, de quibus aliqua possunt esse vera quæ non sunt vera; quæ vera potest scire Deus, et non scit modo, quibus veris connumeratis illis veris quæ modo sciuntur a Deo, plura essent vera quam ea quæ modo sciuntur a Deo, et omnia illis vera dicitur scire Deus non desinendo scire aliquod istorum quæ modo scit Deus : ergo potest scire plura vera quam modo sciat, et ita plura.

In contrarium tamen sic, non plura possunt esse enuntiabilia quam sint enuntiabilia : ergo non plura possunt esse vera, quam sint vera; nec non plura possunt esse falsa quam sint falsa : ergo non plura possunt sciri a Deo quam sciantur a Deo.

Ad hoc dicunt quod aliter dicitur Deus scire vera, D aliter cætera; cum enim dicitur : Deus scit Petrum esse apostolum, hic est sensus, id est ita comprehendendum esse in re, id est in Petro, ut est, scilicet quod Petrus est apostolus et hæc est propria significatio hujus verbi *scire*, secundum quod dicitur quod sola vera sciuntur, falsa autem non sciuntur. Et ita dicitur, scio me esse hominem, id est mente intelligo ita esse in re ut dicitur. Sic Petrus est homo. Nec enim ita esset in re quod essem homo, nisi hoc scirem, nec ego nec alius. Unde et nullum falsum scitur **38** si quis proprie velit loqui. Dicitur tamen et falsum et quodlibet aliud sciri a Deo, id est de qualibet re habet Deus scientiam, et quidlibet est ejus subjectum scientiæ, et quidlibet ei innotescit, etiam quæ non sunt, nec esse possunt ei

innotescunt, et ejus sunt subjecta scientiæ, quia de A omnibus illis aliqua scit, scilicet quod sunt, vel quod non sunt. Et secundum hoc dicunt quidam quod Deus non potest alia scire quam non sciat, et nil potest Deus facere quod non sciat. Quod tamen quidam ita intelligunt, id est quod non sit subjectum ejus scientiæ, falsum est; quia secundum eos quod non est, non est subjectum Dei scientiæ; et quod non est, potest facere. Si vero intelligas ; nil potest facere quod non sciat, id est quod non sciret si faceret, verum est.

(80) Isti recipiunt quod Deus potest aliquid incipere scire, id est aliquid ejus scientiæ potest incipere esse subjectum ; quia omne id quod potest incipere, esset, nec aliquid Deo attribuitur, cum hoc dicitur, *Deus incipit scire hoc*. Variatio enim est in B re subjecta scientiæ, non in scientia utralibet istarum opinionum satis probabilis ; sed quidquid sit de his, nullo modo dicendum quod Deus plura vera possit scire quam sciat, quia si de alia re quæ potest esse et non est, sciret eam esse quod modo non scit, (non est enim) jam de ea non sciret ejus contradictorie oppositum, scilicet eam non esse, quod tamen scit modo. Non potest itaque plura vera scire quam sciat; potest tamen scire alia vera quæ non scit, et alia non scire quæ scit, quod ita facile est ostendere. Aliquid potest esse futurum verum, quod nunquam erit verum : ergo quod nunquam scietur. Eadem ratione quod nec scitur, nec scitum est : ergo potest esse futurum verum quod nequaquam C fuit sciendum a Deo : ergo aliquid potest esse verum quod non scitur a Deo. Quidquid potest esse verum potest sciri a Deo : ergo aliquid potest sciri a Deo quod non scitur a Deo. Eadem ratione contrarium probabitur. Aliquid potest non sciri a Deo quod scitur a Deo; quia aliquid potest non esse futurum verum quod est verum : ergo potest non esse sciendum a Deo quod scitur a Deo; sed hoc concesso, putabit aliquis minus peritus se concludere sic : Recte Deus aliquid potest non scire quod sit : ergo aliquid potest oblivisci, quod non est dandum. Poneretur enim quod aliquid verum scivisset Deus prius, postea illud non scivisset, quod est impossibile.

Ad hanc ergo argumentationem ita instandum, Deus potest aliqua scire quæ non sit : ergo potest D illud discere. Sed quia hoc fere idem est illi et ejusdem rationis alibi sic. Isti sciunt istud et non prius sciebant illud, posito quod unus solus illorum sciret illud; ergo isti discunt illud. Item, Deus potest aliquod verum non scire quod sit ; ergo ejus scientia potest minui : vel aliquod potest verum scire quod non scit ; ergo ejus scientia potest augeri. Falsum. Iste videt aliquid quod non vidit ; ergo perspicacior est ejus visus quam fuerit, vel non videt quod vidit, ergo visus ejus est perspicacior. Item, Deus potest aliud verum scire quod non scit; ergo potest incipere scire illud, vel potest Deus aliud verum non scire quod scit ; ergo potest desinere scire illud, falsum. Aliquis potest esse prædestinatus qui non est prædestinatus ; ergo potest incipere esse prædestinatus. Vel, aliquis potest non esse prædestinatus, qui est prædestinatus ; ergo desinere esse prædestinatus. Vel, aliqua anima potest esse salvanda quæ non est salvanda · ergo potest incipere esse salvanda, in omnibus his bene instructus in dialectico acumine compositionem et divisionem assignabit.

Quare autem non sit dandum quod Deus possit incipere scire aliquid patet. Hic enim sensus est : Quod prius non scivisset, et postea sciret, quod simul esse cum illo non potest sicut verum, potest esse falsum, et non est falsum, non tamen potest incipere esse falsum. Hoc enim esset quod prius fuisset verum, et post fieret falsum, quod est impossibile. Tamen secundum eos qui dicunt veritatem et falsitatem variari circa enuntiabile, non 39 video quomodo hoc sit verum Deus incipiet scire, hoc verum (quod ideo accidit, quia Deus sciret Antichristum esse, modo non sciret Antichristum esse) : ergo incipiet scire hoc. quin variatio sit in scientia Dei. Nisi dicitur non prædicari divinam essentiam cum dicitur, *Deus scit hoc*, sicut cum dicitur, *Deus facit hoc*, ut a quibusdam dicitur.

(81) Item omnia sunt in scientia Dei, et idem est scientia quod essentia vel natura ; ergo omnia sunt in essentia vel natura Dei. Sed esse in scientia Dei, est esse ejusdem essentiæ. Ideo non est dandum quod omnia sint in Dei essentia licet in scientia, quod sic ostendit Augustinus (82) : *Deus habuit secum omnes electos non in natura sive essentia sua, sed in scientia seu præscientia*. Fallacia. Idem est Deus quod essentia, Deus est Deus omnium ; sed cum Deus sciat mala ut bona et contrario ; ergo omnia sunt in Deo per scientiam, et ita mala ; ergo, si mala sunt in ipso per scientiam; ergo ex ipso, et per ipsum, quia hoc idem est, ut dicit Ambrosius (83), de his quæ bona sunt. Sunt ergo bona in Deo ; et per cognitionem, et per approbationem. Ideo simpliciter dicitur : Bona sunt in Deo, mala non sunt in Deo, quia non sunt in eo per approbationem ; ergo simpliciter dicitur : Bona sunt in Deo, sed per cognitionem ; ergo non simpliciter dicitur : Mala sunt in Deo.

CAPUT XIV.

De præscientia Dei.

(84) Determinatis his quæ inquirenda videbantur circa scientiam, de cætero dicendum est de his quæ inquiri solent circa præscientiam. Præscientia autem est de futuris tam malis quam bonis. Circa præscientiam ita objicitur : Si nulla essent futura non esset in Deo aliquid præscientia. (85) Idem est Deo esse præscientiam et scientiam. Idem est Deo

(80) Mag., I, d. 39, §.
(81) Mag. I, d. 36, § A.
(82) *Serm. II, de verbis Apostoli.*

(83) Lib. II, *De Spiritu S.*, cap. 10.
(84) Mag. I, d. 35.
(85) Mag., § b.

esse scientiam et essentiam : ergo, si nulla essent A futura, non esset in Deo essentia; et ita : Si nulla esset futura, non esset divina essentia. Item idem est Deo, esse Deum et esse præscium : Possibile est Deum non esse præscium aliquorum; ergo possibile est Deum non esse Deum.

(86) Ad horum solutionem et similium dicimus, quod in hujusmodi nominibus et similibus compositis, et ex nomine et præpositione intelligentia implicatur divinæ essentiæ et temporalis relationis quæ est in creaturis. Per nomen enim simplex notatur divina essentia, per præpositionem temporalis relatio quæ est in creaturis. Divina enim essentia respectu creaturarum dicitur præscientia. Si ergo sic dicitur; si non esset Deus alia facturus, B non esset divina essentia quæ est præscientia, falsum est; sin vero ita : Si non esset Deus alia facturus, non esset præscientia, id est non diceretur Dei essentia præscientia, quod nomen sortitur respectu creaturarum, verum est. Eodem modo solvenda sunt similia. Possibile fuit Deum non præscire aliqua, et possibile fuit nulla esse subjecta divinæ essentiæ; unde diceretur præscientia vel alia præscire, vel unde diceretur præscius, et sic in cæteris exponendum est. Item idem est Deo esse Deum et esse præscium, semper erit Deus; ergo semper erit præscius; ergo semper erunt aliqua futura. Quod videtur contrarium Origeni dicenti quod post diem judicii nulla erunt futura, quod forte de creaturis vel substantiis, vel novis C rerum generibus accipiendum est, cum post diem judicii reprobi sint transituri ab aquis nivium ad calorem nimium, et iste mutuus transitus in æternum durabit; secundum Cassiodorum quoque spes futura videtur vocalis laudatio.

Fallacia prædicti argumenti.— Idem est Deo esse essentiam, et esse Deum : Deus est Deus omnium; ergo essentia omnium. Vel ita : Idem est essentia et charitas : essentia Dei est in hoc lapide; ergo charitas Dei est in hoc lapide. Item : Nulla scit Deus quæ non potest præscire; non ergo idem est ei scire quod præscire, falsum. Deus nulla scit quæ non potest velle; ergo non est ei idem scire et velle; scit **40** enim peccata, vel ita multa vult, et nullum eorum potest esse, non ergo idem est ei velle D quod esse. Item præscientia hujus rei et fuit in Deo et fuit Deus, et Deus modo non præscit hanc rem; ergo præscientia hujus rei modo non est in Deo, nec est Deus; et ita aliquid fuit Deus quod non est Deus. Ideo distingue : Præscientia hujus rei fuit in Deo et fuit Deus, modo nec est in Deo, nec est Deus, hoc est scientia illa qua præscivit hanc rem fuit in Deo et fuit Deus, modo neutrum; falsum est. Si vero sic, olim veraciter potuit dici, Deus præscivit hanc rem, et illa præscientia est Deus; sed modo non potest veraciter dici, verum est.

Item, cum res ista nondum esset, et scientia quam habebat Deus de hac re diceretur præscientia, aliqua causa erat quare diceretur præscientia, cum modo non dicatur : Si nulla, ergo non tunc magis debuit dici præscientia quam modo, sicut ergo Deus præscivit hanc rem, ita et modo; si vero dicatur aliqua causa fuisse, quare et illa scientia diceretur præscientia; illa causa aut nunc est, aut nunc non est : si est, igitur qua ratione dicebatur scientia Dei præscientia hujus rei eadem et modo; si non est et tunc erat; aut in Creatore, aut in creatura : non in creatura, quia hæc creatura tunc non erat; si in Creatore et modo non est in eo; ergo aliquid tunc erat Creator quod non modo, et ita mutatio est in Deo. « Dixerunt quidam quod ad prædicationem vel remotionem alicujus, vel aliquarum relationum de aliquo, vel ab aliquo, non sequitur alicujus rei vel aliquarum in aliquo positio sive remotio aliquarum rerum ab aliquo. Dicunt enim relativorum nil aliud esse quam referri vel relative dici. Unde dicunt Aristotelem dixisse ea esse relata quibus : *Hoc est ipsum esse, ad aliud quodammodo se habere;* si ad prædicationem vel remotionem alicujus relationis, sequeretur prædicatio vel remotio alicujus rei, jam posset probari quod ad destructionem unius minimæ rei, tot res destruuntur quot sunt in mundo, quia tot relationes, aut similitudines, aut differentiæ. Sicut nummus modo est pretium unius rei et postea desinet esse pretium ejusdem, non tamen mutatio est in nummo; sic ergo et in scientia Dei, cum desierit esse præscientia.

Item, Deus cum futura præscit, futura vult præscire sicut præscit, et taliter ut præscit; nil autem vult nisi bonum; ergo eum futura præscire et taliter præscire ut præscit, bonum est; ergo præscientia Dei in omnibus futuris bona est; ergo bona in hoc quod præscit hunc peccaturum. Dicunt ergo quod præscientia bona est, et Deus vult ut adimpleatur : non tamen vult illum peccare, licet aliter impleri non possit. Nec peccata vult se præscire, et præscit sicut voluit esse verus in hoc quod dixit : *Petre, ter me negabis* (*Matth.* XXVI, 34); nec potuit esse verus nisi Petrus negaret, non tamen voluit illum negare. Similiter, cum confiteor peccatum, volo me esse veracem, non tamen quod peccaverim. Alii dicunt quod licet præscientia Dei in omnibus bona, non tamen in omnibus implenda, quia permissio erat de libello repudii, non tamen hoc faciendum; et præcepit ut Abraham immolaret filium, non tamen erat faciendum. Idem in cæco. Alii sic distinguunt : Præscientia Dei in omnibus bona est, id est bonum est ut omnia quæ Deus præscit, et ut præscit compleantur opere et ad opus perducantur. Si vero ita præscientia Dei in omnibus bona est, id est bonum est ut quæcunque Deus et sicut præ-

(86) Mag., § c.

scit, ita in essentia cognoscantur cum evenerint, et etiam ante, verum est.

Solet etiam quæri an præscientia sit causa futurorum, vel econtrario. Quod enim divina præscientia sit causa eventus rei, ita volunt ostendere. (87) Aut possibile est aut impossibile res non esse eventuras cum sint a Deo præscitæ, sed est possibile; ergo possibile est Dei præscientiam falli. Sed est impossibile : ergo eadem ratione impossibile est res aliter evenire. Item : Possibile est res aliter evenire quam eveniant, sed si aliter eveniunt, aliter præscitæ sunt; ergo **41** possibile est res aliter evenire quam præscitæ sint. Item : Impossibile est res aliter evenire quam præscitæ sunt; non evenirent res nisi a Deo essent præscitæ; ergo divina præscientia est causa rerum quæ eveniunt. Ad quod etiam facit auctoritas Augustini (88) dicentis : «Universas creaturas tam corporales quam spiritales non ideo novit quia sunt, sed ideo sunt quia novit.» Quod si dicatur divina præscientia causa rerum quæ eveniunt, cum præscientia sit tam de bonis quam de malis, erit causa non tantum bonorum, sed et malorum. Econtrario quod res sint causa divinæ præscientiæ, videtur dicere Origenes (89) ; « Non propterea aliquid est futurum, quia id Deus scit futurum ; sed quia est futurum, ideo scitur a Deo antequam fiat. » Quod tamen si dicatur, falsum videtur dici : Non creatum est causa increati, nec mutabile immutabilis, nec temporale æterni.

Sed facile est solvere prædicta assignata fallacia compositionis et divisionis in præmissis propositionibus. Cum enim dicitur : Impossibile est res aliter evenire quam sint præscitæ; si per compositionem intelligatur, id est impossibile est hæc duo simul esse quod res ita eveniant et aliter sint præscitæ, verum est; si vero per divisionem, impossibile est res aliter evenire quam sint præscitæ, id est res ita sunt præscitæ, et impossibile est eas aliter evenire, falsum est. Auctoritates vero quæ videntur ad hoc contrariæ, facile concordes inveniuntur brevi expositione, si in eis quæ videntur velle quod præscientia sit causa eventus rerum adaptanda est notitia cum beneplacito huic verbo *novit*, quod beneplacitum est causa omnium bonorum ut in ea auctoritate, *universas creaturas*, etc. In eo enim quod dicitur *Novit*, intelligitur notitia et beneplacitum, vel potest *quia*, notare causam sine qua ; vel potest esse ratiocinata conjunctio, non causalis; id est si novit Deus aliqua, futura sunt vel fuerunt vel erunt, sicut cum dicitur, *quia Socrates est homo*, Socrates est animal, ratiocinata est conjunctio, quia id etiam notat : Quia si Socrates est homo, inde possimus ratiocinari quod est animal. Non enim ibi est causalis cum humanitas non sit causa animalitatis, sicut animalitas humanitatis, unde dicitur : *Quia Socrates est animal, Socrates est homo.* In contrariis vero auctoritatibus notat, *quia*, causam sine qua, ut in illa *non propterea*, etc. vel ponitur *quia* pro *quod*.

Item : *Scientia Dei est Deus, nec est aliqua creaturarum : hac locutione veraciter fit sermo de aliquo, sed nonnisi de essentia vel persona ; ergo de ea vere dicitur, quod non sit causa creaturarum.* Fallacia. Idolum non est naturale, hac locutione fit sermo de corpore quod est idolum ; vere dicitur quod non est naturale, et locutio nonnisi verum significat ; ergo de corpore quod est idolum vere dicitur quod non est naturale. Item, Deus præscit sola futura et omnia; ergo præscit ea quæ non sunt tantum. Sed Deus præscit se judicaturum mundum; ergo Deum esse judicaturum mundum, non est, et ita non est verum, nec aliud. Nos dicimus quod sola futura et ea quæ non sunt præscit Deus, et dicimus quod oratio dicti designativa non semper verum, sed quandoque eventum significat : de quo dicitur quod eum præsciat Deus, sed quando in designatione eventus, et quando in designatione enuntiabilis ponitur illa oratio ex diversorum verborum adjunctione prudens indagator virtutis vocem percipiat. Fallacia. Ego te video sedere ; te sedere est verum : ergo video verum. Item, si Deus aliquid præscivit, illud necesse est evenire : Deus hoc præscivit ; ergo necesse est hoc evenire : hoc solvitur per interpretationem. Sed iterum instat sic : Si Deus aliquid præscivit, illud eveniet ; necesse est hoc Deum præscivisse : ergo necesse est hoc evenire, et hoc falsum per interpretationem assumptionis. Non enim est necesse Deum hoc præscivisse, licet hoc sit de præterito, quia ejus eventus spectat ad futurum. Quare etiam videtur Deus præscit quidquid præscivit; et patet solutio, quia non quidquid semel præscit Deus, semper præscit ; sola enim futura præscit. **42** De præteritis autem et præsentibus aut incongrue aut falso dicitur quod ea præsciat. Præscivit enim Deus mundum creandum, quod modo non præscit, quia jam præteritum est. Hoc autem non contingit ex defectu scientiæ Dei sed potius ex anterioritate temporis (quæ vocatur hoc verbo *præscio*) et eventu rei quæ futura erat. Tamen quidquid semel scit Deus, semper scit, id est quidquid semel est subjectum ejus scientiæ semper est subjectum ejus scientiæ ; quia sive sit, sive non sit, ejus scientiæ subjectum est, cum de eo non aliquid desinat scire quia ipsum desinit esse. Nisi quis velit dicere nulla esse ejus scientiæ subjecta nisi sint essentia.

Sed quidquid sit de his, verum est Deum semper scire verum quod semel scit, quod tamen videtur falsum, quia semel scivit mundum esse creandum, modo non scit illud, quod falsum est : ergo aliquod verum scivit quod non scit. Ad quam

(87) Mag. I, d. 37.
(88) Lib. XV de Trin. c 13.
(89) In expositione c. VIII Epist. ad Rom.

A objectionem nullam video solutionem, nisi dicatur quod Deus nunquam scivit mundum esse creandum, id est hoc enuntiabile, quia ipsum semper fuit factum; sed scivit semper mundum esse creatum, et quando fuit creatus et ante, cum modo sciat illud (90). Tempora enim variantur et verba, sed fides manet eadem et significatio; et aliud modo dicitur hac propositione, aliud dicebatur illa prius; quia una et eadem veritas diversis verbis prolatis secundum diversitatem temporum diversis propositionibus dicitur. Nec insultet aliquis huic solutioni donec intellexerit, ne potius ex odio et invectione, quam ex animi judicio videatur quod dictum est contemnere.

CAPUT XV.

De his quæ communia sunt prædestinationi et reprobationi.

(91) Ordine prænotato agendum est de prædestinatione et reprobatione, et de his simul, quia in plerisque similem exigunt tractatum. Circa prædestinationem igitur hoc primo considerandum est quod duplex est ejus effectus. Primus, est appositio gratiæ in tempore; secundus, finalis retributio vitæ æternæ. Sunt igitur tria : æterna electio sive prædestinatio vel æterna dilectio ; temporalis gratiæ appositio ; finalis vitæ retributio. Et ex opposito tria sunt, æterna reprobatio, et temporalis gratiæ subtractio, interminabilis pœnæ inflictio : et prima proprie reprobationis nomine censetur ; secunda proprie obduratio dicitur. Interdum tamen C obduratio pro reprobatione ponitur et econtrario : sic quoque æterna electio prædestinationis nomine censetur; secunda vero justificatio vocatur : interdum enim hæc confuse ab auctoribus ponuntur, ut in hoc exemplo (92) : « Eliguntur qui non sunt; nec errat qui eligit, nec vane eligit. Eligit tamen et habet electos quos creaturus est eligendos. » Distingue cum audis *habet electos*, id est prædestinatos ab æterno quos creaturus est eligendos temporali electione, id est appositione gratiæ.

Cum autem hæc tria illis tribus opponantur, in quibusdam æquis passibus ambulant, in quibusdam non. Sicut enim æternæ prædestinationis nullum est meritum, ita nec æternæ reprobationis; alioqui temporale causa æterni. Item, sicut prædesti- D natio æterna causa est appositionis gratiæ, ita reprobatio æterna est causa subtractionis gratiæ : sed non sicut gratiæ appositio causa est finalis retributionis, ita gratiæ privatio finalis damnationis: nec sicut prædestinatio est causa bonitatis, ita reprobatio est causa malignitatis. Item, sicut prædestinatio causa est finalis retributionis, ita reprobatio æterna causa est finalis damnationis. Non tamen sine distinctione dandum reprobationem æternam esse causam temporalis subtractionis gratiæ. Potest enim intelligi privatio vel subtractio positive vel negative; si negative intelligatur, verum est; quia æterna reprobatio causa est quare non apponatur gratia, sed non est causa quare appositio subtrahatur. Imo hujus causa est meritum humanum. Alterius vero, id est non
43 appositionis, et æterna reprobatio, et meritum humanum est causa; utriusque vero, scilicet et non appositionis et æternæ reprobationis quasi quædam indicia et conjecturæ videntur esse prava merita. Meretur itaque homo sibi gratiam non apponi, cuicunque enim non apponitur, meritis suis exigentibus hoc illi accidere præsumendum. Si enim non est baptizatus merito originali non apponitur; si est baptizatus peccando mortaliter meretur appositam subtrahi. *Sola enim gratia redemptos discernit a per-* B *ditis, quos in apostatica radice damnatos detinebat communis causa perditionis, ut si nullus indeliberaretur, nemo recte posset Dei vituperare justitiam.*

Ut autem quæ de æterna prædestinatione vel reprobatione diximus clarius elucescant, dicendum quid prædestinatio et quid reprobatio. Prædestinatio est gratiæ præparatio qua Deus ab æterno homini Christo, eisque quos præscivit fieri conformes imaginis Filii sui bona sine meritis præparavit. Reprobatio est præscientia nequitiæ, et præparatio interminabilis pœnæ. Prædestinatio ergo consideratur in duobus circa unum, id est in præscientia et præparatione circa beneficia. Reprobatio in duobus circa duo, id est in præscientia circa peccata, et præparatione circa supplicia. Præscivit enim Deus tam peccata quam supplicia; sed ita præparavit supplicia quod non peccata. Unde primum præmissorum utrique sequentium reddendum reliquum uni soli.

Ex his palam sunt dicta, scilicet prædestinationem esse causam et appositionis gratiæ in tempore, et finalis retributionis, quod tamen videtur esse falsum. Cum enim consistat in duobus, ut dictum est, id est in præscientia et præparatione, aut non erit præparatio causa temporalis oppositionis, aut præscientia erit ejusdem causa, quod ita ostenditur. Quia prædestinavit Deus Petrum, confert ei gratiam in tempore; quia præscivit eum futurum bonum, et præparavit ei bona, et confert ei gratiam in tempore: ergo vel quia præparavit ei bona, vel quia præscivit, confert. Quod etiam auctoritate Augustini videtur posse ostendi, ait enim (93) : « Præscius Deus malæ voluntatis futuros non habuit eos in numero bonorum, sicut et de præscientia Pharaonem censuit damnandum sciens eum se non esse correpturum. Apostolum vero Paulum elegit præscius utique quod futurus esset fidelis. » Item, sicut Deus subtrahit multis, id est non largitur honorem temporalem, quia de unoquoque scit qualis esset si esset in potestate constitutus, et ita propter ty-

(90) Mag. I, d. 44, § ult., et expressius dist. 41, § et h.
(91) Mag. dist. 40 et 41.

(92) Aug. *de verb. A. poet.* sermo H.
(93) Idem ascribitur Ambros. in Glossa ad cap. IX ad Rom.

rannidem quam exerceret si in potestate esset, et propter mala quæ faceret, non largitur ei honorem: contra nimirum a simili, propter bona quæ præscit hominem facturum, potest dici quod det ei gratiam, ut sicut mala merita quæ inessent si hoc haberet, sunt causa quare Deus hoc nolit dare; ita et bona quæ habiturus est vel esset, sint causa quare Deus det ei gratiam vel honorem terrenum etiam antequam prorsus sint illa merita.

Econtrario tamen si præscientia causa est quare alicui apponatur gratia in tempore, eadem videtur causa obdurationis temporalis, cum sit præscientia æque de bonis ac de malis. Quod tamen præscientia non sit causa quare apponatur gratia in tempore, ait Augustinus (94): « De justitia judicat Deus non de præscientia; quia justitia, non Dei præscientia, causa est quare aliquis sit dignus apud Deum vita æterna. » Sciendum est igitur Dei prædestinationem non esse causam temporalem justificationis quantum ad præscientiam, sed quantum ad præparationem, nisi hæc dictio *quia* notet causam non qua. Quod si non præsciret Deus, non apponeret gratiam in tempore, sed quia præparavit, id est se daturum disposuit ut nomine *dispositionis* intelligatur beneplacitum cum præscientia, sicut dictum est de verbo *novit* superius. Potest recte dari quod *quia præscivit*, id est *quia in beneplacito præscientis fuit, ideo gratiam in tempore contulit*; vel, quod melius est, in assignatione causæ justificationis non est tantum sumenda præparatio, **44** vel tantum præscientia: sed hæc duo simul sicut et ipsa intelliguntur in hoc verbo *prædestinavit*, id est quia fuit præscivit et præparavit, id est quia fuit in beneplacito et præparatione præscientis ut electis in tempore conferret gratiam, et post, vitam æternam: ideo confert. Ex quo intelligi datur nomine præparationis divinam dispositionem intelligi. Non enim aliud est Deo præparare quam disponere, nec aliud disponere quam esse. Et sic idem præparare quam esse. Unde constat divinam essentiam prædicari cum dico: *Prædestinatio est gratiæ præparatio*, id est dispositio qua Deus disposuit se in tempore collaturum gratiam electis, et ita Deus principaliter significatur esse Deus, et subinnuitur quidam effectus temporalis circa electos, sicut etiam videtur divina essentia prædicari cum dicitur: Deus prædestinavit istum.

Sed ad hoc objicitur multipliciter: Quia Deus voluit, prædestinavit istum, id est Dei voluntas et prædestinatio: ergo idem est causa sui ipsius. Idem est Deo esse Deum et esse prædestinantem: ergo Deus eo est Deus quo est prædestinans; ergo est Deus quo prædestinat, sed Deus divina essentia est Deus: ergo Deus divina essentia prædestinat. Non ergo sola gratia prædestinat. Item, Deus eo est Deus quo prædestinat, et econtrario. Sed Deus sua gratia prædestinat; ergo gratia est Deus. Ideo solvunt quidam dicentes, quia cum dicitur, Deus eo quo est A Deus est prædestinans. Hoc nomen *prædestinans* ibi retinet principalem significationem: et est idem ac si dicatur, eo quo est Deus, est ille qui prædestinat: sed cum dicitur *Deus prædestinat*, redundat verbum in consignificatum; nec aliquid Deo attribuitur, sed potius circa electos aliquid significatur ac si diceretur: ex Dei gratia, id est bonitate est gratuita quod electi ab æterno fuerunt recepturi æterna præmia. Unde cum admittendum sit: *Divina essentia est prædestinans*, id est *ille qui est prædestinans*, non est dandum *divina essentia prædestinat*; imo sola gratia prædestinat. Verbum enim, amissa principali significatione, redundat in consignificatum.

Sed contra hanc solutionem dicit aliquis: B Nunquid verbum ubique amittit principale significatum? quod si est; ergo ubique improprie ponitur in locutione. Item, si semper hoc verbum de Deo dictum, effectum temporalem circa electos notat, et nunquam principalem significationem retinet: ergo non vere dicitur: Deus ab æterno prædestinavit bonos, quia nullus temporalis effectus talis ab æterno est. Item, Deus gratia sola prædestinat; ergo gratia temporali vel æterna: si temporali gratia prædestinat, videtur, illa gratia temporalis esse in Deo, aut non videtur illa locutio recipienda: sicut non dicitur, Deus creatione creavit mundum, quia nulla talis creatio in Deo est. Si vero dicitur quod æterna gratia prædestinat; ergo aliquod æternum notat hoc verbum *prædestinat* dictum de Deo. Item, C Deus ab æterno gratis elegit Petrum; ergo ab æterno gratis prædestinavit Petrum; et ita probatur divina essentia cum hoc dicitur. Aliter enim non haberet ibi locum *ab æterno*. Item, hoc verbum *prædestinat* dictum de Deo solum notat effectum temporalem circa creaturas; ergo nullo quo sit Deus, Deus prædestinat aliquem: sed Dei prædestinatio est Deus; ergo non prædestinat Deus prædestinatione quæ ipse est. Item, idem est Deo esse et prædestinare, esse Deum et esse prædestinantem; ergo quo est Deus, prædestinat; vel non eo quo est Deus, est prædestinans.

Qui prædictam sequuntur solutionem non habent pro inconvenienti dicere quod aliqua dictio principalis D aliquid significat, et tamen nunquam retinet principalem significationem in locutione posita; sicut hæc dictio *uter* in locutione posita nunquam sequitur propriam constructionem adjectivorum, quia non construitur cum dictione ejusdem casus et ejusdem numeri: et quamvis hoc verbum *prædestino* significet effectum circa creaturas, non tamen ideo minus recipiunt; *Deus ab æterno prædestinavit* **45** *istum*; cum hujus verbi significatio omnia tempora comprehendat in quocunque tempore proferatur, propter confusam significationem. Unde nec notatur aliquis affectus esse præteritus, vel ab æterno fuisse tali locutione; sicut si dicitur, Deus fuit creaturus mundum, nullus notatur effec-

(94) Ascribitur etiam Ambros, in Glossa, ad cap. IX ad Rom.

ctus fuisse præteritus, licet ibi ponatur verbum præteriti temporis. Quod vero dicitur, Deus gratia prædestinat, non recipiunt aliquod adjectivum, ut dicitur. Deus gratia temporali vel æterna prædestinat, quia ibi ponitur hoc nomen gratia quasi adverbialiter ut sit *gratia*, id est *gratis*.

Illi vero ultimæ argumentationi instant sic : Idem est Deo posse et intelligere, esse omnipotentem et intelligentem; ergo eo est potens quo intelligens, quod falsum esse dicunt; quia potentia est potens, et non potentia est intelligens, imo intelligentia est intelligens. Videtur enim mihi absonum esse hujusmodi admittere; sed dicit aliquis quia non propter absurditatem locutionis, cum non sit ibi falsitas, negandum est. In consequentia enim sermonis non præjudicat veritati dictorum. Videtur ergo non dandum non solum ob sermonis inconsequentiam, sed quia aliquid significat, vel subinnuit iste terminus *intelligentia*, quod non iste terminus *potentia* in quibusdam (95) cum nulla potest consignificatio, vel injunctio deprehendi; nec tamen consequenter potest attribui uni quod attribuitur alteri, ubi difficile est reddere rationem inconsequentiæ vel causa quare unum potius recipiatur quam reliquum.

Alii paulo amplius procedunt in solutione prædictarum objectionum recipientes: Deus, eo quo est Deus, prædestinat; non tamen divina essentia prædestinat, cum ipsa divina essentia sit Deus. Nam in prima propositione verbum principalem habet significationem, in conclusione amittit, et ad consignificationem redit, et ita huic instant argumentationi: Deus, eo quo est Pater, est Deus, paternitate Pater; ergo paternitate est Deus. Primam si quis neget ita probant. Deus aliquo est Pater, aliquo est Deus; ergo eodem vel alio, vel idem prorsus est quo est Pater et quo est Deus : ergo eodem est Pater et Deus.

Quod vero supradictum est de voluntate quæ videtur esse causa prædestinationis, non recipiunt. Nam ita idem sui ipsius esset causa. Nec significat ibi hæc dictio *quia* causam, imo ratiocinata est, ut sit sensus: quia Deus voluit, prædestinavit istum, id est si voluit prædestinare, prædestinavit; vel accipitur *prædestinavit* pro temporali gratiæ appositione, cujus quidem causa est æterna Dei voluntas ut supra ostensum est.

Quibusdam videtur quod hoc verbum *prædestino* divinam essentiam significat, cum dicitur : *Deus prædestinavit istum*, vel *Deus ab æterno dilexit istum*, quod idem est, ut dicunt. Nam principaliter significatur *Deus est Deus* et subinnuitur ab æterno ejus voluntati subfuisse, ut huic in tempore apponeret gratiam et finaliter conferret vitam æternam. Sed si idem est *prædestinare* et *ab æterno diligere*, non videtur quod Deus ab æterno dilexerit Judam, quia eum non prædestinavit. Quod tamen ab æterno A dilexerit, videtur, quia ex benignitate sua gratiam apposuit Judæ in tempore et ab æterno hoc voluit; ergo ab æterno Judam dilexit, vel non est idem ei diligere et velle. Fallacia. Ex benignitate conservat Deus quamlibet creaturam in suo esse, et ab æterno hoc voluit; ergo ab æterno diligit Deus quamlibet creaturam. Quod non videtur, quia cum dicitur, *Diligit Judam, vel irrationalem creaturam*, idem est ac si dicitur, in suo esse conservat, nec aliquid Deo attribuitur, sed creaturæ. Ita quoque cum dicitur, Deus dilexit Judam, idem est ac si dicitur, temporaliter ei apposuit gratiam. Nec hujusmodi locutionibus aliquid Deo attribuitur. Item, Deus diligit Judam vel irrationalem creaturam; ergo dilectione temporali vel æterna : si æterna, ergo ab B æterno diligit Deus Judam; si dilectione temporali, ergo dilectio temporalis in Deo est, quod falsum est.

46 Hoc ad quod dicendum quod verbum *diligit* dictum de Deo; secundum quod Deus, tria significat, quia accipitur pro *prædestinare* et *conservare in esse*, et pro *gratiam apponere*. Primo modo, diligit omnes et solos salvandos. Secundo modo, omnem creaturam diligit. Tertio modo, solos et omnes qui nunc justi sunt sive salvandi, sive damnandi ; et prima significatione ejus propria est quando de Deo dicitur. Unde pro illo solo quod illo modo diligit Deus, recipimus : *Deus ab æterno diligit istum, et Deus dilectione quæ ipse est diligit istum;* et probatur divina essentia. Præterea innuitur effectus C quidam circa creaturam. Pro illis autem quos in suo esse conservat, vel quibus apposuit Deus gratiam in tempore, ita quod non prædestinavit eos, non recipitur quod ab æterno dilexerit, imo ab æterno odio habuerit. Unde *Jacob ab æterno dilexi, Esau autem odio habui* (*Rom.* IX). Illos autem non diligit aliqua dilectione vel temporali, vel æterna, quia nil Deo attribuitur illa locutione, sed potius creaturæ; et cum sit tropica locutio, non fit recta argumentationis processio si concludatur. Deus istum diligit temporali dilectione vel æterna. Item, Deus diligit irrationalem creaturam; ergo ut utens aut ut fruens; et licet propter impropriietatem præmissæ locutionis non accidat, satis tamen potest D admitti, diligit ut utens.

Aliis videtur nil Deo attribui; sive dicitur, Deus ab æterno dilexit Petrum; sive dicitur, Deus prædestinavit Petrum. Nec hujusmodi locutionibus aliquid prædicari nisi solum terminum. Isti securius incedunt, quia difficile est de hujusmodi prædicationibus judicare : et hoc maxime propter comparationes quæ fiunt, vel cum aliquid sibi comparatur secundum diversa tempora : ut cum dicitur, Deus magis diligit modo Petrum quam diligeret ipsum existentem in via. Vel inter diversas personas : ut cum dicitur, Deus magis diligit Petrum quam Linum; vel cum nova dilectio videtur Deo attribui,

(95) Quæ sequuntur ad finem usque capitis, non exstant in ms. bibl. S. Victoris, sed alia quædam ex cap. seq. male inserta sunt.

cum dicitur, Deus incipit diligere istum qui incipit esse bonus. Hæc enim omnia videntur repugnare ei quod dictum est de Dei dilectione, quod Deus dilectione, quæ ipse sit, diligat homines, vel prædestinatione, quæ ipse est, prædestinet; quoniam essentia Dei nec magis, nec minus recipit, nisi dicas illam comparationem non in principalem significationem, sed in consignificationem redundare. Eum enim magis diligit cui majorem gratiam apponit, et cui majorem confert coronam; et eum incipit diligere cui incipit gratiam apponere. Sic ergo secundum eos nulla tali locutione aliquid Deo attribuitur. Unde non est recipiendum secundum eos, Deus diligit aliquem aliqua dilectione; nec ita intelligatur, temporali dilectione diligit Judam, id est temporaliter confert ei gratiam, vel in esse suo conservat.

Quia tamen difficile est assignare quid sit illa dilectio temporalis, vel in quo sit, tutius est negare quando ablativus ibi ponitur; sed eo non apposito vere dicitur diligit illum; nec tamen dicendum quod ab æterno dilexerit Judam, licet ab æterno placuerit ut ei conferret gratiam temporaliter, quia appropriatum est hoc genus locutionis *ab æterno diligere* ad prædestinationem; nec tamen, cum ab æterno magis dilexerit Petrum quam Linum, ideo verum est, *magis prædestinavit istum quam illum*, quia nec etiam Latine hoc dicitur. Multa enim personaliter inter se convertuntur, nec necesse est unum venire in comparationem, cum alterum comparatur.

Secundum hæc quæ prædicta sunt patet quod Deus interdum magis diligit eum qui minus dignus est diligi secundum præsentem justitiam. Et forte aliquando majorem charitatem habuit Judas quam Petrus; nec tamen plus diligebatur Judas a Deo quam Petrus secundum unam significationem hujus verbi *diligo*, de tribus quas supra distinximus; et quando Saulus non diligebat Christum, imo persequebatur, plus diligebat eum Deus quam Linum, qui nunc fruebatur vita æterna. Sed Judæ quomodo intelligas *plus diligebat*, cum sint tres hujus verbi distinctæ significationes? **47** Quid enim alibi dicitur, Deus æque diligitur, benignus est omnibus? Unde videtur quod, *Omnes æque diligantur a Deo*, ita intelligendum est, quia gratis dat Deus hominibus quidquid dat, vel quia, quantum in se est, nullum magis diligit quam alium; vel æque benignus, id est pariter benignus ut non faciat in quantitate, sed in similitudine.

(96) Solet etiam quæri utrum qui est prædestinatus possit non esse prædestinatus, quod ita videtur posse colligi. Alicui potest apponi gratia cui nunquam fuit apponenda; si ei est apposita, ipse potest esse prædestinatus; si nunquam fuit apponenda, non est prædestinatus. Eodem modo probatur quod aliquis potest non esse prædestinatus

A qui est prædestinatus. Item, Deus potest non prædestinasse istum: ergo iste potest non esse prædestinatus a Deo; ergo iste potest non esse prædestinatus. Item, iste potest damnari; si damnatur non est prædestinatus; ergo iste potest non esse prædestinatus. Item, istud est necessarium, scilicet istum esse prædestinatum; ergo quodlibet necessarium cum eo potest esse verum. Item indirecte, istum esse prædestinatum et damnari est impossibile; istum esse prædestinatum est necessarium; ergo ipsum damnari est impossibile. Cui argumentationi licet ita possit ferri instantia: Animam Antichristi esse et Antichristum non esse vel fuisse est impossibile; animam Antichristi esse est necessarium; ergo Antichristum esse vel fuisse est
B impossibile, posito quod nunc primo sit: tamen concedendum est sine hæsitatione quod possibile est istum prædestinatum qui est in via, non esse prædestinatum; per divisionem intellige, id est iste prædestinatus potest non esse prædestinatus.

Sed objicitur: Multi possunt esse prædestinati qui non sunt; ergo non diminuto numero eorum qui modo sunt prædestinati, sed istis qui possunt esse prædestinati et non sunt, annumeratis his qui sunt prædestinati, plures erunt prædestinati quam sint modo; ergo plures possunt esse prædestinati quam sint: ergo numerus prædestinatorum potest esse major quam sit; ergo potest augeri. Cui contradicit Augustinus sicut in Apocalypsi legitur (97).
C *Tene quod habes ne alius coronam tuam accipiat* (cap. III). Si enim non est alius accepturus nisi tu amiseris, certus est numerus electorum, id est non potest augeri vel minui. Sed patet etiam minus perito verum esse quod dicit Augustinus, si conjunctim intelligas; falsum, si per divisionem. Item, omne verum quod est de præterito est necessarium: hoc est de præterito istum esse prædestinatum; ergo ipsum est necessarium. Ad quod dicendum quia ad futurum spectat et ideo contingens, licet de præterito videatur. Item, quod factum est non potest esse non factum; iste est prædestinatus; ergo non potest non esse prædestinatus. Sed nunc etiam illud valet, quia non nota-
D tur aliquod præteritum cum dicitur, iste est prædestinatus, sicut nunc cum dicitur, iste fuit lecturus. Unde quemadmodum illud ad omnia tempora refertur, quia pro eo qui disputat, et disputavit, et disputabit, vere dicitur quia fuit disputaturus; ita pro eo cui apposita, vel apponitur, vel apponetur gratia cum vita æterna, vere dicitur iste est prædestinatus. Et sicut non est necessarium aliquem fuisse lecturum, nisi jam inchoaverit lectionem; ita nec necessarium est aliquem esse prædestinatum, nisi jam obtinuerit vitam æternam. Et ita voces distinctæ per tempora in hoc verbo non notant actiones, sed illa tempora quorum sunt. Non ta-

(96) Mag. I, d. 40, § b.
(97) Aug. l. *De corrept. et grat.*, c. 13, circa initium.

men semper potest vere poni præsens; ubi vere ponitur præteritum. A Unde non dicitur, Deus prædestinat Petrum, cum eum prædestinaverit quod facit consignatio hujus propositionis *præ*, quæ in compositione notat antecedentiam temporis, sicut, non quicunque fuit lecturus, est lecturus.

48 CAPUT XVI

An hoc nomen reprobatio *aliquid ponat cum de Deo dicitur.*

(98) Quæ circa prædestinationem vel reprobationem inquiri solent fere communia sunt illis; ideo quæ de uno dicta sunt de reliquo per similitudinem contrarii dici possunt. Circa utrumque tamen speciales inquisitiones sunt neutri cum altero communes. His igitur determinatis quæ communia sunt, specialiter de reprobatione videtur agendum. B Est igitur reprobatio ut supra dictum est: *Præscientia nequitiæ, et præparatio interminabilis pœnæ.* Sed cum præscientia Dei sit divina essentia, videtur reprobatio, qua Deus reprobat, esse divina essentia, et ita est Deus. Item, reprobatio est præscientia iniquitatis, etc.; ergo reprobatio est præscientia qua Deus præscit; ergo reprobatio est in Deo; sed quidquid est in Deo est Deus; ergo reprobatio est Deus. Tantum igitur bonum est reprobatio quantum et prædestinatio. Tantum igitur debet quis diligere reprobationem quantum prædestinationem; ergo tantum debet diligere ut reprobetur, quantum ut prædestinetur. Distingue; Tantum bonum est reprobatio quantum prædestinatio, id est Deus reprobans ut Deus prædestinans, verum est; C si vero ad effectum referas, falsum est. Item, præparat Deus ignem æternum malis; ergo vult ut patiantur: quia hoc disponit, et omne quod vult Deus; et tu debes velle taliter creatus es; ergo debes velle te damnari. Ad quod dicimus, quod non quidquid Deus vult, nec tu debes velle. Item, Deus juste facit ut iste habeat æternam damnationem; ergo est causa damnationis istius, non ergo sola peccata istius. Ideo dic quod aliter Deus, aliter peccatum est causa damnationis. Deus enim causa quia est auctor pœnæ, peccatum vero est causa, quia trahit ad æternam damnationem. Fallacia. Deus est causa quare diligamus, non ergo dilectio est causa, quare diligamus, vel Deus est nobis causa vitæ æternæ. D Non ergo solæ virtutes. Item, quidquid fit, Deo auctore, fit; ergo sicut ex Dei voluntate est ut boni habeant vitam æternam, ita ex voluntate ipsius ut mali habeant pœnam æternam. Falsum est ergo quod dicit auctoritas: *Nolo mortem peccatoris sed magis convertatur et vivat* (*Ezech.* XXXIII). Item etiam falsum est quod dicitur: *Nos cogimus sævire nolentem.*

Ad hoc dic quod sicut Deus facit ut boni habeant vitam æternam; ita etiam quod mali pœnam æternam. Non tamen dicendum quod sicut ex voluntate Dei fit quod boni habeant vitam æternam, ita ex voluntate Dei est quod mali habeant pœnam æternam. Ita enim facit ut boni habeant vitam æternam, quod facit in eis meritum vitæ, sed licet faciat ut mali habeant pœnam æternam, non tamen facit meritum pœnæ. Ideo expone: *Non vult Deus mortem peccatoris*, id est non præstat meritum pœnæ. Item: *Nos cogimus sævire nolentem*, id est meritis nostris facimus eum punire nos, nolentem causam punitatis nostræ, ut conditionaliter accipiatur *nolentem*, id est qui nollet punire nos si non peccaremus.

Item, obduratio est peccatum; sed ipsa est effectus reprobationis; ergo Deus efficit peccatum. Duobus modis dicitur obduratio, et unde homo est obduratus, scilicet malitia mentis, et unde est Deus obdurans, scilicet subtractio gratiæ vel non appositio quæ est effectus reprobationis; et est opus Dei, non quia aliquid sit, sed quia sicut dicitur Deus facere aliquid, ita et obdurare. Item originale peccatum fuit causa obdurationis Esau, sed tantum in adulta ætate fuit obduratus; ergo in adulta ætate fuit originale peccatum in eo meritum obdurationis; ergo originale redierat in eo per aliquod actuale: ergo peccatum fuit vel erat in eo quando obduratus fuit, sed auctoritas dicit (99), sicut in Jacob nil invenit diligendum Deus nisi misericordiæ suæ donum, ita Esau duplicem reatum **49** contraxisse ex originali peccato ante circumcisionem: reus enim originalis peccati, et quantum ad æternam damnationem, et quantum ad obdurationem. Quantum ad æternam damnationem omnino dimissum est ei, sed quantum ad obdurationem non fuit ei dimissum; unde et de reatu illo potest quæri qui remansit post circumcisionem quo adhuc tenebatur, quantum ad obdurationem, an fuerit in eo prius mortale vel veniale? et objicitur sic: reatus quem dicunt remanere post baptismum est veniale peccatum quod est meritum obdurationis; ergo per illud veniale peccatum meretur in peccato obdurari: obdurari non est nisi virtute gratuita carere; ergo per veniale peccatum meretur quis virtutem gratuitam non habere sed cuilibet est mortale peccatum non habere gratuitam virtutem; ergo per veniale, peccatum habet aliquis id quo est dignus pœna æterna: ergo veniale est mortale.

Potest dici quod originale prius fuit meritum obdurationis: hoc enim non est intelligendum de tempore adultæ ætatis, sed de tempore in quo ni boni vel mali meruit, scilicet ante nativitatem exteriorem: quando etiam dictum est: *In Esau non invenit odiendum, nisi originale peccatum.* Quid est ergo quod dictum (100)? *In Jacob non invenit diligendum nisi misericordiæ suæ donum*, id est ipsum Jacob ex misericordia dilexit et ad vitam prædesti-

(98) Mag. I, d. 48, § d, et dist. seq.

(99) Aug. epist. 105. *Quid enim diligebat Deus in Jacob antequam natus fecisset aliquid boni, nisi gratuitum misericordiæ suæ donum? Et quid oderat in Esau antequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum?*

(100) August. ubi supra.

navit. Potest enim dici de Jacob sicut de Joanne Baptista quod sanctificatus est in utero. Item, Deus potest facere ut huic non apponat gratiam, ut nullam habeat gratiam; sed hoc est huic mortale peccatum: ergo Deus potest facere ut iste peccet. Distingue: Nullam virtutem habere est huic mortale peccatum, id est contemnere habere verum est; sed ipsa virtus non habita est huic mortale peccatum, falsum est. Item reprobatio nil aliud est quam præscientia nequitiæ et præparatio pœnæ; ergo quia præscivit nequitiam Esau, et præparavit ei pœnam, ideo reprobavit eum; et ita non videtur occulta justitia qua eum reprobavit.

(1) Item quæritur an reprobatio sit causa obdurationis, sicut ipsa est causa retributionis; quod ita ostenditur. Quia Deus istum reprobavit, ideo in beneplacito ejus fuit ut in tempore non apponeret gratiam, non apponit: ergo reprobavit, ideo non apponit gratiam. Item, ideo non apponit gratiam, quia (2) æquitate occulta ab humanis sensibus remotissimam non esse apponendam decrevit; ergo ideo non apponit, quia ab æterno eos reprobavit, videtur solvendum per intentionem hujusmodi: quia reprobavit, ideo in beneplacito ejus fuit ut non apponeret gratiam; si enim quia reprobavit, ideo in beneplacito ejus fuit ut non apponeret; ergo quia reprobavit, voluit ut non apponeret; ergo quia præscivit eorum iniquitatem, et præparavit eis pœnam, ideo ab æterno voluit eis nunquam apponere gratiam vel conferre vitam. Ideo offensum videtur multis modis, quod reprobatio sit causa non appositionis gratiæ.

Econtrario tamen videtur posse ostendi quod non sit ejus causa, imo sola merita humana. Sicut non appositionis gratiæ sola merita humana videntur esse in causa. Quod sic videtur asserere Augustinus super Malachiam (3): *Cui vult miseretur Deus, et quem vult indurat* (*Rom.* IX): « *Sed hæc Dei voluntas injusta esse non potest. Venit enim de occultissimis meritis; quia ipsi peccatores, cum propter generale peccatum massam unam fecerint, nonnulla tamen inter eos est diversitas. Præcedit enim aliquid in peccatoribus quo licet nondum justificati sint, digni tamen inveniuntur* (4) *justificatione, et item præcedit in aliis peccatoribus quo digni sunt obtusione.* » Ecce hic manifeste videtur dicere quod merita humana videntur esse causa non appositionis gratiæ, et ita non Dei reprobatio ejusdem rei est causa.

Ad quod dicendum quod iste terminus *reprobatio* nil ponit, sed removet tantum et excludit. Quod ostendit Augustinus (4*) sic: Sicut reprobatio Dei est nolle misereri, ita obduratio est non misereri. Illud est æternum et intelligitur negative, istud temporale. Illud est causa istius. Nam quia ab æter-

A no noluit **50** misereri, ideo non miseretur; sed illud scilicet *non misereri*, non est causa quare homo sit malus, nam omnes mali sunt, *ex quod sunt ex massa corrupta;* unde, et de jure omnes posset damnare, et cum miseretur apponendo gratiam, misericordia est. Econtrario tamen aliter est ubi totum sumitur affirmative. Nam quia prædestinat, gratiam confert in tempore; quæ collatio gratiæ temporalis causa est quare sit bonus, cum tamen non econtrario nolle misereri ab æterno non sit causa quare sit malus, nec etiam econverso. Non enim quia est malus non voluit misereri ab æterno, sed est causa obdurationis; nam quia malus est, non miseretur temporaliter. Non enim ergo dicendum quod, quia reprobavit, in beneplacito ejus fuit

B ut non apponeret gratiam: sed quia reprobavit non in beneplacito fuit ut gratiam apponeret, ut semper præponatur negatio verbo, non postponatur: quia nil etiam Deo attribuitur cum dicitur, Deus hunc reprobavit, sed idem est ac si diceretur: Deus non voluit ut huic apponeretur gratia in tempore, et vita in futuro.

In quo etiam pariter solutum est quo quærebatur, *An Dei reprobatio sit causa temporalis obdurationis;* quod quidem sine scrupulo potest admitti. Nam quia reprobavit, obdurat, id est quia ab æterno non voluit misereri, non miseretur in tempore. Quod ergo dicitur, *Reprobatio est præscientia nequitiæ*, etc. quasi quædam descriptio est non vera diffinitio, et ita intelligendum est. Quotquot reprobantur a Deo,

C reprobantur Deo nequitiam præsciente et pœnam præparante. Si quis commodiorem viam solutionis invenit, non invideo, et forte potest alia solutionis via reperiri ad quam possumus induci ex eo quod Ambrosius dicit super Epistolam ad Romanos, reprobatio alia ab æterno, alia temporalis. Quæ autem temporaliter est idem est quod obduratio, vel defectio. Quæ autem ab æterno est, hoc est quod Deus præscit aliquem damnandum. Si enim reprobatio est ab æterno, quomodo non Deus? Quod si est, quis dicet nil Deo attribui cum dico, Deus est reprobatio Judæ, vel, Deus reprobavit Judam? Si quis tamen approbet priorem solutionem, de facili illam ad mentem hujus auctoris poterit retorquere

D dicendo, ideo dici reprobationem ab æterno; quia Deus ab æterno reprobavit quotquot reprobavit. Quæ autem ab Augustino super Malachiam prophetam dicuntur, dicunt quidam esse retractata (5), potest tamen exponi de temporali electione vel justificatione sic: *Cui vult miseretur, et quem vult indurat*, id est quem vult temporaliter eligit vel reprobat, *et hujusmodi Dei voluntas*, id est iste divinæ voluntatis effectus, *injustus esse non potest; venit enim de occultissimis meritis*, id est de occultis cau-

(1) Mag. I, d. 41.
(2) Hæc August. Mag. d. 41, §. d. et dist. præced., § ult.
(3) Libro LXXXIII, *Quæst.*, q. 68, quibusdam verbis mutatis.
(4) Al. *efficiuntur*, ut etiam infra habetur.
(4*) Lib. I, *ad Simplic.*, qu. secunda.
(5) Alludit ad c. 23 l. I, *Retract.*, in quo similia retractantur. Locus August. ex q. 68 inter 83, explicatur.

sis, id est de occulta Dei voluntate quam nomine meriti designat, quia, sicut ex meritis sequitur causaliter retributio, ita ex occulta Dei voluntate temporalis electio, id est gratiæ appositio : *Quia, cum ipsi peccatores propter generale peccatum unam massam fecerint*, de omnibus pro originali peccato facta sit quasi una massa perdita; *nonnulla tamen inter eos diversitas est : præcedit enim aliquid in peccatoribus*, scilicet voluntas Dei præveniens ipsos peccatores *quo*, id est qua voluntate *quamvis non justificati sunt, digni tamen efficiuntur justificatione* a voluntate sua, ita eos justificat ac si in eis præcederet quo digni essent justificatione, et item : *Præcedit in peccatoribus quo digni sunt obtusione.* Istud est planum. In omnibus enim indifferenter præcedit originale peccatum quo æque digni sunt obduratione (6) : de qua massa si aliquos eripiat Deus, misericordia est, si aliquos in ea relinquat, justitia.

Ex prædictis patet nil Deo attribui cum dicitur Deus istum reprobavit. Multo minus videtur aliquid attribui cum dicitur Deus isti subtrahit gratiam, vel istum obdurat, quod idem est, sicut de Pharaone legitur, *Ego induravi cor illius* (*Exod.* x). Quod tamen aliquid hac locutione Deo attribuatur, videtur quia idem est dicere Deus isti gratiam subtrahit, ac si diceretur facit ut non habeat. Cum A 51 autem Dei facere non sit aliud quam velle, idem videtur ac si dicatur, Deus vult ut non habeat gratiam, et sic videbitur hoc termino *vult* divina essentia prædicari, sed potius negative intelligendum est, *non vult ut habeat.*

Sed dicet aliquis, cum gratia subtracta non possit homo non ruere. Igitur judicium non debet homini imputari qui sine gratia nihil potest, sed Deo subtrahenti. Ad quod dicendum, quod non Deo sed homini imputandum est; quia merito hominis semper subtrahit gratiam. Verumtamen quamvis non mereretur homo sibi subtrahi gratiam, imputaretur ei; quia, cum gratis Deus apposuit ei, in nullo injurius deprehendi potest, si quando vult, subtrahit ei; et ex vitio hominis est quod statim ruit ex quo subtrahit. Quod per simile potest ostendi. Ecce paries domus meæ minatur ruinam. Mutuo accepi lignum a vicino meo ad fulciendum; ille gratis commodat, necessarium est ei lignum, pro voluntate sua tamen accepit, et statim paries ruit, non est ex vitio subtrahentis, sed potius ex vitio parietis quod ruit, nec vicinus meus in aliquo mihi injuriam facit. Ut autem quæ prædicta sunt de reprobatione et prædestinatione facilius ex sensu a quo omnis doctrina initium sumit, intelligentiæ renuntientur, et memoriæ commendentur, subjecta oculis figura quod dictum est declaratur.

c	*Prædestinatio*	Opposita	*Reprobatio*		ca
a	*causa*			*causa*	
u	*Justificatio.*	Opoosita	*Obduratio*		u
s	*causa*			*non causa*	
a	*Salvatio*	Opposita	*Damnatio*		sa

De Dispositione.

Sicut prædestinatio tantum est de hominibus salvandis, vel de bonis in præsenti vel in futuro eis conferendis, sic dispositio tantum de faciendis. Legitur enim in libro Sapientiæ : *Sapientia Dei attingit a fine usque in finem* (*Sap.* VIII), id est ab æterno usque in æternum immobiliter, *et disponit omnia suaviter*; dicit enim Gregorius (7) : « Multi voluntatem Dei peragunt, unde mutare contendunt, et ejus voluntati resistentes obsequuntur, dum divinæ dispositioni militat quod per humanum studium resultat. » Quidquid ergo ab hominibus fit, divinæ dispositioni militat; ergo Deus omnia disponit. Quod si detur, videtur sequi inconveniens sic : Deus omnia disponit, et non disponit nisi facienda; ergo omnia sunt facienda. Item, Deus disponit omnia; ergo disponit et bona et mala; ergo disponit C mala; ergo vult mala. Item, Deus disponit omnia et nulla male disponit; ergo omnia disponit; ergo omnia bene disponuntur a Deo : Nulla aliter disponuntur a Deo et aliter fiunt, ergo omnia bene fiunt. Item, omnia fiunt, Deo disponente; Deus nil nisi bene disponit; ergo omnia fiunt a bono dispositore, et bene disponente. Item, Deus omnia bene disponit; ergo omnia serviunt Deo quod et David dicit : *Omnia serviunt tibi* (*Psal.* CXVIII); ergo et diabolus servit Deo. Quod etiam videtur dicere Isaias : *Virga furoris mei* (*Isa.* x); et super Danielem nominatur columba Dei; item in Isaia, etiam ministri Dei. Quod tamen si quis recipiat, sic D videtur objiciendum. Diabolus servit, vel ministrat Deo in omnibus in quibus eum Deus sibi ministraturum disposuit, et prout Deus disposuit; ergo diabolus bene servit Deo; ergo ex charitate. Item dia-

(6) V. Aug. ep. 105, *De correp. et grat.*, c. 7, lib. I, *ad Simplic.* q. 2. *Ench.* 94. *De Prædest. et gr.*, cap. 3, 6 et 7. *De Prædest. Sanct.*, c. 8 et seq.

(7) Citatur a Mag. I, d. 47, § b.

bolus servit Deo; ergo aliquid opus ejus placet A Deo. Econtra tamen, nullum opus diabolus facit in quo non offendatur Deus; ergo nullum opus diaboli placet Deo. Item, Deus vult aut non vult ut faciat quæ præcepit. Si vult, cum in omnibus quæ facit diabolus **52** offendatur Deus; ergo Deus offenditur in his quæ vult fieri. Si Deus non vult ut faciat diabolus quod præcipit eum facere, ergo præcipit ut faciat? Item, diabolus servit Deo, ergo obedit ei.

Prædictis respondendum est per ordinem, et dicendum quod dispositio Dei accipitur pro providentia, ut cum dicitur : Sapientia Dei disponit omnia et prævidet omnia antequam fiant. Interdum pro providentia cum beneplacito secundum quod non est recipiendum quod Deus omnia disponat, nisi B sub hoc sensu, id est de omnibus disponit; quia tam de bonis quam de malis elicit Deus voluntatem suam, cum bonos remunerat et malos punit. Et ita hac extrema significatione frequentius et magis proprie accipitur pro providentia et beneplacito. Unde non videtur dandum, Deus omnia disponit nisi sub prædicto sensu hoc dicatur. Non est tamen negandum quin omnia serviant Deo. Nam omnia ei serviunt, id est ei præstant materiam laudis, et diabolus ei servit et approbat ejus opera quæ operatur, non quibus operatur; opera operata (8) ut dici solet, non opera operantia; quæ omnia mala sunt, quia nulla ex charitate. Sicut approbavit Deus passionem Christi illatam a Judæis et quod fuit opus Judæorum operatum; non approbavit opera C Judæorum operantia, et actiones quibus operati sunt illam passionem : pro actione enim diaboli offenditur Deus, sed non pro acto; nec vult Deus ut diabolus faciat eo modo quo facit quod præcipit ei facere Dominus.

Si tamen inveniatur scriptum quod præcipiat Dominus diabolo aliquid facere, sicut forte in libro Regum (cap. XXII) de deceptione Achab, de quo tamen post plenius agetur, non est intelligendum quod præcipiat quasi velit; vel si vult, ut faciat sicut facit. Licet enim faciat diabolus quod vult Dominus, non tamen facit sicut vult Dominus, et ideo semper peccat, nec servire diaboli est regnare. Istud enim dictum est de illo servitio quod si ex charitate, quod est causa regni; et regnat qui Deo D servit ex charitate; et super carnem et super hostes spirituales. Nec mirum si diabolus qui rationalis est creatura Deo serviat, cum etiam de irrationali creatura idem legatur; ut ibi, *Mare et ventus obediunt ei* (*Matth.* VIII), quia imperat eis ac si essent animata, et sæpe quasi ad animata ad ea dirigitur sermo. Unde Moyses : *Audite cœli quæ loquor* (*Deut.* XXXII); Isaias : *Audite cœli, et auribus percipe terra* (*Isa.* I). Dicuntur ergo eis obedire quia de eis ad nutum suum facit. Sicut in pharmacia materia dicitur obediens medicinæ, quia de ea et in ea operatur. Dicunt ergo omnia Deo servire, quia de omnibus Dei voluntas impletur et de malis quædam elicit Deus; ergo de omnibus et bonis et malis impletur Dei beneplacitum. Non tamen dispositio de omnibus est, sed de faciendis, scilicet de præmiis electorum et pœnis reproborum.

Hactenus ergo de his quæ supra posita sunt, id est de præscientia et prævidentia, dispositione et providentia, sapientia et scientia, prædestinatione et reprobatione (9). Præscientia igitur sive prævidentia, quod idem est, tam bonorum quam malorum est et futurorum tantum; providentia est gubernandorum, dispositio est faciendorum; et tantum bonorum si proprie accipiatur : Sapientia et scientia tam de bonis quam de malis, de præsentibus, de præteritis, de futuris, de temporalibus et æternis; prædestinatio est hominum salvandorum. Unde Apostolus : *Quos prædestinavit fieri conformes imagini Filii sui* (*Rom.* VIII); et bonorum quibus hic in præsenti ditantur et in futuro coronabuntur. Unde Isaias : *Oculus non videt, Deus, absque, te quæ præparasti diligentibus te* (*Isa.* LXIV). Reprobatio est de hominibus damnandis.

CAPUT XVII.

De hujusmodi nominibus diligendus, timendus, *an secundum essentiam de Deo dicantur?*

Solet quæri de hujusmodi nominibus, *diligendus, timendus*, an dicantur de Deo secundum essentiam. Cum enim ab æterno Deo conveniant, aut secundum essentiam, **53** aut secundum relationem. Certum est autem quod dicuntur secundum relationem æternam; ergo secundum essentiam dicuntur; ergo non dicuntur cum magis et cum minus, quia divina essentia non intenditur et remittitur. Item quia Deus est Deus, est diligendus; quia est Deus est timendus : ergo non est magis diligendus quam timendus. Item, quia est misericors est diligendus, quia est justus est timendus, non est magis misericors quam justus, et econtrario : ergo non est magis diligendus quam timendus; vel ita, æque justus est et misericors : ergo æque diligendus est et timendus. Econtrario tamen facile est ostendere quod magis est diligendus quam timendus. Misericordia ejus superexaltat judicium, et *Miserationes ejus super omnia opera ejus* (*Psal.* CXLIV). Ergo magis misericors est quam justus; ergo magis diligendus quam timendus. Item, diligendus est quia Deus, et diligendus quia homo; ergo magis diligendus quia Deus est et homo, quam quia est Deus. Item in Canticis super illum locum : *Qualis est dilectus meus ex dilecto Filius ex Patre* (*Cant.* V). Ex qua parte magis debet diligi quam timeri.

Sciendum est ergo quia hujusmodi nomina dicta de Deo divinam essentiam prædicant, et præterea quosdam effectus in creaturis notant. Sicut dictum

(8) Hinc conjice hanc *operis operati* nomenclaturam non ita neotericam esse ut quidam volunt; *quam etiam infra* usurpat capite 6, ult. libri, ubi de sacramentis.

(9) Mag. I, d. 35, § 1.

de istis nominibus *justus*, *misericors*. Cum enim A dicitur, Deus est diligendus, probatur dignitas qua est dignus diligi, quæ est divina essentia. Præterea subinnuitur quidam effectus in creaturis quo tenentur eum diligere. Similiter cum dicitur, Deus est timendus, probatur eadem dignitas, et subinnuitur alius effectus; ergo si secundum principalem significationem eis addatur, magis aut minus incongrua est locutio. Si vero ad effectus creaturarum referatur comparatio, verum est quod pro quibusdam tenemur eum diligere. Pro aliis magis timere, sicut dictum est de misericordia et de justitia. Cum vero addito ablativo dicitur, Deus est magis diligendus a nobis quam timendus, non probatur divina essentia. Sicut nec cum dico, Deus est creator, sed est solus, dignum est ut nos diligamus Deum. Nec B est mirum si de Deo fiat sermo, et per subinnuitionem non Deo, sed creaturæ aliquid tribuitur, sicut cum dicitur, Deus est creator, id est res, Deo volente, de non esse prodeunt ad esse. Si ergo quæratur utrum a nobis sit magis diligendus quam timendus, dicimus quia ita est. Motus enim dilectionis in nobis erga Deum omnes alios motus superare debet, et pro quibusdam diligendus est magis a nobis quam pro aliis, quia pro operibus recreationis magis quam pro operibus creationis. Sic forte magis tenemur eum magis diligere quia pro nobis passus quam quia Deus; sed non tenemur eum magis diligere, quia pro nobis passus est quam quia Deus; imo tenemur eum magis diligere quia Deus, C quam quia passus. Nam iste motus omnes debet excedere, et ita patet quia magis tenemur eum diligere quia Deus et homo quam quia Deus, sed non magis diligere. Quidam tamen recipiunt quod magis tenemur eum diligere, quia est Deus, quam quia est homo, vel quia passus. Quod ideo verisimile est quia quidquid beneficii nobis impendit in humanitate, totum fecit ex divinitate. Unde nihil est pro quo magis tenemur eum diligere, quam pro divinitate.

Si vero quæritur an sit magis diligendus quia Deus et homo, quam quia Deus? Si essentia divina probatur, incongrue dicitur; si ad effectum referas, verum est quod magis tenemur, quia Deus et homo, quam quia Deus, id est quam quia recreator; sed D non tenemur magis diligere. Fallacia; Deus est magnus quia Deus, et est magnus quia est homo: ergo major est, quia est Deus et homo quam quia Deus. Aliorum solutiones ex prædictis patent. Item, cum Deus diligendus sit quia creavit mundum; et longe incomparabiliter majus fuit generare Filium, longe amplius videtur diligendus, quia genuit Filium, ut videtur, et exhibenda ei videtur latria quia Pater, et eadem quia Deus, et multa alia inquiri possunt, quæ, quia inusitata sunt, sub silentio sunt prætereunda.

54 CAPUT XVIII.

De vocabulis abstractis, cujusmodi sunt, Deitas, paternitas.

Sunt alia vocabula de quibus dubium est an dicantur de Deo secundum essentiam, cujusmodi sunt omnia abstracta, ut divinitas, essentia, paternitas, filiatio, et hujusmodi proprietates: de quibus etiam sub speciali dubitatione relinquimus an de tribus personis dicantur secundum essentiam, an secundum relationem, quia si hæc secundum essentiam dicantur. Ergo Pater essentia sua est essentia, et Deitate Deitas est. Item, si Pater essentia sua est paternitas; ergo idem est ei esse Deum et paternitatem esse; ergo cum Pater, Filius et Spiritus sanctus sint unus Deus, ipsi sunt una paternitas; ita et Filius, et Spiritus sanctus est paternitas. Si vero secundum relationem dicitur; ergo nomine paternitatis refertur Pater ad Filium et Spiritum sanctum; et ita potest dici, Pater est paternitas Filii, quod incongrue videtur dictum. Ideo dicunt quidam hæc nomina excludenda ab illa regula, qua dicitur: *Omne quod de Deo dicitur, ab æterno vel secundum essentiam, vel secundum relationem dici.* Et de his quidem nominibus paternitas et filiatio certum voluimus esse quod non prædicant essentiam in Deo sicut mox patebit in tractatu *Relatorum*, licet nullum videamus sequi inconveniens, si hoc dicatur de his nominibus essentia, divinitas.

CAPUT XIX.

De his terminis, esse a Patre, Deus de Deo, *et hujusmodi.*

(10) Quæritur etiam de his terminis *esse a Patre*, *Deus de Deo*, an essentiam, an relationem prædicent? Videtur enim dici secundum essentiam esse a Patre; cum hoc tam de Patre quam de Filio, quam de Spiritu sancto posset dici. Quod si est, tota Trinitas est a Patre, sicut tota est unus Deus, ergo tota Trinitas est ab aliquo; ergo aliquid est principium Trinitatis. Item, quidquid habet Filius, habet a Patre, Filius est a Patre; ergo hoc habet a Patre quod est a Patre, et quidquid habet Filius habet a Patre; ergo Filius habet a Patre, habere a Patre esse a Patre; et ita in infinitum potest procedere ratiocinatio. Item, si dicatur illud tantum, *Deus de Deo*, dici secundum essentiam; ergo Pater, et Filius, et Spiritus sanctus unus Deus de Deo sunt, secundum regulam suprapositam: *Quidquid de Deo secundum essentiam dicitur, et de singulis personis dicitur singulatim, et de illis in summa singulariter non pluraliter.* Et alia est regula: *Quidquid in sancta Trinitate dicitur ad se, ut dicitur alterum sine altero:* ergo nec Filius sine Patre est Deus de Deo, sed secundum essentiam dicitur. Ideo dicunt quidam quod hi termini ab eisdem regulis sunt excipiendi.

Aliis videtur hujusmodi terminis figurari et divinam essentiam et relationem, ut ad ipsum quod dicitur Deus vel esse dicitur secundum essentiam. Quod autem dicitur *de Deo* vel *a Patre*, dicitur se-

(10) Magist. I, *Sent.*, d. 27.

cundum relationem, sicut supra dictum est, de hoc termino *potens generare*. Quæ opinio in hoc infirmari potest; quia secundum hoc essentia divina diceretur relative, quod tamen falsum est. Divina enim essentia nec gignit, nec gignitur, et ita post plenius docebitur. Possunt ergo alii hujusmodi terminis significare relationes; quia idem est dictu, Filius est Filius, ac si dicitur, Filius est Deus de Deo: et ita de Spiritu sancto; et cum hoc quidem dicitur de hoc termino *esse a Patre*, non videtur dici. Potest enim significari eadem relatio qua hoc nomen *Filius*, ut idem sit dicere, Filius est Filius, ac si dicatur, Filius est a Patre, et Spiritus S. est Spiritus sanctus, ac Spiritus sanctus est a Patre vel a Filio. Nullo enim modo est a Patre quo etiam non sit a Filio, et econtrario, et ita æquivoce dicitur
55 de Filio et de Spiritu sancto *esse a Patre*: sed cum dicitur de Patre quod ipse est a Patre, nil in Deo ponimus, imo potius removemus. Nam idem est acsi diceretur, Pater non est ab alio quam a se.

De hoc termino *Deus de Deo* dici potest quod nec secundum essentiam, nec secundum relationem probatur de Deo. Nam regula ista data est de incomplexis, et accipitur ibi hoc nomen *Deus* personaliter pro relativis, sed non relative. Nam idem est ac si dicatur Filius de Patre.

Et nota quod sicut dicit Augustinus (11), id solum dicitur illud de illo quod ambo sint, et secundum illud nomen potest fieri talis assignatio *hoc de hoc*: quod ambobus, vel potius tribus convenit. Non enim dicitur de Filio quia unus solus est ibi Filius. Nec mirum si tali junctura ponitur hoc nomen Dei personaliter. Nam et alibi ita invenitur positum, ut cum dicitur, Deus passus est, mortuus est, sepultus, et hujusmodi. In aliis etiam locutionibus nomina essentiæ sæpe ad significationes inveniuntur deducta, ut potentia Patri, sapientia Filio, bonitas vel dilectio Spiritui S. attribuitur, cum tamen quodlibet istorum de Deo secundum essentiam dicatur, nec sine ratione fit (12). Nam cum audisset homo in sacra Scriptura Deum vocari Patrem et Deum Filium, existimavit forte, vel æstimare posset, tale aliquid esse in Deo quale aliquid est in homine; quia non viderat Deum Patrem cum vidisset hominem. Nam inter homines Pater est prior Filio, et ex antiquitate in eo est defectus; Filius est posterior Patre, et ex posteritate in eo sensus imperfectio solet esse. Ne quis simile de Deo æstimaret occurrit Scriptura nominans Patrem potentem, Filium sapientem. Similiter Spiritus nomen est inflationis et superbiæ. Igitur humana conscientia propter rigorem et crudelitatem ad Deum metueret accedere, mox occurrit Scriptura eum vocans benignum et mitem. Ita Pater potens, Filius sapiens, Spiritus sanctus benignus vel diligens intelligitur. (13) Non quod solus Pater sit ibi potens, vel Filius ibi sit sapiens solus, vel Spiritus

(11) Aug., l. VI, *De Trinit.* cap. 2, sub finem.
(12) Mag. I, d. 34, § 7.
(13) Mag. I, d. 34, § 6, 7 et 8.

A solus sit ibi diligens; sed propter supradictas rationes appropriantur hujusmodi nomina Patris, appropriatione nominis, non rei; sunt et aliæ appropriationes quæ fiunt nomine et re, quas in fine sequentis capituli sub certo numero comprehendendo ponemus, et ad oculum sicut ex auctoritate Scripturarum collegimus, demonstrabimus: et quia supra de potentia satis disseruimus, de ea ad præsens nil dicemus, sed de sapientia et dilectione ut ita secundum ordinem de his quæ supra exorsi sumus, inchoemus scilicet de essentialibus vocabulis quæ personaliter accipiuntur.

CAPUT XX.

De his terminis, sapientia Patris, sapientia ingenita.

(14) Primo igitur volenti agere de sapientia Patris
B occurrit istud Apostoli tractandum: Christus est Dei virtus et sapientia (*I Cor.* I). Nam si Pater sapientia Patris est sapiens, et Filius est Patris sapientia; ergo Pater est sapiens Filio. Sed idem est Patri esse sapientem et esse; ergo Pater est Filio, non ergo Filius a Patre, sed Pater a Filio videtur esse. Quod Pater sit sapiens, sapientia Patris facile est ostendere sic: Pater est sapiens aliqua sapientia; ergo sua vel alterius sapientia, sed non est sapiens alterius sapientia; ergo Pater est sapientia sua sapiens; ergo sapientia sui, et ita Pater est sapiens sapientia Patris. Item, Pater unam solam habet sapientiam, quia ipse est sapiens, et quæ est sola sapientia Patris. Nulla est ergo sapientia Patris qua Pater sapiens non sit, et Pater est sapiens sapientia
C Patris quæ est Filius, et ita Filio. Ad quod dicendum quod Pater quidem sapiens est sapientia Patris. Sed iste terminus *sapientia Patris* æquivoce accipitur, potest enim intelligi intransitive inter notum et genitum, id est sapientia quæ est Pater, secundum quod verum est Patrem esse sapientem **56** sapientia Patris, id est illa sapientia quæ est Pater. Ille enim sapiens est tota Trinitas. Potest iterum intelligi transitive sapientia Patris, id est quæ procedit a Patre vel gignitur a Patre, quod proprie de Filio (qui est sapientia genita) dicitur; qui proprie sapientia Patris, quia eam genuit Pater, illa dicitur sapientia Patris, quia ea est sapiens Pater; et ita alia est ratio dicti cum dicitur sapientia Patris esse
D Filius, et alia cum dicitur esse essentia divina, quæ communis est Trinitati, quod ex diversitate construendi prudens inquisitor dignoscet.

(15) At dicet quis, secundum hoc non una sola est sapientia Patris. Quod etiam rationibus astruere conabitur. Sic Filius est sapientia Patris genita, qua Pater sapiens non est; est etiam Pater sapientia Patris ingenita et ea Pater sapiens est. Est ergo quædam sapientia Patris qua Pater sapiens est, et ipsa non est illa sapientia Patris, qua Pater sapiens non est; ergo non una tantum est sapientia Patris. Item sapientia ingenita est sapientia Patris, et sa-

(14) Mag. I, d. 32, § 3, etc. et etiam d. supra citata.
(15) Mag. supra § 6.

pientia genita est sapientia Patris. Non est aliqua sapientia genita, sapientia ingenita. Non est igitur tantum una sapientia Patris. Item Filius est sapientia Patris, nec Filius est sapientia sui, vel Spiritus sanctus; ergo Filius est sapientia solius Patris; ergo Filius non est sapientia trium personarum; ergo aliqua est sapientia Patris quæ non est trium personarum, et aliqua est sapientia Patris quæ est trium personarum; ergo non una sola est sapientia Patris. Hæc et similia inducuntur a quibusdam magis sophistice quam vere procedentibus ad ostendendum non unam solam esse sapientiam Patris. Cujus causa contrarium constat esse verum; scilicet quod una sola sit sapientia Patris: quia licet in Trinitate sit sapientia, quæ est communis toti Trinitati et quæ est ipsa Trinitas, qua qualibet persona in Trinitate est sapiens, sit etiam ibi Filius qui est sapientia Patris, ut testatur Apostolus (*ibid.*), qua sapientia Pater non est sapiens, nec sapientia qua genuit, cum sit illi non solum ut sit sapiens, sed etiam ut sit. Non tamen ideo duæ sunt sapientiæ, quia persona Filii quæ intelligitur, cum dicitur sapientia ingenita, una eademque sapientia est quæ essentia Dei est et intelligitur tribus personis. Filius enim qui est sapientia Patris, qua Pater sapiens non est, est ea sapientia qua Pater sapiens est, id est essentia divina (16); quod potes videre per similem. In Trinitate est dilectio, quæ est Pater et Filius et Spiritus sanctus, et tamen Spiritus sanctus proprie dicitur dilectio Patris, quæ non est Pater vel Filius, sicut nec Spiritus sanctus est Pater vel Filius; nec ideo tamen duæ sunt dilectiones, quia dilectio Patris, quæ proprie Spiritus sanctus est, etiam est dilectio, quæ tota Trinitas est: sicut Spiritus sanctus est essentia, quæ est Trinitas, non est Trinitas, ita adaptabis in sapientia.

At iterum oblatrabit quis: Eadem sapientia est sapientia genita et sapientia ingenita: ergo eadem sapientia est genita et ingenita, fallacia. Idem Deus est Deus genitus et Deus ingenitus; ergo idem Deus est genitus et ingenitus. Solutionem orationis, quia jam dicta est, non est opus iterare. Replicatio enim verborum potius dispendium prolixitatis et perturbationem mentis generat, vel in doctrina, vel in Scriptura, quam promoveat vel exerceat.

Item Filius est tantum sapientia quæ est communis tribus personis. Illa nec gignit, nec gignitur: ergo Filius illa sola sapientia quæ nec gignit nec gignitur; ergo Filius est sola sapientia quæ non gignitur et ita quæ non est genita, et sic Filius est sapientia quæ non est genita. At Filius est una sapientia, et nulla quæ non est, sit illa: ergo Filius nulla sapientia est quæ sit genita; ergo non est sapientia quæ est genita. Item, Pater et Filius sunt una sola sapientia quæ non est genita, Pater non est sapientia quæ sit genita; ergo Filius non est sapientia quæ est genita. Ad hoc dicendum quod

A quando hoc nomen sapientia per se ponitur, id est absque dictione quæ faciat ipsum accipi personaliter, ad essentiam refertur: sed cum adjunctis *genitus et ingenitus*, et **57** hujusmodi, ad personas deducitur, ut sapientia genita pro solo Filio dicatur; sapientia ingenita pro solo Patre, nisi quis hoc nomen *ingenitus* ita accipiat, ut potius removeat quam ponat. Tunc forte enim essentiam figurat quæ ingenita est, id est non genita. Ita etiam cum dicatur *sapientia de sapientia* ex ipsa junctura locutionis patet unum pro Patre, alterum dici pro Filio. Sed quando interposito nomine relativo, quo mediante, adjunguntur ei prædicta nomina, ut cum dicitur Filius est sapientia quæ est genita, vel est sapientia quæ non est genita, non ita perspicuum est, an essentialiter an personaliter teneatur. B Si enim essentialiter ponatur, verum est Filium esse sapientiam quæ non est genita, id est divinam essentiam quæ nec gignit nec gignitur; si vero personaliter ponatur, quod videtur ex adjuncto, non est verum Filium non esse sapientiam, quæ non est genita. Imo Filius est Filius qui est genitus, et ita Deus qui est genitus, vel sapientia quæ est genita.

Facile tamen est ad hoc ratiocinari. Sapientia quæ est Deus non est genita, illa est Filius ergo sapientia quæ est Deus et non est genita, est Filius. Item, Pater et Filius sunt sapientia non genita; ergo Filius est sapientia quæ non est genita. Item, Filius est sapientia quæ est genita, ergo Filius est sapientia, et illa est genita, quod videtur verum. C Eo quod hoc nomen *sapientia* ibi per se positum sine adjuncto, ad essentiam videtur referendum, quæ essentia nec gignit, nec gignitur. Ideo nec nomen sine distinctione idem affirmandum vel negandum, ut si indissonanter sophista fecerit syllogismum ridiculus appareat. Filius est sapientia quæ non est ingenita; ergo Filius est sapientia quæ non est sapientia ingenita; vel ita, sapientia communis tribus personis non est genita; ergo non est sapientia genita, fallacia ad utrumque. Filius est Deus qui non est genitus. ergo est Deus qui non est Deus ingenitus. Ad secundum sic divina essentia non est genita; ergo non est Deus genitus. Et ad omnia argumenta quæ hic formari possunt, ut his terminis, instantiam invenies D generalem, si habitudines argumentationum et complexiones diligenter inspexeris.

(17) Quæri solet an Pater sit sapiens sapientia genita vel ingenita? et quod non sit sapiens genita, patet tum ex prædictis, tum ex hoc etiam; quia cum hæc locutio duobus modis tantum possit resolvi, *Pater est sapiens sapientia genita*, id est sapientia genita, vel per sapientiam genitam, utrumque constat esse falsum; quia nihil habet Pater a Filio, imo Filius quidquid habet, habet a Patre. Quod etiam Pater non sit sapientia ingenita sapiens, ita volunt ostendere: Pater est sapiens tantum illa sapientia quæ communis est tribus personis · ergo non est sa-

(16) Ita Mag. supra § 7.

(17) Mag., § 3.

piens sapientia ingenita. Cui sic potest instari : Filius est tantum per divinitatem ; ergo non est per Patrem ; ergo Pater est sapiens, sapientia ingenita, id est seipso. A seipso enim sapiens est et a se est. Cum enim dicitur Pater a nullo est, intelligendum est a nullo alio. Potius tamen hoc negative dicitur. Pater est a se, id est non ab alio, sicut Filius ab alio, id est a Patre.

(18) De Filio etiam quæritur : An sit sapiens sapientia genita, vel sapientia ingenita, id est sapientia ingenita, id est a Patre, a quo etiam habet ut sit Deus, vel est sapiens per sapientiam ingenitam, id est Patrem per quem etiam est. Utrum autem sit Filius sapientia genita sapiens, hic in disputatione esse potest. Si enim intelligatur hæc præpositio, *A*, ut ita resolvas : Filius est sapiens a sapientia genita ; falsum ; quia non a se est Deus, sed a Patre. Si vero ita resolvas, Filius est sapiens sapientia genita, id est seipso, nil per se ipsum simpliciter et absque determinatione concedunt quidam. Filius enim est Deus per se et est per se et non est a se, vel de se : quod confirmatur auctoritate Hilarii (19) : « Naturæ cui contradicis hæretice, hæc est unitas ut ita per se agat Filius ut non a se agat. » Alii distingunt cum proponitur, Filius est sapiens seipso vel per seipsum. Si enim sui natura et essentia sapiens intelligatur, verum **58** est; si vero a se vel de se, falsum. Et quod dictum est de Filio intelligendum est de Spiritu sancto.

Ut ergo brevi intelligamus, sunt quatuor propositiones, quarum quælibet dupliciter est intelligere. Pater est sapiens sapientia genita utroque modo exposita, falsum est. Pater est sapiens sapientia, utroque modo exposita, vera sive per se, sive per alium. Filium est sapiens sapientia genita, si per, A, resolvas, falsum est; si vero per hanc præpositionem, *per*, verum dicis, ut ait Hilarius, Filius sapiens sapientia ingenita utroque modo vera. Quidam tamen dicunt quod nec sapientia genita nec sapientia ingenita Pater vel Filius dicendus est, quia nec Pater nec Filius sapiens est, nec sapientia convenit tribus personis; quæ nec genita, nec ingenita, nec procedens dici debet, quia sapientia illa, id est divina essentia indistincta est. Hujusmodi autem voces, genita, ingenita, procedens, proprietates significant. Si tamen hoc nomen ingenitus removeat et non ponat ut idem sit dicere sapientia ingenita de se dicatur sapientia non genita, pro essentia potest accipi ut quibusdam placet. De hoc nomine tamen ingenitus postea latius tractabitur.

CAPUT XXI.

Quid significetur hoc verbo, diligit, *cum dicitur*, Pater diligit Filium?

(20) Sicut sapientia Filio appropriatur nomine A non re, ita bonitas vel dilectio Spiritui sancto. Unde notandum est diligenter, quia qua ratione dicitur Pater est sapiens sapientia quam genuit; quia si diceretur ea esse sapiens, non ipsa ab eo, sed ipse ab ea intelligeretur esse ; ita pariter non debere concedi quod Pater vel Filius diligat dilectione, quæ tantum Spiritus sanctus est; quia, cum idem sit ibi diligere quod esse, si ea diligit Pater vel Filius; non Spiritus sanctus videtur esse a Patre et Filio, sed Pater et Spiritus sanctus (21). Ad quod ita objicitur : Idem est tam Patri quam Filio diligere et esse; Pater et Filius diligunt Spiritu sancto ; ergo sunt Spiritu sancto. Item Pater et Filius eo sunt quo diligunt, sed diligunt Spiritu sancto ; ergo sunt Spiritu sancto. Quod ergo Pater Filium di- B ligat Spiritu sancto, dicit Augustinus sic (22) : « Manifestum est quod non aliquis duorum est quo uterque conjungitur ; quo genitus a gignente diligitur genitoremque suum diligit : suntque non participatione, sed essentia sua neque dono superioris naturæ (23), sed suo proprio servantes unitatem Spiritus in vinculo pacis. » Hic manifeste videtur dicere tres esse unum qui diligitur, et tertium quo se illi diligunt, neutrum eorum esse qui se diligunt. Et apertius etiam quando subjungit, quod diligunt, sed proprio dono, id est Spiritu sancto quod est proprium donum Patris et Filii. Alibi etiam dicit Augustinus (24) : « In illa Trinitate quis audeat dicere Patrem et Filium non diligere, nisi per Spi- C tum sanctum scilicet. » Difficile quidam hanc quæstionem ad unguem explanare, nec nos quidem aliquid novi adinvenire, ne in cœlum os ponamus, ausi sumus. Quod tamen ab aliis in solvendo audivimus in medium deducimus. Dicunt quidam non esse admittendum, Pater et Filius diligunt se Spiritu sancto, id est unanimiter et concorditer operantur benignitate sua : quæ benignitas in sacra Scriptura Spiritui sancto attribuitur. Secundum hoc nil attribuitur Patri vel Filio, cum dicitur Pater et Filius diligunt se Spiritu sancto, sicut nec cum dicitur, Pater et Filius creant animas, sed quia secundum hoc Pater et Filius ex tempore et non ab æterno diligunt se Spiritu sancto.

Melius dicunt alii hoc verbum *diligere* non esse D ibi positum tropice, sed etiam propria significatione, ut sit sensus, Pater et Filius diligunt se Spiritu sancto, id est benignitate sua; quia Spiritui attribuitur benignitas. Ponitur ergo divina essentia sive dicitur, Pater diligit Filium Spiritu sancto, sive, Filius diligit Patrem Spiritu sancto, sive dicatur, Pater et Filius diligunt se Spiritu sancto, vel Spiritus **59** sanctus diligit Patrem et Filium Spiritu sancto, vel quocunque alio modo fiat variatio. Quod ergo ab Augustino (25) dicitur ita exponendum vi-

(18) X, L. Mag., § 4 et 5.
(19) De *Trinit.* post medium.
(20) Mag. I, d. 32, § 1 et 2.
(21) Forte, *sed Pater et Filius a Spiritu sancto.*
(22) *Aug.*, l. IV. *De Trinit.*, c. 5, ab initio.
(23) Apud August. *alicujus* loco *naturæ*.
(24) Lib. XV *De Trinit.* c. 7, sed paulo aliter apud Aug. ibid.
(25) Ubi supra.

detur: « Sunt servantes unitatem Spiritus in vinculo pacis, » id est diligunt se. Et est satis familiaris usui expositio; solet enim dici de duobus qui vinculo pacis astringuntur; quod servant unitatem Spiritus, imo qui sunt unus Spiritus. Est ergo sensus, servant unitatem Spiritus in vinculo pacis, id est diligunt non participatione, id est non participata dilectione, quæ est eorum essentia, neque dono superioris alicujus diligunt se, id est non habent hanc dilectionem ab aliquo superiori, qui non habent superiorem, sicut nos idipsum quod diligimus a superiori habemus, sed suo proprio dono se diligunt, id est essentia quæ proprium donum eorum, id est Spiritus sanctus proprio dono, id est propria benignitate, quæ appropriatur eorum dono et Spiritui sancto, significat communem benignitatem trium, sed personaliter positum prædicat notionem, vel potius cum notione.

Quidam tamen aliter volunt construere, sic, *servant unitatem pacis*, id est vinculo Spiritus, id est per vinculum Spiritus, id est per Spiritum sanctum qui est vinculum amborum. Et ita expressius videtur dicere Augustinus quod diligunt se per Spiritum sanctum. Sed, si ita exponitur, nihilominus congruit prædictæ expositioni, quia servant unitatem pacis per vinculum Spiritus, id est per vinculum benignitatis quæ appropriatur Spiritui sancto. Non enim dicitur Spiritus ineffabile vinculum Patris et Filii, nisi quia illi appropriatur benignitas, quæ est ineffabile vinculum, ut non per Spiritum sanctum personaliter intelligatur Pater et Filius connexi, sed per benignitatem quæ appropriatur Spiritui, quæ nonnisi essentia divina potest intelligi. Huic tamen contrarium videtur quod ait Augustinus (26): « Illa tria unum sunt propter Patrem, æqualia propter Filium, connexa propter Spiritum sanctum. » Si tamen diligentius attendantur duæ præcedentes clausulæ, nil erit quod movere possit initio dictum. Sicut enim liquido apparet esse falsum juxta superficiem verborum: illa tria esse unum propter Patrem, æqualia propter Filium: (non enim unum sunt propter Patrem, sed propter unitatem quæ Patri attribuitur; nec sunt æqualia propter Filium, sed propter æqualitatem quæ Filio attribuitur.) Ita perspicacius intuenti liquido apparebit falsum, illa tria esse connexa propter Spiritum sanctum. Non ita intelligas, id est per benignitatem quæ Spiritui sancto attribuitur. Quare autem Patri unitas, Filio æqualitas attribuatur, nonne supra diximus nos de hujusmodi appropriationibus tractantes? Sic ergo ad prædicta secundum quosdam respondebitur. Ut ubicunque invenietur Pater et Filius diligunt se Spiritu sancto, scilicet nomine Spiritus sancti, benignitas Spiritus sancti intelligatur.

At dicet aliquis, si Pater dicitur diligere Spiritu A sancto, quia diligit dilectione communi tribus personis, quæ appropriatur quandoque Spiritui sancto, ergo Pater dicendus est sapiens Filio, quia est sapiens sapientia communi tribus personis quæ attribuitur Filio. Ad quod dicendum quod non ideo provenit; quia, quamvis quod commune est utrique conveniat, non tamen communitatis signum est in Filio, sicut in Spiritu sancto: Spiritus sanctus namque ad utrumque refertur, quia ab utroque procedit, Filius tantum ad Patrem. Item Augustinus ait (27): Si Pater est sapiens sapientia genita, ipsa non est a Patre, sed Pater est ab ipsa. Si igitur Pater est sapiens sapientia communi tribus personis, Pater est ab ipsa, non enim ipsa a Patre, etsi est ab ea. Ergo per generationem vel alio modo, B ideo ita exponimus: Si Pater est sapiens sapientia genita, cum ipsa sit ab alia persona, et alia persona sit ab ipsa, ipse Pater ab ea, non ipsa est a Patre. Hoc de sapientia communi tribus personis dici non potest, cum nulla persona sit ab ea.

Alii dicunt eamdem notionem prædicari cum dicitur, Pater et Filius diligunt se Spiritu sancto; et cum **60** dicitur, Pater et Filius sunt principium Spiritus sancti ut idem sit dicere, Pater et Filius diligunt se Spiritu sancto ac si dicatur, Pater et Filius uniuntur inspirando Spiritum sanctum; scilicet Pater diligit Filium Spiritu sancto, id est spirat Filio Spiritum sanctum, qui est amborum communio similiter Filius diligit Patrem Spiritu sancto, C id est spirat Spiritum sanctum qui est amborum communio, vel Pater diligit Filium Spiritu sancto, id est spirat Spiritum sanctum ad Filium, id est dat Filio quod Filius spirat Spiritum sanctum. Cum ergo dicitur, idem est Patri diligere et esse, Pater diligit Filium Spiritu sancto, ergo est Spiritu sancto, fallacia est æquivocationis. Nam hoc verbum *diligo* prius prædicat divinam essentiam, post, cum assumitur, significat relationem. Cum enim per se dicitur, Pater diligit Spiritu sancto, falsum est, quia essentia ponitur; sed, addito accusativo, ad significationem relationis transfertur. Ideo sic instant: Idem est Deo esse et posse; Deus potest omnia; ergo est omnia. Cum vero dicitur, Pater et Filius eo sunt quo diligunt bonum, recipiunt; quia D essentiam significat hoc verbum *diligunt*, si quæstio sit neutrius generis. Cum vero assumitur Pater et Filius diligunt se Spiritu sancto, aliud assumitur quam sit propositum, quia medius terminus dissimiliter accipitur; ideo ita instant: Non est nisi Pater per quem Filius est, sed Filius per se est; ergo Filius est Pater; sed his qui hoc dicunt difficile est dicere quid prædicetur his propositionibus, Spiritus sanctus diligit Patrem vel Filium, vel Spiritum sanctum Spiritu sancto; Pater vel Filius diligit Spiritum sanctum Spiritu sancto, quia non potest his prædicari relatio, cum per relationem non

(26) Lib. I *De doctrina Christ.* c. 5, *Tria hæc unum: omnia propter Patrem; æqualia omnia propter Filium; connexa omnia propter Spiritum sanctum.*

(27) Hæc apud Mag. dist. 32, § 3.

tum, ut Filius, aut factum et genitum ut lapis, aut factum et genitum et renatum ut homo, aut factum et genitum, sed non renatum ut brutum animal.

CAPUT XXX.

De communi Patris et Filii notione, id est de spiratione.

(84) Post hæc de communi notione Patris et Filii dicendum est, id est de principio. Sciendum est igitur quod tropica est locutio cum dicitur: *Pater et Filius sunt unum principium Spiritus sancti;* et duplicem facit intellectum. Potest enim intelligi vel quod Pater et Filius uno modo spirant Spiritum sanctum, vel quia una notione spirant Spiritum sanctum, ut notetur, vel identitas modi, vel identitas notionis. Illa notio *spiratio* dicitur, et est istud verbum in ore B hominis, licet non authenticum, imo usui odiosum videtur; cum dicatur ab utroque spirans flamen; et analogiæ grammaticorum qui hoc verbo absoluto utuntur quando utuntur, quando proprie ponitur non transitive. Nos tamen cum aliis dicamus: Cum Pater et Filius spirant Spiritum sanctum, cum hoc habeant commune, id tamen habet Filius a Patre quod spirat Spiritum sanctum. Nam quidquid habet, a Patre habet. Cum ergo et Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sit principium; alio modo dicitur hoc de Patre, **80** alio de Filio, alio de Spiritu sancto. Pater dicitur principium Filii generatione, unde ab æterno est ejus principium. Est etiam Pater principium Spiritus sancti spiratione. Unde ab æterno est ejus principium. Est etiam principium creatu- C rarum creatione quæ est non in Patre sed in creaturis; et tunc significat temporalem relationem quæ est in creatura non in Creatore: et, secundum hoc, Pater in tempore cœpit esse principium creaturæ. Sed cum de Filio dicitur, tantum duo potest significare; vel spirationem quæ notatur cum dicitur, *Filius est principium Spiritus sancti;* vel creationem quæ significatur cum dico, *Filius est principium creaturæ*, et est ista relatio in creatura, non in Creatore. Spiritus sanctus uno solo modo dicitur principium creaturarum: scilicet ex tempore non ab æterno. De Patre igitur tribus modis dicitur; de Filio duobus, de Spiritu sancto uno solum modo: et hoc potes videre in subjecta figura (85).

Quæri autem potest, cum Pater et Filius una spi- D ratione spirent Spiritum sanctum, an sint Pater et Filius unum principium Spiritus sancti, an plura? et ad hoc ita objicitur: In eadem significatione dicitur hoc nomen *principium*, de Patre et Filio, Pater et Filius est principium Spiritus sancti, ergo Pater et Filius sunt principium Spiritus sancti, vel principia. Si sunt Pater et Filius principium Spiritus sancti, cum idem sit utrique esse principium Spiritus sancti, et esse personam spirantem Spiritum sanctum, ergo Pater et Filius sunt una persona spirans Spiritum sanctum. Item, idem est esse principium Spiritus sancti et esse auctorem Spiritus sancti, Pater et Filius sunt principium Spiritus sancti, ergo sunt unus auctor Spiritus sancti. Ergo una persona. Item, Pater et Filius sunt unum principium Spiritus sancti, ergo sunt unum principium, quod est Spiritus sanctus, ergo Spiritus sanctus est principium Spiritus sancti. Si sunt unum principium, quod non est Spiritus sanctus, ergo Pater et Filius sunt aliquid quod est principium Spiritus sancti, et non est Spiritus sanctus, ergo sunt aliquid quod non est Spiritus sanctus.

Sed ut multas objectiones sub paucis coarctemus, hujusmodi quæstionis difficultas expediri non potest, nisi hujusmodi nominis *principium* diversæ appositiones aperiantur quas facere posse videtur in prædicato positum. Hoc igitur nomen vel apponit essentiam, vel personam cum notione, vel notionem puram. Si essentiam apponeret, constaret falsum esse, *Pater est principium Spiritus sancti*. nam hic esset sensus, id est *essentia quæ spirat Spiritum sanctum*, cum essentia nec gignat nec gignatur, nec procedit, nec spiretur. Quod enim invenitur scriptum (86): *Pater est principium deitatis totius* (unde volet quis habere quod divina essentia procedat a Patre), ita intelligendum, id est, Pater est principium Filii et Spiritus sancti, in quibus est tota deitas. Constat igitur hoc nomine non prædicari essentiam. Si vero eo prædicetur persona cum notione, verum quidem est et Patrem et Filium esse principium Spiritus sancti, id est personam spirantem Spiritum sanctum; sed cum Pater alia sit persona spirans Spiritum sanctum quam Filius, erit Pater aliud principium Spiritus sancti quam Filius; et ita Pater et Filius erunt duo principia Spiritus sancti. Quod negat Augustinus dicens (87): « Sicut Pater et Filius ad creaturam relative unus Creator et unus Dominus noster, ita relative ad Spiritum sanctum unum principium sunt sicut unus Creator et unus Dominus. »

Relinquitur ergo quod hoc nomen notionem significat, ex quo nec essentiam nec personam cum notione apponit, sed notionem illam potest duobus modis significare, vel adjective, sive concrete... vel copulando; vel subjective, aut mathematice, aut non copulando. Verbi gratia hoc nomen *Pater*, vel *albus*, vel aliquod tale adjectivum significat talem proprietatem et eam copulat et adjective eam significat. Hoc nomen *albedo*, vel *paternitas* significat mathematice, et non copulando, et subjective, cum sint subjecta. **81** Hoc igitur nomen *principium*, cum significet spirationem, significat eam copulando, sicut hæc dictio *spirans;* et ita adjective, quod si est, non videtur congrue dici Pater et Filius sunt principium Spiritus sancti, cum non sint cui inni-

(84) Mag. I, d. 29, per totam; item dist. 11, 12, etc. eod. lib.
(85) Non exstat in nostro codice.
(86) Apud August. l. IV, *De Trinit.*, Mag. I, d. 29, § 1.
(87) Lib. V, *De Trinit.*, c. 14, sub fin.

tatur hæc dictio *principium* adjective posita. Sicut incongrue dicitur Pater et Filius sunt spirans Spiritum sanctum, vel Socrates et Plato sunt bonus. Unde illi argumentationi qua hoc concludebatur, in his posset ferri instantia. Multo minus videtur congrue dictum, Pater est aliquod principium Spiritus sancti vel unum; cum dictionibus adjective positis incongrue complentur hæc nomina *unum, aliquod*. Quis enim, dicit Socrates, est aliquis albus homo? multo minus potest fieri relatio ad hanc dictionem per *quid*, vel per *quod*, cum hoc nomen non referatur nisi ad dictionem positam subjective, quemadmodum in naturalibus secundum quosdam, cum dico *dies est tempus*, cum hoc nomen *tempus*, quod substantivum est, adjective ponitur, non recipit adjunctionem hujus nominis *unum*, vel relationem hujus nominis *quod*, ut dicatur *dies est aliquod tempus*, vel tempus quod est, vel quod non est. Similiter statua est opus hominis; secundum alios non potest dici aliquod opus hominis, vel opus quod est, vel quod non est.

Si vero dicatur hoc nomine significari relationem eo modo quo significatur hoc nomine *spiratio*, id est mathematice; verum quidem est quod Pater et Filius sunt unum principium Spiritus sancti quod non est Spiritus sanctus, id est una spiratio Spiritus sancti quæ non est Spiritus sanctus: sed secundum hoc, cum idem sit Patrem esse principium Spiritus sancti, et esse spirationem Spiritus sancti; sicut non est idem Patrem esse Patrem, et esse paternitatem, non erit idem Patrem esse principium Spiritus sancti et spirare Spiritum sanctum, nisi dicatur quod hoc nomen *principium* æquivoce significat illam proprietatem, et adjective et substantive; cum tamen eam magis significare videatur substantive, cum sit substantivum. Ad hoc quidam dicunt (in parte recedentes a consideratione grammaticorum, non ex toto tamen) quod cum dico, *Pater et Filius sunt principium Spiritus sancti*, hoc nomen relationem significat et copulat et apponit, et non personam vel essentiam. Illi non recipiunt, *Divina essentia est principium Spiritus sancti*, sicut *divina essentia est Pater Filii*. Nam cum hoc nomen *Pater* apponat personam cum notione, hoc nomen *principium* solam notionem apponit. Nec minus tamen congrue ponitur cum eo hoc nomen *unum* causa majoris expressionis, cum dicitur, *Pater et Filius sunt unum principium Spiritus sancti*, ut per hoc ostendatur quod Pater eadem spiratione spirat Spiritum sanctum qua et Filius, non ideo tamen admittunt relationem ut dicatur, *Pater est principium Spiritus sancti, quod est vel non est Spiritus sanctus;* sicut ista duo differant genere vel specie; non tamen genere quod est, vel quod non est.

At dicet aliquis, Pater et Filius sunt unum principium Spiritus sancti; nulla spiratione spirat Pater (Spiritum sanctum scilicet) qua non spiret Filius Spiritum sanctum; ergo Pater et Filius sunt idem principium Spiritus sancti; ergo Pater est principium Spiritus sancti quod est Filius; eadem ratione, Pater est principium Spiritus sancti quod est vel non est Spiritus sanctus. Ad quod ipsi dicunt quod nil nocet si recipiatur quod Pater et Filius sunt idem principium Spiritus sancti, id est eadem spiratione spirant Spiritum sanctum; sed quando ponitur ibi *quod est*, non admittendum sicut homo idem est genere cum asino, non tamen homo est idem genere quod est asinus vel non asinus. Magister tamen meus (88) in nullo volens detrahere veritati theologiæ propter grammaticorum considerationem conservandam, longe ulterius hic progreditur, dicens quod Pater est principium Spiritus sancti, *quod non est Spiritus sanctus*, passim admittens relationem; et quod Pater est principium Spiritus sancti *quod est Filius*, sub hoc sensu, **82** id est Pater est spirans Spiritum sanctum, et Filius eadem notione est spirans, et prædicatur ibi hoc nomine *principium* spiratio, et copulatur, et adjective ponitur ibi hoc nomen et ad ipsum fit relatio per hoc nomen *quod;* quod in naturali facultate nequaquam reperitur ut ad nomen adjective positum fiat relatio per hoc nomen *quod*. Si quis ergo inferat ita, Pater est aliquod principium Spiritus sancti quod non est Spiritus sanctus; ergo aliquid quod est principium Spiritus sancti et non est Spiritus sanctus. Fallacia. Pater est aliquis generans qui non est Filius; ergo est aliquid quod est generans et non est Filius, quod falsum est; nisi dictio neutrius generis scilicet *aliquid* accipiatur personaliter: *aliquid*, id est *aliqua persona*, sic etiam reciperet, ipse Pater est aliquid quod est principium Spiritus sancti et non est Spiritus sanctus, et aliqua persona quæ est principium Spiritus sancti et non est Spiritus sanctus. Quo tamen dato, si quis inferat, ergo Pater est aliquid quod non est Spiritus sanctus; in eodem instaret sic, Pater est aliquid quod generat et non est Filius; ergo est aliquid quod non est Filius.

Item contra hoc ita objicitur, idem est Patri esse principium Spiritus sancti et spirare Spiritum sanctum, et Filio similiter; Pater et Filius sunt unum principium Spiritus sancti; ergo sunt unum spirans Spiritum sanctum. Vel ita, idem est tam Patri quam Filio esse principium Spiritus sancti et spirare Spiritum sanctum, Pater et Filius sunt spirantes Spiritum sanctum; ergo sunt principia Spiritus sancti; sed manifestum est hoc non esse recipiendum: videretur enim pluralitas intelligi, vel circa modos vel circa spirationes. Cum tamen apponitur hæc dictio *spirans* pluraliter, non ponitur pluraliter significatione, sed voce, ut supra ostensum est, in omnibus verbis quæ de Deo dicuntur secundum essentiam, quæ pluraliter, prolata singularia sunt

(88) Petrus scilicet Lombardus, I, d. 29 sub fin. Si tamen ad hunc locum alludat, et non ad alium qui jam non exstat.

tum, ut Filius, aut factum et genitum ut lapis, aut factum et genitum et renatum ut homo, aut factum et genitum, sed non renatum ut brutum animal.

CAPUT XXX.

De communi Patris et Filii notione, id est de spiratione.

(84) Post hæc de communi notione Patris et Filii dicendum est, id est de principio. Sciendum est igitur quod tropica est locutio cum dicitur: *Pater et Filius sunt unum principium Spiritus sancti;* et duplicem facit intellectum. Potest enim intelligi vel quod Pater et Filius uno modo spirant Spiritum sanctum, vel quia una notione spirant Spiritum sanctum, ut notetur, vel identitas modi, vel identitas notionis. Illa notio *spiratio* dicitur, et est istud verbum in ore hominis, licet non authenticum, imo usui odiosum videtur; cum dicatur ab utroque spirans flamen; et analogiæ grammaticorum qui hoc verbo absoluto utuntur quando utuntur, quando proprie ponitur non transitive. Nos tamen cum aliis dicamus: Cum Pater et Filius spirant Spiritum sanctum, cum hoc habeant commune, id tamen habet Filius a Patre quod spirat Spiritum sanctum. Nam quidquid habet, a Patre habet. Cum ergo et Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sit principium; alio modo dicitur hoc de Patre, **80** alio de Filio, alio de Spiritu sancto. Pater dicitur principium Filii generatione, unde ab æterno est ejus principium. Est etiam Pater principium Spiritus sancti spiratione. Unde ab æterno est ejus principium. Est etiam principium creaturarum creatione quæ est non in Patre sed in creaturis; et tunc significat temporalem relationem quæ est in creatura non in Creatore: et, secundum hoc, Pater in tempore cœpit esse principium creaturæ. Sed cum de Filio dicitur, tantum duo potest significare; vel spirationem quæ notatur cum dicitur, *Filius est principium Spiritus sancti;* vel creationem quæ significatur cum dico, *Filius est principium creaturæ*, et est ista relatio in creatura, non in Creatore. Spiritus sanctus uno solo modo dicitur principium creaturarum: scilicet ex tempore non ab æterno. De Patre igitur tribus modis dicitur; de Filio duobus, de Spiritu sancto uno solum modo: et hoc potes videre in subjecta figura (85).

Quæri autem potest, cum Pater et Filius una spiratione spirent Spiritum sanctum, an sint Pater et Filius unum principium Spiritus sancti, an plura? et ad hoc ita objicitur: In eadem significatione dicitur hoc nomen *principium*, de Patre et Filio, Pater et Filius est principium Spiritus sancti, ergo Pater et Filius sunt principium Spiritus sancti, vel principia. Si sunt Pater et Filius principium Spiritus sancti, cum idem sit utrique esse principium Spiritus sancti, et esse personam spirantem Spiritum sanctum, ergo Pater et Filius sunt una per-
A sona spirans Spiritum sanctum. Item, idem est esse principium Spiritus sancti et esse auctorem Spiritus sancti, Pater et Filius sunt principium Spiritus sancti, ergo sunt unus auctor Spiritus sancti. Ergo una persona. Item, Pater et Filius sunt unum principium Spiritus sancti, ergo sunt unum principium, quod est Spiritus sanctus, ergo Spiritus sanctus est principium Spiritus sancti. Si sunt unum principium, quod non est Spiritus sanctus, ergo Pater et Filius sunt aliquid quod est principium Spiritus sancti, et non est Spiritus sanctus, ergo sunt aliquid quod non est Spiritus sanctus.

Sed ut multas objectiones sub paucis coarctemus, hujusmodi quæstionis difficultas expediri non potest, nisi hujusmodi nominis *principium* diversæ
B appositiones aperiantur quas facere posse videtur in prædicato positum. Hoc igitur nomen vel apponit essentiam, vel personam cum notione, vel notionem puram. Si essentiam apponeret, constaret falsum esse, *Pater est principium Spiritus sancti*. nam hic esset sensus, id est *essentia quæ spirat Spiritum sanctum*, cum essentia nec gignat nec gignatur, nec procedit, nec spiretur. Quod enim invenitur scriptum (86): *Pater est principium deitatis totius* (unde volet quis habere quod divina essentia procedat a Patre), ita intelligendum, id est, Pater est principium Filii et Spiritus sancti, in quibus est tota deitas. Constat igitur hoc nomine non prædicari essentiam. Si vero eo prædicetur persona cum
C notione, verum quidem est et Patrem et Filium esse principium Spiritus sancti, id est personam spirantem Spiritum sanctum; sed cum Pater alia sit persona spirans Spiritum sanctum quam Filius, erit Pater aliud principium Spiritus sancti quam Filius; et ita Pater et Filius erunt duo principia Spiritus sancti. Quod negat Augustinus dicens (87): « Sicut Pater et Filius ad creaturam relative unus Creator et unus Dominus noster, ita relative ad Spiritum sanctum unum principium sunt sicut unus Creator et unus Dominus. »

Relinquitur ergo quod hoc nomen notionem significat, ex quo nec essentiam nec personam cum notione apponit, sed notionem illam potest duobus modis significare, vel adjective, sive concrete... vel
D copulando; vel subjective, aut mathematice, aut non copulando. Verbi gratia hoc nomen *Pater*, vel *albus*, vel aliquod tale adjectivum significat talem proprietatem et eam copulat et adjective eam significat. Hoc nomen *albedo*, vel *paternitas* significat mathematice, et non copulando, et subjective, cum sint subjecta. **81** Hoc igitur nomen *principium*, cum significet spirationem, significat eam copulando, sicut hæc dictio *spirans;* et ita adjective, quod si est, non videtur congrue dici Pater et Filius sunt principium Spiritus sancti, cum non sint cui inni-

(84) Mag. I, d. 29, per totam; item dist. 11, 12, etc. eod. lib.

(85) Non exstat in nostro codice.

(86) Apud August. l. IV, *De Trinit.*, Mag. I, d. 29, § 1.

(87) Lib. V, *De Trinit.*, c. 14, sub fin.

tatur hæc dictio *principium* adjective posita. Sicut incongrue dicitur Pater et Filius sunt spirans Spiritum sanctum, vel Socrates et Plato sunt bonus. Unde illi argumentationi qua hoc concludebatur, in his posset ferri instantia. Multo minus videtur congrue dictum, Pater est aliquod principium Spiritus sancti vel unum; cum dictionibus adjective positis incongrue complentur hæc nomina *unum, aliquod*. Quis enim, dicit Socrates, est aliquis albus homo? multo minus potest fieri relatio ad hanc dictionem per *quid*, vel per *quod*, cum hoc nomen non referatur nisi ad dictionem positam subjective, quemadmodum in naturalibus secundum quosdam, cum dico *dies est tempus*, cum hoc nomen *tempus*, quod substantivum est, adjective ponitur, non recipit adjunctionem hujus nominis *unum*, vel relationem hujus nominis *quod*, ut dicatur *dies est aliquod tempus*, vel tempus quod est, vel quod non est. Similiter statua est opus hominis; secundum alios non potest dici aliquod opus hominis, vel opus quod est, vel quod non est.

Si vero dicatur hoc nomine significari relationem eo modo quo significatur hoc nomine *spiratio*, id est mathematice; verum quidem est quod Pater et Filius sunt unum principium Spiritus sancti quod non est Spiritus sanctus, id est una spiratio Spiritus sancti quæ non est Spiritus sanctus: sed secundum hoc, cum idem sit Patrem esse principium Spiritus sancti, et esse spirationem Spiritus sancti; sicut non est idem Patrem esse Patrem, et esse paternitatem, non erit idem Patrem esse principium Spiritus sancti et spirare Spiritum sanctum, nisi dicatur quod hoc nomen *principium* æquivoce significat illam proprietatem, et adjective et substantive; cum tamen eam magis significare videatur substantive, cum sit substantivum. Ad hoc quidam dicunt (in parte recedentes a consideratione grammaticorum, non ex toto tamen) quod cum dico, *Pater et Filius sunt principium Spiritus sancti*, hoc nomen relationem significat et copulat et apponit, et non personam vel essentiam. Illi non recipiunt, *Divina essentia est principium Spiritus sancti*, sicut *divina essentia est Pater Filii*. Nam cum hoc nomen *Pater* apponat personam cum notione, hoc nomen *principium* solam notionem apponit. Nec minus tamen congrue ponitur cum eo hoc nomen *unum* causa majoris expressionis, cum dicitur, *Pater et Filius sunt unum principium Spiritus sancti*, ut per hoc ostendatur quod Pater eadem spiratione spirat Spiritum sanctum qua et Filius, non ideo tamen admittunt relationem ut dicatur, *Pater est principium Spiritus sancti, quod est vel non est Spiritus sanctus;* sicut ista duo differant genere vel specie; non tamen genere quod est, vel quod non est.

At dicet aliquis, Pater et Filius sunt unum principium Spiritus sancti; nulla spiratione spirat Pater (Spiritum sanctum scilicet) qua non spiret Filius

A Spiritum sanctum; ergo Pater et Filius sunt idem principium Spiritus sancti; ergo Pater est principium Spiritus sancti quod est Filius; eadem ratione, Pater est principium Spiritus sancti quod est vel non est Spiritus sanctus. Ad quod ipsi dicunt quod nil nocet si recipiatur quod Pater et Filius sunt idem principium Spiritus sancti, id est eadem spiratione spirant Spiritum sanctum; sed quando ponitur ibi *quod est*, non admittendum sicut homo idem est genere cum asino, non tamen homo est idem genere quod est asinus vel non asinus. Magister tamen meus (88) in nullo volens detrahere veritati theologiæ propter grammaticorum considerationem conservandam, longe ulterius hic progreditur, dicens quod Pater est principium Spiritus

B sancti, *quod non est Spiritus sanctus*, passim admittens relationem; et quod Pater est principium Spiritus sancti *quod est Filius*, sub hoc sensu, **82** id est Pater est spirans Spiritum sanctum, et Filius eadem notione est spirans, et prædicatur ibi hoc nomine *principium* spiratio, et copulatur, et adjective ponitur ibi hoc nomen et ad ipsum fit relatio per hoc nomen *quod;* quod in naturali facultate nequaquam reperitur ut ad nomen adjective positum fiat relatio per hoc nomen *quod*. Si quis ergo inferat ita, Pater est aliquod principium Spiritus sancti quod non est Spiritus sanctus; ergo aliquid quod est principium Spiritus sancti et non est Spiritus sanctus. Fallacia. Pater est aliquis generans qui

C non est Filius; ergo est aliquid quod est generans et non est Filius, quod falsum est; nisi dictio neutrius generis scilicet *aliquid* accipiatur personaliter: *aliquid*, id est *aliqua persona*, sic etiam reciperet, ipse Pater est aliquid quod est principium Spiritus sancti et non est Spiritus sanctus, et aliqua persona quæ est principium Spiritus sancti et non est Spiritus sanctus. Quo tamen dato, si quis inferat, ergo Pater est aliquid quod non est Spiritus sanctus; in eodem instaret sic, Pater est aliquid quod generat et non est Filius; ergo est aliquid quod non est Filius.

Item contra hoc ita objicitur, idem est Patri esse principium Spiritus sancti et spirare Spiritum sanctum, et Filio similiter; Pater et Filius sunt unum

D principium Spiritus sancti; ergo sunt unum spirans Spiritum sanctum. Vel ita, idem est tam Patri quam Filio esse principium Spiritus sancti et spirare Spiritum sanctum, Pater et Filius sunt spirantes Spiritum sanctum; ergo sunt principia Spiritus sancti; sed manifestum est hoc non esse recipiendum: videretur enim pluralitas intelligi, vel circa modos vel circa spirationes. Cum tamen apponitur hæc dictio *spirans* pluraliter, non ponitur pluraliter significatione, sed voce, ut supra ostensum est, in omnibus verbis quæ de Deo dicuntur secundum essentiam, quæ pluraliter, prolata singularia sunt

(88) Petrus scilicet Lombard[illegible] d. 29 sub fin. Si tamen ad hunc locum alludat, et non ad alium qui iam non exstat.

significatione. Sicut etiam cum dico, *Athenæ sunt*, hoc verbum plurale est voce, sed singulare significatione, nec tamen in neutro admittendum est, Pater et Filius sunt spirantia Spiritum sanctum, sed spirantes. Fallacia. Idem est Patri et Filio esse personam et esse essentiam, Pater et Filius sunt personæ; ergo sunt essentiæ. Item, Spiritus sanctus principaliter procedit de Patre et non principaliter de Filio; ergo aliquo modo de Patre quo non de Filio, quod falsum est; quia una et eadem processione ab hoc et ab illo. Ideo dicendum quod *principaliter procedere* non ponit modum procedendi, sed principaliter a Patre dicitur, quia hoc dedit Pater Filio ut ab ipso Filio Spiritus procedat, fallacia. Filius est Deus de Deo Patre; Pater non est Deus de Deo Patre; ergo aliquo modo est Deus Filius quo non est Deus Pater. Item auctoritas habet (89) quia Spiritus sanctus procedit ab utroque, Spiritus sanctus est spiritus utriusque : igitur qui procedit ab utroque personaliter differt ab utroque; ergo quia procedit ab utroque, est alius ab utroque; ergo a simili quia Pater et Filius sunt principium Spiritus sancti, Pater et Filius sunt aliud vel alii a Spiritu sancto, quorum neutrum dandum, fallacia. Quia iste genitus est a Patre suo, est alia persona a Patre suo; ergo quia Pater suus genuit eum, Pater suus fuit alia persona ab ipso. Non; quia prius fuit aliqua persona quam eum genuerit.

Item si Pater non genuisset Filium et esset principium Spiritus sancti, eo quod esset principium Spiritus sancti esset alius a Spiritu sancto, nec aliter nec alio modo esset principium Spiritus; ita aliquis modo est alius a Spiritu sancto per hoc quod est principium Spiritus sancti; est ipse alius a Spiritu sancto; ergo Pater vel alius quam Pater; sed alius, non ergo Pater : si vero Pater est, Pater eo ipso quod est principium Spiritus sancti; ergo econtrario Pater in quantum est Pater, est principium Spiritus sancti; sic ergo Pater jam esset Pater Spiritus sancti, quod absurdum est, fallacia primi : si quis habens duos filios unum primogenitum, et alium secundo loco natum, non genuisset **83** illum qui est primogenitus, si genuisset alterum qui est secundo loco natus, ipse esset primogenitus, nec tamen aliter esset ejus filius quam modo; ergo sicut tunc esset primogenitus, ita nunc est prior genitus. Vel ita, si aliquis qui videt dextro oculo et videt sinistro, videret tantum sinistro non tamen alio modo videret sinistro quam modo, cum videt dextro et sinistro; ergo modo videt tantum sinistro, sicut tunc tantum videret sinistro.

Non ideo quia dicimus quod proprietas illa qua Pater est principium Spiritus sancti; non est personalis proprietas, personalem proprietatem dicimus quia aliqua [qua] persona differt a qualibet alia. Sed objicitur, proprietas qua Spiritus sanctus procedit a Patre, est personalis; ergo proprietas
A qua Pater spirat Spiritum sanctum est personalis. Fallacia. Proprietas qua Spiritus sanctus procedit a Patre convenit uni soli personæ. Item aliud est esse Patrem, aliud principium; ergo sicut Pater est alius a Spiritu sancto in quantum est Pater, ita in quantum est principium est alius ab eo. Quam argumentationem confirmat Augustinus sic : *Aliud est gignere, aliud genitum esse, aliud procedere. Ita alius Pater, alius Filius, alius Spiritus S.* Quod tamen sic intelligitur. Aliud est gignere, aliud gigni, id est alia est personalis proprietas generatio, alia nativitas, alia processio. Cum vero dicitur, aliud est Pater, aliud principium, non potest intelligi aliqua personalis proprietas qua Pater sit principium. Ideoque Pater non est al us in quantum est
B principium. Non enim esset Pater, cum non possit esse alius, et sic esset Pater Spiritus sancti. Cum ergo dicitur, *aliud est esse Patrem, aliud principium*, ita intellige, id est alterius proprietatis ostenditur esse Pater cum dicitur *Pater*, alterius cum dicitur *principium*. Item quia Spiritus sanctus procedit, ab utroque est alius ab utroque; ergo quia Pater est principium Spiritus sancti, est alius a Spiritu sancto, quod ideo non sequitur, quia illa proprietas qua Spiritus sanctus procedit ab utroque est personalis, illa autem *Pater est ejus principium* non est personalis.

Item cum dicitur principium Spiritus sancti est Pater et Filius, de aliquo fit sermo quod est in Tri-
C nitate; ergo vel de persona vel de essentia, vel de proprietate : si de persona, cum de eo de quo fit sermo dicatur quod sit Pater et Filius; ergo persona est Pater et Filius : si de substantia, ergo subjectus terminus significat substantiam; ergo substantia est principium Spiritus sancti; ergo Spiritus sanctus est divina substantia; ergo non est divina substantia, quia nil est illud a quo est. Si vero de proprietate, ergo subjectus terminus significat proprietatem ; ergo de aliqua proprietate dicitur quod sit principium Spiritus sancti, et ita Spiritus sanctus est ab aliqua proprietate.

Dicunt quidam quod de nullo sit sermo, sed de duabus personis, scilicet de Patre et Filio. Contra sic, principium Spiritus S. est Pater et *Filius* :
D Ergo Pater et Filius sunt principium Spiritus S. cum sit locutio a simplici conversa. Item, idem significatur hoc termino posito in subjecto et prædicato; idem est ergo *Pater et Filius sunt principium Spiritus S.* ac si diceretur *Pater et Filius sunt Pater et Filius*. Sed una est sola proprietas qua sunt principium; ergo una est qua sunt Pater et Filius, et ita una proprietas est paternitas et filiatio. Dicunt ergo quod nec de aliquo nec de aliquibus, sed contra : hac propositione *Principium Spiritus S. est Pater et Filius*, cum sit vera, significatur aliquod necessarium, illud pro aliquo vel aliquibus verum est, et ita habemus præmissam

(89) In Symbol. Constantin. ex additione Latinorum.

objectionem. Dicunt ergo quod ibi hoc nomen *principium* significat proprietatem, id est signum proprietatis, sed non appellat, nec nominat, nec prædicat, nec subjicit.

Item Pater et Filius sunt principium Spiritus sancti; ergo sunt unum vel idem principium Spiritus sancti, a quo procedit Spiritus sanctus, aut non procedit: sed sunt principium a quo procedit Spiritus sanctus; ergo sunt aliquid a quo procedit Spiritus sanctus; et ita essentia, **84** vel proprietas, vel persona a qua procedit Spiritus sanctus. Ideo distingue, Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti, id est sunt unum a quo procedit Spiritus sanctus, falsum; sed una et eadem proprietate spirant Spiritum sanctum. Item Spiritus sanctus procedit a principio Patre et Filio; ergo est aliquod principium Spiritus sancti quod est Pater et Filius; igitur vel substantia, vel proprietas, vel persona est principium Spiritus sancti, quod est Pater et Filius. Distinguenda est hæc, aliquod est principium Spiritus sancti quod est Pater est Filius; id est principium Spiritus sancti est aliquid quod est Pater et Filius, falsum. Si vero sic, Spiritus sanctus procedit a Patre et Filio, verum est.

Solet quæri quid supponat hoc nomen *principium* cum ex parte suppositi nomen ponitur et dicitur, *principium Spiritus sancti est Pater et Filius*; quia aut essentiam aut personam cum notione, aut notionem supponit; sed non supponit essentiam; quia tunc esset sensus, *aliquid*, id est aliqua essentia quæ spirat Spiritum S. *est Pater et Filius*, et ita esset locutio positiva falsi, scilicet quod divina essentia spiraret Spiritum sanctum, quod falsum est si supponat personam cum notione, idem est igitur dictu, persona spirans Spiritum sanctum est Pater, ac si dicatur principium Spiritus sancti est Pater. Cum ergo alia persona spirans Spiritum sanctum sit Pater, et alia Filius, videbitur aliud principium Spiritus sancti esse Pater et aliud Filius, cum non eadem persona spirans Spiritum sanctum sit Pater et Filius. Item iste terminus *principium Spiritus sancti* æque indifferenter dicitur de Patre et Filio. Cum ergo dicitur de Patre *principium Spiritus sancti est Pater*, facta suppositione pro Patre, vere poterit dici, principium Spiritus sancti non est Filius, cum Filius et Pater sint opposita prædicabilia, ut videtur, quia Pater nec est nec esse potest Filius.

Videtur ergo indefinita hæc propositio *principium Spiritus sancti est Pater*, ut indifferenter accipi possit hoc nomen *principium* pro Patre et Filio. Quod si dicatur hoc nomen *principium* non posse accipi, nisi pro persona Patris propter hoc nomen *Pater* quod in prædicato ponitur, secundum illud: *Talia erunt subjecta qualia prædicata permiserunt*, videtur dandum, *principium Spiritus sancti est tantum Pater*. Unde infertur; ergo principium Spiritus sancti non est Filius; vel, idem principium Spiritus sancti est Pater et Filius. Item, principium Spiritus sancti est Pater; ergo principium Spiri-

A tus sancti est Pater et Filius; vel est Pater et non Filius. Si est Pater et non Filius, ergo principium Spiritus sancti non est Filius. Si dicatur quod principium Spiritus sancti est Pater et Filius, cum non supponat ibi hoc nomen *principium* pro essentia, ut dictum est, quia illa non spirat; nec pro persona, quia nulla persona est Pater et Filius, supponit ibi pro personis, et ita habet ibi vim nominis collectivi, cum supponat pro Patre et Filio simul; ergo cum vere dicatur *Pater et Filius non sunt Pater*, vere dicetur, *principium Spiritus sancti non est Pater, nec Filius*, in uno sensu hoc nomine accepto in vi collectivi nominis, et tamen principium Spiritus sancti est Pater, principium Spiritus sancti est Filius.

B Sed hæc nullo modo videntur vera, *principium Spiritus sancti est Pater et Filius*, sive principium supponat pro una persona, sive pro duabus; quod tamen ita potest probari: Principium Spiritus sancti est Pater, principium Spiritus sancti est Filius, principium Spiritus sancti est Pater et Filius; ergo principium Spiritus sancti est Pater et Filius. Item, nulli convenit prædicatum hujus propositionis, *principium Spiritus Sancti est Pater*, cui non conveniat subjectum; alicui convenit subjectum cui non convenit prædicatum, quia Filio; ergo subjectum ejus in vera propositione removetur a prædicato; ergo principium Spiritus sancti non est. Item aut aliquod principium Spiritus sancti non est Pater, aut nullum. Si dicat nullum principium Spiritus sancti non est Pater, et Filius

C est principium **85** Spiritus sancti, et in eadem significatione dicitur hoc de Patre et Filio; ergo Filius est Pater. Item nullum principium Spiritus sancti non est Pater, nullum principium Spiritus sancti non est Filius: istæ duæ propositiones sunt universales et veræ in quibus prædicantur hæc duo prædicabilia, *Pater*, *Filius*, de eodem termino in eadem significatione accepto: ergo alterum eorum ponitur de altero. Item, Pater nec est nec esse potest Filius, et econtrario: ergo isti termini sunt opposita prædicabilia. Sed utrique convenit iste terminus, *principium Spiritus sancti*, et eis in eadem significatione; ergo est superius ad illa duo; ergo utrique duorum potest particulariter et vere

D removeri ab hoc, *principium Spiritus sancti*. Item, nullum principium Spiritus sancti non est Pater, nullum principium Spiritus sancti non est Filius, Pater et Filius sunt unum principium Spiritus sancti: ergo unum principium Spiritus sancti est Pater et Filius. Item, non est verum quod principium Spiritus sancti sit et Pater et Filius, principium Spiritus sancti est Pater, principium Spiritus sancti est Filius; ergo principium Spiritus sancti, vel non est Pater vel non est Filius. Item, aut aliquod principium Spiritus sancti aut nullum est Pater quod sit Filius. Si aliquod, ergo principium Spiritus sancti quod est Pater, est Filius; ergo unum principium Spiritus sancti est Pater et Filius. Si nullum principium Spiritus sancti est

Pater quod sit Filius, et Pater et Filius est principium Spiritus sancti; ergo Pater et Filius non sunt unum principium Spiritus sancti. Multis aliis est ostendere modis quod non supponitur persona illo termino, nisi dicatur quod duo principia Spiritus sancti sunt Pater et Filius, quod nemo audet dicere propter auctoritatem Augustini supra positam, quæ contradicit.

Si vero dicatur hoc nomen *principium* ibi supponere relationem, certum est quod non posset tunc poni adjective; tunc enim incongrua esset locutio. Sicut incongrue dicitur, *albus est homo*, si supponit illud adjectivum adjective positum; si vero substantive ponitur, idem est dicere principium Spiritus sancti est Pater, ac si dicatur, spiratio qua Pater spirat Spiritum sanctum est Pater. Et ita passim ibi admittetur relatio, quemadmodum si poneretur ibi hoc nomen *spiratio*, et ita dabitur, *principium Spiritus sancti quod est Pater, est Filius*, id est spiratio quæ est Pater est Filius, et principium Spiritus sancti quod est Pater non est Spiritus sanctus, id est spiratio quæ est Pater non est Spiritus sanctus, nec etiam illa propositio indefinita est, sed singularis. Et hoc dato, nullum video accidere inconveniens, nisi quod hoc nomen *principium* variat suam significationem in subjecto et in prædicato positum. Nam in prædicato significat notionem adjective, in subjecto substantive, et ita variat suam significationem, imo potius modum significandi, cum eamdem notionem hinc inde significet, sed alio modo hic alio modo ibi.

Aliis videtur dandum, *Pater est principium Spiritus sancti*, quia ibi *Pater* sola notio, sed non econtrario; quia si diceretur, principium Spiritus sancti est Pater, supponeretur essentia cum notione, et esset sensus quod essentia divina a qua est Spiritus sanctus esset Pater, et ita locutio illa esset positiva falsi, cum non sit ab essentia divina Spiritus sanctus. Ideo non incongrue dicitur principium Spiritus sancti est Pater. Verumtamen congrue dicitur principium creaturarum est Pater, id est essentia divina, a qua est creatura, est Pater, quia supponitur essentia cum relatione temporali.

Solet quæri an sit recipiendum, *Pater est principium Filii et Spiritus sancti*, quod non videtur, quia alia ratione dicitur Pater esse principium Filii, scilicet generatione, quam Spiritus sancti cujus est Pater principium spiratione. Non est quidem dandum sub una prolatione *Pater est principium Filii et Spiritus sancti*, sed sub duabus sic, Pater est principium Filii, Pater est principium Spiritus sancti.

Item quæritur an Pater et Filius sint unus auctor Spiritus sancti an **86** duo? Si enim sunt unus A auctor Spiritus sancti, ergo sunt una persona. Si vero sunt duo auctores Spiritus sancti, cum idem sit esse principium Spiritus sancti, et esse auctorem Spiritus sancti, videbuntur duo esse principia Spiritus sancti. Vel si sunt duo auctores Spiritus sancti, videbuntur duabus notionibus spirare Spiritum sanctum. Ideo enim supra negatum est Patrem et Filium esse duo principia Spiritus sancti, ne videantur alia spiratione vel alio modo spirare Spiritum sanctum quam Filius. Item, si ista duo nomina *homo et lapis* dicuntur una pars orationis, quia unum et eumdem modum habent significandi, quia tropica est locutio; videbitur sic quoque quod Pater et Filius sint unus auctor Spiritus sancti, B quia eadem ratione dicitur Pater auctor Spiritus sancti qua et Filius; præsertim cum Pater et Filius sint unum principium Spiritus sancti, et idem sit esse principium Spiritus sancti, et esse auctorem Spiritus sancti. Ad quod potest dici quod nil noceret si diceretur Patrem et Filium esse duos auctores Spiritus sancti, nec refertur pluralitas ad modos vel notiones, sed ad personas quæ eadem notione spirant Spiritum sanctum. Non ideo tamen dandum quod Pater et Filius sunt duo principia Spiritus sancti, quia illud contradicit auctoritas. Quia non dicitur Patrem et Filium esse duos auctores creaturarum, sed unum, nec duo principia Spiritus sancti, sed unum, cum sint unum principium; et hoc sit idem illi, nec ponitur persona C vel essentia hoc nomine, *auctor*, sed notio tantum, sic et hoc nomine *principium*. Utrumlibet tamen istorum recipiatur, semper consideranda est causa dicti. Nam, dato singulari, ad modum et notionem singularitas non ad personam est referenda; sin plurale, propter pluralitatem personarum non modorum vel notionum, hoc dicitur.

(90) Solet etiam quæri quare Filius dicatur *principium de principio* et non Spiritus sanctus, et quid isto prædicetur de Filio? Ad quod dicendum quod si hæc oratio *principium sine principio* accipiatur in vi nominis, accipitur pro hoc nomine *ingenitus*, et sic Pater aliqua notione, scilicet innascibilitate, est principium sine principio, sicut innascibilitate D est ingenitus. Si vero habeat vim orationis, per nominativum notatur communis participalitas trium personarum; per ablativum vero innuitur modus dandi principalitatem de Patre, quo modo non dicitur principalitas de aliis duabus personis. Idem est ergo dicere principium sine principio, ac si dicatur Pater est Creator vel principium creaturarum, vel essentia divina a qua sunt omnia, et a nullo est. Sic quoque cum dicitur, *Filius est principium de principio*, hæc oratio potest habere vim nominis, ut idem sit ac si dicatur, *Filius est Filius*, et probatur eadem notio tunc, hoc verbo *principium de principio*, et hoc nomine *Filius*. Nam hæc

(90) Vide observationes nostras ad 6. cap. Pulli, in 1. part

circumlocutio ab auctoribus sacræ paginæ Filio appropriata est. Si vero circumlocutio illa habeat vim orationis, idem est ac si dicatur : Filius est principium creaturarum, vel est divina essentia, et ipse est de Patre, ut per nominativum notetur communis principalitas trium personarum quæ est divina essentia; per ablativum modus dandi illam principalitatem de Filio, et non de Patre, ita scilicet quod Filius est de Patre unum cum eo principium. Sic ad solam diversitatem modorum dicendi nolunt quidam referre quod dicitur Pater principium Filii, ut potius sit æquivocatio dicendi quam essendi. Nec secundum eos, cum dicitur, Pater paternitate est principium Filii, notatur per ablativum prædicatio notionis, sed ratio accommodatur et probatur ratio theologica, scilicet principalitas, cum dicitur principium Filii, vel principium Spiritus sancti.

Si quæratur quare Filius et non Spiritus sanctus dicatur *principium de principio*, poterit pro ratione sufficere voluntas auctorum Filio hujusmodi locutiones appropriantium. Quidam tamen volunt super hoc reddere rationem, quibus videtur, cum dicitur *principium de principio*, non per nominativum designari communem **87** principalitatem trium personarum, sed æternam relationem, scilicet spirationem; per ablativum vero paternitatem; et ita notantur duæ essentiæ relationes cum dicitur, Filius est principium de principio. Si autem dicatur, *spiratio est principium de principio*, per nominativum notatur temporalis relatio, cum Spiritus sanctus non sit principium ab æterno; per ablativum æterna relatio : et quia inconveniens videtur talis junctura relationum quæ diversæ sunt rationis quarum altera æterna, altera temporalis, nec sustinet hæc præpositio, *de*, talem juncturam. Ideo non dicitur *principium de principio* Spiritus sanctus. Sic igitur secundum eos sic notatur per nominativum æterna relatio, scilicet spiratio. Sicut tamen ex supradictis habemus, potest dici quod hæc nomina in tali junctura locutionis, *Deus de Deo*, *lumen de lumine*, *principium de principio*, et hujusmodi personaliter accipiuntur, non relative, sed pro relativis, ut primo positum dicatur pro persona Filii, secundo positum pro persona Patris; et ita necesse est accipi cum in subjecto positis hujusmodi appellationibus dicitur *principium de principio est Filius*. Non enim ibi essentiam potest supponere hoc nomen *principium* vel relationem, cum nec divina essentia nec spiratio sit a Patre principio.

Si ita objiciatur, Spiritus sanctus est principium et non est de principio; ergo est principium sine principio; ergo est Pater : solvitur per interemptionem. Est enim Spiritus sanctus de Patre principium. Unde si inferatur, Spiritum sanctum esse principium de principio, neutrum dandum, nec quod sit principium sine principio, nec quod sit

A principium de principio, quia istarum orationum una appropriata est Patri, altera Filio; eo quod Filius primo loco procedit de Patre (non dico primo loco, *vel tempore*, *vel natura*) sed quia ita est Filius a Patre, quod non ab alio. Spiritus sanctus ita est a Patre quod etiam a Filio. Ob quam considerationem non dicimus aliquem curare si dicat solum Filium esse principium de principio, vel Deum de Deo, sive lumen de lumine; quia solus ut dictum est, a Patre primo loco est.

CAPUT XXXI.

De proprietate æterna Spiritus sancti, id est de processione.

(91) His ita tractatis agendum est de propria Spiritus sancti proprietate, secundum quam dicitur
B *procedens*. In quo notandum quod dupliciter est processio Spiritus sancti, temporalis et æterna. Æterna est quæ ineffabilis est qua a Patre et Filio æternaliter et sine tempore processit; et temporalis qua a Patre et Filio ad sanctificandam creaturam procedit. De illa processione quæ æterna est primo agendum, quia non est susceptus hic sermo nisi de æternis relationibus, postea enim sigillatim tractabitur de temporalibus proprietatibus. Primo igitur quæri potest cum Spiritus sanctus vere procedat de Patre et sit de substantia Patris, cur non dicitur natus vel genitus? quod ita solvit Augustinus (92) : « Si Spiritus sanctus Filius diceretur, amborum utique Filius diceretur, quod absurdum est; Filius quippe nullus duorum est nisi patris et matris. »

C (93) Quæritur etiam cum Spiritus sanctus non dicitur genitus sed procedens, cur Filius non dicitur tantum genitus, sed et procedens, sicut in Evangelio ipse de se ait : *Ego a Patre processi et in hunc mundum veni* (*Joan.* VIII). Ad quod dicendum, quia cum Filius procedat a patre processione [generatione], et Spiritus sanctus æterna processione, alio modo dicitur procedere Filius, alio modo Spiritus sanctus. Nam Filius nascendo, Spiritus sanctus non nascendo. Si vero tantum quæratur quare magis Filius nascendo quam Spiritus sanctus a Patre procedat, audi Augustinum dicentem (94) : « Distinguere inter illam generationem et processionem nescio, non valeo, non sufficio. Ac per hoc quia et illa et ista est ineffabilis sicut propheta lo-
D quens de **88** Filio ait : *Generationem ejus quis enarrabit?* (*Isa.* LIII) ita de Spiritu sancto verissime dicitur, processionem ejus quis enarrabit? » Sufficiat ergo nobis scire et credere quod a Patre sit et procedat Spiritus sanctus, modumque positum supra hominem pie ignoremus. Hoc tamen nobis certum quod hac proprietate refertur ad Patrem et Filium. Nam ab utroque procedit. Quod enim a Filio procedat, testatur Apostolus : *Misit Spiritum Filii sui in corda nostra* (*Galat.* IV).

(95) Græci tamen Spiritum sanctum a Filio procedere negant, quia in Evangelio loquens Veritas de

(91) Mag. I, d. 13, etc. Item d. 11, etc., lib. I.
(92) Lib. XV *De Trinit.*, cap. 27.
(93) Mag. sup., § 2.

(94) Lib. III *contra Maxim.*, c. 14; quo locis pluribus collimavit auctor.
(95) Mag. I, d. 11, § 2, hæc eadem habet.

processione Spiritus sancti, mentionem de Patre facit, non de Filio, dicendo : *Spiritus qui a Patre procedit* (*Joan.* xv); et quia in principalibus conciliis quæ apud illos celebrata sunt (in quibus quidem Symbolum ordinatum est, in quo solus commemoratur Pater his verbis (96) : « Et in Spiritum sanctum Dominum et vivificantem protectorem ex Patre procedentem et Filio coadorandum et conglorificandum, » sancitum est subjunctis anathematibus: « Qui aliter docuerit, vel aliter prædicaverit anathema sit. » Ideoque nos anathematizatos dicunt qui Spiritum sanctum a Filio procedere dicimus; quod enim secundum nos ibi dicitur, *qui ex Patre Filioque procedit*, alterum a Latinis additum est, id est *Filio*. A

(97) Sed nos verba illa determinamus; *qui aliud*, id est qui contrarium prædicaverit; sicut in Epistola ad Galatas (cap. i) : *Si quis aliud*, id est contrarium *evangelizaverit, anathema sit;* non dixit, *si addiderit :* ipse enim Apostolus cupiebat venire ad quosdam ut quod deesset in fide suppleret. Ad illud vero quod in Evangelio videtur dici Spiritum sanctum non procedere a Filio, sed a Patre, de quo solo fit mentio, ita respondemus : Quia, quamvis nominetur Pater, non ideo excluditur Filius; quia non dicitur *solo Patre*. Sed ideo solum Patrem commemoravit, quia ad ipsum etiam solet referre quod ipsius est, quia ab illo habet (98). In sensu tamen conveniunt Græci nobiscum, quia recipiunt Spiritum sanctum esse Filii, quod non est aliud quam ipsum procedere a Filio. Unde etiam quidam eorum doctores unam eamdemque sententiam attendentes, Spiritum sanctum a Filio procedere testati sunt, ut Athanasius (99) : « Spiritus sanctus a Patre et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. » Joannes etiam Chrysostomus in homilia quadam (100) : « Iste est Spiritus sanctus procedens a Patre et Filio qui dividit bona propria, prout vult. » B C

(1) Quæritur etiam an prius processerit Spiritus sanctus a Patre quam a Filio, vel non? Ad quod ita ratiocinabatur quidam hæreticus contra Augustinum : « Spiritus sanctus procedit de Patre; ergo nato Filio aut non nato. Si nato Filio, ergo nativitas Filii præcessit processionem Spiritus sancti. Si vero nondum nato Filio, ergo processio Spiritus sancti præcessit nativitatem Filii. » Huic quæstioni satis puerili respondet Augustinus (2) : « In illa summa Trinitate quæ Deus est, intervalla temporum nulla sunt per quæ possit ostendi aut saltem requiri, utrum prius de Patre natus sit Filius, et postea de ambobus processerit Spiritus sanctus. » D

(3) Solet etiam quæri, an plenius vel magis procedat Spiritus sanctus a Patre quam Filio, vel econtrario? Quod ita videtur Augustinus dicere (4): « Non frustra in hac Trinitate non dicitur Verbum Dei nisi Filius, nec donum Dei nisi Spiritus sanctus, nec de quo genitum est Verbum et de quo procedit Spiritus sanctus principaliter nisi Deus Pater. » Hic, videtur dicere quod Spiritus sanctus principalius a Patre procedat quam a Filio. Quod ideo dicit Augustinus (5), quia cum etiam a Filio procedat Spiritus sanctus, idipsum habet a Patre Filius, quia quidquid habet, habet a Patre, etiam essentiam suam. Ideoque omnia quæ sunt Filii ad Patrem referuntur.

Quæritur autem, cum processio Spiritus sancti sit proprietas per quam distinguitur a Patre et a Filio, an per eam referatur Spiritus sanctus ad Patrem et ad Filium. Quod si est, potest igitur dici Pater Spiritus sancti, et Filius Spiritus sancti. Unde habebitur quod Spiritus sanctus habet Patrem et Filium. Si vero dicatur, **89** *habet terminum dici de Deo*, secundum essentiam dicitur de Trinitate. Itaque erant Pater et Filius et Spiritus sanctus unus Spiritus sanctus, sicut unus Deus. Ad quod dicendum quod hæc oratio *Spiritus sanctus*, quandoque accipitur, essentialiter ut dicatur de tota Trinitate. Unde Augustinus (6) : « Nullo modo Trinitas potest dici Filius; Spiritus vero sanctus potest dici, secundum quod scriptum est : *Deus Spiritus est* (*Joan.* iv). » Quidam tamen dicunt quod Pater et Filius sunt *Spiritus*, non tamen *Spiritus sanctus*, vel *non sanctus*. Sumitur et hæc oratio *Spiritus sanctus* in designatione relationis. Unde (7) « Spiritus sanctus, qui non est Trinitas, sed in Trinitate intelligitur, in eo quod proprie dicitur Spiritus sanctus, relative dicitur, cum et ad Patrem et ad Filium referatur; relatio tamen non apparet in hoc nomine, apparet tamen cum dicitur donum. »

(8) Et nota quia alia ratione dicitur donum, alia donatum. Nam donum dicitur ab æterno; donatum, ex tempore. Unde Augustinus (9). « Semper procedit Spiritus sanctus et non ex tempore, sed ab æterno procedit, et quia ab æterno procedebat ut esset donabile, jam donum erat antequam esset cui daretur. » Et nota quod Spiritus sanctus proprie dicitur donum Dei, id proprie charitas, licet hoc unum de tota Trinitate dicatur.

(10) Quod enim charitas ipsa qua Deum diligimus, vel qua Deus nos diligit Deus sit, audi Augustinum dicentem (11) : « Cum de dilectione fratrem diligimus, de Deo fratrem diligimus. Nec fieri

(96) In Symb. Const. i.
(97) Mag. sup. § 3, similiter ad Gal. 1.
(98) Hæc etiam Mag., § 4.
(99) In Symbolo.
(100) In expositione Symboli, ut apud Mag. sup. § 5.
(1) Mag. i, d. 12.
(2) Lib. xv *De Trinit*., cap. 26 in init.
(3) *Mag. sup.*, § 5.

(4) xv *De Trinit*., c. 17, post med.
(5) Ibid.
(6) Lib. v *De Trinit*., c. 11.
(7) Aug., ibid.
(8) Mag. i, d. 18.
(9) *De Trin*. c. 15.
(10) Mag. i, d. 17, etc.
(11) Libro viii, *De Tr*. c. 8. Ad hunc lapidem graviter offendit Mag. citatus.

potest ut ipsam præcipue dilectionem non diliga- A mus, qua fratrem diligimus, quia Deus ipse dilectio est.» Et ne quis hoc dictum esse putet per causam, sicut cum dicitur, *Deus est spes nostra et refugium*, quia est causa spei et refugii; audi quid alibi dicat (12). Tale est : *Tu es patientia mea* (*Psal.* LXX), quale est, *Domine, spes mea* (*ibid*); et : *Deus meus misericordia mea* (*Psal.* LVIII). Non autem ita dictum est : Deus charitas mea, sed ita dictum est : *Deus charitas est* (*I Joan.* IV), sicut est dictum : Deus Spiritus est.»

(13) Quod tamen si dicatur, quæritur cum charitas magis et minus habeatur, augeatur et minuatur, an Spiritus sanctus augeatur et minuatur, cum charitas sit Spiritus sanctus; sic enim videtur mutabilis. Ad quod dicendum quod Spiritus sanctus B non recipit in se magis vel minus, nec in se exaltatur vel magnificatur, sed in nobis exaltatur qui eum habemus, et in quo proficimus diligendo et cognoscendo. Unde Augustinus (14) : « Si Spiritus sanctus ab alio magis et ab alio minus non haberetur, sanctus Eliseus sancto Eliæ non diceret; *Spiritus qui in te est, duplo fiat in me* (*IV Reg.* II).» Et alibi (15) : « Probet se quisque quantum charitas in eo proficiat, imo quantum ipse in charitate. Si enim Deus charitas est, nec proficit nec deficit.»

(16) Item, aliquis habet charitatem qui prius non habebat, et charitas est Spiritus sanctus. Ergo aliquis habet Spiritum sanctum qui prius non habe- C bat eum. Ergo in aliquo est Spiritus sanctus in quo prius non erat, cum tamen ille prius esset. Ad hoc dicimus, quia non omnis habet Spiritum sanctum in quo est Spiritus sanctus. Alioquin irrationales creaturæ eum haberent, sed illi soli habent in quibus est per inhabitantem gratiam. Item dicit Augustinus (17) : « Unde est fides, nisi a quo est dilectio,» id est a Spiritu sancto. Ergo sicut fides quæ est a Spiritu sancto non est Spiritus sanctus, ita dilectio quæ est a Spiritu sancto non est Spiritus sanctus. Ad quod dicimus quod Spiritus sanctus a se quidem est in nobis; hoc supplendum est. Nam ipse se dat nobis; et ita tam fides quam Spiritus sanctus a se est in nobis. Item Augustinus (18) : « Charitas Dei dicta est diffundi in cordibus D nostris (*Rom.* V), non qua nos ipse diligit, sed qua nos suos dilectores facit.» Hic videtur distingui charitas qua Deum diligimus, ab ea qua ipse nos diligit; et ita cum Deus diligat nos charitate quæ est Spiritus sanctus, non videtur quod nos diligamus eum ea qua ipse nos diligit; et ita cum Deus diligat nos charitate quæ est Spiritus sanctus, non videtur quod nos diligimus eum charitate quæ est Spiritus sanctus, sed charitate creata quæ est virtus mentis. Sed nos ita exponimus auctoritatem illam (19), ut non distinguatur inter dilectionem illam **90** qua nos diligit, et illam qua eum diligimus, quæ eadem est Spiritus sanctus. Sed ita, « non qua nos ipse diligit, sed secundum quod ea nos suos dilectores facit,» ut una etiam intelligatur utrobique dilectio. Item Augustinus (20) « Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum; et se ac proximo propter Deum.» Sed ita dicitur charitas esse motus animi, sicut dicitur Deus *spes nostra*, scilicet per causam; sicut Sapientia in sacra Scriptura dicitur actus *mobilis*, *certus*, *incoinquinatus* (21), cum tamen ipsa non sit aliquid mobile, nisi per causam qua facit nos moveri de virtute ad virtutem. Sed cum charitas operetur in nobis actum credendi et sperandi, sicut et diligendi, cur dicitur quod charitate diligimus, et non charitate credimus vel speramus? Cujus quidem patet solutio, quia charitas modum credendi operatur mediante fide virtute, sicut modum sperandi mediante Spiritu sancto, sed modum diligendi nulla virtute mediante (22). Unde a charitate credimus, speramus, sed non charitate: a charitate diligimus et charitate diligimus.

Quidam tamen imo fere omnes propter verbum Apostoli dicentis : *Fides, spes, charitas, tria hæc : major autem horum est charitas* (*I Cor.* XIII). Quod genus locutionis incongruitatem intellectus faceret, nisi charitas esset virtus sicut fides et spes, cum non soleat fieri comparatio per superlativum, aut communicatio nisi rerum ejusdem generis, maxime Creatoris ad creaturas. Dicunt hoc nomine *charitas* duo significari, virtutem animi quæ intensior est in quibusdam quam in aliis; et Spiritum sanctum, qui tamen per charitatem solam et improprie dicitur charitas secundum quosdam, sicut spes et misericordia.

(23) Præter hæc etiam dicitur charitas motus illius virtutis quæ est in anima. Cum ergo dicitur *Deus diligit nos charitate*, charitas ibi ad Deum refertur secundum omnes Catholicos, cum in Deo non sit virtus, nec qualitas mentis secundum quod Deus. Cum dicitur *nos diligimus Deum charitate*, non de Spiritu sancto hoc dicitur, sed de virtute mentis vel motu virtutis.

(12) Lib. XV *De Tr.* c. 17, paucis verbis detractis.
(13) Mag. sup. §. 7.
(14) Tract. 74, *in Joan*
(15) Tract. 9, *in I Epist. Joan.* in init.
(16) Mag. hic §, 9. Vide etiam seqq.
(17) L. *De spir. et litt.* c. 32 sic habetur : *Unde ergo ista dilectio, id est charitas, per quam fides operatur, nisi unde illam fides ipsa impetravit.*
(18) Aug. ibidem sub finem cap
(19) V. solutionem Mag. hic §. 11.
(20) L. III *De doctr. Christ.*, cap. 10. Mag. sup. §. 17, et 18.
(21) Sap. VII : *mobilis, incoinquinatus, certus.* — Mag. §. 18.
(22) Error hic discipuli ut magistri.
(23) Sequentia hujus capitis exstant in codice Victorino, qui tamen alibi in pluribus deficit in quibus noster abundat.

subjective, quod postea discutiemus. Item divina A essentia est Pater, ergo paternitate, vel seipsa est Pater. Eadem ratione divina essentia filiatione est Filius et processione est Spiritus; ita divina essentia proprietatibus distinguitur, et sic aliud est ei esse Patrem et aliud esse Filium et aliud Spiritum sanctum. Ad hoc dicendum quod cum divina essentia sit Pater, nec seipsa, nec paternitate est Pater, sicut paternitas nec se nec notione est paternitas.

Sed dicet quis : Si paternitate Pater est hæc persona, cur non et divina essentia paternitate est hæc persona scilicet Pater (61)? Ad quod patet solutio, quia paternitas cum sit in divina essentia non eam determinat sicut determinat personam Patris, ideo non recipitur, *divina essentia paternitate est Pater*, B vel *persona Patris*, quia nec etiam aliquo est persona Patris. Item instant etiam sic : paternitas est divina essentia, ergo secundum eam non dicitur aliquid ad aliquid. Item divina essentia unit Patrem cum Filio, paternitas distinguit. Ergo hæc non est illa, vel paternitas est relatio, ergo non est substantia oppositis. Quod ergo videntur confirmare posse auctoritate Augustini dicentis (62) : « Eo quod, vel quo Deus est, substantia est; et quia ejusdem substantiæ est Filius, procul dubio et Filius est Deus. At vero quod Pater est, quia non substantiæ est, sed refertur ad Filium non sic dicimus Filium Patrem esse sicut dicimus Deum esse. » Quod ita exponendum est : Quo Pater est non est substantia, id est non quo Pater est eo est substantia; quia proprietate C generationis Pater est, quia substantia non est; ipsa tamen proprietas substantia est. Non valet argumentum quod videtur ab oppositis. Non enim sunt opposita in Deo. Nam Dei justitia, Deus est justus, cum in creatura aliud sit justitia ipsius, aliud ipsa.

CAPUT XXVIII.

De his quæ ad paternitatem pertinent et filiationem.

(63) Postquam ea quæ circa proprietates in Trinitate communiter inquirenda videbantur, prout potuimus determinavimus; quæ specialiter inquiri solent, de his videamus. Sunt ergo quinque, quarum duæ sunt propriæ Patris, id est innascibilitas et paternitas; una propria Filii, scilicet filiatio; una propria sancti Spiritus, scilicet processio; una com- D munis Patri et Filio, quæ a magistris nostris solet dici spiratio. Quod tamen vocabulum non habent de auctoritate sanctorum. Prius ergo de paternitate et filiatione dicamus, quia istæ duæ quasi mutuum habent ad se respectum. Et nota quod eadem proprietas significatur his nominibus *Pater genitor;* et eadem his *Filius*, *Verbum*, *imago*. Unde Augustinus (64) : « Dicitur Filius relative sicut Verbum et imago, et in omnibus his ad Patrem refertur. Nec aliquod horum Pater dicitur. » Quandoque tamen nomine imaginis Trinitatem intelligimus, ut ibi : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I). Unde Augustinus : « Una est essentialiter divinitas Trinitatis et imago ad quam factus est homo. »

75 Quæritur primo circa hujusmodi, an Pater aliquo sit persona Patris. Aut enim essentia sua, aut notione est persona Patris. Si aliquo est persona Patris, si Pater est essentia sua, est persona Patris ; ergo idem est Patri esse personam Patris et esse essentiam; ergo vel Pater et Filius non sunt una essentia Patris, vel sunt una persona Patris. Si vero Pater notione est persona Patris, et nulla potius quam paternitate, ergo Pater paternitate est persona Patris et eadem est generans. Ergo idem est Patri esse personam et esse generantem. Eadem notione idem est Patri esse Patrem et esse personam Patris, et esse innascibilem vel spirantem. Ergo idem est Patri esse innascibilem et gignentem et spirantem. Vel si idem est Patri esse personam Patris ut esse gignentem, ergo idem est Patri esse personam cum notione et esse notionem. Si quis illam distinctionem, quæ supra posita est approbet, quod proprietatum alia est personalis, alia non, facile est dicere quod Pater paternitate est persona Patris; non tamen spiratione, vel innascibilitate est persona Patris ; vel, sicut tradunt alii, quod Pater nec essentia, nec proprietate est persona Patris, sed quasi concursu istarum proprietatum innascibilitatis, paternitatis, spirationis ; ita quod nulla earum est hæc persona, sicut Socrates nec rationalitate sua, nec humanitate sua, nec alia proprietate, sed omnium quæ in eo sunt concursu, est Socrates. Ex quibus conficitur singularis essentia Socratis qua distinguitur ab omni re. Cave tamen ne intelligas *aliquorum concursu*, sed *qualicunque concursu*. Non enim aliud una proprietas quam alia, imo idem, scilicet divina essentia; licet enim similitudines naturalium transferre ad Trinitatem. Quod ergo Hilarius dicit : « Pater paternitate est hypostasis, » quod huic videtur contrarium, est intelligendum, id est quasi concursu istarum proprietatum. Similiter Filius quasi concursu duarum proprietatum est persona Filii, ita Spiritus sanctus processione est persona Spiritus sancti quia non est in eo alia proprietas.

(65) Solet quæri an Pater quotidie gignit Filium. Quod videtur negare Gregorius, dicit enim : « Dominus Jesus Christus in eo quod est virtus, quia sapientia Dei de Patre ante tempora natus est, vel potius quia non cœpit nasci nec desiit, dicamus verius semper natus. Non autem possumus dicere semper nascitur, ne imperfectus videatur; » quod

(61) Mag. I, d. 33, § 6 et 7.
(62) Enarrat. in ps. LXVIII, ad vers. 2 : *et non est substantia.*
(63) Mag. I, d. 27 et 28.
(64) Libro v *De Trinit.*, cap. 13; imo Fulgent., c. 1 *De fide ad Petrum*. Plura hujusmodi habet verus August. multis in loc.
(65) Mag. I, d. 9 § 10 ; Gregor. l. XXIX, *Moral.*, cap. 1.

ideo dicit, quia non ita manifestatur veritas cum A dicitur, *Filius ante tempora natus*, vel cum dicitur, *Filius semper nascitur*, et ideo non dicitur, Filius semper nascitur. Non quod istud non sit verum, sed quia non est adeo evidens veritas hic sicut ibi. Origenes enim alibi dicit (66) : « Salvator noster splendor est claritatis; splendor autem non semel nascitur et desinit, sed quotiescunque ortum fuerit lumen ex quo splendor oritur, toties splendor oritur claritatis. Sic ergo Salvator noster semper nascitur. » Nec est intelligendum quod generatio illa iteretur, quia semper est; nec comestio mea iteratur dum continue comedo, nec bis fundit lumen hæc lucerna, dum continue fundit.

Et nota quod hoc nomen *Pater* aliquando dicitur determinate, sed non in ea significatione in qua B dicitur de Patre, quia nil ponit cum de Deo dicitur. Unde Trinitas nullo modo dici potest Pater; nisi per transsumptionem, forte per adoptionem filiorum. Item Pater est persona Patris paternitate, et seipso est persona Patris, ergo idem est Patri esse personam Patris et esse paternitatem. Quod autem Pater seipso sit persona Patris, ait Hieronymus sic : « Personæ personis et nominibus distinguuntur. » Ad hoc dicendum quod ibi nomine *personæ* accipitur personalis proprietas ; potest etiam dici quod Pater seipso est persona Patris, sicut et Deus seipso est Deus, ut ita triplex sit solutio ad illud quod supradictum est, *Pater aliquo est persona Patris*, ut dicatur Patrem paternitate esse personam C Patris non tantum spiratione vel innascibilitate; et dicta est causa quare vel dicatur Patrem esse personam Patris non paternitate, sed tribus proprietatibus, ita quod earum nulla quæ in eo sunt (67) , **76** vel dicatur Patrem esse personam Patris seipso et non essentia vel proprietate.

Item paternitas est divinitas. Ergo esse Patrem est esse Deum. Fallacia. Cæcitas est insensibilitas. Ergo esse cæcum est esse insensibilem. Item : Filius habet a Patre filiationem ; ergo filiatio est a Patre, ergo in eo quod Filius est Filius, Pater ejus est Pater vel principium. Quod autem filiatio sit a Patre, ita volunt ostendere aliqui auctoritate Hilarii. Ait enim Hilarius (68) : « Sicut nativitas est ab auctoritate, ita æterna nativitas ab æterno auctore. » D Hoc tamen ita ipsi exponunt. Nativitas est ab auctore, Filius a Patre, et ita æterna nativitas ab æterno auctore, id est æternus natus ab æterno auctore. Instant argumentationi. Sacerdos habet ecclesiam ab episcopo; ergo ecclesia est ab episcopo. Non video tamen cur debeat negari conclusio. Item quidquid habet Filius sic habet ut accepit, Filius accepit essentiam nativitate, ergo habet essentiam nativitate. Idem est Filio habere essentiam et esse Deum ; ergo Filius est Deus nativitate. Solutio : *Sic habet, sicut accepit*, id est; veluti accepit eam invariabilem et immutabilem, ita eam habet. Sed si dicatur : Sicut nativitate accepit, ita nativitate habet, falsum est. Fallacia. Filius est Deus de Deo Patre generatione, et quidquid est de Patre, illud ita est sicut est de Patre, igitur est Deus generatione. Item Patêr genuit Filium, ergo eo prior est. Fallacia. Splendor procedit de igne, ergo ignis prior est calore vel splendore.

Item paternitas est in Patre, et non est in Spiritu sancto, paternitate distinguitur Pater ab aliquo, ergo a Spiritu sancto, ergo paternitate refertur Pater ad Spiritum sanctum , ergo Pater est Pater Spiritus sancti : quod falsum est. Ad hoc dicitur a quibusdam quod paternitate Pater distinguitur a Spiritu sancto; non ideo tamen ad illum refertur. Sicut enim in naturalibus ita est, quod omni proprietate quæ in subjecto est, distinguitur subjectum in quo est, ab omni subjecto in quo non est; ita et omni proprietate quæ est in Patre et non in Spiritu sancto, distinguitur Pater ab eo. Aliis tamen videtur quod non distinguitur Pater a Spiritu sancto paternitate, sed a solo Filio, ad quem solum refertur hac proprietate. Item Filius est Filius Dei per naturam, ergo per essentiam, ergo essentia, ergo non notione, vel simul essentia et notione.

CAPUT XXIX.

De innascibilitate.

(69) De cætero agendum est de innascibilitate quæ est propria Patris, de qua plurimum dubitatur. Videtur enim hoc termino nil poni, sed excludi tantum. Unde Augustinus (70) : « Cum ingenitus dicitur non quid sit, sed qui non sit dicitur. » Item : « Si pro eo quod dicitur ingenitus dicatur non genitus, non aliud dicitur. » Item alibi : « Tantum valet non genitus quantum ingenitus. » Ex quibus videtur iste terminus nil ponere et ita notionem non significare. Sed intellige (71) Augustinum hoc dixisse etymologiæ nominis alludendo, non rationem prædicationis assignando. Item alibi (72) : « Pater dicitur ingenitus, quia a nullo est. » Si autem non dicitur ingenitus nisi quia a nullo est, videbitur iste terminus nil ponere, sed posset hoc movere, si dixisset Augustinus, Non dicitur ingenitus nisi quia a nullo. Sed cum ait : « Ingenitus dicitur quia a nullo est, » non dixit pro eo solo; illud enim excludendo potest aliquid ponere. Unde idem Augustinus alibi ait (73) : « Spiritum sanctum neque genitum neque ingenitum fides creata declarat, quia si ingenitum dixerimus, duos Patres affir-

(66) Hom. 6 in Jerem.
(67) Addendum videtur, *causa sic per se, si solitarie sumatur.*
(68) In l. XII *De Trinitate*, circa medium libri.
(69) Magist. I, dist. 28.
(70) Lib. V *De Trinit.* c. 6, in fine ; l. eod. c. 7, in initio ; l. V, cap. 7.
(71) Hæc solutio Magistri ibid., § 2, sub finem.
(72) Videtur esse Aug. XV *De Trin.*, c. 26, sub finem.
(73) Pseudo Aug. l. LXV, *Q. ad Orosium*, q. 2. in init. Vide etiam l. XV *De Trin.*, c. 26, sub fin.

mare videbimur; si vero genitum, duos filios credere culpabimur » Et alibi (74): « Cum Spiritum sanctum non dicamus genitum, dicere non audemus ingenitum, ne in illo vocabulo vel duos Patres in Trinitate, vel duos qui a nullo sunt confiteri videamur. » Et videtur significare vel illa duo, vel alterum illorum hoc termino *Ingenitus* significare vel consignari; ut cum dicitur, *Pater est ingenitus*; vel duo dicuntur **77** de Patre, scilicet quod est Pater et quod a nullo, vel alterum tantum illorum. Si autem hac locutione significetur Patrem esse Patrem et præterea a nullo; videtur idem significari hoc termino *Ingenitus*, et hoc termino *Pater*, quod videtur contrarium verbo Augustini dicentis (75): « Non est idem dicere Patrem quod ingenitum, quia etsi Filium non genuisset nil prohiberet dici ingenitum, » quod tamen secundum superficiem verborum videtur esse falsum: si enim Pater non genuisset Filium, Pater non esset: si Pater non esset Pater, ingenitus non esset, ergo si Pater non genuisset Filium, Pater non esset ingenitus. Falsum est ergo quod si non genuisset Filium nil prohiberet dici ipsum ingenitum. Potest igitur resolvi per interpretationem hujusmodi: Si Pater non genuisset Filium, Pater non esset, sequitur tamen, si Pater non genuisset Filium, Pater non esset Pater, sed non sequitur, si Pater non esset Pater, Pater non esset ingenitus; quia etsi non esset Pater vel non genuisset Filium, nil prohiberet ipsum dici ingenitum, sed si hæc duo simul essent, quod esset et non esset Pater; quæ tamen esse non potuerunt. Vel ita simpliciter intelligatur; si non genuisset Filium nil prohiberet ipsum dici ingenitum, id est non dicitur ingenitus respectu Filii.

Dicunt ergo quidam quia Pater dicitur ingenitus, non tantum quia a nullo, sed quia alii ab eo. Unde potest inferri quod si Filius et Spiritus sanctus non essent ab eo, non diceretur ingenitus, cum propterea dicatur ingenitus quia ab eo sunt, et ipse a nullo. Item innascibilitate et a nullo est, et alii ab eo, ergo innascibilitate Filius et Spiritus sanctus sunt a Patre, ergo innascibilitate Filius est a Patre, et ita innascibilitas est in Filio. Non enim proprietate quæ in eo non sit videtur esse Filius a Patre. Item innascibilitate est Spiritus sanctus a Patre et non est ab eo nisi per processionem, ergo innascibilitate Spiritus Sanctus procedit a Patre; sed [*videtur addendum* si] non procedit Spiritus sanctus nisi proprietate quæ est in ipso, id est processione, videbitur innascibilitas esse processio et esse potius in Spiritu sancto quam in Patre. Forte dicet quis quod innascibilitate ita sunt Filius et Spiritus sanctus a Patre quod neuter. Sed nec idem [*fort.* id] suffragatur. Quod si hoc est, videtur potius innascibilitas esse in duobus quam in Patre cum nulla sit communis notio Filii et Spiritus sancti. Non videtur ergo dandum quod innascibilitate Pater a nullo sit et alii ab eo.

Ad hoc dicunt quod innascibilitate hoc habet Pater quod a nullo est, et quod Filius et Spiritus sanctus sunt ab eo, non tamen innascibilitate Filius et Spiritus sanctus sunt a Patre; sicut iste domino suo habet quod isti sint subjecti, non tamen isti dominio istius, sed servitute sua sunt ei subjecti vel subditi. Item Pater innascibilitate hoc habet quod Filius et Spiritus sanctus sunt ab eo; ergo Pater innascibilis dicitur respectu Filii et Spiritus sancti; ergo innascibilitate refertur Pater ad Filium et Spiritum sanctum. Potest igitur dici: Pater est ingenitus Filii et Spiritus sancti. Quod etiam videtur Augustinus dicere, scilicet quod Pater innascibilitate ad Filium et Spiritum sanctum referatur. Unde: « Cum ingenitus dicitur, non aliud dicitur quam esse non Filius. Negativa porro particula non id efficit ut quod sine illa relative dicitur, ea præposita substantialiter dicatur; sed id tantum negatur quod sine illa aiebatur (76). » Item, sicut genitus non ad se dicitur, sed quod ex genitore sit, ita ingenitus non ad se dicitur, sed quod ex genitore non sit ostenditur. Item sicut Filius ad Patrem, et non Filius ad non Patrem dicitur relative, ita ingenitus ad genitorem, et non genitus ad non genitorem referatur necesse est. Hilarius etiam dicit (77): « Est unus ab uno, genitus ab ingenito proprietate in unoquoque innascibilitatis, et originis. » Videtur ergo quod Pater dicatur innascibilis respectu Filii in quo est origo.

Ad quod dicunt quia in prædictis auctoritatibus ita accipit Augustinus hoc nomen *ingenitus* quod nil ponit sed removet, ut idem sit *ingenitus*, ac si dicatur *non genitus;* et cum hoc dicitur, relative dicitur; nec tali **78** locutione Patri attribuitur proprietas, sed removetur proprietas Filii a Patre et hoc relative; sicut cum dico, *Filius non est Pater*, removetur proprietas Patris a Filio. Quod ergo dictum *Ingenitus* hoc ponat in Patre; quod Pater a nullo est et alii ab eo sunt, videntur confirmare auctoritate Augustini qui ait (78), *In Patre est unitas*, potuit dicere, in Patre est innascibilitas, sed expressius sic dixit, volens innuere nomine *unitatis* illa duo intelligi, ac si diceret, *aliæ personæ a Patre, Pater a nullo:* ut omnis numerus ab unitate, unitas a nullo. Quod enim Augustinus ait: « In Patre est unitas, » et Hilarius (79): « In Patre est æternitas; » et alii legunt, « In Patre principii auctoritas, » et alii « innascibilitas. » Hæc omnia eumdem inveniunt intellectum. Idem est enim in Patre innascibilitas quod principii auctoritas. In eo autem quod dicitur, « In Patre est innascibilitas, » proprie intelligendum quod Pater a nullo et alii ab eo. Non

(74) Lib. xv *De Trin.*, c. 26 ut sup.
(75) Lib. v, c. 5, sub fin.
(76) Lib. v *De Trin.*, c. 7.
(77) Lib. iv *De Trin.*, non longe a fine.
(78) Lib. i *De doctrina Chr.*, c. 5. Mag. i, d. 31, § 8.
(79) Apud August., l. vi, c. 10, *De Trinit.*

enim in eo proprie diceretur principii auctoritas, si ipse a nullo esset et nullus ab eo; vel si ipse ab aliquo et aliquis ab eo : sed quia ipse a nullo est, et alii ab eo sunt, de quo omnia. Ideo proprie dicitur in eo principii auctoritas, in quo etiam dicitur in eo esse innascibilitas, vel unitas, vel æternitas. Quæ omnia vocabula hac ratione Deo conveniunt.

Sunt alii qui dicunt hoc nomine *Innascibilis* duo significari, scilicet quod Pater a nullo sit, et quod Pater. Unde cum dico Pater est innascibilis, in hoc intelligitur quod Pater sit Pater, in quo etiam intelligitur quod Filius sit a Patre, sed non quod Spiritus sanctus sit a Patre. Non ergo facit innascibilitas intelligi quod alii sunt a Patre, sed alius, scilicet Filius : facit enim intelligi quod Pater sit Pater, in quo intelligitur Filium esse ab eo; et quod Pater a nullo sit. Innascibilitas ergo importat paternitatem sicut paternitas et filiatio spirationem. Ideoque non sunt nisi tres proprietates in Trinitate, cum paternitas innascibilitate intelligatur. Unde non reputatur alia, nec venit cum ea in numerum. At spiratio in paternitate sicut in humanitate intelligitur rationalitas.

At contra hoc objicitur ita : Paternitas aut est alia proprietas ab innascibilitate, aut eadem; si est alia, sunt igitur quinque in Trinitate proprietates, quod ipsi negant : si est eadem, idem ergo significatur istis terminis *Pater, innascibilis*. Et sic idem significant istæ propositiones Pater est Pater, Pater est innascibilis, etc.; sicut ergo Pater paternitate refertur ad Filium, ita et innascibilitate, ex quo hæc proprietas isti eadem. Quod videtur ex auctoritate Hilarii supraposita (80) : « Est unus ab uno genitus ab ingenito proprietate in unoquoque innascibilitatis et originis. » Videtur enim dicere quod innascibilitas et origo sint proprietates quæ Patrem et Filium ad se referri faciunt, sicut paternitas, et origo et filiatio, quod idem est. Item eidem opinioni videtur contradicere Augustinus in supradicta auctoritate (81) : « Non est hoc dicere Patrem quod ingenitum, quia etsi Filium non genuisset, nihil prohiberet dici ingenitum. » Ergo si Pater non genuisset Filium, nihil prohiberet Patrem habere innascibilitatem, et innascibilitas est aliqua proprietas et paternitas, ergo alia est hæc quam illa. Item, si Filium non genuisset, nihil prohiberet Patrem dici ingenitum, sed idem est dicere Patrem ingenitum et Patrem esse Patrem et a nullo esse. Ergo nil prohibet eum esse Patrem, etsi Filium non genuisset. Item, si Pater, est Filius, et econtra. Ergo si Filius non est, Pater non est et econtra; sed si Pater non est, Pater non est ingenitus; et si Filius non generatur a Patre, Filius non est et e contrario. ergo si Filius non generatur a Patre, Pater non est ingenitus, ergo falsum est quod dicit Augustinus : « Si Pater non genuisset Filium nihil prohiberet dici Patrem ingenitum. » Itaque non videtur ut

(80) Hilar. IV *De Trinit.* ut supra.
(81) Lib. V, c. 5, *De Trinit.*

A ostensum est ex prædictis, quod in eo quod dicitur *Pater est ingenitus*, intelligatur quod Pater sit Pater, vel habeat Filium, quod idem est.

Ideoque auctoritatem illam sic exponunt quidam, id est, sic hoc esset quod Pater esset aliquid et Filium **79** non haberet (quod utique impossibile est) tunc nil prohiberet dici Patrem ingenitum, id est *non genitum*, ut nil ponat iste terminus, sed removeat. Alii dicunt sic : Nil prohibet Patrem ingenitum esse et non habere Filium, quia si similiter judicemus de Trinitate et de rebus creatis, nil prohibet Patrem esse ingenitum et non habere Filium. Sic enim contigit in Adam; prius enim fuit innascibilis vel ingenitus quam habuerit filium, et posset fuisse ingenitus et non habuisse Filium. Aliis
B autem videtur quod hoc nomen *ingenitus* duo removeat et unum ponat, quia ponit esse personam et excludit gigni, vel procedere, ut hic sit sensus, Pater est ingenitus, id est cum sit persona, nec gignitur nec procedit. Ideoque Pater et non Spiritus sanctus est ingenitus, cum tamen neuter sit genitus, sicut hæc duo verba *tædet, legere*, non discernunt personas, et tamen hoc et non illud est impersonale, quia hoc nomen impersonale non tantum privat, sed ponit, quia cum habeat terminationem impersonalium non discernit personas. Secundum hoc accidit nullam notionem significari hoc termino *innascibilis*. Sed cum dicitur : *Pater est ingenitus, innascibilis*, non per ablativum notatur præ-
C dicatio notionis, sed ratio accommodationis, id est causa quare accommodatur Patri hoc nomen *ingenitus*. Si enim prædicaretur proprietas, eadem ratione posset dici in Filio esse proprietas per quam excluderetur a Filio quod esset genitor vel procedens; et poneretur esse persona quæ esset alia ab innascibilitate et ab aliis quatuor. Similiter in Spiritu sancto esse proprietas quæ poneretur esse persona et excluderetur quod non esset Pater vel Filius et ita essent plures proprietates in personis quam inveniantur a sanctis determinatæ.

Ut ergo breviter quæ dicta sunt colligantur, dicitur primo modo ingenitus, quia a nullo, et quia alii ab eo; secundo modo, quia a nullo et quia Pater est. Tertio modo quia est persona et non
D gignitur, nec procedit. Elige cui dicas : *Tu sola mihi places* (82). Cuilibet tamen istarum videtur contradicere Hieronymus (83), cum ait : « Spiritus sanctus non est Pater sed est ingenitus et infectus; non est Pater sed est Patris et in Patre; a Patre habet processionem, non nativitatem. » Hic videtur dicere quod Spiritus sanctus sit ingenitus, quod ostensum est esse falsum. Ad quod dicendum quod hoc nomen *ingenitus* accipitur tantum remotive non positive; ut idem sit *ingenitus* quod *non genitus :* quod patet ex divisione, quam postea ponit talem : « Omne quod est, aut est ingenitum et infectum ut Pater et Spiritus sanctus; aut genitum et non fac-

(82) Mag. I, d. 13, § 6, 7 et 8.
(83) Hieron. ibid. apud Magist.

tum, ut Filius, aut factum et genitum ut lapis, aut factum et genitum et renatum ut homo, aut factum et genitum, sed non renatum ut brutum animal.

CAPUT XXX.

De communi Patris et Filii notione, id est de spiratione.

(84) Post hæc de communi notione Patris et Filii dicendum est, id est de principio. Sciendum est igitur quod tropica est locutio cum dicitur: *Pater et Filius sunt unum principium Spiritus sancti;* et duplicem facit intellectum. Potest enim intelligi vel quod Pater et Filius uno modo spirant Spiritum sanctum, vel quia una notione spirant Spiritum sanctum, ut notetur, vel identitas modi, vel identitas notionis. Illa notio *spiratio* dicitur, et est istud verbum in ore hominis, licet non authenticum, imo usui odiosum videtur; cum dicatur ab utroque spirans flamen; et analogiæ grammaticorum qui hoc verbo absoluto utuntur quando utuntur, quando proprie ponitur non transitive. Nos tamen cum aliis dicamus: Cum Pater et Filius spirant Spiritum sanctum, cum hoc habeant commune, id tamen habet Filius a Patre quod spirat Spiritum sanctum. Nam quidquid habet, a Patre habet. Cum ergo et Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sit principium; alio modo dicitur hoc de Patre, **80** alio de Filio, alio de Spiritu sancto. Pater dicitur principium Filii generatione, unde ab æterno est ejus principium. Est etiam Pater principium Spiritus sancti spiratione. Unde ab æterno est ejus principium. Est etiam principium creaturarum creatione quæ est non in Patre sed in creaturis; et tunc significat temporalem relationem quæ est in creatura non in Creatore: et, secundum hoc, Pater in tempore cœpit esse principium creaturæ. Sed cum de Filio dicitur, tantum duo potest significare; vel spirationem quæ notatur cum dicitur, *Filius est principium Spiritus sancti;* vel creationem quæ significatur cum dico, *Filius est principium creaturæ*, et est ista relatio in creatura, non in Creatore. Spiritus sanctus uno solo modo dicitur principium creaturarum: scilicet ex tempore non ab æterno. De Patre igitur tribus modis dicitur; de Filio duobus, de Spiritu sancto uno solum modo: et hoc potes videre in subjecta figura (85).

Quæri autem potest, cum Pater et Filius una spiratione spirent Spiritum sanctum, an sint Pater et Filius unum principium Spiritus sancti, an plura? et ad hoc ita objicitur: In eadem significatione dicitur hoc nomen *principium*, de Patre et Filio, Pater et Filius est principium Spiritus sancti, ergo Pater et Filius sunt principium Spiritus sancti, vel principia. Si sunt Pater et Filius principium Spiritus sancti, cum idem sit utrique esse principium Spiritus sancti, et esse personam spirantem Spiritum sanctum, ergo Pater et Filius sunt una per-

A sona spirans Spiritum sanctum. Item, idem est esse principium Spiritus sancti et esse auctorem Spiritus sancti, Pater et Filius sunt principium Spiritus sancti, ergo sunt unus auctor Spiritus sancti. Ergo una persona. Item, Pater et Filius sunt unum principium Spiritus sancti, ergo sunt unum principium, quod est Spiritus sanctus, ergo Spiritus sanctus est principium Spiritus sancti. Si sunt unum principium, quod non est Spiritus sanctus, ergo Pater et Filius sunt aliquid quod est principium Spiritus sancti, et non est Spiritus sanctus, ergo sunt aliquid quod non est Spiritus sanctus.

Sed ut multas objectiones sub paucis coarctemus, hujusmodi quæstionis difficultas expediri non potest, nisi hujusmodi nominis *principium* diversæ
B appositiones aperiantur quas facere posse videtur in prædicato positum. Hoc igitur nomen vel apponit essentiam, vel personam cum notione, vel notionem puram. Si essentiam apponeret, constaret falsum esse, *Pater est principium Spiritus sancti*. nam hic esset sensus, id est *essentia quæ spirat Spiritum sanctum*, cum essentia nec gignat nec gignatur, nec procedit, nec spiretur. Quod enim invenitur scriptum (86): *Pater est principium deitatis totius* (unde volet quis habere quod divina essentia procedat a Patre), ita intelligendum, id est, Pater est principium Filii et Spiritus sancti, in quibus est tota deitas. Constat igitur hoc nomine non prædicari essentiam. Si vero eo prædicetur persona cum
C notione, verum quidem est et Patrem et Filium esse principium Spiritus sancti, id est personam spirantem Spiritum sanctum; sed cum Pater alia sit persona spirans Spiritum sanctum quam Filius, erit Pater aliud principium Spiritus sancti quam Filius; et ita Pater et Filius erunt duo principia Spiritus sancti. Quod negat Augustinus dicens (87): « Sicut Pater et Filius ad creaturam relative unus Creator et unus Dominus noster, ita relative ad Spiritum sanctum unum principium sunt sicut unus Creator et unus Dominus. »

Relinquitur ergo quod hoc nomen notionem significat, ex quo nec essentiam nec personam cum notione apponit, sed notionem illam potest duobus modis significare, vel adjective, sive concrete... vel
D copulando; vel subjective, aut mathematice, aut non copulando. Verbi gratia hoc nomen *Pater*, vel *albus*, vel aliquod tale adjectivum significat talem proprietatem et eam copulat et adjective eam significat. Hoc nomen *albedo*, vel *paternitas* significat mathematice, et non copulando, et subjective, cum sint subjecta. **81** Hoc igitur nomen *principium*, cum significet spirationem, significat eam copulando, sicut hæc dictio *spirans;* et ita adjective, quod si est, non videtur congrue dici Pater et Filius sunt principium Spiritus sancti, cum non sint cui inni-

(84) Mag. I, d. 29, per totam; item dist. 11, 12, etc. eod. lib.

(85) Non exstat in nostro codice.

(86) Apud August. l. IV, *De Trinit.*, Mag. I, d. 29, § 1.

(87) Lib. V, *De Trinit.*, c. 14, sub fin.

tatur hæc dictio *principium* adjective posita. Sicut incongrue dicitur Pater et Filius sunt spirans Spiritum sanctum, vel Socrates et Plato sunt bonus. Unde illi argumentationi qua hoc concludebatur, in his posset ferri instantia. Multo minus videtur congrue dictum, Pater est aliquod principium Spiritus sancti vel unum; cum dictionibus adjective positis incongrue complentur hæc nomina *unum*, *aliquod*. Quis enim, dicit Socrates, est aliquis albus homo? multo minus potest fieri relatio ad hanc dictionem per *quid*, vel per *quod*, cum hoc nomen non referatur nisi ad dictionem positam subjective, quemadmodum in naturalibus secundum quosdam, cum dico *dies est tempus*, cum hoc nomen *tempus*, quod substantivum est, adjective ponitur, non recipit adjunctionem hujus nominis *unum*, vel relationem hujus nominis *quod*, ut dicatur *dies est aliquod tempus*, vel tempus quod est, vel quod non est. Similiter statua est opus hominis; secundum alios non potest dici aliquod opus hominis, vel opus quod est, vel quod non est.

Si vero dicatur hoc nomine significari relationem eo modo quo significatur hoc nomine *spiratio*, id est mathematice; verum quidem est quod Pater et Filius sunt unum principium Spiritus sancti quod non est Spiritus sanctus, id est una spiratio Spiritus sancti quæ non est Spiritus sanctus: sed secundum hoc, cum idem sit Patrem esse principium Spiritus sancti, et esse spirationem Spiritus sancti; sicut non est idem Patrem esse Patrem, et esse paternitatem, non erit idem Patrem esse principium Spiritus sancti et spirare Spiritum sanctum, nisi dicatur quod hoc nomen *principium* æquivoce significat illam proprietatem, et adjective et substantive; cum tamen eam magis significare videatur substantive, cum sit substantivum. Ad hoc quidam dicunt (in parte recedentes a consideratione grammaticorum, non ex toto tamen) quod cum dico, *Pater et Filius sunt principium Spiritus sancti*, hoc nomen relationem significat et copulat et apponit, et non personam vel essentiam. Illi non recipiunt, *Divina essentia est principium Spiritus sancti*, sicut *divina essentia est Pater Filii*. Nam cum hoc nomen *Pater* apponat personam cum notione, hoc nomen *principium* solam notionem apponit. Nec minus tamen congrue ponitur cum eo hoc nomen *unum* causa majoris expressionis, cum dicitur, *Pater et Filius sunt unum principium Spiritus sancti*, ut per hoc ostendatur quod Pater eadem spiratione spirat Spiritum sanctum qua et Filius, non ideo tamen admittunt relationem ut dicatur, *Pater est principium Spiritus sancti, quod est vel non est Spiritus sanctus;* sicut ista duo differant genere vel specie; non tamen genere quod est, vel quod non est.

At dicet aliquis, Pater et Filius sunt unum principium Spiritus sancti; nulla spiratione spirat Pater (Spiritum sanctum scilicet) qua non spiret Filius Spiritum sanctum; ergo Pater et Filius sunt idem principium Spiritus sancti; ergo Pater est principium Spiritus sancti quod est Filius; eadem ratione, Pater est principium Spiritus sancti quod est vel non est Spiritus sanctus. Ad quod ipsi dicunt quod nil nocet si recipiatur quod Pater et Filius sunt idem principium Spiritus sancti, id est eadem spiratione spirant Spiritum sanctum; sed quando ponitur ibi *quod est*, non admittendum sicut homo idem est genere cum asino, non tamen homo est idem genere quod est asinus vel non asinus. Magister tamen meus (88) in nullo volens detrahere veritati theologiæ propter grammaticorum considerationem conservandam, longe ulterius hic progreditur, dicens quod Pater est principium Spiritus sancti, *quod non est Spiritus sanctus*, passim admittens relationem; et quod Pater est principium Spiritus sancti *quod est Filius*, sub hoc sensu, **82** id est Pater est spirans Spiritum sanctum, et Filius eadem notione est spirans, et prædicatur ibi hoc nomine *principium* spiratio, et copulatur, et adjective ponitur ibi hoc nomen et ad ipsum fit relatio per hoc nomen *quod;* quod in naturali facultate nequaquam reperitur ut ad nomen adjective positum fiat relatio per hoc nomen *quod*. Si quis ergo inferat ita, Pater est aliquod principium Spiritus sancti quod non est Spiritus sanctus; ergo aliquid quod est principium Spiritus sancti et non est Spiritus sanctus. Fallacia. Pater est aliquis generans qui non est Filius; ergo est aliquid quod est generans et non est Filius, quod falsum est; nisi dictio neutrius generis scilicet *aliquid* accipiatur personaliter: *aliquid*, id est *aliqua persona*, sic etiam reciperet, ipse Pater est aliquid quod est principium Spiritus sancti et non est Spiritus sanctus, et aliqua persona quæ est principium Spiritus sancti et non est Spiritus sanctus. Quo tamen dato, si quis inferat, ergo Pater est aliquid quod non est Spiritus sanctus; in eodem instaret sic, Pater est aliquid quod generat et non est Filius; ergo est aliquid quod non est Filius.

Item contra hoc ita objicitur, idem est Patri esse principium Spiritus sancti et spirare Spiritum sanctum, et Filio similiter; Pater et Filius sunt unum principium Spiritus sancti; ergo sunt unum spirans Spiritum sanctum. Vel ita, idem est tam Patri quam Filio esse principium Spiritus sancti et spirare Spiritum sanctum, Pater et Filius sunt spirantes Spiritum sanctum; ergo sunt principia Spiritus sancti; sed manifestum est hoc non esse recipiendum: videretur enim pluralitas intelligi, vel circa modos vel circa spirationes. Cum tamen apponitur hæc dictio *spirans* pluraliter, non ponitur pluraliter significatione, sed voce, ut supra ostensum est, in omnibus verbis quæ de Deo dicuntur secundum essentiam, quæ pluraliter, prolata singularia sunt

(88) Petrus scilicet Lombardus, I, d. 29 sub fin. Si tamen ad hunc locum alludat, et non ad alium qui jam non exstat.

significatione. Sicut etiam cum dico, *Athenæ sunt*, hoc verbum plurale est voce, sed singulare significatione, nec tamen in neutro admittendum est, Pater et Filius sunt spirantia Spiritum sanctum, sed spirantes. Fallacia. Idem est Patri et Filio esse personam et esse essentiam, Pater et Filius sunt personæ; ergo sunt essentiæ. Item, Spiritus sanctus principaliter procedit de Patre et non principaliter de Filio; ergo aliquo modo de Patre quo non de Filio, quod falsum est; quia una et eadem processione ab hoc et ab illo. Ideo dicendum quod *principaliter procedere* non ponit modum procedendi, sed principaliter a Patre dicitur, quia hoc dedit Pater Filio ut ab ipso Filio Spiritus procedat, fallacia. Filius est Deus de Deo Patre; Pater non est Deus de Deo Patre; ergo aliquo modo est Deus Filius quo non est Deus Pater. Item auctoritas habet (89) quia Spiritus sanctus procedit ab utroque, Spiritus sanctus est spiritus utriusque : igitur qui procedit ab utroque personaliter differt ab utroque; ergo quia procedit ab utroque, est alius ab utroque; ergo a simili quia Pater et Filius sunt principium Spiritus sancti, Pater et Filius sunt aliud vel alii a Spiritu sancto, quorum neutrum dandum, fallacia. Quia iste genitus est a Patre suo, est alia persona a Patre suo; ergo quia Pater suus genuit eum, Pater suus fuit alia persona ab ipso. Non; quia prius fuit aliqua persona quam eum genuerit.

Item si Pater non genuisset Filium et esset principium Spiritus sancti, eo quod esset principium Spiritus sancti esset alius a Spiritu sancto, nec aliter nec alio modo esset principium Spiritus; ita aliquis modo est alius a Spiritu sancto per hoc quod est principium Spiritus sancti; est ipse alius a Spiritu sancto; ergo Pater vel alius quam Pater; sed alius, non ergo Pater : si vero Pater est, Pater eo ipso quod est principium Spiritus sancti; ergo econtrario Pater in quantum est Pater, est principium Spiritus sancti; sic ergo Pater jam esset Pater Spiritus sancti, quod absurdum est, fallacia primi : si quis habens duos filios unum primogenitum, et alium secundo loco natum, non genuisset **83** illum qui est primogenitus, si genuisset alterum qui est secundo loco natus, ipse esset primogenitus, nec tamen aliter esset ejus filius quam modo; ergo sicut tunc esset primogenitus, ita nunc est prior genitus. Vel ita, si aliquis qui videt dextro oculo et videt sinistro, videret tantum sinistro non tamen alio modo videret sinistro quam modo, cum videt dextro et sinistro; ergo modo videt tantum sinistro, sicut tunc tantum videret sinistro.

Non ideo quia dicimus quod proprietas illa qua Pater est principium Spiritus sancti; non est personalis proprietas, personalem proprietatem dicimus quia aliqua [qua] persona differt a qualibet alia. Sed objicitur, proprietas qua Spiritus sanctus procedit a Patre, est personalis; ergo proprietas qua Pater spirat Spiritum sanctum est personalis. Fallacia. Proprietas qua Spiritus sanctus procedit a Patre convenit uni soli personæ. Item aliud est esse Patrem, aliud principium ; ergo sicut Pater est alius a Spiritu sancto in quantum est Pater, ita in quantum est principium est alius ab eo. Quam argumentationem confirmat Augustinus sic : *Aliud est gignere, aliud genitum esse, aliud procedere. Ita alius Pater, alius Filius, alius Spiritus S.* Quod tamen sic intelligitur. Aliud est gignere, aliud gigni, id est alia est personalis proprietas generatio, alia nativitas, alia processio. Cum vero dicitur, aliud est Pater, aliud principium, non potest intelligi aliqua personalis proprietas qua Pater sit principium. Ideoque Pater non est al us in quantum est principium. Non enim esset Pater, cum non possit esse alius, et sic esset Pater Spiritus sancti. Cum ergo dicitur, *aliud est esse Patrem, aliud principium*, ita intellige, id est alterius proprietatis ostenditur esse Pater cum dicitur *Pater*, alterius cum dicitur *principium*. Item quia Spiritus sanctus procedit, ab utroque est alius ab utroque; ergo quia Pater est principium Spiritus sancti, est alius a Spiritu sancto, quod ideo non sequitur, quia illa proprietas qua Spiritus sanctus procedit ab utroque est personalis, illa autem *Pater est ejus principium* non est personalis.

Item cum dicitur principium Spiritus sancti est Pater et Filius, de aliquo fit sermo quod est in Trinitate ; ergo vel de persona vel de essentia, vel de proprietate : si de persona, cum de eo de quo fit sermo dicatur quod sit Pater et Filius; ergo persona est Pater et Filius : si de substantia, ergo subjectus terminus significat substantiam ; ergo substantia est principium Spiritus sancti ; ergo Spiritus sanctus est divina substantia ; ergo non est divina substantia, quia nil est illud a quo est. Si vero de proprietate, ergo subjectus terminus significat proprietatem ; ergo de aliqua proprietate dicitur quod sit principium Spiritus sancti, et ita Spiritus sanctus est ab aliqua proprietate.

Dicunt quidam quod de nullo sit sermo, sed de duabus personis, scilicet de Patre et Filio. Contra sic, principium Spiritus S. est Pater et Filius : Ergo Pater et Filius sunt principium Spiritus S. cum sit locutio a simplici conversa. Item, idem significatur hoc termino posito in subjecto et prædicato ; idem est ergo *Pater et Filius sunt principium Spiritus S.* ac si diceretur *Pater et Filius sunt Pater et Filius.* Sed una est sola proprietas qua sunt principium ; ergo una est qua sunt Pater et Filius, et ita una proprietas est paternitas et filiatio. Dicunt ergo quod nec de aliquo nec de aliquibus, sed contra : hac propositione *Principium Spiritus S. est Pater et Filius*, cum sit vera, significatur aliquod necessarium , illud pro aliquo vel aliquibus verum est, et ita habemus præmissam

(89) In Symbol. Constantin. ex additione Latinorum.

objectionem. Dicunt ergo quod ibi hoc nomen *principium* significat proprietatem, id est signum proprietatis, sed non appellat, nec nominat, nec prædicat, nec subjicit.

Item Pater et Filius sunt principium Spiritus sancti; ergo sunt unum vel idem principium Spiritus sancti, a quo procedit Spiritus sanctus, aut non procedit: sed sunt principium a quo procedit Spiritus sanctus; ergo sunt aliquid a quo procedit Spiritus sanctus; et ita essentia, **84** vel proprietas, vel persona a qua procedit Spiritus sanctus. Ideo distingue, Pater et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti, id est sunt unum a quo procedit Spiritus sanctus, falsum; sed una et eadem proprietate spirant Spiritum sanctum. Item Spiritus sanctus procedit a principio Patre et Filio; ergo est aliquod principium Spiritus sancti quod est Pater et Filius; igitur vel substantia, vel proprietas, vel persona est principium Spiritus sancti, quod est Pater et Filius. Distinguenda est hæc, aliquod est principium Spiritus sancti quod est Pater est Filius; id est principium Spiritus sancti est aliquid quod est Pater et Filius, falsum. Si vero sic, Spiritus sanctus procedit a Patre et Filio, verum est.

Solet quæri quid supponat hoc nomen *principium* cum ex parte suppositi nomen ponitur et dicitur, *principium Spiritus sancti est Pater et Filius;* quia aut essentiam aut personam cum notione, aut notionem supponit; sed non supponit essentiam; quia tunc esset sensus, *aliquid*, id est aliqua essentia quæ spirat Spiritum S. *est Pater et Filius*, et ita esset locutio positiva falsi, scilicet quod divina essentia spiraret Spiritum sanctum, quod falsum est si supponat personam cum notione, idem est igitur dictu, persona spirans Spiritum sanctum est Pater, ac si dicatur principium Spiritus sancti est Pater. Cum ergo alia persona spirans Spiritum sanctum sit Pater, et alia Filius, videbitur aliud principium Spiritus sancti esse Pater et aliud Filius, cum non eadem persona spirans Spiritum sanctum sit Pater et Filius. Item iste terminus *principium Spiritus sancti* æque indifferenter dicitur de Patre et Filio. Cum ergo dicitur de Patre *principium Spiritus sancti est Pater*, facta suppositione pro Patre, vere poterit dici, principium Spiritus sancti non est Filius, cum Filius et Pater sint opposita prædicabilia, ut videtur, quia Pater nec est nec esse potest Filius.

Videtur ergo indefinita hæc propositio *principium Spiritus sancti est Pater*, ut indifferenter accipi possit hoc nomen *principium* pro Patre et Filio. Quod si dicatur hoc nomen *principium* non posse accipi, nisi pro persona Patris propter hoc nomen *Pater* quod in prædicato ponitur, secundum illud: *Talia erunt subjecta qualia prædicata permiserunt*, videtur dandum, *principium Spiritus sancti est tantum Pater*. Unde infertur; ergo principium Spiritus sancti non est Filius; vel, idem principium Spiritus sancti est Pater et Filius. Item, principium Spiritus sancti est Pater; ergo principium Spiri-

A tus sancti est Pater et Filius; vel est Pater et non Filius. Si est Pater et non Filius, ergo principium Spiritus sancti non est Filius. Si dicatur quod principium Spiritus sancti est Pater et Filius, cum non supponat ibi hoc nomen *principium* pro essentia, ut dictum est, quia illa non spirat; nec pro persona, quia nulla persona est Pater et Filius, supponit ibi pro personis, et ita habet ibi vim nominis collectivi, cum supponat pro Patre et Filio simul; ergo cum vere dicatur *Pater et Filius non sunt Pater*, vere dicetur, *principium Spiritus sancti non est Pater, nec Filius*, in uno sensu hoc nomine accepto in vi collectivi nominis, et tamen principium Spiritus sancti est Pater, principium Spiritus sancti est Filius.

B Sed hæc nullo modo videntur vera, *principium Spiritus sancti est Pater et Filius*, sive principium supponat pro una persona, sive pro duabus; quod tamen ita potest probari: Principium Spiritus sancti est Pater, principium Spiritus sancti est Filius, principium Spiritus sancti est Pater et Filius; ergo principium Spiritus sancti est Pater et Filius. Item, nulli convenit prædicatum hujus propositionis, *principium Spiritus Sancti est Pater*, cui non conveniat subjectum; alicui convenit subjectum cui non convenit prædicatum, quia Filio; ergo subjectum ejus in vera propositione removetur a prædicato; ergo principium Spiritus sancti non est. Item aut aliquod principium Spiritus sancti non est Pater, aut nullum. Si dicat nullum principium Spiritus sancti non est Pater, et Filius

C est principium **85** Spiritus sancti, et in eadem significatione dicitur hoc de Patre et Filio; ergo Filius est Pater. Item nullum principium Spiritus sancti non est Pater, nullum principium Spiritus sancti non est Filius: istæ duæ propositiones sunt universales et veræ in quibus prædicantur hæc duo prædicabilia, *Pater*, *Filius*, de eodem termino in eadem significatione accepto: ergo alterum eorum ponitur de altero. Item, Pater nec est nec esse potest Filius, et econtrario: ergo isti termini sunt opposita prædicabilia. Sed utrique convenit iste terminus, *principium Spiritus sancti*, et eis in eadem significatione; ergo est superius ad illa duo; ergo utrique duorum potest particulariter et vere

D removeri ab hoc, *principium Spiritus sancti*. Item, nullum principium Spiritus sancti non est Pater, nullum principium Spiritus sancti non est Filius, Pater et Filius sunt unum principium Spiritus sancti: ergo unum principium Spiritus sancti est Pater et Filius. Item, non est verum quod principium Spiritus sancti sit et Pater et Filius, principium Spiritus sancti est Pater, principium Spiritus sancti est Filius; ergo principium Spiritus sancti, vel non est Pater vel non est Filius. Item, aut aliquod principium Spiritus sancti aut nullum est Pater quod sit Filius. Si aliquod, ergo principium Spiritus sancti quod est Pater, est Filius; ergo unum principium Spiritus sancti est Pater et Filius. Si nullum principium Spiritus sancti est

Pater quod sit Filius, et Pater et Filius est principium Spiritus sancti; ergo Pater et Filius non sunt unum principium Spiritus sancti. Multis aliis est ostendere modis quod non supponitur persona illo termino, nisi dicatur quod duo principia Spiritus sancti sunt Pater et Filius, quod nemo audet dicere propter auctoritatem Augustini supra positam, quæ contradicit.

Si vero dicatur hoc nomen *principium* ibi supponere relationem, certum est quod non posset tunc poni adjective; tunc enim incongrua esset locutio. Sicut incongrue dicitur, *albus est homo*, si supponit illud adjectivum adjective positum; si vero substantive ponitur, idem est dicere principium Spiritus sancti est Pater, ac si dicatur, spiratio qua Pater spirat Spiritum sanctum est Pater. Et ita passim ibi admittetur relatio, quemadmodum si poneretur ibi hoc nomen *spiratio*, et ita dabitur, *principium Spiritus sancti quod est Pater, est Filius*, id est spiratio quæ est Pater est Filius, et principium Spiritus sancti quod est Pater non est Spiritus sanctus, id est spiratio quæ est Pater non est Spiritus sanctus, nec etiam illa propositio indefinita est, sed singularis. Et hoc dato, nullum video accidere inconveniens, nisi quod hoc nomen *principium* variat suam significationem in subjecto et in prædicato positum. Nam in prædicato significat notionem adjective, in subjecto substantive, et ita variat suam significationem, imo potius modum significandi, cum eamdem notionem hinc inde significet, sed alio modo hic alio modo ibi.

Aliis videtur dandum, *Pater est principium Spiritus sancti*, quia ibi *Pater* sola notio, sed non econtrario; quia si diceretur, principium Spiritus sancti est Pater, supponeretur essentia cum notione, et esset sensus quod essentia divina a qua est Spiritus sanctus esset Pater, et ita locutio illa esset positiva falsi, cum non sit ab essentia divina Spiritus sanctus. Ideo non incongrue dicitur principium Spiritus sancti est Pater. Verumtamen congrue dicitur principium creaturarum est Pater, id est essentia divina, a qua est creatura, est Pater, quia supponitur essentia cum relatione temporali.

Solet quæri an sit recipiendum, *Pater est principium Filii et Spiritus sancti*, quod non videtur, quia alia ratione dicitur Pater esse principium Filii, scilicet generatione, quam Spiritus sancti cujus est Pater principium spiratione. Non est quidem dandum sub una prolatione *Pater est principium Filii et Spiritus sancti*, sed sub duabus sic, Pater est principium Filii, Pater est principium Spiritus sancti.

Item quæritur an Pater et Filius sint unus auctor Spiritus sancti an **86** duo? Si enim sunt unus

A auctor Spiritus sancti, ergo sunt una persona. Si vero sunt duo auctores Spiritus sancti, cum idem sit esse principium Spiritus sancti, et esse auctorem Spiritus sancti, videbuntur duo esse principia Spiritus sancti. Vel si sunt duo auctores Spiritus sancti, videbuntur duabus notionibus spirare Spiritum sanctum. Ideo enim supra negatum est Patrem et Filium esse duo principia Spiritus sancti, ne videantur alia spiratione vel alio modo spirare Spiritum sanctum quam Filius. Item, si ista duo nomina *homo et lapis* dicuntur una pars orationis, quia unum et eumdem modum habent significandi, quia tropica est locutio; videbitur sic quoque quod Pater et Filius sint unus auctor Spi-

B ritus sancti, quia eadem ratione dicitur Pater auctor Spiritus sancti qua et Filius; præsertim cum Pater et Filius sint unum principium Spiritus sancti, et idem sit esse principium Spiritus sancti, et esse auctorem Spiritus sancti. Ad quod potest dici quod nil noceret si diceretur Patrem et Filium esse duos auctores Spiritus sancti, nec refertur pluralitas ad modos vel notiones, sed ad personas quæ eadem notione spirant Spiritum sanctum. Non ideo tamen dandum quod Pater et Filius sunt duo principia Spiritus sancti, quia illud contradicit auctoritas. Quia non dicitur Patrem et Filium esse duos auctores creaturarum, sed unum, nec duo principia Spiritus sancti, sed unum, cum sint unum principium; et hoc sit idem illi, nec ponitur per-

C sona vel essentia hoc nomine, *auctor*, sed notio tantum, sic et hoc nomine *principium*. Utrumlibet tamen istorum recipiatur, semper consideranda est causa dicti. Nam, dato singulari, ad modum et notionem singularitas non ad personam est referenda; sin plurale, propter pluralitatem personarum non modorum vel notionum, hoc dicitur.

(90) Solet etiam quæri quare Filius dicatur *principium de principio* et non Spiritus sanctus, et quid isto prædicetur de Filio? Ad quod dicendum quod si hæc oratio *principium sine principio* accipiatur in vi nominis, accipitur pro hoc nomine *ingenitus*, et sic Pater aliqua notione, scilicet innascibilitate, est principium sine principio, sicut innascibilitate

D est ingenitus. Si vero habeat vim orationis, per nominativum notatur communis participalitas trium personarum; per ablativum vero innuitur modus dandi principalitatem de Patre, quo modo non dicitur principalitas de aliis duabus personis. Idem est ergo dicere principium sine principio, ac si dicatur Pater est Creator vel principium creaturarum, vel essentia divina a qua sunt omnia, et a nullo est. Sic quoque cum dicitur, *Filius est principium de principio*, hæc oratio potest habere vim nominis, ut idem sit ac si dicatur, *Filius est Filius*, et probatur eadem notio tunc, hoc verbo *principium de principio*, et hoc nomine *Filius*. Nam hæc

(90) Vide observationes nostras ad 6. cap. Pulli, in 1. part

circumlocutio ab auctoribus sacræ paginæ Filio appropriata est. Si vero circumlocutio illa habeat vim orationis, idem est ac si dicatur : Filius est principium creaturarum, vel est divina essentia, et ipse est de Patre, ut per nominativum notetur communis principalitas trium personarum quæ est divina essentia; per ablativum modus dandi illam principalitatem de Filio, et non de Patre, ita scilicet quod Filius est de Patre unum cum eo principium. Sic ad solam diversitatem modorum dicendi nolunt quidam referre quod dicitur Pater principium Filii, ut potius sit æquivocatio dicendi quam essendi. Nec secundum eos, cum dicitur, Pater paternitate est principium Filii, notatur per ablativum prædicatio notionis, sed ratio accommodatur et probatur ratio theologica, scilicet principalitas, cum dicitur principium Filii, vel principium Spiritus sancti.

Si quæratur quare Filius et non Spiritus sanctus dicatur *principium de principio*, poterit pro ratione sufficere voluntas auctorum Filio hujusmodi locutiones appropriantium. Quidam tamen volunt super hoc reddere rationem, quibus videtur, cum dicitur *principium de principio*, non per nominativum designari communem **87** principalitatem trium personarum, sed æternam relationem, scilicet spirationem; per ablativum vero paternitatem; et ita notantur duæ essentiæ relationes cum dicitur, Filius est principium de principio. Si autem dicatur, *spiratio est principium de principio*, per nominativum notatur temporalis relatio, cum Spiritus sanctus non sit principium ab æterno; per ablativum æterna relatio : et quia inconveniens videtur talis junctura relationum quæ diversæ sunt rationis quarum altera æterna, altera temporalis, nec sustinet hæc præpositio, *de*, talem juncturam. Ideo non dicitur *principium de principio* Spiritus sanctus. Sic igitur secundum eos sic notatur per nominativum æterna relatio, scilicet spiratio. Sicut tamen ex supradictis habemus, potest dici quod hæc nomina in tali junctura locutionis, *Deus de Deo*, *lumen de lumine*, *principium de principio*, et hujusmodi personaliter accipiuntur, non relative, sed pro relativis, ut primo positum dicatur pro persona Filii, secundo positum pro persona Patris; et ita necesse est accipi cum in subjecto positis hujusmodi appellationibus dicitur *principium de principio est Filius*. Non enim ibi essentiam potest supponere hoc nomen *principium* vel relationem, cum nec divina essentia nec spiratio sit a Patre principio.

Si ita objiciatur, Spiritus sanctus est principium et non est de principio; ergo est principium sine principio; ergo est Pater : solvitur per interemptionem. Est enim Spiritus sanctus de Patre principium. Unde si inferatur, Spiritum sanctum esse principium de principio, neutrum dandum, nec quod sit principium sine principio, nec quod sit principium de principio, quia istarum orationum una appropriata est Patri, altera Filio; eo quod Filius primo loco procedit de Patre (non dico primo loco, *vel tempore*, *vel natura*) sed quia ita est Filius a Patre, quod non ab alio. Spiritus sanctus ita est a Patre quod etiam a Filio. Ob quam considerationem non dicimus aliquem curare si dicat solum Filium esse principium de principio, vel Deum de Deo, sive lumen de lumine; quia solus ut dictum est, a Patre primo loco est.

CAPUT XXXI.

De proprietate æterna Spiritus sancti, id est de processione.

(91) His ita tractatis agendum est de propria Spiritus sancti proprietate, secundum quam dicitur *procedens*. In quo notandum quod dupliciter est processio Spiritus sancti, temporalis et æterna. Æterna est quæ ineffabilis est qua a Patre et Filio æternaliter et sine tempore processit; et temporalis qua a Patre et Filio ad sanctificandam creaturam procedit. De illa processione quæ æterna est primo agendum, quia non est susceptus hic sermo nisi de æternis relationibus, postea enim sigillatim tractabitur de temporalibus proprietatibus. Primo igitur quæri potest cum Spiritus sanctus vere procedat de Patre et sit de substantia Patris, cur non dicitur natus vel genitus? quod ita solvit Augustinus (92) : « Si Spiritus sanctus Filius diceretur, amborum utique Filius diceretur, quod absurdum est; Filius quippe nullus duorum est nisi patris et matris. »

(93) Quæritur etiam cum Spiritus sanctus non dicitur genitus sed procedens, cur Filius non dicitur tantum genitus, sed et procedens, sicut in Evangelio ipse de se ait : *Ego a Patre processi et in hunc mundum veni* (*Joan.* VIII). Ad quod dicendum, quia cum Filius procedat a patre processione [generatione], et Spiritus sanctus æterna processione, alio modo dicitur procedere Filius, alio modo Spiritus sanctus. Nam Filius nascendo, Spiritus sanctus non nascendo. Si vero tantum quæratur quare magis Filius nascendo quam Spiritus sanctus a Patre procedat, audi Augustinum dicentem (94) : « Distinguere inter illam generationem et processionem nescio, non valeo, non sufficio. Ac per hoc quia et illa et ista est ineffabilis sicut propheta loquens de **88** Filio ait : *Generationem ejus quis enarrabit?* (*Isa.* LIII) ita de Spiritu sancto verissime dicitur, processionem ejus quis enarrabit? » Sufficiat ergo nobis scire et credere quod a Patre sit et procedat Spiritus sanctus, modumque positum supra hominem pie ignoremus. Hoc tamen nobis certum quod hac proprietate refertur ad Patrem et Filium. Nam ab utroque procedit. Quod enim a Filio procedat, testatur Apostolus : *Misit Spiritum Filii sui in corda nostra* (*Galat.* IV).

(95) Græci tamen Spiritum sanctum a Filio procedere negant, quia in Evangelio loquens Veritas de·

(91) Mag. I, d. 13, etc. Item d. 11, etc., lib. I.
(92) Lib. XV *De Trinit.*, cap. 27.
(93) Mag. sup., § 2.

(94) Lib. III *contra Maxim.*, c. 14 ; quo locis pluribus collimavit auctor.
(95) Mag. I, d. 11, § 2, hæc eadem habet.

processione Spiritus sancti, mentionem de Patre A facit, non de Filio, dicendo: *Spiritus qui a Patre procedit* (*Joan.* xv); et quia in principalibus conciliis quæ apud illos celebrata sunt (in quibus quidem Symbolum ordinatum est, in quo solus commemoratur Pater his verbis (96): « Et in Spiritum sanctum Dominum et vivificantem protectorem ex Patre procedentem et Filio coadorandum et conglorificandum, » sancitum est subjunctis anathematibus: « Qui aliter docuerit, vel aliter prædicaverit anathema sit. » Ideoque nos anathematizatos dicunt qui Spiritum sanctum a Filio procedere dicimus; quod enim secundum nos ibi dicitur, *qui ex Patre Filioque procedit*, alterum a Latinis additum est, id est *Filio*.

(97) Sed nos verba illa determinamus; *qui aliud*, B id est qui contrarium prædicaverit; sicut in Epistola ad Galatas (cap. I): *Si quis aliud*, id est contrarium *evangelizaverit, anathema sit;* non dixit, *si addiderit:* ipse enim Apostolus cupiebat venire ad quosdam ut quod deesset in fide suppleret. Ad illud vero quod in Evangelio videtur dici Spiritum sanctum non procedere a Filio, sed a Patre, de quo solo fit mentio, ita respondemus: Quia, quamvis nominetur Pater, non ideo excluditur Filius; quia non dicitur *solo Patre.* Sed ideo solum Patrem commemoravit, quia ad ipsum etiam solet referre quod ipsius est, quia ab illo habet (98). In sensu tamen conveniunt Græci nobiscum, quia recipiunt Spiritum sanctum esse Filii, quod non est aliud quam ipsum procedere a Filio. Unde etiam quidam eorum docto- C res unam eamdemque sententiam attendentes, Spiritum sanctum a Filio procedere testati sunt, ut Athanasius (99): « Spiritus sanctus a Patre et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. » Joannes etiam Chrysostomus in homilia quadam (100): « Iste est Spiritus sanctus procedens a Patre et Filio qui dividit bona propria, prout vult. »

(1) Quæritur etiam an prius processerit Spiritus sanctus a Patre quam a Filio, vel non? Ad quod ita ratiocinabatur quidam hæreticus contra Augustinum: « Spiritus sanctus procedit de Patre; ergo nato Filio aut non nato. Si nato Filio, ergo nativitas Filii præcessit processionem Spiritus sancti. Si vero nondum nato Filio, ergo processio Spiritus D sancti præcessit nativitatem Filii. » Huic quæstioni satis puerili respondet Augustinus (2): « In illa summa Trinitate quæ Deus est, intervalla temporum nulla sunt per quæ possit ostendi aut saltem requiri, utrum prius de Patre natus sit Filius, et postea de ambobus processerit Spiritus sanctus. »

(3) Solet etiam quæri, an plenius vel magis procedat Spiritus sanctus a Patre quam Filio, vel econtrario? Quod ita videtur Augustinus dicere (4): « Non frustra in hac Trinitate non dicitur Verbum Dei nisi Filius, nec donum Dei nisi Spiritus sanctus, nec de quo genitum est Verbum et de quo procedit Spiritus sanctus principaliter nisi Deus Pater. » Hic, videtur dicere quod Spiritus sanctus principalius a Patre procedat quam a Filio. Quod ideo dicit Augustinus (5), quia cum etiam a Filio procedat Spiritus sanctus, idipsum habet a Patre Filius, quia quidquid habet, habet a Patre, etiam essentiam suam. Ideoque omnia quæ sunt Filii ad Patrem referuntur.

Quæritur autem, cum processio Spiritus sancti sit proprietas per quam distinguitur a Patre et a Filio, an per eam referatur Spiritus sanctus ad Patrem et ad Filium. Quod si est, potest igitur dici Pater Spiritus sancti, et Filius Spiritus sancti. Unde habebitur quod Spiritus sanctus habet Patrem et Filium. Si vero dicatur, **89** *habet terminum dici de Deo*, secundum essentiam dicitur de Trinitate. Itaque erant Pater et Filius et Spiritus sanctus unus Spiritus sanctus, sicut unus Deus. Ad quod dicendum quod hæc oratio *Spiritus sanctus*, quandoque accipitur, essentialiter ut dicatur de tota Trinitate. Unde Augustinus (6): « Nullo modo Trinitas potest dici Filius; Spiritus vero sanctus potest dici, secundum quod scriptum est: *Deus Spiritus est* (*Joan.* IV). » Quidam tamen dicunt quod Pater et Filius sunt *Spiritus*, non tamen *Spiritus sanctus*, vel *non sanctus*. Sumitur et hæc oratio *Spiritus sanctus* in designatione relationis. Unde (7) « Spiritus sanctus, qui non est Trinitas, sed in Trinitate intelligitur, in eo quod proprie dicitur Spiritus sanctus, relative dicitur, cum et ad Patrem et ad Filium referatur; relatio tamen non apparet in hoc nomine, apparet tamen cum dicitur donum. »

(8) Et nota quia alia ratione dicitur donum, alia donatum. Nam donum dicitur ab æterno; donatum, ex tempore. Unde Augustinus (9). « Semper procedit Spiritus sanctus et non ex tempore, sed ab æterno procedit, et quia ab æterno procedebat ut esset donabile, jam donum erat antequam esset cui daretur. » Et nota quod Spiritus sanctus proprie dicitur donum Dei, id proprie charitas, licet hoc unum de tota Trinitate dicatur.

(10) Quod enim charitas ipsa qua Deum diligimus, vel qua Deus nos diligit Deus sit, audi Augustinum dicentem (11): « Cum de dilectione fratrem diligimus, de Deo fratrem diligimus. Nec fieri

(96) In Symb. Const. I.
(97) Mag. sup. § 3, similiter ad Gal. I.
(98) Hæc etiam Mag., § 4.
(99) In Symbolo.
(100) In expositione Symboli, ut apud Mag. sup. § 5.
(1) Mag. I, d. 12.
(2) *Lib.* xv *De Trinit.*, cap. 26 in init.
(3) *Mag. sup.*, § 5.

(4) xv *De Trinit.*, c. 17, post med.
(5) Ibid.
(6) Lib. v *De Trinit.*, c. 11.
(7) Aug., ibid.
(8) Mag. I, d. 18.
(9) *De Trin.* c. 15.
(10) Mag. I, d. 17, etc.
(11) Libro VIII, *De Tr.* c. 8. Ad hunc lapidem graviter offendit Mag. citatus.

potest ut ipsam præcipue dilectionem non diligamus, qua fratrem diligimus, quia Deus ipse dilectio est.» Et ne quis hoc dictum esse putet per causam, sicut cum dicitur, *Deus est spes nostra et refugium*, quia est causa spei et refugii; audi quid alibi dicat (12). Tale est : *Tu es patientia mea* (*Psal.* LXX), quale est, *Domine, spes mea* (*ibid*); et : *Deus meus misericordia mea* (*Psal.* LVIII). Non autem ita dictum est : Deus charitas mea, sed ita dictum est : *Deus charitas est* (*I Joan.* IV), sicut est dictum : Deus Spiritus est.»

(13) Quod tamen si dicatur, quæritur cum charitas magis et minus habeatur, augeatur et minuatur, an Spiritus sanctus augeatur et minuatur, cum charitas sit Spiritus sanctus; sic enim videtur mutabilis. Ad quod dicendum quod Spiritus sanctus non recipit in se magis vel minus, nec in se exaltatur vel magnificatur, sed in nobis exaltatur qui eum habemus, et in quo proficimus diligendo et cognoscendo. Unde Augustinus (14) : « Si Spiritus sanctus ab alio magis et ab alio minus non haberetur, sanctus Eliseus sancto Eliæ non diceret; *Spiritus qui in te est, duplo fiat in me* (*IV Reg.* II).» Et alibi (15) : « Probet se quisque quantum charitas in eo proficiat, imo quantum ipse in charitate. Si enim Deus charitas est, nec proficit nec deficit.»

(16) Item, aliquis habet charitatem qui prius non habebat, et charitas est Spiritus sanctus. Ergo aliquis habet Spiritum sanctum qui prius non habebat eum. Ergo in aliquo est Spiritus sanctus in quo prius non erat, cum tamen ille prius esset. Ad hoc dicimus, quia non omnis habet Spiritum sanctum in quo est Spiritus sanctus. Alioquin irrationales creaturæ eum haberent, sed illi soli habent in quibus est per inhabitantem gratiam. Item dicit Augustinus (17) : « Unde est fides, nisi a quo est dilectio,» id est a Spiritu sancto. Ergo sicut fides quæ est a Spiritu sancto non est Spiritus sanctus, ita dilectio quæ est a Spiritu sancto non est Spiritus sanctus. Ad quod dicimus quod Spiritus sanctus a se quidem est in nobis; hoc supplendum est. Nam ipse se dat nobis; et ita tam fides quam Spiritus sanctus a se est in nobis. Item Augustinus (18) : « Charitas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris (*Rom.* v), non qua nos ipse diligit, sed qua nos suos dilectores facit.» Hic videtur distingui charitas qua Deum diligimus, ab ea qua ipse nos diligit; et ita cum Deus diligat nos charitate quæ est Spiritus sanctus, non videtur quod nos diligamus eum ea qua ipse nos diligit; et ita cum Deus diligat nos charitate quæ est Spiritus sanctus, non videtur quod nos diligimus eum charitate quæ est Spiritus sanctus, sed charitate creata quæ est virtus mentis. Sed nos ita exponimus auctoritatem illam (19), ut non distinguatur inter dilectionem illam **90** qua nos diligit, et illam qua eum diligimus, quæ eadem est Spiritus sanctus. Sed ita, « non qua nos ipse diligit, sed secundum quod ea nos suos dilectores facit,» ut una etiam intelligatur utrobique dilectio. Item Augustinus (20) « Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum; et se ac proximo propter Deum.» Sed ita dicitur charitas esse motus animi, sicut dicitur Deus *spes nostra*, scilicet per causam; sicut Sapientia in sacra Scriptura dicitur actus *mobilis*, *certus*, *incoinquinatus* (21), cum tamen ipsa non sit aliquid mobile, nisi per causam qua facit nos moveri de virtute ad virtutem. Sed cum charitas operetur in nobis actum credendi et sperandi, sicut et diligendi, cur dicitur quod charitate diligimus, et non charitate credimus vel speramus? Cujus quidem patet solutio, quia charitas modum credendi operatur mediante fide virtute, sicut modum sperandi mediante Spiritu sancto, sed modum diligendi nulla virtute mediante (22). Unde a charitate credimus, speramus, sed non charitate: a charitate diligimus et charitate diligimus.

Quidam tamen imo fere omnes propter verbum Apostoli dicentis : *Fides, spes, charitas, tria hæc : major autem horum est charitas* (*I Cor.* XIII). Quod genus locutionis incongruitatem intellectus faceret, nisi charitas esset virtus sicut fides et spes, cum non soleat fieri comparatio per superlativum, aut communicatio nisi rerum ejusdem generis, maxime Creatoris ad creaturas. Dicunt hoc nomine *charitas* duo significari, virtutem animi quæ intensior est in quibusdam quam in aliis; et Spiritum sanctum, qui tamen per charitatem solam et improprie dicitur charitas secundum quosdam, sicut spes et misericordia.

(23) Præter hæc etiam dicitur charitas motus illius virtutis quæ est in anima. Cum ergo dicitur *Deus diligit nos charitate*, charitas ibi ad Deum refertur secundum omnes Catholicos, cum in Deo non sit virtus, nec qualitas mentis secundum quod Deus. Cum dicitur *nos diligimus Deum charitate*, non de Spiritu sancto hoc dicitur, sed de virtute mentis vel motu virtutis.

(12) Lib. XV *De Tr.* c. 17, paucis verbis detractis.
(13) Mag. sup. §. 7.
(14) Tract. 74, *in Joan*
(15) Tract. 9, *in I Epist. Joan.* in init.
(16) Mag. hic §, 9. Vide etiam seqq.
(17) L. *De spir. et litt.* c. 32 sic habetur : *Unde ergo ista dilectio, id est charitas, per quam fides operatur, nisi unde illam fides ipsa impetravit.*
(18) Aug. ibidem sub finem cap
(19) V. solutionem Mag. hic §. 11.
(20) L. III *De doctr. Christ.*, cap. 10. Mag. sup. §. 17, et 18.
(21) Sap. VII : *mobilis, incoinquinatus, certus.* — Mag. §. 18.
(22) Error hic discipuli ut magistri.
(23) Sequentia hujus capitis exstant in codice Victorino, qui tamen alibi in pluribus deficit in quibus noster abundat.

CAPUT XXXII.

De hoc nomine, Trinitas.

(24) In quinto genere vocabulorum quæ de Deo dicuntur continetur hoc nomen *Trinitas*, quod quasi collectivum est, cum idem sit dicere Trinitas est Deus, ac si dicatur, tres personæ sunt Deus. Videtur tamen hoc nomen *Trinitas* dici de Deo secundum essentiam, quia est Trinitas ac si dicatur *trium unitas* (25), sed unitas trium est essentia trium, et hoc de Deo dicitur secundum essentiam, cum conveniat singulis personis et eis in summa singulariter non pluraliter. Ergo et Trinitas secundum essentiam dicitur. Ergo quælibet trium personarum est Trinitas, cum sit trium unitas. Ad quod dicendum quod non est idem, *Trinitas*, et *trium unitas*; sed est quædam allusio et etymologia vocabulorum non convertibilis, sed potius æque valet hoc nomen huic termino *tres personæ*, sicut dictum est.

Ad quod ita objicitur : Quidlibet est persona vel non persona, Trinitas est aliquid, ergo persona vel non persona. Si Trinitas est persona, ergo tres personæ sunt persona. Si Trinitas est non persona, et est unum solum, ergo Trinitas nil est quod sit persona. Dicunt ergo quidam hoc nomen quandoque accipi distributive, ut idem sit ac si dicatur : *quælibet trium personarum est persona*. Aliis videtur ipsum accipi collective nisi quando adjungitur ei hoc nomen *totus*. Tunc enim et distributive accipitur. Unde concedunt, *tota Trinitas est persona*, non tamen *Trinitas est persona*. Melius est tamen ut dicatur per se collective accipi cum hoc adjuncto *totum* distributive et collective, ut sit sensus, *tota Trinitas est persona*, id est *tres personæ sunt persona et quælibet earum est persona* : quorum primum est falsum. Sicut non datur, *totus iste populus est homo*. Secundum hoc igitur non est dandum, *Trinitas est persona*. Si vero dicatur, *Trinitas est non persona*, dicunt quidam tales **91** insinuationes nominum non reperiri in sacra pagina, et ideo non debere induci propter verborum profanas novitates (*I Tim.* VI). Augustinus tamen, ut supra diximus, sæpe his utitur, et ideo si quis nolit recipere, *Trinitas est non persona*, instet priori argumentationi sic :

Quidlibet est album vel non album, iste populus [est aliquid]. Ergo est album, vel non album. Item quælibet trium personarum est persona, tota Trinitas est id quod est persona. Ergo tota Trinitas est persona. Fallacia. Iste videbit quælibet quæ sunt de numero istorum agminum, iste videbit ea quæ sunt illa agmina. Ergo videbit hæc agmina, posito quod nunquam ea videbit collecta, sed separatim. Item tota Trinitas est id quod est persona, Trinitas est aliquid. Ergo persona vel non persona. Fallacia. Pater et Filius sunt id quod est Pater; Pater et Filius sunt aliquid. Ergo Pater vel non Pater. Item, nihil est persona Patris quod non sit persona Filii, persona Patris est id quod persona Filii, et persona Filii est id quod persona Patris. Ergo per- A sona Patris est persona Filii, et e contrario. Fallacia. Nomen quod est hæc vox *album*, est hæc vox *alba*; et e contrario, hæc vox *albus* est nomen quod est hæc vox *alba*, et nomen quod est hæc vox *alba* est hæc vox *albus*. Ergo hæc vox *album* est hæc vox *alba*, vel e contrario. Item, diversa supponuntur his propositionibus *persona est Pater*, *persona est Filius*, et eadem supponuntur his, *Deus est Pater*, *Deus est Filius*. Igitur vel non diversæ personæ sunt Pater et Filius, vel diversi dii sunt Pater et Filius. Solvendum hic per interemptionem, quia cum dicitur Deus est Pater, Deus est Filius, supponitur divina essentia.

Sed cum hoc sit, quæritur an possit fieri sermo de divina essentia, quin fiat sermo de persona, sci- B licet de Patre, de Filio, de Spiritu sancto? Quod si est, ergo, cum de divina essentia sit verum quod sit plures personæ, de persona est verum quod est tres personæ. Item, non potest fieri sermo de divina essentia quin de aliqua persona fiat sermo; de divina essentia est verum, quia nec gignit nec gignitur, nec procedit. Ergo de aliqua personarum idem est verum. Item non potest fieri sermo de divina essentia, quin fiat sermo de aliqua trium personarum; sed iste terminus *divina essentia* non determinat de qua persona, cum indifferenter cuilibet conveniat. Cum igitur hæc propositio sit infinita, *divina essentia est Pater*; sicut, *persona est Pater*; videtur ergo vere dici, *divina essentia non est Pater*, C sicut *persona non est Pater*, ut utrinque intelligatur pro Filio. Si vero dicatur hoc termino supponi tres personas ita quod nulla earum, erit igitur hæc falsa, *divina essentia est Pater*, quia tres personæ non sunt Pater; et idem significabunt hæ duæ, *Trinitas est Pater, divina essentia est Pater*.

Ad id igitur deducitur ratiocinatio indirecte, ut dicatur posse fieri sermonem de divina essentia, et non de Patre, nec de Filio, nec de Spiritu sancto; et hoc per hunc terminum *divina essentia*, sed cum hac propositione, *divina essentia est Pater*, fiat sermo de omnipotenti, et non de Patre, vel de Filio, vel de Spiritu sancto. Ergo de *coomnipotenti* illo. Item divina essentia est Pater ; hac propositione fit sermo de Deo, non est Deus qui non sit D Pater, vel Filius, vel Spiritus sanctus; hac propositione fit sermo de Deo qui est Pater et Filius et Spiritus sanctus. Ergo hac propositione fit sermo de Deo Patre, vel de Deo Filio, vel de Deo Spiritu sancto. Item, istæ sunt duæ propositiones, *Pater est Pater*, *divina essentia est Pater*, quarum utraque fit sermo de aliquo determinate. Ergo illis duabus de eodem, vel de aliquo una de quo non reliqua. Si dicat de eodem tantum, ergo utraque de Patre, vel neutra. Si de aliquo una de quo non reliqua, sed nil est id de quo fit sermo una, quod non sit de quo fit sermo reliqua; ergo de nullo una de quo non reliqua. Propterea dicunt quidam non esse dandum quod unus Deus sit plures personæ, quia opor-

(24) Mag. I, d. 24.

(25) Isidor. l. *I Orig.*, cap. 4.

teret hoc nomen *Deus* in subjecto positum ratione proposili, supponere pro una trium personarum; **92** et pro qualibet facta suppositione, falsum esset. Ipsi tamen non negant quin tres personæ sint unus Deus, sicut in naturalibus plures voces sunt unum nomen, sed non unum nomen est plures voces, quod videntur affirmare auctoritate Hilarii (26) qui ad hæreticum loquens de verbis Apostoli ait: « Quæro nunc in Spiritu Dei, an naturam, an rem naturæ intelligas, non enim idem est res naturæ et natura, sicut non idem est homo et quod est hominis; non idem est ignis et quod est ignis, ita non idem est Deus et quod est Dei. » Alibi etiam legitur. « Qui non distinguit inter personam et naturam aut in divisionem Arii, aut in confusionem Sabellii incidit. » Quibus quia sufficienter respondet Magister in libro *Sententiarum* (27), et eos fures esse veritatis per circumstantiam litteræ arguit, necessarium non duximus hic respondere.

Sed id volumus ut solvant, si divina essentia ab æterno est, et ita Deus est, et non est Pater, Filius, vel Spiritus sanctus, quia non est ratio quare magis una persona quam alia. Si enim dicatur quod sit Pater, habetur etiam quod sit Pater et Filius et Spiritus sanctus; vel si est Pater et non est Filius, divina essentia non est Filius. Est igitur Deus qui non est Pater vel Filius, vel Spiritus sanctus; et ita est quaternitas in Trinitate, non trinitas. Si quis solutionem prædictorum velit sumere, scilicet similitudinem naturalium, et, ut dicitur, quod quandocunque fit sermo de aliquo, sumpta aliqua ejus appellatione, fit sermo de eodem, sumpta qualibet alia appellatione, scilicet cum dicitur, *Sequana est hic et alibi*, de substantia fit sermo de qua dicitur quod Sequana est hic et alibi; et cum dicitur *Sequana currit* de aliquo dicitur non quod ipsum currat, sed quod Sequana currat. Ita et cum fit sermo de statua, et dicitur, *hæc statua est artificialis*, de opere [corpore] dicitur quod statua sit artificialis. Si adhibeatur consideratio in hujusmodi, accedunt multa inconvenientia. Primo, quod cum dicitur, divina essentia est tres personæ, de qua fit sermo? cum nulli conveniat hoc nomen *persona*, cui non conveniat iste terminus *divina essentia*; et ita de persona dicitur quod divina essentia est tres personæ; et si, ea, de persona sit sermo, Ergo de Patre vel Filio vel Spiritu sancto, cum prorsus eidem conveniant isti tres termini *divina essentia*, *persona*, *Pater vel Filius vel Spiritus sanctus*, et ita de Patre vel Filio vel de Spiritu sancto est verum, quia divina essentia est tres personæ. Imo cum nulli conveniat iste terminus, *divina essentia*, cui non conveniat iste terminus, *Pater*; et e contrario, quia uterque tantum convenit divinæ essentiæ. Cum dicitur, *divina essentia est Filius*, de Patre fit sermo, et de Patre dicitur quod

A divina essentia sit Filius, ita etiam potest dici quod fit sermo de qualibet trium personarum, cum dicitur *divina essentia est Filius*. Item cum nulli conveniat iste terminus *Pater*, cui non conveniat hoc nomen *Filius*, quoties fit sermo de Patre, et de Filio; et ita cum dicitur *Pater est Pater*, de Filio fit sermo, et de eodem dicitur quod Pater sit Pater; ita etiam de Spiritu sancto et de qualibet personarum. Ita etiam cum isti tres termini uni soli conveniant, scilicet *Pater*, *divina essentia*, *Trinitas*, quia divinæ tantum essentiæ et nulli quod non sit illa; habebitur quod hac propositione, *divina essentia est Pater*, fit sermo de Trinitate, et dicitur de ea quod divina essentia sit Pater et vere, et ita de tribus personis est verum quod divina essentia est Pater.

B Item de uno solo fit sermo his tribus propositionibus, *Pater est Pater*, *divina essentia est Pater*, *Trinitas est Pater*. Ergo qualibet earum fit sermo de Trinitate, vel nulla. Quod si est, cum dicitur Pater est Pater, de Trinitate dicitur Patrem esse Patrem, et ita de tribus personis est verum Patrem esse Patrem, et ita de eodem quia divina essentia est verum Patrem esse, et Filium esse. Item his tribus propositionibus fit sermo de uno solo, *Pater est*, *divina essentia est*, *Trinitas est;* duabus primis fit sermo de Patre, ergo et hac, *Trinitas est*. Quod si est, vere igitur dicimus de Patre, Trinitatem esse, et ita de Patre esse verum tres personas esse, et ita Filium esse et Spiritum sanctum **93** esse est

C verum de Patre.

Non videtur ergo transferenda consideratio dialecticorum ad hujusmodi propter inconvenientia prædicta, sed distinguendum est inter personam et essentiam, non quantum ad modum essendi (cum idem sit persona et essentia, quod quidam negaverunt, quos arguit Augustinus sic (28); *Tres personas ejusdem essentiæ, vel eamdem essentiam dicimus, sed non ex eadem essentia ; ne aliud ibi intelligatur essentia aliud persona*) sed quantum ad rationem loquendi et intelligendi. Posito enim nomine *personæ* in subjecto, dicendum est sermonem fieri de persona, non de essentia, licet idem sit persona et essentia, ut cum dicitur, *Pater est Pater*, posito hoc termino *divina essentia* fit sermo de di-

D vina essentia, non tamen de persona, licet idem sit divina essentia quod persona. Sicut cum dicitur; *iste scyphus valet decem marchas*, cujus opus materiam superat, sermo fit de hoc scypho in quo intelligitur materia cum forma. Non autem fit sermo de hoc argento, licet idem sit *hoc argentum* quod *iste scyphus*. Et sicut non haberetur ex alia parte quod fiat sermo de coomnipotenti, ita nec hic fit sermo de chariori, licet pretiosior sit iste scyphus quam hoc argentum, et est qualiscunque similitudo in naturalibus; non enim expressa potest inveniri. Ita igitur distinctio adhibenda est inter personam et

(26) Lib. VIII. *De Trinit.* ante med.
(27) Lib I, d. 34, § 1, 2, etc.

(28) Lib. VII, *de Trinit.* cap. 6, circa med., male apud alios, l. V.

naturam, quantum ad modum loquendi et significandi et intelligendi, sed non ad modum essendi.

Utrum tamen hac propositione, *Trinitas est*, vel *tres personæ sunt*, fiat sermo de aliquo vel de pluribus. Et si de aliquo, an de eodem, de quo ista, *divina essentia est*, dubium esse potest : nec inutiliter inquiritur. Item, divina essentia est tres personæ, ita quod quælibet earum. Ergo divina essentia est una personarum quæ ista est, Ergo est una persona : Quod quidam non recipiunt, quia hoc nomen distinctionem notat, et idem esset ac si diceretur, *Divina essentia non est plures personæ*. Item, *persona est rationabilis naturæ individua essentia*. Ita describit Boetius in libro *De Trinitate* (29). Sed Pater et Filius sunt duæ personæ. Ergo sunt duæ naturæ individuæ rationabilis essentiæ; et est a definitione locus. Sed nostri theologi plerique non habent illam diffinitionem pro authentica, quia magis fuit philosophus quam theologus, et magis ad probabilitatem locutus est quam ad veritatem. Item Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt divina essentia, hoc dicitur pro particularibus personis. Ergo et cum dicitur, *divina essentia est Pater et Filius et Spiritus sanctus*, de pluribus personis fit sermo, et ita iste terminus supponit idem quod hoc nomen *Trinitas* Fallacia. Cum dico, *albus, alba, album, sunt idem nomen*, pro pluribus vocibus hoc dicitur, Ergo cum dicitur, hoc *nomen est plures voces*.

Solet quæri an divina essentia possit introduci, ut loquens, vel ut sermonem suscipiens ut possit dici; *ego sum Pater*, vel, *ego sum Trinitas*. Quod si est, ergo illa propositione fit sermo de persona, et ita aliqua propositione fit sermo de divina essentia qua fit sermo de persona. Item, si divina essentia introducitur loquens, cum vere possit dicere; *ego nec gigno, nec gignor, nec procedo, nec spiro*, et ad eam quoque sub eisdem verbis vere possit dirigi sermo, sic, *tu nec gignis nec gigneris, nec spiras nec procedis*, poterit et de ea fieri sermo per eumdem tenorem, ut dicatur, *iste nec gignit, nec generatur, nec procedit, nec spirat*, sed certum est hic fieri sermonem de persona. Ad quod dicendum quod non ita potest introduci divina essentia loquens vel sermonem suscipiens, quia hoc soli personæ convenit, potest tamen de ea fieri sermo, licet non de persona : vel, etiamsi introduceretur ut loquens, oporteret hoc pronomen *ego* in neutro genere poni; similiter hoc pronomen *tu*. Unde in tertia quoque persona oportet dici *istud*, et non *iste* ut de essentia, non de persona sermo fieret.

94 CAPUT XXXIII.

De habitudine horum prædicabilium Pater, Filius, Spiritus sanctus ; *an etiam hæc propositio sit singularis*, Deus est.

(30) De habitudine quoque istorum prædicabilium, A *Pater, Filius, Spiritus sanctus, divina essentia Trinitas*, et hujusmodi, dubitari potest. Quod hæc sint opposita, *Pater* scilicet et *Filius*, facile videtur ostendi sic. Pater nec est, nec potest esse Filius, et e contrario; ista prædicabilia se habent aliquo modo. Ergo sunt opposita, et de eis ponitur hoc nomen *Deus*, et in eadem significatione. Ergo illa continentur sub eo, et omnia illa prædicantur *in quid*. Ergo hoc prædicabile *Deus* est genus vel species, et illa sunt individua, *Pater, Filius, Spiritus sanctus*. Quod ita videtur dicere Joannes Damascenus (31) : « Commune autem substantia est, particulare vero hypostasis. Particulare autem dicitur non quód partem naturæ habeat, sed numero. Numero enim et natura dicuntur differre hypos- B tases. » Item alibi (32); « Substantia significat communem et circumplectivam speciem homoideōn [ομουσιον], id est similium specie hypostaseon, id est personarum, ut puta Deus homo. Hypostasis autem individuum demonstrat, scilicet Patrem Filium, Spiritum sanctum. » Hic aperte videtur velle quod Deus sit universale, et Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt individua. Quod ita improbat Augustinus (33), quia tunc non singulariter sed pluraliter participarent individua suo universali, ut diceretur Pater, Filius et Spiritus sanctus sunt duo dii vel tres, non unus Deus, sicut non dicitur Socrates et Plato sunt unus homo, sed duo homines. Ex quo non videtur posse probari quod Pater et Filius sunt paria prædicabilia, quia nulli convenit unum cui non conve- C nit reliquum, cum utrumque divinæ essentiæ; et nil est Pater quod non sit Filius : et e contrario. Ergo ista prædicabilia sunt paria. Quod si est, ergo Pater et Filius, vel e contrario. Ad hoc dicendum quod hujusmodi prædicabilia nulla habitudine sese respiciunt, nec enim sunt paria vel opposita, nec excedentia et excelsa, nec pars et totum, cujusmodi multa in naturali facultate invenies, ut, *animal quod fuit*, et *animal*, et multa alia.

Quod ergo dicit Joannes Damascenus, non ita accipiendum ut universalia et individua ita accipiantur sicut in philosophicis disciplinis ; sed per similitudinem eorum locutus est. Nam sicut ibi universale dicitur quod ponitur de pluribus ; individuum D vero quod de uno solo; ita essentia divina dicta est universale, quia de omnibus et singulis dicitur separatim; et Pater singulare vel individuum per eamdem similitudinem dicitur (34) : Augustinus vero videns majorem dissimilitudinem quam similitudinem, ab excellentia Trinitatis prædicta removet. »

Si quæratur an hoc prædicabile, *Deus*, sit universale vel individuum neutrum hic admittendum: Quod autem Joannes Damascenus dicit Patrem et Filium differre numero, sane intelligendum. Nam differre numero dicitur aliquid ab alio, quia non est illud nec aliquid quod sit illud vel in illo. Non ita dicitur Pa-

(29) Lib. *De duabus naturis*.
(30) Mag. I, d. 19, § 8, 9 et seqq.
(31) L. III *De fide orth*. c. 6, statim inchoato.
(32) L. eod. c. 4.
(33) Lib. VII *De trinit*., c. 6.
(34) Mag. citat. § 14 in fin.

ter differre à Filio numero, quia Pater est id quod A
Filius et est in Filio : sed dicitur ab eo differre numero, quia venit in connumerationem cum eo cum possit dici Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt tres, sunt duo. Videtur tamen hoc prædicabile, *persona*, esse universale sub quo contineantur Pater et Filius et Spiritus sanctus, quia cum in eadem significatione dicatur hoc nomen de illis et pluraliter, non singulariter dicatur, Pater, et Filius et Spiritus sanctus sunt tres personæ (propter quod solum negavit Augustinus hoc prædicabile *Deus* esse universale, quia non sunt Pater et Filius et Spiritus sanctus tres dii, sed unus Deus) videntur illa contineri sub isto. Quod si est, cum nulli conveniat hoc nomen *persona*, cui non conveniat iste terminus), *divina essentia* (et ita sunt paria B
95 prædicabilia) si sunt Pater et Filius et Spiritus sanctus personæ, sunt essentiæ. Item nulli convenit hoc nomen *persona*, cui non hic terminus *divina essentia*, et e contrario. Ergo a quocunque removetur iste terminus *persona*, et ille; sed iste terminus *persona* ab hoc termino *Trinitas* removetur. Ergo ab eodem iste terminus *divina essentia*. Item, nulli convenit hoc nomen *persona*, cui non conveniat iste terminus *divina essentia* et e contrario. Ergo quidquid removetur ab hoc particulari *persona*, et ab hoc termino *divina essentia*. Sed persona non est Pater, ergo divina essentia non est Pater; et sic ista propositio est indefinita *divina essentia est Pater*.

Ad hoc dicendum quod nulla habitudine sese C
respiciunt ista personalia [particularia]. Non enim exigenda est hic illa habitudo quam assignant dialectici, quemadmodum si nullum nomen esset nisi hoc nomen *albus*, et istæ voces essent *albus*, *alba*, *album*, non esset hoc particulare nomen universale vel individuum. Quod vero dicitur, quia quicunque convenit unum et reliquum, et e contrario. Ergo quidquid removetur ab uno et a reliquo, fallacia. Cuicunque convenit iste terminus *animal*, convenit iste terminus *animal quod fuit*. Ergo quidquid removetur ab uno et a reliquo.

Item Pater est unus unitate, Filius est unus eadem unitate, Pater et Filius sunt unum. Ergo sunt unus : quod supra ostendimus esse falsum. D
Item Pater et Filius sunt duo, Pater est unus unitate, Filius est unus unitate. Ergo Pater est unus alia unitate quam Filius. Item, Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt tres. Ergo ternarius est in ejs. Ergo aliquid est subjectum illius ternarii, vel aliqua : si aliquid, ergo aliquid est tria; si aliqua, et illa sunt Pater et Filius et Spiritus sanctus. Ergo illi sunt tria (35). Ad hoc dicendum, quod nomina numeralia in Deo nil ponunt, sed excludunt. Nam cum dicitur, *Deus est unus*, sensus est, id est, non est multi dii; quod ita dicit Ambrosius (36) : « Cum Deum dicimus unum, unitas excludit multitudinem deorum, non quantitatem Deo ponit; quia nec numerus, nec quantitas in Deo est. »

Sed dicet aliquis : Ergo in eodem sensu dicitur, *Pater et Filius sunt duo*, *Pater*, *et Filius*, *et Spiritus sanctus sunt tres*, quia utrobique excluditur quod non sint unus tantum. Ad quod dicendum quod plus excluditur per tres; excluditur enim quod non sit unus tantum, nec tantum duo. Minus per duo, tunc enim excluditur quod non sit tantum unus nec plures quam duo. Hoc etiam debes intelligere; alioquin Pater et Filius et Spiritus sanctus essent duo, quia non sunt unus tantum.

Item cum dicitur, *Deus est trinus;* aut de persona, aut de essentia fit sermo : si de persona, ergo verum personam esse trinam : et ita Pater est trinus; si de divina essentia est sermo, ergo divina essentia est trina, ergo triplex : quod negat sic Augustinus (37) : « Non quia Deus dicitur trinus vel Trinitas, ideo triplex est putandus. » Potest etiam quæri quid prædicet hoc nomen *trinus*, an sit tantum exclusivum, sicut hoc nomen *unus;* quod quidem judicio majorum discutiendum relinquimus. Item tres personæ sunt in divina essentia. Ergo Trinitas est in divina essentia, et divina essentia est in tribus personis : Essentia Dei ut unitas Dei qui proprie (sicut testatur Boetius in *arithmeticis*) dicitur *unum*. Ergo unitas est in personis, et ita habebitur quod Trinitas est in essentia et unitas in personis; et e contrario dicatur, Trinitas est in personis, unitas est in essentia. Ad quod dicendum quod ita intelligenda est hæc locutio, Trinitas est in personis, unitas est in essentia, id est *una est essentia et tres sunt personæ :* nec est dandum quod Trinitas sit in essentia. Nam videretur dici quod tres essent essentiæ. Fallacia. Charitas est divina essentia, et divina essentia est in diabolo. Ergo charitas est in diabolo.

(38) Item quæritur an sit dandum, *solus Pater est Deus :* Quod quidem verum est, si non intelligatur excludi persona vel essentia; nec videtur excludi persona cum dicitur *solus Pater*, propter unitatem essentiæ quæ est inter Patrem et Filium et Spiritum **96** sanctum. Si vero excluderetur persona, falsum esset. Item quæritur an sit concedendum *Pater est solus Deus*, ut videtur dicere Augustinus quod hoc soli Trinitati conveniat, quia sola est solus Deus, non Pater, non Filius, non Spiritus sanctus, quod ita videtur tradere (39) : « Si interroget quis Pater solus utrum sit Deus. Quomodo respondebitur non esse, nisi forte dicamus esse quidem Patrem Deum, sed non esse eum solum Deum; esse autem solum Deum dicamus Patrem et Filium et Spiritum sanctum. » Quidam tamen volunt

(35) Mag. I, d. 24, sed in hoc erroris notatur.

(36) L. I, c. 2 *De fide ad Gr.*, et lib. III *De Spiritu S.*, cap. 14.

(37) L. VI *De Trinitate*, cap. 7.

(38) Mag. I, d. 21.

(39) Lib. VI *De Trinit.*, c. 9.

intelligere *solum* in subjecto. Alibi (40) videtur dicere contrarium, ubi ait: « Quoniam ostensum est quomodo dicatur solus Pater, solus Filius, consideranda est illa sententia qua dicitur non solum Patrem esse solum verum Deum, sed Patrem et Filium et Spiritum sanctum. » Ibi enim aperte dicit Patrem esse solum Deum, quia nisi Pater esset solus Deus, incongrue diceretur, *non solus Pater est solus Deus*, sicut incongrue diceretur, *non solus Judas est malus*, nisi Judas esset malus.

Post hæc quæritur utrum, cum idem sit essentia Dei quod Deus, et recipiatur una essentia trium personarum, sit dandum *unus est Deus trium personarum*. Quam locutionem in sacra Scriptura non invenimus, quia ex ipsa junctura locutionis videretur aliqua subjectio esse trium personarum ad Deum, sicut cum dicitur *Deus Abraham*. Sicut econtrario, cum idem sit Deus et essentia, non dicitur una est essentia Judæorum et Christianorum, cum tamen dicatur unus est Deus Judæorum et Christianorum.

CAPUT XXXIV.

De hoc nomine, Creator, *et similibus; an prædicent essentiam, vel relationem, vel neutrum.*

(41) Sunt alia nomina quæ de Deo dicuntur ex tempore, ut *Creator*, *Dominus*, *principium*, sicut ibi accipitur: *Principium, qui et loquor vobis* (*Joan.* VIII), et significant relationes temporales quæ in creaturis sunt, non in Creatore. De quibus primo occurrit quæstio, quid prædicent cum dicitur, *Deus est Creator*, *Deus est Deus omnium*, quia sicut aliquid prædicant, ergo temporale, vel æternum: si temporale, ergo aliquod temporale est in Deo; si æternum, ergo Deus ab æterno est Creator. Ergo ab æterno est aliqua creatura cujus est Auctor, vel Creator. Item si hoc nomen *Creator* æternum aliquod prædicat, ergo essentiam vel notionem, sed manifestum est quoniam nullam illarum quinque notionum prædicat quas supra distinximus, nec aliam, quia non est alia qua sit æterna. Ergo prædicat essentiam divinam. Sed Deus potuit non esse Creator. Ergo potuit non esse Deus. Ad hoc dicunt quidam quod hujusmodi nomina potentiam divinam significant communiter quodam respectu creaturarum, et eam prædicant. Et ita Deus ab æterno est Creator, id est essentia divina, cujus voluntate omnia de non esse prodierunt ad esse, et inducunt auctoritatem ab illo loco: *Qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi* (*Psal.* LXVII), id est *omnipotens*. Et Ambrosius: « Deus et Dominus nomen est potestatis, non est naturæ. » Si vero ita inferatur, Deus ab æterno est Creator, ergo ab æterno est aliqua creatura. Ipsi bene putant se instare per expositionem sic: Deus ab æterno est ille cujus causa omnia de non esse prodierunt ad esse. Ergo ab æterno est aliqua creatura.

Alii tamen dicunt hoc nomen, *Dominus*, secun-
A dum quod dicitur a dominio, significare essentiam divinam; et ita ibi accipitur, *et sic ab æterno Dominus est*. Dicitur etiam a dominando, et secundum hoc relationem temporalem significat quæ est in creatura, et ex tempore Deo convenit. Si hoc nomen tamen significaret temporalem relationem, non ideo tantum minus verum esset secundum Ambrosium ipsum significare potentiam Dei, id est innuere. Nam et dictum de homine potentiam facit intelligi. Secundum hos nil prædicatur eum dico, *Deus est Dominus*, nisi sola appellatio relativa **97** per quam refertur ad creaturas; imo magis creatura ad Deum. Nam illa relatio in creatura est, non in Creatore. Sed per hoc non ab æterno Deus est creator, vel
B Dominus, vel principium, sed ex tempore, ut ita dicit Augustinus (42): « Si Dominus non dicitur nisi cum habere incipit servum, etiam ista appellatio ex tempore relativa est Deo. Non est enim sempiterna creatura, cujus Dominus est. Ergo Dominum esse non habet sempiternum, ne cogamur dicere creaturam sempiternam. »

Sed ad hoc objicitur, cum dicitur *Deus est creator*, de Deo fit sermo et locutio tantum affirmativa est: ergo aliquid Deo attribuitur, ergo temporale vel æternum: si æternum, ergo ab æterno est Creator, si temporale et tantum vera est propositio, ergo temporale est in Deo. Item cum dico *Deus est creator*, nihil attribuitur Creatori, sed creaturæ: ergo de creatura et non de Creatore fit sermo. Mirum enim
C videtur si de alio fieret sermo, et alii fieret attributio. Item cum dicitur, *Deus creator*, de aliquo dicitur quod sit Creator, vel de nullo: si de Deo, ergo Deo attribuitur esse Creatorem et vere: ergo Deo convenit esse Creatorem. Unde potest quæri, an hoc sit ei temporale, vel æternum? æternum non est, quia non est ab æterno Creator: si temporale, ergo temporale in Deo est. Ad quod dicunt quidam non esse mirum si de Deo fiat sermo, et nil ei attribuatur per prædicationem, sed alii, id est creaturæ. Nam et cum dico, *Cæsar laudandus est*, vel *dignus laude*, Cæsari nihil attribuo, quia nihil ei convenit cum modo non sit, et tamen locutio tantum est affirmativa, innuitur tamen illa locutione quod Cæsar fuit
D strenuus imperator.

Aliis melius videtur quod hoc nomen essentiam divinam prædicat, et relationem in creatura esse significat qua refertur creatura ad Creatorem; non tamen Deus ab æterno est Creator, sed ex tempore. Nam in hujusmodi (quantum ad rationem prædicationis) inspicienda principalis significatio divinæ essentiæ; quantum ad judicium veritatis et falsitatis, intendenda est consideratio ad secundariam significationem. Unde non ab æterno est Creator, quod dico propter relationem quæ est in creatura, et quamvis potuerit non esse Creator, non ideo potuit

(40) Imo non alibi, sed in eodem c. 9. l. VI *De Trinitate*.

(41) Mag. I, d. 29 et 30.

(42) L. V *De Trin.*, cap. 15.

non esse Deus, cum significatur divina essentia hoc nomine *præscius*.

Videtur tamen quod ab æterno sit Creator, quia hoc verum *Deum esse* ab æterno est et est a Deo, non per filiationem sicut Filius, nec per processionem sicut Spiritus sanctus : ergo per creationem, quia non est alius modus; ergo hoc verum ab æterne est creatura, ergo Deus ab æterno est Creator, et ita Spiritus sanctus ab æterno est principium, cum idem sit principium et Creator. Dicunt ergo quod insufficiens est illa enumeratio. Et cum hoc verum sit ab æterno, non tamen est æternum, quia esse ab æterno, est nunquam incœpisse. Esse æternum, est ita esse, quod nihil sit ei præteritum, nil futurum : quod soli Deo convenit, sed omnia ei præsentia.

Sed dicet aliquis, cum omne verum sit a Deo sicut etiam dicit Augustinus : *Et hoc verum ab æterno est principium hujus mundi*, et ita Spiritus sanctus est principium ab æterno, quod supra negatum est. Ideo quærendus subtilior solutionis modus, qui non potest reperiri, nisi per definitionem comprehendatur quid sit verum; cujus quidem rei certitudinem nondum audivimus. Item, idem est Deo velle et facere, velle Dei est æternum : ergo et facere ejus est æternum, ergo Deus ab æterno fecit aliquid. Ideo dicunt quidam prædictam locutionem esse tropicam, et ita intelligendam, idem est Deo velle et facere, id est de sua propria voluntate sine exteriori adminiculo facit quod facit. Vult enim aliquid et statim fit illud. Alii dicunt quod proprie hoc dicitur. Idem enim prædicatur sive dicatur, *Deus vult hoc*, sive dicatur *Deus facit hoc*, scilicet essentia divina. Cum dico, *Deus facit hoc*, id est *Deus vult ut hoc modo fiat vel sit*. Item idem est creaturam esse creatam a Patre, et esse a Patre, omnia
98 sunt creata a Patre : ergo omnia sunt a Patre. Unde sic, omnia sunt a Patre et omnia a Filio : ergo omnia per Patrem et omnia per Filium. Omnia sunt a Patre per Filium : ergo omnia sunt a Filio per Patrem, quod non conceditur, ne videatur auctoritas respectu Patris esse in Filio. Fallacia. Ego habeo hanc præbendam et ab episcopo et a capellano qui me investivit et pro me intercessit, et per capellanum habeo ab episcopo : ergo a capellano per episcopum. Non videtur enim quod ipse episcopus intercessisset, cum ipse dedit.

Item quæritur quid prædicetur cum dico, *Deus est in omni creatura*, an essentia, an relatio? non essentia, quia non ab æterno est in creatura. Et potest dici quia essentia divina cum quodam respectu qui est in creatura, sicut dictum est quod dicitur *Deus est creator*.

Et nota quod si quis velit probare Deum ab æterno esse creatorem, quia essentia divina ponitur cum dicitur *Deus est creator*, eadem ratione potest
A dici quia Deus ab æterno creavit mundum, si essentia divina ibi illo verbo prædicetur : si enim nil illa propositione prædicetur, oportet redire ad illam mediam opinionem, qua dicitur solam appellationem prædicari cum dicitur, *Deus est Dominus*, et est quælibet istarum propositionum satis probabilis, nec contra fidem in aliquo, dum tamen ea quæ suscepta sunt ad sustinendum, serventur secundum modum..

CAPUT XXXV.

De visibili missione Spiritus sancti.

(43) Præter prædicta vocabula quæ de Deo dicta significant relationes, sunt quædam quæ similiter ex tempore Deo conveniunt et relationem temporalem significant ut *missus*, *datus*, et hujusmodi, quæ in
B hoc differunt a prædictis, quia cum prædicta dicantur de tota Trinitate, hujusmodi vocabula vel de una persona dicuntur vel de duabus, ita quod non de tribus. Non enim Pater missus dicitur, cum hoc et de Filio et de Spiritu sancto dicatur. Est autem duplex missio Filii (præter illam æternam genituram Patris qua ab eo gignitur Filius, si tamen missio dicatur) scilicet visibilis et invisibilis. Visibilis, qua humana natura mundo innotuit, de qua Apostolus dicit : *Misit Deus Filium suum* (*Galat.* IV), etc. Et est alia missio invisibilis qua ex tempore, cujusquam mente percipitur Filius; quæ missio dicitur invisibilis, quia non apparet in natura aliqua creata. Prima missio tantum semel facta est,
C secunda toties fit, quoties contigit aliquem notitia et vita Deo appropinquare. Prima facta est in mundum, quia tunc visibilis mundo apparuit; secunda fit in homine. Non enim (44) ideo dicitur Filius mitti in mundum si per gratiam accedat alicui ad illuminandum. Unde Augustinus ait (45) : *Non ex eo quod de Patre natus est Filius, missus dicitur, sed vel ex eo quod apparuit mundo Verbum caro factum, vel ex eo quod cujusquam mente percipitur.* De hac missione, quia eadem est quæ et Incarnatio, plenius postea agendum, hoc solo hic determinato.

An Filius sit missus a Spiritu sancto? quod videtur, aliter enim divisa essent opera Trinitatis. Si enim mittitur Filius a Spiritu sancto, minor est Filius Spiritu sancto secundum quod ab eo mitti-
D tur, quod constat esse verum, cum dicat Isaias : *Misit me Dominus et Spiritus ejus* (*Isa.* XLVIII). Dicit enim Augustinus (46) quod Christus, secundum quod homo, minor est et Patre et Spiritu sancto, et seipso secundum quod Deus. Unde *in forma Dei unigenitus Dei æqualis est Patri*, *in forma servi minor est seipso*. Ergo (47) cum videtur dicere Veritas in Evangelio : *Ego a meipso non veni* (*Joan.* VIII), ita intelligendum est : *Ego secundum humanam illam formam quam aspicis non operatus sum incarnationem*, *imo secundum divinam naturam*. Quam expositionem notat hoc pronomen

(43) Mag. I, d. 51.
(44) Hæc habet ex August. li. et c. ut infra
(45) Lib. IV *De Trinit.*, cap. 20, ante med.

(46) Lib. I *De Trin.*, c. 7. V. etiam l. II *De Trin.*, c. 1, et lib. 1 *contra Maximinum*.
(47) Aug., II *De Trinit.*, c. 5, in fine

ipso ibi positum. Nihil amplius hic determinandum de invisibili missione **99** Filii. De visibili autem dicendum, sed quia illa communis est et Filio et Spiritui sancto (Spiritus sanctus etiam visibiliter missus est sicut et Filius) ideo et de illa visibili missione Spiritus sancti non expediamus, ut postea de invisibili missione utriusque dicatur.

(48) Notandum ergo quia præter illam æternam missionem qua procedit Spiritus sanctus a Patre et Filio, duas habet missiones temporales, unam quæ fit visibiliter, alteram invisibiliter. Visibiliter autem mittitur Spiritus sanctus quando per alicujus rei extrinsecæ signum manifeste ostenditur infundi cordibus fidelium (49), sicut in die Pentecostes per linguas igneas capitibus apostolorum supereminentes (*Act.* II), et in die Epiphaniæ per columbam descendentem supra Dominum in Jordane a Joanne baptizatum (*Matth.* III). Hic primo quæritur, an Spiritus sanctus magis esset in columba ipsa, vel alio modo, quam in aliqua alia re. Si enim aliquo modo in ea erat quo non in aliis rebus, et nullo modo potest Spiritus sanctus esse in aliqua re nisi per essentiam, aut gratiam, aut unionem. Cum in omni re sit per essentiam, erat ibi alio modo quam per essentiam. Quod si per gratiam, ergo illa columba Deum diligebat. Nam hoc est esse per gratiam ut faciat illum in quo est Dei dilectorem. Si per unionem, ergo illa columba erat Spiritus sanctus. Si vero nullo modo erat in illa columba quo non esset in quolibet alio, quomodo dicitur apparuisse in columba vel in igne magis quam in alio corpore? Ad hoc dicendum quia nullo modo erat in illa columba quo non esset in qualibet re, quia non erat ibi nisi per essentiam; sed ad aliquid erat ibi ad quod non in aliis rebus; scilicet ad significandum quod Spiritus sanctus in cordibus illorum infunditur, super quos hujusmodi signa proveniunt.

Item quæritur, an Spiritus sanctus secundum illum temporalem missionem minor sit Patre et Filio, sicut supra diximus, quod Filius secundum quod visibiliter mittitur a Patre minor est eo. Ad quod dicendum quod non ideo minor est Spiritus sanctus quam Pater quia missus est ab eo, licet de Filio hoc verum sit. Filius (50) enim ita apparuit in carne quod fuit homo; et carnem cum anima in unitatem personæ sibi univit. Spiritus vero sanctus, etsi in substantia creaturæ apparuit, ut in columba vel in igne, neutram in unitatem personæ sibi univit. Non enim factus est Spiritus sanctus columba vel ignis, non incolumbatus, vel ignitus sicut Filius est humanatus vel incarnatus. Ideo cum Filius sit minor secundum humanam naturam Patre, non tamen Spiritus sanctus est minor Filio aut Patre secundum igneam aut columbinam naturam, quia neutrum assumpsit, nec etiam natura sua est minor Patre vel Filio, cum sit tantum ejusdem naturæ cum utroque;

A quod ita dicit Augustinus (51): « Non ita assumpta est creatura illa in qua apparuit Spiritus sanctus, ut caro illa vel humana forma quam assumpsit Filius. Non enim Spiritus sanctus columbam illam, vel ignem illum sic beatificavit, aut in unitatem personæ conjunxit. » Item, Spiritus sanctus apparuit in columba, et indivisa sunt opera Trinitatis. Ergo et Pater et Filius apparuit in columba. Sed constat hanc illationem esse falsam, quia cum prius proponitur *quid*, postea assumitur *quale*. Cum dico, *Spiritus sanctus apparuit in columba*, duo innuuntur; et quod Spiritus sanctus sit infusus, et quod columba esset signum missionis illius, quorum utrumque verum. Cum vero dicitur: *Filius apparuit in columba*, duo similiter innuuntur, et quod Filius sit B missus, et quod columba esset signum illius missionis; quod ultimum falsum est. Fallacia. Filius est incarnatus, et indivisa sunt opera Trinitatis. Ergo Trinitas est incarnata. Item tota Trinitas operata est apparitionem Spiritus sancti; Spiritus sanctus apparuit in columba, ergo et tota Trinitas. Vel, tota Trinitas operata est passionem vel generationem Filii; Filius est passus vel generatus. Ergo tota Trinitas passa vel generata.

Sed dicet aliquis, cum non possit infundi una persona sine aliis, cum **100** Spiritus sanctus sit infusus in linguis igneis, nunquid ita est infusus, quod Pater vel Filius, cum eo, secundum Verbum Veritatis quod dicit: *Ego et Pater ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV). In quo C intelligitur Spiritus sanctus, ut habetur in Glossa super illum locum. Quod si est infusa quælibet personarum cordibus apostolorum in illa apparitione, ergo tota Trinitas est infusa in linguis igneis. Ad quod dicendum quod potest intelligi hæc præpositio *in*, temporaliter, ut sit sensus, *tota Trinitas est infusa linguis igneis*, id est dum linguæ igneæ super eos descenderent, verum; si vero ita, *tota Trinitas est in linguis igneis*, id est tota Trinitas apparuit in linguis igneis, id est quod linguæ igneæ essent signum missionis totius Trinitatis, falsum est, quia non erant signum nisi missionis Spiritus sancti. Unde recipimus, « Spiritus sanctus infusus est in linguis igneis et apparuit in eis. » De Trinitate vero D dandum quod infusa est in linguis igneis, non tamen quod apparuit in linguis igneis. Nam *apparere*, duo notat, et infusionem et signum; sicut tota Trinitas judicabit, nec tamen tota apparebit.

At quæret aliquis, si linguæ igneæ descendentes fuerunt signum missionis Spiritus sancti, et tunc etiam infusa est tota Trinitas, cum una persona non poterat infundi sine aliis; cur non illarum linguarum descensus fuit signum missionis totius Trinitatis, ut dicatur et Pater in columba et in igne et Filius apparuisse, sicut Spiritus sanctus? Ad quod dicendum puto quod propter similitudinem hoc di-

(48) Mag. I, d. XVI.
(49) Hæc eadem Pullus I part., cap. 6.

(50) V. Aug. l. II. De *Trinit.*; c. 6, post init.
(51) L. II, c. 6, ut supra.

ctum est, quia Spiritus sanctus antonomastice *charitas* dicitur, et *ignis consumens* (*Deut.* IV; *Hebr.* I), quia secundum illud, *Deus noster ignis consumens*, consumit vitia et inflammat cor nostrum ad diligendum Deum (52). Unde : *Cor nostrum ardens erat in via*, etc. (*Luc.* XXIV), et in linguis, ideo quia loqui linguis (quod datum est ea die apostolis) donum est Spiritus sancti. Item usu linguæ sibi sociantur homines, et Spiritus sanctus, qui est amor Patris et Filii, Deus est pacis, non dissensionis; et per charitatem, quæ in eo datur, sibi invicem homines socientur : ideo plus dicitur apparuisse in forma linguæ, quam in alia. Similiter columba inter animalia simplicius, et simplicitas, sive bonitas vel humilitas in Trinitate Spiritui sancto attribuitur. Ideoque columba magis dicitur fuisse signum missionis Spiritus sancti quam Patris vel Filii.

CAPUT XXXVI.

De invisibili missione Filii et Spiritus sancti.

(53) Hoc igitur determinato quod nostræ memoriæ occurrit de visibili missione Spiritus sancti prout ipse Spiritus sanctus in sacræ Scripturæ lectione nobis ministravit, dicendum est de invisibili missione ejusdem. Tunc ergo invisibiliter mittitur Spiritus sanctus, quando animæ humanæ per gratiam infunditur, ita etiam infunditur Pater, infunditur et Filius, quia nulla personarum sine altera infunditur. Distinguitur tamen a quibusdam inter temporalem infusionem Patris, et eam quæ est Filii, et eam quæ est Spiritus sancti. Spiritus enim sanctus mitti vel infundi dicitur proprie temporali et invisibili missione, cum animæ humanæ per gratiam ita datur ut eam Deum diligere faciat, sive anima illa Dei habeat cognitionem sive non; sive habeat potentiam perseverandi, sive non, Filius dicitur mitti, quando a quoquam mente incipit cognosci (ut dictum est supra in auctoritate Augustini) sive ille qui cognoscit, habeat Deum per inhabitantem gratiam, sive non; sive perseveret, sive non, Pater dicitur infundi quando ita datur homini ut possit in bono perseverare; et istæ tres missiones vel infusiones temporales ex eo videntur sumptæ, quia Patri potentia, Filio sapientia, Spiritui sancto bonitas attribuitur. Ideo Pater proprie infundi dicitur quando homo potens est in bono perseverare, Filius quando homo habet notitiam Dei, Spiritus sanctus quando homo incipit per **101** gratiam esse bonus. Non tamen potest infundi Pater dando potentiam perseverandi, quin et infundatur Filius et Spiritus sanctus, cum sit una et eadem potentia; nec Filius dando scientiam, quin Pater et Spiritus sanctus, cum sint una sapientia; nec Spiritus sanctus dando gratiam virtutum, quin Pater et Filius, cum sint una bonitas. Videntur ergo secundum hujusmodi distinctionem tres esse temporales missiones invisibiles uniuscujusque personarum, ut dicatur Spiritus sanctus infundi vel dari, quando datur homini gratia diligendi; quod est quasi proprium Spiritus sancti; et quando homo mente accedit ad cognitionem Dei, quod est quasi proprium Filii dare; et quando homo confirmatur in perseverantia bonorum operum, quod dare est quasi proprium Patris. Non dico *proprium* quia nil facit una persona sine altera.

Secundum hoc accidit Spiritum sanctum dari ei qui nullam habet virtutem, qui non habet charitatem, quia datur ei cognitio Dei, cum tamen non dicatur aliquis habere Spiritum sanctum, scilicet si non habeat per inhabitantem gratiam; nec alicui datur Spiritus sanctus, nisi diligat Deum et ei qui charitatem habet. Aliter enim diceretur dari infideli qui nullam habet de Deo cognitionem. Ideoque non videntur prædictæ distinctiones approbandæ; et, licet in omni re sit tota Trinitas per essentiam, non tamen dandum aliquid habere Spiritum sanctum vel Patrem, vel Filium, nisi habeat per gratiam charitatis, sive habeat per cognitionem vel perseverantiam, sive non. Quod ergo dicit Augustinus (54): « Tunc mitti Filium cum cujusquam mente cognoscitur; » intelligendum est de cognitione devotionis. Licet enim aliquis cognitionem habeat modo de Filio, et si prius non haberet illam, non ideo dicitur ei mitti, nisi charitatem habeat. Eadem enim ratione diceretur mitti Spiritus sanctus, quia nemo habet cognitionem de una persona sine alia. Unde : *Philippe, qui videt me, videt et Patrem* (*Joan.* XIV). Et illis solis et omnibus datur, mittitur, venit tota Trinitas, qui eam habent per gratiam : et sic una sola est missio Spiritus sancti communis Spiritui sancto cum Filio. Utrum autem Pater mittatur, postea determinabitur.

Prius tamen respondetur his qui contendunt non Spiritum sanctum dari vel mitti, sed ejus gratiam, et tunc dicitur mitti Spiritus sanctus, cum ejus gratia homini datur (55), nec ejus temporalis missio aliud est quam gratiæ infusio et virtutis largitio, quod volunt habere auctoritate Bedæ, qui in homelia quadam ait (56) : « Cum Spiritus sancti gratia hominibus datur, Spiritus sanctus dari dicitur. Mittitur a Patre, mittitur a Filio; procedit a Patre, procedit a Filio. Ejus enim missio est ejus processio. » Quasi diceret Beda : ob hoc solum dicitur dari Spiritus sanctus, quia ejus gratia hominibus datur; non quod ipsa persona hominibus mittatur. Item Spiritus sanctus est in humana anima, antequam gratia Spiritus sancti infundatur; et nil nisi gratia Spiritus sancti. Ergo nihil præter hanc gratiam modo est in hac anima quod prius non esset in ea. Ergo nil præter hanc gratiam est infusum huic animæ, quod prius non esset infusum : quod forte verum est, quia Spiritus sanctus, qui modo infusus est per gratiam, prius

(52) V. Aug. tract. 6, *in Joan.*, etc.
(53) Mag. I, d. 17.
(54) Lib. IV. *De Trinit.*, c. 20.
(55) Mag. I, d. 14, § 2 et 3.
(56) L. II *Hom.*. hom. 2.

erat infusus per essentiam. Sed tamen infertur : Ergo nil præter hanc gratiam modo est datum huic animæ quod prius non esset ei datum, quod etiam potest admitti, quia, licet Spiritus sanctus sit datus huic animæ qui prius non erat datus, datio ejus non excluditur per hanc distinctionem præterjunctam cum nomine gratiæ quam dat Spiritus sanctus. Sicut cum dico : *nihil præter vocem sacerdotis auditur a me*, non excluditur sacerdos, cujus vox est. Si tamen inferat : Ergo nil quod non sit hæc gratia, modo datur huic animæ quod non prius esset ei datum ; vel, nil quod non sit hæc gratia habetur ab hac anima quod non prius haberetur ab ea. Fallacia. Nihil præter sacerdotem auditur a me. Ergo nil quod sit vox sacerdotis.

Item aut aliquid quod non est gratia modo est in hac anima quod prius non erat in ea, aut nil. Si dicat affirmationem, **102** non poterit dici de alio quam de Spiritu sancto, et ita Spiritus sanctus prius non erat in hac anima, quod falsum est ; quia erat in ea per essentiam. Si dicat : Nihil quod non sit gratia est in hac anima quod prius non esset in ea. Ergo nil quod non sit gratia datur huic animæ quod prius non esset datum ; aut aliquid ei datur quod prius erat in ea ; quod verum est. Nam Spiritus sanctus ei datur, ei mittitur, ei venit, eam illuminat, in ea manet, et tamen prius in ea erat per essentiam, modo per gratiam. Cum enim dicit Filius : *Ego et Pater ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV), non ideo hoc dicitur quin et Pater etiam et Filius et Spiritus sanctus prius essent in eo per essentiam. Sed tunc dicitur venire, cum venit per gratiam : tunc datur, tunc mittitur, tunc illuminat, tunc primo manet, inhabitat, habetur.

Cesset igitur illa objectio quæ solet sic fieri (57). Filius vel Spiritus sanctus mittitur. Transit igitur de loco ad locum. Et ita in loco a quo mittitur desinit esse, et in loco ad quem mittitur incipit esse. Ergo non ubique est, cum tamen ipse dicat : *Cœlum et terram impleo* (*Jer.* XXIII). Quam quidem objectionem et carnalem esse patet, et a carnalibus fieri (58), cum Deus non sit aliqua corporea res quæ locum occupet, nec loco definiatur. Non enim ita est in uno loco quod non in alio, sicut Spiritus creatus, anima vel angelus. Sed in omnibus est locis sine sui spatiosa magnitudine, et tamen mitti dicitur propter prædictam similitudinem.

Item, cum Spiritus sanctus detur huic, et gratia Spiritus sancti detur eidem ; et nec Spiritus sanctus est gratia quam ipse dat, nec illa gratia fit Spiritus sanctus. Danturne duo huic ? Non, quia unum dicitur dari per alterum, sicut non audiuntur duo a me qui audio et vocem sacerdotis et sacerdotem, et tamen Spiritus sanctus est datus, et aliquid quod non est Spiritus sanctus datur. Item Spiritus sanctus est in omni re per essentiam. Ergo et A in diabolo. Ergo Spiritus sanctus est in diabolo, quod non videtur concedendum propter quamdam subinnuitionem, quia videtur dici quod faceret eum Dei dilectorem, et hoc propter repugnantiam hujus termini *diabolus*, ad hunc terminum *Spiritus sanctus*, cum sint oppositi : nam unus notat pravitatem, alter benignitatem. Dandum tamen quod Spiritus sanctus est in omni re : in angelo qui est diabolus ; in creatura, quia nulla est ibi subinnuitio. Et divina essentia est in diabolo et tota Trinitas est in diabolo. Non tamen Spiritus sanctus, propter prædictam subinnuitionem. Et in omnibus his quæ hic objici possunt, est fallacia accidentis.

Item, quæritur an possit una personarum esse in aliqua re uno modo, quin et utraque reliquarum B sit in eadem re eodem modo (59). Si enim Deus in nulla re est, nisi per essentiam et per gratiam, et per unionem, et per essentiam, in nulla re est una personarum, in qua non sit altera, cum tota Trinitas sit in omni re per essentiam, et in omnibus habentibus Deum per charitatem, est tota Trinitas per gratiam. Sed cum Filius Dei sit in Christo homine per unionem, estne Pater vel Spiritus sanctus in eo per unionem ? Quod si est, Christus est Pater, vel Spiritus sanctus. Si vero in eo est Filius per unionem et non Pater vel Spiritus sanctus, in aliquo igitur est persona aliqua per unionem in quo non est altera eodem modo. Sufficiat ergo hoc pro solutione quod et Pater et Spiritus sanctus est in Chri- C sto per unionem quam facit, non qua unitur. Sed Filius ibi est per unionem quam facit et qua unitur. Aliter enim haberetur, quia divina essentia in aliqua re est aliquo modo, in qua non est tota Trinitas eodem modo. Unde non videretur divina essentia esse Trinitas.

CAPUT XXXVII.

An quælibet persona quæ mittitur, a Trinitate mittatur.

(60) Cum ergo ex prædictis constet Spiritum sanctum dari, quæritur an detur a seipso. Cum enim **103** detur a Patre et Filio ; ergo datur a se, vel diversa sunt opera Trinitatis. Si vero dicatur Spiritum sanctum dari, et idem est Spiritum sanctum dari, et procedere temporaliter : ergo Spiritus D sanctus a se procedit temporaliter, et ita Spiritus sanctus a se procedit. Ad hoc dicendum quod Spiritus sanctus a se mittitur, a se datur, a se procedit ex tempore. Nam ejus missio idem est quod datio et processio temporalis, sicut supra auctoritate Bedæ confirmavimus. Quod et Spiritus sanctus a se detur, auctoritate Augustini (61) potest probari. Ait enim : « Ita datur Spiritus sanctus, sicut Dei donum, ut seipsum det sicut Deus. »

(62) Item : cum id quod datur, referatur ad id quod dat, ut Spiritus sanctus ad Patrem et Filium refertur, a quorum utroque datur, et hoc cum di-

(57) V. Mag. I, dist. 37.
(58) V. Aug. II, *De Trinit.*, c. 5.
(59) V. Mag. III, *Sent.*, d. 1, § 4.

(60) Mag. I, d. 15.
(61) Lib. XV, *De Trinit.*, c. 19.
(62) Mag. I, d. 18, § ult. et dist. 30 § item ult.

A citur, *Spiritus sanctus Patris, Spiritus sanctus Filii,* quæritur an Spiritus sanctus ad se referatur, ut dicatur *Spiritus sanctus Spiritus sancti?* Ad hoc dicendum quod non refertur ad se per hanc appellationem *Spiritus sanctus*, sed per istam *donum*, ubi dicitur, *Spiritus sanctus est donum Spiritus sancti.* Non tamen hoc proprie dicitur relatio, sed respectus quidam Spiritus sancti, eo quod datur ad se ex eo quod dat. At dicet aliquis, cum Spiritus sanctus sit donum Spiritus sancti, et septem sint dona Spiritus sancti, quorum nullum est Spiritus sanctus; ergo octo sunt dona Spiritus sancti? Ideo dicendum quod cum dicitur, *Spiritus sanctus est donum Spiritus sancti*, intelligendum est intransitive, id est *Spiritus sanctus est donum quod est Spiritus sanctus.* B Cum vero de illis donis dicitur, quod sint dona Spiritus sancti, transitive intelligitur, id est dona quæ ita sunt a Spiritu sancto, quod non sunt Spiritus sanctus. Legitur tamen super Epistolam ad Corinthios : *Non proprie Spiritus sanctus dicitur donum nisi per dilectionem qua cætera tenentur.* Quod ita intelligendum, quia nullum vocabulum proprie Deo convenit (63). Nec etiam istud convenit ei, nisi quia facit nos eum diligere.

(64) Item, cum id quod datur ad id cui datur soleat referri, quæritur an possit referri Spiritus sanctus ad omnes illos in quibus est, ut dicatur spiritus Petri vel Pauli, vel Eliæ. Sed non omne quod ad aliud refertur, per quamlibet sui appellationem refertur. C Non ergo per hanc appellationem refertur Spiritus sanctus ad Petrum vel Paulum in quibus est, sed per hanc *donum*, ut dicatur Spiritus sanctus est donum Petri, vel per hanc *Spiritus*, ut dicatur, *Spiritus Petri*, et subintelligitur *sanctus;* sicut cum dico : *Spiritus ubi vult spirat* (*Joan.* III); sicut et Filius, cum detur nobis secundum illud Isaiæ : *Puer natus est nobis, et Filius datus est nobis* (*Isa.* IX); non tamen dicitur Filius noster, sed panis noster, sicut scriptum est : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* (*Matth.* VI).

Item cum Filius procedat a Patre ut donabilis, sicut et Spiritus sanctus, cur non dicitur Filius donum Patris, sicut et Spiritus sanctus? Quod si est, quæritur an prædicetur persona an essentia, D cum dicitur, *Filius est donum Patris?* Si enim persona ponitur, erunt Pater, et Filius, et Spiritus sanctus tria dona Patris, quia tres personæ; et ita divina essentia est tria dona. Si vero dicatur divina essentia prædicari, erunt Pater, et Filius, et Spiritus sanctus unum donum Patris; et nullum donum Patris est Filius, vel Spiritus sanctus quod non sit etiam Pater; et Filius et Spiritus sanctus sunt unum donum Patris, nil est donum Patris quod non sit donum Filii et Spiritus sancti; ergo Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt unum donum Spiritus sancti, et ita Pater datur a Spiritu sancto, et divina essentia datur a Spiritu sancto. Ad hoc fertur responsio, quia Spiritus sanctus dicitur donum Patris propter duo; et quia a Patre procedit ut donabilis, et quia ex eo procedit ab ipso donum dicitur. Nam *hoc donum* vocat relationem æternam, hoc nomen *datum* vel *donatum* temporalem. Unde Augustinus (65): « Spiritus sanctus qui est æqualis Patri et Filio, ex tempore habet hoc ipsum quod dicitur datum vel donatum; sempiterne vero dicitur donum. Filius vero licet procedat a Patre ut donabilis, non tamen ex eo quod ab eo procedit, donum dicitur, sed genitus, vel natus. » Ideo hoc nomen *donum* de Filio dictum 104 tantum temporalem notat relationem, et accipitur pro *donatum.* Dictum de Spiritu sancto et temporalem improprie, et æternam proprie notat relationem.

Sed non ideo minus urgebit quæstionem quærendo, an Filius et Spiritus sanctus sunt duo dona Spiritus sancti an unum, et quid prædicetur hac *Filius vel Spiritus sanctus est donum Spiritus sancti* procedendo prædicto modo; et iterum sic : Nihil aliud est missio Patris quam ejus infusio, tota Trinitas infunditur animæ humanæ; ergo tota Trinitas ei mittitur; ergo Pater mittitur. Quod videtur contrarium verbo Augustini dicentis (66) : « *Pater* et Spiritus per subjectam creaturam apparere posset; absurdissime tamen a Filio quem genuit, vel a Spiritu sancto qui ab eodem procedit missus diceretur. » Hic enim videtur dicere quod Pater absurde et falso diceretur mitti, etiamsi visibiliter apparuisset; multo minus modo, cum non infundatur nisi invisibiliter. Nunquam enim legitur in creatura apparuisse, nisi forte dicunt quidam ipsum ad quercum Mambre apparuisse Abrahæ visibiliter (*Genes.* XVIII). Sed forte adhærebit quis verbo, dicendo quia non est simpliciter dictum, *absurde diceretur missus*, sed *a Filio vel a Spiritu sancto* : ita etiam, ut dicunt, cum modo a se infundatur non dicitur absurde mitti a se, absurde tamen diceretur mitti a Filio vel Spiritu sancto. In hoc tamen videtur derogari auctoritati principii quæ est in Patre; non tamen derogatur, cum simpliciter dicatur quod mittitur, vel cum dicatur quod mittitur a se.

Sed et contra hoc dicit aliquis : Pater mittitur a se; ergo a Filio et Spiritu sancto, vel, diversa sunt opera Trinitatis. Istud tamen non valet, velut si dicatur : Filius est incarnatus; ergo Pater et Spiritus sanctus, vel, divisa sunt opera Trinitatis. Item infusio personæ Patris est opus operatum Patris; ergo est opus Trinitatis; ergo tota Trinitas infundit Patrem. Ut cum incarnatio sit opus totius Trinitatis tota Trinitas incarnavit Filium. Et cum missio Spiritus sancti in linguis igneis vel in specie columbæ fuerit opus totius Trinitatis, tota Trinitas misit Spiritum sanctum in linguis igneis. Sed cum his exemplis videtur talis complexio persuaderi, sunt alia

(63) V. l. XV *De Trin.*, c. 19.
(64) Mag. I, d. 18, § 10 et 11.
(65) Lib. V *De Trin.*, c. 15.
(66) Libro IV *De Trin.* cap. 21 in fine.

rans, qua potuerunt proficere de bono ad majus bonum. Est enim gratia operans, et est gratia cooperans. Gratia operans est quæ de impio facit pium, de malo bonum. Gratia cooperans est quæ cooperatur et coadjuvat; quæ facit ut quis non frustra velit, et ut quod cœperit perficiat; et talis gratia data fuit bonis angelis in conversione ad Deum, qua scilicet possent proficere et Deum magis diligere.

(80) Sed quæret aliquis et rationabiliter, cum illa gratia non fuerit a Deo collata illis angelis qui ceciderunt, nec in eis præcesserit culpa qua meruissent illam sibi non conferri, quare imputatum est eis ad culpam quod ceciderunt? Ad quod dicendum, quod, sicut quando data fuit gratia bonis, non præcessit aliquod meritum illam gratiam, tunc enim non esset gratia, sed esset ex meritis; sed potius gratia præcessit meritum (habebant autem quamdam gratiam qua nil merebantur): ita a simili per contrarium in malis culpa præcessit substractionem gratiæ, non tempore, sed causa. Nulla enim tempore præcessit in eis culpa, sed tantum causa. Causa autem illius culpæ in hoc attenditur, quod ipsi ante substractionem gratiæ habebant quamdam gratiam, qua saltem poterant stare (licet ea non possent proficere) et possent exspectare usque dum daretur eis gratia cooperans qua possent proficere; et quia non exspectaverunt quod exspectare possent, de propria voluntate peccaverunt, et Deus qui non eget alterius testimonio ad aliquem puniendum, statim punivit eos; et hoc fuit de justitia. Cum enim statim punit, de justitia est; cum vero alicujus pœnam differt, hoc est de ipsius misericordia.

(81) Ex his patet quod boni angeli meruerunt confirmationem et beatitudinem illam per gratiam cooperantem; sed illa gratia non præcessit tempore, sed dignitate. Simul enim data fuit gratia, et meritum et præmium. Quam cito enim fuit data eis gratia, tam cito meruerunt et præmium habuerunt scilicet beatitudinem et confirmationem. Sunt alii (82) qui dicunt quod illi angeli meruerunt quidem beatitudinem per gratiam illis collatam; sed gratia illa et præmium præcessit meritum in tempore. In collatione enim gratiæ præmium habuerunt scilicet beatitudinem, sed eam postea per eorum officia meruerunt, sicut iste mercenarius meretur quod jam accepit ut coleret vineam. Nam præmium etiam tempore præcedit meritum.

(83) Oritur autem hic quæstio non prætereunda, utrum scilicet angeli quotidie mereantur et proficiant in merito et in præmio. Quidam asserunt quod angeli quotidie merentur et merebuntur usque ad diem judicii, et proficiunt in merito et in præmio. In merito proficiunt cum humanis utilitatibus provident, et hominum student profectibus. In præmio proficiunt, ut ipsi asserunt, in cognitione, quia quotidie multa discunt et cognoscunt quæ non prius cognoverunt; et quod ita sit, nituntur ostendere auctoritatibus et rationibus. Dicit enim Isaias in persona angelorum videntium Christum ascendentem post passionem, tunc admirantium de mysterio passionis : *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra?* (*Isa.* LXIII.) Etiam Psalmographus ait sub persona angelorum : *Quis est iste Rex gloriæ?* (*Psal.* XXIII.) Apostolus etiam ait : *Hæc est dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo, ut innotescat multiformis sapientia Dei per Ecclesiam, principibus et potestatibus in cœlestibus* (*Eph.* III). Super hunc locum dicit **110** Hieronymus : Quod incarnatio Domini et passio non fuit angelis nota, donec fuit impleta et ab apostolis per mundum dilatata. » His auctoritatibus, volunt ostendere; rationibus sic: Boni angeli meruerunt beatitudinem; sed certum est quod in illo statu innocentiæ quam primo habuerunt, non merebantur, quia nondum habebant gratiam cooperantem qua possent proficere. Ergo post eam meruerunt. Si in primo momento quo data fuit eis gratia, merebantur, eadem ratione et in secundo et in tertio momento merebantur. Et etiam multo magis, quia quanto magis in eis abundabat gratia, tanto magis ea proficiebant et merebantur. Eadem ratione quotidie merentur, et usque in diem judicii merebuntur.

Sunt alii qui dicunt quod angeli nil modo merentur; nec proficiunt in alicujus cognitione, et ad hoc suas inducunt auctoritates et rationes. Dicit enim Augustinus (84) : « Non latuit angelos mysterium regni Dei quod opportuno tempore revelatum est pro salute nostra. » Dicit etiam Isidorus (85) : « Angeli omnia sciunt in verbo Dei, antequam fiant. » Gregorius etiam dicit (86) : « Quid non sciunt angeli qui omnia scientem sciunt? » Hoc etiam rationibus probant: Nam si angeli boni aliquid nesciunt, et illud scire volunt, ergo non sunt beati; si illud scire non volunt et illud scient, ergo similiter non sunt plene beati. Vel sic : Ergo in eis est mutatio, ergo in eis non est æternitatis beatitudo, quia in æternitate non est aliquid mutationis. Item, si homines tenebantur credere nativitatem et passionem, cur mirabantur angeli qui Deum facie ad faciem videbant? Item, si quilibet minimus angelus majori charitate meretur quam homo quantumlibet perfectus, non ergo pertingere possunt merita alicujus hominis ad merita minimi angeli. Item majorem habet charitatem quilibet angelus quolibet homine, et tam homo quam angelus propter suam charitatem dignus est præmio. Ergo majori præmio dignus est quilibet angelus, quam aliquis homo. Item, quilibet homo existens in via minor est quolibet angelo,

(80) Mag. sup., § 5 et 6.
(81) Mag. II, d. 5, § g.
(82) Ipse inter alios Lombardus sub finem ejusdem.
(83) Mag. II, d. 11, § 4, seu litt. d. et seqq.
(84) Lib. V *De Genes. ad litter.*, c. 19.
(85) L. I, cap. 10, *De summo bono*.
(86) L. IV *Dialog.*, cap. 33.

quia *qui minor est in regno cœlorum major est Joanne* (*Matth.* xi). Angelus majori charitate meretur quam homo, et nunquam tepescit angelus in charitate : quod sæpe patitur homo ; et angeli a principio mundi meruerunt, et quotidie merebuntur usque ad diem judicii, quia immortales sunt ; et homo non tantum potest vivere, nec omnibus diebus vitæ suæ meretur. Ergo merita cujuslibet perfectissimi hominis, nunquam contingent merita cujuslibet minimi angeli ; et ita non potest homo æquari angelo in beatitudine. Quod tamen dicit Augustinus super illum locum psalmi : *Adhuc pusillum et non erit peccator* (*Psal.* xxxvi) : « Nondum eris ubi sunt illi quibus dicetur : *Venite, benedicti Patris mei* (*Matth* xxv) : sed eris in illa requie ubi dives vidit Lazarum ulcerosum, et exspectabis usque ad diem judicii, donec recepto corpore, sancti æquabuntur angelis (87). » Dicunt ergo quod meritum cujuslibet hominis magis operatur ad beatitudinem, quam merita alicujus angeli, propter graves labores et molestias quas sustinet homo, quarum expers est angelus. Item, si angeli modo merentur, eadem ratione animæ sanctorum modo merentur. Et a simili per contrarium, animæ malorum demerentur, ut anima Judæ, et ad majora quotidie tendunt supplicia. Unde : *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper* (*Psal.* lxxiii). Sed contra hanc auctoritatem est alia quæ dicit : « Ibi est locus recipiendi et non merendi, hic est locus merendi et non recipiendi. » Item, ea quæ ipsi angeli agunt, vel modo viæ, vel patriæ : si modo viæ, ergo possunt labi, ergo non sunt beati ; si modo patriæ, ergo non merentur.

Illi qui dicunt quod boni angeli proficiunt in merito et in præmio, dicunt (88) quosdam angelos esse majoris dignitatis, quosdam minoris. Illos qui sunt majoris, ut Gabrielem, non latuit incarnatio ; minores vero latuit. Et ita verum est quod non latuit angelos mysterium regni Dei, quosdam scilicet. Quod dicit Isidorus : « Angeli omnia sciunt in verbo Dei, antequam fiant, » solvunt dicentes : Non dixit, *omnes angeli*, non dixit **111** universaliter de omnibus, nec dixit quin ea quæ sciunt possint perfectius scire. Quod autem dicit Gregorius : « Quid nesciunt angeli, qui scientem omnia sciunt ? » Sic solvunt : *Nescire* ponitur pro *ignorare*. Ignorantia enim culpam notat et debitum importat. Angeli autem si forsitan multa nesciant, nil ignorant. Si autem fiat tale argumentum : *Angeli aliqua nesciunt, ergo aliqua ignorant*. Fallacia. *Adam antequam peccaret multa nesciebat ; ergo ignorabat*. Non, quia ignorantia pœna est. Quandoque tamen ponitur *ignorare* pro *non scire*, et tunc nil ponit, sed removet. Solutis auctoritatibus solvunt et rationes.

Quod ergo primo dictum est, *Angeli aliquid scient quod non sciunt, illud volunt scire vel non volunt*, etc. Solvunt dicentes, quod angeli aliquid sciunt quod non volunt scire, et aliquid scient quod non sciunt. Ergo aliquid mutationis est in eis. Fallacia. Deus præcepit Abrahæ ut immolaret filium, et postea prohibuit (*Gen.* xxii), ergo modo mutatio in eo fuit. Non. Vel satis potest concedi quod aliquid mutationis in angelis fuit ; nam non adhuc habent perfectionem æternitatis. Quod postea dicitur, si angeli modo merentur, eadem ratione et animæ sanctorum. A simili per contrarium : Animæ malorum quotidie majora merentur supplicia. Hoc totum concedunt, et illam auctoritatem quæ videtur contraria solvunt. *Hic est locus merendi, et non recipiendi*, et comparative legendum est ; id est, hic magis est locus merendi quam recipiendi ; *et ibi*, id est in alia vita magis recipiendi quam merendi ; vel ita, *hic*, id est ante diem judicii, sive intelligatur status vivorum, sive status mortuorum, est locus merendi ; *ibi vero*, id est post diem judicii est locus recipiendi et non merendi. Melius tamen est ut dicatur quod anima nunquam meretur ex quo a corpore recedit, et aliter est in animabus sanctorum, aliter in angelis. Nam illæ jam sunt in patria, isti adhuc in via. Quod autem postea dicitur : *Angeli ea quæ agunt, modo viæ* [agunt]. *Ergo possunt labi*. Fallacia. Beata Virgo post nativitatem Domini quæ agebat, agebat modo viæ, ergo tunc poterat cadere. Non, quia a Deo confirmata erat quod cadere non poterat.

Est autem quorumdam (89) opinio quod angeli non possunt proficere in cognitione divinitatis. Eam enim non possunt plenius et perfectius cognoscere quam cognoscant et quam cognoverunt a sua confirmatione ; sed possunt et potuerunt proficere in cognitione exteriorum ; sicut fuit in incarnatione. Nec ideo possunt esse beatiores, quia talis cognitio non operatur beatitudinem, nisi illa quæ est in deitatis notitia in qua proficere non possunt ; nec possunt plus mereri, quam meruerunt a sua confirmatione, vel quam mereantur modo. Non enim possunt habere, vel potuerunt, majorem charitatem quam habeant, sed possunt per plura mereri. Et eorum meritum non potest augeri in quantitate, sed tantum in numero, id est per plura opera possunt mereri quam meruerunt. Sicut iste qui per decem annos fuit perfectus ; et adhuc est, non meruit majorem coronam operibus suis quæ fecit in illis decem annis, quam mereatur hoc opere meritorio quod ipse modo facit, quia nunquam majorem charitatem habuit quam habeat, sed per plura opera meruit.

(90) Postea quæri potest, utrum angeli possint peccare, vel potuerint, postquam confirmati fuerunt, quod videtur probari posse, quia tam boni quam mali angeli habent liberum arbitrium. Ergo tam hi quam alii in utramque partem flecti possunt. Ergo peccare possunt. Item dicit Hieronymus (91).

(87) August. conc. prima ad illum psal. xxxvi versum, sed quibusdam verbis immutatis.

(88) *Ita Mag.* II, *d.* 11, § *f.*

(89) Apud. Mag. sup. § 7, seu g.

(90) 2, d 7, § b, etc.

(91) In fine tract. *De filio prodigo.*

« Solus Deus est in quem peccatum non cadit; cætera cum sint liberi arbitrii in utramque partem flecti possunt. » Item Isidorus etiam dicit (92): « Angeli mutabiles natura, immutabiles gratia. » Si illud proprie dicitur aliqua res habere quod habet ex natura, ergo angeli mutabiles sunt, ergo peccare possunt. Ad quod dicendum quod angeli ante confirmationem habebant liberum arbitrium tali modo quod ad utramque partem flecti poterant; post confirmationem vero dicti sunt habere liberum arbitrium, **112** sed non sic ut in utramque partem flecti possent; sed liberum arbitrium voluntarium, ut non ad malum, sed tantum ad bonum flecti possunt. Unde liberum arbitrium prout de angelis dicitur, potest sic diffiniri. Liberum arbitrium est facultas qua non necessitate, vel coactione [vel] libera voluntate possunt angeli eligere quod ex ratione decreverunt appetere. Hæc tamen non est generalis descriptio liberi arbitrii. Quod autem dicit Isidorus : « Angeli mutabiles natura, immutabiles gratia (93). » Quasi diceret, gratiæ qua confirmati sunt repugnat et non naturæ eorum quin mutari possint. Præter hæc quæ dicta sunt, multa possunt inquiri, scilicet in quem locum detrusi sunt angeli post casum, et utrum angeli sint corporei vel incorporei, et multa hujusmodi. Sed hæc magis lectionis quam disputationis sunt et ideo prætermittenda.

Prius tamen quam dicamus de ordinibus angelorum et officiis, de malis dicendum quales effecti fuerunt postquam a Deo aversi sunt. Sunt autem in eis depravata naturalia bona et gratuita ablata, non quod ea habuerint, sed quia haberent nisi peccarent. Sicut iste aufert mihi præbendam, non quam habui, sed quam haberem, nisi ipse impediret.

Sed objicitur : Diabolo per peccatum non est ablatum aliquod bonum naturale. Ergo nec gratia qua naturaliter Deum diligebat. Ergo et illam habet. Ergo naturaliter Deum diligit. Et ita aliquis motus dilectionis est in eo; et ita non tantum odium est in inferno sed et dilectio quod ita improbatur : Diabolus vellet Deum non esse, et vellet se non esse. Ergo nec se nec Deum diligit. Item diabolus diligit peccatum. Ergo diligit aliquid. Ergo placet ei quod aliquid diligat, et ita dilectione illa delectatur. Ergo aliqua delectatio est in eo, et ita non habet continuam miseriam cum sit ibi remedium. Item diabolus gaudet de pœnis impiorum, et de malitia malorum, gaudet etiam quia hominem fecit labi, et hoc gaudium non aufertur ab eo. Ergo continue erit in eo, et ita semper habebit remedium suæ pœnæ. Item plus peccavit Lucifer quam Judas, et Judas jam detrusus est in infernum. Ergo magis deberet intrudi diabolus. Item diaboli superbia semper ascendit secundum illud : *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper* (*Psal.* LXXIII). Ergo quoti-
A die magis ac magis peccat, et talia peccata sunt ei pœnæ simul et culpæ. Ergo quotidie magis ac magis punitur. Ergo semper crescit ejus miseria. Item, diabolus est aliqua natura. Ergo in eo est aliquod bonum, quia non sunt omnia bona in eo per peccatum corrupta, et quotidie magis ac magis peccat. Ergo quotidie magis ac magis corrumpuntur bona quæ habet per peccata quæ aliis superadjicit; et quanto plus corrumpuntur tanto fit Deo dissimilior. Ergo quotidie magis ac magis Deo dissimilis efficitur, et ita magis ac magis quotidie punitur. Item, semper diabolus peccatum peccato adjiciet. Ergo semper aliquod bonum, quod inerat, per peccatum adjectum corrumpetur. Vel ea quæ habet si omnia sint corrupta, magis et magis corrumpitur. Ergo semper
B diabolus magis ac magis punietur. Ergo semper crescit ei pœna. Item, licet semper sit peccaturus; nullum adeo grave peccatum erit in eo, nec tanta peccatorum multitudo, ut possit diabolus omnino in natura corrumpi et desinere omnino esse, quia Spiritus est. Item, quantumcunque malus est diabolus, tantum malus potest esse aliquis in via. Hoc ita probatur. Nullus adeo est malus in via, qui non possit ad illum cumulum malitiæ, in quo est diabolus, pervenire in via. Hoc enim necessario videtur sequi, cum et homo esse et diabolus in infernum [æternum] possit esse malus, iste in via, ille in patria. Ergo quantumcunque malus est ille, tantum malus potest esse iste in via. Nam sic probatur, quia
C quot sunt vera, tot sunt existentia, quia infinita sunt vera et infinita sunt existentia. Sed si quis hoc concedat, improbatur sic. Nemo adeo malus est in via qui non possit ad Deum converti; sed diabolus adeo malus est quod **113** non possit converti. Ergo nemo adeo malus potest esse in via quantum malus est diabolus. Item nemo adeo malus est in via, qui non naturaliter Deum diligat, sed quilibet diabolus Deum odio habet et vellet non esse. Ergo nemo adeo malus potest esse in via quam malus est diabolus. Nam etiam si quis hoc concederet, haberet a simili per contrarium quod aliquis existens in via potest adeo perfectus esse in charitate, ut est aliquis in præsentia [patria]. Cum tamen dicat veritas Evangelii : *Inter natos mulierum non*
D *surrexit major Joanne Baptista, et tamen qui minor est in regno cœlorum major est illo* (*Matth.* XI).

Item Lucifer (94) qui jam a passione Domini, ut dicunt, detrusus est in infernum, jam exclusus est omnino a luce Dei et patitur tenebras exteriores, id est a vera luce separatas et extrinsecas; quia non Deum videt per speciem: sicut nec aliquis hic; et ab eo elongatur per dissimilitudinem : quod multi hic; et vellet Deum non esse: quod nullus hic; et quamdam malignitatem odii et voluntatis oblivionis Dei sentit, quæ dicuntur tenebræ exteriores, quia interiorum et exteriorum tormen-

(92) Lib. I, *De summo bono*, ut sup.
(93) V. Mag. hic. § d, etc.

(94) tom. 2, d. 6, § f. Mag. IV, d. 50, § h. V. Aug. super ps. VI, v. 7.

torum doloribus adeo afficitur, ut ab illis ad cogitandum aliquid de Deo mente nunquam revocare possit. Nullus autem adeo potest esse malus hic qui non quandoque de Deo cogitet et de venia non speret, et spem non habeat et aliquam scintillulam rationis, quam ad Deum dirigat, licet super Isaiam legatur: « Solatium est malorum inimicos habere socios pœnarum; » alibi tamen contrarium: « Et si omnes animæ aliquando requiem habeant, tu nunquam. » Ex quo videtur quod diabolus nunquam sentiat mitigationem: quod verum est. Quod enim lætatur de adversitatibus nostris, non est verum solatium. De aliis tamen animabus utrum remedia sentiant, dubium est. Super Lucam (95) tamen ubi agitur de principio Domini, dicitur quod: « Pejores erant Judæi facto insistentes, quam Lucifer qui et eum tentans solo verbo insistebat dicens: *Mitte te deorsum.* » Sed non sequitur quod si pejores in hoc, ideo sint pluraliter pejores.

Ad prædicta respondemus dicendo quod semper crescit pœna diaboli sicut et culpa, et quotidie meretur mortem æternam, sicut et sancti angeli quotidie merentur majorem coronam, et magis punietur post diem judicii quando cessabit ejus prælatio super peccatores, quia tunc puniet Deus per se, et non per ministros. Unde dicetur: *Ite maledicti in ignem æternum qui præparatus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* xxv). Tunc enim in infernum detrudentur, cum modo sint in aere caliginoso, et plus dolent modo; quia non plus puniuntur impii quam puniantur, quam quia puniuntur gaudeant: et ideo gaudium illud non est aliquod remedium, licet semper gaudeant illud fecisse. Non enim dicitur gaudium in malo proprie; sicut licet sint victuri æternaliter, non tamen habebunt vitam æternam.

Nota etiam quod nullus in via potest esse adeo malus sicut qui minus malus est in inferno, licet existentis in via malitia in infinitum possit crescere sicut calor hujus ignis in infinitum potest crescere apposito fomento, non potest tamen æquari calori solis qui invariabilis est.

Nota etiam quod diabolus nondum patitur exteriores tenebras, quia nondum omnino obliviscitur Deum. Quod autem nondum plenam pœnam sustineat diabolus, inde potest probari quod dicitur in Evangelio: *Quid nobis et tibi, Fili David? cur venisti ante tempus torquere nos?* (*Matth.* viii.)

CAPUT V.

De ordinibus angelorum.

(96) Sequitur de ordinibus angelorum. Videndum est ergo quid sit ordo prout de angelis dicitur, et qui et quot sint ordines angelorum; quæ sint causæ appellationum; et utrum ab initio suæ creationis ita fuerint distincti. Ordo, est multitudo cœlestium spirituum qui inter se aliquo munere gratiæ simi-

A lantur, sicut in naturalium datorum participatione conveniunt. Sunt autem novem ordines angelorum per tres ternanos distributi. Sunt autem tres superiores, tres **114** inferiores, tres medii. Tres superiores, sunt seraphim, cherubim, throni. Tres medii, sunt dominationes, principatus et potestates. Tres inferiores, sunt virtutes, angeli, archangeli. Hoc nomen *angelus* generale nomen est omnium ordinum, quandoque speciale unius ordinis, sicut hoc nomen *confessor* et hæc dictio *persona* æquivoca est ad nomen proprium, cum sint quatuor species ad summum personæ. Et hæc dictio convenit quandoque quibusdam specialiter, ut hæc dictio *contingens* in dialectica.

B Notandum autem quod isti ordines sortiti sunt hæc nomina non propter se (97), (ipsi enim in contemplatione divinæ majestatis sibi innotescunt), sed propter nos, ut scilicet per eorum cognomina nobis innotescant. Sciendum est etiam quod nullus illorum ordinum nomen accepit a dono quod ei singulare datum sit. Nullum enim donum datur uni quod non detur omnibus; sed ab eo dono in quo magis vigent et alios excellunt. Primus ergo ordo dicitur seraphim, id est *ardentia;* quia (98) illi angeli magis ardent in charitate quam alii; et dicitur primus, quia charitas prior est et dignior aliis virtutibus. Secundus ordo dicitur cherubim, id est *sciens*, quia in scientia præeminent isti angeli potius quam in alio dono a Deo sibi dato: et merito C post seraphim ponitur, quia post charitatem majus bonum est scientia. Tertius ordo dicitur throni, *quasi sedes*, quia in illis angelis ita præfulget Dei dilectio, quod in illis dicitur Deus sedere. Quartus dicitur dominationes, quia illi angeli sibi subditis dominantur. Quintus dicitur principatus, quia sibi subditis disponunt, et sua implendo officia eis principantur. Sextus dicitur potestates, quia illi angeli potestatem habent expulsandi dæmones, ut non tantum nocere possint quantum tentare queunt. Septimus dicitur virtutes quia per eos operatur Deus miranda. Octavus dicitur archangeli, quia majora nuntiant. Nonus, angeli qui nuntiant minora.

Nunc autem non prætereundum quod Gregorius dicit (99): « In illa superna civitate quisque ordo D censetur ejus rei nomine quam plenius accepit in munere. » Sed objicitur: Cherubim censetur nomine scientiæ; ergo scientiam plenius accepit in munere quam seraphim. Sed qui magis cognoscit plus diligit, ut dicit auctoritas (100); ergo plus diligit cherubim quam seraphim, quod falsum est; quia seraphim ardent in charitate. Ideo illa auctoritas diversis modis exponitur: *In illa superna civitate quisque ordo*, etc., cum plenius cæteris ordinibus inferioribus non excludatur superior, id est seraphim. Quanto enim altior est ordo, tanto pleniorem habet scientiam. Vel aliter, *quam accepit in*

(95) In Gloss. ad cap. iv, Luc.
(96) Mag. ii, d. 9.
(97) Mag., § c.
(98) Magister, § b.
(99) Hom. 34, in Evang.
(100) Apud. Mag. sup., § d.

munere plenius cæteris rebus, id est cæteris donis, quia, ut diximus, ab illo munere sortiuntur nomina quo magis vigent; vel *plenius accepit in munere*, id est in officio, quia etsi habeant seraphim majorem scientiam quam cherubim, tamen cherubim habent majorem in officio, quia promptiores sunt ad inspirandam scientiam quam illi seraphim.

Utrum ordines angelorum ab initio suæ creationis ita fuerint distincti quæritur, quod quidam dicunt (1). Legitur enim: « *De singulis ordinibus ceciderunt angeli*, » ut Lucifer de seraphim secundum quosdam. Lucifer autem nomen est spiritus et non ordinis ut quidam dicunt. Sed sciendum est quod ordines angelorum non fuerant ita distincti ab initio suæ creationis. Si enim hoc esset: ergo ab initio angeli essent seraphim et ita ardentes in charitate: similiter aliqui essent cherubim, id est scientes: et aliqui throni, id est adeo dilectione Dei pleni quod in eis diceretur Deus sedere; et ita de aliis. Quod si esset, non caderent. Sed certum est quod ita non fuit. Præterea certum quod ante confirmationem nullas habebant virtutes, sed in confirmatione eis collatæ sunt per gratiam. Unde patet quod ante confirmationem non fuerunt ita distincti per participationem donorum gratuitorum; sed distincti dicuntur esse angeli ab initio suæ creationis duobus modis, vel in participatione donorum **115** universalium; quidam enim erant aliis subtiliores in essentia, alii in ingenio, alii tales: vel inhabilitate suscipiendi dona [non] naturalia, sed gratuita quæ postea illis fuerunt collata per gratiam. Quidam enim habiliores fuerunt aliis ad suscipienda illa dona, alii minus.

(2) Quæritur postea qualiter intelligendum sit quod dicitur decimus ordo angelorum cecidisse; propter quod etiam adhuc dicuntur homines decimas dare, ut in illo decimo ordine angelorum lapsorum ponantur. Videtur enim quod fuerit decimus ordo angelorum, et ita quod fuerint decem ordines angelorum. Ad quod dicendum hoc non ita esse intelligendum. Nunquam enim fuerunt decem ordines, sed tantum novem. Sed ideo dicitur decimus ordo cecidisse, quia tot angeli ceciderunt quot ex eis posset decimus ordo constitui, et tamen si illi remanerent et non caderent, non ex illis efficeretur ordo decimus, nec ex hominibus ad cœlum ascendentibus fit ordo decimus. Certum est enim quod tot homines ad cœlum ascendent, quot angeli corruerunt. Sed utrum plures ascensuri sint quam angeli lapsi sint, vel quot angeli in cœlo remanserint, dubium est; plures enim remanserunt quam ceciderunt. Quod plures homines fuerint ascensuri quam ceciderint angeli, asserit Gregorius (3) dicens: « Illa superna civitas nostra mater Jerusalem ex hominibus et angelis constat, ad quam tantum humani generis constat ascendere quantum illic angelorum credimus remansisse. Unde, statuit numerum populorum, juxta numerum angelorum (*Deut.* XXXII juxta LXX).

Item cum ruina angelorum reparetur de numero hominum, quæritur cum cujuslibet illorum loco qui ceciderunt aliquis resurgat, utrum Joannes qui fuit major inter natos mulierum (*Luc.* VII) posset obtinere locum quem habuisset Lucifer nisi cecidisset. Et ita cum Lucifer fuerit excellentissimus angelorum, erit Joannes supra omnes angelos et supra homines. Quæritur etiam utrum Christus in illa reparatione obtineat locum alterius angeli qui ceciderit; quod si est, magis videbitur obtinere locum quem habiturus erat ibi Lucifer, si staret, quam alterius, sed nemini dubium est quin caro Christi et anima præeminentiam habeant supra omnem creaturam quæ fieri a Deo potuerit. Illud etiam quæritur utrum quilibet homo qui loco angeli reparabitur, in tanta perfectione resurget a quanta ceciderint mali angeli, vel quantam habituri essent si stetissent, aliter enim non videtur plena restitutio; quæ omnia, quia nondum sunt inquisitione certa, sub silentio præterimus.

CAPUT VI.

De officiis angelorum et quibusdam annexis officio.

(4) Relinquitur ut agamus de angelorum officio. Hoc enim fuit ultimum præhabitorum capitulorum. Officium autem angelorum est mitti. Quæritur ergo utrum omnes angeli mittuntur, an non. Quidam dicunt quod non omnes angeli mittuntur, et hoc volunt habere ex auctoritate Daniel dicentis: *Millia millium ministrabant ei, et decies centena millia assistebant ei* (*Dan.* VII), quasi diceret: Non mittebantur cum assisterent ei. Alii dicunt quod angeli omnes mittuntur, et muniunt se auctoritate. Dicit enim Isaias: *Ad me volavit unus de seraphim* (*Isai.* VI), et si unus de seraphim missus fuit, qui est ordo supremus, ergo et illi de inferioribus mittuntur. Dicit enim propheta: *Qui facit angelos suos spiritus et ministros suos flammam ignis* (*Psal.* CIII). Præterea si Filius Dei missus est, qui est Dominus angelorum, qua ratione dicuntur angeli propter sui dignitatem non mitti. Solvunt autem sic auctoritatem Danielis, « Millia millium, etc. » Angeli quidem dicuntur assistere majestati divinæ, quia raro mittuntur; etsi etiam quando mittuntur, Deo assistant, quia Deum ubique inveniunt. Deus enim ubique est; et tunc quando mittuntur, angeli nuncupantur; licet hoc nomen *angelus* aliis, ut **116** dictum est, appropriatum sit.

Si autem quæratur quare isti inferiores dicuntur potius angeli quam illi superiores, cum illi sicut et isti mittantur, respondetur, quia, ut jam dictum est, illi rarius mittuntur quam isti qui ex injuncto

(1) Mag., § c.
(2) Mag. sup. § g. duob. seqq. V. Greg. hom 24, super. XV c. Lucæ.
(3) Hom. 34, in Evang.
(4) Magist. II, dist. 10.

sibi officio habent ut mittantur, vel quia non habuerunt aliquam propriam proprietatem a qua denominarentur. Quod est commune sibi appropriaverunt, ut confessores dicuntur qui non habent præeminentiam a qua denominentur, ut apostoli et martyres, cum tamen sit omnium sanctorum hoc nomen commune, et agiographa dicuntur libri alii a lege et prophetis, cum tamen sit nomen commune omnium illorum.

(5) Isti etiam dicunt quod hujusmodi nomina, Gabriel, Raphael, Michael, non sunt propria nomina angelorum, sed appellativa, et angeli ea sortiuntur secundum hoc quod propter diversa mittuntur; ut quando aliquis angelus ad aliquam fortem rem operandam vel nuntiandam mittitur, dicitur Gabriel, quod interpretatur *fortitudo Dei;* quando vero ad medicinam Dei exhibendam alicui, dicitur Raphael, quod interpretatur *medicina Dei;* quando per misericordiam, dicitur Michael, qui interpretatur *quis ut Deus.* Similiter malorum angelorum multa sunt nomina appellativa, ut diabolus, Satan, Leviathan, Behemot, et hujusmodi.

(6) Est aliud officium angelorum quam mitti, scilicet custodire hominem. Unicuique enim homini deputati sunt angeli duo, unus bonus, et unus malus (7); bonus ad custodiam, malus ad suggerendum malum. Sed objicitur : Iste angelus deputatus est huic ad custodiam et eum non custodit quin quandoque peccet, ergo non explet officium sibi injunctum. Ergo peccat. Ad quod dicendum quod angelus officium sibi injunctum explet, quantum in se est, non quantum in homine. Dupliciter enim dicitur aliquis officium explere, vel quantum in se, vel quantum in altero; sicut vides quod est officium episcopi prædicare. Episcopus quotidie prædicat populo; et tamen non potest omnino omnes retrahere a peccato. Certe ipse explet officium suum, quantum in se est. Similiter officium est medici curare ægrum, et ipse apponit medicinam quam apponere debet et curam, et tamen æger non curatur, quia vel irascibilis est, vel præcepta medici transgreditur. Medicus tamen officium suum explet, quantum in se. Similiter cum nil omittat ex contingentibus, quandoque non persuadet orator, et tamen officium explet quantum in se est : similiter est de angelo. Culpa enim in hominis fragilitatem, et non in angelum est retorquenda. Item angelus vult, aut non vult istum hominem salvum fieri. Si vult istum salvum fieri, sed iste non salvabitur, ergo iste aliquid vult quod non fiet, ergo non est beatus : Nam beatus est cui omnia optata succedunt. Si non vult istum salvum fieri, quomodo ergo custodit eum a peccato? et quomodo potest intelligi quod sit ei deputatus ad custodiam, si eum salvari non velit? Nullo modo.

A Solutio. Voluntas boni angeli semper est consentanea voluntati Dei, et cum velit Deus istum non esse salvandum, hoc angelus vult, et tamen explet officium sibi injunctum (8).

Item malus angelus impellit istum ad malum, et bonus non potest eum retrahere a malo. Ergo potentior est malus angelus quam bonus. Non. Quod enim bonus non potest eum retrahere a malo, hoc non est ex impotentia ipsius : certum est enim quod potentior est bonus quam malus; sed hoc ex corruptione hominis. Fallacia. Iste optimus medicus non sanat istum ægrum, data est ei peroptima medicina. Iste alius qui fere nil scit, sanat eum. Ergo est peritior illo.

Item, quæritur utrum homo existens in charitate B magis meretur illis operibus quæ facit ex se sine admonitione angeli? videtur enim magis mereri in illis quæ ex se agit. Ad quod dicendum quod in operibus factis in charitate semper attendenda est intentio et affectus. Illa enim quæ ex meliori intentione et majori affectu **117** charitatis fiunt, meliora sunt, et illis magis merentur : quod autem homo aliqua faciat absque admonitione angeli, certum est; solus enim Deus novit consilia cordium, nec potest angelus cognoscere nisi per signa exteriora, sicut nec malus angelus. Item, angelus gaudet de isto qui ad tempus pœnitet, et postea fit malus; quantacunque bona prius habuerit angelus in se, tanta habet modo, et præterea hoc gaudium; et ipse potest esse beatior C quam sit. Ergo beatior fit quam esset per illud gaudium. Similiter minus beatus fiet quando illud gaudium tolletur ab eo, isto incipiente male agere. Dicunt tamen quia æternum erit illud gaudium, quia etiam quando iste peccabit, placebit angelo istum aliquando bene fecisse. Vel melius est ut dicatur quod loco illius gaudii quod aufertur, habebit aliud gaudium de justitia Dei, scilicet quia ille excæcabatur ut peccet. Sed quæritur an similiter præmium Petri augetur de profectu hominum, quia de multis noviter conversis exemplo sui multa gaudia habet quæ non prius habebat; sed non meretur Petrus sicut angelus, quia quod Petro est præmium, angelo est meritum (9).

Item quæritur an in homine est quod angeli D præmium augeatur? quod videtur, quia quanto plura bona agit homo, tanto magis gaudet angelus, et illud augmentum gaudii, est augmentum præmii vel meriti in angelo. Ergo homo facit quod angelus proficiat in præmio et merito, quod verum est pro . . . . Item proficit ne angelus quando ejus bona admonitione, quæ invisibiliter fit, proficiunt subditi, quod videtur, quia sanctos magistros adjuvat discipulorum salus, sicut legitur super Isaiam cum ex contrario majorem pœnam mereatur malus angelus in prava suggestione, ita

(5) § d. eadem dist.
(6) Mag. II, d. 11.
(7) Ita cum magistro suo Lombardo hic § A, sed minus bene.

(8) V. notas ad cap. 12 Pulli in I parte (*Patrol.* t. CLXXXVI, col. 1017).
(9) Hic excusanda auctoris indoles, ut in aliis pluribus.

quotidie augescit præmium boni, et pœna mali. Eadem ratione præmium Pauli augetur, quia multi ad fidem per ejus doctrinam convertuntur; et pœna Arii augetur, quia multi per ejus hæresim decipiuntur. Cum tamen dicatur quod non est post mortem locus merendi; sed, ut supradictum est, de angelis qui sunt in via, aliter de animabus sanctis quæ sunt in patria.

Item angelus malus deputatus est a Deo huic homini ad suggerendum mala; ergo Deus vult ut suggerat ei mala; ergo ut faciat eum peccare, et ita ut peccet. Item in libro Regum legitur Dominum dixisse : *Quis decipiet mihi Achab? Ego decipiam eum*, ait malus angelus, *qui ero mendax in ore prophetarum ejus.* Et dixit Dominus, *Egredere et fac ita.* Ergo præcipit ei Dominus ut deciperet regem, et ita ut peccaret. Item præcepit ei ut aliquid faceret, ut deciperet vel aliud faceret, non ut aliud, ergo ut deciperet. Item præcepit ei ut aliquid faceret, et nihil poterat facere diabolus in quo non peccaret, et hoc sciebat Deus, ergo præcepit ei ut peccaret. Item diabolus fecit illam deceptionem, vel Deo auctore, vel se auctore : si Deo auctore, ergo non peccavit : si se auctore, non ergo ex præcepto Dei, vel Deus ei præcepit, ut auctoritate sua, id est diaboli, illam faceret, et ita ut peccaret. Item non videtur quod se auctore hoc fecerit; legitur enim super illum locum Isaiæ : *Nunquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea?* (*Isa.* X.) (10) « Sicut hæc inanimata sunt instrumenta per se nil facientia, sed per eum qui movet ea; sic Sennacherib non per se, sed in Dei virtute operatus est. Opus Nabuchodonosor quod fecit in subvertendo Tyrum remuneratum fuit, quia data est ei Ægyptus, secundum illud : Quia servisti mihi in Tyro, dabo tibi Egyptum. » Ergo non ex eo quod illud fecit, peccavit, quia nullum peccatum remuneratur bono, vel temporali vel æterno. Nisi forte dicat quis in contrarium, quia in Evangelio reperitur : *Jam receperunt mercedem suam* (*Matt.* VI), de his qui orant in plateis ex quo et ipsi peccant : et iste quod male acquisivit dat egenis, et ex hoc ipso peccat quia aliena dat, et tamen Deus illud remunerat temporaliter.

Ad hoc dicendum quod Deus præcepit illam deceptionem secundum **118** quod fuit pœna, non secundum quod fuit culpa; vel præcepit ut vexaret eum, quod posset facere ut impleret præceptum Domini; non tamen propter hoc fecit; imo ut gauderet de ejus pœna, et sic non præcepit ei Dominus ut peccaret, ipse tamen peccavit. Ironice dictum est *Egredere*, quod malo tuo facies, nec fuit præceptum. Sicut Dominus dicit ad Judam : *Quod facis fac citius* (*Joan.* XIII) : et nota quod nullum peccatum Deus remunerat, sed dictus est remunerasse Nabuchodonosor quia istud permisit ea Deus facere post istud, et Deus fuit auctor illius pœnæ quam passus est Achab dum decipiebatur; quæ pœna potest dici deceptio; sed non fuit auctor illius deceptionis qua decipiebat eum malus angelus : nam illa fuit culpa in diabolo, nisi dicatur fuisse auctor illius secundum quod fuit pœna.

(11) Item quæritur utrum idem angelus diversis hominibus deputatus sit. Quod videtur sic. Plures sunt mali homines quam boni, *Multi sunt vocati, pauci vero electi* (*Matth.* XX) : Sed tot sunt boni homines quot sunt boni angeli. Intellige sub hac universitate comprehendi omnes homines qui fuerunt, futuri, sive sint vel desierint, vel incipient esse. Ergo plures sunt mali homines quam boni angeli : hoc certum est. Ergo plures sunt mali homines quam mali angeli. Ergo non omnis malus habet malum angelum sibi proprium, et ita malus angelus pluribus est deputatus : quod concedi potest.

CAPUT VII.

De operibus sex dierum.

(12) Duæ sunt rationales creaturæ, angelica scilicet et humana. De angelica dictum; nunc dicendum est de humana; et primo qualis factus fuit homo, deinde qualis effectus fuit per peccatum; ubi etiam de peccato et de generibus peccatorum dicemus. Sed quoniam quædam videntur circa distinctionem operum sex dierum dubitabilia et disputationi accommoda, illa brevi lectione perstringamus : habet auctoritas quod *qui vivit in æternum creavit omnia simul* (*Eccli.* XVIII). Quod sic est intelligendum, id est omnium rerum naturam [materiam] vel similitudinem in illa confusa elementorum machina : naturam quantum ad corpora, similitudinem quantum ad animas. Sed objicitur : Deus non creavit ab æterno illam machinam; ergo illam incœpit creare, cum eam creavit. Ergo mutatio in Deo fuit. Ad quod dicendum quod aliter dicitur Deus facere aliquid, aliter homo. Homo quando facit aliquid, motum quemdam habet in volendo et passionem in laborando. Deus autem dicitur aliquid facere quando secundum æternam ipsius voluntatem aliquid novi nobis apparet : nullus motus est in Deo, nulla passio, nullus labor. Cum autem Deus incipit aliquid facere, non est inceptio ad Deum referenda, sed potius ad rem quæ incipit existere, sicut radius solis adeo calidus fuit heri, sicut hodie, et tamen magis hodie calefacit istum quam heri : hoc non est ex radio solis, sed ex suscipiente, vel ex aliquibus aliis causis. Radius enim solis semper est caloris [*ejusdem*]. Similiter quædam medicina curat istum, quæ ante non potuit eum curare, et tamen non magis acuta modo est quam prius fuerit, nec melior. Quare patet hoc non esse ex medicina, sed ex habitudine suscipientis.

Item objicitur : Antequam illa mundana machina crearetur, erant tenebræ; illæ erant aliquid vel ali-

(10) In Gloss.
(11) Mag. sup. § c.

(12) Mag. II, d. 12.

qua. Ergo aliquid fuit ante creationem illius machinæ, vel aliqua. Item, Deus ab æterno scivit se esse, ab æterno fuit verum Deum esse, et ita hoc fuit verum ab æterno; ergo ante creationem illius machinæ. Ergo illa machina non fuit materia illius mundi, cum illud non sit verum de his quorum similitudinem creavit Deus, licet non. . . [materiam]. Ejusmodi sunt animæ quas de nihilo quotidie creat, et tamen a principio creavit eas in similitudinem. Item, verum a Deo est. Ergo a Deo est per generationem, ut Filius, vel per spirationem, ut Spiritus sanctus, vel per creationem ut **119** creaturæ; quia quidquid a Deo est, aliquo istorum modorum trium est a Deo. Item machina illa creata fuit alicubi, quia in quodam inani: illud inane locus erat in quo creata fuit illa machina; ergo prius erat quam illa machina.

(13) Ad id quod primo dictum est, dicimus quod hoc nomen *tenebræ* quandoque ponit, quandoque non; dicuntur enim quandoque *obscuratio aeris*, et tunc ponit hoc nomen, quandoque *absentia lucis*, et tunc non ponit. Dicendum est itaque quod ante creationem machinæ, tenebræ erant, id est absentia lucis, nec aliquid erat, nec aliqua. Quod autem aiunt: Utrum vera sint ab æterno vel æterna, potius dialecticorum esse dicunt doctores nostri, quam theologorum. Sunt tamen ab æterno, sed æterna non sunt. Nam inter *esse ab æterno et esse æternum*, distinguunt. Ab æterno est quod non incipit esse; æternum est, cui omnia sunt præsentia, quare solus Deus est æternus. Dicimus etiam quod illud inane non erat locus, nec etiam erat aliquid sicut tenebræ.

Item Deus creat rem existentem; ergo quæ est, et ipsa non est Deus; ergo creat rem quæ [al. *non*] est creata. Si non existentem; ergo est Creator rei existentis: sed Creator relative dicitur ad creaturam; ergo res non existens est creatura Dei. Ideo dicunt quidam quod creare non dicitur relative ad creaturam sicut Creator, et ideo licet rem non existentem creet, non ideo est Creator rei non existentis. Sicut quis generat filium qui nondum est, non est tamen genitor ejus qui nondum est. Sed et contra hoc objicitur. Ante convenit Deo creare aliquam rem, quam ipse esset Creator illius; ergo cum fuit Creator primi momenti statim quando fuit, ante convenit ei creare primum momentum quam fuerit; ergo ante omne tempus creavit tempus; ergo ab æterno creavit tempus. Ideo verius dicendum est quod Deus creat tantum rem existentem, quia creare est divina potentia aliquid de nihilo facere noviter existere, et ita creat Deus rem quæ creata est, si hæc dictio *creatum* in vi nominis sumatur sine consignificatione temporis; si vero sit participium et notet tempus præteritum, falsum est.

CAPUT VIII.

Qualis fuit primus homo secundum corpus ante peccatum.

(14) Exsecutis quam paucis de distinctione operum sex dierum, duo prænotata capitula exsequamur, scilicet qualis factus fuit primus homo; secundo qualis effectus fuit postea per peccatum. Ubi etiam de peccato et de peccatorum generibus agetur. Sed quia duæ sunt partes hominis, corpus et anima, ideo qualis fuit secundum corpus prius ostendamus, deinde secundum animam. Sciendum ergo quod primus homo factus fuit mortalis et immortalis, id est potens mori et potens non mori. In primo enim statu potuit mori et potuit non mori. In secundo, scilicet post peccatum, potuit mori et non potuit non mori. In tertio, id est in patria non poterit mori, et poterit non mori. Tunc enim corpus ejus glorificatum erit et spirituale, id est non egens alimonia ciborum; sed ante peccatum corpus ejus fuit animale et egens cibariis. Unde legitur in Genesi (cap. II): *Factus est homo in animam viventem*, id est in spiritum corpus alimonia ciborum vegetantem.

(15) Sed objicitur: Adam si nunquam peccaret, nunquam moreretur; sed et si nunquam comederet, nunquam moreretur; ergo potuit nunquam comedere et nunquam mori; ergo potuit nunquam comedere et semper vivere, et ita sine alimonia ciborum potuit semper vivere. Item, si non peccaret, nullam pœnam sustineret, et si nullam pœnam, nullam famem; ergo si non peccaret, nullam famem sustineret; sed absque fame superfluum esset comedere, et ita si non peccaret, semper viveret; ergo potuit semper vivere et non comedere. Ad primum dicendum quod **120** assumptio falsa est: *Si nunquam comederet, nunquam peccaret*, imo si non comederet peccaret; nec potuit non comedere et non peccare (16). Duo enim præcepta dederat ei Dominus, unum assertivum et unum prohibitivum: unum quo sciret quid esset facturus, et unum quo sciret a quibus esset abstenturus. Præceperat ei Dominus ut ipse de omni ligno quod erat in paradiso comederet, ecce assertivum; sed et hoc præcepit ut de ligno scientiæ boni et mali non comederet, ecce prohibitivum. Cum ergo Deus præcepisset ei ut comederet de omnibus aliis lignis, si non comederet peccaret, et si de vetito comederet peccaret. Utrumlibet igitur præceptorum non observando peccaret. Patet ergo hujus falsitas: *Si nunquam comederet, nunquam peccaret*. Secundam rationem similiter solvimus per intentionem hujus: *Absque fame superfluum esset comedere*. Non enim debebat famem exspectare, dum solummodo appetitum comedendi

(13) Mag. hic § d. seu 4.
(14) II, d. 19.
(15) Mag. II, d. 20, § g.
(16) Mag. II, d. 19, § 2 seu litt. b.

haberet (17). Est enim fames immoderatus appetitus comedendi; et hujusmodi appetitus si sit immoderatus, pœna est; aliter non est pœna. Nam poterat esse in Adam ante peccatum, nec licebat Adæ ultra statutum tempus jejunare, vel citra comedere.

Item peccatum erat Adæ comedere de ligno scientiæ boni et mali : hoc autem nisi esset prohibitum non esset peccatum. Est ergo aliquid factum quare esset peccatum. Hoc itaque factum est a Deo vel ab homine, sed non ab homine : non enim tunc fecerat quod sibi esset peccatum. A Deo igitur factum est quod hoc sibi esset : sic ergo Deus est auctor sive causa peccati. Item, illicitum erat Adæ post prohibitionem comedere de ligno scientiæ boni et mali, nec semper fuit ei illicitum : ergo aliquis hoc fecit esse illicitum. Ergo Deus vel homo, sed non homo. Ergo Deus fecit hoc esse sibi illicitum. Unde sic, quia illicitum erat, ideo peccaret homo si comederet. Ergo fecit quod homo peccaret si comederet, sed homo peccavit quia comedit. Ergo Deus fecit quod homo peccavit, quia comedit : igitur est auctor et causa peccati. Item, bonum est et placet Deo ut peccatum sit illicitum, sed peccatum esse illicitum est esse peccatum; ergo bonum est et placet Deo ut peccatum sit peccatum : igitur Deus causa est peccati.

Primæ argumentationi respondetur falsificando, et indeterminando : falsificando sic : Peccatum erat ante lapsum angelum adæquari Deo, sed hoc non esset ei peccatum nisi ipse angelus vel Deus esset : ergo aliquid est factum quare hoc ei esset peccatum. Si enim per *quare* notetur causa efficiens vel sufficiens, falsum est. Si vero causa *sine qua* vel *occasio*, verum est. In secunda argumentatione eadem est solutio. Tertium ita distinguimus. Deus fecit ut peccatum sit illicitum, id est non sit licitum : ut removeas, verum est. Si vero ita ut peccatum sit illicitum, id est peccatum, falsum est.

Item peccatum erat Adæ de ligno scientiæ boni et mali comedere statim ex quo fuit prohibitum. Ergo fuit peccatum aliquo auctore vel nullo : id peccatum non potest esse sine ullo auctore : hoc ergo fuit ei peccatum Deo auctore, vel homine, sed non homine; ergo, Deo auctore. Ideo ita distingue primam : Peccatum erat Adæ comedere de ligno scientiæ boni et mali, id est peccatum esset si comederet, verum est. Peccatum erat, id est erat aliquid quod tunc erat peccatum, falsum est. Sicut bonum est mihi accipere medicinam, id est bonum esset si acciperem. Sed non est aliquid quod sit bonum, quia non accipio.

(18) Cum autem dictum est quod ipse factus sit mortalis, id est potens mori, et immortalis, id est potens non mori, quæritur utrum hanc immortalitatem habuit ex collatione naturæ, an ex beneficio gratiæ, videtur quod ex beneficio gratiæ. Hanc enim gratiam dedit ei Deus quod de ligno vitæ comederet, et ita semper esset immortalis, id est potens non mori. Et hoc videtur velle Augustinus dicens (19) : « Quodammodo immortalis factus est homo ex beneficio gratiæ, non **121** ex collatione naturæ. » *Quodammodo* dixit, ut innueret quod non erat vera immortalitas sicut immortalitas Dei vel animæ ex collatione naturæ, nec potest dici quod fuerit immortalis. Sic enim naturaliter semper viveret : oporteret etiam quod animalem spiritum non haberet. Immortalis ergo fuit, id est potens non mori, ex gratia, id est ex eo quod ei concessum est comedere de ligno vitæ. Lignum autem vitæ (20) dicebatur ab effectu quædam arbor in paradiso Dei, de cujus fructu si quis comederet, a Deo perpetua soliditate et stabili sanitate membra ejus firmarentur, ut nec aliqua irrepente ægritudine, nec ætatis imbecillitate in occasum vel deterius vergeret. Lignum autem scientiæ boni et mali non ita dictum est ab effectu, quia faciat de eo gustantem scire bonum et malum; sed a rei eventu postea subsecuto; per experientiam enim scivit Adam quantum boni amisisset, et in quantum malum cecidisset.

(21) Sed posito quod Deus non præcepisset ei ut de aliquo ligno ederet, quæritur utrum semper posset vivere absque esu alicujus ligni? Nam si semper posset vivere sine esu ligni, ergo posse non mori non erat ei de ligno. Si vero non semper absque esu ligni, ergo hoc erat ei de ligno. Super hoc duæ sunt opiniones. Quidam enim dicunt quod non posset semper vivere absque esu ligni, et posse non mori erat ei de ligno; et ideo dicebatur immortalis, quoniam semper poterat edere de ligno, quod edens nunquam moreretur. Alii dicunt quod duo operabantur immortalitatem ejus, scilicet conditio naturæ, et beneficium gratiæ, scilicet esus ligni; et solvunt auctoritatem Augustini supra positam (22) : « Quodammodo immortalis factus est homo ex beneficio gratiæ non ex conditione naturæ, » addendum est *tantum*. Sed quia multa similia hic solent induci, in medium ea statuamus.

Adam habebat potentiam moriendi, qua poterat et mori et non mori, quia in optione ejus erat ut faceret, ipse vero elegit quod erat deterius, id est non semper vivere, quia peccavit. Quæro igitur cum haberet illam potentiam a natura, a quo haberet illam ad hunc usum, scilicet moriendi, et a quo usum non moriendi? A natura enim non poterat habere potentiam ad duos contrarios usus; sicut impossibile est me eodem motu voluntatis moveri ad currendum et ad non currendum simul : et si a natura haberet potentiam ad usum semper

(17) Mag. II, d. 20, § g., ut supra.
(18) 7. § II, d. 19.
(19) Lib. VI, *de Genes.*, cap. 25.
(20) August. l. VIII *super Genes.*, cap. 5.
(21) Mag. hic § 3, seu litt. c.
(22) Sic legitur apud Aug. supra : ***Primus creatus est homo immortalis; quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ.***

vivendi, ergo semper viveret. Item, si ab eodem A haberet potentiam ad usum nunquam moriendi, ergo nunquam moreretur, quia nullum naturale per peccatum est ei ablatum, licet aliquod sit obfuscatum. Item, si a natura haberet potentiam ad illos duos usus, quid conferret ei lignum vitæ nisi conferret ei ut non posset mori, sicut lignum scientiæ contulit ut non posset non mori? Illud per meritum adimpletionis præcepti, istud per transgressionem præcepti prohibiti? Si vero ad observationem præcepti hunc usum (23) habuit, a transgressione vero alium usum non semper vivendi; ergo cum præceptum esset ei ut comederet de ligno vitæ, et præceptum esset ei ut non comederet de ligno scientiæ, sicut transgressio hujus præcepti omnino destruxit in eo potentiam ad usum non moriendi B quia non potuit non mori, et necessario addictus est morti; ita, si observasset hoc præceptum ut comederet de ligno vitæ, absorpta esset in eo et destructa potentia quantum ad usum moriendi, quia non posset mori, et ita a comestione illa haberet non posse mori, maxime cum hujus esset efficaciæ quod membra perpetua soliditate firmabat ut in deteriorem statum homo vergere non posset post sumptionem hujus ligni; et secundum hoc non comedit de illo ligno, antequam peccaret, quia non posset postea corrumpi nec peccare; et ita nec de ligno scientiæ comedere. Si enim dicatur quod pluries sumendo lignum vitæ mereretur necessitatem non moriendi, et non semel tantum sumendo, quare C ergo per contrarium pluries comedendo de ligno scientiæ non meruit necessitatem moriendi, et non semel tantum sumendo corrumperetur? Imo **122** potest quæri quoties oporteret eum sumere de ligno vitæ ut fieret non potens mori. Non enim non potest sumi adeo magnus numerus vicium, quin post illas sumptiones, etiamsi usque hodie vixisset Adam, posset sumere de ligno scientiæ, et ita fieri transgressor.

Item si dicatur quod ad neutrum illorum usuum habebat potentiam a natura, sed ad unum a ligno vitæ si comederet, ad alterum a ligno scientiæ si comederet; ergo sicut semel sumendo de ligno vitæ non fieret non potens mori cum posset post esse sumpturus de ligno scientiæ; ita semel sumendo de D ligno scientiæ non debuit fieri non potens non mori, sed posset sumere de ligno vitæ, et fieri non potens non mori. Item si adimpletio hujus præcepti: *Comede de ligno vitæ* (*Gen.* II), conservasset ei potentiam non moriendi, ut quandiu comederet non moreretur, et non evacuasset potentiam moriendi, ergo a simili transgressio hujus, *De ligno scientiæ boni et mali, ne comedas* (*ibid.*), non conservaret ei potentiam moriendi, ita tamen quod non destruxerit potentiam non moriendi, ut post vetitam comestionem posset comedere de ligno vitæ et fieri non potens mori, sicut postquam comedisset de ligno vitæ

posset etiam comedere de ligno scientiæ boni et mali, et ita præceptum transgredi. Item, cum duo essent ei data præcepta, assertivum scilicet et prohibitivum, si tanta charitate observasset illud, quanta superbia transgressus est istud, tantum præmium debebatur ei per observationem istius, quanta pœna per transgressionem illius; aut Deus pronior est ad puniendum quam ad remunerandum; sed transgressione istius meruit necessitatem moriendi: ergo observatione illius meruit necessitatem non moriendi.

Si vero dicatur quod a ligno vitæ, et non a se vel a sua natura habebat potentiam ad usum non moriendi, a se tamen habebat potentiam ad usum moriendi; ergo non erant ei data naturalia quibus æque posset stare ac cadere; imo propensior erat ad cadendum quam ad standum; quia in se habebat unde moreretur, sed non unde non moreretur.

Ad hoc dicendum quod Adam in se habebat potentiam ad usum moriendi et ex se: similiter ex se habebat potentiam ad usum non moriendi, nec tamen ad duos usus. Sicut iste potest ducere istam uxorem, et illam aliam quæ est soror ejus, non tamen potest istas duas ducere legitime. Et in potestate mea est quod curram tota crastina die, et ut nulla parte crastinæ diei curram, tamen hæc duo non possum facere simul. Potest tamen dici quod Adam habuerit potentiam ad alterum istorum usuum, *mori, non mori*, non tantum ad usum moriendi, neque ad usum non moriendi. Et a neutro illorum lignorum habebat potentiam ad usum moriendi, neque ad usum non moriendi. Sed a conservatione istorum præceptorum, *De ligno vitæ comedes, de ligno scientiæ boni et mali non comedas*, habebat potentiam ad hunc usum scilicet nunquam moriendi. Duo enim præcepta ei erant data, scilicet: *De ligno vitæ comedes*. Istud observavit, quia de eo comedit; et aliud præceptum erat ei datum: *A ligno scientiæ boni et mali semper abstinebis*, et istud nondum observando consummaverat. Sicut si mihi dicatur: *Esto semel bonus*, si semel fui bonus, istud præceptum observavi; si vero præcipiatur: *Esto semper bonus*, non observavi hoc, nisi omnibus diebus vitæ meæ sim bonus, nec unquam vere poterit dici de me quod illud præceptum observaverim donec vitam finierim. Sic igitur quandiu observaret illa duo præcepta (quorum tamen unum jam observaverat, quia de ligno vitæ comederat) nunquam moreretur, tamen unius eorum transgressio sufficiebat ad hoc ut moreretur. Nam facilius est destruere quam construere. Sicut ad ostendendum aliquam definitionem de aliquo prædicari, non sufficit unum eorum quæ in definitione ponuntur prædicari de eo, nisi quodlibet prædicetur de eodem. Si tamen velimus ostendere illam diffinitionem non prædicari de eo, nisi quodlibet prædicetur de eodem, sufficit **123** unum eorum quæ in diffinitione ponuntur,

(23) Intellige, semper vivendi.

ostendere non prædicari de eo. Ita etiam si velimus ostendere aliquam copulam esse veram, non sufficit ostendere unam ejus partem esse veram, sed utramque. Si tamen velimus ostendere illam esse falsam, sufficit ostendere quod una pars est falsa.

Sed quæret aliquis, an positus esset terminus observantiæ illorum præceptorum, et quando ille terminus esset consummatus? Si enim semper oporteret eum sibi cavere ne præceptum transgrederetur, et ita semper posset transgredi, etiamsi semper sumeret de ligno vitæ, quare ergo diceretur lignum vitæ? nam sine ejus sumptione, si permaneret in præceptis divinis, posset semper vivere, et ita ab illo ligno non habebat potentiam semper vivendi, nec ei per illud conferebatur ut nunquam moreretur. Quare ergo dicebatur lignum vitæ? Sicut nec dicebatur istud præceptum : *De ligno scientiæ boni et mali ne comedas* præceptum vitæ, quia neutrum sine altero poterat ab hoc valere, etiamsi infinitis vicibus sumpsisset de ligno vitæ nunquam ita solidaretur, quin postea posset sumere de ligno scientiæ boni et mali, et ita peccare. Ad quod dicendum quod ideo dicitur lignum vitæ, quia per longam ejus sumptionem hoc efficiebat quod homo confirmaretur in potentia non moriendi, et post nunquam posset mori. Nam ad talem statum transferretur si illa duo præcepta observasset. Ignotum tamen est nobis quandiu in illo statu primo permansisset, et quando ad illum secundum statum transferretur in quo positus, non postea posset sumere de ligno scientiæ boni et mali; et ita non posset peccare, et hoc haberet a frequenti sumptione ligni vitæ, si alterum præceptum observaret ne sumeret de ligno scientiæ. Dicunt quidam quod unica sumptio illius ligni ad illud sufficiebat, ut scilicet confirmaretur. Ita quod non posset mori, et ita nunquam comedit Adam de ligno vitæ. Si enim comedisset, ita solidatus fuisset ut postea peccare non posset; et hoc volunt probare, quia a Domino ejectus est de paradiso (24), ne sumeret de ligno vitæ post peccatum; de quo si sumeret, fieret non potens mori, et ita crudeliter videretur Deus cum eo agere cum semper in miseria victurus degeret. Ideoque misericorditer egit Deus cum illo, cum illum ejecit de ligno vitæ sumendo, ne semper victurus semper in miseria esset versandus. Sed huic contrarium dicit Augustinus (25) : « Recte profecto intelliguntur primi parentes ante malignam persuasionem sicut a cibo vetito abstinuisse, ita concessis lignis usi fuisse. » Istud tamen non arguit quia indefinite dictum est, cum multa alia ligna essent concessa. Quæritur tamen si illud habeat effectum lignum vitæ nunc, quod tunc habebat, et

A si Adam vixisset usque nunc, et de ligno scientiæ comederet, utrum homines ante nati punirentur, sicut qui de eo essent nascituri? quod non credimus.

Solet etiam quæri, an Adam tunc posset occidi, et ita mori, cum tamen nulla in eo præcessisset culpa? quod videtur. Poterat enim teneri inclusus in carcere, ita quod non haberet quod comederet. Et dicimus quod nullam sustineret molestiam nisi peccasset, nec aliquis ei aliquid inferre posset (26). Cum autem ex conditione materni uteri necessarium esset primos parentes portare pueros parvos ante peccatum, utrum eorum infantes statim nati haberent quantitatis membrorum perfectionem, sicut habent modo juvenes, et officium membrorum statim exercerent ut pedum et manuum; an non B statim haberent perfectam quantitatem membrorum, sed officium tantum, sicut habent modo fetus quorumdam brutorum animalium, quia statim currunt et vident; an nec quantitatem membrorum, nec officium haberent, sed paulatim usque ad prolixam ætatem crescendo pervenirent, sicut modo est? Hoc, inquam, non est multum curandum, cum non sit sanctorum auctoritate confirmatum, nec diffinitum.

124 CAPUT IX.

Qualis ante peccatum fuit secundum animam.

(27) Nunc dicendum est qualis factus fuit homo secundum animam. Fuit autem factus ad imaginem C et similitudinem Dei (*Gen.* I). Ad imaginem, quantum ad bona naturalia, scilicet rationem, memoriam, intellectum; ad similitudinem, quantum ad bona gratuita. Sed numquid tunc habebat bona gratuita? Ergo tunc habebat virtutes; ergo tunc poterat mereri. Sed hoc improbatur, quia si meratur, libero arbitrio meretur; liberum autem arbitrium non pertinet ad præsens vel præteritum, sed tantum ad futurum. Ideo nunc dicendum est : *Quantum ad bona gratuita*, id est ad habilitatem suscipiendi bona gratuita, qui factus est aptus suscipere virtutes; non tamen statim habuit. Sicut Josias genuit Jechoniam in transmigratione Babylonis (*Matth.* I), non tamen statim transmigravit; et homo positus est in paradiso (*Gen.* II), ut D operaretur et custodiret, non tamen operatus est, nec custodivit. Vel sic : *Quantum ad bona gratuita*, id est quantum ad illum statum innocentiæ in quo factus erat. Vel aliter, *ad imaginem*, id est ad cognitionem veritatis; *ad similitudinem*, id est ad dilectionem veritatis. Item aliter, *ad imaginem*, quantum ad formam; *ad similitudinem*, quantum ad essentiam, qua, sicut Deus simplex est et incorruptibilis, ita et anima; et hoc quantum ad essen-

(24) Irenæus lib. II, *adv. hæres.*: [*Ejecit eum de paradiso et a ligno vitæ longe transtulit; non invidens ei lignum vitæ, sed miserans ejus ut non perseveraret semper transgressor, neque immortale esset circa eum et malum interminabile.*] V. Hilar in *Com. Psal.* LXVIII. Nazianz. orat. II in Pasch.; Hieronym. in LXV Isaiæ, etc.

(25) L. II *De peccat. meritis et remiss.*, c. 21, initio, sed paulo aliter. Item, l. XIII *De civit.*, cap. 20.

(26) Mag. II, dist. 20, § d, e, f. V. Aug. l. I. *De peccat. meritis et remiss.* c. 37.

(27) Mag. 2, d. 16.

tiam (28). Similitudo quantum ad formam; quia, sicut Deus meminit, discernit, diligit, ita in anima reperiuntur hæc naturalia, et hæc dicuntur forma animæ, quia hujusmodi informatur proprietatibus, et una magis alia anima.

(29) Notandum autem quod sicut non solum pictura, quæ est in tabula, dicitur pictura, vel imago alicujus rei, sed etiam ipsa tabula; ita non solum anima imago Dei dicitur, sed etiam homo. Item sciendum est quod anima sive homo, et est imago Dei, et est ad imaginem Dei. Christus autem est imago Dei Patris sed non est ad imaginem Dei Patris. Præpositio enim notat quamdam imparitatem et minoritatem ejus quod est imago ad id cujus est imago. Unde non solet dici quod Filius, licet sit imago Dei Patris, sit ad imaginem Dei Patris secundum quod Deus. Sed anima sive homo et imago Dei est, et ad imaginem Dei est. Hominem enim minorem Deo esse certum est.

Sed quæritur quomodo homo sit similis Deo per gratuita, cum illa in Deo non sint? Estne homo similis Deo per id quod in Deo non est? Item, homo est similis Patri per ista; ergo Deus Pater et homo in his sunt similes, vel, ergo Pater est similis homini in his. Ad quod dicendum quod ideo dicitur homo similis Deo per gratuita, non quia gratuita sunt in Deo secundum quod Deus, sed quia quæ de homine dicta vocabula gratuita significant de Deo vere dicuntur; et essentiam in eo significant, ut *Deus est justus*, *fortis*, *potens*, et hujus modi. Dicuntur enim aliqua duo similia, vel quia conformibus participant proprietatibus, quæ similitudo hic non reperitur, vel quia aliquid fit circa unum quod est simile ei quod fit circa reliquum. Quo modo dicitur regnum cœlorum simile grano sinapis (*Matth.* XIII), vel navis civitati, ut dicit Boetius? Hoc modo dicitur anima similis Deo, non quod similibus participet proprietatibus, sed quia sicut Deus intelligit, meminit, et hujusmodi, ita et anima. Et licet similis sit anima Patri per memoriam, Filio per intelligentiam, Spiritui sancto per dilectionem; non tamen per aliud similis est Patri quam Filio et Spiritui sancto; quia illa appropriatio fit nomine non re. Sicut licet Pater offendatur per peccatum infirmitatis; Filius per peccatum ignorantiæ; Spiritus, malitiæ, non aliter tamen Pater quam Filius, vel Spiritus sanctus. Nam illa appropriatio nomine fit, et non re, ut supra dictum est.

Item hoc nomen *imago* ibi significat essentiam divinam; ergo essentia divina dicitur imago Trinitatis. Item, si hoc nomen *imago* essentiam divinam **125** significat cum dicitur, *homo factus est ad imaginem Dei*; ergo Deus est imago hominis; ergo ei par vel eo inferior. Vel ita, ibi significat essentiam; ergo non ibi dicitur in respectu; quod

A videtur, quia cum genitivo ponitur. Nam ubi essentiam significat, per se ponitur. Si vero ibi significat rem creatam, quæ est proprietas animæ; ergo homo factus est ad imaginem animæ. Ad hoc dicendum quod ibi essentiam significat divinam; et est divina essentia imago ad quam factus est homo. Nam imago dicitur et exemplar et exemplum, sed magis proprie exemplum; et hoc nomen *Dei* in illa junctura locutionis essentiam divinam significat, et est resolvendus genitivus in nominativum: *Ad imaginem Dei*, id est *quæ est Deus*, ut sit intransitio. Et cum hoc nomen *imago* in quadam significatione dicatur de Filio, relative scilicet, in qua non dicitur de Patre, non dicitur homo factus est ad imaginem Filii tantum prout ibi accipitur imago.

B Est enim imago creationis, scilicet bona naturalia, et recreationis scilicet bona spiritualia, et similitudinis scilicet tota Trinitas et ita accipitur in prædicta auctoritate. Item Augustinus dicit (30): «Quia anima ideo fit Deo similis, quia immortalem et indissolubilem eam fecit Deus;» sed quia talis a Deo facta est, est creatura Dei, et quia est creatura, est alia substantia a Deo; et quia est alia substantia a Deo est ei dissimilis; ergo quia facta est immortalis et indissolubilis, facta est Deo similis, et ideo per idem est similis et dissimilis. Ideo distinguenda est hæc, *per idem est Deo similis et dissimilis*, id est, per idem est res quæ in aliquo est similis, et in aliquo est dissimilis, verum est; si vero ita, *per idem est*

C *similis et dissimilis*, id est idem est ei esse simile et dissimile Deo, falsum est.

(31) Sciendum est iterum quod anima hominis triplicem habuit scientiam; habuit enim scientiam de cœlestibus, et de terrenis, et de seipsa. Scientiam de cœlestibus vel de se non plene habuit; ergo imperfectus in scientia fuit. Item si in illo statu aliquid Adam nescivit; ergo in eo ignorantia fuit; ergo pœna, ergo punitus fuit antequam peccaret. Sed qui sic objiciunt de ignorantia, ignorare videntur quod ignorantia culpam notat, et debitum importat. Illud enim dicitur quis ignorare quod cum deberet scire non scit. Adam vero tunc nil debebat scire quod non sciret, et ideo ignorabat.

(32) Quæritur autem utrum Adam præscivit ca-

D sum suum? quod sic ostenditur. Adam fidem habuit; ergo credebat Christum nasciturum, moriturum propter redemptionem humani generis; ergo sciebat humanum genus esse lapsurum: sed non per alium hominem quam per se; ergo sciebat humanum genus per se lapsurum; sed sciebat hoc non posse esse quin ipse peccaret; ergo sciebat se esse peccaturum; ergo lapsurum. Ad hoc dicendum quod non sciebat humanum genus per se esse lapsurum, licet ipsum sciret esse lapsurum, nec sciebat per quem esse lapsurum. Sed quæritur an posset credere humanum genus esse casurum in

(28) Sic legitur apud Mag. hic § d: *Imago pertinet ad formam, similitudo ad naturam.*

(29) Mag. hic § 4, cit. et § e.

(30) Libro *De quant. animæ*, cap. 2.

(31) Mag. 2, d. 23, § C. et seqq.

(32) Mag. sup., § 7.

alio, ita tamen quod in eo esset casurum? Quod si esse poterat; ergo poterat in eo statu credere esse verum, quod erat falsum, vel econtrario; et ita poterat, habere errorem (quod est pœna) antequam peccaret. Si vero non poterat hoc credere de aliquo nisi de se, et credebat de se vel de alio; ergo credebat hoc de se. Aliter enim de alio si crederet, errorem haberet. Ad hoc dicendum quod non poterat [scire] illud lapsurum esse in alio quam in se vel in eo in quo esse poterat lapsurum, non tamen credebat esse lapsurum in se. Verum; est quidem quod ipse sciebat illud esse lapsurum in se vel in alio. Et si ipse sciret non posse esse lapsurum in alio, inde necessario sequeretur quod sciret illud esse lapsurum in se, sed nesciebat illud medium. Sicut iste scit astra esse paria vel imparia, et forte non possunt esse astra imparia, non tamen iste scit; hoc non tamen sequitur quod sciat astra esse paria. Ita nec Adam sciebat quod non posset credere humanum genus esse casurum in alio. Quod si sciret, necessario sequeretur quod sciret esse casurum in se. Item poterat Deus eum talem **126** existentem, id est nec dignum vita, nec dignum morte damnare, quod videtur posse ostendi auctoritate quadam quæ continetur super Epistolas: « Poterat Deus talem facere nec dignum vita, nec dignum morte: quem si damnaret quis diceret: Cur facis? » Ad quod dicendum quod talem poterat damnare, id est non salvare; sed non poterat damnare, id est in infernum deducere vel detrudere, quia faceret contra misericordiam, cum *sit piger ad pœnam princeps, ad præmia velox.*

(33) Item Adam erat in tali statu in quo poterat stare; ergo in quo poterat a malo declinare, ergo tentationi resistere; ergo mereri; ergo habebat virtutes. Ad quod dicendum quod declinare a malo, hoc est non facere malum; qui vitat culpam, non semper meretur palmam secundum illud:

Non feci furtum, non pasces in cruce corvos.

Ideoque non merebatur Adam declinando a malo, quia nil erat quod ad malum impelleret, neque interior tentatio, neque exterior. Sed si quis impelleret, et ad malum et ipse non succumberet, sed resisteret ex charitate, tunc esset ei meritorium. D Fuerunt enim duo status hominis ante peccatum: Unus in quo non habuit gratiam qua posset proficere, sed stare; et alius qui [in quo] habuit gratiam qua potuit proficere, scilicet quando cecidit. Unde Augustinus (34): « Habuit homo posse quo vellet, sed non habuit velle quo posset; quod si habuisset non peccasset. »

At dicet aliquis, ipse tunc habebat in proposito quod si quis impelleret ad malum non faceret; ergo illo bono proposito merebatur; quemadmodum quis meretur implendo hoc præceptum: *Non occi-*

A *des* (*Exod.* xx), quia in proposito habet non occidere, si impellatur. Item Adam tunc erat adultus, et habebat tunc discretionem boni et mali, et recte ea utebatur; ergo dignus erat vita vel morte; ergo meruerat vitam vel mortem. Sed manifestum est eum non posse mereri vitam sine virtutibus. Item sola ea quæ merentur vitam, merentur mortem, et econtrario. Adam in eo statu erat in quo poterat mereri mortem: ergo in eo statu poterat mereri vitam et ita habebat virtutes. Item nullum bonum irremuneratum, nullum malum impunitum. Illa dilectio naturalis qua Adam diligebat Deum bona erat, et ea bene utebatur; ergo ejus usus bonus erat, et ita cum nullum bonum sit irremuneratum, illa dilectio aliquid merebatur vel temB porale vel æternum. Et non est ratio quare magis temporale quam æternum, et ita virtutes habebat, quia nemo meretur æterna sine virtutibus. Ad quod dicendum quod auctoritas illa *nullum bonum irremuneratum, nullum malum impunitum* referenda est ad bona quæ fiunt in via. Sed Adam tunc non erat in via, neque in patria. Quod [*al.* quid] enim, si esset in via vel esset in patria, alibi audisti. Alia quæ prædicta sunt instantiam habent in angelis qui prius habebant sola naturalia, et post gratuita.

Item Adam tunc sciebat, quod Deus erat constituendus principium et finis cuilibet actioni. Non enim postea accrevit illi hæc scientia quando data est ei charitas. Sciebat etiam quod ipse debebat ei constituere finem omnis suæ actioniset principium, C et ei attribuere omnia bona sua; ergo tenebatur ei exhibere latriam; ergo tenebatur eum diligere ex charitate. Item, charitas est dilectio Dei propter ipsum, et proximi propter Deum. Adam tunc diligebat Deum propter Deum; ergo tunc habebat charitatem. Item, Adam tunc diligebat Deum plusquam se, et se sicut proximum; ita tamen quod primo loco Deum et secundo se, tertio proximum, quarto suam carnem, et hoc totum propter Deum faciebat. Si enim non propter Deum finaliter, sed propter aliud hoc faciebat, quia constituebat finem quod [qui] non referretur ad finem; ergo peccabat mortaliter a fine debito declinando. Sine fine enim aliquo constituto illud non faciebat. Quod si totum hoc propter Deum faciebat, ergo charitatem ordinatam habebat. Item minimus motus charitatis excedit quantumlibet magnum motum naturalis dilectionis; Adam autem per infusionem virtutum solo naturali **127** motu diligebat Deum, post datas virtutes eadem naturali dilectione nondum in via diligebat Deum, et præterea motu charitatis; ergo multo fortius diligebat Deum post datas virtutes quam ante. Item, multo plura dona tunc habebat a Deo quam ante, quia et naturalia et gratuita, cum prius haberet tantum naturalia; ergo plus diligebat eum Deus tunc quam ante, ergo et ipse plus Deum, aut transgressor erat; nam qui magis diligitur,

(33) Mag. II, d. 24, § C.

(34) Libro *De corrept. et grat.* c. 11, in fin. Sic apud Aug.: Acceperat posse si vellet, sed non habuit velle quod posset; nam si habuisset perseverasset.

magis tenetur diligere. Ad hoc dicendum quod non quilibet motus charitatis excedit quantumlibet motum naturalis dilectionis quantitate, sed dignitate. Potest enim esse quod aliquis minus diligat Deum, quam aliquis alius filium suum sola dilectione naturæ. Et verum est quod Adam plus tenebatur diligere datis gratuitis, id est pro pluribus. Tamen *diligere* æquivoce dicitur de naturali dilectione et de charitate. Unde non valet ibi comparatio. Potest enim dici quod tunc tenebatur Adam exhibere latriam Deo, non tamen ideo diligere charitate, sicut et de angelis dicitur.

Item, Adæ post peccatum inflictus est fomes peccati quem non ante habebat. Ergo magis tenebatur diligere Deum ante peccatum quam post. Item, tunc legitur interfuisse curiæ angelorum et prophetasse de diluvio, et multis aliis, sed non postea. Ergo magis tenebatur. Econtrario videtur quod magis post peccatum : nam restitutis sibi quæ prius amiserat, data est sibi confessio et pœna de peccato, quæ duo bona sunt. Ergo vel plura bona sunt ab eo habita post peccatum quam ante. Præterea, majus est opus recreationis quam creationis. Ergo post recreationem magis tenebatur Deum diligere, quam ante creationem. Dicunt quidam quod magis tenebatur Deum diligere ante peccatum, quia plura bona prius habuit quam post. Nec enim sunt ei ex integro restituta. Si objiciatur quod pœnitentia restituit ablata, verum est vel in re vel in spe; et forte ante peccatum, nondum datis gratuitis, magis tenebatur Deum diligere quam postea Paulus (si congrua sit comparatio inter dilectionem naturæ et charitatis) : et hoc propter bona naturalia quæ talia sunt ei collata qualia nulli postea. Paulus tamen tenebatur habere charitatem, quam non ipse in tali statu.

Sed quæritur, cum posset fieri quod Adam tunc moreretur (quod forte posset accidere si Eva eum interficeret; quod tamen dubium est, si fieri posset, quia sic fuisset pœna ante culpam) : haberetne Adam vitam æternam? Videtur quod neutrum de meritis (35), nisi dicatur quod Deus de gratia daret vitam æternam. Sed verius credimus eum tunc non potuisse decedere aut aliquam molestiam sustinere. Item, impossibile est aliquem sine peccato mortali ante charitatem damnari aut salvari. Ergo Adam, si tunc decederet, nec damnaretur nec salvaretur, quia non habebat meritum vitæ vel mortis. Sed potest dici quod de gratia salvaretur.

CAPUT X.

Quæ sit causa peccati?

(36) Quæritur quæ fuerit illa gratia qua Adam poterat stare et non poterat proficere ante peccatum. Ad quod dicendum quod illa prima gratia fuit liberum arbitrium acutissimum in homine et quædam sensualitas rectissima et non obliqua. Hic autem di-

A cendum esset quid est liberum arbitrium, quid sensualitas, et etiam de gratuitis bonis et naturalibus, nisi quia postea dicturi sumus, quomodo lapsus sit homo et spoliatus gratuitis, et vulneratus in naturalibus, in quo loco dicemus de his. Ne igitur ibi videamur acta agere, ista usque ad illum locum reservabimus. Hic igitur de peccato Adæ. (37) Et ut ab altiori inchoemus, generaliter de peccato agendum erit hoc modo, prius inquirendo quid sit causa peccati; secundo, in qua re sit peccatum; tertio, quid sit peccatum; quarto, de modis et differentiis peccatorum, ut ita ad peccatum Adæ ascendamus. Agere autem de invidia **128** quam habuit diabolus erga hominem et quomodo suggessit ei ut peccaret, et hujusmodi, superfluum esset, quoniam hæc etiam

B vulgo notissima sunt. Sciendum est igitur quod duplex est causa peccati sive mali, scilicet bonum, ut homo, angelus; et etiam malum, id est mala voluntas. Quod autem bonum sit causa, et origo mali, ostenditur et ratione et auctoritate. Ratione sic : Malum non fuit ab æterno. Ergo incœpit esse aliquo auctore. Illud quod fuit auctor mali fuit bonum vel malum : sed non fuit malum (hic enim loquimur de primo malo). Ergo illud quod fuit auctor mali, fuit bonum. Ergo malum originem habuit a bono. Item, indirecte : Nullum malum habuit initium a bono; omne malum habuit initium : ergo nullum fuit primum malorum. Si vero dicatur quod non omne malum habuit initium, ergo aliquod malum non habuit

C initium; et ita aliquod fuit principium tenebrarum ab æterno, sicut falso dogmatizavit Manichæus. Concedendum est ergo quod omne malum habuit initium a bono; quod etiam manifeste et evidenter demonstrat Boetius in *Arithmetica*, ubi docet quomodo inæqualitas ad æqualitatem reducatur, et inde initium sumat. Hoc etiam affirmat Augustinus, dicens (38) : « Dico malam voluntatem præcessisse malum; habuit enim originem a bono, prius ab angelo, postea ab homine. Est etiam malum causa mali quia mala voluntas est causa mali. In primo peccato una sola fuit causa boni scilicet angelus; in cæteris malis sequentibus duplex fuit causa, homo scilicet quod bonum est, et mala voluntas quæ est malum. Unde Augustinus (39) : « Malarum rerum causa est ab im-

D mutabili bono mutabilis boni deficiens voluntas, primo angeli, postea hominis.

CAPUT XI.

In qua re sit peccatum.

(40) Nunc in qua re sit malum dicendum est. Est autem tantum in bono : quod sic ostenditur : Malum nil aliud est quam corruptio boni, corruptio boni non est nisi in natura, et natura non est nisi bonum. Ergo malum non est nisi in bono. Item, malum non est nisi in eo quod privat aliquo bono; sed nil privatur aliquo bono in quo non remaneat aliquod bo-

(35) Id est salvari aut damnari.
(36) Mag., II, d. 24, § D.
(37) Mag., II, d. 34, § 1 et seqq.
(38) V. Aug., lib. II *De nupt. et conc.*, cap. 28, et *Enchir.*, c. 14, sub fin.
(39) *Enchir.* ad Laurent., cap. 23.
(40) Mag. sup., § D.

num, et in nullo est aliquod bonum quod non sit bonum. Ergo malum non est nisi in bono. Si autem ista negetur, *nil privatur aliquo bono in quo non remaneat aliquod bonum* probari poterit sic : Nam si aliquid privatur aliquo bono in quo non remaneat *esse*; nam *esse* est bonum, ergo aliquid privatur omni bono. Ergo aliquid est pessimum : quod falsum est. Dicit enim Augustinus (41) : « Res quantumcunque possit fieri mala, non potest fieri pessima, » id est omni bono carens. Quod non sit malum nisi in bono, aperte dicit Augustinus his verbis (42) : « Nullum est quod dicatur malum, nisi aliquid sit bonum. Ullum enim non potest esse malum ubi bonum est nullum. » In bono est malum. Ergo bonum est malum. Ergo contraria de se prædicantur. Dicit enim propheta : *Væ illis qui bonum dicunt malum!* (*Isai.* v.)

Ad illud ergo quod primo objicitur de contrariis, dicit Augustinus (43), quod « regula dialecticorum in omnibus contrariis, observatur præter quam in istis. » Vel dici potest, quod hæc nomina *bonum*, *malum*, substantiam notant in neutro genere, in masculino et feminino formam. Cum ergo utrumque ponitur in neutro genere, vel utrumque in masculino genere vel feminino, de se invicem prædicari non possunt. Res enim quæ est bonum non est malum, et ille qui est bonus non est malus. Sed quando unum ponitur in neutro genere, reliquum in feminino vel masculino, de se ponitur, ut, *Res quæ est bonum est mala*, et e contrario, et ita conceditur quod bonum est malum retento uno adjective. (44) Ad id autem quod dicit propheta : *Væ illis qui bonum dicunt malum!* dicendum quod tantam detestationem mittit in illos qui opus Dei, ut naturam ipsam vel hominem vel aliquam **129** creaturam in eo quod est opus Dei, et ita in eo quod est bonum, dicunt esse malum; et qui vitium in eo quod est vitium dicunt esse bonum. Omne enim opus Dei in eo quod est opus Dei bonum est; et omne vitium in eo quod vitium, malum est.

CAPUT XII.

An peccatum sit aliquid; et si est aliquid, an natura, an vitium naturæ.

(45) Ostenso unde habeat originem peccatum, et in qua re habeat esse, dicendum est, quid sit peccatum. « Peccatum est omne dictum vel factum, vel concupitum contra legem Dei. » Et iterum : « Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quod justitia vetat. » Et hæ duæ diffinitiones secundum Augustinum (46). Ambrosius autem sic diffinit peccatum (47) : Peccatum est « prævaricatio legis divinæ et cœlestium inobedientia præceptorum. » Secundum primam auctoritatem peccatum est dictum vel factum vel concupitum; secundum aliam, peccatum est voluntas; secundum tertiam peccatum est prævaricatio legis. Ideoque de essentia peccati diversorum diversæ sunt opiniones (48). Quidam enim dicunt quod peccatum est actus, et ille actus, in quantum est actus, bonum est et a Deo est, sed propter pravum et distortum finem peccatum est; et in eo quod peccatum, nil est, nec a Deo est, quia ille actus deformatur per pravum et distortum finem. Nonnulli dicunt quod tantum interior est peccatum. Alii dicunt quod et motus interior, et motus exterior peccatum est, et est aliquid quia non quilibet in quantum est, bonus est, nec a Deo est, quia aliquid est a diabolo vel ab homine. Primam opinionem prius prosequamur probando, postea improbando.

Quod autem peccatum nil sit, probatur ita : Quidquid est, aut est opus Dei, aut est opus hominis imitantis Deum; hoc enim dicit Augustinus. Si peccatum non est opus Dei, ergo est opus hominis imitantis Deum, quod falsum est; quia illud opus dicitur hominis imitantis Deum, propter quod homo a Deo non recedit; sed per peccatum recedit homo a Deo. Ergo peccatum non est opus hominis imitantis Deum. Item, malum est corruptio boni, sed corruptio boni nil est. Ergo malum nil est. Et licet corruptio boni sit peccatum, non tamen cujuslibet boni corruptio est peccatum; est enim quoddam bonum summum quo sunt omnia bona, cujus essentia est ejus bonitas. Ergo non potest incipere vel desinere esse, nec potest in bono proficere nec a bono deficere. Est etiam et aliud bonum, scilicet creatura, et illud non habet in se omnia bona, nec omne bonum est ab eo : sic enim summo bono æquaretur; sed quibusdam participat bonis, aliis caret, et in bono potest proficere, et a bono deficere, quia potest habere quod non habet, et potest non habere quod habet. Est autem creatura duplex, corporalis et spiritualis, et bonum quoque duplex, unum quantum ad corporalem creaturam, et unum quantum ad spiritualem. Item, corporalis creaturæ duplex est bonum, unum est in ipsa, alterum ex ipsa. In ipsa, rectitudo quinque sensuum; extra ipsam, ordinatio rerum naturalium. Magnum enim bonum est homini quod ita ordinantur cætera, scilicet cœlum et terra, animalia bruta, arbores et hujusmodi. Similiter spiritualis creaturæ duplex est bonum, scilicet cognitio veritatis et dilectio veritatis. Cujuslibet ergo istorum bonorum corruptio, est malum, sed non cujuslibet istorum corruptio est peccatum sive culpa. Tria enim bona distinguimus, unum in corpore, alterum in anima, tertium extra corpus et animam : corruptio boni quod est in anima, et culpa est et pœna; corruptio boni quod est in corpore pœna est et non culpa, sed tamen ex culpa provenit; corruptio boni quod est

(41) *Enchir.*, cap. 13

(42) *Ibid.*

(43) *Enchir.*, cap. 14.

(44) Mag. sup., § 6.

(45) Mag., II, d. 35.

(46) I, lib. XXII contra Faust., c. 27. III, l. *De duabus animabus* c. 11, et lib. I *Retract.*, 15 ante med.

(47) Ambros., lib. *De parad.*, c. 8, in tomo IV.

(48) Mag., § 2.

extra corpus et animam, nec culpa, nec pœna est, sed ad pœnam refertur. Sicut autem dictum est, bonum quod est in anima **130** duplex est, scilicet cognitio veritatis, et amor ejusdem. Corruptio cognitionis ignorantia est; corruptio amoris concupiscentia est. Quanto ergo magis augmentantur istæ corruptiones in anima, tanto magis corrumpitur anima, non quia anima in sui essentia corrumpatur; ipsa enim incorruptibilis est, sed bona ipsius. Malum autem dicitur pœna sicut et culpa. Unde: *Non est malum in civitate quod non faciat Deus*, id est pœna (*Amos* III).

Ex prædictis igitur patet quoniam malum non est nisi in bono, et quod peccatum, in quantum est actus, bonum est. Quod etiam alibi testatur Augustinus sic (49): « Deus tantummodo auctor boni est; quocirca auctor mali non est. Est autem auctor omnium quæ sunt; quæ, in quantum sunt, in tantum bona sunt, » et ita peccatum cum sit, secundum eos, in quantum est, bonum est. Item, non est aliqua res mala quæ non secundum aliquid sit bona, sed peccatum est res mala. Ergo secundum aliquid est bonum, et ita peccatum, secundum quod est, bonum est. Prima propositio potest probari sic: Non est aliqua res mala, quæ non participatione mali sit mala; quæcunque res participatione mali est mala, secundum aliquid est bona. Ergo non est aliqua res mala quæ non secundum aliquid sit bona. Si quis de prima dubitet, probari potest indirecte. Nam si aliqua res est mala, illa res non est aliquid quod sit bonum, nec in ea est aliquid quod sit bonum. Ergo illa res tota est mala. Ergo plenitudinem habet omnis malitiæ, sicut summum bonum plenitudinem habet in se totius bonitatis. Ergo summum malum, et ita aliquid potest coæquari summo bono, vel in simili per contrarium; quod esse non potest.

(50) Item sicut participatione summi boni quidquid est bonum, est bonum, ita participatione summi mali quidquid est malum est malum. Sed adulterium est malum; ergo adulterium participatione summi mali est malum, ergo non ex toto est malum; et ita aliquid boni in se habet. Ergo secundum aliquid est bonum. Si vero adulterium est summum malum, eadem ratione homicidium est summum malum, cum sit homicidium aliud quam adulterium. Ergo sunt duo summa mala. Quod jam improbatur, quia cum nil conveniat huic quod non conveniat illi, et nullis malis participet hoc quibus non participet illud. Ergo hoc est illud. Item, sicut summum bonum nullum malum potest admittere, ita summum malum nullum bonum potest admittere, sed *esse* et *non esse* sunt contraria, et *esse bonum* est in summo bono; ergo *esse* esset malum in summo malo si in eo esset. Ergo *non esse* esset bonum in eo; sed summum malum nullum bonum potest admittere; ergo non potest admittere *non esse*. Ergo non potest ei convenire *non esse*. Ergo non potest desinere esse. Eadem ratione non potest incipere esse. Ergo semper fuit. Ergo duo fuerunt principia, scilicet summum malum et summum bonum, principium lucis et principium tenebrarum. Item nihil quod conveniat summo bono, convenit summo malo. Sed *esse* convenit summo bono, ergo *esse* non convenit summo malo. Vel sic: Nil quod convenit summo bono convenit summo malo, sed *esse* convenit summo bono et convenit summo malo. Ergo in alia significatione dicitur *esse* de summo malo et in alia de summo bono. Item, malum est aliquid et non semper fuit aliquid. Ergo incœpit aliquid esse. Ergo aliquo auctore fuit, vel Deo, vel homine, vel diabolo: sed non Deo, quia Deus non est auctor mali. Ergo homine, vel diabolo. Sed per creationem aut per facturam: non per creationem, quia nec homo, nec diabolus aliquid potest creare, id est de nihilo facere. Ergo per facturam. Quod si est, ergo aliqua præcessit materia de qua factum est malum; illa materia fuit bonum vel malum. Si fuit bonum, ergo malum secundum aliquid fuit bonum, quia saltem secundum materiam, si materia illa fuit malum; sed illud malum de aliqua materia fuit et quæ fuit malum, et ita usque in infinitum.

Quod et peccatum nil sit, in quantum **131** malum, subtilius et evidentius ostendunt sic: Est enim quoddam summum bonum quod est supra omnem sensum et omnem naturam. Et illud est unica et principalis causa omnium naturarum, omnium rerum, a quo per descensum mediorum signantium formas discretas et non unitivas. Nulla enim inferiora sunt quorum sunt unitas. Verbi gratia: a Deo. qui est illud summum bonum, ineffabiliter descendunt omnes naturæ, ut natura humana, asinina, etc. Illud autem summum bonum philosophi ficto nomine vocaverunt (51), quoniam illud tantum vere et proprie dicitur esse et ab eo omnia suam contrahunt essentiam. Unde in quolibet dicitur esse quoniam cuilibet rei essentiam confert. Hoc enim nomen *essentia* unionem notat, non differentiam. Omnia enim in eo conveniunt, et ab eo mirabili modo descendunt, veluti in glande sunt omnes partes arboris, et rami et folia, ineffabili quodammodo implicite: quæ prima natura operante explicantur ineffabiliter. Ita in illo summo bono sunt omnes naturæ, et ab eo descendunt. Non est tamen omnimoda similitudo, quia in glande sunt illa ut in causa materiali, in Deo tanquam in causa efficienti.

Istud tamen non ignorandum, quod Deo nullum vocabulum proprie convenit, quia nec proprie dicitur causa omnium rerum, vel si quid aliud magis proprie videatur dictum: non enim proprie *res*, quia supra omnem rem. Plerumque tamen dicitur

(49) *Lib. LXXXIII QQ.*, q. 21
(50) Mag. sup., § 2.

(51) F. *Essentiam* seu *primum* Ens.

A causa efficiens, ejus sapientia causa formalis, bonitas causa finalis : sed nunquam memini me legisse quod sit causa materialis. Unde prædicta similitudo non omnimodam habet similitudinem. Illud idem bonum vocavit Moyses hac appellatione, cum dixit : *Qui est misit me ad vos*, id est Deus (*Exod.* III). Ab illo autem bono, quædam ita descendunt, quod per se dicuntur existere, ut substantiæ; quædam ita quod non sunt per se, sed sunt in subjecto, ut accidentia. Eorum autem quædam hujusmodi sunt quæ faciunt quale ut qualitates, alia quantum, ut quantitates, et sic deinceps secundum denariam prædicamentorum distinctionem. In hac ergo divisione quæ a summo bono descendit secundum prædicamentorum distinctionem, B poteris invenire omnes naturas et solas quæ omnes a Deo sunt et bonæ sunt. Actum ibi invenies in prædicamento actionis, voluntatem in prædicamento qualitatis. Quare et omnis actus et omnis voluntas bonum est.

Nec est ignorandum quod *superbia*, *luxuria* et hujusmodi non sunt nomina qualitatum vel naturarum, sicut ista, *fides*, *spes*, *charitas*, ex quibus surgunt motus credendi, sperandi, diligendi. Non enim mali motus habent qualitates subjectas ex quibus surgant, sicut boni motus habent virtutes sibi subjectas. Si autem hujusmodi nomina essent nomina qualitatum, scilicet superbia, luxuria, etc., significata eorum essent naturæ, quia qualitates. C Sed certum est superbiam, etc., non esse bona, quare non sunt qualitates. Præterera in catalogo creaturarum (52) in quo omnes naturæ invitantur ad laudandum Deum, non inveniuntur superbia, luxuria, et hujusmodi. Unde patet quod non sunt naturæ. Item, si summum malum penitus diversum est a summo bono, ipsam suam habet distinctionem et divisionem. eorum scilicet quæ ab illo descendunt, sicut et summum bonum suam habet eorum quæ ab eo descendunt divisionem. Ergo ea quæ posita sunt in divisione summi boni, non possunt permisceri eis quæ ponuntur in divisione summi mali. Si enim ea quæ sunt in divisione summi boni sibi invicem non permiscentur (non enim substantia est æqualitas vel aliquod aliorum), multo D minus illa quæ in divisionibus omnino diversis ponuntur, sibi invicem permiscebantur. Sed omnes actus ponuntur inter ea quæ a summo bono descendunt. Ergo non ponuntur inter ea quæ a summo malo descendunt. Ergo omnis actus bonum est et non malum. Item si aliquid quod a summo malo descendit ponatur inter ea quæ a summo bono descendunt, vel e contrario, aliquid habet initium a summo bono quod habet initium a summo malo : quod esse non potest. Item, summum malum **132** omnino diversum est a summo bono. Ergo significat formam discretam a summo bono. Ergo summo malo convenit nomen infinitum illius nominis quod convenit summo bono. Sed summo bono convenit hoc nomen *ens* illi soli proprie. Ergo summo malo convenit hoc nomen *non ens*. Ergo summum malum est *non ens*. Ergo non est. Alio etiam modo probat Augustinus quod summum malum nil est. Summum malum non habet modum, quia causa modo caret ; at quilibet habet modum. Ergo summum malum nil est. Sub nulla enim specie continetur, totumque mali nomen de privatione speciei repertum est.

Ex prædictis patet quæ sequuntur inconvenientia. Si quis dicat quod aliqua res est mala quæ non participatione mali sit mala, sed tota est mala. Si vero dicatur quod nulla res est mala quæ non participatione mali sit mala, habetur inde quod peccatum, secundum aliquid est bonum, saltem secundum quod est, et secundum quod est natura, hoc modo : Nulla res quæ existit est mala quæ participatione mali non sit mala, sed nulla res participatione mali est mala quæ ex corruptione alicujus boni quod in ea fuit, non sit mala. Ergo nulla res quæ existit est mala quæ corruptione alicujus boni quæ in ea fuit non sit mala. Ergo nulla res quæ existit est mala, in quantum fuerit aliquod bonum; sed in nulla quæ existit fuit aliquod bonum, in qua non sit aliquod bonum. Cum ergo peccatum sit res quæ existit secundum eos, in eo est aliquod bonum. Ergo secundum aliquid est bonum, et ita, in quantum est, est bonum:

(53) Nobis autem hoc fatentibus objiciunt : Homicidium est actus; sed omnis actus a Deo est, ergo Deus est auctor homicidii. Ad quod dicendum quod hujusmodi nomina volunt intelligi per reduplicationem sic : adulterium in eo quod est adulterium, similiter homicidium in eo quod est homicidium. Unde cum dicitur : *Homicidium est a Deo*, intelligitur, *in eo quod est homicidium;* quod falsum est. Similiter cum dicitur idolum est corpus, et omne corpus est naturale. Ergo idolum est naturale. Non, quia idolum intelligitur per reduplicationem. Nomina autem vitiorum duo notant, scilicet actum et deformitatem, sive corruptionem actus qui bonus est; sed corruptio ipsius qua ipse deformatur vitium est, et non est aliquid.

Sed objicitur : Omne peccatum est actus. Ergo est natura. Ergo bonum. Sed non credere in Deum est peccatum. Ergo actus est. Ergo est aliquod bonum. Potius tamen videntur hujusmodi orationes, *Non ire ad ecclesiam*, *non credere*, removere quam ponere. Ideo dicunt quidam quod hujusmodi orationes ponunt, ut *non credere*, ponit contemptum credendi, et iste contemptus est peccatum ; similiter *non ire ad ecclesiam*, ponit contemptum eundi ad ecclesiam, sicut declinare a malo, ut *non interficere istum* bonum est, quia non interficere istum ponit bonum propositum non interficiendi, etiamsi ab eo provocetur.

(52) In cantico trium puerorum, *Daniel.* III.

(53) Mag. sup., § II.

(54) Alii autem verius et subtilius dicunt distinguentes inter peccatum, vitium et delictum. Peccatum sive commissum est actus, sive exterior, sive interior, et in quantum est actus, et est, et est bonum. Delictum facit nos recedere a vero esse, id est a Deo. Unde dicitur delictum quasi derelictum, quia delictum est quando nos reliquimus ea quæ facere deberemus, et ita relinquimus Deum et deserimus. Unde sic diffinitur. Desertio boni ex prava voluntate, quod vel inerat, vel in futurum esse debuerat. Vitium etiam est deformitas actus et corruptio, quæ nihil est, sed actum qui in se bonus est maculat, corrumpit et deformat. Itaque nec vitium, nec delictum aliquid est. Differt tamen; vitium enim facit nos intendere ad non esse; plus ergo facit quam delictum: quia illud facit nos recedere a Deo, istud non tantum recedere, sed etiam tendere ad non esse. Unde sic diffinitur (55): *Vitium est voluntatis quo homo est deterior, quod longe abest a voluntate Dei.* Hic manifeste innuitur differentia **133** inter vitium et peccatum. Cum enim ipsa voluntas, id est motus naturalis potentiæ sit peccatum, ille motus non proprie dicitur vitium, sed potius corruptio illius motus. Unde non dixit Augustinus in prædicta diffinitione: Vitium est *voluntas*, sed *voluntatis*, quia deformat voluntatem; et illud vitium nullo modo aliquid est. Peccatum vero est actus, sed, secundum corruptionem sui (quæ proprie vitium dicitur), peccatum dicitur. Nam in illa corruptione deviat a Deo actio quæ in se bonum est. Patet itaque manifesta differentia inter vitium, et peccatum et delictum. Quandoque tamen unum pro altero indifferenter ponitur. Hujusmodi ergo orationes, *non ire ad ecclesiam, non orare,* delicta designant. Unde removent tantum et nil ponunt.

At contra objicitur: Contraria sunt quæ sub eodem genere posita maxime a se distant; sed virtus et vitium sunt contraria. Ergo sub eodem genere posita maxime a se differunt; ergo sub eodem genere ponuntur, sed sub nullo aut sub qualitate. Ergo sub qualitate. Ergo vitium est qualitas, et ita motus vitiorum sunt qualitates . . . . . . ex quibus surgunt, sicut et motus virtutum, quod superius negavimus. Ad hoc dici potest quod motus virtutis, et motus vitii contraria sunt, et sub eodem genere continentur, id est sub actione, et propter hoc dicitur quod virtus et vitium sunt contraria. Vel potest dici quod virtus et vitium opposita sunt ut contraria, non tamen sunt contraria. Sicut isti diligunt se ut amici, non tamen sunt amici.

(56) Item, peccatum est corruptio boni, ut supra dictum est; sed actus est peccatum. Ergo actus est corruptio boni. Item, peccatum, in quantum est

A peccatum, est corruptio boni, vel in quantum est peccatum, non est corruptio boni. Si dicatur quod peccatum, in quantum est peccatum, est corruptio boni, ergo in quantum est peccatum est pœna. Sed omnis pœna a Deo est. Ergo peccatum in quantum peccatum a Deo est, et ita in quantum peccatum bonum est. Si vero dicatur quod peccatum in quantum est peccatum non est corruptio boni, sed peccatum præter quam in eo quod est peccatum, non est aliquid quod non sit natura. Ergo peccatum in quantum est natura est corruptio boni, et ita in quantum est bonum corrumpit bonum. Ad quod dicendum quod hoc nomen, *corruptio*, et active et passive accipitur, sicut cætera nomina verbalia hujus formæ. Prout corruptio passive dicitur, corruptio passio quædam est animæ quam patitur, eo quod spoliata gratuitis et vulnerata in naturalibus; et talis corruptio pœna est a Deo inflicta, quam statim sustinet homo ex quo incipit peccare: cujus causa est peccatum ab homine commissum, nec est illa pœna culpa. Corruptio etiam dicitur active, secundum quod peccatum dicitur corruptio, quia corrumpit bona animæ in eo quod est peccatum, non in eo quod est natura; et ita, cum in quantum est peccatum nil sit, et in quantum est peccatum corrumpat, in quantum nil est, corrumpit. Sicut Augustinus docet (57): « Abstinere a cibo non est aliquid; et tamen si abstineatur a cibo, perit hominis substantia. » Et de primo quidem peccato quod committitur post baptismum, facile est videre quod corrumpat; nam spoliat homine gratuitis, et vulnerat eum in naturalibus; sed de aliis sequentibus non ita facile. Quid enim invenit sequens peccatum in homine corrumpendum, cum per primum peccatum sint ablata gratuita omnino, et naturalia corrupta? Dici potest quod illa sequentia peccata magis ac magis auferunt habilitatem suscipiendi gratuita, quia magis ac magis corrumpuntur naturalia bona assiduitate peccandi; quia, quanto plus peccat homo, tanto magis se a summo bono elongat, et ita difficilius curatur. Sicut si iste incœperit ægrotare uno morbo, et post, alio superveniente, secundus morbus non privavit eum sanitate, quia jam privatus fuerat per primum; dicitur tamen privasse, quia quanto pluribus morbis gravatur, vel aliquo diutius, tanto plus habilitas suscipiendi sanitatem in eo deletur, et a sanitate magis elongatur.

(58) **134** Et cum sit corruptio active et non passive, non ideo minus quæritur utrum peccatum sit pœna. Quod multis auctoritatibus ostenditur. Ait enim Gregorius (59): « Peccatum quod per pœnitentiam non diluitur, aut peccatum est et causa peccati, aut peccatum et pœna peccati, aut simul

(54) Mag., § I; seu 9.
(55) Ab Aug., *Lib. LXXXIII Quæst.*, q. 3, sed male apud Mag. hic, § F., scribitur, *voluntas.*
(56) Mag. hic, § 10.
(57) Sic apud Mag., § L. ex lib. *De natura boni.* Abstinere a cibo non est aliqua substantia; tamen substantia corporis, si omnino abstineatur a cibo, languescit et frangitur.
(58) Mag., II, d. 36,
(59) Hom. 11, in *Ezech.*

et causa et pœna peccati. » Apostolus etiam vocat ea, id est peccata, passiones : *Propterea tradidit eos Deus in passiones ignominiæ*, etc. (*Rom.* I); et Joannes : *Justum est ut qui in sordibus est sordescat adhuc* (*Apoc.* XXII), et Osee : *Sanguis sanguinem tetigit* (*Ose.* IV); et alibi (60) : « Crimina criminibus judicantur. » Et quod quædam peccata sint pœnæ, evidenter ostenditur. Nam (61) : « Omnis cupiditas est perturbatio, et omnis perturbatio passio, et ita omnis cupiditas est passio. » Cum ergo et rationibus, et auctoritatibus constet quædam peccata esse pœnas, non otiose quærit aliquis utrum, in quantum sunt peccata, sint pœnæ. Nam cupiditas in quantum est cupiditas est peccatum, eadem in quantum est cupiditas est pœna. Ergo cupiditas in quantum est peccatum est pœna, vel e contrario. Cui argumentationi sic instant : Ignis in quantum est ignis lucet, et in quantum est ignis urit. Ergo ignis in quantum lucet urit, vel e contrario. Item : « Omnis cupiditas in quantum est cupiditas ea patimur, vel eam patimur ; omnis passio in quantum ea patimur, vel eam patimur, non est peccatum, » quia hoc tradit Augustinus (62). Ergo omnis cupiditas in quantum est cupiditas non est peccatum. Fallacia. Ignis in quantum est ignis urit, in quantum urit non illuminat. Ergo et ignis in quantum est ignis non illuminat. Item, omnis cupiditas in quantum est cupiditas est passio, et omnis passio in quantum ea patimur, vel eam patimur est pœna. Ergo omnis cupiditas in quantum est cupiditas est pœna; omnis pœna in quantum est pœna justa est et supplicium nominatur, ut docet Augustinus (63) : ergo omnis cupiditas justa est, et a Deo est ; quod constat esse falsum.

Ideo te diligenter animadvertere oportet tres significationes hujus vocis *pœna*. Nam ignorata virtute nominum et verborum, necesse est nil eorum intelligi quæ hoc inquirantur. Peccatum enim dicitur pœna, quia est causa pœnæ quæ est in anima, quæ est quod non sit a Deo, et secundum hoc, peccatum in quantum est peccatum, est pœna, id est causa pœnæ; nunquam autem in quantum natura vel a Deo est, est pœna, id est causa pœnæ, quia eo punitur homo. Unde Augustinus super sextum psalmum (64) : « Convertit Deus peccata in pœnam, ut quæ fuerant homini delectamenta facienti, sint instrumenta Deo punienti. » Sicut et ignis gehennæ dicitur pœna quæ est instrumentum pœnæ in quo punitur homo, et crux pœna furis, quia ea punitur fur, et secundum peccatum est pœna, id est instrumentum quo homo punitur, quia nisi esset peccatum nunquam homo eo ita puniretur ut gratia ipsi subtraheretur. Dicitur etiam peccatum pœna passive, id est punitio præcedentis peccati. Omne ergo peccatum quod committit homo post aliud pec- A catum in eo sensu potest dici pœna essentialiter, quam Deus infligit merito præcedentis peccati. et secundum quod est pœna, nil est nisi bonum et a Deo est, et passio potest dici qua patimur, non quam patimur. Unde Apostolus vocat hujusmodi passiones ignominiæ secundum quod sunt pœnæ a Deo inflictæ.

His ita determinatis facile est videre solutionem prædictæ objectionis : omnis enim cupiditas in quantum est cupiditas est pœna, id est causa pœnæ; vel pœna, id est instrumentum quo homo punitur, sed non in quantum est cupiditas est pœna a Deo inflicta pro peccato. Nam ita in quantum est cupiditas esset a Deo, quod tamen videtur posse ostendi sic : Omnis cupiditas in quantum est cupiditas B est motus animi vitiosus. Ergo in quantum est cupiditas est motus animi. Ergo in quantum est cupiditas est a Deo, quia omnis motus animi in quantum est motus animi est a Deo, et est bonum. Propterea sciendum est quod omni naturæ quæ est peccatum conveniunt quasi tria genera vocabulorum. Quædam, quæ nil significant **135**
nisi naturam, et nullum vitium dant intelligi ; quædam quæ tantum dant vitium intelligi nec naturam aliquam ; quædam quæ utrumque faciunt intelligi et naturam et vitium; verbi gratia, hoc nomen *adulterium* facit intelligi naturam cum vitio. Nam idem est ac si diceretur actus tali vitio deformatus. Hoc nomen *actio*, vel hoc nomen *motus*, quorum C utrumque adulterio convenit, nil dat intelligi nisi naturam. Hoc nomen *vitium* vel *vitiosus*, vel iste terminus *esse a diabolo* nil facit intelligi quod sit natura, sed tantum quod sit vitium. Cum ergo dicitur, *homicidium in quantum est homicidium est actus*, volunt quidam quod per reduplicationem quæ sit subjecti, in prædicato, omnia hujusmodi nomina, compositionem naturæ et vitii significantia, retinent significationem vitii, deposita significatione naturæ. Unde idem est dicere homicidium in quantum est homicidium est actus, ac si dicatur, homicidium in quantum est vitium est actus : quod constat esse falsum. Verius tamen videtur quod hoc nomen *homicidium* ubique retineat utramque significationem et naturæ et vitii ; ut idem sit *homicidium*, D ac si diceretur, *actus tali vitio deformatus*. Sicut ergo recipitur, *homicidium in eo quod est actus vitiosus*, *est actus*, ita, *homicidium in eo quod est homicidium est actus*, *et in eo quod est actus est a Deo*, non tamen *in eo quod est homicidium est a Deo*, quia nimis repugnat sibi esse a Deo et esse homicidium. Sicut Socrates ex eo quod est homo albus, est homo, et ex eo quod est homo, est aliquid : non tamen ex eo quod est homo albus, est aliquid. Dandum est ergo secundum hoc quod homicidium

(60) Aug., l. V contra Jul., c. 3, ut placet Magist., sed non reperitur apud Aug. in meo codice eo loco.

(61) Aug. *Lib. LXXXIII QQ.*, q. 77, initio.

(62) Eadem, q. 77.

(63) L. III *De lib. arbitr.* cap. 18, sic: Omnis pœna, si peccati pœna, est justa et supplicium nominatur.

(64) Imo super septimum ad hunc versum : *Sagittas suas ardentibus effecit*, sed quibusdam verbis immutatis.

ex eo quod est homicidium est a diabolo, ex eo quod est a diabolo non est actus, non tamen ex eo quod est homicidium non est actus, sicut in prædictis patet, scilicet in ustione et in illuminatione ignis.

Notandum tamen quod in omnibus prædictis est fallacia qua dicitur plures interrogationes unam facere; latenter quidem in uno tertio, minus latenter in duobus. Cum enim dicitur homicidium ex eo quod est actus vitiosus, est a Deo vel a diabolo, non videtur simplex danda responsio, sed duplex propter duas interrogationes, ut dicatur secundum quod est actus a Deo, secundum quod est vitiosus, ab homine, vel a diabolo. Similiter cum proponitur magis latenter in uno tertio homicidium in eo quod est homicidium. Nam homicidium non notat tantum quid, nec tantum quale, sed quale quid, sicut homo albus et hujusmodi.

Item, quæritur cum peccatum, ut dictum est supra, dicatur pœna, id est instrumentum quo punitur homo; an secundum quod est peccatum, vel secundum quod est natura dicatur instrumentum quo punimur. Nam si ab homicidio, secundum quod est natura, punit Deus hominem, et ei subtrahit spiritualia bona, non videtur homini imputandum, quod Deus eum punit subtrahendo gratiam, utendo homicidio tanquam instrumento quo puniat secundum quod homicidium est natura, non secundum quod est vitium, cum homo non sit auctor homicidii secundum quod est natura, sed secundum quod est vitium. Item, si pro fornicatione hoc modo punitur homo a Deo propter primam pœnam, scilicet subtractionem gratiæ, quam statim fornicando sentit, quod incidit in homicidium quod est gravius peccatum, et propter illud peccatum majus debetur illi supplicium, quam propter primum, quia majus est illud quam primum, ergo magis punitur homo pro peccato quam meruit puniri. Item per peccatum fornicationis meretur homo ut puniatur homicidio, et per homicidium meretur homo majorem pœnam quam sit illa quæ debetur fornicationi. Ergo per fornicationem meretur majorem pœnam, quam debeatur fornicationi. Item, Deus punit hominem ipso peccato tanquam instrumento, non secundum quod est peccatum, sed secundum quod est natura. Ergo licet illa actio non esset peccatum, puniri posset homo illa actione quæ peccatum est, hac pœna, si subtraherentur ei bona gratuita, quod falsum est, quia cum ignis æternus sit gravior **136** pœna quam homo possit sustinere, tamen non est causa subtractionis gratuitorum, licet hac pœna nos Deus puniat tanquam instrumento.

Sane dicunt quidam peccatum, in quantum est instrumentum quo punitur homo, esse ab homine vel a diabolo qui est auctor peccati secundum quod peccatum est, et quo tanquam instrumento utitur vel homo, vel diabolus ad puniendum se hac pœna, scilicet elongatione a Deo, nec secundum quod peccatum est bonum, vel est a Deo vel est natura, est instrumentum quo sic puniatur homo, sed nil est: *nulla enim* natura in eo quod est natura, bono gratuito privat, et ita nec peccatum in quantum est natura, causa est quare homo privetur bono gratuito. Dicitur ergo Deus eo nos punire ut instrumento, quia permittit nos eo puniri tanquam instrumento, cum tamen non sit Deo instrumentum, sed homini, quia ipsum peccatum est causa quare statim ex quo peccamus Deus nos puniat gratiam subtrahendo. Et ita patet quomodo peccatum sit pœna vel causa pœnæ, et alio modo dicatur pœna, id est instrumentum quo nos punimus, vel quo diabolus utitur ut nos puniat, id est ut separemur a Deo, suggerat. Neutro illorum modorum dicitur peccatum, prout est pœna, esse a Deo. Imo utroque modo secundum quod est peccatum est pœna, quia nisi esset peccatum non esset gratiæ subtractionis causa quam facit Deus in nobis, nec esset instrumentum quo nos possemus sic punire ut a Deo separaremur. Nulla enim natura in eo quod natura, per dissimilitudinem a Deo separat. Si quis tamen dicat peccatum esse instrumentum Deo punienti, non homini, vel diabolo, sicut supra habuimus ex auctoritate Augustini, nullum video inconveniens provenire.

Item, cum homicidium præter quam quod est peccatum nil sit nisi actio, et homicidium secundum aliquid est pœna a Deo inflicta prout passive dicitur pœna, sed secundum quod est pœna est passio, ergo homicidium secundum quod est actio est passio. Item, homicidium est pœna a Deo inflicta. Ergo illa potest quis non uti. Ad quod sciendum quod passio æquivoce dicitur, et de eo quod patior et de eo quo patior. Actio ergo qua aliquis est agens, et passio qua aliquis est patiens sunt opposita generalia. Passio tamen qua aliquis patitur non est contraria actioni qua agit, sicut fodere actio est qua iste agit et tamen est passio qua patimur, sicut ignis fuit passio Laurentii qua passus est; nam passio qua passus est fuit proprietas quædam in anima ipsius. Item, cum omnis actio quæ peccatum est, in quantum est peccatum sit diabolo auctore, et in quantum est actio sit Deo auctore; et quidquid convenit illi actioni secundum quod est diabolo auctore, conveniat illi secundum omne aliud quod ipsa est diabolo auctore; videtur similiter quod quidquid convenit illi actioni Deo auctore, conveniat ei secundum omne id quod eidem convenit Deo auctore; et ita cum homicidium in quantum peccatum est, sit malum, et in quantum malum est, sit diabolo auctore, et ita omnia possunt converti in eo quod insunt auctore diabolo, similiter videtur quod omnia possint converti quæ insunt homicidio, Deo auctore, et ita homicidium secundum quod est bonum est actio, et secundum quod est actio est pœna, et secundum quod est passio quam Deus infert, est pœna et est actio. Nam omnia ista insunt ei Deo auctore. Hoc tamen non est necessarium. Nam peccatum secundum quod est peccatum nihil est, et ideo quæcunque illi insunt secundum quod est peccatum, convertuntur, quia non diversificantur per aliquas proprietates

facientes illam actionem diversorum modorum : quia tale (65) . . . . non est nisi ab eo a quo est aliquid, id est a Deo. Et ita cum peccatum in quantum est peccatum nil sit, et sic diabolo auctore; non insunt ei diversæ proprietates, diabolo auctore, quarum diversitas impediat illam conversionem proprietatum quæ non potest fieri in actione peccati secundum quod est actio; nam secundum **137** quod est actio, a Deo est, et nil prohibet a Deo esse plures naturales proprietates unius rei, quæ tamen ex eodem principio sunt, nec illæ inter se convertuntur in illa actione. Non enim homicidium secundum quod est actio, est pœna, licet utrumque istorum non sit ei a Deo. Sicut iste homo grammaticus et musicus, et utrumque istorum inest ei a Deo : non tamen secundum quod est grammaticus est musicus, nec econtrario. Cum tamen omnes illæ naturæ ab uno principio descendant per diversa media, omnes illæ insunt secundum illa media per quæ ab illo descendunt principio, ut homicidium in eo quod est actio est natura, in eo quod est natura est bonum, in eo quod est bonum est a Deo. Similiter homicidium, in eo quod est pœna homini inflicta pro peccato, est passio; in eo quod est passio est bonum; in eo quod est bonum, est a Deo : non tamen in eo quod est actio est pœna a Deo inflicta, vel econtrario.

At dicet aliquis si homicidium non esset peccatum, non esset homini pœna perpetrare homicidium. Non ergo videtur homicidium esse pœna ex aliquo quod sit a Deo vel quod sit bonum vel [sed] potius ex eo quod est peccatum, vel diabolo auctore. Si enim esset homicidium pœna in homine, etiam licet non esset peccatum; in quo pateretur homo homicidium perpetrando, cum in illo Deum non offenderet si non esset peccatum? Non enim tunc subtraherentur bona gratuita, quod est maxima pœna pro peccato in præsenti vita; nec etiam ad a pœna puniretur pro eo, si Deo non displiceret; quod verum esset si non esset peccatum. Ad quod sciendum quod pœna esset homini adulterium perpetrare, etiamsi adulterium non esset peccatum, nec per ipsum privaretur homo gratuito, quia esset ibi inquinatio corporis, et appetitus plenus anxietatis, eo quod forte non posset habere quod concupisceret, et multæ aliæ pœnæ. Item, iste post homicidium quod primo perpetravit, committit fornicationem; et fornicatio facit eum proniorem ad peccandum et deteriorem quam prius esset. Ergo plus peccat fornicando quam prius occidendo; quod falsum est. Etsi enim pronior sit ad peccandum modo perpetrata fornicatione, quam prius perpetrato solo homicidio, non est hoc ex eo quod majus peccatum sit fornicatio quam homicidium, sed quia majora sunt ista duo peccata quam unum. Sicut iste qui modo onustus est parvo onere quod ei superponitur, cum magno alio onere, onustior est quam prius, non propter hoc onus, sed propter illa duo simul. Item actus in eo quod est peccatum corrumpit, sed in eo quod corrumpitur est peccatum. Ergo actus in eo quod corrumpitur corrumpit : quod nos concedimus. Sicut medicina in eo quod corrumpitur corrumpit; nam cum ipsa bona sit, si eam corrumpimus apponendo venenum, ipsa hominem cui datur corrumpit, et ita in eo quod corrumpitur corrumpit. Primam opinionem de essentia peccati huc usque exsecuti sumus, et eam suis auctoritatibus et rationibus confirmavimus. Nunc vero ad secundam et tertiam opinionem accedamus. Sed quia quæcunque possunt objici ad unam eorum, possunt objici ad alteram. Ideoque illas duas sub exsecutione unius transeamus. Secunda opinio est, quoniam tantum actus interior peccatum est. Tertia opinio est quod actus exterior peccatum est. Dicunt ergo, tam hi quam illi, quod peccatum in eo quod est peccatum est aliquid; similiter in eo quod est actus est aliquid, sed nullo modo est bonum, imo malum tantum. Sed objicitur quod legitur in Joanne : *Sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I), id est peccatum. Ergo peccatum nihil est. At ipsi dicunt peccatum ideo dici nihil esse, quia facit nos recedere a vero esse, et tendere ad non esse. Item, cum peccatum nil sit auctore Deo, sed tantum homine vel diabolo : et peccatum de non esse producatur ad esse. Ergo auctore homine vel diabolo, de non esse prodit ad esse; sed nil aliud est quam creari. Ergo peccatum creatur ab homine vel diabolo, et ita diabolus aliquid creat, et sic alicujus **138** rei est creator. Sed et ipsi hoc solvunt dicentes quod creare est aliquid boni de non esse ad esse perducere, quod solus Deus facit, non diabolus vel homo; quia peccatum nil boni est vel habet in se.

Sed tantum objicitur eis de supradictis auctoritatibus Augustini (66) : « Omnis enim natura in quantum est, bonum est. » Item (67) : « Deus est auctor omnium quæ in quantum sunt, bona sunt. » Ad quod ipsi dicunt quod nomine naturæ intelligit Augustinus substantiam, id est rem per se existentem, ut est anima, homo, etc. Concreta substantiæ dicuntur, quæ simul cum illa substantia cui sunt concreta, creata sunt, utpote naturalia et ipsam substantiam a nativitate comitantia, ut sunt in anima memoria, ingenium, ratio, intelligentia, etc. In homine rationalitas, risibilitas. Sub natura ergo non comprehenditur actus sive bonus sive malus; et quod ita sit videtur velle Augustinus, ut aiunt. Dicit enim retractando quod alibi dixerat : « Hoc de substantiis atque naturis dictum est. De his enim disputabatur non de bonis actionibus atque peccatis. Ecce hic aperte distinguunt actus a substantiis et naturis. Item alibi dicit (68) : « Omne malum natura non est, sed actus accidens defectu boni. »

(65) Deest una aut altera dictio.
(66) *Enchir.*, cap. 13.
(67) Aug., *Lib. LXXXIII QQ.*, q. 21.
(68) Auctor Hypogn. apud August., init. lib. IV.

Objiciunt etiam sic : Cum peccatum in eo quod A est peccatum nil sit, et Deus non est auctor peccati in eo quod est peccatum. Quid mirum? Quomodo esset auctor nihili? Eadem ratione homo quomodo est auctor peccati in eo quod est peccatum, cum peccatum in eo quod est peccatum nil est? Sic ergo dicunt. Quod cum dicitur : *Deus est auctor naturarum*, sub hac universitate non comprehenditur actus. Cum vero dicitur, *Deus est auctor omnium bonorum*, ibi bonus actus comprehenditur.

CAPUT XIII.

De differentia inter voluntatem et finem et intentionem.

(69) Incipientes agere de peccato, ordinem, super quem totius doctrinæ jacitur fundamentum, ne B lectio nostra instar naufragantis fluctuaret, prænotavimus. Primo ostendimus unde peccatum haberet originem; secundo, in qua re esset peccatum; tertio, quid esset peccatum. Nunc vero secundum ordinem prænotatum, agendum est de differentiis peccatorum. Sciendum est itaque quod aliqui dicunt omnem actionem in quantum est, bonum esse. Actiones autem ita distinguunt : Actionum quædam sunt genere bonæ, ut reficere pauperes; quædam genere malæ, ut interficere homines; quædam vero nec bonæ nec malæ simpliciter, sed eas finis commendat vel deformat, ut circuire plateas. Si enim aliquis circumeat plateas, ut ægros et pauperes reficiat, talis finis talem actionem commendat; si C vero circumeat plateas, ut videat mulieres, finis actionem reddit deformem et reprehensibilem. De his autem actionibus agendum erit quas intentio et finis reprehensibiles vel commendabiles facit. Sed prius assignanda est nobis differentia inter finem et intentionem. Is igitur erit ordo : primo, agendum est de differentiis istorum; secundo, utrum voluntas sit peccatum, et, si est peccatum, utrum sit idem peccatum cum actione exteriori, vel non; tertio, utrum actio ex voluntate et actione pensetur; quarto, utrum simul [sicut] malæ voluntates diversos habeant fines et oppositos, ita et bonæ diversos habent fines et oppositos. Sciendum ergo quod voluntas dicitur multipliciter : Voluntas enim quandoque dicitur naturalis potentia, quandoque D dicitur motus naturalis potentiæ; quandoque etiam dicitur voluntas id quod nos volumus, quod quidam ficto nomine vocant volitum; quandoque id propter quod aliquid volumus. Intentio autem ex voluntate et fine est complexa; ut intentio mea est reficere pauperes, ut habeam vitam æternam. Utrum aliquando ea voluntate qua volumus reficere pauperes, velimus habere vitam æternam, an alia; an tot sint voluntates quot sunt volita, id est ea quæ volumus, in sequentibus dicendum erit.

139 CAPUT XIV.

Utrum voluntas et actio ex ea proveniens sit idem peccatum an diversa.

(70) His ita assignatis, cum apud omnes constans sit quod voluntas peccatum est, quæritur utrum voluntas sit idem peccatum cum actione exteriori, vel non. Hac tamen quæstione prius soluta qua quæritur, cum voluntas sit naturalis potentia, cur potius dicatur esse peccatum quam cæteræ naturales potentiæ, scilicet quam memoria vel ingenium. Quare etiam dicetur peccator ille qui habet malam voluntatem potius quam ille qui madidam habet memoriam, vel hebes ingenium? Ad quod ipsi dicunt quod cum dicitur voluntas esse peccatum, *esse peccatum* intelligendum est de motu voluntatis, non de naturali potentia. Sed adhuc eadem restat quæstio. Quæritur enim quare motus voluntatis potius sit peccatum quam motus memoriæ vel intellectus quo movemur ad memorandum mala, vel ad intelligendum mala. Ad quod ipsi dicunt quod motus voluntatis de alio genere est quam intellectus et memoriæ motus; eo enim movetur ad aliquid concupiscendum, vel ad aliquid non admittendum. Unde velle male mala peccatum est; sed memorare mala, vel intelligere mala peccatum non est; vel forte sicut velle mala, peccatum est, ita et memorare malum ut faciamus malum, peccatum est.

(71) Eis itaque qui dicunt quod voluntas est idem peccatum cum actione exteriori sic objicitur : Ponatur quod iste voluit interficere hominem et modo interfecit, iste tenetur reus pro mortali peccato, sed nullum peccatum est admissum in ea actione quod prius non esset in eo. Ergo pro nullo tenetur reus pro quo non teneretur reus antequam hominem interficeret. Ergo non magis demeretur interficiendo hominem quam prius sola voluntate demeruerat. Vel sic : Nullum peccatum in eo est, interfecto homine, quod non esset ante actum. Ergo nullum peccatum facit interficiendo hominem. Item, velle occidere, non est occidere. Ergo velle homicidium non est homicidium.

In contrarium sic. Actio exterior est idem peccatum cum interiori actione. Actio exterior est homicidium. Ergo interior actio est homicidium, et ita velle occidere est homicidium. Item Apostolus in quodam loco (*Gal.* v; *Rom.* I) pluraliter dicit *homicidiis* quoniam duo sunt homicidia, unum voluntatis, alterum actionis. Item, alio mandato legis prohibetur voluntas furti, quia hoc : *Non concupisces rem proximi tui* (*Exod.* xx), et alio furtum quia hoc : *Non furaberis* (*ibid.*). Ergo alterius mandati est prævaricatio voluntatis furti, quam furtum. Est enim argumentum a diffinitione. Nam (72) peccatum « est prævaricatio legis divinæ, et cœlestium inobedientia præceptorum. » Item legitur

(69) Mag., II, d. 2, 83, § F et G
(70) Mag., II, d. 39.

(71) Mag., II, d. 42, § 1, 2 et 3.
(72) Ambros., c. 8 libri *De paradiso*.

in glosa super Exodum, quod iniquitatem addit iniquitati qui malum opus addit malæ voluntati, sed non est additio nisi alterius rei. Ergo malum opus est alia iniquitas quam mala voluntas. Ergo aliud peccatum. Si dicatur quod mala voluntas et actus sunt diversa peccata, ergo alia satisfactio injungenda est pro voluntate et alia pro actu. Item, propter actum prohibetur homo a sacris ordinibus; propter voluntatem nunquam prohibetur. Ergo majus peccatum est actus quam voluntas. E contrario voluntas nunquam est sine contemptu, et actus est sine contemptu. Ergo majus peccatum est voluntas quam actus. Item, penes voluntatem est omne meritum, et non penes actum. Ergo mala voluntas majus peccatum est quam malus actus. Item, voluntas nunquam est sine peccato, sed actus quandoque est sine peccato, ut quando quis ignoranter adhibita maxima diligentia et circumspectis omnibus circumstantiis interficit hominem. Ergo voluntas majus est peccatum quam actus. Non est multum curandum, an dicatur quod voluntas et **140** actio sint idem peccatum an diversa.

Respondemus ergo tam ad ea quæ contra primam partem objecta sunt, quam ad ea quæ ad alteram. Ad id ergo quod prius dictum est : *Iste tenetur reus pro mortali peccato, sed nullum*, etc. Dicimus quod iste pro nullo tenetur reus peccato post actionem, pro quo non teneretur reus ante, et tamen tenetur reus pro aliquo pro quo non ante, quia pro actu, sed non pro aliquo peccato pro quo non ante, et sic instamus : posito quod iste protulit hanc vocem *albus*, et modo profert hanc vocem *albus*, iste nullum nomen protulit quod modo non proferat, nec fuit prolaturus nisi nomen. Ergo nil protulit iste quod non proferat.

Ad id quod postea objicitur : *Velle occidere, non occidere*, etc. Dicendum quod occidere tantum ad actum pertinet, homicidium autem tam ad actum quam ad voluntatem; unde non provenit conclusio; ut si dicatur a simili per contrarium, hoc esse grammaticum est esse hoc musicum, demonstratur idem. Ergo esse hanc grammaticam est esse hanc musicam. Ideo autem dicit Apostolus pluraliter *homicidiis* de voluntate et actu, quia adeo gravant ac si essent duo homicidia. Ad id quod postea dicitur dicimus quod alterius mandati est prævaricatio voluntas, quam actus; non tamen alia prævaricatio est voluntas quam actus, unius enim et alterius mandati eadem est prævaricatio. Fallacia. Iste alterius est hodie servus quam heri fuit. Ergo alius servus est hodie quam heri. Quod postea dicitur, *Iniquitatem addit iniquitati*, etc., hoc non dicitur quia opus aliud sit peccatum quam voluntas, sed quia aliud est opus et aliud voluntas.

Quod postea dicitur contra eos qui dicunt quod voluntas et actus sint diversa peccata, et ideo alia satisfactio injungenda est pro voluntate et alia pro actu, solvi potest dicendo, quod non sunt duæ satisfactiones injungendæ pro illis duobus peccatis,

A sed major pro illis quam pro uno illorum. Sicut etiam pro adulterio et homicidio non injungitur alia et alia satisfactio, sed major pro illis duobus quam pro uno.

Utrum autem voluntas majus peccatum sit quam actus, vel e contrario, non potest ita simpliciter determinari. In quibusdam enim majus peccatum est voluntas, in quibusdam actus. Attendendæ sunt enim omnes circumstantiæ, a quo scilicet aliquid fiat, an a laico, an a sacerdote, et quo loco, et quo tempore et hujusmodi. Vel forte incongrua est comparatio. Sicut cum dicitur : Melior est arbor quam fructus, vel econtrario. Quod autem dicitur : *Propter actum prohibetur homo a sacris ordinibus et non propter voluntatem*, etc., non valet. Non enim ideo

B prohibetur a sacris ordinibus quod actus sit majus peccatum quam voluntas, sed quia effusor sanguinis non debet accedere ad sacramentum altaris. Si enim actus propter hoc majus peccatum diceretur, eadem ratione bigamia diceretur majus peccatum quam voluntas, quia bigamus prohibetur a sacris ordinibus : non est tamen bigamia peccatum

Ad id autem quod dictum est voluntatem esse peccatum, objicitur posito quod iste habeat voluntatem interficiendi hominem post decem annos et non infra, iste vult interficere hominem. Ergo voluntate homicida est, ergo reus homicidii. Prima potest probari indirecte. Nam si dicatur quod iste non vult interficere hominem, quod videtur, quo-

C niam non extenditur significatio verbi ad tam remotum futurum, nec dicitur quis velle quod vult esse facturus post tam longum tempus; non enim dicitur quod iste velit ire Romam, licet post decem annos iturus sit Romam, nec iste magister vult desinere legere Parisius qui nondum incœpit, sed voluntatem habet desinendi legere post decem annos postquam incœperit. Si hoc inquam dicatur, quare dicetur aliquis velle illud quod facturus est proximo futuro potius quam illud quod facturus est remoto futuro, cum et hoc et illud sit futurum? Ad hoc dicendum quod iste reus est homicidii voluntatis, quoniam vult interfecturus esse hominem. Utrum autem iste velit interficere **141** hominem quoniam vult esse interfecturus hominem post de-

D cem annos; super hoc consulendi sunt grammatici; sed theologo sufficiat quod iste quia vult esse interfecturus hominem post longum tempus reus est voluntatis homicidii ac si vellet modo interficere.

Potest tamen dici quod non quia vult esse interfecturus hominem post longum tempus, ideo vult interficere hominem, super quo potest ratio grammatica assignari, quemadmodum secunda persona imperativi ad proximum futurum suam significationem ostendit; non enim imperium est de præsenti, ita verbum infinitivi modi præcedente hoc verbo *volo* extendit suam significationem ad proximum futurum, et non ad remotum, ut illud dicamur velle facere quod in proximo futuro facturi sumus, vel quod nos facturos tunc volumus.

Item cum dicatur voluntatem esse peccatum, objicitur: Ponatur quod ille habuit voluntatem interficiendi hominem et (73) interfecit, modo autem non habet illam voluntatem, sed pœnitet non tamen propter Deum; nullum peccatum actuale fuit futurum in isto nisi voluntas interficiendi hominem sic posita; sed nulla voluntas interficiendi hominem fuit in isto quæ non desierit esse in isto. Ergo nullum peccatum fuit in isto quod non desierit esse in isto, nec postea aliquod peccatum incœpit esse isto. Ergo nullum peccatum est in isto. Sed in contrarium sic mortale peccatum fuit in isto, nec postea pœnituit, nec pœnitet propter Deum; ergo illud peccatum modo est in isto. Imo etiam probari potest quod majus peccatum modo est in isto, quam prius fuerit in eo; quia cum prius sola voluntas in eo esset, contemptum pœnitendi addidit voluntati, et contemptus mortale peccatum est. Ergo majus peccatum est in isto quam prius fuerit in eo.

Ad hoc dicendum quod peccatum dicitur esse in aliquo duobus modis, scilicet reatu et actu. Peccatum in aliquo est actu dum ab eo perpetratur; in aliquo dicitur esse reatu, quandiu mens ejus et conscientia maculata et obnubilata est illo peccato usque dum de illo peccato pœniteat et conteratur. Reatus autem tripliciter dicitur: scilicet pro culpa, pro pœna, pro obligatione æternæ vel temporalis pœnæ. Cum ergo voluntas interficiendi hominem heri fuerit in isto, licet modo non sit in eo actus, tamen est in eo reatus. Si autem quæratur utrum reatus et actus sive exterior sive interior sint duo peccata, vel non, dicendum hoc incongrue dici. Sicut si diceretur hoc album et ejus albedo sunt vel non sunt quando non est connumeratio corporis ad suam proprietatem. Reatus autem quamvis non sit proprietas actus, tamen est quasi proprietas, quia actum deformat, et est deformitas actus.

Utrum autem contemptus majus peccatum sit quam voluntas, et utrum major sit contemptus quo homo facit peccatum eo contemptu quo homo contemnit pœnitere, et utrum homo magis peccet et pejor fiat quanto diutius contemnit pœnitere; hic inquirere non esset inutile. Nos tamen ad præsens hoc dimittimus; non enim consummationem apponere, sed principium et viam disputanti aperire proposuimus. Hoc tamen non est prætermittendum quod contemptus, reatus, actus, voluntas, pro uno peccato reputantur, non pro pluribus: sicut nomen [unum] significat substantiam et qualitatem et intellectum, non tamen significat plura, quia ista tria pro una significatione reputantur. Sed actus frequentius solet dici peccatum, quod inde est, quia actus patet sensibus humanis. Quod agimus, videmus, et non ita patet contemptus, vel reatus, vel voluntas, sicut et nomen [*f.* unum] principalius dicitur significare substantiam, quia substantia magis patet sensui quam qualitas vel intellectus.

Item, sciendum quod omne peccatum provenit ex contemptu, et si non esset contemptus non esset peccatum. Nam si non esset contemptus non esset prævaricatio præceptorum. Et si nulla esset prævaricatio præceptorum, nullum esset peccatum, nec voluntate nec actu. Ergo si non esset **142** contemptus, non esset peccatum. Item, videtur quod voluntas quæ fuit in isto, non tantum reatu, sed actu sit in eo. Nam sicut eadem fides fuit in Cornelio qua credidit Christum nasciturum, et postea Christum esse natum, ita videtur quod eadem voluntas fuit in isto qui voluit hominem interficiendum a se, et qua postea voluit hominem fuisse interfectum a se.

Item, ad id quod dicitur voluntas esse peccatum, objicitur. Dicit Augustinus (74): « Omne peccatum usque adeo est peccatum voluntarium, quod si non esset voluntarium non esset peccatum. » Sed voluntas est peccatum. Ergo illud peccatum usque adeo est voluntarium, quod si non est voluntarium non est peccatum. Ergo peccatum quod est voluntas est voluntarium; ergo ex voluntate procedit. Iterum, illa tertia voluntas peccatum est et ex voluntate procedit, et ita usque in infinitum. Item, iste vult se velle peccare vel non; si dicat quod iste velit se velle peccare, hoc vult aliqua voluntate; et ita usque in infinitum ut prius. Si dicatur quod iste non vult se velle peccare, sed iste vult peccare, ergo vult aliquid quod non vult se velle, quod non videtur. Sicut enim quidquid verum est esse verum, est verum; quidquid necessarium est esse necessarium, est necessarium; et quidquid scit aliquis se scire scit; ita videtur quod quidquid aliquis vult se velle vult, et quidquid vult, vult se velle, quod iterum non videtur: nam multi sunt qui vellent et etiam volunt se velle declinare a malo, et tamen non volunt declinare a malo. Propterea si idem esset concupiscere quod desiderare, quare ita geminasset Propheta has dictiones dicens: *Anima mea concupivit desiderare* (*Psal.* CXVIII)?

Ad prædictas rationes per ordinem tenemur respondere. Quod ergo dicit Augustinus: « Omne peccatum usque adeo voluntarium, » etc., intelligendum est de actu exteriori qui ex voluntate procedit. Utrum de omni actu intelligendum sit exteriori, dubium est, propter actus qui fiunt ex ignorantia et fragilitate. Vel (quod majus est) intelligendum est tam de actu interiori quam de actu exteriori, quia tam iste quam ille ex voluntate procedit, non mala sed tantum bona. Voluntas enim non est nisi bonum, cum sit naturalis potentia animæ, et nil prohibet malum a bono habere originem. Ad id quod postea dictum est, dicimus quod quidquid vult aliquis se velle illud vult et econtrario, sicut quidquid scit aliquis se scire illud scit, et econtrario. (75) Sed notandum est quod duo motus sunt in homine: unus qui naturalis est et a natura datur homini, quo naturaliter movetur ad diligendum Deum, et odien-

(73) Videtur add. negatio *non*.

(74) Lib. I *Retract.*, c. 13, et l. *De vera relig.*, cap. 14.

(75) Doctrina Mag., II, d. 39, § ult.

dum malum. Nemo enim adeo malus est qui non naturaliter bonum diligat et malum odio habeat, quia « etiam in Cain non potuit exstingui illa scintilla rationis (76). » Est alius motus in homine quo, relicta cœlestium lege, homo se terrenis subjecit, et in eis delectatur. Primus dicitur superior, et iste inferior. Quandoque autem iste dominatur in homine, quandoque ille. Sed illud est sciendum quod homo simpliciter dicitur illud velle quod vult motu dominante; si dominetur inferior motus quod eo vult aliquis illud simpliciter [non] vult. Similiter est de alio. Cum ergo in quolibet malo dominetur malus motus scilicet inferior quæritur quid simpliciter vult? Vult motu inferiori, et econtrario. Unde patet quod iste non vult declinare a malo, sed tamen vellet declinare a malo; nam aliud est hoc quam illud. Hoc enim verbum, scilicet *vellem*, vel est præsens optativi modi, vel est præteriti imperfecti conjunctivi. Si sit optativi, subintelligitur hoc adverbium *utinam*, ut sit sensus, *utinam vellem esse bonus!* id est utinam adesset mihi gratia, quæ quandiu aberit nunquam vere potero dicere volo esse bonus [et vellem esse rex (76*)]! Aliud ergo est *vellem esse bonus*, quam *volo esse bonus*, et hoc multis patet exemplis, ut vellem ire Romam, si forte aliqua occurreret necessitas, vel commoditas, non tamen volo ire Romam.

Iterum cum dicat voluntatem esse peccatum, objicitur : Penes voluntatem est omne meritum. Et iterum : **143** *Voluntas pro facto reputabitur*. Ergo tantum meretur aliquis quantum meretur voluntate, nec plus nec minus. Ergo tantum debet homo puniri pro sola voluntate, quantum pro actu et voluntate. Ad hoc dicendum quod cum dicitur, *Penes voluntatem est omne meritum*, hic *penes* notat auctoritatem, quia omnis meriti auctoritas refertur ad voluntatem, etiam meritum actus; quia etiam actus auctoritate præcedit. Sic ergo penes voluntatem est omne meritum, sed non quantitas meriti; magis enim aliquis meretur voluntate et actu quam sola voluntate. Sed auctoritas merendi, ut dictum est, ad solam voluntatem refertur. Cum autem dicitur : *Penes charitatem est omne meritum*, *penes* hic denotat causam, id est charitas causa est omnis meriti. Quod ergo dicitur, *Voluntas pro facto reputabitur*, sic est exponendum, id est sicut aliquis pro facto punietur, ita et pro voluntate. Non dico tantum pro hoc, quantum pro illo; sed ita pro hoc sicut pro illo. Hoc enim adverbium, *sicut*, non est adverbium quantitatis, sed similitudinis.

Item, quilibet malus potest habere malam voluntatem magis ad malum intensam, quam habeat. Ponatur quod aliqui duo sint mali et unus pejor altero, ut Cain et Judas; Judas sit pejor, Cain potest habere voluntatem intensam ad malum quantum Judas potest habere, et penes voluntatem est

A omne meritum. Ergo Cain potest esse tantum malus quantum potest Judas; sed quantumcunque Cain potest esse malus, tantum possibile est ipsum esse malum. Ergo possibile est Cain esse tantum malum quantum Judas potest esse malus. Ergo et hoc potest esse verum, Cain tantum esse malum quantum Judas potest esse malus. Ponatur ergo Cain esse tantum malus quantum Judas potest esse malus, et, quantum Judas potest esse malus, tantum Cain potest esse malus, et econtrario; ergo Cain est tam malus quam malus ipse potest esse. Quod autem Cain potest habere voluntatem tantum intensam ad malum quantum Judas potest habere, patet ex hoc quia nullus modus malitiæ, nullus finis potest excogitari usque ad quem possit extendi

B voluntas Cain, usque ad quem non possit extendi sive intendi voluntas Judæ, et econtrario; ergo tam intensam voluntatem ad malum potest habere unus, quam intensam potest habere alter. Item, aut possibile aut impossibile est Cain esse tantum malus quantum Judas potest esse malus; si possibile, opponitur ut prius; si impossibile, sed Judas aliquantum potest esse malus; ergo non tantum malus potest esse Cain. Eodem modo procedit quædam alia objectio de potentia Dei; hæc scilicet, possibile vel impossibile est Deum facere quæcunque bona potest facere. Si est possibile, ergo potest esse verum, ponatur. Deus ergo facit quæcunque bona potest facere. Si est impossibile Deum facere quæ-

C cunque bona facere potest, ergo necessarium est Deum non facere aliqua bona quæ potest facere. Ergo necesse est Deum aliqua bona non facere et ea posse facere. Ergo Deus aliqua bona non facit. Non ergo Deus omnia bona facit: *imperfectum meum viderunt oculi Dei* (*Psal.* CXXXVIII). Et ideo principia disputationis dedisse sufficiat: solutiones a majoribus vehemens investigator requirat.

CAPUT XV.

Utrum ignorantia excuset hominem a peccato.

Revertendum est iterum ad auctoritatem Augustini (77): « Omne peccatum usque adeo est voluntarium, » etc. Hanc uno modo exposuimus tam de actu interiori quam de exteriori; alio modo tamen de actu exteriori (78). Utrum autem omni actui

D exteriori conveniret, in dubium reliquimus propter illos actus qui fiunt ex ignorantia et necessitate, vel fragilitate naturæ, de quibus dicendum est. Et primo de his quæ fiunt ex ignorantia. Fit autem peccatum ex ignorantia duobus modis, quando scilicet aliquis facit peccatum et non putat se **144** facere peccatum, ut si aliquis interficiat fidelem, putans hoc non esse peccatum; et in tali peccato est voluntas facti, et non voluntas peccati; quia ille qui facit hoc, vult facere, sed non vult peccare. Alio modo peccatur ex ignorantia, quando scilicet intendit facere aliquid, sed forte aliud

(76) Hæc Hieronym. ad I c. Ezech. ad hæc verba: *Et scintillæ quasi aspectus æris*, etc.

(76*) Uncis inclusa redundant.

(77) Mag., II, d. 22, § 8, 9 et 10.

(78) Aug., l. *De vera relig.*, cap. 14, ut sup.

quam facere proposuit, ignoranter facit, et casualiter ad alind vertitur ejus actio, ut si aliquis volens liberare patrem suum a leone, dirigat sagittam in leonem ut eum interficiat, et sagitta casualiter percutiat patrem suum et eum interficiat. Et hæc non est voluntas facti, nec voluntas peccati. (79) Utrumque peccatum aliquando excusatur per ignorantiam. Est autem multiplex ignorantia : quorumdam qui scire possunt, sed nolunt; de illis dicetur : *Ignorans ignorabitur* (*II Cor.* XIV); et ista est vincibilis, quæ discendo et studendo vinci potest: unde nullo modo excusari potest. Est alia ignorantia quorumdam qui scire volunt, sed non possunt, et talis ignorantia non est vincibilis, quia nec discendo, nec studendo possunt eam vincere qui talem habent ignorantiam, quia forsitan hebes habent ingenium, vel madidam habent memoriam; et talis ignorantia quandoque excusari potest. (80) Est etiam alia ignorantia quorumdam, qui nec renuunt scire nec cupiunt scire, et hæc non est excusabilis, *quia piger lapidabitur stercore bovino* (*Eccli.* XXII). Prima ignorantia peccatum est; secunda pœna est, et forsitan peccatum fuit ante baptismum. Quando ergo aliquis facit peccatum et non putat illud peccatum, excusatur per ignorantiam.

Quando vero aliquis aliquid intendit facere quod bonum est, et casualiter facit aliquid quod malum est, quæritur utrum malum illud excusari possit per ignorantiam, sicut fuit in eo qui dirigens sagittam ut patrem liberaret a leone, casu interfecit patrem. (81) Circa quod distinguendum est, utrum ille qui sagittam misit hoc fecit in charitate et ex charitate, et adhibita omni diligentia quam potuit adhibere. Ideo *ex charitate et in charitate* dico, quia si non erat in charitate, nec ex charitate hoc faciebat, mortaliter peccabat; ideo etiam dico *adhibita omni diligentia*. Nec refert utrum sagittam mittebat actione indifferenti, ludendo scilicet, vel spatiando sicut multoties solemus facere et projicere lapides, et hujusmodi, ad corporis delectationem. Nam si ita fuit, inexcusabile fuit. Refert etiam utrum talis actio prohibita erat, sicut legimus de Lamech qui venabatur ante esum carnium, quando nondum assueti erant homines venationi vel esui carnium, et etiam cæcus erat, et dum venaretur Cain interfecit. Unde pro minori peccato ei imputandum, quam si illud genus operis bonum esset. Omnes ergo hujusmodi circumstantiæ attendendæ et adhibendæ sunt. Si ergo iste sagittam misit ex charitate ut patrem liberaret, et adhibita omni quam potuit adhibere diligentia, excusatur per ignorantiam, nec est mortale peccatum.

Notandum autem quod non semper excusatur peccatum per ignorantiam vincibilem ita plene. Sunt enim quatuor species ignorantiæ : Est ignorantia ex obstinatione, qualis fuit in Pharaone et in quibusdam Judæis qui ex malitia volunt ignorare. Est etiam ignorantia ex negligentia, quando homo negligit scire, quia juvenis est et non potest sustinere pœnam, et hoc peccatum mortale est. Est etiam ignorantia ex superbia, ut si quis homo contemnat alium audire, quia dedignatur ab eo discere, quælibet istarum est mortale peccatum, nec alleviat peccatum. Unde etiam si sunt hic duo diaconi qui æque teneantur scire, magis peccat qui ignoranter peccat in aliquo genere peccati quam qui eodem genere peccati scienter, quia iste et contemnit ignorare, et contemnit in alio peccato. Est etiam ignorantia pia, qualem habebat Paulus quando persequebatur Christum; et hæc attenuat peccatum. Unde et ipse dicit (82) se facilius consecutum veniam fuisse, quia sic ignorabat. Hæc tamen ignorantia erat veniale peccatum, nec habebat bonam conscientiam quando sic persequebatur Paulus
145 quia licet non faceret contra conscientiam, tamen ejus conscientia erat indiscreta; unde et mala. Quamvis enim : *Omne quod non est ex fide peccatum sit* (*Rom.* XIV), non tamen omne quod est ex fide, id est ex conscientia bonum est, si quis ignoret. Ignorantia ergo vincibilis, ut ait auctoritas (83), non plene excusat a peccato : « Quia non facit ut non ardeat homo, sed ut minus ardeat. » Unde Apostolus dicit : *Facilius consecutus sum veniam quia ignoranter persecutus sum* (*I Tim.* I).

Sed ad hoc objicitur : Videtur enim secundum hoc iste magis peccare qui patrem suum (volens interficere non patrem, sed feram) interfecit, quam ille qui leonem volens interficere ut patrem liberaret, patrem casu interfecit. Nam iste venialiter peccat, et tamen injungitur ei satisfactio tanquam pro mortali peccato, nec ad eam tenetur. Item, illa actio qua interfecit asinum, ex aliqua voluntate est, vel ex ea qua voluit interficere patrem, vel ex alia indifferenti : si ex ea qua voluit patrem interficere, cum ea sit tantum mala, et omnis actio mala cujus voluntas est mala; ergo ex ea interficiendo asinum mortaliter peccat. Item illa actio qua iste interficit patrem, si est veniale peccatum, non potest esse ex illa voluntate qua vult patrem liberare ictu sagittæ, quæ voluntas tantum bona est, et informata charitate. Quidam non habent pro inconvenienti dicere quod illa actio, qua interficit patrem cum vellet leonem interficere, ex nulla fuit voluntate. Alii dicunt quod voluntas illa, qua patrem voluit liberare, bona fuit et meritoria, utpote informata charitate et opus inde primo loco processurum (nisi aliud contigisset) bonum, scilicet liberare patrem; sed a latere fuit malum opus, malum scilicet inter-

(79) Aug., *De natura et grat.* contra Pelag., c. 17, et l. III *De lib. arbit.*, c. 22. V. etiam l. *De grat.* et *lib. arbit.*, c. 3.
(80) V. Aug. *De grat.* et lib. *De libero. arb.*, cap. 3.
(81) V. Abælardum, l. III in *Exposit.* Ep. ad Rom., pag. 625.
(82) *I Tim.* I : *Blasphemus fui et persecutor et contumeliosus; sed misericordiam Dei consecutu sum quia ignorans feci in incredulitate*
(83) Aug., l. *De gratia et lib. arbit.*, c. 3.

ficere patrem, quod tamen processit ex illa bona voluntate. Quod ergo dicitur : *Non potest arbor bona fructum malum facere* (*Matth.* VII), intelligendum est primo loco, sicut e contrario. Mala est voluntas volentis interficere patrem, si tamen contingat quod volens hoc facere interficiat leonem, quia jam devorasset hominem nisi interfectus fuisset, illud opus, quod de genere bonorum est, non malum est ex illa mala voluntate a qua a latere non primo loco processit, et in illo opere nec meretur, nec demeretur homo, sed in prava voluntate.

Item, posito quod iste direxit sagittam in illum non causa interficiendi sed vulnerandi; ille est in lecto ægritudinis modo, et post morietur; nunquid majori subjacebit culpæ quando ille morietur? Ponatur etiam quod iste jam pœnituerit, et satisfactionem egerit : nunquid, quando ille decedet propter hoc vulnus, irrita erit illa satisfactio quam iste facit, quia non fuit sufficiens, eo quod ille mortuus est, et ita debebat ei injungi satisfactio pro homicidio, non pro vulneratione; et si iste non pœniteret donec ille moreretur, majori satisfactioni subjaceret? Quæritur etiam quando iste hominem interfecit, aut quando direxit sagittam, aut quando ille mortuus est? Si enim quando direxit sagittam : ergo tunc occidebat illum; ergo et ille tunc mortuus est. Si vero post quando iste mortuus est, ergo tunc cœpit esse homicida; ergo non statim post vulnerationem fuit homicida, et ita majori culpæ subjacuit quando ille mortuus est quam ante : ergo crevit voluntas peccati vel actio, quod falsum est. Item, posito quod iste voluit illum vulnerare, non interficere; statim post ictum missum mortuus est vulnerator, non statim vulneratus, imo post, obiitne ille existens homicida? Non videtur; quia nec actu, nec voluntate occiderat hominem quando mortuus est; nec videtur quod postea incœperit esse homicida quando vulneratus obiit, quia tunc ille non erat. Ad hoc potest dici, quod ex quo dedit ei vulnus quod fuit causa mortis, homicida fuit, licet hoc nesciretur donec ille moreretur.

Item iste intensiori voluntate movetur ad interficiendum patrem qui interfecit asinum, quam ille qui et patrem vult interficere et interficit. Ergo magis peccat in sola voluntate quam ille in voluntate et in actu; vel **146** non omnis causa merendi est in voluntate. Econtrario, ille peccat voluntate et actu; ergo magis peccat quam iste qui sola voluntate. Item, iste uno ictu interficit duos, quorum unum solum volebat interficere : ergo non peccat interficiendo illum ignoranter; sicut non meretur si duos salvet vita temporali, unum ex ignorantia, alterum ex industria; vel Deus pronior est ad puniendum quam ad remunerandum. Item, Deus nullum opus remunerat ex ignorantia factum, et multa punit quæ fiunt ex ignorantia; ergo pronior est Deus ad puniendum quam ad remunerandum. Item, si Paulus scienter Christum persequeretur, minus acriter persequeretur, quia contra conscien-

A tiam ageret, quam quando ignoranter; quia tunc putabat se obsequium præstare Deo; ergo magis peccavit persequendo ignoranter, quam si scienter faceret; quia si scienter hoc fecisset, non esset ibi nisi unus contemptus, et ignorantiæ et persecutionis; ergo magis peccavit ignoranter persequendo quam si scienter hoc fecisset. Item dicit Ambrosius super illum locum : *An divitias bonitatis Dei ignoras* (*Rom.* II), etc. : « Graviter peccas quia impunitatem promittis; gravius, quia contemnis; gravissime, quia ignoras. »

Item persecutio Pauli malum fuit, scientia tamen fuit bonum, et ignorantia malum : ergo malum potuit minui per unum eorum; ergo magis per bonum, quam per malum. Sed istud non valet, quia
B minuitur incestus Lot per ebrietatem quæ malum est, et peccata nostra per infirmitatem, quæ nisi esset, majora essent nostra peccata quam sint. Si enim illam haberemus firmitatem quam habuit Adam ante peccatum, majora essent nostra peccata quam sint. Et ferrum etiam quod calidissimum est, magis calidum fit, apposita aqua frigida; si tamen admoveatur igni, non ideo calescit.

Et nota quia major est contemptus fornicationis, comite existente scientia, quam sit contemptus ignorantiæ simul cum contemptu fornicationis : quia licet ignorantia et prosit et obsit, plus tamen prodest diminuendo illud peccatum cujus est comes, quam obsit, faciendo ignorantem. Sicut iste qui
C interponit baculum, illo volente illum percutere gladio, plus prodest liberando a majori pœna quam obsit inferendo ei minimam pœnam ictu baculi : et sic perit illa objectio, quæ sic solet fieri. Si nulla omnino adesset ignorantia, in nullo excusaretur in isto peccatum fornicationis, vel aliquod tale peccatum, quod quis non putat esse peccatum mortale; quia adest ignorantia, excusatur peccatum fornicationis. Ergo, cum major adest ignorantia, magis excusatur : sed ipsa ignorantia hujus rei peccatum est in se. Ergo quantum aggravaret peccatum fornicationis per se comite existente justitia [scientia], tantum aggravat peccatum fornicationis et ignorantiæ simul : quia, quantum remittitur, et attenuatur de peccato fornicationis quæ in eo esset,
D peccatum per se, si sola adesset, tantum adjicitur peccato ignorantiæ; et ita tantum gravant hæc duo quantum illud per se gravaret, et ita in nullo videtur ignorantia peccatum alleviare.

Quod autem supra dictum est in auctoritate, *gravissime peccat qui ignorat*, intelligendum non quantum ad genus peccati. Non enim gravius est ignorare quam contemnere, sed quia difficilius est eum, qui putat scire bonum, instruere, quam qui simpliciter nescit. Nam simplex labor est nescientem instruere, duplex, male instructum reformare.

Item, posito quod iste prius fornicabatur et nesciebat hoc esse peccatum, et ideo non pœnitet, pœniteret autem si sciret : iste scit fornicationem fuisse

in se, et sciebat tunc fuisse peccatum, modo autem nescit esse vel fuisse peccatum. Ergo majus peccatum fuit in eo fornicatio, dum aderat scientia, quam sit, dum adest ignorantia; et ita fornicationis peccatum minoratum est sine contritione et pœnitentia, quod videtur impossibile. Omne enim peccatum ex quo non deletur per pœnitentiam, crescit, nunquam decrescit, quia semper comitem habet contemptum pœnitendi. Imo potest probari **147** quod plus peccat nunc quam prius, quia contemptui fornicationis, qui non est minoratus in eo, similiter adjecit contemptum ignorantiæ. Ergo plus peccat quam prius, quod concedimus. Talis enim ignorantia non potest esse nisi crassa.

Quæritur quoque de illo qui accedens ad ancillam putavit se dormire cum uxore, videtur illa ignorantia eum excusare tunc a mortali peccato; quod non videtur, quia ille concubitus non fuit legitimus; igitur fuit fornicatio; ergo mortale peccatum. E contrario si fuit veniale, cum iste nunc primo sciat se ad ancillam accessisse, videtur quod modo sit mortale, et ita crevit in eo reatus peccati, vel veniale factum est mortale. Ad quod dicendum quod si adhibuit omnem diligentiam quam adhibere potuit, veniale fuit et est; si tamen contemnat de eo pœnitere, ille contemptus est mortale peccatum. Item posito quod iste ignorat fornicationem esse mortale peccatum, et habeat multa peccata mortalia, et incipiat discere quod hoc sit mortale peccatum, posito quod hoc didicit, non jam ignorat hoc esse peccatum, et ita illa ignorantia quæ erat mortale peccatum in eo, non est in eo, et ita remissum est ei aliquod mortale peccatum sine alio mortali quod erat in eo, et sine contritione et pœnitentia, quod est impossibile. Ad quod dicendum quod adhuc est in eo ignorantia quantum ad reatum. Item, iste sacerdos potest pœnitere de ignorantia. Ponatur: Iste pœnitet de ignorantia quæ est in eo actuale peccatum et conteritur de illa; illa ergo transit actu et reatu; vel si transit reatu et non actu, ipsa est originale peccatum. Nam hæc differentia inter originale et actuale, quia ista transeunt actu et non reatu.

Ob hoc dixerunt viri magnæ auctoritatis non irrationabiliter, ignorantiam esse originale peccatum. Hoc autem ita astruebant: Duo bona erant in anima hominis: cognitio veritatis et amor ejusdem; et unum eorum distinctum est per concupiscentiam mali, alterum per ignorantiam boni. Quare ergo non dicitur ignorantia boni originale peccatum, sicut et concupiscentia mali? Et ita deletur per baptismum, sicut et concupiscentia quantum ad reatum, non quantum ad actum. Item, sicut ire post concupiscentiam (sine qua homo esse non potest) est mortale peccatum, ita ire post A ignorantiam et ignorare necessaria ad salutem (cum tamen possint hæc plene sciri) est mortale peccatum. Dicunt ergo qui in hac opinione non sunt, quod de ignorantia potest iste indiscretus sacerdos pœnitere, et desinit esse in eo quantum ad reatum, nec ideo aliquid incipit scire, vel aliquid desinit ignorare, sicut iste litteratus qui est in mortali peccato non habet donum scientiæ quod est Spiritus sancti, quia sic haberet charitatem, et cum incipiet habere per contritionem non incipiet aliquid scire. Utrum tamen possit manere indiscretus sacerdos in executione officii, et postquam pœnituerit de ignorantia, non asserimus, cum dicat Augustinus super quadragesimum psalmum: « Non recte psallit quid quod psallit non intelligit. »

B (84) Solet quæri utrum eadem sit ignorantia qua iste ignorat astra esse paria, et legem Evangelii? quod non videtur, quia ista est mortale peccatum, illa non; quod si alia, eadem ratione, tot ignorantiæ quot ignorata, et tot scientiæ quot scita, tot fides quod credita: sed hæc inquirere magis est curiositatis, quam utilitatis. Ex prædictis patet quod actus illi qui fiunt ignoranter, ex voluntate sunt, similiter et illi qui fiunt ex necessitate ut primi motus; de quibus post dicemus.

CAPUT XVI.

Verum omnis actio ex intentione et fine pensetur.

(85) Transeundum est igitur ad tertium eorum quæ præhabita sunt capitula, quod fuit, utrum omnis C actio ex intentione et fine pensetur, id est, utrum dicatur actio bona vel mala secundum intentionem et finem? Quidam dicunt quod omnis **148** actus naturaliter bonus est, sed tamen proprie debet dici indifferens usque dum ex fine bonus esse vel malus judicetur. Ait enim Ambrosius in libro *De officiis* (86): Affectus tuus operi tuo nomen imponit. » Et Augustinus (87): « Opus bonum intentio facit, intentionem fides dirigit, non multum attendas quid homo faciat, sed cum facit quid facere intendat, quo lacertos optimæ gubernationis dirigat. » Alii dicunt actuum alios esse bonos, alios malos, alios indifferentes. Actus quos constat esse bonos vel malos non judicantur ex fine boni vel mali, sed illi tantum qui nec simpliciter boni, nec simpliciter D mali sunt, sed indifferentes ex fine pensantur. Mali vero bono fine fieri non possunt, nec boni malo, et inducunt, hanc auctoritatem (88): « Servilis timor non est in charitate; in quo si bonus fiat, non tamen bene, id est bono fine. » Quod ergo dicit Ambrosius: « Affectus tuus operi tuo nomen imponit. » Et Augustinus: « Bonum opus intentio facit, » etc., retorquent ad actus indifferentes; hujusmodi enim actibus affectus nomen imponit.

(84) *V.* Aug., lib. I *Retract.*, cap. 15: Qui peccat ignorans, voluntate utique facit, etc. Et qui concupiscit adversus spiritum carne, non ea quæ vult facit, concupiscit quidem nolens, et in eo non facit quod vult; sed si vincitur, concupiscentiæ consentit volens, et in eo non facit nisi quod vult.

(85) Mag., II, d. 40.

(86) *Officiorum* lib. I, c. 30.

(87) Aug. *Præfat.* in Psal. XXXI.

(88) Sic apud Mag. hic, ex August. tract. 9, super I Joan. Ep.; sed non exstat eo loci apud August. illa sententia.

(89) Augustinus tamen aliter videtur velle. Dicit enim quod actus boni et actus mali indifferenter pensantur ex voluntate et fine : finis enim voluntatem, voluntas actionem informat : illos enim actus quos constans est esse malos non judicat bonos vel malos ex fine, quia ex se mali sunt. Licet enim interdum judicantur fieri bono fine, tamen in eis, nec ex fine voluntas est mala, nec ex voluntate actio fit mala, sed ex actione voluntas fit prava, quia talis actio nulla bona voluntate potest fieri. Inter quas actiones quidam ponunt actum Judæorum quos bonum finem dicunt sibi posuisse Christum crucifigendo, et tamen eorum actionem perversam et voluntatem malam fuisse certum est. Unde ipse dicit (90) : « Ea quæ constat esse peccata nullo bono causæ obtentu nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione sunt facienda ; » et paulo post : « (91) Quod facinus non dicatur recte posse fieri, non impune tantum, verum etiam gloriose ut in eo non timeatur supplicium, sed speretur et præmium ; si semel concesserimus in malis actibus non quid fiat, sed quare fiat esse requirendum, ut quæcunque, pro causis bonis fiunt, nec ipsa esse mala judicentur. » De bonis autem et de indifferentibus actionibus nulla fit exceptio secundum Augustinum, quin ex fine voluntas, et ex voluntate actio bona vel mala judicetur : ideoque, cum ex affectu dicitur nomen operi imponi in bonis et indifferentibus actionibus, vera est regula. In malis autem excipiuntur ea quæ per se mala sunt, quæ potius voluntatem faciant malam, quam ex voluntate fiant mala.

(92) Pro regula igitur collige omnia hominis opera secundum finem et voluntatem judicari mala vel bona, exceptis his quæ sine prævaricatione fieri nequeunt. Quæ tamen non ideo excipi ab Augustino dicunt quod nunquam bonam voluntatem, aut bonum finem habeant, semper enim fiunt malo fine et mala voluntate, sed quia videntur habere bonum finem. Qui enim aliena furatur ut patrem alat, bono fine facere videtur, scilicet causa alendi patris. Non tamen hic est finis, nam iste bonus est. Sed hujus actionis alere patrem ex furtis, quem finem constat esse malum. Qui enim de rapina sacrificium Deo offert, idem facit ac si filium in conspectu patris victimet (93). Et Isaias : *Ego sum Dominus diligens judicium, et odio habens rapinam in holocaustum* (*Isai.* LXI). Non enim accepit Dominus mercedem canis aut prostibuli, sicut in lege continetur (*Deut.* XXIII). Unde et dicunt Augustinum supra caute fuisse locutum, cum dixit (94) : « Quasi bono fine, velut bona intentione. » Non enim simpliciter dixit, *bono fine, bona intentione ;* sed addi-

A dit, *quasi* et *velut*, quia talia non fiunt bono fine, sed fine qui putatur bonus, et non est. Ex hoc jam patet quod qui pecuniam male acquisitam pauperibus erogat, ex hoc ipso peccat.

Sed contra objicitur sic : Iste quod male acquisivit dat hoc Ecclesiæ, et orat eam ut impetret ei primam gratiam. Ecclesia illa tenetur orare pro eo, et orando impetrat primam gratiam. Iste meruit ab ista Ecclesia ut **149** oraret pro illo : ergo illa datio fuit ei meritoria. Ergo non fuit mortale peccatum in eo. Item, ex naturali pietate, de eo quod male acquisivit, viscera indigentis reficit et qui tantum indigebat, quod nisi ei succurreret, statim ille deficeret. Ergo illud opus bonum fuit, vel saltem meritorium temporalis boni. Item, nisi illum cibasset B in articulo mortis, mortaliter peccasset. Ergo quia illum cibavit de pecunia male acquisita, non peccavit. Item, posito quod iste habeat viginti solidos, quorum decem habuit ex usura, alios decem de bono lucro ; certum est quod, dum est in mortali peccato, de illis quos bene acquisivit potest facere eleemosynam, quæ licet non sit ei ad meritum vitæ æternæ, valet tamen ad bonum temporale habendum, vel ad mitigationem pœnæ gehennalis, si tunc decederet, et illis aliis decem quos male acquisivit non potest facere opus quod sit ei meritorium alicujus boni, imo etiamsi alii indigenti ex naturali pietate det, et ex hoc ipso mortaliter peccat quod alienam rem nemini dare licite potest, etiamsi totum det quod habet, auget peccatum, non minuit C reatum, ut dicit Augustinus (95). Quæritur ergo an istos viginti solidos, quos permiscuit nec separare potest, possit dare licite, ita quod illa datio sit ei meritoria alicujus boni temporalis, et ita non sit in eo mortale peccatum.

Ad hoc dicendum quod *modicum fermenti totam massam corrumpit* (*I Cor.* v), nec potest iste mereri aliquod bonum, illud dando, imo ex ipso peccat quod alii dat quod suum non est, sicut si tibi auferam cappam ut dem algenti, pecco : non possum istud facere ex naturali pietate, quia ipsa naturalis pietas repugnat, cum huic aufero ut alii dem. Nec etiam dico quin peccem si retineam, quia tunc etiam magis pecco : « Pejus est enim concupiscendo quam miserendo rapere (96). » Horum enim D duorum non ideo bonum est alterum quia pejus est eo reliquum, licet levius unum, cum gravius alterum. Nec tenetur Ecclesia illa quæ ab isto accepit pecuniam, pro eo orare, quia nec recipere debet, si sciat male acquisitam. Quod si nescierit unde ille acquisierit, tenetur quidem orare ; sed oratio illius impeditur propter mala merita illius.

Si objicitur de Phinees qui transfixit Judæum et

(89) Vide librum contra Mendac. in cap. 7, etc.

(90) Cap. 7, contra mend.

(91) Ibid., sed verbis tum mutatis, cum detractis.

(92) V. Mag. hic, § c.

(93) *Eccli.* XXXIV. *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.*

(94) Mag. hic, § d.

(95) Serm. 15, in *Appendice* de diversis. Etiamsi totum tribuat quod abstulerit, addit potius peccata sua quam minuat.

(96) Aug, c. 8, l. contr. *Mend.* (Pejor est enim qui concupiscendo quam qui miserendo furatur.)

Madianitidem, quod opus fuit de illis operibus quæ sine prævaricatione fieri nequeunt, dici potest quod illud opus bonum fuit, quia inspiratione divina et zelo justitiæ Dei hoc fecit; et ideo non solum in illo opere non peccavit, sed vitam æternam promeruit. Nullum enim opus adeo malum est in se, quod si faciat homo ex præcepto Dei, vel inspiratione Spiritus sancti, et, ut ei a Deo præcipitur, quod non bonum faciat; Deus enim super omnem legem et omne præceptum. Unde, si in aliquo videatur Dei præceptum a lege dissentire, potius datori legis quam legi datæ obtemperandum.

Sed objicitur hic de Maria Magdalene, quæ de eo quod male acquisivit, emit unguentum et Domini pedes unxit, scientis tamen illud unguentum male ab ea comparatum. Ideo inter male acquisita distinguunt: Dicunt enim quia quod mulier proprii corporis expositione acquisivit, suum est, licet in peccatis comparatum; et si inde pœniteat, eleemosynam facere potest: sed quod de usura habetur, rapina est; nec illius qui acquirit, imo tenetur ei reddere a quo habuit; nec etiam cum reddit ex charitate (licet mereatur ob hoc), eleemosynam facere dicitur. Non ideo tamen illud dicimus quod sit constans Mariam illud unguentum de lucro corporis sui emisse, cum patrimonium (97), unde emere potuit, habuit. Si quis igitur finem actionis vocet intentionem, verum est quod omnis actio ex fine judicatur bona vel mala, et omnis actio bona est cujus intentio bona est, et convertitur. Similiter omnis actio mala cujus intentio mala, et econtrario: nam intentio comprehendit voluntatem et finem, ut supra satis evidenter distinximus inter voluntatem et finem et intentionem. Non omnis actio ex fine judicatur, sed **150** illa sola quæ bona est in se, vel indifferens. Ergo, si jactantiæ causa pascitur pauper, illa actio mala est quia malus finis; et ex hoc ipso peccat homo, et maledictioni subjacet. Sicut dicit Jeremias: *Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter* (*Jer.* XLVIII). Quod exponens Gregorius, ait (98), fraudem illam committi, vel pro temporalis rei præmio, vel pro laudis verbo, vel pro judicii humani gratia. « Solus enim in opere Dei fraudem non facit qui cum ad studia bonæ actionis vigilat, nec ad corporalis rei præmia, nec ad laudis verba, nec ad humanam judicii gratiam anhelat: verenda enim sunt opera, testante beato Job, ne bona nostra latrocinanti fraude nostris actibus terrenæ concupiscentiæ se ingerant. » Nec tamen dicimus semper eum mortaliter peccare qui laudem temporalem diligit, nec eum qui ad hæc principaliter tendit. Dominus enim pulverem de pedibus excutere jubet (*Matth.* X; *Marc.* VI; *Luc.* IX). Sed dicit aliquis, si pascere pauperem causa inanis glo-
A riæ est mortale peccatum, ergo non remuneratur temporali præmio: cui contrarium videtur quod Dominus dicit de hypocritis: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* (*Matth.* VI). Sed hoc dictum est ironice, quia hæc erat merces quam quærebant, et hanc jam receperunt.

Sed et iterum objicitur, posito quod iste discat divinam paginam ut postea impugnet, postea resipiscet, et sicut Catholicus prædicabit. Iste ex charitate pœnitebit cujuslibet peccati sui: ergo de exercitio quod modo habet in studio, quia peccatum est in eo mortale propter malam intentionem: ergo volet se non didicisse; ergo placebit ei quod didicit, illud discere est mortale peccatum: ergo placebit ei quod mortaliter peccavit. Item, posito
B quod addiscit bono fine, postea apostatat: *Melius est viam veritatis non agnoscere quam post agnitam retro ire* (*II Petr.* II). Iste scit agnitionem veritatis esse sibi acervum majoris damnationis: ergo dolere debet de eo quod veritatem agnovit et didicit. Ad hoc dicendum quod non debet dolere quia didicit, sed quia tali fine didicit, et quia apostatavit, sicut qui charitatem habuit, non quia habuit, sed quia amisit.

(99) Item, cum sit dictum omnem actionem bonam ex bono fine fieri bonam, quæritur an hoc generaliter sit verum? Si enim ita est cum iste qui est in mortali peccato de pecunia bene acquisita eleemosynam dat hac intentione ut reficiat indigentem, etiam propter Deum, bonum opus videtur
C facere, et ita qui est in mortali peccato bona opera facit. Quod etiam Augustinus confirmat sic (100): « Servilis timor non est in charitate, in quo si fiat bonum, non tamen bene. » Quod etiam super illum locum psalmi (1): *Passer invenit sibi domum, et turtur nidum ubi reponat pullos suos.* Dicit quod infideles bona opera faciunt, sed non in nido Ecclesiæ, id est in fide, et ideo conculcantur pulli eorum. Quibus tamen contradicere videtur quod dicitur: *Omne quod non est ex fide, peccatum est* (*Rom.* XIV); tota vita infidelium peccatum est (2). Et David: *Omnia opera ejus in fide* (*Psal.* XXXII). Et Jacobus: *Qui in uno offendit reus est omnium* (*Jac.* II). Et Augustinus (3): « Si quid ita fit quod ad charitatem, quæ est dilectio Dei et proximi, non refera-
D tur, nondum fit quemadmodum oportet fieri, et si fieri videatur. »

(4) Hæc omnia de facili ad concordiam revocantur, si dicatur omne opus quod fit ductu pietatis, a quocunque fiat, bonum esse. Sed bonum multis modis dicitur, pro utili, pro remunerabili, pro signo boni, pro spe boni, pro licito, et forte aliis modis, nullumque opus bonum, id est vitæ æternæ meritorium, nisi quod sit ex charitate: sed non

(97) Et hoc de pia muliere certo certius credendum.

(98) Lib. IX, in c. 9, Job c. XVII, circa med., sed verbis quibusdam immutatis.

(99) Mag. 2, d. 41.

(100) V. Psal. CXXVII, ser. 13. *De verb. cap.* 41, in Joan, etc.

(1) Psalm. LXXXIII, hæc. Aug. sed aliis verbis.

(2) Hæc in l. *Sent.* Prosperi. Sent. 106.

(3) Aug., *Enchirid.*, cap. 121 et ult. Vide sub finem præfat. in ps. XXXI

(4) Mag. sup., § c.

solum opus illud bonum est. Nam si quis infidelis inopiam indigentis relevaverit, bonum facit, id est signum boni, et remuneratur illud opus temporali præmio. Illud tamen opus quod fit de genere bonorum, et ab aliquo fit malo fine, bonum est, id est si fieret in charitate bonum esset, tamen malum est ex affectu et etiam de genere malorum, ut reficere pauperem causa inanis gloriæ. Vel secundum illos qui, tripartito dividentes actus, dicunt bona opera non posse fieri malo fine, sicut nec mala bono, potest dici quod bona **151** sunt illa opera, id est de genere bonorum, tamen mala dicuntur, propter eos qui ea faciunt qui mali sunt et ex hoc ipso peccant.

CAPUT XVII.

Utrum diversi sint et oppositi fines bonarum voluntatum sicut et malarum? ubi determinatur, an sit serviendum Deo pro temporalibus.

De quatuor prænotatis capitulis, quartum quod restat, prosequendum, utrum scilicet bonæ voluntates diversos et oppositos fines habeant? quod videtur: iste enim laudat sive diligit Deum pro temporalibus, et Deum laudat propter Deum: ecce bona est voluntas istius, et isti fines diversi sunt; ergo bona voluntas diversos fines habet. Quod tamen Deus diligendus non sit propter temporalia, ita ostenditur indirecte: Iste diligit Deum pro temporalibus; ergo non diligit eum gratis. Item legitur in Job Satan dixisse, Job non diligit Deum gratis; habet enim temporalia (*Job* I). Item: « Qui Deum laudat pro divitiis, petit ut divitiæ ad ipsum veniant non ut Deus. » Hoc dicit Augustinus (5). Item, ille diligit Deum pro temporalibus, non dulia: ergo latria gratis, et ita diligit Deum gratis et non gratis. Item Salomon ait: *Divitias et paupertatem ne dederis mihi, Deus* (*Prov.* XXX). Et Augustinus (6): « In veritate Deum invocat qui eum propter se, non propter aliud invocat. » Sed qui propter divitias eum invocat, propter aliud quam propter se illum invocat. Ergo qui propter divitias eum invocat non in veritate eum invocat, et ita propter divitias non est invocandus.

(7) Quod autem Deus diligendus pro temporalibus, et orandus, et laudandus sit, ostenditur. Deus laudandus est pro universis beneficiis suis: ergo pro temporalibus. Item, iste non agit gratias Deo pro temporalibus a Deo sibi collatis: ergo est ingratus. Item, divitiæ licite possunt haberi: ergo licite possunt peti. Item, nemo absque necessariis corpori jugiter et libere potest servire, sed nemo absque temporalibus potest habere necessaria corpori: ergo nemo absque temporalibus potest Deo servire: ergo temporalia petenda sunt, et ita Deus orandus est pro temporalibus. Item legitur quod Jeremias mittebat epistolas suas Hebræis qui erant in captivitate, ut orarent pro pace principis, quia in ejus pace eorum pendebat liberatio; et ita pro

A pellenda tribulatione petendum est. Præterea, ecclesia quotidie orat pro pace, pro frugibus et hujusmodi temporalibus.

Super hoc nobis videtur quod Deus laudandus, diligendus, orandus est pro temporalibus. Sed caute intellige hanc propositionem: potest enim notare finem finalem, et finem qui ad alium tendit. Si finem finalem, falsum est; si finem qui ad alium tendit, verum est. Sic cum dicitur: Iste optat medicum propter potionem, si *propter* notet finem finalem, falsum est: finaliter enim eum optat propter sanitatem. Si *propter* notet finem qui ad alium tendit, verum est. Itaque Deus diligendus est pro temporalibus, ut scilicet per bona temporalia eum acquiramus, et non propter se, sed propter
B Deum, ut non in eis finem ponamus, ut non ibi stemus, sed in eis meditantibus, Deum, qui finis est finalis, diligamus. Quod ergo primo dictum est: Iste laudat Deum pro temporalibus, non ergo gratis. Fallacia. Iste salvatur pro meritis suis, non ergo gratis, falsum est; quia meritum non excludit gratiam, vel e converso. Quod postea dicitur Satan dixisse: *Job non diligit Deum gratis* (*Job* I), habet enim temporalia, non est verum. Imo tunc diligebat eum gratis, quod postea probatum est, quando amissis omnibus, corpus ejus ita ulceratum est quod etiam scaturiebant vermes de corpore ejus. Cæteræ vero rationes quas induximus, solvuntur de facili, distincta multiplicitate hujus præpositionis, *pro*.

C Sed huic solutioni videtur obviare Augustinus, dicens: *Ne constituatis* **152** *vobis duos fines ut regnum petatis propter se, temporalia propter illud, nec solam, vel etiam cum eo temporalem mercedem.* Ecce hic videtur ostendere quod per se temporalia non sunt appetenda, nec etiam regnum propter regnum. Illam autem auctoritatem sic exponimus: Ne statuatis vobis duos fines, id est oppositos. Isti autem fines, scilicet diligere Deum propter temporalia, et propter se, non sunt oppositi fines, quoniam hoc est propter illud: postea supplendum est, sed unum scilicet ut petatis regnum propter se, et temporalia propter illud. Omnia enim propter regnum petenda sunt: quod qui facit non sibi duos
D fines constituit. Quod postea sequitur, propter regnum tantum debemus omnia operari, non solum vel cum regno Dei temporale meditari .... non est. Nec enim hæc duo tanquam duos fines debemus proponere nobis, sed unum propter alterum.

Cum igitur et æterna et temporalia petenda sint, et tamen hæc propter illa, sciendum est quod temporalia aliter petenda sunt quam æterna. Debemus enim æterna petere secure, aperta fronte, quoniam omnibus patet ea nobis esse necessaria. Temporalia autem non debemus ita aperte petere, sed cum quadam conditione, ut si dicam: *Deus omnipo-*

(5) Aug. in Psal. LII: Qui invocat Deum ut dives fiat, Deum non invocat: hoc enim invocat quod ad se vult venire. Vide seqq.

(6) Vide etiam quæ habet in Psal. LIII, in fine, et in Psal. LV et CXLIV sub finem.

(7) Vide Aug. sup

tens, da mihi hæc et hæc, si scis ea mihi esse utilia. Et quod ita debeamus exemplo Christi qui dixit : *Pater, si fieri potest transeat a me calix iste* (*Matth.* XXVI; *Marc.* XIV; *Luc.* XX). Non dixit simpliciter *transeat*, sed, *si fieri potest;* et etiam subjunxit : *Verumtamen non sicut ego volo sed sicut tu vis, fiat voluntas tua* (*ibid.*). Similiter beatus Martinus, cum propter utilitatem fratrum clamantium : « Cur nos, Pater, deseris, aut cui nos desolatos relinquis? » peteret se vivere, non ita aperte petiit, sed cum determinatione tali : « Si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua. » Ad Christi et Martini exemplum petamus temporalia. Solent quidam circa hanc quæstionem quasdam incongruas comparationes formare. Utrum scilicet Deus æque laudandus sit pro temporalibus et æternis, et æque orandus pro illis : quod quoties audieris, incongruitatis argue locutionem, sicut si dicatur : Iste æque cito vadit Papiam ac Romam, et iste æque desiderat medicum et sanitatem, vel vinum et saporem vini.

Item, videtur aliqua voluntas non solum diversos sed etiam adversos fines habere, ut, iste peccat et peccare vult, quoniam delectatur in peccato suo, et quoniam scit misericordiam Dei tantam esse, quod ipsa sufficit ad omnium peccatorum deletionem. Ecce duos fines proponit iste quorum uterque malus est, quoniam delectari in peccato malum est, et etiam ita confidere in Dei misericordia, peccatum est, ut scilicet propter nimiam confidentiam peccare non timeamus : hoc enim est peccare in Spiritum sanctum, et nunquam hujusmodi peccatum remittetur (8). Unde : *Qui peccat in Spiritum sanctum, nec in hoc sæculo, neque in futuro remittetur ei* (*Luc.* XII). Et Joannes : *Est peccatum ad mortem, non pro eo dico ut quis oret* (*I Joan.* V). Et : *Maledictus omnis qui peccat in spe.* Unde videndum est quid sit peccatum in Spiritum sanctum, prius tamen ostenso quot sint ejus species quæ sunt duo, obstinatio et impugnatio veritatis. *Obstinatio est induratæ in malitia mentis pertinacia, qua fit homo impœnitens.* Obstinationis autem duæ sunt species, desperatio et præsumptio. Desperatio est *qua aliquis diffidit de Dei misericordia, æstimans peccati magnitudinem divinæ bonitatis excedere quantitatem.* Præsumptio est *qua aliquis misericordia Dei abutens, et in ejus bonitate ultra quam satis est confidens, Dei justitiam evacuare contendit.*

Dicitur autem tam præsumptio quam desperatio peccatum in Spiritum sanctum, et non sine ratione. In desperatione enim æstimat aliquis magnitudinem peccati excedere quantitatem bonitatis Dei, et ita diminuit quantitatem bonitatis, quantum in se est, ut qui dicebat : *Major est iniquitas mea quam ut veniam merear* (*Genes.* IV). Bonitas autem Dei proprie et principaliter 153 dicitur

A Spiritus sanctus, sicut amor Patris et Filii proprie dicitur Spiritus sanctus. Similiter autem in præsumptione est abusio misericordiæ et bonitatis Dei quantum in homine est, in hoc quod aliquis nimis in ea confidit, et præsumit ipsum dimittere omnia peccata impunita, quod libertatem dando in occasionem carnis, licentiam det peccandi. Quod qui facit quantum in se est, justum eum non esse contendit. Notandum tamen (9) quod qui ita peccat, similiter peccat in Patrem et Filium sicut in Spiritum sanctum. Communis est enim offensa trium personarum, secundum appropriationem nominis et non rei dicitur peccare in Spiritum sanctum, quoniam peccat in bonitatem Dei cujus nomen, et non res, appropriatur Spiritui sancto, B cum Pater et Filius et Spiritus sanctus sint una bonitas.

Quæritur autem utrum omnis desperatio vel præsumptio sit peccatum in Spiritum sanctum? quod quidam dicunt, et tale peccatum ideo dicitur irremissibile, non quia non possit remitti, sed quia non de facili; potest enim remitti per pœnitentiam. Unde : *Convertam eos in profundum maris* (*Psal.* LXVII); et alibi : *Mittit crystallum suam sicut buccellas* (*Psal.* CXLVII); et alibi : *Qui eduxit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulcris* (*Psal.* LXVII). (10) Sunt autem alii qui dicunt quod non omnis præsumptio vel desperatio est peccatum in Spiritum sanctum, nisi illa scilicet quam comitatur impœnitentia finalis, id est de qua C nunquam aliquis pœnitebit; et secundum istos tale peccatum irremissibile dicitur, quia non remittitur. Nunquam enim pœnitebit aliquis de eo, semper enim comitabitur hoc peccatum impœnitentia finali. Sed quæritur ab eis, cum nemo, ut ipsi dicunt, de tali impœnitentia pœnitebit, utrum de eo poterit pœnitere. Quod si dicatur sic, contra : De hac impœnitentia nemo poterit pœnitere. Ergo ipsa nunquam poterit remitti, cum ipsa peccatum sit. Quod de impœnitentia finali nemo poterit pœnitere, probari potest indirecte; iste pœnitebit de impœnitentia finali, ponatur. Ergo desinet eam habere. Ergo eam habebit. Ergo erit pertinax usque ad finem vitæ. Ergo de nullo peccato pœnitebit. Non ergo de impœnitentia finali pœnitebit. Item si de impœnitentia finali D pœnitebit, de nullo peccato pœnitebit. Eam habebit usque ad finem vitæ, et si eam habebit usque ad finem vitæ, de nullo peccato pœnitebit. Ergo si iste de impœnitentia pœnitebit, de nullo peccato pœnitebit, sed in contrarium. Si de impœnitentia pœnitebit, de hoc peccato pœnitebit. Ergo si de impœnitentia pœnitebit, de aliquo peccato pœnitebit. Et ita videtur posse ostendi quod nullus de impœnitentia finali possit pœnitere.

In contrarium tamen sic. Aliquis potest pœnitere plene et perfecte de aliquo peccato; sed non potest perfecte pœnitere de uno quin pœniteat de omni.

(8) Mag. 2, d. 43.
(9) V. Ambros., l. I *de Spiritu S.* c. 3 in fin.

(10) Vide Aug. *Exposit.* ad hæc loca ad quæ alludit auctor.

Ergo potest pœnitere de impœnitentia finali. Item, nemo damnatur nisi quia non pœnitet. Ergo nemo damnatur nisi propter impœnitentiam finalem. Ergo nemo damnatur, nisi quia peccat in Spiritum sanctum: quod falsum est. Si dicat iterum quod aliquis potest pœnitere de impœnitentia finali, quæritur, quando? Aut enim post mortem, aut ultimo momento vitæ suæ, aut ante ultimum momentum: sed certum est quod post mortem non est locus pœnitendi. Si vero ultimo momento vitæ suæ pœnitebit, ergo illa impœnitentia non est finalis. Et si ante ultimum momentum pœnituerit, ergo multo minus erit finalis. Et ita nunquam poterit aliquis de hoc pœnitere.

Dicunt quidam quod nemo potest pœnitere de impœnitentia finali. Hoc enim verbum duo notat, B scilicet quod iste habuit impœnitentiam finalem, et quod eam desinit habere, sed hoc est impossibile, maxime cum sit victurus adhuc; sic enim non esset finalis. Sicut hoc verbum *incipere* duo notat, cum dicitur: *Deus potest incipere prædestinare istum.* Notat enim quod Deus prædestinat istum, et non prius prædestinavit istum: quod falsum est. Nullum enim prædestinat quem non prædestinaverit ab æterno. **154** Sic ergo dicunt quod iste non potest pœnitere de impœnitentia finali: potest quidem facere ut eam non admittat, sed non potest facere ut eam amittat.

Sed eis objicitur: Iste non potest pœnitere de impœnitentia finali. Ergo non est ei imputandum pro peccato. Sed ipsi instant hoc modo: Diabolus C non potest pœnitere. Ergo peccata sua non sunt ei imputanda. Si quis autem attentius inspiciat, videbit quoniam potest quis pœnitere de impœnitentia finali sub hoc sensu, id est de impœnitentia quæ est finalis, non de impœnitentia quæ finalis esset, si iste pœniteret. Sic dicitur quod nigredo erit in albo, id est in eo quod erit album, non in albo quod simul sit album et nigrum. Ponatur quod iste vivet usque ad A, et tunc morietur, post A vero sequetur B et C: quæ sunt duo momenta. Iste potest esse victurus in B, quia licet sit moriturus in A tamen posset vita ejus protelari usque in B et C. Sic ergo iste potest esse victurus in B, vel ita ille potest esse in B. Liceat modo fingere tale participium, potest D esse *pœniturus* in B, de hac impœnitentia quam desinet habere ante B. Ergo potest esse pœniturus de ipsa impœnitentia finali, id est quæ est in eo, vel quæ erit in eo finalis, non de impœnitentia finali, id est quæ tunc esset finalis si pœniteret; et assignant hic compositionem et divisionem, sicut si dicatur, iste potest videre oculis clausis, id est oculis qui sunt clausi, per divisionem verum est; si oculis clausis, id est quod simul sint clausi et videant, per compositionem, falsum. Si tamen ex parte subjecti

A dicatur oculis clausis potest iste videre, magis est sensus divisionis et verum est, ita etiam de impœnitentia finali potest iste pœnitere: sed si pœniteat jam non erit finalis: et ideo his positis in prædicato magis erit sensus: compositionis; et falsitati propinqua est locutio.

Alii probabilius et verius, ut mihi videtur, tradunt quod impœnitentia incongrue dicitur per se, sed in re furti, vel homicidii vel aliquid tale, quia relative dicitur, et talis junctura tantum potest removere, ut sit hic sensus. *Furtum de quo aliquis non pœnitet:* et tunc non est peccatum in Spiritum sanctum. Potest etiam ponere et removere, ut sit sensus, *Impœnitentia furti*, id est furtum de quo quis (11) non proponit non pœnitere; et tale propositum est peccatum in Spiritum sanctum, de quo quis potest pœnitere, licet difficillime. Ita etiam dicunt de perseverantia, ut post explicabitur in *Tractatu virtutum.*

(12) Exsecuta igitur priori specie peccati in Spiritum sanctum, revertendum est ad alteram quæ dicitur impugnatio veritatis, de qua sic ait Augustinus (13): « Peccatum in Spiritum sanctum est cum, post agnitionem Dei per gratiam Christi, oppugnat aliquis fraternitatem, et adversus gratiam qua reconciliatus est Deo, invidentiæ facibus agitatur. » Hoc tamen non intelligitur nisi quando comes est impœnitentia, id est propositum non pœnitendi. (14) Unde et pro quolibet in via est orandum, non enim (nisi miraculose fuerit alicui revelatum) in via potest sciri quis peccet in Spiritum sanctum. Unde et quod dicit Joannes: *Est peccatum ad mortem*, etc. (*I Joan.* v), intelligendum est de illis qui jam decesserunt in infidelitate, pro quibus non orat Ecclesia. Orat tamen pro eis dum vivunt et adhuc mereri possunt, ut pro Judæis et pro paganis. (15) Consistit autem hoc peccatum in veritatis oppugnatione et in invidia fraternitatis, et dicitur hoc peccatum irremissibile, non quia non possit remitti, sed quia tanta est labes hujus peccati quod non permittit homini etiam descendere ad humilitatem pœnitendi. Unde cum Judas agnovisset se ita peccasse et veritatem impugnando, et fraternitati et consortio Christi invidendo, et dixisset: *Peccavi tradens sanguinem justum* (*Matth.* XXVII), citius cucurrit ad laqueum quam ad pœnitentiam, vel contritionis gemitum, citius ad suscipiendam pœnam, quam ad deprecandum veniam.

Cum autem dictum sit quod prædicta sunt peccata in Spiritum sanctum, si adsit obstinatio, ut homicidium et adulterium (16), quod tamen non est verum, quia illud peccatum specialiter dicitur in Spiritum sanctum, **155** quod fit contra bonitatem Dei. Peccat enim homo tribus modis, per infirmitatem, per ignorantiam, per industriam. Qui autem per infir-

(11) Videtur hæc negatio delenda.
(12) Marg. hic, § C.
(13) Lib. I *De ser. Dom. in monte*, non longe a fin.

(14) V. Aug., ser. 11. *De Verbi. Dom.*, post med.
(15) Alludit ad ea quæ habet Aug. l. I *De serm. Dom. in monte*, sub fin.
(16) Hic quædam desiderari videntur.

militatem peccat, in Patrem dicitur peccare, quia Patri attribuitur potentia nomine, cum tamen et re conveniat tribus personis. Qui peccat per ignorantiam, in Filium dicitur peccare, quia Filio sapientia attribuitur nomine et non re. Qui per industriam peccat, in Spiritum sanctum dicitur peccare; eo quod bonitas solet appropriari Spiritui sancto, et qui ex industria peccat, ex malitia hoc facit. Sciendum tamen quod indivisa offensa trium personarum, sed propter prædictam considerationem solent fieri hujusmodi appropriationes et species peccatorum.

CAPUT XVIII.

De peccato Adæ, ubi quæritur utrum plus peccaverit Adam quam Eva.

(17) Exsecutis quatuor supra notatis capitulis diligenter, prout rei difficultas et ingenii nostri facultas sufficiebat, scilicet unde actuale peccatum habeat originem, et in qua re sit, et quid ipsum sit et quantæ sint differentiæ peccatorum actualium, transeundum est ad peccatum originale de quo prius fuisset agendum, nisi alia ratio præponderans hunc ordinem nos permutare coegisset. Sed quia originale peccatum trahitur ex corruptione carnis, cujus causa fuit primum peccatum actuale Adæ, de illo peccato nos expediamus, ut tandem ad originale redeamus.

(18) Circa illud primo occurrit quæstio, utrum peccatum illud habuit originem et utrum ut vellet Augustinus quod præcessit in eo quædam elatio: ait enim (19): « In primo homine præcessit quædam elatio comprimenda. » Sed secundum hoc præmittitur illa solutio (20), qua peccatum Luciferi dicitur irremediabile, et peccatum Adæ dicitur remediabile. Ideo enim dicebatur peccatum Luciferi irremediabile, quoniam ipse peccavit ex propria et innata malitia, scilicet ex superbia, nulla præcedente tentatione exteriori. Hominis vero peccatum ideo dicebatur remediabile, quoniam illud peccatum habuit originem a tentatione præcedente. Ad quod dicendum quod tentatio elationem, elatio opus præcessit, et ita opus habuit originem ab elatione, sed prius a tentatione: fuit enim in utroque parente elatio, sed major fuit in Eva quam in Adam. Nam cum diabolus dixisset: *Eritis sicut dii, scientes bonum et malum* (*Gen.* III), ipsa putavit se posse esse æqualem Deo. Adam quia sapientissimus erat, nunquam putavit se posse esse æqualem Deo, et ita non fuit in eo seductus, in quo mulier: propter quod Apostolus dicit eum non seductum (*I Tim.* II). In hoc tamen seductus fuit quod putavit veniale sibi esse quod erat mortale; nec tamen prior seductus, nec in eo in quo mulier. Ideoque non tanta in eo præcessit elatio quanta in muliere (21): « Peccavit tamen quadam amicabili benevolentia qua plerumque fit ut offendatur Deus ne offendatur amicus. Noluit enim sociam suam contristari quam credebat sine suo solatio interire, et a se alienatam contabescere. »

Videtur tamen quod Adam tantum peccavit. Dicit enim Augustinus (22): « Impari sexu, sed pari fastu peccaverunt. » Ergo pari superbia. Ergo pari contemptu. Ergo pariter. Ad hoc dicendum quod paritas illa referenda est ad excusationem, quia pariter se excusaverunt. Vel referenda est illa paritas ad esum ligni prohibiti, de quo pariter comederunt, quia peccatum dicitur par alii, vel quia ejusdem generis, vel quia adeo diuturnum, vel quia fastu factum.

Item, cum dictum sit quod Adam nunquam putavit se posse esse æqualem Deo, objicitur: Dicit enim Apostolus: *Non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo* (*Philipp.* II). Super quem locum legitur (23): « Ut diabolus et primus homo. » Ideo sic est exponendum: « Ut primus homo, id est, ut Eva quæ **156** facta est de primo homine, » sicut « per primum hominem intravit mors in mundum, » id est, « per Evam quæ facta est de primo homine, et quæ prius peccavit. » Vel dicendum, quod si non credidit Adam se posse parificari Deo, tamen delectatus est promissione. Sed Eva delectata est in ea, quia plus credebat. Sicut iste pauper in hoc quod dicitur ei *tu eris rex, vel papa*, delectatur, licet credat illud nunquam posse evenire (24). Item, Adam peccavit per industriam, Eva ignoranter quia quasi [parvi intellectus] fuit, gravius est peccare industria quam infirmitate, plus quam ignorantia: ergo plus peccavit Adam quam Eva. Quod autem Eva peccavit ignoranter, ita probari potest. Eva credidit diabolo. Ergo credidit quod fieret sicut Deus. Credidit etiam per comestionem illius ligni bonum suum non posse amitti, sed potius augmentari. Ergo credidit se non peccare; cum igitur peccasset, ignoranter peccavit. Sed contra, sciebat sibi præceptum datum a Deo, ne comederet. Ergo sciebat esse peccatum contraire. Ergo scienter peccavit. Item, mulier excusationem non habuit de ignorantia, cum etiam mandatum noverit, et peccatum esse secus agere non ignoravit. Dicunt igitur quod ad hanc promissionem, *Eritis sicut dii*, etc., tanta ambitione cæcata est mulier quod nec illud mandatum Dei esse animadverteret, nec peccatum esse contra facere cogitaret. Ignoranter ergo peccavit. Ergo ex ignorantia peccavit. Non est verum. Fallacia. Deus omnem quem æternaliter punit, misericorditer punit. Ex misericordia ergo punit æternaliter. Licet enim ignoranter, non ideo ex ignorantia, quia ignorantia non fuit principalis causa illius peccati, sed

(17) Mag. 2, d. 22.
(18) Lib. II. *De Genes.*, c. 30.
(19) Lib. eod., cap. 5.
(20) Mag. hic, § B.
(21) Hæc omnia et plura alia hic, habet Aug. l. II *De Gen.*, c. ult.
(22) Lib. II. *De Genes*, c. 35.
(23) V. in Glossa ibi.
(24) Isthæc supplevi ex Aug. II. *De Genes.*, cap. ult.

prava voluntas. Sicut omne bonum est ex libero arbitrio, non tamen primum bonum dicitur esse ex libero arbitrio, sed ex sola gratia, quia gratia est principalis causa illius.

(25) Quod autem Augustinus dicit quod excusatio ignorantiæ tollitur et ubi præceptum esse cognoscitur, et peccatum esse contra facere non dubitatur, potest intelligi verum fuisse ante suggestionem. Tunc enim et præceptum scivit, et peccatum esse contraire præcepto non ignoravit. Vel potest dici quod tunc utrumque scivit et per illud peccatum credidit se in omnibus bonis consummari et in nullo diminui. Sicut Antichristus credet se per peccatum ad immortalitatem ascendere, ut in Psalmo habetur: *Non movebor a generatione in generationem sine malo*, id est (*Psal.* IX), « movebor ab hac generatione mortali ad immortalem, et hoc non erit sine malo (26), » id est sine peccato, et sine malis artibus.

Quærunt etiam hoc loco quidam; quæ nominibus credimus incognita, sed nec ad salutem percipiendam eorum scientiam fore necessariam; scilicet si peccasset mulier, et non vir, an humanum genus esset corruptum, vel alia ei formaretur mulier; vel si consensisset voluntate uterque et non opere, an corruptio esset tantum in mente et non in carne; vel si stetissent, et eorum filii illud transgressi essent, an parentes de peccatis filiorum punirentur sicut et filii. Adhuc sentiunt vetustatem primi parentis et alia hujusmodi; in quibus quæstionibus plus reperitur curiositatis quam utilitatis. Illud potius persimile ad rem pertinere videtur. Utrum credidit Lucifer futurum esse quod expetiit? Quod si est, ergo credidit se posse fieri æqualem Deo, ergo credidit statum suum posse æquari . . . . . et in nullo fieri minorem: sed sciebat hoc non posse fieri, si illa voluntate peccaret, ergo credidit se non peccare illa voluntate. Ergo ignoranter peccavit. Item, ipse sciebat se esse creaturam, et Deum esse Creatorem. Ergo sciebat se non posse æquari Deo, cum nulla creatura Deo possit æquari. Item, Lucifer voluit esse ut Deus, sed sciebat hoc non posse esse nisi esset Deus. Ergo voluit esse Deus: sed ipse sciebat quod non poterat esse ille Deus qui illum creaverat, nec alius, quia sciebat non posse esse nisi unum, cum modo illud sciat, quia ista scientia non accrevit ei **157** postea. Ideo dicunt quidam quod esse voluit similis Deo non per imitationem, sed per æqualitatem scientiæ. Verius tamen videtur quod voluerit esse Deo æqualis, cum tamen scisset hoc non posse esse, nec ideo minus peccavit, imo multo gravius. De hujusmodi tamen cum non plene absoluta sint, dubitare non erit inutile. Hoc tamen sciendum quod omnes defectus, tam animæ quam corporis, patimur propter inobedientiam; et nostra etiam peccata quæ ab eis originem contraxerunt, animæ defectus et passiones sunt, ut ira, tristitia, dolor, immoderata lætitia; corporis, ut fames, sitis, algor. Omnis tamen hujusmodi passio in anima est, sed corpori attribuuntur, quia non sentit has anima nisi in corpore et instrumento corporis, et sicut supra hunc ordinem assignavimus, ut prius diceremus qualis fuit homo factus ante peccatum secundum corpus, et qualis secundum animam, ita etiam de reformatione ipsius tractabimus: prius qualiter anima ejus reformata, postea qualiter corpus, docebimus, ut ita idem ordo qui observatus est in formatione, teneatur in deformatione [reformatione], et fere idem etiam habendus sit in novissima reformatione.

CAPUT XIX.

Qualis effectus sit homo secundum corpus, ubi de peccato originali agitur

(27) Secundum corpus igitur patitur homo famem, sitim, ægritudinem et similia, et præterea mortuitatem, ut ita dicam. Cum enim homo ante peccatum mortalis esset, id est potens mori, et potens non mori, post peccatum non habuit hujusmodi mortalitatem, sed potius mortuitatem, quia necessario est addictus morti. Unde Apostolus dicit corpus hominis post peccatum fuisse mortuum (*Rom.* V). Præter hos defectus inest etiam quidam alius defectus humanæ naturæ post peccatum, scilicet quædam fœditas, quædam labes proveniens ex ferventi coitu parentum, quæ causa originalis peccati, et etiam originale peccatum, secundum (28) quosdam reatus pœnæ, id est debitum quo homo obligatus est pœnæ temporali vel æternæ pro peccato primi hominis, et illud debitum nec est pœna, nec est culpa (29), et ita non est peccatum, sed tantum est originale peccatum. Sicut istud, *Est homo mortuus, non tamen est homo*: et dicitur originale peccatum, quoniam ex peccato parentum obligati sunt homines pœnæ; sicut judicio fori pro peccato parentum exsulant filii. Alii autem dicunt quod peccatum originale est ignorantia boni et concupiscentia mali. Unde Augustinus: « *Duo sunt plenaria in homine, ignorantia, et difficultas. Ex ignorantia error quo homo verum pro falso recipit, ex difficultate, cruciatus, ut resistente carnali vinculo non possit se homo a libidine temperare.* » Sed quomodo concupiscentia mali in anima hujus infantis vel ignorantia boni? Nondum enim concupiscit aliquid, nec aliquid ignorat. Nil enim ignorat quod in tali ætate debeat scire. Ideo dicendum est quod initium concupis-

(25) Hæc eis excusatio tollitur, quando præceptum datur, vel scientia non peccandi manifestatur. Sic Aug. l. *De grat. et lib. arb.*, c. 2.

(26) Sic Aug. *In Exposit.* ad hunc psal. versum.

(27) Mag. 2, d. 30 et seq. Pro genuina difficultatum capitis hujus intelligentia, vide quæ scripsimus in observation. nostris ad cap. 28. *Sent.* Pulli in part. II.

(28) Mag. 2. d. 30, § E.

(29) Hæc solum dicit ex aliorum sent. ut et ejus Mag. citatus.

centiæ est in isto, non motus concupiscentiæ. Est A enim hoc nomen *concupiscentia* æquivocum ad motus concupiscentiæ, et ad vitium, et ad naturalem animæ potentiam. Ignorantia similiter est in anima hujus pueri vitium ignorantiæ, sicut in oculo cæci vitium est in nocte, sed tamen non discernitur inter videntem et cæcum donec adveniente lumine diei. Ita in anima pueri est vitium concupiscentiæ et vitium ignorantiæ, sed non discernitur donec adveniente ætate discretionis; tunc enim incipit concupiscere malum et ignorare bonum. Patet igitur ex his quod peccatum originale in duobus consistit secundum quosdam, in concupiscentia mali et ignorantia boni. Unde pluraliter dicit Propheta: *In peccatis meis concepit me mater mea* (*Psal.* L), id B est in concupiscentia et ignorantia, quandoque singulariter dicitur peccatum originale, quoniam ignorantia pendet **158** ex concupiscentia. Si enim non præcessisset concupiscentia, nunquam sequeretur ignorantia. Quod enim originale sit peccatum ignorantia volunt habere ex eo quod dicit Augustinus super illum locum Psalmi: *Delicta juventutis meæ*, etc. (*Psal.* XXIV.)

Quidam tamen, imo fere omnes, interdum dicunt originale peccatum non esse nisi concupiscibilitatem, non reputantes ignorantiam in originali peccato. Cum quibus publicam stratam sequentes dicamus concupiscibilitatem, non ignorantiam, esse originale peccatum quod in anima est non in cor- C pore: dicitur tamen habitare in carne, quoniam in carne est quædam carnalis corruptio ex eo quod ipsa per generationem vitiosam traducitur ex alia carne, quæ corruptio causa est originalis peccati, sed non est originale peccatum, quia non est peccatum. Nam si esset, ergo illa caruncula in qua est illa corruptio carnalis, puniretur propter illud peccatum si ei non infunderetur anima, quod non est verum. Cum enim ante quadraginta sex dies non infundatur anima corpori, si moreretur mulier non damnaretur per se illa caruncula. Unde patet quod corruptio illa non est culpa; nam culpa non est nisi in spiritu. Non est ergo illa corruptio originale peccatum quod est in anima sicut ejus causa.

Sed videtur quod anima non debeat esse rea D illius peccati statim quando infunditur, quia hæc anima infunditur huic corpori a Deo, velit nolit, et non displicet Deo illa unio corporis et animæ, nec ista anima meruit aliquam pœnam. Ergo originale peccatum non est ei imputandum. Item, hæc anima nunquam fuit quin non esset in corpore; et nunquam fuit in corpore quin non haberet peccatum. Ergo hæc anima nunquam fuit quin non haberet peccatum. Ergo nunquam habuit perfectionem qua posset stare. Ergo non est ei imputandum si non stat. Hæc enim solet assignari ratio de angelis quare imputetur eis quod ceciderunt, quia habebant gratiam qua poterant stare, et si non habebant qua possent proficere. Si vero nec gratiam haberent qua possent stare non imputaretur eis quod non steterunt. Similiter anima ista nunquam habuit gratiam qua stare posset: *Creando enim fuit infusa, et infundendo creata*, et statim fuit immunda. Unde videtur quod peccatum non sit ei imputandum. Item cum anima quando infunditur nullam ex se habeat maculam, quare ergo imputatur pro peccato macula carnis? Quod facile esset solvere, si anima esset ex traduce sicut et corpus: posset enim dici quod sicut in Adam omnia corpora per seminalem rationem ab eo descendentia fuerunt corrupta, ita in eo, id est in Adam, omnes animæ fuerunt corruptæ: sed non potest hoc dici, quoniam anima non ex traduce est sicut et corpus, imo quotidie creat Deus novas animas. Item, hæc anima creata, fuit aut munda, aut immunda; si munda, ergo aliquando fuit munda. Sed nunquam fuit, quin non esset in corpore. Ergo in corpore fuit munda. Si vero creata fuit immunda, non videtur ei immunditia imputanda pro peccato. Item, peccatum originale aut est voluntarium, aut est necessarium: si est necessarium, ergo inevitabile, ergo non potest evitari, ergo non est imputandum animæ. Voluntarium autem non est, quia non processit ex libero arbitrio.

Ad hoc dicunt quidam quod anima quodammodo delectatur quando infunditur corpori. In illa infusione est quædam socialis delectatio, et ideo ipsa anima rea peccati est. Sed secundum hoc magis esset actuale quam originale peccatum illud. Alii autem melius dicunt quod in primo homine anima est prius corrupta, postea caro: quæ corruptio non fuit culpa, sed pœna; et anima corrupta carnem fecit corruptam, et non econtrario. In nobis econtrario fit, nam caro corrupta animam corrumpit, et ita hic est quasi quædam vindicta. Cum enim in primo homine anima jam corrupta per peccatum carnem adhuc incorruptam corrumpit, in nobis quasi in **159** vindicta primi peccati caro animam corrumpit et in omnibus posteris, et ideo rea tenetur anima peccati.

Ad prædictas ergo rationes per ordinem respondebimus. Cum ergo primo dicitur: Non displicet Deo conjunctio illa animæ et corporis, nec anima meruit aliquam pœnam. Ergo non est ei imputandum. Fallacia. Antichristum esse futurum non displicet Deo, nec meruit Antichristus reprobationem Dei. Ergo illa reprobatio non est ei imputanda. Quod autem postea dicitur quod anima nunquam perfectionem qua stare posset, habuit, falsum est, quia a Deo nihil habuit nisi bonum, in quo, nisi corrupta fuisset carnis admistione, potuisset munda permanere. Unde hic solet quidam formare quæstionem (30): Si posset fieri quod aliqua particula carnis de aliqua carne sine vitio concupiscentiæ traduceretur et illi carni anima infunderetur, an esset illa anima rea originalis peccati, sicut forte fuit in

(30) Pullum fortassis indigitat qui movet illam quæstionem cap. 28, secundæ partis.

Lazaro suscitato. Ad quod dicunt quidam quod originale peccatum partim est ex vitio concupiscendi, partim ex carne corrupta (31). Unde ad hoc ut Christus immunis esset ab originali peccato, oportuit carnem quam assumpsit mundari. Nam forte si non esset mundata, licet sine concupiscentia conciperetur, originale peccatum haberet Christus.

Quod postea quæritur, an munda aut immunda fuit anima, dicimus quod munda, id est ex creatione non habuit nisi munditiam. Sed si ita intelligas, fuit creata munda, id est *existens munda*, falsum est. Argumentum tale fuit: Creata fuit munda, ergo aliquando fuit munda. Fallacia. Hoc pomum in manibus tuis datum est mundum. Ergo in manibus tuis fuit mundum: posito quod manus immundæ fiunt, et quam cito pomum fuit in eis, fuit sordidum. Videtur autem illud peccatum originale, quoniam a parentibus nostris vitiosa lege, id est secundum carnalem concupiscentiam carnem contraximus. Non enim dicitur originale quoniam a carne corrupta caro trahitur corrupta (32). Sic enim Christus habuisset originale peccatum, quoniam caro ejus ex carne Virginis quæ per originale peccatum corrupta erat, traducta fuit; sed ideo originale dicitur, quoniam illa propagatio libidinose fit. Modus ergo traducendi facit peccatum, non ipsa traductio. Unde Augustinus (33): « Vitium transfundit in pueros non propagatio, sed libido; non fœcunditas, sed fœditas. » Conceptus autem Christi non fuit celebratus carnali concupiscentia, sed virtute Spiritus sancti: unde immunis fuit ab originali peccato. Ex his ergo patet quod tertio inquirebatur, scilicet quomodo traducebatur originale peccatum.

(34) Sed objicitur ad quid dictum est, quod omnes traducti sumus ab Adam, et omnes peccavimus in Adam: nam non fuerunt etiam tot atomi in corpore Adæ quot homines ab eo descendunt. Et si omnes in Adam fuerunt, accidit corpus Adæ omnium corporum excessisse quantitatem. Ad quod dicendum quod omnes homines fuerunt in corpore Adæ non essentialiter, sed per seminalem rationem. Volunt tamen probare quod essentialiter etiam fuerunt omnes in Adam. Quidquid fuit pars corporis Cain fuit pars corporis Adæ. Fallacia. Quidquid fuit pars corporis filii Cain, fuit pars corporis Cain, ergo quidquid fuit pars corporis filii Cain fuit pars corporis Adæ; sed quidquid fuit pars corporis Adæ, essentialiter fuit in eo. Ergo quidquid fuit pars corporis filii Cain, essentialiter fuit in Adam, et ita totus Cain fuit in Adam essentialiter. Eadem ratione filius filii, et filius pronepotis, et sic usque ad ultimum hominem, et ita omnes homines essentialiter fuerunt in Adam. Forsitan autem aliquis negabit propositionem et assumptionem prædicti similis: sunt enim ejusdem rationis. Utralibet quæritur; si negetur de facili probabitur.

Sed prius distinguuntur tres status corporis antequam nascatur homo: Corpus humanum primo post conceptionem, est quidam liquor qui quotidie paulisper inspissatur. In secundo vero statu infra quadraginta sex dies **160** est corpus effigiatum, id est habens humanam corporis effigiem et lineamenta. Tertio vero, post quadragesimum sextum diem infunditur anima corpori, et fit homo ex anima et corpore. Sic ergo dicatur: Quidquid fuit pars corporis Cain existentis liquoris, fuit pars corporis Adæ. Certum est enim quod ille liquor manavit de substantia Adæ. Similiter quidquid in secundo vel tertio die fuit pars illius corporis, prius fuit pars corporis Adæ: et ita fiat progressus usque ad tempus infusionis animæ. Et ita quidquid fuit pars illius corporis animati, fuit pars corporis Adæ. Eadem ratione et similiter de omni homine potest dici quod quidquid fuit pars corporis ejus, fuit pars corporis Adæ: et ita essentialiter fuit in eo. Hæc autem ratiocinatio videtur esse probabilis. Nam ubi potest sistere respondens in quo statu corporis, nisi dicatur quod quidquid fuit pars corporis Cain existentis liquoris, vel effigiati, fuit pars corporis Adæ: sed non est ultra progrediendum. Potius enim videtur sistere in tempore quo adhuc liquor est corpus, quam alio. Sed si hoc dicat scilicet quod quidquid est pars corporis Cain liquidi, fuit pars corporis Adæ, et non quidquid est pars corporis effigiati, vel quidquid est pars corporis animati fuit pars corporis Adæ. Eadem ratione qua dicitur, non quidquid dicetur . . . . et ita cum quidquid fuit pars corporis Cain liquidi fuit pars corporis Adæ: et nil quod fuit pars corporis effigiati, vel etiam animati, ergo nil quod fuit pars corporis liquidi fuit pars corporis effigiati. Ergo hoc est aliud ab illo. Similiter animatum est aliud ab effigiato, quod dicere inconveniens est.

Sunt ergo qui dicunt quod semen illud quod prodiit ex Adam ex quo formatus fuit Cain, nunquam fuit in Adam, quia nunquam fuit pars ejus; sed traducta est ab eo per carnalem concubitum, sicut de grano fit seges, operante natura, et tamen nunquam fuit seges in grano. Unde etiamsi non inde fieret corpus animatum, non rediret ad corpus illud unde traductum est in resurrectione, sed deperiret teste Augustino qui ait (35): « Informes partus quis non proclivius perire arbitretur, sicut semina quæ nondum sunt animata. »

Quæritur autem quomodo filii contrahant originale peccatum a parentibus suis, cum eorum parentes mundati sint ab originali peccato per sacramentum baptismi? Quomodo enim contrahunt ori-

(31) V. Mag. 3, dist. 3

(32) Sensu et verbis hic cum Mag. cohæret 2, dist. 31, § h.

(33) Imo Fulgent. *De fide ad Petrum*, c. 2, in med.

(34) Mag. 2, d. 30, § m.

(35) *Enchirid.*, cap. 87.

ginale peccatum ab eis in quibus ipsum non est? Quod tamen ita sit, ostendit Augustinus duabus similitudinibus (36) : Sicut enim filii nascuntur habentes præputium a parentibus non habentibus præputium, ita filii nascuntur cum originali peccato a parentibus non habentibus originale peccatum; item, sicut triticum est mundatum humana diligentia et a palea et ab arista, et ab eo tamen nascitur triticum cum palea et arista, ita cum parentes mundati sunt ab originali peccato, ab eis nascuntur filii cum originali peccato. His tamen similitudinibus duabus ostendit Augustinus quod ita sit, sed non ostenditur [quod (quomodo)] ita sit. Unde non videtur quæstionem plane absolvisse. Unde et quidam magis urgent quæstionem. Ponatur quod quidam adultus, et quædam adulta per sacramentum baptismi mundentur ab originali peccato, et etiam ab omni actuali mundi sint, et statim legitimo socientur matrimonio. Vir statim habet rem cum uxore sua, et hac etiam intentione ut prolem habeat : iste in actione illa emittit ex se quamdam portionem substantiæ suæ, illa portiuncula immunis est ab omni obnoxietate pœnæ. Nam tota hominis caro ab omni pœnæ obnoxietate libera est. Unde si tunc decederet, tunc non sentiret pœnam, nec in anima, nec in corpore. Licet enim hominis passio in spiritu sit, tamen quædam passio dicitur esse in corpore, quia inest animæ mediante corpore, et caro dicitur obnoxia pœnæ, non quia reatus aliquis insit corpori, vel quia corpus aliquid per se sine anima patiatur, sed quia punitur anima quibusdam passionibus, secundum corpus, quarum nullam potest sine corpore **161** pati etiam in inferno : sicut in præsenti vita patet, nunquam pateretur anima famem nisi per corpus cui est sociata. Unde et separata ab eo non patitur famem cibi corporalis. Cum autem ventum fuerit ad quadragesimum sextum diem, anima ex se munda ei infunditur, et illa conjunctio Deo non displicet (37). Dic ergo unde trahit puer constans ex illis duobus mundissimis originale peccatum? Si autem dicat aliquis quod delectatio illa quam habuit vir in coitu, peccatum fuit et inde traxit peccatum portiuncula inde emanans, non est verum : nam delectatio illa per bona conjugii excusatur. Si etiam delectatio illa esset peccatum, potius redundaret in parentes qui illam delectationem senserunt, quam in illam carunculam quæ nil sensit.

Item, si dicat aliquis illam carunculam cui nondum infusa est anima (de illa enim loquimur) esse obnoxiam pœnæ, posito quod illa caruncula nunquam animabitur, quæritur an redibit in resurrectione ad corpus viri a quo fuit emissa. Quod videtur; nam quidquid est de veritate humanæ naturæ resurget in judicio, quia etiam *capillus de capite non peribit* (*Luc.* XXI). Quod si est, cum vir hoc modo decedat et sit in charitate, corpus ejus in resurrectione glorificabitur. Sed ista caruncula, si ei non infunderetur anima, pars esset in resurrectione illius corporis, et cum illa modo sit obnoxia pœnæ, ergo in resurrectione secundum illam partem anima punietur cæteris partibus corporis impunitis; quod esse non potest. Solutio hujus objectionis patet ex prædictis supra, quia non resurgent semina; vel potest dici quod etiam si sint resurrectura, cum caro hominis qui in charitate decedit sit resurrectura glorificata, illa pars quæ ad hoc corpus in resurrectione redierit glorificata erit, et ita sine corruptione.

(38) Quæritur etiam utrum peccata parentum traducantur in filios, ut peccatum Adæ traducitur in posteros. Quod videtur. Sicut enim omnes homines per seminalem rationem fuerunt in Adam, ita filii in parentibus et ab eis descendunt. Hoc etiam videtur velle Augustinus, dicens (39) : « Pueros pro peccatis parentum obligari pœnæ non solum primorum parentum, sed etiam ipsorum parentum a quibus nascuntur, non irrationabiliter dicitur. » Hic videtur aperte dicere quod pueri obligantur peccatis parentum. Et alibi : « Ea peccata parentum non pertinent ad filios quæ faciunt parentes jam natis filiis. » Quasi diceret : Illa pertinent ad eos in quibus sunt parentes quando eos generant. Præterea legitur in Exodo : *Ego sum Deus zelotes visitans peccata patrum in filios usque in tertiam et quartam generationem* (*Exod.* XX). Quod si hoc dicatur, accidit quod puer quando plures habuit parentes et antecessores, et quanto magis remotus est ab Adam per seriem generationis, tanto magis obligaturus [*obligandus*] est peccatis. Accidit etiam quod infans unius diei magis puniendus est quam pater suus, cum teneatur reus sui originalis peccati, et omnium actualium patris a quo per seminalem rationem descendit.

Ideo dicendum est quod peccata parentum non traducuntur in filios nisi tantum peccatum primi hominis, et quæritur potius illud quam alia, quia omnes materialiter fuerunt in Adam, et ille habuit perfectionem carnis, qua potuit stare. Habuit enim ante peccatum carnem incorruptam, sed omnes ab eo descendentes habuerunt carnem corruptam, nec in aliquo ab eo descendente fuerunt omnes seminaliter, sicut fuerunt in Adam. Quod ergo dixit Augustinus (40) postea retractavit et correxit (40*). Unde et ipse dixit : « Mitissima sane pœna erit his qui originali quod contraxerunt, peccatum non addiderunt. » Hanc enim solam pœnam habebunt quod non fruentur visione Dei, quod est propter maculam originalis peccati. Sicut qui introducendus erat ad regem, nullo alio damnatur, nisi quia eum non videt propter maculam quam contraxit in via, cum in luto se

(36) L. 3, c. 8. *De Baptism. parvul.*, seu *De pecc. merit. et remiss.*
(37) Similia proponebat Augustino Julianus l. II *De nupt.*, etc., c. 28, etc.
(38) *Mag.* 2, d. 33.
(39) *Enchirid.*, c. 46.
(40) *Enchir.*, c. 93, l. I.
(40*) *De pec. mer.*, cap. 15, l. V, contr. Jul., c. 11 etc.

casu præcipitaverit, similiter damnatur parvulus A proprio peccato, sicut et vinum quod in corrupto vase est positum in se habet corruptum saporem, qui tamen **162** ex dolio est contractus.

Quod tamen dictum est, totam posteritatem Adæ ream constitui pro peccato ipsius, caute intelligendum est, ut hæc præpositio, *pro*, notet occasionem, non causam. Nunquid enim peccatum alicujus causa est quare alter puniatur æternaliter? Sed potest esse alii occasio pœnæ. Unde etiam cum dicit Dominus se vindicare peccata parentum in filios, intelligendum est de temporali non de æterna pœna; vel dicitur vindicare peccata patrum in filios, quia imitatores paternæ iniquitatis punit pro peccatis patrum, id est pro propriis peccatis in quibus imitantur patres (41). B Sunt enim non tantum paternæ hæreditatis, sed etiam paternæ iniquitatis hæredes. Et ideo dicit *Peccata patrum in filios*, nominando patres et filios, cum similiter puniat Dominus imitatores iniquitatum extraneorum, quia potius filii solent patres imitari. Ideo autem dicit, *Usque in tertiam et quartam generationem*, quia ad tantum temporis spatium solent patres vivere quos videntes imitantur filii. Nam docti et faciles imitandis temporibus omnes.

Videtur tamen posse ostendi quod peccatum Adæ sit causa quare homo æternaliter damnetur, quia peccatum Adæ est causa quare alius homo puniatur æternaliter cujuslibet corruptionis quam patimur. Ergo et illius corruptionis quæ est in carne, sed illa corruptio est causa illius quæ est in anima C et est originale peccatum. Ergo peccatum Adæ est causa quare alius homo puniatur æternaliter. Si vero dicatur quod originale peccatum quod est in anima, est causa illius corruptionis quæ est in corpore, quod videtur velle Hieronymus super Jeremiam dicens : « Quidquid mali nobis accidi et vitii nostri est; » ergo corruptio animæ naturaliter præcedit corruptionem corporis, cum constet illam corruptionem quæ est in corpore et tempore et natura præcedere illam quæ est in anima. Ad hoc dicendum quod peccatum Adæ est causa corruptionis quæ est in corpore, et corruptio corporis est causa corruptionis animæ, id est originalis peccati, aut pœnæ quæ illi peccato debetur, sicut Deus est causa liberi arbitrii in homine, et liberum arbitrium est causa peccati, D non tamen Deus est causa peccati.

(42) Superest investigare quomodo per baptismum remittatur originale peccatum. Videtur enim quod non remittatur per baptismum. Nam concupiscibilitas manet post baptismum; ergo aut concupiscibitas non est originale peccatum, aut originale peccatum manet post baptismum. Similiter ignorantia manet post baptismum. Ergo aut ipsa non est originale peccatum, aut originale peccatum manet post baptismum. Ergo non deletur in baptismo. Ad hoc dicunt quidam quod ignorantia non est originale peccatum imo actuale; sed hoc dicto difficilior surgit quæstio; videtur enim secundum hoc quod non de omni peccato actuali possit pœnitere quis, quia non de ignorantia. Cum enim ignorantia sit in isto, infinita subjacent ejus ignorantiæ quæ non novit, nec ea potest confiteri. Accidit etiam quod aliquod peccatum actuale transit reatu, et non actu, cum econtrario sit. Hæc enim solet assignari differentia inter peccatum actuale et originale, quia originale transit reatu et non actu; actuale vero transit actu et non reatu, donec per confessionem et pœnitentiam deleatur. Si ergo ignorantia dicatur peccatum actuale, accidet quod peccatum actuale transit reatu et non actu; nam cum iste habeat ignorantiam, pœnitet de illo peccato, et confitetur se ignorantem esse, et magnam habet cordis contritionem et peragit pœnitentiam. Ecce peccatum illud dimissum est reatu, sed manet adhuc : nam iste ignorat adhuc omnia ea quæ prius ignorabat. Sed hæc quæstio supra relicta est sub judice : non enim video quomodo ignorantia non sit originale peccatum sicut et concupiscibilitas, cum et ita dixerunt viri magnæ auctoritatis, quibus tamen modo fere omnes moderni contradicunt : et ideo nec aliquid contra communem omnium opinionem **163** asserere audens, indiscussum illud relinquo.

(43) Illud potius dicendum quod originale peccatum duobus modis remitti dicitur per baptismum. Primum quia carnalis concupiscentia ita attenuatur per baptismum, ut maneat modica et tenuis, nisi quis arma det hosti et concupiscentiæ consentiat; tunc enim est actuale peccatum. Dicitur iterum remitti per baptismum, quia omnino per baptismum deletur reatus ipsius, et post baptismum non est peccatum mortale. Unde dicit Augustinus (44) : « Carnalis concupiscentia per baptismum remittitur non ita ut non sit, sed ut non imputetur pro peccato. Hoc enim est non habere peccatum non esse reum peccati. Quomodo ergo cætera peccata transeunt actu, non reatu, ut homicidium; ita econtrario concupiscentia post baptismum transit reatu et non actu. » Hæc sunt verba Augustini.

(45) Dicitur autem postea, utrum sicut anima purgatur in baptismo ab originali peccato, ita et caro ibi purgetur a fœditate carnis et a corruptione? Dicunt autem quidam quod sicut duo sunt in baptismo, id est aqua et spiritus, ita ibi duo mundantur, scilicet anima et caro; hæc ab originali peccato, illa a corruptione carnis. Alii autem dicunt quod anima tantum purgatur in baptismo et non caro. Quibus objicitur : caro hujus infantis qui modo baptizatur non mundatur per baptismum a fœditate sua : quamdam contrahit fœditatem a carne patris quæ corrupta est; et ex hoc quod descendit ab ea per carnalem concupiscentiam, quamdam contrahit fœditatem. Ergo corruptior est caro præ-

(41) Mag. 2, d. 33.
(42) Mag. 2, d. 32.
(43) Ex Aug., l. 1 *De nupt.*, etc., c. 25.
(44) Aug. sup. c. 26 · sed paulo aliter.
(45) Mag. sup. § c.

in se, et sciebat tunc fuisse peccatum, modo autem nescit esse vel fuisse peccatum. Ergo majus peccatum fuit in eo fornicatio, dum aderat scientia, quam sit, dum adest ignorantia; et ita fornicationis peccatum minoratum est sine contritione et pœnitentia, quod videtur impossibile. Omne enim peccatum ex quo non deletur per pœnitentiam, crescit, nunquam decrescit, quia semper comitem habet contemptum pœnitendi. Imo potest probari **147** quod plus peccat nunc quam prius, quia contemptui fornicationis, qui non est minoratus in eo, similiter adjecit contemptum ignorantiæ. Ergo plus peccat quam prius, quod concedimus. Talis enim ignorantia non potest esse nisi crassa.

Quæritur quoque de illo qui accedens ad ancillam putavit se dormire cum uxore, videtur illa ignorantia eum excusare tunc a mortali peccato; quod non videtur, quia ille concubitus non fuit legitimus; igitur fuit fornicatio; ergo mortale peccatum. E contrario si fuit veniale, cum iste nunc primo sciat se ad ancillam accessisse, videtur quod modo sit mortale, et ita crevit in eo reatus peccati, vel veniale factum est mortale. Ad quod dicendum quod si adhibuit omnem diligentiam quam adhibere potuit, veniale fuit et est; si tamen contemnat de eo pœnitere, ille contemptus est mortale peccatum. Item posito quod iste ignorat fornicationem esse mortale peccatum, et habeat multa peccata mortalia, et incipiat discere quod hoc sit mortale peccatum, po ito quod hoc didicit, non jam ignorat hoc esse peccatum, et ita illa ignorantia quæ erat mortale peccatum in eo, non est in eo, et ita remissum est ei aliquod mortale peccatum sine alio mortali quod erat in eo, et sine contritione et pœnitentia, quod est impossibile. Ad quod dicendum quod adhuc est in eo ignorantia quantum ad reatum. Item, iste sacerdos potest pœnitere de ignorantia. Ponatur: Iste pœnitet de ignorantia quæ est in eo actuale peccatum et conteritur de illa; illa ergo transit actu et reatu; vel si transit reatu et non actu, ipsa est originale peccatum. Nam hæc differentia inter originale et actuale, quia ista transeunt actu et non reatu.

Ob hoc dixerunt viri magnæ auctoritatis non irrationabiliter, ignorantiam esse originale peccatum. Hoc autem ita astruebant: Duo bona erant in anima hominis: cognitio veritatis et amor ejusdem; et unum eorum distinctum est per concupiscentiam mali, alterum per ignorantiam boni. Quare ergo non dicitur ignorantia boni originale peccatum, sicut et concupiscentia mali? Et ita deletur per baptismum, sicut et concupiscentia quantum ad reatum, non quantum ad actum. Item, sicut ire post concupiscentiam (sine qua homo esse non potest) est mortale peccatum, ita ire post

A ignorantiam et ignorare necessaria ad salutem (cum tamen possint hæc plene sciri) est mortale peccatum. Dicunt ergo qui in hac opinione non sunt, quod de ignorantia potest iste indiscretus sacerdos pœnitere, et desinit esse in eo quantum ad reatum, nec ideo aliquid incipit scire, vel aliquid desinit ignorare, sicut iste litteratus qui est in mortali peccato non habet donum scientiæ quod est Spiritus sancti, quia sic haberet charitatem, et cum incipiet habere per contritionem non incipiet aliquid scire. Utrum tamen possit manere indiscretus sacerdos in executione officii, et postquam pœnituerit de ignorantia, non asserimus, cum dicat Augustinus super quadragesimum psalmum: « Non recte psallit quid quod psallit non intelligit. »

B (84) Solet quæri utrum eadem sit ignorantia qua iste ignorat astra esse paria, et legem Evangelii? quod non videtur, quia ista est mortale peccatum, illa non; quod si alia, eadem ratione, tot ignorantiæ quot ignorata, et tot scientiæ quot scita, tot fides quod credita: sed hæc inquirere magis est curiositatis, quam utilitatis. Ex prædictis patet quod actus illi qui fiunt ignoranter, ex voluntate sunt, similiter et illi qui fiunt ex necessitate ut primi motus; de quibus post dicemus.

CAPUT XVI.

Verum omnis actio ex intentione et fine pensetur.

(85) Transeundum est igitur ad tertium eorum quæ præhabita sunt capitula, quod fuit, utrum omnis C actio ex intentione et fine penselur, id est, utrum dicatur actio bona vel mala secundum intentionem et finem? Quidam dicunt quod omnis **148** actus naturaliter bonus est, sed tamen proprie debet dici indifferens usque dum ex fine bonus esse vel malus judicetur. Ait enim Ambrosius in libro *De officiis* (86): Affectus tuus operi tuo nomen imponit. » Et Augustinus (87): « Opus bonum intentio facit, intentionem fides dirigit, non multum attendas quid homo faciat, sed cum facit quid facere intendat, quo lacertos optimæ gubernationis dirigat. » Alii dicunt actuum alios esse bonos, alios malos, alios indifferentes. Actus quos constat esse bonos vel malos non judicantur ex fine boni vel mali, sed illi tantum qui nec simpliciter boni, nec simpliciter D mali sunt, sed indifferentes ex fine pensantur. Mali vero bono fine fieri non possunt, nec boni malo, et inducunt, hanc auctoritatem (88): « Servilis timor non est in charitate; in quo si bonus fiat, non tamen bene, id est bono fine. » Quod ergo dicit Ambrosius: « Affectus tuus operi tuo nomen imponit. » Et Augustinus: « Bonum opus intentio facit, » etc., retorquent ad actus indifferentes; hujusmodi enim actibus affectus nomen imponit.

(84) *V.* Aug., lib. I *Retract.*, cap. 15: Qui peccat ignorans, voluntate utique facit, etc. Et qui concupiscit adversus spiritum carne, non ea quæ vult facit, concupiscit quidem nolens, et in eo non facit quod vult; sed si vincitur, concupiscentiæ consentit volens, et in eo non facit nisi quod vult.

(85) Mag., II, d. 40.
(86) *Officiorum* lib. I, c. 30.
(87) Aug. *Præfat.* in Psal. XXXI.
(88) Sic apud Mag. hic, ex August. tract. 9, super I Joan. Ep.; sed non exstat eo loci apud August. illa sententia.

(89) Augustinus tamen aliter videtur velle. Dicit enim quod actus boni et actus mali indifferenter pensantur ex voluntate et fine : finis enim voluntatem, voluntas actionem informat : illos enim actus quos constans est esse malos non judicat bonos vel malos ex fine, quia ex se mali sunt. Licet enim interdum judicantur fieri bono fine, tamen in eis, nec ex fine voluntas est mala, nec ex voluntate actio fit mala, sed ex actione voluntas fit prava, quia talis actio nulla bona voluntate potest fieri. Inter quas actiones quidam ponunt actum Judæorum quos bonum finem dicunt sibi posuisse Christum crucifigendo, et tamen eorum actionem perversam et voluntatem malam fuisse certum est. Unde ipse dicit (90) : « Ea quæ constat esse peccata nullo bono causæ obtentu nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione sunt facienda ; » et paulo post : « (91) Quod facinus non dicatur recte posse fieri, non impune tantum, verum etiam gloriose ut in eo non timeatur supplicium, sed speretur et præmium; si semel concesserimus in malis actibus non quid fiat, sed quare fiat esse requirendum, ut quæcunque, pro causis bonis fiunt, nec ipsa esse mala judicentur. » De bonis autem et de indifferentibus actionibus nulla fit exceptio secundum Augustinum, quin ex fine voluntas, et ex voluntate actio bona vel mala judicetur : ideoque, cum ex affectu dicitur nomen operi imponi in bonis et indifferentibus actionibus, vera est regula. In malis autem excipiuntur ea quæ per se mala sunt, quæ potius voluntatem faciant malam, quam ex voluntate fiant mala.

(92) Pro regula igitur collige omnia hominis opera secundum finem et voluntatem judicari mala vel bona, exceptis his quæ sine prævaricatione fieri nequeunt. Quæ tamen non ideo excipi ab Augustino dicunt quod nunquam bonam voluntatem, aut bonum finem habeant, semper enim fiunt malo fine et mala voluntate, sed quia videntur habere bonum finem. Qui enim aliena furatur ut patrem alat, bono fine facere videtur, scilicet causa alendi patris. Non tamen hic est finis, nam iste bonus est. Sed hujus actionis alere patrem ex furtis, quem finem constat esse malum. Qui enim de rapina sacrificium Deo offert, idem facit ac si filium in conspectu patris victimet (93). Et Isaias : *Ego sum Dominus diligens judicium, et odio habens rapinam in holocaustum* (*Isai.* LXI). Non enim accepit Dominus mercedem canis aut prostibuli, sicut in lege continetur (*Deut.* XXIII). Unde et dicunt Augustinum supra caute fuisse locutum, cum dixit (94) : « Quasi bono fine, velut bona intentione. » Non enim simpliciter dixit, *bono fine, bona intentione;* sed addi- A dit, *quasi* et *velut*, quia talia non fiunt bono fine, sed fine qui putatur bonus, et non est. Ex hoc jam patet quod qui pecuniam male acquisitam pauperibus erogat, ex hoc ipso peccat.

Sed contra objicitur sic : Iste quod male acquisivit dat hoc Ecclesiæ, et orat eam ut impetret ei primam gratiam. Ecclesia illa tenetur orare pro eo, et orando impetrat primam gratiam. Iste meruit ab ista Ecclesia ut **149** oraret pro illo : ergo illa datio fuit ei meritoria. Ergo non fuit mortale peccatum in eo. Item, ex naturali pietate, de eo quod male acquisivit, viscera indigentis reficit et qui tantum indigebat, quod nisi ei succurreret, statim ille deficeret. Ergo illud opus bonum fuit, vel saltem meritorium temporalis boni. Item, nisi illum cibasset B in articulo mortis, mortaliter peccasset. Ergo quia illum cibavit de pecunia male acquisita, non peccavit. Item, posito quod iste habeat viginti solidos, quorum decem habuit ex usura, alios decem de bono lucro; certum est quod, dum est in mortali peccato, de illis quos bene acquisivit potest facere eleemosynam, quæ licet non sit ei ad meritum vitæ æternæ, valet tamen ad bonum temporale habendum, vel ad mitigationem pœnæ gehennalis, si tunc decederet, et illis aliis decem quos male acquisivit non potest facere opus quod sit ei meritorium alicujus boni, imo etiamsi alii indigenti ex naturali pietate det, et ex hoc ipso mortaliter peccat quod alienam rem nemini dare licite potest, etiamsi totum det quod habet, auget peccatum, non minuit C reatum, ut dicit Augustinus (95). Quæritur ergo an istos viginti solidos, quos permiscuit nec separare potest, possit dare licite, ita quod illa datio sit ei meritoria alicujus boni temporalis, et ita non sit in eo mortale peccatum.

Ad hoc dicendum quod *modicum fermenti totam massam corrumpit* (*I Cor.* v), nec potest iste mereri aliquod bonum, illud dando, imo ex ipso peccat quod alii dat quod suum non est, sicut si tibi auferam cappam ut dem algenti, pecco : non possum istud facere ex naturali pietate, quia ipsa naturalis pietas repugnat, cum huic aufero ut alii dem. Nec etiam dico quin peccem si retineam, quia tunc etiam magis pecco : « Pejus est enim concupiscendo quam miserendo rapere (96). » Horum enim D duorum non ideo bonum est alterum quia pejus est eo reliquum, licet levius unum, cum gravius alterum. Nec tenetur Ecclesia illa quæ ab isto accepit pecuniam, pro eo orare, quia nec recipere debet, si sciat male acquisitam. Quod si nescierit unde ille acquisierit, tenetur quidem orare; sed oratio illius impeditur propter mala merita illius.

Si objicitur de Phinees qui transfixit Judæum et

(89) Vide librum contra Mendac. in cap. 7, etc.

(90) Cap. 7, contra mend.

(91) Ibid., sed verbis tum mutatis, cum detractis.

(92) V. Mag. hic, § c.

(93) *Eccli.* XXXIV. *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.*

(94) Mag. hic, § d.

(95) Serm. 15, in *Appendice* de diversis. Etiamsi totum tribuat quod abstulerit, addit potius peccata sua quam minuat.

(96) Aug, c. 8, l. contr. *Mend.* (Pejor est enim qui concupiscendo quam qui miserendo furatur.)

Madianitidem, quod opus fuit de illis operibus quæ A sine prævaricatione fieri nequeunt, dici potest quod illud opus bonum fuit, quia inspiratione divina et zelo justitiæ Dei hoc fecit; et ideo non solum in illo opere non peccavit, sed vitam æternam promeruit. Nullum enim opus adeo malum est in se, quod si faciat homo ex præcepto Dei, vel inspiratione Spiritus sancti, et, ut ei a Deo præcipitur, quod non bonum faciat; Deus enim super omnem legem et omne præceptum. Unde, si in aliquo videatur Dei præceptum a lege dissentire, potius datori legis quam legi datæ obtemperandum.

Sed objicitur hic de Maria Magdalene, quæ de eo quod male acquisivit, emit unguentum et Domini pedes unxit, scientis tamen illud unguentum male ab ea comparatum. Ideo inter male acquisita di- B stinguunt: Dicunt enim quia quod mulier proprii corporis expositione acquisivit, suum est, licet in peccatis comparatum; et si inde pœniteat, eleemosynam facere potest: sed quod de usura habetur, rapina est; nec illius qui acquirit, imo tenetur ei reddere a quo habuit; nec etiam cum reddit ex charitate (licet mereatur ob hoc), eleemosynam facere dicitur. Non ideo tamen illud dicimus quod sit constans Mariam illud unguentum de lucro corporis sui emisse, cum patrimonium (97), unde emere potuit, habuit. Si quis igitur finem actionis vocet intentionem, verum est quod omnis actio ex fine judicatur bona vel mala, et omnis actio bona est cujus intentio bona est, et convertitur. Similiter omnis actio mala cujus intentio mala, et econtrario: C nam intentio comprehendit voluntatem et finem, ut supra satis evidenter distinximus inter voluntatem et finem et intentionem. Non omnis actio ex fine judicatur, sed **150** illa sola quæ bona est in se, vel indifferens. Ergo, si jactantiæ causa pascitur pauper, illa actio mala est quia malus finis; et ex hoc ipso peccat homo, et maledictioni subjacet. Sicut dicit Jeremias: *Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter* (*Jer.* XLVIII). Quod exponens Gregorius, ait (98), fraudem illam committi, vel pro temporalis rei præmio, vel pro laudis verbo, vel pro judicii humani gratia. « Solus enim in opere Dei fraudem non facit qui cum ad studia bonæ actionis vigilat, nec ad corporalis rei præmia, nec ad laudis D verba, nec ad humanam judicii gratiam anhelat: verenda enim sunt opera, testante beato Job, ne bona nostra latrocinanti fraude nostris actibus terrenæ concupiscentiæ se ingerant. » Nec tamen dicimus semper eum mortaliter peccare qui laudem temporalem diligit, nec eum qui ad hæc principaliter tendit. Dominus enim pulverem de pedibus excutere jubet (*Matth.* X; *Marc.* VI; *Luc.* IX). Sed dicit aliquis, si pascere pauperem causa inanis gloriæ est mortale peccatum, ergo non remuneratur temporali præmio: cui contrarium videtur quod Dominus dicit de hypocritis: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* (*Matth.* VI). Sed hoc dictum est ironice, quia hæc erat merces quam quærebant, et hanc jam receperunt.

Sed et iterum objicitur, posito quod iste discat divinam paginam ut postea impugnet, postea resipiscet, et sicut Catholicus prædicabit. Iste ex charitate pœnitebit cujuslibet peccati sui: ergo de exercitio quod modo habet in studio, quia peccatum est in eo mortale propter malam intentionem: ergo volet se non didicisse; ergo placebit ei quod didicit, illud discere est mortale peccatum: ergo placebit ei quod mortaliter peccavit. Item, posito quod addiscit bono fine, postea apostatat: *Melius est viam veritatis non agnoscere quam post agnitam retro ire* (*II Petr.* II). Iste scit agnitionem veritatis esse sibi acervum majoris damnationis: ergo dolere debet de eo quod veritatem agnovit et didicit. Ad hoc dicendum quod non debet dolere quia didicit, sed quia tali fine didicit, et quia apostatavit, sicut qui charitatem habuit, non quia habuit, sed quia amisit.

(99) Item, cum sit dictum omnem actionem bonam ex bono fine fieri bonam, quæritur an hoc generaliter sit verum? Si enim ita est cum iste qui est in mortali peccato de pecunia bene acquisita eleemosynam dat hac intentione ut reficiat indigentem, etiam propter Deum, bonum opus videtur facere, et ita qui est in mortali peccato bona opera facit. Quod etiam Augustinus confirmat sic (100): « Servilis timor non est in charitate, in quo si fiat bonum, non tamen bene. » Quod etiam super illum locum psalmi (1): *Passer invenit sibi domum, et turtur nidum ubi reponat pullos suos.* Dicit quod infideles bona opera faciunt, sed non in nido Ecclesiæ, id est in fide, et ideo conculcantur pulli eorum. Quibus tamen contradicere videtur quod dicitur: *Omne quod non est ex fide, peccatum est* (*Rom.* XIV); tota vita infidelium peccatum est (2). Et David: *Omnia opera ejus in fide* (*Psal.* XXXII). Et Jacobus: *Qui in uno offendit reus est omnium* (*Jac.* II). Et Augustinus (3): « Si quid ita fit quod ad charitatem, quæ est dilectio Dei et proximi, non referatur, nondum fit quemadmodum oportet fieri, et si fieri videatur. »

(4) Hæc omnia de facili ad concordiam revocantur, si dicatur omne opus quod fit ductu pietatis, a quocunque fiat, bonum esse. Sed bonum multis modis dicitur, pro utili, pro remunerabili, pro signo boni, pro spe boni, pro licito, et forte aliis modis, nullumque opus bonum, id est vitæ æternæ meritorium, nisi quod sit ex charitate: sed non

(97) Et hoc de pia muliere certo certius credendum.
(98) Lib. IX, in c. 9, Job c. XVII, circa med., sed verbis quibusdam immutatis.
(99) Mag. 2, d. 41.
(100) V. Psal. CXXVII, ser. 13. *De verb.* cap. 41, in Joan, etc.
(1) Psalm. LXXXIII, hæc. Aug. sed aliis verbis.
(2) Hæc in l. *Sent.* Prosperi. Sent. 106.
(3) Aug., *Enchirid.*, cap. 121 et ult. Vide sub finem præfat. in ps. XXXI
(4) Mag. sup., § c.

solum opus illud bonum est. Nam si quis infidelis inopiam indigentis relevaverit, bonum facit, id est signum boni, et remuneratur illud opus temporali præmio. Illud tamen opus quod fit de genere bonorum, et ab aliquo fit malo fine, bonum est, id est si fieret in charitate bonum esset, tamen malum est ex affectu et etiam de genere malorum, ut reficere pauperem causa inanis gloriæ. Vel secundum illos qui, tripartito dividentes actus, dicunt bona opera non posse fieri malo fine, sicut nec mala bono, potest dici quod bona **151** sunt illa opera, id est de genere bonorum, tamen mala dicuntur, propter eos qui ea faciunt qui mali sunt et ex hoc ipso peccant.

CAPUT XVII.

Utrum diversi sint et oppositi fines bonarum voluntatum sicut et malarum? ubi determinatur, an sit serviendum Deo pro temporalibus.

De quatuor prænotatis capitulis, quartum quod restat, prosequendum, utrum scilicet bonæ voluntates diversos et oppositos fines habeant? quod videtur: iste enim laudat sive diligit Deum pro temporalibus, et Deum laudat propter Deum: ecce bona est voluntas istius, et isti fines diversi sunt; ergo bona voluntas diversos fines habet. Quod tamen Deus diligendus non sit propter temporalia, ita ostenditur indirecte: Iste diligit Deum pro temporalibus; ergo non diligit eum gratis. Item legitur in Job Satan dixisse, Job non diligit Deum gratis; habet enim temporalia (*Job* I). Item: « Qui Deum laudat pro divitiis, petit ut divitiæ ad ipsum veniant non ut Deus. » Hoc dicit Augustinus (5). Item, ille diligit Deum pro temporalibus, non dulia: ergo latria gratis, et ita diligit Deum gratis et non gratis. Item Salomon ait: *Divitias et paupertatem ne dederis mihi, Deus* (*Prov.* XXX). Et Augustinus (6): « In veritate Deum invocat qui eum propter se, non propter aliud invocat. » Sed qui propter divitias eum invocat, propter aliud quam propter se illum invocat. Ergo qui propter divitias eum invocat non in veritate eum invocat, et ita propter divitias non est invocandus.

(7) Quod autem Deus diligendus pro temporalibus, et orandus, et laudandus sit, ostenditur. Deus laudandus est pro universis beneficiis suis: ergo pro temporalibus. Item, iste non agit gratias Deo pro temporalibus a Deo sibi collatis: ergo est ingratus. Item, divitiæ licite possunt haberi: ergo licite possunt peti. Item, nemo absque necessariis corpori jugiter et libere potest servire, sed nemo absque temporalibus potest habere necessaria corpori: ergo nemo absque temporalibus potest Deo servire: ergo temporalia petenda sunt, et ita Deus orandus est pro temporalibus. Item legitur quod Jeremias mittebat epistolas suas Hebræis qui erant in captivitate, ut orarent pro pace principis, quia in ejus pace eorum pendebat liberatio; et ita pro

A pellenda tribulatione petendum est. Præterea, ecclesia quotidie orat pro pace, pro frugibus et hujusmodi temporalibus.

Super hoc nobis videtur quod Deus laudandus, diligendus, orandus est pro temporalibus. Sed caute intellige hanc propositionem: potest enim notare finem finalem, et finem qui ad alium tendit. Si finem finalem, falsum est; si finem qui ad alium tendit, verum est. Sic cum dicitur: Iste optat medicum propter potionem, si *propter* notet finem finalem, falsum est: finaliter enim eum optat propter sanitatem. Si *propter* notet finem qui ad alium tendit, verum est. Itaque Deus diligendus est pro temporalibus, ut scilicet per bona temporalia eum acquiramus, et non propter se, sed propter

B Deum, ut non in eis finem ponamus, ut non ibi stemus, sed in eis meditantibus, Deum, qui finis est finalis, diligamus. Quod ergo primo dictum est: Iste laudat Deum pro temporalibus, non ergo gratis. Fallacia. Iste salvatur pro meritis suis, non ergo gratis, falsum est; quia meritum non excludit gratiam, vel e converso. Quod postea dicitur Satan dixisse: *Job non diligit Deum gratis* (*Job* I), habet enim temporalia, non est verum. Imo tunc diligebat eum gratis, quod postea probatum est, quando amissis omnibus, corpus ejus ita ulceratum est quod etiam scaturiebant vermes de corpore ejus. Cæteræ vero rationes quas induximus, solvuntur de facili, distincta multiplicitate hujus præpositionis, *pro*.

C Sed huic solutioni videtur obviare Augustinus, dicens: *Ne constituatis* **152** *vobis duos fines ut regnum petatis propter se, temporalia propter illud, nec solam, vel etiam cum eo temporalem mercedem.* Ecce hic videtur ostendere quod per se temporalia non sunt appetenda, nec etiam regnum propter regnum. Illam autem auctoritatem sic exponimus: Ne statuatis vobis duos fines, id est oppositos. Isti autem fines, scilicet diligere Deum propter temporalia, et propter se, non sunt oppositi fines, quoniam hoc est propter illud: postea supplendum est, sed unum scilicet ut petatis regnum propter se, et temporalia propter illud. Omnia enim propter regnum petenda sunt: quod qui facit non sibi duos

D fines constituit. Quod postea sequitur, propter regnum tantum debemus omnia operari, non solum vel cum regno Dei temporale meditari .... non est. Nec enim hæc duo tanquam duos fines debemus proponere nobis, sed unum propter alterum.

Cum igitur et æterna et temporalia petenda sint, et tamen hæc propter illa, sciendum est quod temporalia aliter petenda sunt quam æterna. Debemus enim æterna petere secure, aperta fronte, quoniam omnibus patet ea nobis esse necessaria. Temporalia autem non debemus ita aperte petere, sed cum quadam conditione, ut si dicam: *Deus omnipo-*

(5) Aug. in Psal. LII: Qui invocat Deum ut dives fiat, Deum non invocat: hoc enim invocat quod ad se vult venire. Vide seqq.

(6) Vide etiam quæ habet in Psal. LIII, in fine, et in Psal. LV et CXLIV sub finem.

(7) Vide Aug. sup

tens, da mihi hæc et hæc, si scis ea mihi esse utilia. Et quod ita debeamus exemplo Christi qui dixit : *Pater, si fieri potest transeat a me calix iste* (*Matth.* XXVI; *Marc.* XIV; *Luc.* XX). Non dixit simpliciter *transeat*, sed, *si fieri potest;* et etiam subjunxit : *Verumtamen non sicut ego volo sed sicut tu vis, fiat voluntas tua* (*ibid.*). Similiter beatus Martinus, cum propter utilitatem fratrum clamantium : « Cur nos, Pater, deseris, aut cui nos desolatos relinquis? » peteret se vivere, non ita aperte petiit, sed cum determinatione tali : « Si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua. » Ad Christi et Martini exemplum petamus temporalia. Solent quidam circa hanc quæstionem quasdam incongruas comparationes formare. Utrum scilicet Deus æque laudandus sit pro temporalibus et æternis, et æque orandus pro illis : quod quoties audieris, incongruitatis argue locutionem, sicut si dicatur : Iste æque cito vadit Papiam ac Romam, et iste æque desiderat medicum et sanitatem, vel vinum et saporem vini.

Item, videtur aliqua voluntas non solum diversos sed etiam adversos fines habere, ut, iste peccat et peccare vult, quoniam delectatur in peccato suo, et quoniam scit misericordiam Dei tantam esse, quod ipsa sufficit ad omnium peccatorum deletionem. Ecce duos fines proponit iste quorum uterque malus est, quoniam delectari in peccato malum est, et etiam ita confidere in Dei misericordia, peccatum est, ut scilicet propter nimiam confidentiam peccare non timeamus : hoc enim est peccare in Spiritum sanctum, et nunquam hujusmodi peccatum remittetur (8). Unde : *Qui peccat in Spiritum sanctum, nec in hoc sæculo, neque in futuro remittetur ei* (*Luc.* XII). Et Joannes : *Est peccatum ad mortem, non pro eo dico ut quis oret* (*I Joan.* V). Et : *Maledictus omnis qui peccat in spe.* Unde videndum est quid sit peccatum in Spiritum sanctum, prius tamen ostenso quot sint ejus species quæ sunt duo, obstinatio et impugnatio veritatis. *Obstinatio est induratæ in malitia mentis pertinacia, qua fit homo impœnitens.* Obstinationis autem duæ sunt species, desperatio et præsumptio. Desperatio est *qua aliquis diffidit de Dei misericordia, æstimans peccati magnitudinem divinæ bonitatis excedere quantitatem.* Præsumptio est *qua aliquis misericordia Dei abutens, et in ejus bonitate ultra quam satis est confidens, Dei justitiam evacuare contendit.*

Dicitur autem tam præsumptio quam desperatio peccatum in Spiritum sanctum, et non sine ratione. In desperatione enim æstimat aliquis magnitudinem peccati excedere quantitatem bonitatis Dei, et ita diminuit quantitatem bonitatis, quantum in se est, ut qui dicebat : *Major est iniquitas mea quam ut veniam merear* (*Genes.* IV). Bonitas autem Dei proprie et principaliter **153** dicitur

A Spiritus sanctus, sicut amor Patris et Filii proprie dicitur Spiritus sanctus. Similiter autem in præsumptione est abusio misericordiæ et bonitatis Dei quantum in homine est, in hoc quod aliquis nimis in ea confidit, et præsumit ipsum dimittere omnia peccata impunita, quod libertatem dando in occasionem carnis, licentiam det peccandi. Quod qui facit quantum in se est, justum eum non esse contendit. Notandum tamen (9) quod qui ita peccat, similiter peccat in Patrem et Filium sicut in Spiritum sanctum. Communis est enim offensa trium personarum, secundum appropriationem nominis et non rei dicitur peccare in Spiritum sanctum, quoniam peccat in bonitatem Dei cujus nomen, et non res, appropriatur Spiritui sancto, cum Pater et Filius et Spiritus sanctus sint una bonitas.

B Quæritur autem utrum omnis desperatio vel præsumptio sit peccatum in Spiritum sanctum? quod quidam dicunt, et tale peccatum ideo dicitur irremissibile, non quia non possit remitti, sed quia non de facili; potest enim remitti per pœnitentiam. Unde : *Convertam eos in profundum maris* (*Psal.* LXVII); et alibi : *Mittit crystallum suam sicut buccellas* (*Psal.* CXLVII); et alibi : *Qui eduxit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulcris* (*Psal.* LXVII). (10) Sunt autem alii qui dicunt quod non omnis præsumptio vel desperatio est peccatum in Spiritum sanctum, nisi illa scilicet quam comitatur impœnitentia finalis, id est de qua

C nunquam aliquis pœnitebit; et secundum istos tale peccatum irremissibile dicitur, quia non remittitur. Nunquam enim pœnitebit aliquis de eo, semper enim comitabitur hoc peccatum impœnitentia finali. Sed quæritur ab eis, cum nemo, ut ipsi dicunt, de tali impœnitentia pœnitebit, utrum de eo poterit pœnitere. Quod si dicatur sic, contra : De hac impœnitentia nemo poterit pœnitere. Ergo ipsa nunquam poterit remitti, cum ipsa peccatum sit. Quod de impœnitentia finali nemo poterit pœnitere, probari potest indirecte; iste pœnitebit de impœnitentia finali, ponatur. Ergo desinet eam habere. Ergo eam habebit. Ergo erit pertinax usque ad finem vitæ. Ergo de nullo peccato pœnitebit. Non ergo de impœnitentia finali pœnitebit. Item si de impœnitentia finali

D pœnitebit, de nullo peccato pœnitebit. Eam habebit usque ad finem vitæ, et si eam habebit usque ad finem vitæ, de nullo peccato pœnitebit. Ergo si iste de impœnitentia pœnitebit, de nullo peccato pœnitebit, sed in contrarium. Si de impœnitentia pœnitebit, de hoc peccato pœnitebit. Ergo si de impœnitentia pœnitebit, de aliquo peccato pœnitebit. Et ita videtur posse ostendi quod nullus de impœnitentia finali possit pœnitere.

In contrarium tamen sic. Aliquis potest pœnitere plene et perfecte de aliquo peccato; sed non potest perfecte pœnitere de uno quin pœniteat de omni.

(8) Mag. 2, d. 43.
(9) V. Ambros., l. I *de Spiritu S.* c. 3 in fin.

(10) Vide Aug. *Exposit.* ad hæc loca ad quæ alludit auctor.

Ergo potest pœnitere de impœnitentia finali. Item, nemo damnatur nisi quia non pœnitet. Ergo nemo damnatur nisi propter impœnitentiam finalem. Ergo nemo damnatur, nisi quia peccat in Spiritum sanctum: quod falsum est. Si dicat iterum quod aliquis potest pœnitere de impœnitentia finali, quæritur, quando? Aut enim post mortem, aut ultimo momento vitæ suæ, aut ante ultimum momentum: sed certum est quod post mortem non est locus pœnitendi. Si vero ultimo momento vitæ suæ pœnitebit, ergo illa impœnitentia non est finalis. Et si ante ultimum momentum pœnituerit, ergo multo minus erit finalis. Et ita nunquam poterit aliquis de hoc pœnitere.

Dicunt quidam quod nemo potest pœnitere de impœnitentia finali. Hoc enim verbum duo notat, scilicet quod iste habuit impœnitentiam finalem, et quod eam desinit habere, sed hoc est impossibile, maxime cum sit victurus adhuc; sic enim non esset finalis. Sicut hoc verbum *incipere* duo notat, cum dicitur: *Deus potest incipere prædestinare istum.* Notat enim quod Deus prædestinat istum, et non prius prædestinavit istum: quod falsum est. Nullum enim prædestinat quem non prædestinaverit ab æterno. **154** Sic ergo dicunt quod iste non potest pœnitere de impœnitentia finali: potest quidem facere ut eam non admittat, sed non potest facere ut eam amittat.

Sed eis objicitur: Iste non potest pœnitere de impœnitentia finali. Ergo non est ei imputandum pro peccato. Sed ipsi instant hoc modo: Diabolus non potest pœnitere. Ergo peccata sua non sunt ei imputanda. Si quis autem attentius inspiciat, videbit quoniam potest quis pœnitere de impœnitentia finali sub hoc sensu, id est de impœnitentia quæ est finalis, non de impœnitentia quæ finalis esset, si iste pœniteret. Sic dicitur quod nigredo erit in albo, id est in eo quod erit album, non in albo quod simul sit album et nigrum. Ponatur quod iste vivet usque ad A, et tunc morietur, post A vero sequetur B et C: quæ sunt duo momenta. Iste potest esse victurus in B, quia licet sit moriturus in A tamen posset vita ejus protelari usque in B et C. Sic ergo iste potest esse victurus in B, vel ita ille potest esse in B. Liceat modo fingere tale participium, potest esse *pœniturus* in B, de hac impœnitentia quam desinet habere ante B. Ergo potest esse pœniturus de ipsa impœnitentia finali, id est quæ est in eo, vel quæ erit in eo finalis, non de impœnitentia finali, id est quæ tunc esset finalis si pœniteret; et assignant hic compositionem et divisionem, sicut si dicatur, iste potest videre oculis clausis, id est oculis qui sunt clausi, per divisionem verum est; si oculis clausis, id est quod simul sint clausi et videant, per compositionem, falsum. Si tamen ex parte subjecti dicatur oculis clausis potest iste videre, magis est sensus divisionis et verum est, ita etiam de impœnitentia finali potest iste pœnitere: sed si pœniteat jam non erit finalis: et ideo his positis in prædicato magis erit sensus: compositionis; et falsitati propinqua est locutio.

Alii probabilius et verius, ut mihi videtur, tradunt quod impœnitentia incongrue dicitur per se, sed in re furti, vel homicidii vel aliquid tale, quia relative dicitur, et talis junctura tantum potest removere, ut sit hic sensus. *Furtum de quo aliquis non pœnitet:* et tunc non est peccatum in Spiritum sanctum. Potest etiam ponere et removere, ut sit sensus, *Impœnitentia furti*, id est furtum de quo quis (11) non proponit non pœnitere; et tale propositum est peccatum in Spiritum sanctum, de quo quis potest pœnitere, licet difficillime. Ita etiam dicunt de perseverantia, ut post explicabitur in *Tractatu virtutum.*

(12) Exsecuta igitur priori specie peccati in Spiritum sanctum, revertendum est ad alteram quæ dicitur impugnatio veritatis, de qua sic ait Augustinus (13): « Peccatum in Spiritum sanctum est cum, post agnitionem Dei per gratiam Christi, oppugnat aliquis fraternitatem, et adversus gratiam qua reconciliatus est Deo, invidentiæ facibus agitatur. » Hoc tamen non intelligitur nisi quando comes est impœnitentia, id est propositum non pœnitendi. (14) Unde et pro quolibet in via est orandum, non enim (nisi miraculose fuerit alicui revelatum) in via potest sciri quis peccet in Spiritum sanctum. Unde et quod dicit Joannes: *Est peccatum ad mortem*, etc. (*I Joan.* v), intelligendum est de illis qui jam decesserunt in infidelitate, pro quibus non orat Ecclesia. Orat tamen pro eis dum vivunt et adhuc mereri possunt, ut pro Judæis et pro paganis. (15) Consistit autem hoc peccatum in veritatis oppugnatione et in invidia fraternitatis, et dicitur hoc peccatum irremissibile, non quia non possit remitti, sed quia tanta est labes hujus peccati quod non permittit homini etiam descendere ad humilitatem pœnitendi. Unde cum Judas agnovisset se ita peccasse et veritatem impugnando, et fraternitati et consortio Christi invidendo, et dixisset: *Peccavi tradens sanguinem justum* (*Matth.* XXVII), citius cucurrit ad laqueum quam ad pœnitentiam, vel contritionis gemitum, citius ad suscipiendam pœnam, quam ad deprecandum veniam.

Cum autem dictum sit quod prædicta sunt peccata in Spiritum sanctum, si adsit obstinatio, ut homicidium et adulterium (16), quod tamen non est verum, quia illud peccatum specialiter dicitur in Spiritum sanctum, **155** quod fit contra bonitatem Dei. Peccat enim homo tribus modis, per infirmitatem, per ignorantiam, per industriam. Qui autem per infir-

(11) Videtur hæc negatio delenda.
(12) Mag. hic, § C.
(13) Lib. I *De ser. Dom. in monte*, non longe a fin.
(14) V. Aug., ser. 11. *De Verbi. Dom.*, post med.
(15) Alludit ad ea quæ habet Aug. l. I *De serm. Dom. in monte*, sub fin.
(16) Hic quædam desiderari videntur.

mitatem peccat, in Patrem dicitur peccare, quia Patri attribuitur potentia nomine, cum tamen et re conveniat tribus personis. Qui peccat per ignorantiam, in Filium dicitur peccare, quia Filio sapientia attribuitur nomine et non re. Qui per industriam peccat, in Spiritum sanctum dicitur peccare; eo quod bonitas solet appropriari Spiritui sancto, et qui ex industria peccat, ex malitia hoc facit. Sciendum tamen quod indivisa offensa trium personarum, sed propter prædictam considerationem solent fieri hujusmodi appropriationes et species peccatorum.

CAPUT XVIII.

De peccato Adæ, ubi quæritur utrum plus peccaverit Adam quam Eva.

(17) Executis quatuor supra notatis capitulis diligenter, prout rei difficultas et ingenii nostri facultas sufficiebat, scilicet unde actuale peccatum habeat originem, et in qua re sit, et quid ipsum sit et quantæ sint differentiæ peccatorum actualium, transeundum est ad peccatum originale de quo prius fuisset agendum, nisi alia ratio præponderans hunc ordinem nos permutare coegisset. Sed quia originale peccatum trahitur ex corruptione carnis, cujus causa fuit primum peccatum actuale Adæ, de illo peccato nos expediamus, ut tandem ad originale redeamus.

(18) Circa illud primo occurrit quæstio, utrum peccatum illud habuit originem et utrum ut vellet Augustinus quod præcessit in eo quædam elatio: ait enim (19): « In primo homine præcessit quædam elatio comprimenda. » Sed secundum hoc præmittitur illa solutio (20), qua peccatum Luciferi dicitur irremediabile, et peccatum Adæ dicitur remediabile. Ideo enim dicebatur peccatum Luciferi irremediabile, quoniam ipse peccavit ex propria et innata malitia, scilicet ex superbia, nulla præcedente tentatione exteriori. Hominis vero peccatum ideo dicebatur remediabile, quoniam illud peccatum habuit originem a tentatione præcedente. Ad quod dicendum quod tentatio elationem, elatio opus præcessit, et ita opus habuit originem ab elatione, sed prius a tentatione: fuit enim in utroque parente elatio, sed major fuit in Eva quam in Adam. Nam cum diabolus dixisset: *Eritis sicut dii, scientes bonum et malum* (*Gen.* III), ipsa putavit se posse esse æqualem Deo. Adam quia sapientissimus erat, nunquam putavit se posse esse æqualem Deo, et ita non fuit in eo seductus, in quo mulier: propter quod Apostolus dicit eum non seductum (*I Tim.* II). In hoc tamen seductus fuit quod putavit veniale sibi esse quod erat mortale; nec tamen prior seductus, nec in eo in quo mulier. Ideoque non tanta in eo præcessit elatio quanta in muliere (21): « Peccavit tamen quadam amicabili benevolentia qua plerumque fit ut offendatur Deus ne offendatur amicus. Noluit enim sociam suam contristari quam credebat sine suo solatio interire, et a se alienatam contabescere. »

Videtur tamen quod Adam tantum peccavit. Dicit enim Augustinus (22): « Impari sexu, sed pari fastu peccaverunt. » Ergo pari superbia. Ergo pari contemptu. Ergo pariter. Ad hoc dicendum quod paritas illa referenda est ad excusationem, quia pariter se excusaverunt. Vel referenda est illa paritas ad esum ligni prohibiti, de quo pariter comederunt, quia peccatum dicitur par alii, vel quia ejusdem generis, vel quia adeo diuturnum, vel quia fastu factum.

Item, cum dictum sit quod Adam nunquam putavit se posse esse æqualem Deo, objicitur: Dicit enim Apostolus: *Non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo* (*Philipp.* II). Super quem locum legitur (23): « Ut diabolus et primus homo. » Ideo sic est exponendum: « Ut primus homo, id est, ut Eva quæ **156** facta est de primo homine, » sicut « per primum hominem intravit mors in mundum, » id est, « per Evam quæ facta est de primo homine, et quæ prius peccavit. » Vel dicendum, quod si non credidit Adam se posse parificari Deo, tamen delectatus est promissione. Sed Eva delectata est in ea, quia plus credebat. Sicut iste pauper in hoc quod dicitur ei *tu eris rex, vel papa,* delectatur, licet credat illud nunquam posse evenire (24). Item, Adam peccavit per industriam, Eva ignoranter quia quasi [parvi intellectus] fuit, gravius est peccare industria quam infirmitate, plus quam ignorantia: ergo plus peccavit Adam quam Eva. Quod autem Eva peccavit ignoranter, ita probari potest. Eva credidit diabolo. Ergo credidit quod fieret sicut Deus. Credidit etiam per comestionem illius ligni bonum suum non posse amitti, sed potius augmentari. Ergo credidit se non peccare; cum igitur peccasset, ignoranter peccavit. Sed contra, sciebat sibi præceptum datum a Deo, ne comederet. Ergo sciebat esse peccatum contraire. Ergo scienter peccavit. Item, mulier excusationem non habuit de ignorantia, cum etiam mandatum noverit, et peccatum esse secus agere non ignoravit. Dicunt igitur quod ad hanc promissionem, *Eritis sicut dii,* etc., tanta ambitione cæcata est mulier quod nec illud mandatum Dei esse animadverteret, nec peccatum esse contra facere cogitaret. Ignoranter ergo peccavit. Ergo ex ignorantia peccavit. Non est verum. Fallacia. Deus omnem quem æternaliter punit, misericorditer punit. Ex misericordia ergo punit æternaliter. Licet enim ignoranter, non ideo ex ignorantia, quia ignorantia non fuit principalis causa illius peccati, sed

(17) Mag. 2, d. 22.
(18) Lib. II. *De Genes.*, c. 30.
(19) Lib. eod., cap. 5.
(20) Mag. hic, § B.
(21) Hæc omnia et plura alia hic, habet Aug. l. II *De Gen.*, c. ult.
(22) Lib. II. *De Genes*, c. 35.
(23) V. in Glossa ibi.
(24) Isthæc supplevi ex Aug. II. *De Genes.*, cap. ult.

prava voluntas. Sicut omne bonum est ex libero arbitrio, non tamen primum bonum dicitur esse ex libero arbitrio, sed ex sola gratia, quia gratia est principalis causa illius.

(25) Quod autem Augustinus dicit quod excusatio ignorantiæ tollitur et ubi præceptum esse cognoscitur, et peccatum esse contra facere non dubitatur, potest intelligi verum fuisse ante suggestionem. Tunc enim et præceptum scivit, et peccatum esse contraire præcepto non ignoravit. Vel potest dici quod tunc utrumque scivit et per illud peccatum credidit se in omnibus bonis consummari et in nullo diminui. Sicut Antichristus credet se per peccatum ad immortalitatem ascendere, ut in Psalmo habetur: *Non movebor a generatione in generationem sine malo*, id est (*Psal.* IX), « movebor ab hac generatione mortali ad immortalem, et hoc non erit sine malo (26), » id est sine peccato, et sine malis artibus.

Quærunt etiam hoc loco quidam; quæ nominibus credimus incognita, sed nec ad salutem percipiendam eorum scientiam fore necessariam; scilicet si peccasset mulier, et non vir, an humanum genus esset corruptum, vel alia ei formaretur mulier; vel si consensisset voluntate uterque et non opere, an corruptio esset tantum in mente et non in carne; vel si stetissent, et eorum filii illud transgressi essent, an parentes de peccatis filiorum punirentur sicut et filii. Adhuc sentiunt vetustatem primi parentis et alia hujusmodi; in quibus quæstionibus plus reperitur curiositatis quam utilitatis. Illud potius persimile ad rem pertinere videtur. Utrum credidit Lucifer futurum esse quod expetiit? Quod si est, ergo credidit se posse fieri æqualem Deo, ergo credidit statum suum posse æquari . . . . . et in nullo fieri minorem: sed sciebat hoc non posse fieri, si illa voluntate peccaret, ergo credidit se non peccare illa voluntate. Ergo ignoranter peccavit. Item, ipse sciebat se esse creaturam, et Deum esse Creatorem. Ergo sciebat se non posse æquari Deo, cum nulla creatura Deo possit æquari. Item, Lucifer voluit esse ut Deus, sed sciebat hoc non posse esse nisi esset Deus. Ergo voluit esse Deus: sed ipse sciebat quod non poterat esse ille Deus qui illum creaverat, nec alius, quia sciebat non posse esse nisi unum, cum modo illud sciat, quia ista scientia non accrevit ei **157** postea. Ideo dicunt quidam quod esse voluit similis Deo non per imitationem, sed per æqualitatem scientiæ. Verius tamen videtur quod voluerit esse Deo æqualis, cum tamen scisset hoc non posse esse, nec ideo minus peccavit, imo multo gravius. De hujusmodi tamen cum non plene absoluta sint, du-

A bitare non erit inutile. Hoc tamen sciendum quod omnes defectus, tam animæ quam corporis, patimur propter inobedientiam; et nostra etiam peccata quæ ab eis originem contraxerunt, animæ defectus et passiones sunt, ut ira, tristitia, dolor, immoderata lætitia; corporis, ut fames, sitis, algor. Omnis tamen hujusmodi passio in anima est, sed corpori attribuuntur, quia non sentit has anima nisi in corpore et instrumento corporis, et sicut supra hunc ordinem assignavimus, ut prius diceremus qualis fuit homo factus ante peccatum secundum corpus, et qualis secundum animam, ita etiam de reformatione ipsius tractabimus: prius qualiter anima ejus reformata, postea qualiter corpus, docebimus,

B ut ita idem ordo qui observatus est in formatione, teneatur in deformatione [reformatione], et fere idem etiam habendus sit in novissima reformatione.

CAPUT XIX.

Qualis effectus sit homo secundum corpus, ubi de peccato originali agitur

(27) Secundum corpus igitur patitur homo famem, sitim, ægritudinem et similia, et præterea mortuitatem, ut ita dicam. Cum enim homo ante peccatum mortalis esset, id est potens mori, et potens non mori, post peccatum non habuit hujusmodi mortalitatem, sed potius mortuitatem, quia necessario est addictus morti. Unde Apostolus dicit corpus hominis post peccatum fuisse mortuum (*Rom.* V).

C Præter hos defectus inest etiam quidam alius defectus humanæ naturæ post peccatum, scilicet quædam fœditas, quædam labes proveniens ex ferventi coitu parentum, quæ causa originalis peccati, et etiam originale peccatum, secundum (28) quosdam reatus pœnæ, id est debitum quo homo obligatus est pœnæ temporali vel æternæ pro peccato primi hominis, et illud debitum nec est pœna, nec est culpa (29), et ita non est peccatum, sed tantum est originale peccatum. Sicut istud, *Est homo mortuus, non tamen est homo*: et dicitur originale peccatum, quoniam ex peccato parentum obligati sunt homines pœnæ; sicut judicio fori pro peccato parentum exsulant filii. Alii autem dicunt quod peccatum originale est ignorantia boni et concupiscentia

D mali. Unde Augustinus: « *Duo sunt plenaria in homine, ignorantia, et difficultas. Ex ignorantia error quo homo verum pro falso recipit, ex difficultate, cruciatus, ut resistente carnali vinculo non possit se homo a libidine temperare.* » Sed quomodo concupiscentia mali in anima hujus infantis vel ignorantia boni? Nondum enim concupiscit aliquid, nec aliquid ignorat. Nil enim ignorat quod in tali ætate debeat scire. Ideo dicendum est quod initium concupis-

(25) Hæc eis excusatio tollitur, quando præceptum datur, vel scientia non peccandi manifestatur. Sic Aug. l. *De grat. et lib. arb.*, c. 2.

(26) Sic Aug. *In Exposit.* ad hunc psal. versum.

(27) Mag. 2, d. 30 et seq. Pro genuina difficultatum capitis hujus intelligentia, vide quæ scripsimus in observation. nostris ad cap. 28. *Sent.* Pulli in part. II.

(28) Mag. 2, d. 30, § E.

(29) Hæc solum dicit ex aliorum sent. ut et ejus Mag. citatus.

centiæ est in isto, non motus concupiscentiæ. Est enim hoc nomen *concupiscentia* æquivocum ad motus concupiscentiæ, et ad vitium, et ad naturalem animæ potentiam. Ignorantia similiter est in anima hujus pueri vitium ignorantiæ, sicut in oculo cæci vitium est in nocte, sed tamen non discernitur inter videntem et cæcum donec adveniente lumine diei. Ita in anima pueri est vitium concupiscentiæ et vitium ignorantiæ, sed non discernitur donec adveniente ætate discretionis; tunc enim incipit concupiscere malum et ignorare bonum. Patet igitur ex his quod peccatum originale in duobus consistit secundum quosdam, in concupiscentia mali et ignorantia boni. Unde pluraliter dicit Propheta: *In peccatis meis concepit me mater mea* (*Psal.* L), id B est in concupiscentia et ignorantia, quandoque singulariter dicitur peccatum originale, quoniam ignorantia pendet **158** ex concupiscentia. Si enim non præcessisset concupiscentia, nunquam sequeretur ignorantia. Quod enim originale sit peccatum ignorantia volunt habere ex eo quod dicit Augustinus super illum locum Psalmi: *Delicta juventutis meæ*, etc. (*Psal.* XXIV.)

Quidam tamen, imo fere omnes, interdum dicunt originale peccatum non esse nisi concupiscibilitatem, non reputantes ignorantiam in originali peccato. Cum quibus publicam stratam sequentes dicamus concupiscibilitatem, non ignorantiam, esse originale peccatum quod in anima est non in corpore: dicitur tamen habitare in carne, quoniam in C carne est quædam carnalis corruptio ex eo quod ipsa per generationem vitiosam traducitur ex alia carne, quæ corruptio causa est originalis peccati, sed non est originale peccatum, quia non est peccatum. Nam si esset, ergo illa caruncula in qua est illa corruptio carnalis, puniretur propter illud peccatum si ei non infunderetur anima, quod non est verum. Cum enim ante quadraginta sex dies non infundatur anima corpori, si moreretur mulier non damnaretur per se illa caruncula. Unde patet quod corruptio illa non est culpa; nam culpa non est nisi in spiritu. Non est ergo illa corruptio originale peccatum quod est in anima sicut ejus causa.

Sed videtur quod anima non debeat esse rea D illius peccati statim quando infunditur, quia hæc anima infunditur huic corpori a Deo, velit nolit, et non displicet Deo illa unio corporis et animæ, nec ista anima meruit aliquam pœnam. Ergo originale peccatum non est ei imputandum. Item, hæc anima nunquam fuit quin non esset in corpore; et nunquam fuit in corpore quin non haberet peccatum. Ergo hæc anima nunquam fuit quin non haberet peccatum. Ergo nunquam habuit perfectionem qua posset stare. Ergo non est ei imputandum si non stat. Hæc enim solet assignari ratio de angelis quare imputetur eis quod ceciderunt, quia habebant gratiam qua poterant stare, et si non habebant

A qua possent proficere. Si vero nec gratiam haberent qua possent stare non imputaretur eis quod non steterunt. Similiter anima ista nunquam habuit gratiam qua stare posset: *Creando enim fuit infusa, et infundendo creata*, et statim fuit immunda. Unde videtur quod peccatum non sit ei imputandum. Item cum anima quando infunditur nullam ex se habeat maculam, quare ergo imputatur pro peccato macula carnis? Quod facile esset solvere, si anima esset ex traduce sicut et corpus: posset enim dici quod sicut in Adam omnia corpora per seminalem rationem ab eo descendentia fuerunt corrupta, ita in eo, id est in Adam, omnes animæ fuerunt corruptæ: sed non potest hoc dici, quoniam anima non ex traduce est sicut et corpus, imo quotidie creat Deus novas animas. Item, hæc anima creata, fuit aut munda, aut immunda; si munda, ergo aliquando fuit munda. Sed nunquam fuit, quin non esset in corpore. Ergo in corpore fuit munda. Si vero creata fuit immunda, non videtur ea immunditia imputanda pro peccato. Item, peccatum originale aut est voluntarium, aut est necessarium: si est necessarium, ergo inevitabile, ergo non potest evitari, ergo non est imputandum animæ. Voluntarium autem non est, quia non processit ex libero arbitrio.

Ad hoc dicunt quidam quod anima quodammodo delectatur quando infunditur corpori. In illa infusione est quædam socialis delectatio, et ideo ipsa anima rea peccati est. Sed secundum hoc magis esset actuale quam originale peccatum illud. Alii autem melius dicunt quod in primo homine anima est prius corrupta, postea caro: quæ corruptio non fuit culpa, sed pœna; et anima corrupta carnem fecit corruptam, et non econtrario. In nobis econtrario fit, nam caro corrupta animam corrumpit, et ita hic est quasi quædam vindicta. Cum enim in primo homine anima jam corrupta per peccatum carnem adhuc incorruptam corrumpit, in nobis quasi in **159** vindicta primi peccati caro animam corrumpit et in omnibus posteris, et ideo rea tenetur anima peccati.

Ad prædictas ergo rationes per ordinem respondebimus. Cum ergo primo dicitur: Non displicet Deo conjunctio illa animæ et corporis, nec anima meruit aliquam pœnam. Ergo non est ei imputandum. Fallacia. Antichristum esse futurum non displicet Deo, nec meruit Antichristus reprobationem Dei. Ergo illa reprobatio non est ei imputanda. Quod autem postea dicitur quod anima nunquam perfectionem qua stare posset, habuit, falsum est, quia a Deo nihil habuit nisi bonum, in quo, nisi corrupta fuisset carnis admistione, potuisset munda permanere. Unde hic solet quidam formare quæstionem (30): Si posset fieri quod aliqua particula carnis de aliqua carne sine vitio concupiscentiæ traduceretur et illi carni anima infunderetur, an esset illa anima rea originalis peccati, sicut forte fuit in

(30) Pullum fortassis indigitat qui movet illam quæstionem cap. 28, secundæ partis.

Lazaro suscitato. Ad quod dicunt quidam quod originale peccatum partim est ex vitio concupiscendi, partim ex carne corrupta (31). Unde ad hoc ut Christus immunis esset ab originali peccato, oportuit carnem quam assumpsit mundari. Nam forte si non esset mundata, licet sine concupiscentia conciperetur, originale peccatum haberet Christus.

Quod postea quæritur, an munda aut immunda fuit anima, dicimus quod munda, id est ex creatione non habuit nisi munditiam. Sed si ita intelligas, fuit creata munda, id est *existens munda*, falsum est. Argumentum tale fuit: Creata fuit munda, ergo aliquando fuit munda. Fallacia. Hoc pomum in manibus tuis datum est mundum. Ergo in manibus tuis fuit mundum: posito quod manus immundæ fiunt, et quam cito pomum fuit in eis, fuit sordidum. Videtur autem illud peccatum originale, quoniam a parentibus nostris vitiosa lege, id est secundum carnalem concupiscentiam carnem contraximus. Non enim dicitur originale quoniam a carne corrupta caro trahitur corrupta (32). Sic enim Christus habuisset originale peccatum, quoniam caro ejus ex carne Virginis quæ per originale peccatum corrupta erat, traducta fuit; sed ideo originale dicitur, quoniam illa propagatio libidinose fit. Modus ergo traducendi facit peccatum, non ipsa traductio. Unde Augustinus (33): « Vitium transfundit in pueros non propagatio, sed libido; non fœcunditas, sed fœditas. » Conceptus autem Christi non fuit celebratus carnali concupiscentia, sed virtute Spiritus sancti: unde immunis fuit ab originali peccato. Ex his ergo patet quod tertio inquirebatur, scilicet quomodo traducebatur originale peccatum.

(34) Sed objicitur ad quid dictum est, quod omnes traducti sumus ab Adam, et omnes peccavimus in Adam: nam non fuerunt etiam tot atomi in corpore Adæ quot homines ab eo descendunt. Et si omnes in Adam fuerunt, accidit corpus Adæ omnium corporum excessisse quantitatem. Ad quod dicendum quod omnes homines fuerunt in corpore Adæ non essentialiter, sed per seminalem rationem. Volunt tamen probare quod essentialiter etiam fuerunt omnes in Adam. Quidquid fuit pars corporis Cain fuit pars corporis Adæ. Fallacia. Quidquid fuit pars corporis filii Cain, fuit pars corporis Cain, ergo quidquid fuit pars corporis filii Cain fuit pars corporis Adæ; sed quidquid fuit pars corporis Adæ, essentialiter fuit in eo. Ergo quidquid fuit pars corporis filii Cain, essentialiter fuit in Adam, et ita totus Cain fuit in Adam essentialiter. Eadem ratione filius filii, et filius pronepotis, et sic usque ad ultimum hominem, et ita omnes homines essentialiter fuerunt in Adam. Forsitan autem aliquis negabit propositionem et assumptionem prædicti similis: sunt enim ejusdem rationis. Utralibet quæritur; si negetur de facili probabitur.

Sed prius distinguuntur tres status corporis antequam nascatur homo: Corpus humanum primo post conceptionem, est quidam liquor qui quotidie paulisper inspissatur. In secundo vero statu infra quadraginta sex dies **160** est corpus effigiatum, id est habens humanam corporis effigiem et lineamenta. Tertio vero, post quadragesimum sextum diem infunditur anima corpori, et fit homo ex anima et corpore. Sic ergo dicatur: Quidquid fuit pars corporis Cain existentis liquoris, fuit pars corporis Adæ. Certum est enim quod ille liquor manavit de substantia Adæ. Similiter quidquid in secundo vel tertio die fuit pars illius corporis, prius fuit pars corporis Adæ: et ita fiat progressus usque ad tempus infusionis animæ. Et ita quidquid fuit pars illius corporis animati, fuit pars corporis Adæ. Eadem ratione et similiter de omni homine potest dici quod quidquid fuit pars corporis ejus, fuit pars corporis Adæ: et ita essentialiter fuit in eo. Hæc autem ratiocinatio videtur esse probabilis. Nam ubi potest sistere respondens in quo statu corporis, nisi dicatur quod quidquid fuit pars corporis Cain existentis liquoris, vel effigiati, fuit pars corporis Adæ: sed non est ultra progrediendum. Potius enim videtur sistere in tempore quo adhuc liquor est corpus, quam alio. Sed si hoc dicat scilicet quod quidquid est pars corporis Cain liquidi, fuit pars corporis Adæ, et non quidquid est pars corporis effigiati, vel quidquid est pars corporis animati fuit pars corporis Adæ. Eadem ratione qua dicitur, non quidquid dicetur . . . .
et ita cum quidquid fuit pars corporis Cain liquidi fuit pars corporis Adæ: et nil quod fuit pars corporis effigiati, vel etiam animati, ergo nil quod fuit pars corporis liquidi fuit pars corporis effigiati. Ergo hoc est aliud ab illo. Similiter animatum est aliud ab effigiato, quod dicere inconveniens est.

Sunt ergo qui dicunt quod semen illud quod prodiit ex Adam ex quo formatus fuit Cain, nunquam fuit in Adam, quia nunquam fuit pars ejus; sed traducta est ab eo per carnalem concubitum, sicut de grano fit seges, operante natura, et tamen nunquam fuit seges in grano. Unde etiamsi non inde fieret corpus animatum, non rediret ad corpus illud unde traductum est in resurrectione, sed deperiret teste Augustino qui ait (35): « Informes partus quis non proclivius perire arbitretur, sicut semina quæ nondum sunt animata. »

Quæritur autem quomodo filii contrahant originale peccatum a parentibus suis, cum eorum parentes mundati sint ab originali peccato per sacramentum baptismi? Quomodo enim contrahunt ori-

(31) V. Mag. 3, dist. 3

(32) Sensu et verbis hic cum Mag. cohæret 2, dist. 31, § b.

(33) Imo Fulgent. *De fide ad Petrum*, c. 2, in med.

(34) Mag. 2, d. 30, § m.

(35) *Enchirid.*, cap. 87.

ginale peccatum ab eis in quibus ipsum non est? Quod tamen ita sit, ostendit Augustinus duabus similitudinibus (36): Sicut enim filii nascuntur habentes præputium a parentibus non habentibus præputium, ita filii nascuntur cum originali peccato a parentibus non habentibus originale peccatum; item, sicut triticum est mundatum humana diligentia et a palea et ab arista, et ab eo tamen nascitur triticum cum palea et arista, ita cum parentes mundati sunt ab originali peccato, ab eis nascuntur filii cum originali peccato. His tamen similitudinibus duabus ostendit Augustinus quod ita sit, sed non ostenditur [quod (quomodo)] ita sit. Unde non videtur quæstionem plane absolvisse. Unde et quidam magis urgent quæstionem. Ponatur quod quidam adultus, et quædam adulta per sacramentum baptismi mundentur ab originali peccato, et etiam ab omni actuali mundi sint, et statim legitimo socientur matrimonio. Vir statim habet rem cum uxore sua, et hac etiam intentione ut prolem habeat: iste in actione illa emittit ex se quamdam portionem substantiæ suæ, illa portiuncula immunis est ab omni obnoxietate pœnæ. Nam tota hominis caro ab omni pœnæ obnoxietate libera est. Unde si tunc decederet, tunc non sentiret pœnam, nec in anima, nec in corpore. Licet enim hominis passio in spiritu sit, tamen quædam passio dicitur esse in corpore, quia inest animæ mediante corpore, et caro dicitur obnoxia pœnæ, non quia reatus aliquis insit corpori, vel quia corpus aliquid per se sine anima patiatur, sed quia punitur anima quibusdam passionibus, secundum corpus, quarum nullam potest sine corpore **161** pati etiam in inferno: sicut in præsenti vita patet, nunquam pateretur anima famem nisi per corpus cui est sociata. Unde et separata ab eo non patitur famem cibi corporalis. Cum autem ventum fuerit ad quadragesimum sextum diem, anima ex se munda ei infunditur, et illa conjunctio Deo non displicet (37). Dic ergo unde trahit puer constans ex illis duobus mundissimis originale peccatum? Si autem dicat aliquis quod delectatio illa quam habuit vir in coitu, peccatum fuit et inde traxit peccatum portiuncula inde emanans, non est verum: nam delectatio illa per bona conjugii excusatur. Si etiam delectatio illa esset peccatum, potius redundaret in parentes qui illam delectationem senserunt, quam in illam carunculam quæ nil sensit.

Item, si dicat aliquis illam carunculam cui nondum infusa est anima (de illa enim loquimur) esse obnoxiam pœnæ, posito quod illa caruncula nunquam animabitur, quæritur an redibit in resurrectione ad corpus viri a quo fuit emissa. Quod videtur; nam quidquid est de veritate humanæ naturæ resurget in judicio, quia etiam *capillus de capite non peribit* (*Luc.* XXI). Quod si est, cum vir hoc modo decedat et sit in charitate, corpus ejus in resurrectione glorificabitur. Sed ista caruncula, si ei non infunderetur anima, pars esset in resurrectione illius corporis, et cum illa modo sit obnoxia pœnæ, ergo in resurrectione secundum illam partem anima punietur cæteris partibus corporis impunitis; quod esse non potest. Solutio hujus objectionis patet ex prædictis supra, quia non resurgent semina; vel potest dici quod etiam si sint resurrectura, cum caro hominis qui in charitate decedit sit resurrectura glorificata, illa pars quæ ad hoc corpus in resurrectione redierit glorificata erit, et ita sine corruptione.

(38) Quæritur etiam utrum peccata parentum traducantur in filios, ut peccatum Adæ traducitur B in posteros. Quod videtur. Sicut enim omnes homines per seminalem rationem fuerunt in Adam, ita filii in parentibus et ab eis descendunt. Hoc etiam videtur velle Augustinus, dicens (39): « Pueros pro peccatis parentum obligari pœnæ non solum primorum parentum, sed etiam ipsorum parentum a quibus nascuntur, non irrationabiliter dicitur. » Hic videtur aperte dicere quod pueri obligantur peccatis parentum. Et alibi: « Ea peccata parentum non pertinent ad filios quæ faciunt parentes jam natis filiis. » Quasi diceret: Illa pertinent ad eos in quibus sunt parentes quando eos generant. Præterea legitur in Exodo: *Ego sum Deus zelotes visitans peccata patrum in filios usque in tertiam et quartam generatio-* C *nem* (*Exod.* XX). Quod si hoc dicatur, accidit quod puer quando plures habuit parentes et antecessores, et quanto magis remotus est ab Adam per seriem generationis, tanto magis obligaturus [obligandus] est peccatis. Accidit etiam quod infans unius diei magis puniendus est quam pater suus, cum teneatur reus sui originalis peccati, et omnium actualium patris a quo per seminalem rationem descendit.

Ideo dicendum est quod peccata parentum non traducuntur in filios nisi tantum peccatum primi hominis, et quæritur potius illud quam alia, quia omnes materialiter fuerunt in Adam, et ille habuit perfectionem carnis, qua potuit stare. Habuit enim ante peccatum carnem incorruptam, sed omnes ab eo descendentes habuerunt carnem corruptam, nec in D aliquo ab eo descendente fuerunt omnes seminaliter, sicut fuerunt in Adam. Quod ergo dixit Augustinus (40) postea retractavit et correxit (40*). Unde et ipse dixit: « Mitissima sane pœna erit his qui originali quod contraxerunt, peccatum non addiderunt. » Hanc enim solam pœnam habebunt quod non fruentur visione Dei, quod est propter maculam originalis peccati. Sicut qui introducendus erat ad regem, nullo alio damnatur, nisi quia eum non videt propter maculam quam contraxit in via, cum in luto se

(36) L. 3, c. 8. *De Baptism. parvul.*, seu *De pecc. merit. et remiss.*

(37) Similia proponebat Augustino Julianus l. II *De nupt.*, etc., c. 28, etc.

(38) *Mag.* 2, d. 33.

(39) *Enchirid.*, c. 46.

(40) *Enchir.*, c. 93, l. I.

(40*) *De pec. mer.*, cap. 15, l. V, contr. Jul. c. 11 etc.

casu præcipitaverit, similiter damnatur parvulus proprio peccato, sicut et vinum quod in corrupto vase est positum in se habet corruptum saporem, qui tamen **162** ex dolio est contractus.

Quod tamen dictum est, totam posteritatem Adæ ream constitui pro peccato ipsius, caute intelligendum est, ut hæc præpositio, *pro*, notet occasionem, non causam. Nunquid enim peccatum alicujus causa est quare alter puniatur æternaliter? Sed potest esse alii occasio pœnæ. Unde etiam cum dicit Dominus se vindicare peccata parentum in filios, intelligendum est de temporali non de æterna pœna; vel dicitur vindicare peccata patrum in filios, quia imitatores paternæ iniquitatis punit pro peccatis patrum, id est pro propriis peccatis in quibus imitantur patres (41). Sunt enim non tantum paternæ hæreditatis, sed etiam paternæ iniquitatis hæredes. Et ideo dicit *Peccata patrum in filios*, nominando patres et filios, cum similiter puniat Dominus imitatores iniquitatum extraneorum, quia potius filii solent patres imitari. Ideo autem dicit, *Usque in tertiam et quartam generationem*, quia ad tantum temporis spatium solent patres vivere quos videntes imitantur filii. Nam docti et faciles imitandis temporibus omnes.

Videtur tamen posse ostendi quod peccatum Adæ sit causa quare homo æternaliter damnetur, quia peccatum Adæ est causa quare alius homo puniatur æternaliter cujuslibet corruptionis quam patimur. Ergo et illius corruptionis quæ est in carne, sed illa corruptio est causa illius quæ est in anima et est originale peccatum. Ergo peccatum Adæ est causa quare alius homo puniatur æternaliter. Si vero dicatur quod originale peccatum quod est in anima, est causa illius corruptionis quæ est in corpore, quod videtur velle Hieronymus super Jeremiam dicens : « Quidquid mali nobis accidi et vitii nostri est; » ergo corruptio animæ naturaliter præcedit corruptionem corporis, cum constet illam corruptionem quæ est in corpore et tempore et natura præcedere illam quæ est in anima. Ad hoc dicendum quod peccatum Adæ est causa corruptionis quæ est in corpore, et corruptio corporis est causa corruptionis animæ, id est originalis peccati, aut pœnæ quæ illi peccato debetur, sicut Deus est causa liberi arbitrii in homine, et liberum arbitrium est causa peccati, non tamen Deus est causa peccati.

(42) Superest investigare quomodo per baptismum remittatur originale peccatum. Videtur enim quod non remittatur per baptismum. Nam concupiscibilitas manet post baptismum; ergo aut concupiscibilitas non est originale peccatum, aut originale peccatum manet post baptismum. Similiter ignorantia manet post baptismum. Ergo aut ipsa non est originale peccatum, aut originale peccatum manet post baptismum. Ergo non deletur in baptismo. Ad hoc dicunt quidam quod ignorantia non est originale peccatum imo actuale; sed hoc dicto difficilior surgit quæstio; videtur enim secundum hoc quod non de omni peccato actuali possit pœnitere quis, quia non de ignorantia. Cum enim ignorantia sit in isto, infinita subjacent ejus ignorantiæ quæ non novit, nec ea potest confiteri. Accidit etiam quod aliquod peccatum actuale transit reatu, et non actu, cum econtrario sit. Hæc enim solet assignari differentia inter peccatum actuale et originale, quia originale transit reatu et non actu; actuale vero transit actu et non reatu, donec per confessionem et pœnitentiam deleatur. Si ergo ignorantia dicatur peccatum actuale, accidet quod peccatum actuale transit reatu et non actu; nam cum iste habeat ignorantiam, pœnitet de illo peccato, et confitetur se ignorantem esse, et magnam habet cordis contritionem et peragit pœnitentiam. Ecce peccatum illud dimissum est reatu, sed manet adhuc : nam iste ignorat adhuc omnia ea quæ prius ignorabat. Sed hæc quæstio supra relicta est sub judice : non enim video quomodo ignorantia non sit originale peccatum sicut et concupiscibilitas, cum et ita dixerunt viri magnæ auctoritatis, quibus tamen modo fere omnes moderni contradicunt : et ideo nec aliquid contra communem omnium opinionem **163** asserere audens, indiscussum illud relinquo.

(43) Illud potius dicendum quod originale peccatum duobus modis remitti dicitur per baptismum. Primum quia carnalis concupiscentia ita attenuatur per baptismum, ut maneat modica et tenuis, nisi quis arma det hosti et concupiscentiæ consentiat; tunc enim est actuale peccatum. Dicitur iterum remitti per baptismum, quia omnino per baptismum deletur reatus ipsius, et post baptismum non est peccatum mortale. Unde dicit Augustinus (44): « Carnalis concupiscentia per baptismum remittitur non ita ut non sit, sed ut non imputetur pro peccato. Hoc enim est non habere peccatum non esse reum peccati. Quomodo ergo cætera peccata transeunt actu, non reatu, ut homicidium; ita econtrario concupiscentia post baptismum transit reatu et non actu. » Hæc sunt verba Augustini.

(45) Dicitur autem postea, utrum sicut anima purgatur in baptismo ab originali peccato, ita et caro ibi purgetur a fœditate carnis et a corruptione? Dicunt autem quidam quod sicut duo sunt in baptismo, id est aqua et spiritus, ita ibi duo mundantur, scilicet anima et caro; hæc ab originali peccato, illa a corruptione carnis. Alii autem dicunt quod anima tantum purgatur in baptismo et non caro. Quibus objicitur : caro hujus infantis qui modo baptizatur non mundatur per baptismum a fœditate sua : quamdam contrahit fœditatem a carne patris quæ corrupta est; et ex hoc quod descendit ab ea per carnalem concupiscentiam, quamdam contrahit fœditatem. Ergo corruptior est caro pro-

(41) Mag. 2, d. 33.
(42) Mag. 2, d. 32.
(43) Ex Aug., l. 1 *De nupt.*, etc., c. 25.
(44) Aug. sup. c. 26 · sed paulo aliter.
(45) Mag. sup. § c.

lis quam parentis : et ita quanto quis plures habet parentes in linea generis antecedentes, magis corruptam habet carnem : et sic caro hujus corruptior est carne illius, et utraque corruptio causa est originalis peccati quod est in anima. Ergo majus est originale peccatum istius quam illius. Legitur tamen super Epistolam ad Romanos : « Quantum ad originale peccatum omnes pares erant, sed misericordia quos voluit discrevit. » Quod tamen omnis homo quanto posterior est, tanto deterior sit videtur ; nam homines solebant vivere quingentos annos, quadringentos; modo non vivunt ultra octoginta vel centum annos : modo etiam sunt hebetioris ingenii et madidioris memoriæ, et etiam minoris quantitatis. Nam sicut ait poeta :

Terra malos homines nunc educat atque pusillos.

(JUVEN., *sat.* 15, vers 70.)

Ad quod dicendum quod licet major sit corruptio in hac carne quam in illa, tamen originale peccatum non est majus in isto quam in illo, nec reatus major pro illo : sicut ille qui majorem cibum sumit quam ille, non tamen magis reficitur, licet cibus sit causa refectionis. Quod tamen corruptior sit in uno caro quam in alio potest conjici, quia sæpe videmus eos qui non sunt nati de legitimo matrimonio proniores ad opera carnis, ut quanto in majori voluptate concipiuntur et magis illicita delectatione, tanto inveniantur filii dissolutiores in opere.

Quæritur etiam an teneatur quis confiteri originale peccatum : quod ita videtur posse ostendi : Huic non potest remitti unum mortale peccatum sine alio. Iste pœnitet de homicidio (et ex charitate) qui nondum baptizatur. Ergo ei remittitur omne mortale peccatum cujus est reus, ergo et originale peccatum. Unde sic originale peccatum cum aliis per contritionem dimittitur. Ergo per tantam [*f.* illam] potest dimitti si sit sine alio, et ita adultus qui non est baptizatus, nec actuale superaddidit, per contritionem [cum voto baptismi] (si non habet aquam baptismi) potest delere originale peccatum. Item, ille scit se esse reum peccati mortalis. Ergo tenetur confiteri pro eo. Ergo tenetur confiteri illud. Item, in eo qui baptizatus est redeunt peccata per apostasiam, ergo et originale peccatum, et non potest post baptizari, et ita non potest desinere esse in eo nisi beneficio contritionis.

Contra sic : Iste non commisit hoc peccatum, ergo non tenetur conteri pro eo. Ergo non confiteri. Ideo dicunt quidam quod sicut pœnitentia instituta est propter actualia peccata, **164** et tamen actualia deleantur quandoque per baptismum ; ita econtrario institutum est baptisma propter originale peccatum, et tamen potest deleri originale peccatum propter contritionem.

(46) Quæritur autem postea utrum primum peccatum Adæ actuale majus fuerit omni alio peccato
A actuali. Quod videtur velle Augustinus dicens (47) : « Peccatum Adæ tanto majori injustitia commissum fuit, quanto faciliori observantia poterat custodiri. » Item, plus nocuit quam aliquod aliud peccatum. Ergo majus fuit. Prima sic probatur : totam humanam naturam vitiavit peccatum Adæ quod nullum aliud fecit. Ergo plus nocuit. Ad quod dicendum quod illud peccatum Adæ non fuit majus omni alio, quia majus fuit peccatum in Spiritum S. et peccatum Judæ et peccatum Cain. Quod ergo dicitur *Plus nocuit, ergo majus fuit*, non sequitur, falsum est; imo plus nocuit Judæ peccatum suum quam Adæ suum. Sed plus nocuit, id est *in pluribus*, ut *plus* non quantitatem sed pluralitatem notet. Ideo autem dicitur peccatum illud vitiasse et corrupisse totam
B naturam humanam, quia corrupit naturam Adæ, a quo omnes homines per seminalem rationem descendunt; sed postea creditur fuisse deletum. Unde Augustinus (48) : « Primi parentes postea recte vivendo per Domini sanguinem ab æterno creduntur liberari supplicio. » Quod autem dicit Augustinus, « Peccatum Adæ tanto majori injustitia, etc. » id est, « in injustitia ad plures pertinente, » ut majoritas pluralitem notet.

Solet quæri an concupiscibilitas animæ, quæ est originale peccatum, sit illa animæ potentia qua dicitur concupiscibilis anima, quæ ante baptismum sit peccatum et post baptismum remaneat actu, sed non imputetur pro peccato. Quod si dicatur, quæri-
C tur quare magis illa potentia corrumpitur corruptione carnis, ut dicatur peccatum, quam illa qua dicitur irascibilis anima, vel illa qua dicitur rationabilis ? Item si ipsa est originale peccatum ac corruptio carnis, non est causa illius. Ergo non est causa originalis peccati. Si vero dicatur originale peccatum esse pronitas quædam ad peccandum quæ est ex corruptione carnis, cum illa pronitas sit qualitas mentis quæ etiam remanet post baptismum, teste Augustino, quæri potest an ea concupiscamus tantum malum et nunquam bonum. Eadem ratione et illa naturali concupiscentia concupiscimus tantum bonum et nunquam malum. Quomodo ergo possumus illa abuti, nisi ea volumus malum sicut et irascibilitate et rationabilitate quandoque abutimur? Solu-
D tionem istarum majoribus relinquimus, quia nihil habemus hic traditum a majoribus nostris.

CAPUT XX.

Qualis effectus fuit Adam post peccatum ; ubi et de potentiis animæ agitur, et prius de naturalibus, post de gratuitis.

(49) Ostenso qualis effectus est homo post peccatum secundum corpus, inquirendum restat qualis effectus fuit per peccatum secundum animam. Sciendum est igitur quod per peccatum vulneratus fuit in naturalibus et spoliatus gratuitis, id est naturalia in eo debilitata sunt per peccatum, et corrupta gratui-

(46) Mag. sup., dist., 33, § f.
(47) Lib. XIV *De civit.*, c. 12.
(48) Lib. II *De peccator. merit.*, etc., cap. 34
(49) Mag. 2, d. 24.

ta, nec omnino deleta et subtracta. Nostræ igitur exsecutionis is erit ordo : Primo dicemus quæ sint naturalia bona, quæ gratuita, ut inde pateat differentia inter hæc et illa ; secundo qualia fuerint naturalia ante peccatum, qualia effecta sunt post peccatum ; tertio qualia fuerunt gratuita ante peccatum : post peccatum enim non remanserunt. Naturalia dicuntur illa quæ habet homo a nativitate sua, unde dicuntur naturalia, ut ratio, ingenium, memoria, etc. Gratuita sunt illa quæ naturalibus superaddita sunt, ut virtutes et scientiæ ; unde etiam dicuntur gratuita, quia a Deo homini per gratiam conferuntur ; et ista bona quotidie augmentantur, quotidie minuuntur, subtrahuntur quibusdam, **165** dantur aliis, et in hac speciali acceptione hujus nominis *gratuitum*, naturalia et gratuita sunt quasi opposita. Accipitur etiam hoc nomen in quadam significatione communiori, ut tam naturale quam gratuitum bonum dicatur *gratuitum*, quia hæc et illa gratis dantur.

Posthæc videndum est qualia fuerunt naturalia ante peccatum. Sed quia speculatio duorum naturalium, id est sensualitatis et liberi arbitrii præcipue videtur ad hanc scientiam pertinere, et omne peccatum tam mortale quam veniale ad ista duo refertur, ideo de his duobus agere sufficiat ; et primo de sensualitate. Sciendum est igitur quod cum anima sit res simplex et carens partibus, tamen a sanctis dicitur habere partes, non essentialiter, sed quia in se admittit quod ipsa non est propter diversitatem officiorum (50). Quidam ergo distinguunt animam in tres partes, scilicet mentem, et spiritum, et eam quæ specialiter dicitur anima, juxta id quod legitur, *Psallam spiritu, psallam et mente* (*I Cor.* XIV); quia sicut homo exterior tres habet principales partes, supremam ut caput quod continet in se duos oculos, et mediam, scilicet ventrem, et infimam, scilicet duos pedes : ita homo interior tres habet principales partes, supremam, scilicet mentem, quæ habet duos oculos dilectionis et cognitionis, mediam, spiritum, qui similiter in duo dividitur, in agnitionem et ejus effectum, et infimam, scilicet animam, quæ quasi duo pedes habet sensualitatem et sensum. Est ergo sensualitas percipiendi potentia res corporales in semetipsis, non est aliquod corpus quod visu percipimus. Sensus est potentia afficiendi ex rebus naturaliter, id est sensualitate perceptis, sicut cum corpus aliquod videndo afficior gaudio vel mœrore et consimilibus. Imaginatio autem est potentia percipiendi res corporales imaginibus suis, ut cum rerum imagines menti nostræ occurrunt in somniis. Effectus vero imaginationis est potentia afficiendi ex rebus taliter imaginatione perceptis. Mens quoque duas habet partes, sive ut diximus, oculos, scilicet unum cognitionis et alterum dilectionis. Unde Augustinus : « Mens est omnium quæ sunt in anima, et dignitate sublimior et sublimitate integrior, omnis affectus et effectus naturaliter capax, habens imaginem ipsius Dei et potentiam cognoscendi, et similitudinem in potentia diligendi. » Solent etiam aliter distingui partes animæ duæ, ratio et sensualitas. Ratio iterum duas dicitur habere partes, superiorem scilicet et inferiorem ; superior est per quam homo cœlestibus et divinis contemplandis intendit, inferior est per quam homo inferiora ista aptus est disponere et circa temporalium rerum exteriores prudens est deliberare.

CAPUT XXI.

Qualia fuerunt naturalia ante peccatum, et qualia post. Ubi etiam de sensualitate et de primis motibus agitur.

(51) Sensualitas autem est quædam vis animæ inferior, ex qua est motus qui in corporis sensus, et eorum quæ corpori necessaria sunt, intenditur. Sunt autem sensualitatis duæ partes, una inferior, altera superior. Inferior pars est motus per quem appetimus illicita, ut irasci, mœchari, et iste motus et pœna est et culpa est, superior pars est motus per quem appetimus licita et carni necessaria, ut comedere, bibere. Iste autem motus aliquando est moderatus aliquando immoderatus. Si moderatus est, nec est culpa, nec est pœna; si vero immoderatus, pœna est, sed non culpa, ut immoderatus appetitus comedendi, vel bibendi (52). Si quis igitur istos quatuor motus sive partes recte et attente consideret, de facili poterit perspicere quod peccatum sit mortale et quod veniale. Hoc tamen prænotato et cognito, quod idem ordo peccandi qui fuit in primis parentibus, ad litteram est in anima cujuslibet, quantum ad spiritualem intelligentiam. Sicut enim ibi serpens **166** fuit qui suggerebat mulieri, et mulier quæ comedit pomum vetitum, et vir qui consensit mulieri, ita est in anima cujuslibet hominis pro serpente sensualitas, pro muliere inferior pars rationis, pro viro superior pars rationis. Et sicut ibi fuit carnale conjugium inter virum et mulierem, ita in anima est spirituale conjugium inter superiorem partem rationis et inferiorem. Inferior enim pars debet famulari superiori quæ debet eam corrigere, sicut mulier debet famulari et obedire viro qui eam debet corrigere. Dicitur ergo serpens suggerere sine consensu viri et mulieris, quando motus sensualitatis concipit illecebram peccati absque omni cogitationis delectatione, et talis motus est culpa levissima, quia primi motus non sunt in prima hominis potestate, et per generalem confessionem delentur dicendo *Confiteor*, et a Græcis dicitur *propatheia* [προπάθεια] a nobis vero *propassio*. Mulier autem dicitur comedere et non vir, quando peccatum detinetur in anima cum delectatione cogitationis, ita tamen ut

(50) V. 28. problema Heloissæ ad Abælard.
(51) Mag. 2., d. 24, §. f. etc
(52) Mag. sup. § g., etc.

non decernatur faciendum. Sed distinguendum est, quandoque enim peccatum parum detinetur in anima, id est voluntas peccandi cum delectatione cognitionis, quandoque diu. Si parum detineatur in anima voluntas illa peccandi, illa delectatio cogitationis veniale peccatum est et potest deleri per confessionem generalem. Si vero diu teneatur in anima mortale peccatum est talis voluntas, talis delectatio, id est scilicet, quia vir non statim corripit mulierem in illicito demorantem, vel ad illicita prorumpentem. Quoties enim mulier prorumpit in illicita, statim a viro est corrigenda, id est inferior pars rationis a superiori. Vir autem dicitur comedere, quando peccatum in anima tenetur delectatione cogitationis, ita etiam ut decernatur faciendum et adest voluntas, si adsit facultas. Et hoc peccatum mortale est et gravissimum.

Quod autem supradictum est, motus sensualitatis esse peccatum, non videtur esse verum, quoniam hujusmodi motus sunt in brutis animalibus sicut et hominibus, concupiscunt enim sicut homines : sed homines quia rationem habent quandoque resistunt. Quare ergo potius nobis imputatur pro peccato quam illis ? Ad quod dicendum quod in ipso vestibulo quæstionis excubat vestigium solutionis. Nam quia homines habent rationem per quam primos motus possunt comprimere, et non bruta animalia, ideo quod non illis imputatur pro peccato, in istis peccatum judicatur. Motus igitur concupiscentiæ, quandiu tenetur in sensualitate veniale peccatum est, quando vero tenetur in inferiori parte rationis, mortale peccatum, si diu teneatur, quia mora secum trahit periculum. Sed ille motus qui tenetur in sensualitate potest teneri in superiori vel inferiori parte rationis. Ergo quod est veniale potest esse mortale, et ita veniale peccatum erit mortale.

Item Augustinus dicit (53) quod *nullum peccatum adeo veniale est, quod si placeat, mortale non sit.* Sed nimis bibere est peccatum veniale, et placet huic justo. Ergo est peccatum mortale sed in hoc justo est charitas, ergo in aliquo est charitas in quo est mortale peccatum. Quod illud peccatum placeat huic justo, sic probatur. Nam illud facit sponte non invitus. Ergo ei placet. Ad quod dicendum quod sicut supra assignati sunt quatuor gradus sive partes in anima, ita possunt ibi assignari quatuor motus quorum nullus est vel erit, vel potest esse alius, scilicet duo motus sensualitatis, et duo motus rationis, et motus sensualitatis non potest esse motus rationis vel inferior, vel superior, nec motus rationis potest esse motus sensualitatis. Sic ideo dicitur motus sensualitatis fieri motus rationis, quia adveniente motu rationis motus sensualitatis desinit esse, et transit actu, sed non reatu. Manet enim reatus venialis peccati cum mortali peccato. Similiter veniale dicitur posse fieri mortale, quia adveniente peccato mortali, quod veniale erat transit actu et non reatu, sicut vides in ætatibus. Infantia dicitur transire **167** in juventutem et deinceps, quoniam adveniente juventute, pueritia desinit esse, nec aliqua ætas potest esse alia. Ita nullus prædictorum motuum potest esse alius.

Ad id autem quod postea dictum est plenius intelligendum quod *nullum peccatum adeo est veniale quod, si placet, non sit mortale*, facienda est distinctio brevis. Peccatorum igitur quæ fiunt actu exteriori aliud est mortale, aliud veniale. Mortale, ut interficere hominem, mœchari; veniale, ut nimis bibere, nimis comedere. Sciendum est igitur quod si quis moveatur ad mortale peccatum motu rationis superiori vel etiam inferiori et diu, mortale peccatum est ille motus; si vero moveatur ad mortale peccatum motu sensualitatis sive inferiori sive superiori, vel etiam motu rationis inferiori, si parum est, veniale peccatum est ille motus : nam si diu teneatur ille motus in inferiori parte rationis, mortale peccatum est, ut diximus supra. Item si quis moveatur ad veniale peccatum sine motu sensualitatis hoc, vel illo, sive motu rationis hoc vel illo, superiori vel inferiori, talis motus concupiscentiæ veniale peccatum est, nisi moveatur superiori motu rationis diu, id est consuetudinarie. Quod enim veniale est, si vertatur in consuetudinem desinit esse veniale, et fit mortale, si placet, id est placitum venialis peccati et ipsa consuetudo mortale peccatum est. Ipsum enim veniale impossibile est fieri mortale. (54) Quod autem primus motus concupiscentiæ peccatum sit, patet per Prophetam qui dicit : *Beatus qui tenebit et allidet parvulos suos ad petram* (*Psal.* CXXXVI). Parvulos vocat primos motus. Si ergo bonum est allidere eos ad petram, ergo mali sunt.

Sed iterum objicitur : Ante peccatum in Adam nec fuit pœna, nec fuit culpa, sed primus motus fuit in eo ante peccatum. Ergo primus nec est pœna, nec est culpa. Item, si in eo primus motus non fuit mortale peccatum, quare imputatus est Apostolo pro peccato dicenti : *Quod nolo, hoc ago?* (*Rom.* VII.) Item, primus motus est macula animæ. Ergo est offensa Dei. Per eam igitur fit anima Deo similis dissimilis, ergo deformat animam. Item, homo tenetur esse sine offensa. Ergo tenetur esse sine primo motu, cum primus sit offensa Dei. Sed non potest esse homo sine primo motu. Ergo ab homine exigitur quod ipse facere non potest, id est esse sine primo motu. Ad hoc dicendum est quod in Adam fuit ratio ante peccatum secundum utramque sui partem, et sensualitas secundum superiorem partem, quia in eo fuit moderatus appetitus necessariorum corpori; sed in eo non fuit primus motus, nisi dicas *primus*, id est ante quem non fuit alius. In eo enim ante peccatum nec fuit infe-

(53) Apud Gratianum dist. 25, c. unum ante med. Affine est quod habet Aug. *tract.* 12, *in Joan. sub finem : Minuta* peccata, si negligantur, occidunt. V. etiam eumd. serm. 4 *De animabus defunct.* et ser. 47, etc.

(54) V. Aug. ad hunc psal., sub finem.

rior pars sensualitatis, nec carnis corruptio. Unde A non poterat peccare mortaliter, nec est verum quod primus motus sit offensa Dei; solum enim peccatum mortale dicitur offensa Dei, et homo tenetur esse sine offensa Dei, et ab eo exigitur ut sit sine mortali peccato.

Quæritur autem utrum melius sit abstinere a veniali quam a mortali, nam nemo potest abstinere a veniali quin abstineat a mortali; et potest abstinere a mortali etsi non a veniali abstineat. Sed econtrario probatur quod melius est abstinere a mortali quam a veniali, nam mortale peccatum gravius est quam veniale. Ergo melius est abstinere a mortali quam a veniali. Ad quod dicimus quod, si mortale peccatum et veniale essent duo quo- B rum utrumque posset esse sine reliquo, melius esset a mortali quam a veniali. Similiter quæritur utrum melius sit abstinere a juramento quam a frequentia jurandi, ubi similiter dico quod melius est abstinere a juramento quam a frequentia jurandi, quia nemo potest abstinere a juramento quin abstineat a frequentia jurandi, sed non convertitur, et similiter in cæteris : vel quia ipsa comparatio innuit discretionem inter veniale et mortale peccatum, neganda est ista, *Melius est abstinere a veniali quam a mortali*, et instandum huic argumento : Non potest quis abstinere a veniali quin abstineat a mortali, et non convertitur; ergo melius est abstinere ab isto quam **168** ab illo. Fallacia. Non potest aliquis habere oculos, quin habeat caput, po- C test tamen habere caput, etsi non habeat oculos. Ergo melius est habere oculos quam caput. Eadem ratione potest philosophari : quod magis est pœnale episcopo in collatione subdiaconatus peccare, quam sacerdotii, quia si indignum scienter admittit ad ordinem subdiaconatus, hac pœna mulctatur, quod non de cætero potest eumdem ordinem conferre, sed ex quo non potest conferre minorem, nec etiam majorem, et ita non sacerdotium potest postea conferre. At si peccat in collatione sacerdotii, non punitur nisi in hoc quod postea non potest conferre sacerdotium, cum tamen possit conferre omnem minorem ordinem, et tamen majus peccatum est admittere indignum ad sacerdotium quam ad subdiaconatum. D Magis tamen punitur qui hoc minori peccat quam ille qui isto majori. Hoc tamen non est ratione peccati, sed ratione ordinis, de quo hæc regula observatur, quod qui non confert minorem, nec majorem. Ita melius est abstinere a veniali quam a mortali, non quia majus est veniale quam mortale, sed quia nemo potest abstinere ab isto sine illo. Ex prædictis patet quod motus concupiscentiæ quandiu est in sensualitate veniale peccatum est, si vero consentiat ratio, mortale peccatum.

Sed secundum hoc videtur quod talis motus sit mortalis. Nam ratio nunquam consentit malo, imo semper contradicit. Ergo ratio nulli pravo motui concupiscentiæ consentit. Ergo nullus motus mortale peccatum est. Ad hoc dicunt quod ratio dicitur consentire voluntati et non consentire. Consentire dicitur, quoniam voluntas illud quod concupiscit, ad effectum per se non potest perducere sine auxilio rationis, non enim per se potest deliberare, et scrutari locum, tempus, modum, etc., quæ rectores vocant circumstantias, quæ omnia scilicet deliberat ratio, ut scilicet sciat quando et quomodo poterit fieri. Consentire dicitur quando absque ea voluntas quod cupit ad effectum perducere nequit. Dicitur autem non consentire quia semper recalcitrat, semper contradicit et judicat malum non esse faciendum. Nullus enim adeo malus est quin ratio ejus conscientiam remordeat dictans hoc esse malum et illud. Hæc est enim illa scintillula rationis quæ etiam in Cain non potest exstingui, quæ a Græcis dicitur synderesis, et ita dicitur ratio consentire voluntati, quia voluntas ad id quod cupit non potest per se tendere sine rationis adminiculo, et dicitur non consentire quia hoc facit invita. Sicut puer qui cæcum ducit ostendit ei duas vias, unam planam et alteram asperam, et cæcus non vult ire nisi per asperam prætereundo, et puero invito, puer dicitur consentire cæco et non consentire : consentit quia absque ejus regimine non potest cæcus ad locum propositum pervenire; non consentit quia invitus eum ducit, et cæcus eum trahit invitum; ita voluntas rationem, quæ licet contradicat, vincitur.

Item, videtur quod sensualitas habeat majorem efficaciam in brutis animalibus quam in rationalibus, sic. Nam brutum animal motu sensualitatis absque libero arbitrio movetur ad aliud animal interficiendum. Non enim habet liberum arbitrium, sed homo non potest moveri ad alium hominem interficiendum sensualitate, absque libero arbitrio. Nam si hoc posset facere sola sensualitate, cum ejus motus non sit mortale peccatum, posset homo moveri ad alium hominem interficiendum absque mortali peccato. Ergo majorem efficaciam habet sensualitas in brutis animalibus, quam in rationabilibus. Ad quod dicimus, non esse verum, imo tantam efficaciam habet in his quantam in illis. Sed ideo non potest aliquid facere in rationalibus sine libero arbitrio, quoniam in homine sunt simul sensualitas et liberum arbitrium quasi in eodem bono, et non potest sensualitas aliquid mali machinari, quin illud statim sentiat liberum arbitrium et ei consentiat, nisi statim reprimat, sed tamen tantam **169** habet efficaciam in his quantam in illis.

Quæritur autem postea uter primus motus sit Deo auctore in homine vel diabolo. Ad quod dicendum quod primus motus in quantum pœna est, a Deo est auctore; in quantum vero culpa, non est Deo auctore, quia Deus non est auctor culpæ. Nec videtur esse diabolo auctore, quia sæpe surgunt primi motus sine suggestione diaboli; nec etiam homine auctore, quia primi motus surgunt homine invito, velit nolit. Ad quod dicendum quod duplex est tentatio, exterior et interior : exterior est quando

extrinsecus visibiliter verbo, vel signo suggeritur malum, ut ille cui suggeritur in consensum peccati declinet; interior tentatio est quando intrinsecus invisibiliter per pravam carnis delectationem suggeritur in malum. Et hujus tentationis quandoque diabolus est auctor, quia suggerit quandoque homini malum, quandoque humanæ naturæ fragilitas.

(55) Solet etiam quæri, utrum macula quæ est in anima alicujus ex eo quod mortaliter peccatur, quæ etiam remanet transeunte actu peccati, sit peccatum? Quod ostenditur: Nam per eam fit homo Deo dissimilis; ergo est peccatum. Item, facit dignum morte æterna; ergo est peccatum. Sed contra: est peccatum; ergo originale vel actuale. Super hoc quia nihil habemus ab auctoribus vel B præceptoribus diffinitum, et nos nil diffinimus.

CAPUT XXII.

Quid sit liberum arbitrium, et quale fuit ante peccatum, et quale post?

(56) Præter illam pœnalitatem sive pœnam quam sustinemus ex depressione sensualitatis per peccatum, sustinemus aliam ex depressione liberi arbitrii per eamdem causam, id est per peccatum. Unde videndum est quid sit liberum arbitrium, et quale fuit ante peccatum, et qualem effectum habuit post peccatum. Liberum arbitrium sic diffinitur a philosophis: *Liberum arbitrium est liberum de voluntate judicium;* a theologis vero sic diffinitur: *Liberum arbitrium est facultas voluntatis et rationis qua eligitur bonum, gratia assistente, et malum gratia desistente.* Quoniam igitur diffinitio ista videtur in se aliquid difficultatis continere, quæ in ea posita sunt exsequamur. Liberum igitur arbitrium in duobus consistit, in voluntate scilicet et ratione. Liberum dicitur quantum ad voluntatem: voluntas enim libera est, et cogi non potest; unde libera est a necessitate. Arbitrium vero dicitur quantum ad rationem, qui rationi attribuitur et discernit ea quæ voluntas appetit. Voluntas est domina; ratio est pedissequa, quæ ostendit ei rectam viam. Sed ut voluntas (utpote quæ dominium habet) trahit rationem secum, si ipsa inclinetur ad bonum, libenter sequitur et ei consentit ratio; sed si inclinatur ad malum, ideo contradicit, recalcitrat, D suadet bonum, et dissuadet contrarium. Cum igitur liberum arbitrium in duobus consistat, in voluntate scilicet et ratione, patet quod in illis solis est liberum arbitrium in quibus sunt voluntas et ratio; quare liberum arbitrium bruta animalia non habent; tantum enim habent appetitum. Item, cum penes liberum arbitrium sit auctoritas merendi vel demerendi (non enim propter madidam memoriam vel hebes ingenium meretur quis æternam miseriam, vel meretur quis æternam vitam propter tenacem memoriam, vel propter subtile ingenium), A patet quod illud solum potest mereri quod habet liberum arbitrium: quare bruta animalia non merentur per appetitum; non enim possunt mereri.

Sciendum est præterea quod liberum arbitrium non est de præsenti vel de præterito, sed tantum de futuro; nec etiam de quolibet futuro, sed tantum de contingenti. Non est de præterito: ratio, quia deliberatio faciendi vel non faciendi non habet locum circa præteritum vel præsens: nulla enim deliberatio potest facere, **170** quin illud sit factum quod factum est: quod enim factum est non potest non esse factum. Similiter non potest mutari quin illud quod modo fit, fiat modo; sed quod futurum est potest non esse futurum et potest de eo deliberare quis an sit faciendum.

Sed objicitur: Impossibile est aliquem non peccare mortaliter ex libero arbitrio quin moveatur modo ad illud peccatum, vel quin motus sit prius ad illud peccatum, quoniam deliberatio præcedit peccatum; sed impossibile est aliquem modo peccare mortaliter, et non primo moveri ad illud peccatum, quod postea probabimus: ergo impossibile est aliquem modo peccare mortaliter ex libero arbitrio, et non prius fuisse motum ad illud peccatum: ergo impossibile est aliquem modo peccasse mortaliter ex libero arbitrio, et non peccasse mortaliter. Nam motus ad peccatum mortale ex libero arbitrio, est peccatum mortale; ergo impossibile est aliquem C incipere peccare mortaliter. Illa quam probare proposuimus vera est. Impossibile est enim peccare mortaliter et nunc primo moveri ad illud peccatum. Nam si quis modo peccat mortaliter, cum omne peccatum præcesserit deliberatio, quoniam omne procedit ex libero arbitrio; ergo impossibile est quod aliquis modo peccet mortaliter quin primus motus fuerit ad illud peccatum; ergo impossibile est ipsum nunc primo moveri ad illud peccatum. Ad quod dicendum puto quod, cum dicitur liberum arbitrium esse de futuro, et quod omne peccatum mortale præcedit motus liberi arbitrii, verus [*al.* malus] intellectus est de actibus exterioribus qui procedunt ex pravis motibus liberi arbitrii; nec istud verum est de motibus interioribus: non enim motum interiorem ad malum qui est ex libero arbitrio præcedit alius motus, ne fiat progressus in infinitum, et ita nunquam inveniatur initium peccati.

Nunc videndum est quale fuit liberum arbitrium, ante peccatum, et quale effectum fuit post peccatum. Distinguendi sunt igitur quatuor status liberi arbitrii: primus status fuit ante peccatum; secundus, post peccatum usque ad perceptionem sacramentorum, scilicet fidei, circumcisionis, baptismi; tertius, post reparationem sacramentorum usque ad diem judicii; quartus, post diem judicii. Ante

(55) V. Mag. 4, d. 18, § ult. V. cap. 12, seq. part., ubi docet dupliciter peccatum considerari, scilicet in actu et in reatu, primo modo dum committitur; altero postquam commissum est; et in utroque modo semper est peccatum.

(56) Mag 2, d. 25.

peccatum homo ex libero arbitrio peccare et non peccare poterat, quia cum nil ad malum impellebat, nil eum a bono expellebat. Non enim habebat infirmitatem carnis in malo, sed auxilium in bono. In secundo statu non poterat non peccare mortaliter: multa enim impellebant hominem ad malum, et nil eum juvabat in bono: habebat enim infirmitatem in malo, et non auxilium in bono; tunc ratio premebatur et vincebatur. In tertio statu non potest homo non peccare venialiter, sed potest non peccare mortaliter: aliquid enim impellit eum ad malum, et aliquid juvat eum ad bonum; infirmitatem carnis habet ad malum, auxilium habet ad bonum. In hoc statu ratio premitur, sed non vincitur. In quarto vero statu non poterit homo peccare: tunc enim infirmitas omnino erit exhausta, et gratia augmentata; tunc ratio non premetur a voluntate, nec vincetur.

Sed cum dictum sit Adam in primo statu æque se habere ad peccandum et non peccandum, et liberum arbitrium de futuris tantum esse non de præsentibus vel præteritis, videtur multipliciter posse improbari: et primo quod liberum arbitrium de præsentibus sit sicut de futuris, sic: Primo momento quo fuit Adam, liberam habuit voluntatem: ergo æque poterat eligere bonum et malum. Cum ergo tunc fuerit in bono sibi a Creatore dato, et illud elegerit: ergo ex voluntate erat talis qualis tunc fuit. Sed illud tunc erat ei præsens: ergo voluntas ejus habebat vim de præsentibus. Item, sicut tunc elegit esse in bono naturali (quod est diligere Deum ex dilectione naturali) cum voluntas æque libera sit ad bonum et ad malum; ergo potuit tunc velle diligere Deum ex naturali dilectione: ergo potuit velle malum primo momento quo fuit:
171 ergo potuit nunquam fuisse bonus, et necessarium est ipsum factum esse a Deo; ergo potuit esse factus a Deo, et nunquam esse bonus in eodem momento; ergo potuit fuisse malus factus a Deo. Item, cum voluntas ejus in *A*, quod fuit primum momentum suæ creationis, posset æque eligere hoc bonum, *diligere Deum ex naturali dilectione*, et hoc malum, *non diligere*, si puniendus erat ex appetitu mali; ergo remunerandus erat quia appetiit diligere; ergo potuit remunerari absque virtute, cum antequam virtutes haberet, illud bonum appetiit. Ergo potuit mereri sine virtutibus. Ideo si dicatur quod ex libero arbitrio non poterat habere ut esset aliqua. . . . in *A*, cum liberum arbitrium tantum sit de futuro non de præsenti. Ergo, cum in *A*, Deum diligeret, illam momentaneam dilectionem non habuit ex libero arbitrio, imo ex aliis potentiis quas habebat incorruptas, et ita non poterat tunc non diligere.

Item cum virtutes haberet ante peccatum, probari videtur quod fuerunt ei subtractæ antequam peccaret, sic: Posito quod habuerit eas in *C*, qui fuit tertium momentum, et in *D*, in *E* peccavit. Sic posito: Adam habuit virtutes in *D*; in *E* fuit ne-

A cessarium Adam habuisse virtutes in *D*. Sed impossibile fuit Adam habuisse virtutes in *D* et fuisse tunc electurum malum facere in *E*. Ergo necessarium fuit in *E* Adam non deliberasse malum facere in *E*; sed impossibile fuit Adam malum facere in *E* et non deliberasse malum facere in *E*. Ergo impossibile fuit Adam malum facere in *E*, quod falsum est, quia tunc peccavit. Media hujus ultimæ argumentationis sic probatur: In *E* non erat in potestate liberi arbitrii Adæ ut faceret quod faciebat in *E*, vel non faceret quod faciebat in *E*; quia liberum arbitrium non est de præsenti sed de futuro; et impossibile fuit Adam in *E* facere opus meritorium pœnæ quod non processisset de motu liberi arbitrii. Ergo impossibile fuit Adam malum
B facere in *E* et non deliberasse se facturum malum; et impossibile fuit ipsum deliberasse se facturum malum et non caruisse virtute saltem per unum momentum. Ergo impossibile fuit Adam facere malum et non caruisse virtute, saltem uno momento ante, ad minus. Ergo impossibile fuit ipsum fuisse malum, et non prius fuisse malum; quia, quandocunque caruit virtute, fuit malus.

Item, Adam in anima habuit voluntatem et rationem: ratio ipsius discernebat tunc quæ erant necessaria ad ejus salutem; sed diligere Deum ex charitate et non diligere Deum ex charitate, erant duo, unum necessarium ad salutem, alterum meritorum pœnæ. Ergo hæc discernebat ratione et habebat voluntatem. Ergo ea appetebat vel hoc bo-
C num vel illud malum; sed non malum; tunc enim erat tantum bonus. Ergo ea appetebat hoc bonum diligere ex charitate et hoc non habebat. Ergo puniebatur ante peccatum.

Item cum dicitur: *Liberum arbitrium est facultas voluntatis et rationis*, etc. Aut dicitur hoc de bono illo quod habuit ex creatione, aut de bono meritorio: sed non videtur intelligi de illo bono quod habuit ex creatione, quia ad illud non egebat gratia. Ergo illud intelligitur de bono meritorio. Quod si est, ita objicitur: Illud bonum meritorium non poterat eligere sine gratia, malum poterat eligere sine aliquo apposito; ergo liberum arbitrium ipsius pronius erat ad malum quam ad bonum; ergo non tan-
D tum puniri debuit si malum elegit, quantum remunerari debuisset si bonum elegisset. Sed probo quod magis, quia bonum non poterat eligere sine gratia, nec gratiam merebatur, malum autem per se poterat eligere. Ergo majus supplicium debebatur ei propter electionem mali quam præmium propter electionem boni. Item, Adam in bono erat et ipsum per experientiam noverat, malum non sustinebat nec ipsum per experientiam noverat, et ad malum nil impellebat, nec a bono aliquid removere tentabat. Ergo facilius erat ei conservare bonum 172
quod habebat, quam admittere malum quod non habebat; ergo liberius arbitrium habebat ad bonum quam ad malum.

Dico quod liberius habebat arbitrium ad malum

incurrendum quam ad acquirendum bonum meritorium quod tunc non habuit. Nam illud poterat facere sine aliquo apposito, istud non; liberius tamen habebat arbitrium ad permanendum in illo bono innocentiæ quam ad cadendum: nam utrumque poterat facere nullo apposito, et in altero jam erat, id est in mansione boni. Solutiones aliorum ex supradictis facile est sumere, quia non si peccavit Adam in *E*, necessarium fuit ipsum deliberasse de illo peccato in *D*, quod fuit primum momentum ante *E*, quia in *E* primo motus est ex libero arbitrio ad malum, et non est necessarium quod omnem motum malum liberi arbitrii præcedat alius motus ne fiat progressus in infinitum, sicut supra diximus. Exteriorem tamen actionem, sive bona sit sive mala, semper præcedit motus liberi arbitrii, bonam bonus, malam malus, et hoc naturaliter. Plerumque etiam, imo forte semper, tempore, nec tenebatur Adam tunc diligere Deum ex charitate, sicut supra diximus, ubi diversas significationes hujus verbi *teneor* distinximus.

Item, liberum arbitrium in potestate sua non habet nisi futurum, et non præsens vel præteritum. Ergo, cum Adam primo fuerit in *A*, et tunc habuit liberum arbitrium, non potuit uti libero arbitrio ad id quod fecit in *A*. Ergo non ex libero arbitrio habebat quod Deum diligebat in *A*. Ex alia igitur gratia illam habebat dilectionem quæ fuit contermina *A*. Sed illam quam habuit in *B*, habuit ex libero arbitrio: deliberavit enim in *A* se dilecturum Deum in *B*, et ita de cæteris momentis. Si autem quis dicat quod liberum arbitrium est de præsenti, inde procedo sic: Adam in *A* habebat voluntatem liberam et ut faceret quod non fecit in *A* et non faceret quod fecit. Ergo ex voluntate poterat habere in *A* ut non diligeret Deum in *A*, sicut ex voluntate habuit quod dilexit in *A*, et ita ex voluntate potuit habere ut esset malus quandocunque fuit, et ita ex voluntate potuit habere ut esset factus a Deo malus. Item, Adam in *A* potuit abuti libero arbitrio. Ergo potuit ipsum corrumpere in *A*. Ergo potuit ad malum inclinare in *A*; et ita semper potuit liberum arbitrium inclinare ad malum. Ergo semper potuit esse malus. Si dicat non potuit abuti libero arbitrio in *A*, et ita non potuit eo male uti. Ergo aliquam habebat gratiam quæ repugnabat, cum hoc non esset a natura, illam gratiam habebat (quando potuit corrumpere *A*) in *C*, vel *D*, vel non habebat. Videtur quod non haberet; si enim haberet, non posset corrumpere, sicut nec in *A* potuit. Si vero non habuit, quæritur quare eam Deus ei subtraxerit cum nondum peccasset. Item, si in *A* non potuit corrumpere liberum arbitrium, ergo in *A* non poterat peccare in *A*. Sic, aliquando fuit in tali statu in quo non poterat peccare. Item, in *A* habebat liberum arbitrium. Ergo in *A* poterat peccare

A et non peccare in *A*, cum non esset confirmatus vel obstinatus. Item, iste incipit esse malus. Ergo incipit tunc abuti libero arbitrio. Ponatur quod in *D* incipit abuti libero arbitrio. Inde sic: Nil fecit iste in *D* quod non proposuisset facere ante *D*. Ergo ante *D* proposuerat abuti libero arbitrio. Quandocunque proposuit abuti libero arbitrio malam habuit voluntatem, et quandocunque malam habuit voluntatem abusus est libero arbitrio, et ita probabitur quod nunquam incepit abuti libero arbitrio. Ista enim facile est solvere si dicatur quod Adam potuit creari a Deo et nunquam fuisse bonus, non tamen ideo potuit creari vel fieri a Deo malus: videtur enim quod Deus in eo aliquid mali fecisset,
B quod falsum est, quia totum ejus malum ab ipso vel a diabolo; totum ejus bonum a Deo, et nil nisi bonum a Deo sicut hæc anima creata est a Deo, et fuit mala quandocunque fuit, non tamen fuit creata mala a Deo.

Superius item dictum est quod in secundo statu, id est post peccatum **173** et ante reparationem non poterat homo non peccare mortaliter, imo etiam ex necessitate peccabat mortaliter. Sed hoc probatur esse falsum. Dicit enim Augustinus (57): « Homo cum peccavit ex libero arbitrio, et se perdidit et liberum arbitrium. » Ergo liberum arbitrium tunc perdidit, nec postea recuperavit. Ergo post peccatum non potuit peccare mortaliter, cum peccatum mortale ex libero arbitrio procedat. Ad hoc dicendum,
C quod libertas tripliciter dicitur: est enim libertas a necessitate, est libertas a peccato, est libertas a miseria. Libertas a necessitate homini convenit, et ante peccatum et post peccatum, quoniam nullius hominis voluntas cogi potest, unde dicitur libera a necessitate. Unde Augustinus (58): « Voluntas semper libera est, sed non semper bona. » Libera *a necessitate* intellige. Hoc enim de hac libertate dictum est: *Voluntas enim cogi non potest.* Libertas a peccato est, qua homo liber est a mortali peccato: non enim dicitur homo habere libertatem a peccato quia sit sine veniali: hoc enim esse non potest; sed quia est sine dominio peccati, id est sine mortali peccato: mortale enim peccatum dicitur habere
D potestatem in homine, et non veniale. Hanc libertatem habent tantum boni, qui scilicet carent mortali peccato, licet habeant veniale. De hac libertate dicit Apostolus: *Cum servi essetis peccati, liberi autem justitiæ, nunc liberati a peccato, et servi facti Deo, fructum accepistis in justificatione* (*Rom.* VI) Iterum: *Ubi Spiritus Domini ibi libertas* (*II Cor.* III), a peccato scilicet. Et alibi: *Si Filius vos liberarit, vere liberi eritis* (*Joan.* VIII). Libertas a miseria erit tantum in patria. Illam habebunt tantum justi. Cum ergo dicitur ab Augustino (59): « Homo per peccatum et se perdidit, et liberum arbitrium, » sic intelligendum est, id est libertatem a peccato, non liber-

(57) *Enchir.*, cap. 30.
(58) Libro *De gratia et lib. arb.*, c. 15.
(59) Mag. sup. § h. et s.

tatem a necessitate (illam enim etiam post peccatum habuit) et libertatem a miseria; illam enim nunquam habuit ex quo peccavit, sed libertatem a peccato amisit: cum enim prius haberet, id est sine peccato esset, eam perdidit, quia mortaliter peccavit.

Sed quæ fuit illa gratia, qua juvante, elegit Adam in primo momento bonum? Non enim fuit virtus, cum nondum haberet virtutes: nec potest dici quod sine gratia posset bonum eligere, cum hoc liberum arbitrium sit facultas voluntatis et rationis qua eligitur bonum, gratia assistente, et malum, eadem desistente. Non enim liberum arbitrium sufficit ad bonum inchoandum, sicut nec perficiendum. Sed istud patet determinata æquivocatione hujus nominis, *bonum*.

Cum omne peccatum sit ex libero arbitrio, quæritur secundum quem statum judicandus est homo iste, qui a nativitate corruptum habet liberum arbitrium, qui modo occidit hominem. Nam de eo qui aliquando fuit compos mentis judicabatur secundum statum in quo erat quando cœpit infatuari. Ad hoc dicimus quod impossibile credimus istud esse quod ita a nativitate homo habeat naturalia corrupta; si tamen ita sit, Dei judicio istud relinquamus.

CAPUT XXIII.

Utrum potestas peccandi sit a Deo.

(60) Sed quæritur utrum illa libertas quam habet homo ad faciendum bonum, sit liberum arbitrium (61)? Quod si est, eadem ratione illa libertas, quam habet homo ad faciendum malum, est liberum arbitrium. Ad hoc dicunt quidam quod libertas, quam habet homo ad faciendum bonum, non est liberum arbitrium, sed est quædam pronitas mentis ad bonum quæ provenit ex libero arbitrio et ex Dei gratia. Verius autem sentientes dicunt (62): Quod libertas eadem est quam habet ad faciendum bonum et ad faciendum malum, et est liberum arbitrium: sed diversis officiis diversas sortitur appellationes. Quandoque enim libera est a peccato, et tunc est bona; quandoque libera est a justitia et tunc est mala; unde dicit Augustinus (63): « Voluntas hominis semper est libera, sed non semper bona. **174** Nam quandoque libera est justitiæ et servit peccato, quandoque libera est peccati, et servit justitiæ, et tunc est bona. » Sed hoc videtur sequi inconveniens: nam, sicut dicitur quod illa libertas quam habet homo ad bonum eadem est ac illa quam habet homo ad malum; eadem ratione dicendum est quod illa potentia quam habet homo ad faciendum bonum sit eadem ac illa quam habet ad faciendum malum; quare cum illa quam habet ad faciendum bonum sit bonum, et illa quam habet ad faciendum malum, est bonum: et ita potentia quam habet homo ad peccandum est bonum.

A Sed objicitur: Quolibet bono potest quis bene uti, sed potentia peccandi est bonum. Ergo eadem potest quis bene uti. Item, potentia peccandi est bonum. Ergo naturale, vel gratuitum: sed certum est quod non est gratuitum: ergo est naturale. In Adam fuit ante peccatum, quia tunc poterat peccare et non peccare: sed omne bonum naturale per peccatum in eo fuit corruptum, et gratuitum deletum. Ergo potentia peccandi in eo fuit corrupta. Ergo post peccatum fuit minus potens peccare. Sed probo quod post peccatum fuit magis potens peccare. Quia tunc non habuit auxilium gratiæ quod prius habebat, et tunc etiam habuit corruptionem carnis; ergo tunc magis poterat peccare. Item, ante peccatum non poterat peccare nisi mortaliter; post vero
B potuit peccare et mortaliter et venialiter. Ergo magis post peccatum quam ante. Quod autem potentia peccandi bonum sit indubitanter ostenditur. In Adam fuit ante peccatum: ergo est bonum. Nam non fuit in eo nisi bonum ante peccatum. Item a Deo est, ergo est bonum. Quod autem a Deo sit, patet. Dicitur enim in Evangelio: *Hanc potestatem non haberes nisi tibi datum esset desuper* (*Joan.* XIX). Augustinus etiam dicit (64): « Cupiditatem nocendi humana malitia a se habet, potestatem autem non habet, nisi Deus det. » Item, ponatur quod iste confirmatus in proximo decedet, in isto est potentia peccandi quod est bonum; sed omne bonum quod modo est in eo, erit post resurrectionem bonum dico naturale. Ergo potestas peccandi erit in isto post resurrectionem,
C Ergo iste tunc poterit peccare.

Ad ea quæ dicta sunt dicimus quod non alia potestas est in homine quam habet ad faciendum bonum, ac illa quam habet ad faciendum malum, et est liberum arbitrium, et est bonum: nam est a Deo potestas peccandi; nam ipsa est eadem potestas bene faciendi. Quod autem dicitur: *Illud bonum fuit corruptum in Adam per peccatum. Ergo Adam post peccatum fuit minus potens peccare*, non provenit; sed fuit minus potens, non tamen minus potens peccare, sed magis. Quod autem ultimo diximus, concedi potest, si quis subtilius consideret scilicet quod potestas peccandi erit in isto confirmata post resurrectionem, sed non post resurrectionem erit in isto
D potestas peccandi. Iste enim terminus *potestas peccandi* complexus est ex nominativo et genitivo, et est quid accidentale. Unde, posito quod omnis homo desinat esse albus, nec futurus sit albus, sicut una est hæc propositio: *Homo albus erit cras;* non tamen una est hæc, *cras erit homo albus.* Et ita hic vera est hæc, *potestas peccandi erit in isto confirmato*, id est potestas illa quæ modo est potentia peccandi, non tamen in isto erit potentia peccandi: hoc enim innueret quod futurus esset potens peccare. Si quis autem dixerit, *potentia peccandi erit in isto; ergo iste erit potens peccare.* Instantia. Insensibilitas est

(60) Mag. 2, d. ult.
(61) Lib. II, d. 25.
(62) Ita Magister 2, d. 25, § II.

(63) Libro *De grat. et lib. arb.*, cap. 15.
(64) Concione in psal. XXXII, sed paulo aliter.

in isto cæco, quia cæcitas; ergo iste cæcus est insensibilis. Vel sic : Virginitas erit in isto qui erit continens vel conjungatus, ergo iste erit virgo. Pauci autem vel nulli recipiunt hanc : *Potestas peccandi erit in isto post confirmationem*, sicut nec istam : *Potestas generandi est in Filio*, licet utraque sane concedi possit si sane intelligatur. Si quis autem melius solvit, absit ut non sim paratior audire quam docere.

Illud tamen non est prætermittendum, quod potentia peccandi quandoque significat potentiam naturalem quæ est liberum arbitrium, quandoque habilitatem ad peccandum **175** quæ est ex ea, quæ aucta est per peccatum, sicut facultas dicitur ipsa ars, et facultas dicitur aptitudo quam trahimus ex ea. Unde dicitur facultas ex arte profecta.

Ad id autem quod superius dictum est, quod in secundo statu liberi arbitrii non poterat homo non peccare mortaliter, objicitur : Tunc non poterat non peccare mortaliter, ergo tunc non erat liber a necessitate : sed diximus superius, quod omnis homo omni tempore liber est a necessitate. Item, homo tunc non poterat non peccare mortaliter, A ergo non erat ei imputandum. Ad quod dicendum quod licet non posset non peccare mortaliter, tamen liber erat a necessitate, et erat ei imputandum, quoniam homo seipsum ligaverat per peccatum, sicut aliquis qui vadit Romam, dum est in itinere, se propriis manibus involvit et ligat quod pedes movere non potest : ecce non potest ire, et tamen liber est a necessitate. Nam si quis eum solveret, ire posset; et quod non vadit est ei imputandum, quoniam ipsemet se ligavit. Eodem modo in statu illo non poterat homo non peccare mortaliter, et tamen liber erat a necessitate, et erat ei imputandum, quoniam seipsum ligaverat, nec poterat solvi, nisi gratia Dei operante et cooperante. Quod autem superius dictum est : *Homo in* B *illo statu habebat liberum arbitrium; ergo tunc æque se habebat ad bonum sicut ad malum*, non est verum : sicut Deus et etiam angeli habent liberum arbitrium, non tamen æque se habent ad malum sicut ad bonum, licet aliter dicatur liberum arbitrium esse in Deo vel in angelis, et aliter in hominibus, sicut supra dictum est.

INCIPIUNT LIBRI TERTII DISTINCTIONES.

LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit virtus, quid gratia operans, et quid cooperans?

(65) Ut supra diximus, ab isto statu in quo non potest homo non peccare mortaliter, non potest C homo per se surgere absque gratia operante, nec proficere absque gratia cooperante. Necessaria est ergo gratia Dei operans quæ ipsum erigat, et cooperans quæ pedes moveat. Videndum est igitur quid sit gratia operans, et cooperans? Sed quia om-

(65) *Mag. 2, d. 26 et 27.*

nis gratia de qua hic agitur est virtus, et ideo a virtute tanquam ab altiori est inchoandum. Is igitur erit ordo hujus capituli : primo inquiremus quid sit virtus, et quid gratia operans, et quid cooperans, et utrum eadem gratia sit operans et cooperans; et si sit eadem quæ virtus ipsa sit. Secundo an virtutes, vel in virtutibus mereamur? Tertio, utrum qui habet unam virtutem habeat omnes; et si omnes, utrum pariter intensas? Virtus igitur est *qualitas mentis qua recte vivitur, qua nemo male utitur, quam Deus in homine sine homine operatur.* Ad majorem autem hujus descriptionis eruditionem præmittenda est hæc distinctio (66). Bonorum alia sunt minima, alia sunt media, alia maxima. Minima sunt sine quibus homo potest recte vivere et quibus potest abuti, ut est pulchritudo corporis. Media sunt sine quibus homo recte vivere non potest, sed eis potest abuti, ut est liberum arbitrium. Eo enim abutuntur quando inclinantur ad malum. Maxima sunt sine quibus non potest homo recte vivere, nec eis potest abuti. Est igitur conveniens descriptio : Virtus est *qualitas mentis qua recte vivitur*, etc. quia ipsa est de bonis maximis.

Quod autem virtus sit qualitas mentis et non motus, Augustinus dicit super illud psalmi CXVIII, *Feci justitiam et judicium.* [(67) *Cum Propheta dixit, feci justitiam, non virtutem quam Deus operatur et non homo, sed motum illius intelligi voluit.*] Patet igitur quod virtus est qualitas quædam et benedictio quædam quam infundit Deus animæ et non est motus animæ vel liberi arbitrii, sed excitat liberum arbitrium. Ex illa autem gratia animæ infusa et libero arbitrio excitato procreatur motus interior, ex quo interiori provenit exterior, id est actio, sicut apparet in hac expressissima similitudine (68): Ros infunditur terræ qui infusus invenit fecunditatem **177** in terra, illam excitat; ex qua excitata, et ex rore procreatur germen; ex germine fructus. Ros est divina gratia; terræ fecunditas sive terra liberum arbitrium; germen motus interior, fructus actio exterior. Nam gratia infunditur menti hujus hominis. Illa statim excitat liberum arbitrium, et procreatur motus charitatis, scilicet diligere. Statim diligit homo, et ille motus exteriorem procreat, et quod intus est in mente, manifestat opere, reficit pauperes, vestit nudos.

Quod autem virtus non sit motus, patet, quoniam sic dictum est : *Virtus est in homine sine homine*, sed motus liberi arbitrii non est in homine sine homine, nam est ex libero arbitrio; ergo virtus non est motus liberi arbitrii. Nituntur tamen quidam probare quod virtus est motus liberi arbitrii, dicit enim Augustinus (69): « Quid enim est fides nisi credere quod non vides? » Sed credere motus est; ergo

A fides est motus, sed fides virtus est. Ergo virtus est motus. Idem alibi (70) : « Charitatem autem dico motum animi. » Ergo charitas est motus Ergo virtus est motus. Item, « bonus usus liberi arbitrii est virtus. » Omnes igitur istæ auctoritates exponendæ sunt et retorquendæ ad qualitates mentis (71). Cum ergo dicitur : « Quid est fides nisi credere? » sic est intelligendum, id est nisi qualitas unde provenit ille motus, scilicet credere. Similiter : « Charitatem dico motum, » id est virtutem, unde est motus. Similiter « bonus usus, etc. » id est qualitas unde provenit bonus usus.

Ostenso quid sit virtus, videndum est quid sit gratia operans. Est quæ erigit hominem ut velit. Gratia cooperans est quæ adjuvat ut recte velit, vel B ne frustra velit, et est eadem gratia operans et cooperans, sed propter diversa officia diversa sortitur vocabula. Operans enim dicitur quia hominem erigit ut velit, quia impium justificat, quod idem est; cooperans dicitur quia adjuvat, ne homo frustra velit; sed hac assignatione facta, videtur quod ex eodem dicatur operans et cooperans, quia, ut dictum est, operans dicitur quia erigit ut velit; sed hoc non potest facere quin etiam eum adjuvet ne frustra velit propter quod ipsa dicebatur cooperans. Ergo propter idem dicitur operans et cooperans. Ideo dicunt quidam quod gratia dicitur operans quia erigit ut velit, sed dicitur cooperans quia adjuvat ut perficiat et opus addat; et ita secundum eos C gratia prius est operans et postea cooperans, et dicitur cooperans respectu sui operantis. Sed probatur quod gratia simul est operans et cooperans. Gratia infunditur huic homini, illa gratia infundendo, id est dum infunditur, movet liberum arbitrium ad bonum vel ad malum, sed non ad malum, ergo ad bonum. Et ita gratia dum infunditur, movet liberum arbitrium ad bonum. Ergo tunc cooperatur. Ergo simul operatur et cooperatur.

Ideo dicimus quod gratia simul tempore operatur et cooperatur in homine, sed non simul natura. Naturaliter enim præcedit infusio gratiæ, et sequitur cooperatio, licet simul tempore. Gratia enim in ipsa infusione excitat liberum arbitrium quod eodem momento consentit et cooperatur. Potius enim D dicitur liberum arbitrium consentire et cooperari gratiæ quam gratia libero arbitrio (72); sicut miles dicitur ire cum rege et servus cum domino, non rex cum milite, non dominus cum servo. Ex gratia igitur quæ infunditur, et libero arbitrio simul cooperante, eodem momento procedunt duo effectus, primus qui gratia coadjuvante liberum arbitrium liberat hominem a malo in quo erat, secundus, quia eum adjuvat ne frustra velit, totaque dignitas hujus liberationis ascribenda est gratiæ et non libero ar-

(66) Ex Aug. lib. I *Retract.*, c. 9; in med., et l. II, *De lib arbit.*, c. 19.
(67) August. ad hunc psalmi versic.
(68) Non aliter Magister, dist. 27, § 5.
(69) Super Joannem.
(70) Lib. III *De doctrina Christ.*, c. 10.
(71) V. Mag., d. 27, § 1.
(72) Voluntate comitante, non ducente, pedissequa, non prævia. Aug., ep. 106 ad Bonifac.

bitrio. Ipsa enim movet et excitat liberum arbitrium A ad bonum et dicitur cooperans non respectu liberi arbitrii, vel etiam sui operantis, sed respectu primi duorum prædictorum effectuum, secundum enim effectum cooperatur priori, id est operatur cum priore simul tempore.

(73) Quæritur quæ virtus gratia sit (subaudi [prima]). Videtur enim debere esse charitas, quoniam ipsa est mater omnium virtutum. Sed dicimus quod ipsa est **178** fides (74), et ideo potius hæc quam illa, quia fides est fundamentum omnium virtutum et ex hac procedunt motus omnium. Nisi enim quis habeat fidem quomodo habebit motum charitatis, id est dilectionem? *Sine fide enim impossibile est placere Deo* (*Hebr.* XI). Hæc virtus naturaliter (non B dico tempore) præcedit omnes alias, et etiam tempore præcedit motus quarumdam virtutum ut fortitudinis et temperantiæ. Nemo enim potest adversa tolerare, quod est fortitudinis, vel fugere illecebras, quod est temperantiæ, nisi in eo præcesserit fides, id est motus fidei. Cum enim dicitur fides præcedere alias virtutes, non de virtute, sed de motu intelligendum est, sicut in sequentibus ostendetur plenius.

Sed objicitur : Prima gratia est virtus quam operatur Deus in homine sine homine. Quamlibet virtutem operatur Deus in homine sine homine. Ergo quælibet virtus est prima gratia. Ad quod dicendum, in communi acceptione hujus termini *prima gratia*, verum est quod omnis virtus est prima gratia ; si in minus communi accipiatur, id est pro fide, C non est verum.

Item, cum dictum sit quod gratia sive fides infunditur homini, et inde procedit bona voluntas, objicitur : Unde enim voluntas præcedit fidem, dicit enim Augustinus (75) : « Fides est volentis et non nolentis. Ergo fides procedit ex voluntate. Ad quod dicendum quod sic exponendum : « Fides est volentis, et non nolentis, » id est fides non est nisi in volente. « Cum enim cætera possit homo volens, credere non potest nisi volens. » Quod autem auctoritas et dignitas bene operandi sit in fide, in gratia, in Dei misericordia, manifeste ostendit Apostolus ubi dicit : *Non est volentis neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* IX), scilicet bonum agere, quod divi- D næ misericordiæ et gratiæ Dei est ascribendum, non voluntati hominis. Non enim dixit (76), volentis est et non miserentis, imo econverso, « Miserentis est et non volentis. » Unde alibi : *Gratia Dei sum id quod sum, et gratia ejus*, etc. (*I Cor.* XV.) De quo etiam Isaias : *Omnia opera nostra operatus es nobis, Domine* (*Isa.* XXVI), sicut aliquis erigit hominem de luto, et postea, quia debilis est, regit et sustentat ut perficiat iter, sic Dei gratia hominem de luto peccatorum. Idem est etiam : *Velle mihi adjacet, perficere autem bonum non invenio* (*Rom.* I), quia perfectio non est nisi ex Dei gratia, nec etiam principium voluntatis quæ fit efficax.

CAPUT II.

Quot concurrant ad justificationem impii, et an primam gratiam mereamur ?

Sciendum est autem quod ad justificationem impii quatuor occurrunt : Infusio gratiæ, motus surgens ex gratia et libero arbitrio, contritio, peccatorum remissio. Nullum istorum prius est aliquo eorumdem tempore, sed tamen naturaliter præcedit gratiæ infusio et per ordinem sequuntur alia tria, non tempore, sed natura. Sciendum est autem quod quodlibet istorum quatuor dicitur justificatio, nec unum potest esse in homine sine aliis tribus. Ad primam ergo justificationem refertur quod legitur : *Justificati estis gratis* (*Rom.* III). Prima ergo gratia gratis datur non meritis ; aliter enim non esset gratia. Ad eamdem refertur quod legitur : « Justificationem operatur Deus in homine sine homine, » quod videtur esse falsum. Quam cito enim gratia infunditur, liberum arbitrium cooperatur eodem momento, et ita non est illa gratiæ infusio sine homine. Ad quod dicendum quod hæc præpositio, *in*, duo potest notare, et comitantiam temporis et causam. Si *in* notet tempus, falsum est quod infusio gratiæ sit sine homine, imo quando infunditur, cooperatur homo libero arbitrio ; si vero notet causam, verum est causa quare ei infundatur gratia. Ad secundam justificationem, id est ad motum procedentem ex libero arbitrio, et gratiam præcedentem, non tempore, sed natura, refertur quod dicitur : *Justificati estis ex fide* (*Rom.* V), id est quia credidistis. Credere enim motus est proveniens **179** ex fide et libero arbitrio. Ad idem refertur istud (77) : « Cum Deus fecerit nos sine nobis non potest justificare nos sine nobis. » Ad idem (78) : « Majus est justificare impium quam creare cœlum et terram. » Quod etiam ratione sic probatur : Deus per se potest creare cœlum et terram, sed per se non potest justificare impium nisi cooperetur liberum arbitrium. Ergo majoris est potentiæ justificare impium, quam creare cœlum et terram. Sed huic videtur hæc auctoritas contradicere (79) : « Utrumque est æqualis potentiæ, sed alterum majoris misericordiæ, » scilicet justificare impium, quam creare cœlum et terram. Dicit etiam Beda : « Non fuit minoris potentiæ curare paralyticum in corpore quam in mente, » et ita non est minoris potentiæ justificare impium quam sanare ægrotum.

Ut igitur omnes istas auctoritates concordes reddamus, sciendum est quod Dei potentia quandoque

(73) Mag. 2, d. 26, § d.

(74) Intell. : Quæ per dilectionem operatur, ut pluribus locis adnotat Augustinus.

(75) Aug., hom. 26 in Joan.

(76) Aug., *Enchir.*, ch., et in solut. 2 q. ad Simplic. circa med.

(77) Aug. *De verb. Apostol.*, ser. 15 (Qui fecit te sine te, non te justificat sine te.)

(78) Aug. tract. 72, in Joan. post med. sed paulo aliter, sensu expresso non verbis.

(79) Aug. eod. tract. 72.

ad Deum, quandoque ad effectus sive opera, sive A ad creaturas refertur. Si ergo potentia Dei ad Deum refertur, omnes actiones Dei quantum ad Deum æquales sunt: æqua enim potentia potest minima, sicut et maxima, et econtrario; sed quantum ad opera, et quantum ad effectus, majoris est potentiæ justificare impium quam creare cœlum et terram.

Cum autem Deus non det primam gratiam, ut dictum est, meritis, sed tantum gratis, inter prædictas quatuor justificationes, facienda est quædam distinctio, non negligenter sed corde tenus retinenda. Primam igitur justificationem nec meremur nec ea meremur, secundam non meremur sed ea meremur, tertiam meremur et ea meremur; quartam meremur sed ea non meremur. Primam non meremur quia gratis datur, nec ea meremur, quia non meremur B virtute, sed virtutis opere interiori vel exteriori; secundam, id est motum non meremur, nulla enim præcedunt merita, sed ea meremur contritionem et peccatorum remissionem; tertiam, id est contritionem, meremur per motum, naturaliter non tempore præcedentem, et ea meremur quartam, id est peccatorum remissionem; quartam meremur per motum, per contritionem, sed ea non meremur. Quod autem per secundam, id est per motum mereamur patet, legitur enim in Evangelio: *Dimissa sunt ei peccata multa quoniam dilexit multum* (*Luc.* III). Nec est intelligendum, ut sæpe dictum est, quod dilectio tempore, sed natura tantum præcedat remissionem peccatorum.

Nec nos latet quorumdam opinio qui in hac auctoritate faciunt hypallage, sic dicentes: *Dimissa sunt ei*, etc., id est, ipsa dilexit multum, quoniam dimissa sunt ei peccata, et ita secundum eos remissio peccatorum præcedit dilectionem, et pro remissione peccatorum dicemur Deum diligere, cum hoc non soleat dici, sed magis diligere. Cum enim nobis remittit peccata, jam eum diligimus, post remissionem non proprie dicimur eum diligere propter hoc, cum prius eum diligeremus, sed dicimur magis diligere. Ipsi autem ita transvertunt illam auctoritatem ne incurrant hoc inconveniens, scilicet ut dicant aliquam existentem in mortali peccato mereri remissionem peccatorum, quod vitare possent si ordinem prædictum quatuor justificationum attenderent. Maria enim jam non erat in mortali quando peccatorum remissio est ei data. Alii dicant quod hæc dictio *quoniam* ibi significat signum, ut sit sensus: *Dimissa sunt ei*, etc., id est dimissio fuit signum dilectionis. Sicut dicitur: Rex multum diligit me, quia dedit mihi equum, id est datio equi fuit signum quod rex diligeret me, non causa, imo potius econtrario. Cum ergo, ut dictum est, primam gratiam mereri non possimus, faciamus nobis amicos de mammona iniquitatis (*Luc* XVI): amicos, id est pauperes, vel religiosos, ut pro nobis orent, ut Deus nobis gratiam suam infundere dignetur per eorum merita, de mammona iniquitatis, id est de pecunia non æquitatis, id est quam non æquum, id est superfluum est nos habere. *Habentes victum et vestitum his contenti simus* (*I Tim.* VI), vel iniquitatis, id est quæ vix potest **180** acquiri sine iniquitate, vel frequentius cum iniquitate.

Quod autem merita aliena valeant, ostenditur ex Evangelio in quo legitur quod ex fide et meritis illorum qui deferebant paralyticum, sanatus est paralyticus. Unde eidem dicit Dominus: *Fili, remittuntur tibi peccata tua* (*Matth.* IX, *Luc.* V). Super eumdem locum dicit Beda: «Multum valet fides propria ubi tantum valet aliena.» Non est tamen intelligendum quod propter aliena merita remittantur alicui peccata, nisi parvulis, ut in baptismo fit, vel infatuatis, sive phreneticis adultis. Si enim talis est, pro parvulo reputatur, maxime si non meruit peccando ut in talem morbum incideret. Omnes enim hujusmodi, ut dicunt, ex illo statu judicabuntur in quo fuerunt quando impotentes [*for.* impotes] mentis facti sunt. Unde quidam dicunt illum paralyticum fuisse infatuatum, et ita per aliena merita remittuntur peccata, sed mediante infusione gratiæ, quia per aliena merita infunditur gratia, qua infusa remittuntur peccata.

Sed objicitur: Gratia infunditur huic pro meritis alienis. Ergo pro meritis, quod falsum est. Innueretur enim ex vi locutionis quod pro suis meritis. Fallacia. Iste episcopus dat huic præbendam pro meritis patris sui; ergo pro meritis dat huic præbendam, non: videretur enim quod pro suis. Item, C iste meretur illi primam gratiam. Ergo meretur illi vitam æternam. Ergo pro meritis illius habet iste vitam æternam. Ergo iste salvatur propter merita aliena. Nam, *ubi desunt propria merita suffragantur aliena*. Ad quod dicendum quod licet iste mereatur illi primam gratiam, non tamen vitam æternam. Nemo enim adultus salvatur tantum meritis alienis, sicut patet in hoc exemplo: Rex fecit edictum, ut quicunque ad ipsum intraret et ei obedire vellet, bravium acciperet. Ecce janitor potest facere ut intret ad regem miles iste, non tamen potest facere ut miles iste bravium accipiat, non enim potest facere ut iste miles obediat regi nisi ipse velit. Similiter iste justus potest facere orationibus suis et meritis ut ille habeat primam gratiam, non tamen D ut habeat vitam æternam, nisi consentiat et operetur libero arbitrio. Item, iste potest illi mereri charitatem. Ergo potest mereri illi quodlibet minus bonum isto; sed perseverantia in charitate est minus bonum. Ergo ille potest isti mereri ut perseveret in charitate. Non potest aliquis habere vitam æternam nisi perseveret in charitate, et econtrario. Ergo iste potest illi mereri vitam æternam. Non est ergo dandum quod iste possit mereri illi perseverantiam, cum ei cooperetur liberum arbitrium. Fallacia primæ. Iste potest sibi mereri vitam æternam. Ergo quodlibet minus bonum, et ita fidem: quod est falsum.

Item, a nemine exigit Deus nisi quod potest, sed a quolibet exigit ut habeat fidem cum charitate.

Ergo quilibet potest facere ut habeat fidem cum charitate, ergo ut habeat fidem, ergo ut habeat primam gratiam. Nam si nemo potest facere ut ipse habeat primam gratiam, et sine gratia nemo potest salvari. Ergo non est imputandum alicui si non salvetur. Ad quod dicendum quod hæc propositio: *Aliquis homo potest facere ut habeat primam gratiam*, dupliciter potest intelligi, si enim ita intelligatur, aliquis homo potest facere ut habeat primam gratiam, id est ita potest se habilem reddere quod possit gratiam Dei suscipere, si Deus eam apponere velit, verum est. Si vero ita intelligatur, homo potest facere ut Deus ei apponat gratiam, falsum est, sicut patet in hoc exemplo: Iste debet domino suo quamdam procurationem semel in anno, iste potest facere ut habeat dominum suum hospitem, id est potest se et domum suam ita præparare et ornare quod si dominus ejus venerit, honeste possit eum recipere, ita verum est. Sed non potest facere ut habeat dominum suum hospitem, id est ut dominus suus apud eum veniat, nisi ipse velit; est enim in arbitrio domini sui.

Item, iste potest facere ut ille eremita mereatur ei primam gratiam: potest enim facere amicos de mammona **181** iniquitatis. Ergo potest mereri primam gratiam, si non simpliciter, tamen per medium: non est verum. Quemadmodum si iste oret patrem suum ut ipse oret episcopum ut det ei præbendam, non ideo iste orat episcopum ut det ei præbendam. Eum enim non novit, nec vidit. Item, iste potest mereri alii primam gratiam; hoc non potest facere sibi; nemo enim sibi meretur primam gratiam. Ergo plus potest alii prodesse, quam sibi. Fallacia. Iste laicus potest acquirere præbendam filio suo litterato, et non sibi. Ergo plus potest prodesse alii quam sibi. Item, auctoritate: *Pœnitentia restituit omnia ablata;* sed iste per mortale peccatum amisit primam gratiam. Ergo per pœnitentiam potest eam recipere. Ergo per pœnitentiam potest charitatem mereri. Ergo aliquis per pœnitentiam potest mereri primam gratiam. Ad hoc dicendum quod cum dicitur, *Pœnitentia restituit omnia ablata*, intelligitur de meritis exteriorum actionum quæ factæ sunt in charitate, non de virtutibus; quare non de prima gratia, cum sit virtus.

Item, quæritur utrum sit dignus prima gratia quando ipsa ei infunditur. Quod si est, ergo tunc meretur primam gratiam. Fallacia. Filius regis est dignus regno; ergo regnum habere meruit. Item, iste ante infusionem gratiæ fuit vel non fuit dignus gratia. Si dicas, *dignus*, improbatur; tunc erat in mortali peccato, ergo tunc non erat dignus gratia. Si dicatur quod non erat dignus, ergo quare dictum est homini; *Fili, accedens ad servitutem Dei præpara animam tuam?* (*Eccli.* II.) Dicitur etiam super Malachiam prophetam (80): « Præcedit quiddam in pectoribus, quod licet nondum justificati

A sint, digni tamen justificationibus inveniuntur. » Ad hoc dicendum quod ante infusionem gratiæ non est homo dignus gratia. Quod ergo dicitur homini, *Fili, accedens*, etc., sic est intelligendum, id est fac te habilem ad suscipiendam gratiam, quod fit intellectu et cogitatione. Prius enim intelligit homo volens se esse habilem ad suscipiendum gratiam, quam magna sit misericordia Dei, quam dulcia sint ejus præcepta; deinde statim cogitat qualiter illa possit implere. Et ista duo sunt illa dignitas quam dicit auctoritas super Malachiam, præcedere in pectoribus qua digni inveniuntur justificationibus, id est gratia, licet nondum justificati sint; et his dicitur: *Homo, accede ad servitutem Dei.*

CAPUT III.

B *Utrum prima gratia mereamur. Ubi etiam quæritur, an virtus melior sit quam opus virtutis.*

Ex his ergo patet quod nemo meretur sibi primam gratiam. Ad ostendendum vero quod nemo mereatur prima gratia, sufficiat unum argumentum. Hoc enim constans est apud omnes, ut credimus: Nemo meretur nisi in eo in quo operatur: sed infusione gratiæ nil operatur homo, ut ibi sit causale et non temporale. Ergo infusione gratiæ nemo aliquid meretur. Ergo prima gratia nemo meretur. Econtrario, virtutes faciunt nos dignos vita æterna; ergo virtutibus meremur vitam æternam. Fallacia. Iste scientia est dignus præbenda, ergo scientia meretur præbendam. Vel, iste nobilitate est dignus C regno, ergo nobilitate meretur regnum. Non. Item, pro quolibet peccato irrogat Deus pœnam, et non pro quolibet bono dat coronam sive præmium, quia non pro virtutibus, sed pro operibus virtutum; ergo pronior est Deus ad puniendum, quam ad remunerandum. Fallacia. Adam ante peccatum per se poterat cadere et non per se poterat proficere; ergo pronior erat ad malum, quam ad bonum. Item, virtus et opus virtutis sunt duo bona; Altero eorum meremur, altero non meremur; ergo illud quo meremur melius est quam illud quo non meremur; ergo opus virtutis melius est quam virtus.

Ad quod dicendum quod hujusmodi comparatio inconveniens est, quoniam ex virtute procedit opus. D **182** Quemadmodum et omnes istæ: Arbor est melior quam ejus fructus, vel fructus melior quam arbor; ager melior quam seges, vel econtrario; medicina melior quam sanitas, et econtrario. Æternum supplicium magis vitandum est quam peccatum, vel econtrario. Omnes hujusmodi comparationes incongruæ sunt, quoniam unum propter aliud. Si enim dicas quod peccatum magis est vitandum quam æternum supplicium, improbo, quia peccatum per pœnitentiam potest deleri, æternum supplicium nullo modo. Ergo æternum supplicium magis est vitandum quam peccatum. Econtrario, nil magis vitandum quam offensa Dei, sed pecca-

(80) In Glossa ad hunc locum prophetæ.

tum est offensa Dei, ergo est magis vitandum quam æternum supplicium. Item, esse in inferno est damnum quo habito necesse est incurrere pœnam æternam, quo nullum damnum est majus, sed potest aliquis habere mortale peccatum, etsi non sit puniendus pœna æterna. Ergo magis est vitandum esse in inferno quam peccare mortaliter. Fallacia. Purgatorius ignis est pœna in qua si quis est, vitam æternam habebit, sed non si quis habebit charitatem habebit vitam æternam. Ergo magis diligendum est esse in igne purgatorio quam habere charitatem : quod falsum est. Licet enim purgatorius ignis sit pœna, qua habita necesse est haberi vitam æternam qua nil melius, habita tamen charitate non sit necesse eam haberi; magis tamen appetendum est esse in charitate quam ibi. Ita etiam sunt duo bona quorum unum magis est appetendum quam illa duo simul, ut magis est appetenda fides virtus quam fidei virtus, et charitas imperfecta. Ita etiam sunt duo quorum unum tantum est appetendum quantum et ipsa duo, ut beatitudo et justitia. Itaque hujusmodi omnes comparationes damnandæ sunt.

Quod autem virtus magis sit appetenda quam virtutis opus, videtur sic. Absque virtute non potest opus esse meritorium. Ergo magis est virtus appetenda quam opus virtutis. Item, virtus est quasi arbor; opus est quasi fructus, et sine arbore non potest fructus haberi. Ergo magis est appetenda virtus quam opus virtutis. Item, virtus justificat sine opere, sed non opus sine virtute : justificat enim parvulos et etiam quosdam adultos. Ergo melior est virtus quam opus. Istarum orationum conclusiones omnes sunt incongruæ, ut dictum est, et tamen earum possunt esse solutiones et instantiæ; aliæ tres præmissæ orationes.

Cum autem virtutes sint diligendæ, quæritur utrum aliquo quatuor modorum sint diligendæ, qui solent assignari : quatuor enim sunt quæ charitate sunt diligenda, Deus, proximus, caro, anima. Deum tenemur diligere plus quam nos, sed non sic virtutem; proximum ut fruatur Deo, nec sic virtutem, carnem ut glorificetur, nec etiam sic virtutem; animam ut in ea fruamur visione Dei, sed non sic virtutem ut videtur; quomodo ergo diligendæ sunt virtutes, cum sint eæ diligendæ? Dicimus quod dilectio virtutum comprehenditur sub dilectione animæ. Sicut enim diligo carnem meam ad glorificationem, ita diligo caput meum quod est pars ejus, ut cum ea glorificetur. Similiter sicut animam diligo, ita et virtutes quæ sunt bona animæ, ut scilicet per eas fruamur visione Deitatis in gloria.

CAPUT IV.

Utrum mereamur motum qui est ex gratia et libero arbitrio, vel eo mereamur?

Ostenso quod primam justificationem non meremur nec ea meremur, transeundum est ad secundam justificationem, id est ad motum provenientem ex gratia et libero arbitrio. Quæritur ergo an ipsum meremur. Quod autem ipsum non meremur patet. Si enim cum mereremur, aliquid præcederet tempore vel natura quo ipsum mereremur; sed tempore nil præcedit nisi peccatum : quare cum peccato non mereamur illum motum, nil præcedit tempore **183** quo mereamur illum motum. Natura autem nil præcedit nisi gratiæ infusio. Gratia autem nil meremur, ut jam ostensum est. Ergo motum illum nil præcedit natura, vel tempore quo illum mereamur. Ergo illum non meremur : quod verum est. Illo tamen secundo modo meremur tertiam justificationem, id est contritionem; tertiam intellige non tempore, sed natura.

Sed objicitur : Iste motu proveniente ex libero arbitrio et gratia meretur contritionem, sed contritio pœna est. Ergo motu illo meretur pœnam; sed ille motus bonus est. Ergo bono motu meretur pœnam. Item, videtur posse probari quod aliquis mortali peccato mereatur remissionem peccatorum; latro enim peccavit mortaliter, aliquam pœnam meruit. Ergo temporalem vel æternam; sed nulla æterna est ei inflicta, quia statim fuit in paradiso, nec legitur quod aliquam pœnam temporalem sustinuerit nisi contritionem; et aliquam meruit; ergo contritionem meruit. Sed per contritionem habetur remissio peccatorum, ergo latro meruit id unde haberetur remissio peccatorum. Ergo unde salus. Ergo iste per peccata mortalia meruit salutem æternam, et ita peccato mortali aliquis meretur salvari. Item, sicut nullum bonum irremuneratum, ita nullum malum impunitum; sed peccatum latronis non fuit punitum æternaliter, ergo temporaliter, sed non nisi contritione. Ergo mortali peccato meruit contritionem : et ita oppone ut ad id quod primo dictum est.

Dicimus quod iste bono motu meretur pœnam talem, scilicet contritionem, quia ipsa est mitis pœna et medicinalis, quoniam spem habet futuræ sanitatis, id est peccatorum remissionis. Illa enim est ad mitigationem, vel etiam ad deletionem majoris pœnæ; sicut iste infirmus ulceratus bona voluntate patitur incisionem quam facit ei medicus, quoniam spem habet ut per eam sanetur; et est ei ad mitigationem majoris infirmitatis quæ sequeretur nisi hic fieret, vel ex toto ad deletionem ægritudinis. Quod postea dicitur, quod aliquis mortali peccato mereatur contritionem, vel peccatorum remissionem, non concedimus, imo tantum pœnam æternam. Hoc igitur argumentum falsum est : *Iste meruit aliquam pœnam peccato mortali, et non est ei inflicta nisi contritio. Ergo meruit contritionem.* Fallacia. Iste homicida meruit suspendium, et rex abscidit ei pedem. Ergo iste non meruit nisi hanc pœnam : falsum est, quia rex misericorditer egit cum illo et majorem pœnam ei debitam commutavit in minorem. Ita rex cœlestis pœnam debitam mortali peccato, id est æternam, misericordia sua mutavit in temporalem quam ille non meruit. Quod postea dicitur : *Nullum malum impunitum*, verum

est, vel æternaliter, vel temporaliter. Illud autem peccatum latronis sancti non fuit punitum æternaliter, sed temporaliter per contritionem, quia misericorditer actum est cum eo. Vel dicitur nullum malum impunitum, quia statim subtrahit Deus gratiam. Vel dicitur nullum malum impunitum, id est pro omni malo punitur homo. Distingue tamen æquivocationem propositionis, punitur enim pro malo, vel pro eo tollendo per contritionem, qua tollitur peccatum; vel pro peccato, id est merito peccati, et ita æternaliter si fuerit mortale.

(81) Quæritur autem, cum Deus misericors sit, quare pro peccato, cum sit temporale, punit hominem æternaliter? Ad hoc reddunt rationem quia sicut homo qui non vult pœnitere et ita moritur, *peccat in suo æterno*, et, si semper viveret, semper peccaret, ita Deus hominem punit (82) *in suo æterno*. Vel aliter satis rationabiliter potest dici quod Deus non punit hominem æternaliter pro peccato temporali, sed pro æterno. Peccatum enim mortale est æternum. Cum enim sit in anima, et in præsenti vita non deleatur, certum est quod post mortem non delebitur. Ibi enim non erit locus delendi peccata, et ita semper erit in anima et ita erit quandiu anima. Ergo æternaliter, et ita peccatum mortale quod hic non deletur per contritionem vel confessionem, æternum est. Licet ergo Deus **184** pro illo peccato puniat æternaliter; tamen misericorditer agit cum eo, in hoc scilicet quod in hac vita eum non punit, imo exspectat, si pœnitere velit usque ad mortem; non vult enim mortem peccatoris, sed pœnitentiam (*II Petr.* III), quam si habuerit, mutat Deus pœnam illam in temporalem.

CAPUT V.

An major contritio exigatur ad deletionem mortalis quam venialis peccati.

Nunc transeundum est ad tertiam justificationem, id est ad contritionem. Quæritur ergo cum tam veniale quam mortale deleatur per contritionem, utrum major contritio necessaria sit ad mortalis peccati deletionem quam venialis peccati, vel econtrario? Quod autem major necessaria sit ad deletionem criminalis quam venialis, sic ostenditur: Tam veniale quam mortale peccatum deletur per contritionem, sed mortale peccatum gravius est et majus quam veniale peccatum. Ergo major contritio est necessaria ad deletionem mortalis peccati quam ad deletionem venialis. Item, pœna æterna debetur mortali peccato, temporalis tantum debetur veniali; et nec hoc, nec illud potest deleri nisi per contritionem. Ergo major contritio exigitur ad deletionem mortalis quam venialis. Item, ut dicit auctoritas, cumulo venialium par est mortale peccatum; demonstratur ergo minimum hoc mortale peccatum, par est huic multitudini venialium. Ergo quanta contritio sufficit ad deletionem hujus mortalis peccati, sufficit ad deletionem hujus multitudinis, sed quanta sufficit ad deletionem hujus multitudinis sufficit ad deletionem unius peccati; de hac multitudine ergo quanta sufficit ad deletionem hujus mortalis peccati sufficit ad deletionem hujus venialis. Vel sic: Tanta contritio sufficit ad deletionem mortalis peccati quanta sufficit ad deletionem hujus multitudinis, et econtrario; sed major exigitur ad deletionem hujus multitudinis, quam ad deletionem alicujus de hac multitudine. Ergo major exigitur ad deletionem hujus mortalis quam hujus venialis. Item, plus superat pœna æterna temporalem, quam quælibet maxima contritio, quantumlibet minimam, et quam quantumlibet mortale peccatum quantumlibet veniale, sed maxima contritione deletur mortale peccatum quantum ad reatum. Ergo quantumlibet minima contritione deletur quantumlibet veniale. Ergo major contritio debetur mortali peccato quam veniali. Item, veniale quotidie deletur per Dominicam Orationem, per quantulamcunque contritionem, per peccatoris tunsionem, et hujusmodi: sed mortale non deletur nisi per maximam contritionem. Ergo major contritio deletur mortali quam veniali (83). Item, si major debetur veniali quam mortali, ergo veniale difficilius dimittitur quam mortale. Quod si est, ergo perit ille mysticus sensus qui habetur super Evangelium de Domino qui suscitavit tres mortuos, unum in domo (*Matth.* IX), alium in porta (*Luc.* VII), tertium in sepulcro (*Joan.* XI). Per primum, quoniam cito et sine signo laboris suscitavit Dominus in domo, intelligitur peccatum quod est in cognitione, quod cito et de facili deleri potest. Per secundum quem suscitavit in porta, tamen cum majori signo laboris quam primum, intelligitur peccatum, quod jam pervenerat ad portam quæ est in homine, id est ad os, quando scilicet homo loquitur de peccato quod mente conceperat ut ad actum perducat. Istud enim non tam facile potest deleri sicut primum peccatum. Per tertium quem suscitavit in sepulcro cum maximo dolore et gemitu (unde flevisse ibi legitur) et jam fetidum quia quatriduanum, intelligitur peccatum mortale, quod cum maxima contritione et gemitu et effusione lacrymarum deletur. Ergo major contritio exigitur ad deletionem mortalis quam venialis.

(84) Videtur autem posse probari econtrario quod major contritio exigatur ad deletionem venialis quam **185** ad deletionem mortalis sic. Aliquis decedens conteritur de omni peccato et pœnitet nominatim de omni criminali, et generaliter de omni veniali. Quod habet ille fert secum, lignum, fenum, stipulam. Ergo fert secum reatum peccati venialis. Ergo per illam contritionem non est deletum peccatum

(81) Vide inter alios Aug. XXI *De civit.* c. 11, etc. Greg., l. IV, *Dialog.* c. 44.

(82) D. Thom., *Supplem.*, q. 99 a, 1, in c. [Alia ratio est, quia homo in suo æterno peccavit.]

(83) Aug. lib. I. *Ser. Dom. in monte*, ante med. V. notas ad Pullum. Mag. 4, d. 16.

(84) V. Mag. IV, dist. 21.

veniale quantum ad reatum, et ea est deletum mortale peccatum et quantum ad reatum et quantum ad pœnam. Ergo illa contritio non sufficit ad deletionem peccati venialis. Ergo aliqua contritio sufficit ad deletionem mortalis quæ non sufficit ad deletionem venialis, et ita major contritio exigitur ad delendum veniale quam mortale. Nam si illa contritio qua deletur mortale sufficit ad delendum veniale, quare ergo non deletur veniale sicut et mortale per illam contritionem? Quid impedit? Item, possibile est aliquem existentem in charitate habere peccatum veniale. Ergo possibile est aliquem conteri de omni mortali, et retinere veniale. Sit ergo ita: iste pœnitet nominatim de omni mortali, et generaliter de veniali, conteritur de omni, et remanet veniale, et deletur mortale. Ergo illa contritio non sufficit ad delendum veniale.

Item, aut possibile aut impossibile est istum pœnitere de aliquo peccato, et non pœnitere de omni peccato. Si dicat quod impossibile est istum pœnitere de aliquo peccato quin pœniteat de omni; sed impossibile est istum pœnitere de omni quin deserat omne. Ergo impossibile est istum pœnitere de aliquo quin deserat omne; sed iste pœnitet de aliquo. Ergo deserit omne: quod falsum est. Iste enim vehementem dilectionem quam habet erga filios suos non deserit, licet de hoc pœniteat. Si vero dicat quod possibile est istum pœnitere de aliquo et non pœnitere de omni, cum de uno mortali non possit pœnitere, quin pœniteat de omni mortali, et econtrario, et impossibile est istum pœnitere de omni mortali. Ergo possibile est istum pœnitere de omni mortali, et non de omni veniali. Ergo possibile est istum conteri de omni mortali remanente veniali, et ita possibile per aliquam contritionem omne peccatum mortale deleri remanente veniali. Ergo contritio quæ delet mortale non sufficit ad delendum veniale.

Item, veniale peccatum remittitur alicui post mortem, sed certum est quod nil dimitteretur alicui post mortem nisi peccata ejus mortalia ante ejus mortem deleta essent. Ergo alicui remittitur peccatum veniale post mortem cujus peccata mortalia prius deleta sunt per contritionem. Ergo per aliquam contritionem deleta sunt mortalia et non venialia. Ergo illa contritio sufficit ad delendum mortale, et non veniale; et ita major exigitur ad delendum veniale quam ad mortale. Quod autem peccatum veniale post mortem dimittatur, habetur ex Evangelio dicente: *Qui peccaverit in Spiritum sanctum nec in hoc sæculo nec in futuro remittetur ei* (*Matth.* XII). Per quod innuitur quod aliquod peccatum remittatur post mortem. Si quis vero dicat ideo dici peccatum veniale remitti post mortem, quia dimittitur quantum ad pœnam, non quoad reatum. Eadem ratione posset dici quod mortale

A dimittatur post mortem, cum pœna ipsius dimittitur; quod tamen non legitur in sacra Scriptura.

Ad istas rationes inducunt quidam hanc solutionem: dicunt enim quod contritio illa quæ sufficit ad delendum mortale, non sufficit ad delendum veniale, et inducunt exemplum. Sicut contingit quod quædam medicina sufficit ad delendam magnam infirmitatem, quæ non sufficit ad delendam minimam infirmitatem, et sicut lux matutina sufficit ad delendum tenebras noctis, non tamen sufficit ad delendum minimum nubilum quod supervenit in die. Aliis autem melius videtur quod quæcunque contritio sufficit ad delendum mortale, sufficit ad delendum veniale; sed non quæcunque delet mortale delet veniale; quandoque enim deletur mortale et

B remanet veniale, ut in isto qui decedit cum vehementi dilectione filiorum. Sed cum illa contritio sufficiat ad delendum **186** veniale, quare non delet veniale, sicut et mortale? Ideo, quia non pœnitet de illo, dolet tamen se habere illud et non conteritur, sed non dimittit impediente carnali dilectione. Sed quæritur unde hoc proveniat quod, deletis mortalibus, remanet veniale (85). Inde, scilicet quia charitas non dedignatur habitare cum veniali; et tamem dedignatur habitare cum mortali, quare, deleto mortali, per contritionem potest aliquis decedere cum veniali, et ferre secum lignum, fenum, stipulam, id est venialia, quorum quædam comparantur ligno, quia graviora sunt et difficiliora ad

C delendum, quam cætera, sicut lignum difficilius est ad comburendum, quam fenum vel stipula; alia feno, quia aliquantulum levia sunt, et facilia deleri; alia stipulæ quia valde facilia sunt ad delendum, sicut stipula ad comburendum.

(86) Quæritur autem utrum idem sit ædificare lignum, fenum, stipulam, et peccare venialiter, quod si est; sed et idem est ædificare aurum, argentum et lapides pretiosos, quod est diligere Deum, et omnes illi qui ædificant aurum, argentum, lapides pretiosos (quod est diligere Deum) peccant venialiter, quia nemo est in hac vita sine veniali. Ergo omnes illi ædificant lignum, fenum, stipulam; ergo transibunt per purgatorium quia omnes qui ædificant lignum, fenum, stipulam, transibunt per

D purgatorium. Ad quod dicendum est quod non est idem ædificare lignum, fenum, stipulam, quod peccare venialiter. Est enim ædificare lignum, fenum, stipulam habere, carnalem affectum circa temporalia, sed Deum præponere. Omnis ergo qui ædificat lignum, fenum, stipulam, peccat venialiter, sed non convertitur, ut jam patebit. Ædificare autem aurum, argentum, lapides pretiosos, est Deum perfecte diligere, et omnia terrena despicere. Omnis ergo talis Deum diligit, sed non omnis qui Deum diligit est talis. Illi ergo qui ædificant aurum, argentum, lapides pretiosos, peccant quandoque ve-

(85) Aug. in *Enchirid.*, c. 69, lib. XXI *De Civit.*, c. 26; *Enarrat. in psal.* 80, ante fin. Et *concione* 3 in psal. 103.

(86) Mag. 4, d. 21, § 3.

nialiter, non tamen ædificant lignum, fenum, quia A statim deletur veniale peccatum in eis, tantum enim habent fervorem charitatis, quod statim exstinguitur in eis veniale peccatum, sicut gutta aquæ in camino.

CAPUT VI.

Si quis possit conteri ex charitate de uno peccato, et non de alio cujus est reus.

(87) Cum autem dictum sit quod peccatum mortale potest deleri remanente peccato veniale, non deleto nec quantum ad reatum nec quantum ad pœnam, objicitur : Dicit enim Augustinus (88) : « Impietas est infidelitatis, ab eo qui summa justitia est, dimidiam sperare veniam. » Quasi dicat : qui sperat quod Deus dimittit alicui dimidiam partem suorum peccatorum et non B omnia, id est mortalia, et non venialia, infidelis est. Ergo nulli dimittuntur mortalia sine venialibus. Ad quod dicimus quod hæc auctoritas intelligenda est de criminalibus; nam nulli remittuntur aliqua mortalia, cui non remittuntur omnia quæ habet : nulli dimidiantur mortalia. Unde non licet cuiquam dimidiare contritionem vel confessionem suam, ut de quibusdam conteratur, et non de omnibus, ut quædam confiteatur et non omnia, cum sit memor eorum. Unde si quis habeat duo mortalia et unum illorum confiteatur sacerdoti, dolens et proponens se non de cætero secuturum illud peccatum, reliquum vero abscondat nolens confiteri, et satisfactionem exsequatur sibi injun- C ctam pro illo peccato quod confessus est : longo vero tempore post confiteatur reliquum quod tacuerat ut post duos vel tres annos, oportet ut ille redeat ad confitendum peccatum quod prius confessus fuerat, ad exsequendam iterum satisfactionem pro eo, quoniam prior confessio non fuit vera confessio, sed fraudulenta, nec satisfactio fuit digna satisfactio, nec ideo erit duplex tribulatio, vel ideo puniet Deus bis in idipsum (*Nahum* I) (89); quod quidem **187** fieret si prius digne pœnituisset et satisfecisset, et postea iterum cogeretur ad satisfactionem.

Nituntur tamen quidam probare quod iste pœnitens fuit qui prius confessus est unum mortale celando alterum : *Pœnitentia est commissa flere, flenda non committere.* Sed iste flevit peccatum illud, et proposuit abstinere ab eo et abstinuit. Ergo veram pœnitentiam habuit. Falsum est, quia non flebat propter Deum, non flebat cum charitate. Si enim propter Deum fleret, nullum peccatum taceret cujus memor esset; quod ideo dico quia si non esset memor, forte ignorantia eum excusaret si esset invincibilis, nisi merito peccati in illam incideret. Quando enim homo vult peccata sua confiteri, diligenter ante debet præcogitare, ne aliquod ex ignorantia etiam præmissa cognitione omittat, et postea illud ad memoriam reductum confiteatur, non tenetur iterum ad priorem confessionem nec satisfactionem redire.

CAPUT VII.

Utrum pro majori peccato magis teneamur conteri quam pro minori.

Dictum est supra quod quanto majus est peccatum, tanto magis tenetur conteri aliquis. Sed objicitur : Quanto magis iste peccat, tanto magis tenetur conteri, sed ille alius qui minus peccat magis conteritur; ergo iste transgreditur, vel insufficienter conteritur, si transgreditur. Ergo mortaliter peccat. Ergo non habet charitatem. Ad quod dicendum quod quanto aliquis magis peccat, tanto magis tenetur conteri, ut adverbium determinet hoc verbum *tenetur*, sed non tenetur magis conteri. Quantumcunque enim sit peccatum, ad delendum ipsum quantum ad reatum (non dico quantum ad pœnam) sufficit omnis contritio habita cum charitate, sive sit magna, sive sit parva, dum solummodo habeatur cum charitate; quod inde patet, quia quam cito adest charitas, tam cito deletur peccatum mortale, quia esse simul non possunt. Sic ergo qui magis peccat, magis tenetur ut conteratur, sed non tenetur ut conteratur magis, quoniam sufficit quantalibet contritio si habeatur cum charitate, ad delendum reatum; sed ipse tenetur magis satisfacere. Satisfactio enim non tota tenetur in contritione, sed et in oratione, et in eleemosynarum largitione. Si enim tota tenetur in contritione, qui peccaret magis, tenetur conteri magis, sicut qui magis peccat, tenetur magis satisfacere. Hoc igitur argumentum falsum est : *Qui magis peccat, magis tenetur conteri; sed ille alius magis conteritur quam iste. Ergo iste transgreditur.* Nota tamen quod in hoc verbo, *tenetur multiplex* est æquivocatio. Nam *tenetur* dicitur de præcepto, de præmio, de commisso, et forte aliis modis. Nullus ergo de præcepto magis tenetur alio, nec de præmio, sed de commisso magis tenetur qui plus commisit, vel cui plus commissum est, ut in utraque significatione hujus nominis *commissum* verum sit quod dictum est.

Item contritio est meritum vitæ æternæ, mediante scilicet remissione peccatorum. Ergo quanto magis aliquis conteritur, tanto magis tenetur esse bonus. D Ergo tanto tenetur esse melior. Ergo si non sit melior quam ille qui minus peccavit, transgressor erit. Fallacia primi. Medicina est effectiva sanitatis. Ergo quanto majorem medicinam accipit iste, tanto magis efficitur sanus. Item, iste qui magis peccat quam ille, magis conteritur quam ille. Ergo intensiorem habet charitatem quam ille; non enim videtur quod ex charitate æque intensa pares possint haberi contritiones. Sed probo quod ille intensiorem charitatem habet : nam ille conteritur, et contritio restituit ablata. Ergo contritio restaurat ea quæ amisit. Ergo cum restituit in altiori gradu, posito quod inde

(87) Mag. 4, d. 15.

(88) Lib. *De vera et falsa pœnit.*, c. 6, non longe a fine.

(89) V. Hieronym. ibidem.

ceciderit. Ergo ille est in altiori gradu charitatis. Ergo habet intensiorem charitatem quam iste qui magis conteritur. Hæc autem discutienda reservabimus, **188** donec de charitate tractemus.

Si quis ea quæ prædicta sunt consideret, videre potest quod quælibet contritio habita ex charitate, sufficit ad delendum mortale peccatum quantum ad reatum, non quantum ad pœnam, quod solus Deus scit, qui novit cogitationes hominum, qui novit abscondita cordis. Et inde est quod nostri sacerdotes injungunt satisfactionem ad delendum mortale peccatum quantum ad pœnam, cum sit deletum quantum ad reatum per contritionem. Ergo quod deest satisfactioni in contritione, supplent per exteriorem satisfactionem, ut per orationem, per eleemosynarum largitionem, per jejunium et carnis maceratio- B nem, et hujusmodi. Si enim sciret sacerdos quod tanta esset in pœnitente contritio quod sufficeret ad delendum reatum et pœnam, non esset ei necessarium injungere aliam satisfactionem; sed quia nescit et etiamsi sciat, bonum est ut injungat. Melius est enim ut plus faciamus quam minus. Si enim satisfactio non invenit quam deleat pœnam, est ad majorem coronam.

CAPUT VIII.

Utrum Deus hominem puniat pro peccato quantumcunque meruit puniri, et ita misericorditer.

Quæritur autem utrum tanta possit esse contritio quod sufficiat ad delendum peccatum, utroque modo et quantum ad reatum, et quantum ad pœnam: C quod concedimus, sicut contigit in latrone. Non enim legitur quod aliquam pœnam passus sit nisi contritionem; similiter in beata Maria Magdalene. Sed ad hoc objicitur: Tanta est contritio quæ est in isto, quantum fuit mortale peccatum in eo: illa contritio est pœna a Deo inflicta. Ergo Deus tanta pœna punit istum quanta meruit puniri. Ergo Deus punit istum quantum meruit. Ergo non agit misericorditer cum eo. Item, sicut contritio tanta est quantum est peccatum, nonne aliqua contritio potest esse major quam peccatum et superabundare potest? Sed illa contritio pœna est a Deo huic inflicta pro peccato. Ergo majori pœna punit Deus istum quam ipse meruit. Ergo magis punit eum quam meruit. Ergo Deus non solum misericorditer agit cum eo, D sed et crudeliter. Quod autem Deus neminem puniat tantum quantum meruit pœna temporali, probo uno solo argumento: Quicunque peccat mortaliter meretur puniri æterna pœna, sed temporalis pœna nil est respectu æternæ, ergo neminem punit Deus pro peccato mortali temporali pœna majori quam meruit puniri.

Ad hoc dicendum est quod neminem punit Deus quantum meruit puniri pro peccato, et intellige istud *pro* dupliciter, sicut superius, id est nec pro peccato tollendo, nec merito peccati. Si enim puniat hominem pro peccato tollendo, pœna temporali, certum

A est quod non punit eum quantum meruit, quia non punit eum pœna æterna. Item, si punit Deus hominem pro peccato, id est merito peccati, æterna pœna, non punit eum quantum meruit, quia semper parcit Deus, semper aliquid laxat de pœna debita. Cum autem dicitur: *Tanta est contritio istius, quantum fuit mortale peccatum ipsius*, hoc dupliciter potest intelligi. Sed attende prius quod peccatum non dicitur ita magnum quantitate ut lignum, vel lapis, sed diuturnitate vel contemptu, vel frequentius [*for.* frequentia], quia magna pœna est debita ei quod est ex contemptu; unde dicitur unum peccatum esse majus alio, quoniam major est pœna uni quam alteri debita. Cum ergo dicitur tanta est contritio istius quantum fuit peccatum ipsius, id est tantum effectum habet ipsius contritio quantum habuit peccatum, verum est; sicut enim peccatum separavit eum a Deo, ita contritio eum reconciliat Deo. Sicut et hæc propositio dupliciter potest intelligi: *Hæc medicina tanta est quantum est apostema;* quantitate, falsum est; sed tanta et tantum habet effectum, verum est. Sicut enim apostema **189** fecit istum ægrum, ita et hæc medicina sanum.

(90) Cum igitur constet quod Deus neminem punit tantum quantum meruit, dubium est utrum pœna æterna tantum puniat aliquem quantum meruit. Quidam enim hoc dicunt et ita distinguunt; cum Dei misericordia et ejus justitia essentialiter sint in omnibus ejus operibus, tamen ejus justitia et misericordia non sunt in omnibus ejus operibus quantum ad effectum, et non in omnibus ejus operibus apparent effectus justitiæ et misericordiæ ejus; in quibusdam enim effectus est misericordiæ et non justitiæ, ut in parvulis qui statim decedunt post baptismum. In aliis est effectus justitiæ et non misericordiæ, ut in damnatis, in aliis uterque effectus ut in sanctis. Unde dicunt quod Deus tantum punit Judam quod eum non potest magis punire juste. Sed hanc quæstionem quia supra satis ad evidentiam tractavimus, acta nolentes agere, ad alia quæ commode hic se ingerunt, transeamus. Cum enim constans sit quod Deus punit hominem minus quam meruit puniri, et nunquam magis, in contrarium conantur quidam.

CAPUT IX.

An duorum qui puniuntur pari pœna æterna, et præterea altera temporali, plus puniatur unus altero.

Sint duo pariter mali qui puniendi sint pari pœna æterna, et alter eorum suspenditur, alter naturali morte moritur, isti meruerunt puniri pari pœna æterna, et ea punientur. Præterea alter punietur pœna temporali non socius. Ergo iste magis punitur quam ille. Sed non meruit magis puniri quam ille; ergo iste magis punitur quam meruit puniri. Item, si uterque esset puniendus tantum temporali pœna, ut si uterque meruisset puniri suspendio, et iste præter illam pœnam quam meruit, aliam cogeretur

(90) Mag. 4, d. 46.

pati temporalem, nonne diceretur quod iste magis puniretur quam meruit puniri? A simili cum puniatur temporali et æterna pœna, nonne puniretur magis quam meruit, quia meruit tantum puniri æterna pœna. Item, iste meruit vel non meruit pœnam temporalem quam patitur, scilicet suspendium; si eam non meruit, sed ea punitur, nec aliquid relaxatum est ei de pœna æterna, quæ pariter debetur huic et illi. Ergo Deus punit illum ultra quam meruit. Si dicas quod meruit illam pœnam; sed ille qui æque malus est non punitur hac pœna, nec se subtrahit huic pœnæ. Ergo hæc pœna est ei dimissa. Item, iste meruit hanc pœnam secundum sæcularem justitiam, sed divina justitia non repugnat sæculari, nec econtrario, imo permissus est judici gladius materialis ut puniat homines corporaliter. Ergo iste meruit hanc pœnam secundum justitiam divinam. Ergo meruit eam. Item, iste meruit pœnam æternam. Pœna autem æterna est quoddam totum successivum; habet enim diversas pœnas sive partes, modo igneas, modo aqueas, et etiam, ut dicit Augustinus; « Inter illas particulares pœnas est interpolatio et interstitium quo nil patiuntur corpora ut postea gravius crucientur; transeunt enim ab aquis nivium ad calorem ignium [*nimium*], (*Job* xxiv).» Cum ergo iste meruit pœnam æternam quæ ita habet partes, et eam totam meruit, ergo quamlibet illarum partium. Sed quælibet illarum particularium est pœna temporalis quæ incipit et desinit esse; ergo iste meruit temporalem pœnam. Ergo temporalis pœna infligitur homini a Deo (91), quinque de causis, vel ut augeantur merita ipsius ut Job, vel ad conservationem bonorum ut Paulo; vel ad correctionem ut Mariæ sorori Moysi quæ percussa est lepra, quoniam objurgaverat fratrem suum; vel ad initium et signum pœnæ futuræ, ut Herodi et Antiocho; vel ad gloriam Dei manifestandam ut de cæco nato. Sed hæc temporalis pœna non fuit isti a Deo inflicta, nisi ad initium futuræ pœnæ, quia non fuit ei medicina, sed potius nocumentum, cum eam patienter non sustinuerit, etsi fuit initium futuræ pœnæ. Ergo **190** fuit pars ejus; ergo eam meruit iste.

Hanc autem quæstionem diversi diverso modo solvunt. Dicunt quidam quod uterque istorum meruit pœnam æternam et temporalem. Et licet huic infligatur pœna temporalis et non illi, non ideo injuste agit cum eo; nil enim patitur quod non meruit. Quid ad eum si illi alii relaxaretur aliquid de pœna et non sibi? *An oculus tuus est nequam si ego sum bonus?* (*Matth.* xx.) Huic simile est si uterque istorum latronum meruit utrumque pedem sibi truncari, et Rex utrumque pedem auferat uni eorum, et tantum unum alteri, non agit injuste cum eo, licet misericordius agat cum eo.

Alii aliter sentiunt. Dicunt enim quod uterque
A pœnam æternam et pœnam temporalem meruerit, et in eo conveniunt cum aliis; sed neuter eorum majorem pœnam sustinebit, quam alter, vel minorem, quia pœna temporalis addita æternæ non auget eam, quia nil est respectu æternæ sicut nec lumen candelæ ante claritatem diei; nec gutta aquæ auget mare. Sed iste qui suspenditur punietur pluribus pœnis, quia et temporali et æterna, sed non majori. Quantitas enim pœnæ non attenditur secundum pluralitatem pœnarum, sed secundum difficultatem, nec attenditur secundum diuturnitatem, quare licet iste prius incipiat puniri per suspendium, non tamen magis punietur, sicut patet econtrario, quod æterna beatitudo non attenditur secundum diuturnitatem. Licet enim latro qui fuit in
B cruce prius habuit æternam beatitudinem quam beata Virgo, non ideo majorem.

Alii iterum aliter solvunt: Dicunt quod Deus qui est justus judex, et verus librator meritorum, æque punit istos; et cum uterque meruit suspendium præter æternam pœnam, et alter suspendatur, alter vero non, tamen æque punit eos, quia quantum punit istum temporali pœna tantum relaxat ei de æterna, sicut rex dando paria stipendia suis militibus, dat quandoque uni aurum tantum; alii vero argentum et aurum, sed tamen æque remunerat, ut quod dat uni in argento subtrahit alii in auro.

Quælibet autem istarum solutionum probabilis est, sed alii subtiliorem videntur assignare ratio-
C nem. Dicunt enim quod talis casus stare non potest, quod scilicet aliqui duo sunt pariter mali, et unus eorum puniatur morte temporali, et non alter. Aut enim illa pœna temporalis erit ei medicina, aut erit initium futuræ damnationis; si ei medicina, ergo ei dabitur ad tollendum peccatum mortale, et ita jam non decedit malus sed bonus; si datur ei ad initium æternæ damnationis, certum est quod non conteritur nec pœnitet. Ergo contemnit. Ergo contumax efficitur; sed contumacia sive contemptus peccatum mortale est. Ergo deterior est alio. Quod si est, jam non est quæstio quare magis puniatur. Quod etiam deterior efficiatur, quia non suscipit pœnam illam ut medicinam, patet; magna enim est Dei misericordia quando ipse dignatur
D nobis mederi temporali pœna. Pater enim, quoniam diligit filium, corrigit. Unde homo magis potest de dilectione Dei sperare quam si non flagellaretur. Malos enim permittit Deus florere quoniam æternum reservat eis supplicium. Unde: *Non visitabo super filias tuas cum fornicatæ fuerint* (*Ose.* iv). Quasi dicat: Non flagellabo eas hic, sed in æternum puniam. Auctores igitur hujus solutionis dicunt, et nos cum eis, quod iste qui suspenditur non meruit illam pœnam, et prædictis rationibus respondemus.

Cum ergo primo dicitur: Iste non meruit hanc

(91) Mag. i, d. 46, § 1. Sed præcipue dist. 15, iv, & § 1, ad quem Petrus Pictaviensis hic alludit. Vid. etiam Aug., tract. 124, in Joan.

pœnam, sed Deus punit eum hac pœna, nec relaxat ei aliquid de pœna debita. Ergo punit eum ultra quam meruit. Fallacia. Iste miles qui meretur stipendium, non meretur cibum quotidianum, et rex eum procurat quotidie nec subtrahit aliquid de stipendio. Ergo remunerat eum ultra quam meruit. Ad id autem quod postea dictum, iste meruit hanc pœnam secundum sæcularem justitiam, et divina justitia non repugnat sæculari justitiæ. Ergo illam **191** meruit secundum divinam justitiam, Fallacia. Iste secundum legem furti meretur uri, vel amittere pedem, vel aliquid tale; et lex homicidii non repugnat legi furti. Ergo secundum legem homicidii meretur uri. Non repugnat lex sæcularis divinæ : Quod enim dictum est, *Non occides* (*Exod.* xx), ita intellige, *ex rancore animi*. Quod autem B postea dictum est, iste meruit pœnam æternam, et illa particulares habet, ut dictum est, etiam interpolatione a se distinctas. Ergo eam meruit totam, vel non totam : Non sequitur. Nec etiam convenienter videtur dici. Sicut iste emit hanc domum quæ habet partes. Ergo emit eam totam, vel non totam.

Attende tamen diligenter quod alieno genere pœnæ æternæ punietur corpus hominis, alio anima. Corpus enim punietur ardore intolerabili, algore inæstimabili et aliis pœnis infinitis, et non continue omnibus istis, sed modo hac, modo illa; modo desinet habere hanc, modo illam : *Transibit enim ab aquis nivium ad calorem ignium* (*Job* xiv). C Unde concedendum est quod nullum corpus punietur pœna æterna, nisi nomen resolvatur in adverbium, ut dicatur punietur pœna æterna, id est æternaliter punietur aliqua pœna, sed nulla æternaliter (sicut dicitur, tota die transit homo super parvum pontem, sed nullus tota die), quia omnis qua punietur desinet esse, et statim, ei succedet alia particularis pœna, et post illam alia, et postea alia; nec debet dici quod puniendus sit una sola pœna, cum puniendus sit tot particularibus pœnis omnino diversis, sicut iste laborat modo febre, cras vero lepra, postea lethargo, et ita usque ad finem vitæ suæ laborabit diversis ægritudinibus successive. Nunquid dicetur quod iste laboraverit una sola infirmitate? non, sed pluribus. Similiter D iste non est puniendus una sola pœna, sed pluribus, et nulla æterna, nec etiam aliqua æternaliter, sed æternaliter aliqua. Anima vero punietur æterna pœna æternaliter, incessanter, absque variatione pœnarum. Illa autem pœna dicitur dolor æternus qui inerit animæ, eo quod corpus tot patietur pœnas et tantas, et ipsa per corpus. Ille autem dolor notatur *tenebræ exteriores* (*Matth.* xxii), quæ sic describuntur (92). Tenebræ exteriores sunt malignitas odii et voluntatis, quæ excrescit mentibus impiorum, quia eorum corpora tot et tantis subjecta erunt tormentis, quod A eorum mens tota eo flectetur ubi dolor erit, ita ut eorum nulla ad Deum dirigatur cognitio ; et merito dicuntur habere tenebras exteriores, quia a luce divinæ majestatis sunt separati.

Ad ultimam rationem dicamus quod illud suspendium non infligitur a Deo huic ad correctionem, sed ad signum pœnæ futuræ, et illa ideo dicitur initium esse pœnæ æternæ, non quia sit pars ejus, sed quia durabit usque ad illam. Sicut servilis timor dicitur initium timoris initialis, quia durat usque ad illum.

CAPUT X.

Utrum pro peccato veniali puniat Deus æternaliter.

Non tantum propter prædicta videtur Deus aliquem punire magis quam meruit, sed propter aliud, pro peccato veniali punit æternaliter. Sit enim quod aliquis decedat in peccato mortali et peccato veniali; iste reus est utriusque istorum peccatorum et de neutro pœnitet, nec punitur modo pro aliquo illorum. Ergo pro utroque illorum punietur. Ergo pro veniali peccato aliqua pœna. Ergo temporali, vel æterna, sed non temporali; æternaliter enim punietur. Ergo pro veniali peccato punietur æterna pœna; sed peccatum veniale non meruit puniri æterna pœna. Ergo magis punitur quam meruit puniri. Item, impossibile est istum liberari a peccato veniali quin liberetur a mortali. Sed iste non liberabitur a mortali. Ergo nunquam liberabitur a veniali. Ergo semper reus erit venialis, et quantum ad culpam et quantum ad pœnam : et ita æternaliter **192** punietur pro peccato veniali. Ergo magis quam meruit. Quod autem nemo possit liberari a veniali quin liberetur a mortali patet, quia non potest liberari a veniali sive ante mortem, sive post mortem, quin habeat charitatem; et non potest habere charitatem quin careat mortali, et ita non potest carere veniali quin careat mortali.

Si quis vero dicat quod iste pro peccato veniali non puniretur æterna pœna, sed in æterna punietur temporali pœna, vel quasi temporali. *Ibi enim erunt quædam particulares pœnæ in corpore, modo in igne, modo in aqua.* Contra sic objicitur : Verum erit aliquando istum esse liberatum a peccato veniali, saltem quando illa pœna finita fuerit. Omnis enim temporalis pœna desinet esse tunc : verum erit istum esse liberatum et a culpa et a pœna. Ergo prorsus, ergo in inferno aliqua erit redemptio. Item, verum erit aliquando istum esse liberatum ab hoc veniali, et similiter ab illo, et ab alio, et sic de cæteris. Ergo aliquando erit verum istum esse liberatum ab hac multitudine venialium : sed multitudo venialium æquipollet uni mortali peccato. Ergo aliquando verum erit istum esse liberatum a peccato mortali.

Ab hoc autem diversi diversas dant solutiones. Dicunt enim quidam in hoc casu quod peccatum

(92) Mag. vi, d. ult. § b.

veniale quod est in isto, cum iste habeat voluntatem faciendi illud, nec pœniteat de illo, statim ipso decedente fit mortale, et ita punietur pœna æterna tantum pro peccato mortali, quia quod erat veniale fit mortale. Si vero habeat aliqua venialia quæ non habeat in memoria, et quæ non velit amplius facere, non fient mortalia, sed punietur pro illis in æterna pœna, et sic temporali pœna: et his incumbit solvere duas ultimas rationes. Alii dicunt quod iste punietur æterna pœna, sed nec tantum pro mortali, nec tantum pro veniali, sed pro illis simul. Sicut rex remunerat istum, nec tantum propter magna servitia, nec tantum propter minima, sed simul pro omnibus. Alii dicunt quod iste punietur æterna pœna tantum pro peccato mortali, pro veniali vero nec æterna, nec temporali punietur; sed pro eo dabitur augmentum pœnæ æternæ ipsius. Si quæras utrum illud augmentum sit pœna vel pars pœnæ, non: proprietas quædam est, nec pœna æterna proprie dicitur augmentari, sicut nec aliquis dies crescere. Sed sic intelligendum, *pœna illius augmentabitur*, id est *minorem pateretur si non peccasset venialiter*, sicut rex remunerando istum decem marcis, meminit cujusdam parvi obsequii quod sibi multum fuit gratum, et auget præmium dando duodecim marcas. Sed objicitur: Iste peccato veniali pœnam meruit temporalem vel æternam, non punietur temporali. Ergo æterna. Fallacia. Iste serviens meruit a Domino suo decem solidos vel modium annonæ; non habebit decem solidos, ergo habebit modium annonæ.

Alii solvunt dicentes quod iste punietur æternaliter pro peccato veniali, sed propter consortium mortalis; sicut justus punitur propter consortium malorum multoties (93). Nam quia non pœnitet homo de peccato veniali in præsenti vita, punitur in futura æterna pœna. Nam secundum locum et tempus augetur vel diminuitur pœna. Nam ibi aliter Deus punit, quia longe graviori pœna; et aliter hic, quia longe minori; sicut econtrario contigit quod pro mortali peccato cui debetur æterna pœna non punietur homo æternaliter, sed temporaliter, et ita minori pœna quam ei debeatur. Quia illud peccatum veniale licet non sit meritorium pœnæ æternæ, est tamen meritum illius. Nam meritorium aptitudinem significat; meritum, actum, sicut vides quod secundum diversitatem locorum alia pœna debetur uni furto, et alia eidem. Nam forte aliquod peccatum est pro quo aliquis meruit truncari pedem in Gallia, et tamen si illud idem peccatum perpetrasset in Teutonica, meretur pro eo suspendi. Ita qui pro veniali meretur hic puniri tantum temporali pœna, pro adjuncto mortali punietur æternaliter secundum
193 aliam et aliam vitam: nam ibi districtius judicat Deus quam hic. Sicut imperator Romanus qui
A toti orbi imperat, quando est in Gallia, secundum consuetudinem loci pro adulterio miti pœna punit; quando est Romæ, secundum consuetudinem illius loci majori pœna punit idem peccatum.

Sed dicet aliquis, si istud peccatum puniatur pœna majori, et nulla punietur iste, quia non erit dignus; ergo erit dignus majori pœna pro hoc peccato, quam sit modo et ita reatus hujus peccati augebitur, quia decedit in eo, quod forte potest esse. Unde potest quæri: Si tantum augeatur ut sit par mortalis peccati reatui et ita veniale peccatum fiat mortale, et ita tanta pœna debetur huic pro mortali et veniali simul, quanta illi pro duobus mortalibus, cum reatus hujus venialis sit parificandus reatui illius mortalis? Imo quot venialia sunt in eo qui decedit, tot mortalia
B erunt in eo, quia omnia fient mortalia. Ideo dicunt quod nunquam reatus venialis in quo homo decedit cum mortali augebitur, et tamen majori pœna punietur, quam puniretur hic, si pœniteret. Sicut iste majori pœna punietur in purgatoriis pro hoc veniali, quam puniretur in præsenti si pro eo puniretur. Unde si quis ita argumentetur: Isti duo, quorum unus est reus et mortalis peccati et venialis, alter venialis tantum paris illi veniali, cujus ille est reus, punientur disparibus pœnis, quia ille æternaliter, iste tantum in purgatoriis, et quælibet pœna purgatoria minor erit qualibet æterna pœna, et non magis meretur iste puniri pro hoc veniali quam ille pro illo; ergo injuste agetur cum isto. Fallacia. Isti
C duo qui sunt rei paris venialis peccati tantum pariter merentur puniri pro illis, unus eorum punietur pro eo in præsenti vita, et alter in igne purgatorio et quælibet pœna temporalis minor est qualibet ignis purgatorii; ergo injuste agetur cum eo.

CAPUT XI.

Utrum contritio deleat peccatum, quando homo conteritur, aut ante, aut post?

Cum dictum sit in prædictis, quod peccatum deletur in contritione quantum ad reatum, quæritur quando contritio delet peccatum, aut quando homo conteritur, aut ante, aut post? Est enim aliqua medicina quæ non statim relevat ægrum, sed oportet diu exspectare ejus effectum; alia autem citius sanat. Quod contritio non solum quando homo con-
D teritur sed etiam prius sanet, probatur sic: Iste conteritur contritione habita cum charitate: ergo contritio in eo delet peccatum: ergo peccatum quod iste habet, vel quod habuit, vel quod habebit; sed nec quod habet, nec quod habebit, quia nullum habet, vel habebit; habet enim, et de cætero habebit charitatem; ergo delet peccatum quod iste habuit, et non habet; ergo desiit habere: ergo quod deletum est: ergo delet peccatum quod non est; vel si delet peccatum quod deletum est, per quid deletum est illud peccatum? Nonnisi per contritionem? Sed nulla fuit prius in isto contritio. Ergo deletum est per contritionem, et ita hæc contritio

(93) Quæ sequuntur ad finem usque capitis, non exstant in codice Victorino.

prius sanavit istum quam iste contereretur. Item, si delet peccatum mortale quod est in isto, sed iste charitate conteritur : ergo mortale peccatum simul cum charitate est in isto. Ergo iste est dignus et morte æterna et vita æterna. Item, quilibet homo habet aut mortale peccatum aut charitatem, quia non est medium : peccatum alicui dimittitur. Ergo ei qui habet charitatem, aut ei qui habet mortale peccatum : si ei qui habet charitatem ; ergo dimittitur ei qui non est reus mortalis peccati, et fuit reus mortalis peccati ; ergo dimittitur ei qui desiit esse reus mortalis peccati. Ergo ei cui jam dimissum est. Vel sic : Dimittitur ei qui habet charitatem : **194** ergo ei qui non habet mortale peccatum.

Si vero dicas quod dimittitur ei mortale peccatum qui non habet peccatum mortale, sed nunquam dimittitur alicui peccatum mortale, nisi per contritionem habitam cum charitate : ergo ille qui habet peccatum mortale habet contritionem cum charitate : ergo simul habet charitatem et peccatum mortale. A simili per contrarium de subtractione gratiæ : opere Dei nemo fit deterior, sed subtractio gratiæ est opus Dei. Ergo subtractione gratiæ nemo fit deterior. Ergo ea nemo fit malus. Item, iste habet charitatem sive gratiam, nec amplius habebit charitatem. Ergo eam desinit habere, et nonnisi per subtractionem. Ergo subtrahitur ei charitas. Ergo iste punitur. Ergo pro peccato quod in eo est, vel fuit, vel erit : sed nullum mortale in eo fuit, vel adhuc est in eo. Ergo punitur pro eo quod erit in eo. Ergo Deus prius est ultor, quam aliquis sit auctor. Item, gratia sive charitas habita meretur augeri, sed Deus ei subtrahit charitatem. Ergo aliter agitur cum ipso, quam ipse meruit. Item, super librum Numeri : *Prius nubes recedit, quam Maria lepra perfundatur, quia prius Deus homini gratiam subtrahit quam homo peccet.* Ergo subtractio gratiæ præcedit peccatum. Ergo Deus prius punit, quam homo mereatur. Item, charitas subtrahitur vel ei qui eam habet, vel ei qui non habet : si ei qui habet ; ergo pro aliquo peccato, et ita ut prius. Si vero ei subtrahitur, qui eam non habet, sed habuit ; ergo ei qui charitatem desiit habere. Ergo ei subtrahitur, cui jam est subtracta ; et ita nulli subtrahitur, cui non sit jam subtracta. Item, peccatum dimittere, est ipsum non imputare homini ad pœnam æternam ; quotidie non imputat Deus peccatum Paulo : ergo quotidie dimittit ei. Sed certum est quia Paulus non peccat : ergo peccatum dimittitur ei qui non habet.

Super hæc potius consulendi sunt dialectici quam theologi. Ne tamen auditores vacui recedant, dicatur quod gratia subtrahitur ei qui non habet gratiam, et quando non habet gratiam; quia desinit eam

A habere quando incipit eam non habere ; et hoc argumentum falsum est : *Gratia subtrahitur huic quando desinit eam habere. Ergo quando habet, et istud similiter habet, et non habebit. Ergo desinit habere.* Et qui his instare voluerit non ideo effugiet protervum oppositorem. Loco enim hujus orationis *desinit habere*, ponet hanc, *nunc ultimo habet charitatem*, et hoc est ei pœna. Ergo punitur pro aliquo peccato, et ita ut supra. Sed forsitan ad hoc posset dici quod hæc oratio, *tunc ultimo habet charitatem*, non notat pœnam huic inesse, sed in proximo ei futuram. Aliam non video hic viam solutionis, nisi dicatur, ut dicunt quidam, quod nullum tempus est simplex. Quod enim inducitur pro simili : *Lux fugat tenebras*, eamdem habet dubitationem, et ma-
B gis est apparens quam verum exemplum.

CAPUT XII.

Utrum peccata redeant propter reatum qui redit ?

(94) Cum superius dictum sit quod peccatum deletur per contritionem, non est tamen prætermittenda ideo oris confessio. Multæ enim sunt causæ quare debeamus confiteri peccata nostra post contritionem. Primo, quia nescimus utrum peccata omnino dimissa sint ; si enim non essent dimissa, sequeretur error pejor priore. Præterea tenemur confiteri peccata nostra, cum habeamus et locum, et tempus, et cui confiteamur. Si enim cum hujusmodi habeamus, non confessi fuerimus, contemptores erimus, et ita peccatum mortale incurremus, et
C tunc redibunt omnia peccata per contritionem deleta. Item, confiteri debemus peccata, quia confessio pars est satisfactionis : tria enim in confessione attenduntur, scilicet cordis contritio, oris confessio, operis exsecutio , sicut peccatum tribus modis committitur, **195** cogitando, loquendo, operando.

(95) Ad autem quod dictum est, peccata redire si contempsimus confiteri, objicitur : Peccata deleta sunt in isto quantum ad reatum per contritionem, et per confessionem nec quantum ad reatum, nec quantum ad pœnam delentur. Ergo iste superflue confitetur peccata. Ad id dicimus quod hoc argumentum non valet ; debet enim confiteri peccatum suum ut satisfactionem expleat, quæ attenditur in
D tribus, scilicet in cordis contritione et oris confessione et opere, id est in jejunio, oratione, eleemosyna ; ita in his tribus consistit satisfactio exterior. Ideo etiam quia licet non totam confessio contineat pœnam, tamen pars est pœnæ. (96) Erubescentia enim quam habemus confitendo peccatum, et nosmet accusando, pars est pœnæ. Fallacia prædicti argumenti : iste liberatus est ab infirmitate per medicinam ; et dieta quæ sequitur non aufert infirmitatem ; ergo iste non debet conservare dietam. Imo, quia si non observaret, iterum ægrotaret. Similiter

(94) Mag., IV, d. 17. ,etc.
(95) Mag., IV, d. 22.
(96) Erubescentia ipsa partem habet remissionis, etc. Multum enim satisfactionis obtulit, qui erubescentiæ dominans, nihil eorum, quæ commisit, nuntio Dei denegavit. Lib. *De vera et falsa pœnit.*, c. 10, apud August.

Iste liberatus a peccatis per contritionem tanquam A per medicinam debet ea confiteri ne cadat.

(97) Item ad id quod dictum est peccata redire, objicitur: Ponatur quod iste habuerit tria mortalia quæ deleta sunt quantum ad reatum per contritionem; et modo fornicatur: « Omne peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum: » sed in isto est quodlibet istorum trium, quia redierunt. Ergo in isto est homicidium. Ergo homicidium est in isto dictum, vel factum, vel concupitum; quod falsum est, quia iste modo nec facit, nec concupiscit, nec loquitur de homicidio. Ad hoc dicendum quod peccatum duplex est in aliquo, actu scilicet et reatu, sicut in isto qui heri occidit hominem, nec postea contritus est, est homicidium; non tamen dictum vel factum, vel concupitum, sed reatus tantum.

Item fornicatur iste, sicut positum est, sed ponatur quod ille alius faciat incestum; iste postea fornicatione reus est quatuor mortalium peccatorum, quia illorum trium quæ redierunt, et etiam fornicationis. Sed iste qui facit incestum reus est tantum unius mortalis peccati pro incestu. Ergo magis reus est iste pro fornicatione, quam ille pro incestu. Ergo majus peccatum est fornicatio, quam incestus. Ad quod dicimus quod istud, *pro*, non notat causam sed occasionem, quia fornicatio non est causa quare iste sit reus quatuor mortalium peccatorum, sed tantum est occasio. Nec est hoc ex vi fornicationis, sed ex assiduitate peccandi, et reditu illorum peccatorum quæ jam erant dimissa. Iste qui debilis est complexionis magis gravatur hoc parvo morbo, quam ille robustus illo magno. Ergo iste morbus major est quam ille. Non. Quod enim iste magis gravatur hoc non est ex vi morbi, sed ex fragilitate complexionis.

Item de numeratis duobus quorum unus pœnituit de homicidio, et injunctam sibi satisfactionem perfecit, et perseverat, alter non perseverat, licet egerit satisfactionem injunctam; ex quanta charitate pœnituit iste, ex tanta ille, et econtrario. Utrique dimissum est peccatum. Ergo utrique quoad culpam et pœnam, vel neutri. Si utrique dimissum est quoad culpam et quoad pœnam, et iterum non committitur ab isto actu vel voluntate, ergo non amplius erit reus ipsius. Ergo non redibit per aliud peccatum reatus istius. Ad quod dicendum quia non complevit satisfactionem ex quo perseverantiam non adhibuit. Item, homicidium est in isto quia redit. Ergo iste tenetur conteri pro eo, ergo confiteri. Item, iste est reus quatuor mortalium peccatorum, illa non possunt deleri nisi per contritionem. Ergo iste debet conteri et ita confiteri, sed propter illa jam contritus est, et illa confessus est. Ergo si ea confiteatur, erit duplex tribulatio, et puniet Deus bis in idipsum. (98) Ad quod dicendum quod iste tenetur pro illis conteri pro quibus jam contritus est quia redierunt, et debet ea iterum confiteri, nec ideo erit duplex tribulatio, nec puniet Deus bis in idipsum, **196** quia prior confessio non fuit condigne facta, quia non fuit observatum quod observandum erat, id est perseverantia in bono post confessionem, [frequens recordatio peccatorum in corde, non ad delectandum, sed ad delendum. Unde: *Peccatum meum contra me est semper* (*Psal.* L); et iterum: *Lavabo per singulas noctes lectum meum lacrymis*, etc. (*Psal.* VI). Vel potest dici, ut alii dicunt, quod non oportet pro illis iterum conteri, vel ea confiteri, si istud confiteatur iste; sicut isto facto, id est fornicatione, redierunt illa quæ deleta erant, ita isto deleto delentur illa tria. Sed tutius est ut iterum confiteatur. Item iste reus est pro quatuor B mortalibus peccatis, quia pro illis tribus quæ redierunt, quoniam iste contemnit ea confiteri, et pro illo contemptu, sed si non esset contritus, non esset reus nisi pro tribus prioribus quia non haberet contemptum istum, quem modo habet. Ergo pro pluribus peccatis est reus quam si non fuisset contritus. Ergo magis peccat quam si non fuisset contritus. Sed probatur quod magis peccaret si non fuisset contritus, quia magis malus esset. Ergo magis peccaret. Quod autem magis malus esset, probatur; quia diutius in malo perseverasset et in tanto in quanto modo et incessanter. Ergo magis malus esset. Item, si nunquam esset contritus, nulla bona fecisset, sed post contritionem et in contritione multa C bona fecit et etiam cum charitate, quæ fuerunt ei vel ad [delectationem (deletionem)] vel mitigationem pœnæ. Unde dicit Hieronymus (99): *Cum videris facientem opera justa inter multa peccata, non dicas quod Deus tam injustus sit quod propter multa mala obliviscatur bonorum paucorum; facit enim eum metere et in horrea colligere quæ ipse seminavit in terra bona*, id est quæ fecit in charitate. Ergo iste, secundum Hieronymum, magis peccaret si nunquam contritus fuisset, quam modo peccet. Ad hoc dicendum quod iste minus malus est, id est minorem sentiet pœnam, quam si non fuisset contritus propter ista bona quæ fecit in charitate, quæ erunt ei ad mitigationem pœnæ. Vel etiam alia ratione, quia sicut iste modo habet illa peccata, quæ redierunt, D et etiam contemptum redeundi ad ea; similiter si nunquam fuisset contritus haberet ea, et etiam contemptum, non dico confitendi tantum, sed etiam conterendi; quod pejus est, et ita pejor esset si non fuisset contritus.

Item, post prædicta quæritur uter istorum magis peccet? Sint hic duo quorum unus sufficienter contritus est pro multis peccatis mortalibus, sed modo cadit per fornicationem; et isti sunt pares, et ejusdem professionis, et in eodem genere peccati peccant, et in eodem loco et tempore, et cæteris amotis circumstantiis. Iste pro multis peccatis mortalibus

(97) Aug., l. XXII, *contra Faust.*, c. 27.
(98) Mag. sup., § 1, similiter solvit.

(99) In illud Aggæi I: *Seminastis multum*, sed paulo aliter.

reus est, ille reus est tantum fornicationis. Ergo magis peccat iste quam ille. Item, plura sunt huic dimissa et donata quam illi. Ergo magis debet Deum diligere quam ille, et peccat. Ergo magis peccat quam ille, judicio Simonis, cui interrogato, quis magis diligeret ille cui pauca, an cui plura erant dimissa, et respondenti : *cui plus donavit*, Dominus consequenter ait : *Recte judicasti* (*Luc.* VII). Ergo iste magis debet diligere, quia plura sunt ei dimissa. Ergo magis peccat si in aliquo genere peccati peccat, quam ille si in eodem. Sed videtur quod ille magis peccat, quia ille majorem habebat gratiam, et eam repellit. Ergo magis offendit quam iste quia magis dicimur amicos offendere si eos a nobis repellimus, quam si extraneus quis repellat.

Difficillimum est hoc diffinire uter magis peccet. Quis enim potest judicare de contemptu quo peccet homo? Nam ubi major contemptus, majus est peccatum. Solus ergo Deus qui est æquilibrator ponderum culparum et pœnarum scit uter talium peccet magis, et uter magis debeat diligere. Si enim dicis quod ille cui plura sunt condonata, ergo Maria Magdalena magis diligit Deum quam Petrus, quia plura sunt ei dimissa. Sed posses forsan dicere, ille magis debet diligere cui plura sunt donata, vel condonata, quia licet Mariæ Magdalenæ plura sint condonata, quam Petro, non tamen donata; et ita in **197** hoc verbo, *donavit*, intelligitur *dimissa et data*. Dicunt tamen quidam quod magis peccat ille, qui nunquam peccavit, in simplici fornicatione, quam iste qui delevit peccata sua per contritionem; et tamen magis est reus iste quam ille, quia iste habet reatum trium mortalium peccatorum, et ille unius solius, licet magis peccet. Alii dicunt quod pariter peccant (qui nunquam peccavit, et cui multa sunt dimissa) in fornicatione quam faciunt modo, et tamen magis reus est iste quam ille, quia iste pro omnibus quæ fecit, ille pro eo solo quod facit. Sicut illi pari gulositate comedunt carnes bovinas, quorum unus convaluit de dolore lateris, alter nullum morbum sensit, et tamen plus nocet isti quam illi; et isti de pari loco ruunt quorum unus est ponderosus, alter levis; et tamen plus læditur iste quam ille. Et isti pariter vulnerantur, quorum alter pluries fuit vulneratus, alter nunquam; et tamen iste magis læditur quam ille.

Item, Deus in puniendo non solum attendit finalia opera, sed etiam præterita, quia redeunt; sed in remunerando non attendit nisi finalia, quia si aliquis cecidit a charitate perfecta, et postea surrexit, non redeunt omnia bona quæ ipse fecit. Ergo Deus paratior est ad puniendum quam ad remunerandum. Ad quod dicimus quod in puniendo attendit tantum finalia, quia nemo potest decedere in mortali peccato quin sit reus omnium malorum præ-
A teritorum, et ita omnia peccata quæ fecit unalia sunt. Quod autem peccata redeant, habetur ex hac auctoritate Augustini qui dicit (100) : « Si non ex corde dimittimus quod in nobis delinquitur, et idem a nobis exigitur quod [a natura] per pœnitentiam nobis fuisse dimissum gaudebamus. » Rabanus etiam dixit (1) : « Non solum peccata quæ facit homo post baptismum imputabuntur ei ad pœnam, sed etiam ea quæ a natura in baptismo sunt ei dimissa. »

(2) Alii autem dicunt quod peccata non redeunt reatu, sed dicuntur redire, quia sicut Deus puniet aliquem pro peccatis præteritis æternaliter, ita et pro illo quod modo facit, punit eum æternaliter, sed non tantum sicut dicunt quod voluntas pro facto
B reputabitur, id est sicut æternaliter pro hoc puniretur, ita æternaliter pro voluntate, sed non tantum.

CAPUT XIII.

De confessione : utrum sit præcepta, et cujus rei sit sacramentum.

(3) Cum ergo per contritionem deleantur peccata quantum ad reatum, necessaria est confessio, ne propter contemptum redeant peccata. Sed objicitur : Confessio necessaria est ad salutem, sed præceptum confessionis non habetur in Evangelio, Ergo non omne præceptum quod est necessarium ad salutem continetur in Evangelio. Ergo Evangelium insufficiens est. Item, Joannes baptizabat ante Evangelium, docebat homines confiteri peccata sua.
C Ergo confessio instituta fuit ante Evangelium, et ipsa in Evangelio non est præcepta. Ergo confessio non est necessaria ad salutem, vel insufficiens est Evangelium. Item, confessio est sacramentum novi testamenti. Ergo efficit quod figurat, sed figurat mundationem a peccatis, ergo eam efficit : quod falsum est; imo contritio; item, confessio est signum mundationis interioris, ergo præcedit mundationem interiorem, ergo contritionem, quod falsum est. Imo contritio præcedit confessionem. Ad hoc dicimus quod Evangelium non dat expressum mandatum de confessione, nec tamen est insufficiens, quia alibi in Novo Testamento satis invenitur ut in Epistola canonica : *Confitemini alterutrum peccata vestra* (*Jac.* V). Quod tamen credimus dictum fuisse
D de confessione venialium, quæ fit bis in die et in completorio. Dicimus etiam quod confessio præcepta fuit ibi (4) : *Ite, ostendite vos sacerdotibus* (*Luc.*, XVII): sciendum est quod confessio est sacramentum veteris testamenti, nec efficit quod figurat, sicut nec conjugium. Alii autem dicunt quod confessio non est sacramentum, **198** sed sacramentale sicut aqua benedicta et panis benedictus. Verius tamen videtur quod confessio sit sacramentum.

Quod autem objicitur quod res præcedit signum, id est contritio præcedit confessionem, non est mi-

(100) Seu potius Greg. l. IV *Dialog.*, c. 60, apud quem *a natura* non exstat.
(1) *De pœnit.*, dist. 4, cap. *Si Judas.*
(2) V. Aug. l. I *De baptism.* cont. Donat. cap. 12, in resp. ad 2 object. Gallor.
(3) Mag., IV, d. 17, etc.
(4) Mag., IV, d. 22, § ult. qui in hac re discipulo fuit lapis offensionis, ut patet in fine capitis.

rum. Quandoque enim in multis rebus res et signum simul sunt, ut circulus et taberna. Quandoque signum præcedit rem, ut nubes obscuritatem, vel pluviam. Quandoque signum præcedit rem, ut vestigia quæ denotant aliquid præcessisse (5). Alii etiam dicunt quod confessio et contritio unum sunt sacramentum, sicut panis et vinum non sunt duo sacramenta, sed unum, et distinguunt ibi tria, mundationem interiorem, confessionem, contritionem. Mundatio est res tantum. Confessio est sacramentum tantum. Contritio est res et sacramentum. Sed quidquid dicatur, verius videtur quod confessio sacramentum sit, et res signum præcedat, et non est sacramentum novi testamenti. Quod etiam sic ostenditur : quia confessio non est opus Dei, sed hominis, nec habet aliquam vim nisi ex charitate, ergo confessio non est sacramentum novi testamenti. Est itaque certum quod remissio peccati præcedit confessionem (6). Unde David: *Confitebor;* et : *Tu remisisti* (*Psal.* xxxi), non dicit remittes.

CAPUT XIV.

Utrum pluries possit aliquis eadem peccata confiteri.

(7) Cum ex prædictis constet quod confessio sit sacramentum, et sit necessaria ad deletionem peccatorum, circa confessionem tria sunt consideranda: utrum scilicet aliquis pluries possit eadem peccata confiteri, deinde utrum aliquis debeat confiteri se fecisse peccatum quod ipse non fecit; tertio, quid dimittat sacerdos in confessione. Quod autem nemo pluries possit vere confiteri peccata sua, videntur velle plures auctores. Dicunt enim (8) : « Pœnitentia est peccata commissa flere, et flenda non committere. » Sed aliquis ita pœnitet quod flenda, id est peccata, est commissurus. Ergo iste non vere pœnitet. Ergo nemo vere pœnitere potest, qui flenda sit commissurus. Ergo nemo pœnitere potest, nisi omnino desinat peccare. Ergo si aliquis vere pœnituerit, non fuit facturus postea peccatum. Ergo postea non potuit confiteri peccata, cum nulla haberet. Ad quod dicendum, quod cum dicitur : « Pœnitentia est anteacta flere, et flenda non committere, » sic intelligendum, voluntate non committere. Si enim aliquis ita pœnitet quod peccata non velit esse commissurus quando pœnitet, sive post committat, sive non, vere pœnitet. Unde Augustinus evidentius diffinit pœnitentiam (8*) : « Pœnitentia est gratia quam cum emendationis proposito anteacta flemus vel odimus et amplius flenda committere nolumus. » Item, contra idem dicit Isidorus (9): « Irrisor est, non pœnitens qui adhuc agit quod pœnitet. » Sed sic intellige : Agit actu vel voluntate. Augustinus iterum dicit (10) : « Inanis est pœnitentia quam sequens maculat culpa. » Sed sic intellige *inanis*, id est frustrare debito fine. Est autem finis pœnitentiæ adeptio gloriæ et vitatio gehennæ, quem finem talis pœnitentia non consequitur. Item dicit Ambrosius (11) : « Reperiuntur quidam qui sæpius iterandam pœnitentiam putant, qui si recte attenderent, iterandam non putarent. Sicut enim unum baptisma, ita una est pœnitentia. » Quasi dicat : Sicut baptismus non iteratur, ita nec pœnitentia; sed hoc intelligi debet de pœnitentia solemni, et secundum diversarum Ecclesiarum consuetudinem. Forsitan enim in quibusdam reperitur Ecclesiis, in aliis autem non.

CAPUT XV.

Utrum debeat quis confiteri se fecisse peccatum quod non fecit.

(12) Secundo quæritur utrum aliquis debeat confiteri peccatum quod **199** ipse non fecit, sed putat se fecisse : iste cauteriatam habet conscientiam, et omne quod conscientia damnat peccatum est. Ergo iste homicidium tenetur confiteri cujus putat se esse reum. Item, credit se interfecisse hominem; ergo si non confiteatur, contemnit, sed contemptus mortale peccatum est. Ergo iste tenetur confiteri illud peccatum (13). Item, « bonarum mentium est ibi culpam agnoscere ubi culpa non est. » Ergo ille debet hanc culpam agnoscere, maxime cum putet eam esse. Sed quia fere omnes hoc dicunt, in contrarium nituntur. Iste nec actu, nec voluntate fecit homicidium; ergo non tenetur confiteri se fecisse homicidium. Item, indirecte : iste confitetur sacerdoti se fecisse homicidium, sed ipse non fecit homicidium. Ergo falsum dicit. Ergo mentitur. Ergo non tenetur confiteri homicidium, cum etiam si prius bonus esset, falsum dicendo fieret malus. Item, sacerdos injungit ei satisfactionem et juste ligat eum, ergo iste tenetur ad exsecutionem illius satisfactionis.

Ad hoc dicendum quod iste tenetur confiteri homicidium, cum putet se fecisse illud. Quod autem dicitur: nec actu nec voluntate fecit homicidium, ergo non tenetur confiteri; non valet, imo quia putat se fecisse. Sicut tenetur huic eleemosynam dare quem putat esse mendicum, licet non sit mendicus. Sed determinanda est hujus verbi, *tenetur*, multiplicitas, quam quia supra diximus, hic actum non agimus. Quod postea dicitur, iste confitendo hoc peccatum, falsum dicit, verum est,

(5) Hæc omnia habet, Mag. 4, d. 22, § ult.
(6) V. Mag., vi, dist. 17, § a, seu 1 et 2.
(7) Mag., iv, d. 14.
(8) Citat Gratianus *De pœnit.*, dist. 3, c. 1, ex serm. D. Ambrosii, vel potius apud Greg., hom. 34 in Evang., quæ incipit : *Æstivum tempus.*
(8*) Similia reperies apud Ambrosium et Gregorium.

(9) Lib. ii *De summo bono*, c. 16.
(10) *De pœnit.*, d. 3, c. *Inanis.* Non exstat ap. Aug. in *Soliloq.*, sed apud Isidor. in *Synon.*, ante cap. *De cast.* Has solutiones habet Mag. citatus, et ex eis etiam quasdam Gratianus.
(11) *De pœnit.*, dist. 3, cap. *Reperiuntur.*
(12) Mag., iv, d. 21, § f.
(13) Extra. *De observat jejun.*, c. 2.

sed non mentitur, et falsum dicendo mentitur. Quod postea dicitur de satisfactione verum est quod iste tenetur exsequi satisfactionem illam quoad Ecclesiam, sed non quoad Deum. Unde si statim decederet, nullam pœnam sentiret. Sed si in hoc sæculo vivat, tenetur eam exsequi, quia iste ligatus est, et si non minuat pœnam, auget coronam.

CAPUT XVI.

Quid dimittat Deus in confessione, quid sacerdos, quid privatus?

(14) Sequitur quod tertio proposuimus, inquirendum, scilicet quid sacerdos dimittat in confessione. Quod ut magis pateat, prius videamus qualiter dicitur Deus solvere peccata et dimittere, et qualiter sacerdos, et qualiter privatus. Deus dicitur dimittere peccata, quia animam omnino mundat a peccato, et eam mortificatam suscitat, et solvit prorsus a reatu peccati. Unde: *Ego sum qui solus deleo peccata, et iniquitates populi* (*Isai.* XLIII). Item, dicitur Deus dimittere vel solvere peccata quantum ad pœnam, quia liberat hominem a pœna æterna, et ita duobus modis dimittit et solvit peccata. Sunt tamen quidam qui dicunt quod iste secundus modus solvendi peccatum attribuendus est sacerdotibus. Dicunt enim quod Deus peccatum solvit quantum ad reatum, et postea sacerdos solvit illud quantum ad pœnam in confessione et liberat hominem a pœna æterna. Quod nos una sola ratione falsum esse ostendimus sic: (15) Deus solvit istum a peccato. Ergo iste est in charitate. Ergo est dignus vita æterna. Ergo non est dignus pœna æterna, sed fuit ea dignus. Ergo solutus est a pœna illa; sed a nullo. Ergo Deus istum solvit; non ergo sacerdos. Sacerdos autem peccatum non solvit, nec quantum ad pœnam, nec quantum ad reatum, sed solvit et dimittit, id est ostendit esse solutum et dimissum a Deo quantum ad reatum (16). Quia vero nescit ipsum esse dimissum quantum ad pœnam, injungit ei temporalem pœnam. Similiter ligat, id est ostendit esse ligatum. Unde absolvit, et excommunicat homines, ut jam plenius dicetur. Solvit autem et ligat per duas claves, id est per discretionem, sive per scientiam discernendi, quæ est una clavium; et per potestatem ligandi atque solvendi quæ est altera clavis, et est advena ordini.

200 (17) Quæritur autem utrum omnis sacerdos et solus sacerdos habeat primam clavem, scilicet discernendi scientiam. Videtur quod non solus, quia multi alii scientiam istam habent, et etiam aliquis habet eam antequam sit sacerdos. Ad quod dicimus quod solus sacerdos habet clavem, id est hanc scientiam habet. Licet autem ipse habeat antequam sit sacerdos, tamen aliquis alius non habet eam clavem nisi sacerdos. Quod autem non omnes habeant hanc clavem certum est, quia plures sunt quos damnat ignorantia, quam quos commendet scientia. Plerique tamen dicunt: Omnis sacerdos habet discretionem ligandi et solvendi, quæ est clavis annexa ordini. Nullus enim sacerdos, etiam idiota, est sine ulla discretione, nec etiam dicendum quod, si postquam ordinatus fuerit studeat, accipiat clavem post ordinem; quod oporteret si diceretur non omnem sacerdotem habere illam clavem. Utrum tamen sacerdos, qui indiscretus suscepit ordines pœnitere possit de hoc quod tam indiscretus suscepit, et manere simul in exsecutione officii, maxima quæstio potest esse. Ad quod dicit [*for.* conducit] illud quod de David legitur, quod de adulterio perpetrato eum Bersabee pœnituit, et tamen eam retinuit (*III Reg.* I et II). E contrario tamen super illum locum psalmi (18): *Psallite sapienter*, legitur: « Nemo sapienter psallit quod non intelligit. » In his potius malo majores audire quam aliquid temerarie asserere.

De secunda clavi quæritur utrum omnis sacerdos et solus habeat eam. Certum est quod solus, sed non videtur quod omnis propter duo genera sacerdotum, scilicet propter illos qui in mortali peccato sunt, et propter illos qui non habent curam gregis, ut sunt monachi, et cæteri contemplativi viri. Quod enim primi non habeant videtur velle Augustinus, ait enim: « *Lamina aurea erit in fronte sacerdotis* (*Exod.* XXVIII); quæ significat fiduciam bonæ vitæ. (19) Qua qui vere perficere quod habet sacerdos non significatione sed veritate, ille solus potest peccata dimittere. » Item, dicit Gregorius (20): « Illi soli in hac carne positi potestatem habent ligandi et solvendi, sicut apostoli, qui eorum vitam cum eorum doctrina tenent. »

Sed e contrario videntur velle aliæ auctoritates quod æque tam boni, quam mali peccata dimittere possunt et solvere. Dicit Augustinus super hunc locum (21): *Impones nomen meum super filios Israel; et ego Dominus benedicam*: « Ut traditio gratiam per manum ordinantis infundat hominibus, nec voluntas sacerdotis obesse, nec prodesse possit, sed merita petentis benedictionem. » Item Gregorius dicit (22): « Quidam dum vitam sacerdotis, magis quam suam discutiunt, in erroris foveam cadunt, minus attendentes quod eos eorum vita non læderet si ipsi bonis eorum admonitionibus acquiescerent. » Ad hoc dicendum quod æque per bonos ac per malos solvuntur peccata; eorum enim malitia ipsis tantum obest, et æque vim habet sacramentum a bono sicut a malo celebratum. Duas ergo primas auctoritates sic solvunt: Illi soli possunt

(14) Mag., IV, d. 18.
(15) Ita Mag. hic, § d.
(16) Consule notas ad Pullum.
(17) Mag., IV, d. 19.
(18) Psal. XLVI, in Glossa.
(19) Corruptus locus, ex Aug. c. 120 sup. Exod, sic restituendus, *quam qui vere perfecteque, non significatione sed veritate sacerdos habet, solus potest auferre peccata.*
(20) Greg., homil 26 Evang.
(21) Num. Aug., l. *Qu. Vet. et Nov. Testam.*, q. 2.
(22) 1. q. 1, cap. *Multi.*

dimittere peccata qui in veritate boni sunt, et qui tenent vitam Apostolorum, verum est, digne possunt illi solvere; et si indigne faciunt, tamen faciunt, sed eis noceret tantum quod sic faciunt.

De illis autem qui non habent curam gregis dicimus quod habent potestatem ligandi et solvendi, hoc enim est annexum ordini, et hoc habet omnis sacerdos. Sed illam potestatem habet tantum in habitu et non in actu, nisi concedatur ei ab episcopo. Sic ergo istam clavem habet omnis sacerdos et solus (23) Quod ergo legitur in propheta: *Eorum benedictionibus maledicam* (*Malach.* II), intelligendum est de sacerdotibus excommunicatis. Quod autem alibi legitur: *Væ his qui animas quæ vivunt mortificant, et quæ moriuntur vivificant* (*Ezech.* XIII)! hoc intelligendum est de hæreticis, vel, ut quidam volunt, de illis qui injuste excommunicant vel absolvunt. Sic ergo, ut dictum est, Deus duobus modis dimittit peccatum, quia omnino tollit reatum, et iterum quia pœnam æternam tollit. Quod quidam, ut diximus, falso attribuunt sacerdotibus, confirmantes suum errorem eo quod Dominus **201** suscitavit Lazarum, non solvit, sed discipulis tradidit solvendum.

Sacerdos autem tribus modis dicitur dimittere sive solvere peccatum: primo, quia ostendit peccatum esse solutum et dimissum esse a Deo; secundo, quia injungit satisfactionem et relaxat de pœna debita; tertio, quia excommunicat et anathematizat, et absolvit et admittit in communicationem sacramentorum, et primam clavem, id est scientiam discernendi habet solus sacerdos, ut expositum est, sed non omnis, ut dicunt quidam, tamen secundum alios, omnis. Secundam habet solus sacerdos et omnis, habitu etsi non actu, quod dico propter contemplativos qui habent alas ligatas.

(24) Cum igitur sacerdos temporaliter dicatur ligare et solvere, nunquid cum ipse sit homo, quidquid ipse ligat super terram, est ligatum apud Deum, et quidquid solvit solutum dici videtur? Dominus enim dixit Petro et omnibus sequacibus ejus: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum*, etc., *et quodcunque solveris super terram*, etc. (*Matth.* XVI). Sed econtrario videtur quod non quidquid ligat sacerdos, vel non solvit, sit ligatum vel solutum in cœlo. Dicit enim Hieronymus (25): « Multi hunc locum non intelligentes, aliquid de supercilio Pharisæorum sibi assumunt, cum se innoxios damnare vel noxios solvere posse putent, cum non sacerdotum sententia, sed reorum vita quæratur. » Origenes etiam dicit (26): « Recessit aliquis a fide et veritate? Jam a castris Ecclesiæ exiit, sicut econtrario si injusto judicio foras mittitur, si non egit unde ejiciatur, nil læditur. » Ita videtur quod non quid-A quid a sacerdote ligatur vel solvitur hic, ligatum vel solutum sit apud Deum. Ideo sic intelligenda est hæc auctoritas: *Quodcunque ligaveris super terram*, etc., *propriis meritis illius qui ligatur vel solvitur exigentibus*. Hoc est adhibita utraque clave, id est discretione et potestate. Licet enim non omnis sacerdos primam clavem habeat plenarie et perfecte, tamen habet quantumcunque. Nemo enim est absque quantulacunque discretione; et si sine discretione sacerdos ligat aliquem vel solvit et ita digne culpa in ipsum redundat.

Cum autem dictum sit quod sacerdos solvit aliquem injungendo ei satisfactionem, vel aliquid relaxando de pœna, sciendum tamen est quod si non injungat pœnitenti tantam satisfactionem quæ suf-B ficiat ad delendum peccatum, illud quantum ad pœnam (jam enim dimissum est a Deo quoad reatum) punietur in purgatorio, et quod minus hic agitur, ibi supplebitur. Ideo melius ut pœnitens supererogel, quam ut minus agat; si enim sacerdos pro mortali peccato injungat ei triduanam pœnitentiam, debet ideo putare esse dimissum quantum ad pœnam? Non. Item, cum sacerdos sive sit episcopus sive non, possit aliquid de pœna subtrahere, sciendum est quod si episcopus vel alius prælatus indicat et publicet se in dedicatione alicujus ecclesiæ dimissurum tertiam, vel quartam partem pœnitentiæ, vel quadraginta dies, vel aliquid tale omnibus illis qui ad fabricam illius ecclesiæ contulerint C eleemosynas suas, non ideo quicunque suam ibi attulerit eleemosynam, promissam consecutus est veniam: si enim dives aliquis det tantum nummum vel obolum, sicut vetula pauperrima, credit tantum dimissum esse? absit! Nonne legitur quod vidua illa tantum dedit, quæ non dedit nisi duo minuta (*Luc.* XXI), quantum Zacchæus qui dedit dimidietatem patrimonii sui? (*Luc.* XIX.) Oportet enim quod quisque juxta vires eroget, ut qui plus habet, plus det; qui minus, minus. Deus enim non quærit ab homine quod non potest; non considerat quantum detur, sed ex quanto, id est ex qua voluntate. Si enim bonam voluntatem habet dives, quare non adimplet voluntatem cum bona sit? quare non dat secundum posse suum? Hoc enim exigit bona vo-D luntas; aliter enim bona non est, nec est etiam voluntas dandi, vel veniam consequendi.

Ostenso qualiter Deus, qualiter sacerdos dicatur dimittere peccatum, sequitur ut ostendamus qualiter privatus dicitur dimittere peccatum. Sed qualiter potest dimittere peccatum? **202** non est Deus, vel sacerdos, vel judex; potest quidem; aliter enim convenienter non diceret in Dominica Oratione: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI). Ergo quicunque hoc

(23) Mag., IV, d. 19, § d.
(24) Mag., IV, d. 18, § f.
(25) Ad caput XVI Matth.
(26) Hom. 14, ad cap. XXIV Levitici, sed sic corrigend.: *Exiit quis a veritate, a fide, a charitate? per hoc exiit de castris Ecclesiæ, etiamsi episcopi voce non abjiciatur; sicut contra aliquis non recto judicio foras mittitur, sed si non egit ut mereretur exire nihil læditur.*

dicit, dimittit vel dimittere debet. Sciendum igitur quod, quando aliquis peccat in proximum suum mortali peccato, tres personas offendit, Deum, Ecclesiam, proximum. Apud Deum ligatus est duobus vinculis, reatu et pœna; apud Ecclesiam uno, scilicet satisfactione; apud proximum, duplici satisfactione temporali, ut jam dicetur. Si ergo Deo velit satisfacere, oportet ut graviter conteratur et pœniteat de peccato illo, ita ut absolvatur et quoad reatum, et quoad pœnam, quantum ad Deum. Deinde oportet ut satisfaciat Ecclesiæ confitendo peccatum et pœnitentiam temporalem agendo. Demum oportet ut satisfaciat proximo in quem peccavit. Quomodo? Se humiliando, eum orando, ut ei dimittat non peccatum quod jam est dimissum ei, sed illa duo quibus apud Deum ligatus est, id est rancorem et odium et signa rancoris et odii. Omnis autem homo cuilibet tenetur dimittere rancorem animi et odium, sive sit perfectus, sive imperfectus. Non enim potest esse in charitate et habere rancorem vel odium adversus aliquem; sed potest retinere signa rancoris, vel odii : hoc dico si sit imperfectus (27). Si enim ei obviaverit in via, non tenetur ei dicere, Ave, nec communicare cum eo in mensa, vel pacem ab eo sumere in ecclesia, et hujusmodi; licet enim ei clamorem facere apud terrenum principem, apud Ecclesiam, non propter se vindicandum, sed propter Dei justitiam exercendam ut ille magis humilietur, ut ipse, et etiam alii per ipsum corrigantur. Si autem ille se humiliaverit in præsentia ejus in quem peccavit, ipsum orando, genua flectendo, et hujusmodi, et satisfecit ei juxta quantitatem commissi, et secundum judicium amicabile assistentium amicorum, debet ei dimittere, et rancorem, et odium, et omnia signa rancoris et odii. Si autem ille in quem peccat alio perfectior sit, ut diaconus, sacerdos et deinceps, vel contemplativus, tenetur omnia dimittere, nec licet ei habere rancorem, vel odium, nec etiam signa, sive se humiliet sive non. Unde Dominus dixit pro perfectis : *Mihi vindictam. Ego retribuam* (*Rom.* XII).

Secundum prædicta tamen videtur quod qui habens odium erga aliquem dicit : *Dimitte nobis debita nostra*, etc., mortaliter peccat quia orat sic sibi fieri, sicut ipse facit alii. Sed ipse nemini dimittit. Ergo ipse postulat sibi non dimitti, et ita omnis oratio ejus qui est in mortali peccato est ei in peccatum, et ita nunquam debet orare qui est in mortali peccato. Ad quod dicendum quia habens odium contra aliquem non debet hanc clausulam proferre, dum est in proposito odii; existens tamen in alio peccato mortali potest eam proferre.

Solet etiam quæri cum aliquis existens in mortali orando dicit : *Judica me, Deus, secundum justitiam meam*, etc. (*Psal.* VII), an mentiatur et ita peccet quia se justum vocat? Sed sciendum quia hujusmodi in persona Ecclesiæ dicuntur, non proferentis, sicut eum dicitur : *A finibus terræ ad te clamavi* (*Psal.* LX). Non enim unus est homo qui sit in finibus terræ. Super Danielem quoque legitur quod in persona Patrum loquebantur pueri, cum dicebant *peccavimus* (*Dan.* III). Ita etiam quærunt an propter se oret sacerdos imperitus qui dicit : *Miserere tui, Deus*, vel de Deo falsum ignorans asserit; quæ omnia magis sunt curiose quam utiliter inquirentium.

Ecce in hoc ultimo tractatu septem distinximus quæ hominem justificant, quæ sunt hæc : cogitatio de Deo et viis ejus, voluntas sive desiderium bene operandi, gratia Dei, motus surgens ex gratia et libero arbitrio, contritio, peccatorum remissio, confessio. Duo prima reliqua quinque præcedunt et tempore (28) et natura, nec per se possunt justificare. Illa quatuor quæ sequuntur, eo ordine quo enumerantur se præcedunt natura, sed nullum præcedit tempore, et nullum eorum potest haberi sine tribus reliquis, et ista quatuor **203** possunt justificare; necessarium tamen est septimum, id est confessio si habeatur tempus, locus, persona cui confiteatur homo peccata : quæ si habere non possit, non ideo minus justificatus est. Possumus istum septenarium reducere ad senarium ut pro contritione et confessione ponatur satisfactio, quæ non solum illa duo; sed et tertium complectitur in operis exsecutione, et ita cordis, et oris, et operis complectitur satisfactionem.

CAPUT XVII.

Utrum qui habet unam virtutem, habeat omnes.

(29) Præcedentem tractatum consideranti, nos ab ordine superius assignato non etiam modicum aberrasse patet. Prius enim quid gratia operans, et quid cooperans, quot et quæ justificationes, et quas et quibus mereamur, pro modulo nostro sufficienter ostendimus. Quasdam etiam quæstiones quæ nonnihil videbantur habere difficultatis interposuimus, et eas diversorum diversas solutiones retractando, non nostras adinveniendo, solvimus. Restat igitur inquirendum secundum ordinem nostrum, utrum quicunque habet unam justificationem, habet omnes, id est quicunque habet unam virtutem habet omnes virtutes : per justificationem enim non intelligimus nisi virtutem (30). Sciendum igitur quod virtus quandoque dividitur per quaternarium, quando dividitur in quatuor cardinales virtutes in justitiam, prudentiam, fortitudinem, temperantiam (31). Quicunque autem habet unam istarum, habet quamlibet istarum. Quod sic probatur ratione irrefragabili. Quælibet istarum virtutum ha-

(27) V. August. homil. 40 inter 50.
(28) Ita tamen ut ipsa etiam sint ex gratia præveniente, uti supra satis innuit auctor.
(29) Isthæc in parte, ut et sequentia tractat Magist., III. *Sent.* etc., d. 36.
(30) Mag., III, d. 35.
(31) Sic. Aug. VI *De Trinit.*, c. 4, in princ., sup. Joan. tr. 83, ep. 29 ad Hieronym., post init. et infra. Hieronym. in c. LVI Isa., ep. ad Gaudent. Fabiol. mansione 38, Ambr. l. V in Luc. 1, ad illud, *Beati pauperes* (*Luc.* VI), Greg. l. XXII, *Moral.*, c. 1, etc.

bet vitium mortale sibi oppositum, et quicunque habet unam istarum habet charitatem. Ergo quicunque habet unam istarum caret omni mortali peccato, et quicunque nullum habet mortale peccatum habet omnem virtutem alicui mortali vitio oppositam. Necesse est enim quod vel habeat vitium mortale, vel virtutem ei oppositam, quia non est medium. Ergo quicunque habet charitatem habet omnem virtutem alicui vitio mortali oppositam; sed omnis virtus est opposita alicui vitio. Ergo quicunque habet charitatem habet omnem virtutem alicui vitio mortali oppositam. Sed omnis virtus est opposita alicui vitio. Ergo quicunque habet charitatem habet omnem virtutem (32). Est autem effectus justitiæ subvenire miseris, prudentiæ præcavere insidias, fortitudinis perferre molestias, temperantiæ refrenare illecebras. Istæ autem virtutes habebuntur (33) in patria, sicut et hic, sed tunc alios habebunt effectus. Erit enim effectus justitiæ esse subjectum ei cui omnia erunt subjecta; prudentiæ, nil Deo præferre, vel ei coæquare; fortitudinis, Deo firmiter adhærere; temperantiæ, nullo affectu noxio delectari. Quandoque per ternarium dividitur virtus ut per fidem, et spem, et charitatem.

Quandoque autem dividitur virtus per septenarium ut per septem dona Spiritus sancti, quæ ibi numerantur Spiritus sapientiæ, et intellectus, et consilii, et fortitudinis, et scientiæ, et pietatis, et timoris Domini (*Isai.* II) (34). Sapientia est, ut dicunt philosophi, « Divinarum humanarumque rerum cognitio. » Augustinus autem sic distinguit inter sapientiam et scientiam. Sapientia est divinarum rerum cognitio, scientia vero tantum humanarum rerum. Potest (35) tamen evidentius distingui, juxta sanctorum auctoritates, ut sapientia referatur et dicatur pertinere ad æternæ veritatis contemplationem et delectationem. Nam sapientia pro hoc ut accipitur dicitur a sapore virtutum condita scientia, et dicitur a sapore non a sapere, de qua: *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis* (*Sap.* I). Scientia vero ad rectam terrenorum ordinationem, et ad bonam inter malos conversationem; intellectus autem pertinet ad æternæ majestatis et creaturarum invisibilium contemplationem.

(36) Sciendum est autem quod ista, scilicet sapientia, scientia et intellectus, non sunt illæ naturales potentiæ animæ, imo sunt dona Spiritus sancti **204** gratuita, naturalia tamen quæ sunt in anima reformantur per ista, et vivificantur. Sciendum etiam quod quando Spiritus sanctus infundit alicui dona ista, non ideo magis scit vel magis intelligit, nec plura, sed forsitan ea quæ ipse scit,

A melius scit et plenius, sicut ille qui pœnitet de ignorantia, non ideo magis scit, vel minus ignorat. Pietas autem est divinus cultus, qui græce theosebia dicitur, id est Dei cultus; consilium autem ad ethicam pertinet, scilicet ut aliquis sciat sibi consulere et providere et etiam proximo. De fortitudine prius diximus. Hæ autem virtutes habebuntur in patria, sed forsan tunc alios habebunt effectus. Sed hoc videtur esse falsum propter timorem qui non erit in patria, ut videtur velle Augustinus. Dicit enim (37): « Timor magnum præsidium est proficiscentibus in patriam qui pervenientibus foras mittitur. » Ecce ergo timor non erit in patria. Quod nos dicimus esse verum de omni timore generaliter, excepto timore filiali qui etiam foras mittetur se-
B cundum unam sui partem vel usum (38), scilicet secundum usum separationis. Quod ut melius pateat, distinguendæ sunt quatuor species timoris (39); est enim timor mundanus sive humanus, timor servilis, est initialis, est filialis, sive castus, sive amicabilis (40). Est autem timor mundanus vel humanus, quando timemus pericula carnis, vel amissionem terrenorum, et ideo delinquimus. Unde Dominus: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere* (*Matth.* X. *Luc.* XII). (41) Timor servilis est quando aliquis cessat a peccato tantum propter timorem gehennæ, non propter amorem Dei. Initialis est quando homo cessat a peccato partim virtutis amore, partim formidine pœnæ; filialis est quando homo cessat a
C peccato tantum propter amorem Dei. De primo timore nulli dubium est quin sit malus. De servili autem timore dubitatio est, et ubi est dubitatio, constituenda est disputatio. Ideo de isto agendum est.

CAPUT XVIII.

De servili timore, an sit virtus, et de annexis huic quæstioni.

(42) Servilis timor est bonus. Ergo potest haberi cum charitate. Vel sic: Servilis timor non potest haberi cum charitate. Ergo servilis timor est malus. Item, usus servilis timoris est serviliter timere, sed iste malus est, nec eo potest quis bene uti.
D Ergo servilis timor est malus. Item, servilis timor facit serviliter timere. Ergo facit peccare. Ergo non retrahit a peccato. Ergo non introducit charitatem, quod tamen probo, quia ipse introducit initialem timorem, et initialis timor non potest haberi sine charitate. Ergo servilis timor introducit charitatem. Sed probo quod excludit eam. Charitas excludit servilem timorem et servilis timor non potest haberi cum charitate. Ergo servilis timor excludit

(32) Ex Aug., l. XIV *De Tr.*, c. 9.
(33) Ita cum Mag. ad lit. III, dist. 33 et uterque cum Aug. citat. et Beda super Exod. XXVI.
(34) Hæc Aug. l. XIV *De Trinit.*, c. 1, in med.
(35) Iterum ex Aug., XIII *De Trinit.*, c. 19.
(36) Mag., sup., § c.
(37) In ps. V in med. *Enarration.*
(38) Mag., III, d. 34, § k.
(39) Mag., III, d. 34, § d.
(40) Cassiodor. in psal. CXXVII.
(41) Aug. sup. psal. CXXVII.
(42) Mag., III, d. 34.

charitatem. Ergo non introducit eam. Item, servilis timor est donum Dei. Ergo naturale vel gratuitum, sed non est naturale, nam si esset naturale non recederet charitate adveniente, sicut nec ratio, vel memoria, vel ingenium. Ergo est donum gratuitum. Ergo eo vel ejus usu meremur vitam æternam. Item, timor servilis est initium sapientiæ. Ergo est pars sapientiæ, vel aliquid de sapientia. Item, servilis timor datus est homini a Deo ad aliquem usum, sed non nisi ad serviliter timendum. Sed serviliter timere malum est. Ergo datus est ei ad malum usum. Ergo non est ei imputandum si serviliter timet. Item, servilis timor facit hominem cessare a peccato propter timorem gehennæ. Ergo facit hominem cessare a peccato. Sed quicunque non habet peccatum mortale habet charitatem. Ergo servilis timor facit hominem esse in charitate. Ergo potest haberi cum charitate.

Propositis igitur rationibus per ordinem respondeamus. Ad primam dicimus quod bonum multipliciter dicimus: bonum meritorium, bonum **205** utile, bonum de genere bonorum: servilis autem timor bonus est, id est utilis, quia introductorius est ad charitatem, sed non est bonus, id est meritorius. Fallacia primi argumenti. Desiderium habendi charitatem non habitam, est bonum. Ergo potest haberi cum charitate, vel non potest haberi cum charitate. Ergo est malum. Ad secundam rationem dicunt quidam quod serviliter timere non est peccatum, et iste usus bonus est, et tamen quicunque serviliter timet peccat, sed non ex hoc quod serviliter timet, imo ex hoc quod charitatem non habet, quia ipsa non potest haberi cum servili timore, sicut desiderare charitatem non habitam non est peccatum; et tamen quicunque desiderat non habitam peccat; sed non ex eo quod desiderat, imo quia non habet charitatem. Si quis dicat: Sic tenemur habere charitatem, sed non possumus habere charitatem et serviliter timere. Ergo tenemur non serviliter timere. Fallacia. Nos tenemur habere charitatem, sed non possumus habere charitatem et desiderare charitatem non habitam. Ergo tenemur desiderare charitatem non habitam. Vel sic: Tenemur habere fidem; sed non possumus habere fidem et dare eleemosynam absque fide. Ergo tenemur non dare eleemosynam si non habeamus fidem. Ad tertiam rationem dicunt quod servilis timor facit serviliter timere, sed non peccare. Fallacia. Hoc desiderium facit istum desiderare charitatem non habitam. Ergo facit istum peccare. Dicimus itaque quod servilis timor retrahit a peccato, et introducit charitatem. Cum vero dicitur quod excludit charitatem, verum est sub hoc sensu, id est non est simul cum charitate, sed si dicas, *excludit*, id est non præparat ad charitatem habendam, falsum est. Ad quartam

A dicimus quod servilis timor est donum gratuitum, non tamen eo, vel ejus usu meremur vitam æternam; sicut desiderare charitatem non habitam est bonum gratuitum, non tamen eo meremur vitam æternam (43). Ad quintam dicimus quod servilis timor aliter dicitur initium sapientiæ, et aliter timor initialis, quia timor servilis est initium sapientiæ, id est ad sapientiam. Initialis vero est initium sapientiæ, id est in sapientia, quæ est quasi pars sapientiæ, quia habetur cum charitate, sed timor servilis est quasi seta (44) quæ ducit filum per foramen, quia ipse præcedit charitatem. Fallacia. Iste lapis est terminus sive meta hujus agri. Ergo est pars hujus agri, vel aliquid de hoc agro. Ad sextam dicunt quidam quod usus servilis timoris

B bonus est, et a Deo datus. Ad septimam dicimus quod servilis timor facit hominem cessare a peccato, sed non ab omni peccato; etsi enim cesset homo per timorem servilem a malo opere, non tamen a mala voluntate quæ mortale peccatum est. Voluntatem enim habet peccandi, sed cessat tantum propter pœnam.

Licet tamen dictum sit quod serviliter timere est bonum, videtur posse probari quod sit mortale peccatum. Iste ex eo quod serviliter timet, actione timendi declinat a fine debito, id est a Deo, et refert ad indebitum finem, scilicet qui est propter pœnam. Ergo et serviliter timendo peccat, non ergo servilis timor est donum Dei. Ad hoc dicen-

C dum quod non ex libero arbitrio inducitur ad timendum serviliter, sed potius ex infirmitate naturæ, postea tamen sequitur deliberatio quando considerat pœnam, et ideo non privatur debito fine illo timor, et ideo non peccat, sicut si aliquis ex deliberatione jejunat ut postea esuriat, ut post melius comedat, esuries illa mortale peccatum est; si autem hoc casualiter faciat, nec bonum est in se, nec malum. Ita etiam ex libero arbitrio movetur aliquis ad fornicandum et ideo peccat: quod si non ex libero arbitrio, non est peccatum et est bonus, id est utilis servilis timor, quia per ipsum vitamus incommodum, id est pœnam æternam.

Item, serviliter timere non est de genere malorum. Ergo potest fieri ex charitate. Vel ita, non est de

D illis quæ ex se mala sunt, ut occidere, adulterari. Ergo ex charitate potest fieri. Ideo dicunt quidam serviliter **206** timere malum est, nec est usus servilis timoris serviliter timere. Nam ille bonus est, et hoc est malum, sed potius timere pœnam, et retrahere a peccato, quorum utrumque bonum est, et est servilis timor defectus non culpæ, sed pœnæ, qui tamen non potuit esse in Christo, non enim omnes defectus nostros suscepit nisi quos oportuit.

(43) Mag., III. d. 34, § 1.

(44) Aug. tr. 9, in I Joan. Sicut videmus per setam introduci linum quando aliquid suitur, etc., sic timor primo occupat mentem: non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit ut introduceret charitatem.

CAPUT XIX.

An initialis timor sit virtus, et de aliis ad hoc ipsum pertinentibus.

(45) Dicenti quod qui habet virtutem habet omnes, objectum est de timore servili, eidem objicitur de timore initiali sic: Qui habet unam virtutem habet omnes. Ergo habet initialem timorem, quod falsum est, quia charitas perfecta excludit initialem timorem, et charitas imperfecta eum comitatur. Ad hoc dicunt quod hoc dictum est de generibus singulorum, non de singulis generum. Qui habet unam virtutem habet omnes, et verum est quod qui habet unam virtutem habet timorem, sed non ideo hunc vel illum. Fallacia. Qui habet unam virtutem habet omnes. Ergo qui habet unam, habet imperfectam charitatem. Quoniam autem circa initialem timorem multa sunt dubitabilia, ea paucis expediamus. Quæritur autem utrum timor initialis possit crescere, vel non. Quod autem non possit crescere, videtur. Sunt autem duo usus ejus, scilicet amor justitiæ, et timor gehennæ: et quanto magis crescit amor, tanto magis decrescit timor. Hoc ait auctoritas (46): Ergo quanto crescit ex hac parte, tanto decrescit ex illa. Quare autem magis diceretur crescere, quam decrescere, vel econtrario (47), sed nec simul potest crescere et decrescere. Item, quod non possit crescere vel decrescere probatur a simili. Sicut dies naturalis nec potest crescere vel decrescere, quia quanto crescit dies artificialis, tanto decrescit nox artificialis, et econtrario. Dies autem naturalis qui constat ex nocte artificiali et die artificiali manet immobilis. A simili videtur quod timor initialis immobilis maneat, licet iste usus crescat, et ille decrescat. Ad hoc dicunt quidam, quod cum dicitur: *Quanto magis crescit dilectio, tanto magis decrescit timor gehennæ*, sic est intelligendum, id est quanto magis aliquis proficit in dilectione, tanto magis abstinet a peccato propter dilectionem Dei, non propter pœnam, non propter timorem gehennæ, et tamen tantum timet pœnam quantum quilibet alius, sed non cessat a peccato propter timorem pœnæ, sed propter dilectionem Dei, sed secundum hoc tantum timet perfectus quantum imperfectus.

Contra quod sic, initialis timor partim respicit ad cœlum, partim ad infernum, et quanto magis respicit ad cœlum, tanto magis respicit ad infernum. Sed respicere ad cœlum est Deum diligere, respicere ad infernum est pœnam timere. Ergo quanto magis aliquis Deum diligit, tanto minus timet pœnam. Ergo perfectus minus timet pœnam quam imperfectus. Ad hoc aliqui dicunt quod quanto minus aliquis respicit ad cœlum, tanto magis etiam respicit ad infernum propter horrorem pœnæ, non quia illum timeat propter pœnam, sed quia tam horribili pœna considerata vehementius Deum di-
A ligit, et in ejus dilectionem magis proficit. Item, iste perfectus est, nullum habet mortale vel etiam veniale cremabile. Quare ergo timet? Ad hoc dicunt quod ideo timet quia pœnam abhorret, sicut ille qui est in eminentissima turre, scit quia cadere non potest, quoniam fortiter ligatus est, et tamen timet quoniam terram videt quasi abyssum remotam. Similiter ille qui est supra pontem angustum videns torrentem subtus labentem rapido cursu, timet.

Item, probatur quod timor initialis non potest crescere, aut enim ita fiet assignatio initialis timoris, *Initialis timor est qui partim diligit, partim timet*; et ita falsa erit hæc assignatio secundum eos, quia vir perfectus timet secundum eos, non tamen
B habet initialem **207** timorem, quia perfecta charitas eum excludit, aut ita fiet assignatio, *Initialis timor est qui cessat a peccato partim propter dilectionem Dei, partim propter timorem pœnæ*. Nam ita solet assignatio fieri, sed motus dilectionis crescere potest et augmentari et motus timoris minui. Ergo tantum crescere potest dilectionis motus, quod motus timoris omnino delebitur. Ergo a Deo potest augmentari motus dilectionis, quod possit veraciter dici timor initialis non potest crescere. Item, timor initialis non potest haberi sine charitate imperfecta, et econverso. Sed charitas imperfecta non potest crescere in isto, quin jam fieret perfecta. Sit ita quod iste sit in ultimo puncto charitatis imperfectæ.
C Ergo timor initialis non potest crescere in isto, aut potest non esse initialis.

Econtrario probatur quod potest crescere sic: Charitas potest crescere. Ergo omnis virtus. Ergo timor initialis. Item, ille qui habet initialem timorem, intensius potest diligere, et intensius potest timere. Ergo in eo potest timor initialis crescere. Vel sic: Iste potest intensius diligere, et remissius timere. Ergo potest intensius diligere, et tamen timere; sed tantum poterit proficere dilectio istius, quod ipse erit perfectus. Ergo iste potest esse perfectus et timere.

Hæc autem diversi diverso modo solvunt. Quidam enim dicunt quod timor initialis desinit esse adveniente timore filiali, sicut doctrina puerorum desinit
D esse adveniente doctrina provectorum, et similiter desinit esse adveniente timore servili, quando scilicet a Deo augmentatus est timor pœnæ sive usus timoris, quod omnino deletur usus dilectionis. Alii autem melius dicunt, scilicet quod potest crescere timor initialis, sed non existens initialis, quia quando a Deo augmentatus est usus dilectionis quod omnino deletur, usus timoris non desinit esse, sed fit filialis. Similiter altero usu crescente, et altero eliminato fit servilis, et ita dicitur crescere non existens initialis, sed quia fit filialis eliminato timore, vel fit servilis eliminato amore. Et ita non

(45) Mag., ut supra.
(46) Aug., tr. 9 in I Joann.

(47) Hic videntur pauca desiderari.

desinit esse illa qualitas animi, sed manet eadem, et quæ fuit servilis est timor initialis, et erit timor filialis. Et similiter ordine retrogrado potest fieri ut filialis fiat initialis et servilis.

Sed ad hoc objicitur, et videtur posse probari, quia timor initialis existens initialis possit crescere. Cum enim ille homo habeat intensiorem initialem timorem quam iste, sit ita positum: Quæritur, cum omnis virtus possit crescere, quare non possit timor initialis crescere in isto, ut sit tam intensus in isto, quam intensus est in illo. Item, sit quod hic sint duo timentes serviliter, et eorum unus minus timeat gehennam quam alter. Ibi sint duo habentes initialem timorem, eorum unus altero magis diligit. Iste qui minus timet serviliter illo timore non diminuto non remisso potest proficere ut habeat tantam dilectionem, quantam habet ille qui minus diligit de illis duobus qui habent initialem timorem, et ita initialiter timet. Ergo, a simili, ille qui magis timet serviliter potest proficere ut ejus timore non diminuto habeat tantam dilectionem quantam habet ille qui magis diligit, habens initialem timorem. Et ita potest habere timorem initialem magis intensum quam alius qui minus timet, quia et magis timet et magis potest diligere. Ergo intensior potest esse in eo timor initialis quam in isto. Ergo timor initialis potest crescere.

Sed econtrario probo quod non potest crescere manens initialis sic: Aut nullus gradus est in timore initiali ultra quem non possit progredi, aut aliquis gradus est ultra quem non potest timor iste progredi quin fiat filialis vel servilis. Si dicas quod nullus est ibi gradus ultra quem non possit progredi initialiter timens; sed et similiter erit in filiali timore. Ergo ad nullum tam altum gradum timoris filialis potest aliquis progredi, quin ad tam altum gradum timoris initialis possit progredi, cum hinc inde sit infinitas. Ergo tantum potest diligere habens initialem timorem **208** quantum habens filialem. Ergo tantum potest diligere imperfectus quantum perfectus diligit. Si vero dicas quod aliquis gradus est in timore initiali ultra quem non potest fieri progressio, sit: Ille gradus aut est maximus gradus dilectionis aut maximus timoris, aut medius et æqualis timoris et dilectionis; sed ad quemcunque istorum graduum fiat progressus, non crescit timor initialis, quia si ad maximum dilectionis, jam fit remissio usque ad minimum timoris; et si ad maximum timoris, jam fit remissio, usque ad minimum dilectionis. Sicut in trutina si lanx ista elevatur, altera dimittitur, et econtrario, et quod hinc recuperat, inde amittit. Si vero ad gradum medium fiat progressus diligendo, vel timendo, necesse est ut vel a dilectione vel a timore ad gradum medium fiat descensus. Ergo timor initialis manens initialis nullo modo potest crescere. Et nos hoc concedimus, quia si crescat, aut fit filialis aut fit servilis.

Ad duas ergo prædictas rationes dicimus quod

A impossibilis est positio quam facit. Impossibile est enim quod aliquis habeat intensiorem timorem initialem quam alius. Si enim magis diligit, magis timet, et econtrario. Similiter impossibile est quod aliquis timens serviliter timore manente non diminuto suscipiat dilectionem quantamcunque. Quam cito enim incipit diligere, tam cito dilectio delet vel omnino vel fere totum timorem. Similiter timor dilectionem, si quis filialiter diligens incipiat timere. Dicunt tamen quidam quod crescit timor initialis si crescat usus ejus dignior, id est dilectio; si vero crescat indignior, id est timor, non ideo dicitur crescere, sed judicandum est secundum digniorem usum de cremento, vel de decremento ejus. Si vero ita dicatur: Iste habet majorem timorem initialem B quam ille; ergo magis timet. Fallacia. Iste habet majorem imperfectam charitatem quam ille, ergo habet majorem imperfectionem.

Sed iterum objicitur: Timere gehennam est usus initialis timoris. Ergo est usus virtutis. Ergo est meritorius. Item, hi sunt duo usus timoris initialis, diligere Deum et timere gehennam. Ergo isti usus sunt oppositi, vel unus refertur ad alterum. Ad hoc dicimus quod timor initialis non habet duos usus, sed tantum unum, nec est ejus usus, diligere Deum, sed timoris filialis. Quis est ergo ejus usus? Diligere Deum cum timore gehennæ, et est iste usus mixtus ex illis duobus, unde initialis timor dicitur: *Mixta cum pavore dilectio*. Item, objicitur de timore C filiali: Filialiter timens timet separari. Ergo timet pœnam, quia separari a Deo est pœna, et ita qui habet filialem timorem, id est vir perfectus, timet pœnam. Ad hoc dicendum quod vir perfectus timet separari a Deo non propter pœnam, sed propter Dei offensam. Licet enim separatio non possit esse quin esset pœna, tamen non timet eam vir perfectus, quia esset pœna, sed quia Dei offensa; nullum enim respectum habet ad pœnam, sed ad Dei amorem. Item, prudenter timetur quidquid accidere potest ut perfectus cadat et peccet. Ergo debet timere ne cadat, et quod facere debet facit. Ergo timet ne cadat. Ergo timet pœnam quia casus est pœna. Ad quod dicimus quod perfectus timet ne D cadat, sed non propter pœnam, imo propter Dei offensam quia tantum respicit ad cœlum. Item dicit Apostolus: *Certus sum quia neque mors, neque vita potest me separare a charitate Dei* (*Rom.* VIII). Sed si certus quod non separabitur a charitate Dei, ergo non timet separari a charitate Dei, ergo aliquis habens filialem timorem non timet separari. Ad quod dicimus quod sic intelligendum: Certus sum certitudine quæ potest haberi in via: nemo tamen adeo perfectus est qui non debeat timere, quia, *Beatus vir qui semper est pavidus* (*Prov.* XXVIII).

Est autem triplex timor, conscientiæ, et experientiæ, et cautelæ. Experientiæ, ut si quis naufragus mari timet periclitari. Alius vero cujus navis jam fracta est et aquam haurit, timorem habet con-

scientiæ: conscius **209** enim est sibi quod periclitatur; alius qui securus est in navi firma timorem habet cautelæ, quia omnis homo timet in mari. Ergo qui habet perfectam charitatem ut Paulus, non timet timore experientiæ aut conscientiæ, sed cautelæ, quia *qui stat, videat ne cadat* (*I Cor.* x). Sic igitur habemus quatuor species timoris (48). Est enim mundanus qui malus est, qui retrahit a charitate. Servilis qui bonus est, non meritorius, sed utilis, quia introducit ad charitatem. Initialis qui habetur cum imperfecta charitate. Filialis qui habetur cum perfecta charitate: et ejus usus duo sunt, scilicet reverentiæ et separationis, et secundum istos duos usus habetur in via a perfectis; et tamen a Christo habitus est secundum usum reverentiæ tantum, et non secundum usum separationis, quia non timuit separari. In patria autem habebitur tantum secundum usum reverentiæ. Tunc enim separari non timebimus, quia: *In diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter* (*Jer.* xxiii), quia non timebit tunc separari (49). Est etiam quintus timor, sed naturalis, quando homo naturaliter formidat. Unde: *Cœpit Jesus pavere et tædere* (*Marc.* xiv).

A

B

CAPUT XX.

Utrum virtutes excident in patria?

(50) Sicut ex prædictis patet, virtus quandoque dividitur in quatuor ut in quatuor cardinales virtutes; quandoque in septem, ut in septem dona Spiritus sancti; quandoque etiam præcipue secundum theologos dividitur in tres, scilicet fidem, spem et charitatem. Quæritur ergo prius utrum istæ tres virtutes erunt in patria, an tantum charitas? Videtur autem quod charitas erit in patria. Dicit enim Apostolus: *Charitas nunquam excidit* (*I Cor.* xiii), et ita erit in patria. Sed econtrario videtur dictum: *Cum venerit id quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est* (*ibid.*), vel id quod imperfectum est: sed charitas est in via imperfecta, et nunquam plene perfecta; et ita cum venerit perfectio, quæ vere erit in patria, tunc desinet esse charitas quæ tantum est imperfecta in via respectu perfectionis quæ erit in patria. Ergo charitas non erit in patria. Item scientia est comes charitatis, sed scientia desinet esse; ergo et charitas. Ergo non erit in patria. Item indirecte: Iste habebit charitatem tantum in patria, sed habet in via et fidem, et spem, et charitatem, ergo melior est in via quam erit in patria. Item, iste habet charitatem in via meritoriam vitæ æternæ, in patria habebit charitatem non meritoriam. Ergo charitas melior in isto in via, quam erit in eo in patria. Item, Dominus dicit: *Ego cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ* (*Joan.* x), et alibi: *Hæc est vita æterna ut cognoscant te, et quem misisti Jesum Christum Dominum nostrum* (*Joan.* xvii); sed in via cognoscitur

C

D

et Pater et Filius a bonis. Ergo in via est vita æterna. Item, dicit Christus discipulis: *Omnia quæcunque audivi a Patre meo nota feci vobis* (*Joan.* xv). Ergo nota fuerunt discipulis in via quæcunque audivit Christus a Patre. Ergo nota fuerunt eis quæcunque et Christo. Ergo in via habuerunt vitam æternam. Item, Petrus in patria credit et habet charitatem. Ergo habet fidem informatam charitate. Ergo habet fidem virtutem. Ergo fides est in patria. Item, Linus qui est in patria habet charitatem et majorem quam Petrus: sit ita quod Petrus adhuc sit in via. Ergo dignus est majori corona quam Petrus.

Item, quæritur utrum aliquis existens in via possit habere tantam charitatem quantam habet aliquis existens in patria; quod videtur. Nam charitas data est illis qui sunt in patria ad mensuram, sed quilibet existens in via potest proficere in charitate. Ergo potest tantum proficere quod perveniat ad tantum cumulum charitatis quantum habet ille qui est in patria, quod est impossibile; quia qui minor est in patria major est etiam Joanne (*Matth.* xi).

His igitur prælibatis, sciendum est quod nec fides, nec spes erunt in patria, sed tantum charitas. Prædictis ergo per ordinem est respondendum. Cum ergo dicitur: *Cum venerit id quod perfectum est, evacuabitur quod imperfectum est* (*I Cor.* iii), sic est intelligendum, **210** id est, cum venerit perfectio quæ habebitur in patria, evacuabitur imperfectio charitatis, quia tunc tantum perfecte habebitur charitas; hic autem tantum imperfecte, nec est intelligendum quod imperfecta charitas desinet esse, quia charitas nunquam excidet, sed imperfectio charitatis.

Ad secundum dicimus quod hoc nomen *scientia* quadrupliciter dicitur. Quandoque dicitur scientia ars vel regulæ quæ discuntur, ut est grammatica et regulæ artium; quandoque dicitur scientia qualitas animi; quandoque dicitur scientia motus surgens ex illa qualitate quæ comprehendit ea unde dicitur homo sciens, id est artes et earum regulas; quandoque etiam scientia dicitur quidam alius motus ex isto primo motu, et ille comprehendit id quod habetur per regulas et præcepta artium, id est fructum regularum. Quocunque ergo istorum modorum accipiatur scientia, verum est quod scientia desinet esse præter qualitatem animi: illa enim non excidet. (51) Charitas autem nunquam excidet, neque motus ejus, id est diligere Deum et diligere proximum; nec etiam modus, id est diligere Deum propter se, et proximum propter Deum. Quædam enim omnino destruuntur ut linguæ et prophetiæ; alia mutantur ut fides in speciem, et species in rem; quædam perficiuntur et augentur ut charitas.

Ad tertium dicimus quod, licet iste habuerit in

(48) Mag., sup., § k.
(49) Mag., sup., § l.

(50) Mag., iii, d. 31, §, b. c.
(51) Mag., sup., § c.

via fidem, et spem, et charitatem, et in patria tantum charitatem, non tamen melior est in via quam in patria erit, quia ibi multo perfectiorem habebit charitatem sicut iste modo habet aurum, argentum, et æs, cras vero tantum habebit aurum ; non tamen cras erit pauperior, quia plus habebit de auro quam modo de omnibus metallis.

Ad quartum similiter dicimus quod iste non est melior in via quam erit in patria, licet hic et non ibi habeat charitatem meritoriam.

Ad quintum dicimus quod est cognitio ænigmatica, et est cognitio comprehensiva. Deum non possumus cognoscere in via, nisi cognitione ænigmatica, id est quasi ænigmate per speculum; sed in patria cognoscemus eum cognitione comprehensiva, quia tunc videbimus eum facie ad faciem (*I Cor.* XIII), et illa cognitio erit vita æterna, et de ea loquitur cum dicit : *Hæc est vita æterna ut cognoscant te* etc. (*Joan.* XVII).

Ad sextum dicimus : *Quæcunque audivi a Patre meo* (*Joan.* XV) etc., scilicet quæ necessaria erant vobis ad salutem. Verum est quod quilibet credet in patria articulos fidei, scilicet Christum natum fuisse, passum fuisse, non tamen habebit fidem, (52) sicut Christus credidit, non tamen habuit fidem, et licet Linus majorem charitatem et coronam habeat quia est in patria, quam Petrus apostolus qui est in via; non tamen dignus est majore corona, quia illam coronam, quam habet jam habet in præmio, nec eam meretur. Sicut iste pugil qui obtinuit victoriam in pugna, majorem habet laudem, et etiam jam remuneratus est, quam ille alius pugil qui pugnat fortius et cum fortiori homine, quam iste pugnaverit, non tamen est dignus majori præmio quam ille, si vincere poterit, quia fortius et cum fortiori pugnat.

Quod ultimo dictum est, solutum est si dicatur quod dilectio viæ, quantacunque sit, non potest æquari dilectioni patriæ; quia charitas *est ignis in Sion, et caminus in Jerusalem* (*Isai.* XXXI). Sicut potest crescere numerus animarum, quia semper potest Deus novas animas creare, non tamen potest tantum crescere ut parificetur numero rerum existentium.

CAPUT XXI.

De fide.

(53) Quæritur autem utrum qui habet unam istarum virtutum, habet quamlibet earum, id est et fidem, et spem, et charitatem; quod non videtur. Dicit enim Augustinus (54) : *Fides quæ operatur per dilectionem est fundamentum virtutum, non ea quæ dæmonum est, qua credunt et contremiscunt* (*Jac.* II). Ecce aperte dicit quod dæmones habent fidem sed certum **211** est quod ipsi non habent spem et charitatem. Ergo aliquis habet fidem sine aliis, et ita non quicunque habet unam istarum habet earum quamlibet. Ad hoc dicendum est quod fides quandoque dicitur qualitas animi, qua homo comprehendit ea quæ oportet credi. Illam autem qualitatem quandoque comitatur charitas, et tunc habet homo fidem virtutem quæ est informata charitate. Quandoque eam non comitatur charitas, et tunc illa qualitas est informis, nec est fides virtus, et talem fidem habent dæmones et mali homines. Utrum autem qualitas eadem permaneat quando est informis, et quando advenit charitas, an alia sit cum charitate, priore qualitate desinente esse, nemo scit. Quandoque autem id quod credimus, id est collectio articulorum dicitur fides. Unde : *Hæc est fides catholica.* Articuli autem nostræ fidei sunt incarnatio, et passio, et resurrectio, et ascensio, etc. Sed quia quidam insurgunt contra nos dicentes : Vos creditis passionem Domini, et nativitatem, etc., sed falsum est illos articulos esse. Ergo vos creditis ea quæ falsum est esse, falsitas subest fidei vestræ : ideo possumus assignare articulos per dicta propositionum, ut Christum esse natum, Christum esse passum, etc. Hoc idem credidit Abraham, sed sub aliis verbis Christum esse nasciturum, Christum esse passurum.

Cum autem dicitur quod fides est fundamentum aliarum virtutum, intelligendum est de motu fidei, quia fundamentum naturaliter, vel tempore præcedit ea quorum est fundamentum. Motus autem fidei est credere, spei sperare, charitatis diligere (55). Nemo autem sperare potest vel diligere nisi naturaliter prius credat, sed potest credere, licet non speret, vel diligat. Quoquo autem modo dicatur fides sive qualitas, sive collectio articulorum, sciendum est quod una fides est. Certum est enim quod idem sunt articuli apud omnes fideles. Si vero qualitas dicatur fides, eadem est fides omnium fidelium, non in essentia, sed (56) in genere. Non enim in essentia eadem est qualitas animi diversorum, sed eadem in genere, sicut dicitur quod eadem est voluntas istorum, vel facies, quoniam est illi consimilis.

(57) Quoniam autem circa fidem multa sunt dubitabilia, videndum est quid sit fides, et de quibus habeatur fides, et quæ sit differentia inter nos et antiquos in fide : *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium* (*Hebr.* XI), id est id per quod speranda in nobis subsistunt; *argumentum*, id est probatio non apparentium. Per fidem enim probamus non apparentia, dicentes : Hæc prædixerunt prophetæ et crediderunt, et ea

(52) Mag., III, d. 26, § c.
(53) Mag., III, d. 23.
(54) L. *De fide et operib.*, cap. 16, init.
(55) Mag., sup., § i.
(56) Fides communis est omnibus fidelibus : sicut pluribus hominibus facies communis esse dicitur, cum tamen singuli suas habent. Non enim fides numero est una sed genere : quæ cum sit in uno est et in aliis, non ipsa, sed similis, et propter similitudinem magis unam dicimus esse quam multas, sicut idem volentium dicitur voluntas : cum tamen cuique sit sua voluntas, et duorum simillimorum dicitur facies una. Aug., l. XIII *De Trinit.*, cap. 2.
(57) Mag., sup., § h.

jam in parte completa sunt. Ergo ea quæ nondum completa sunt, credenda sunt complenda tempore suo. Sicut et ista completa sunt, et ita est argumentum non apparentium : sed hæc diffinitio videtur peccare in duobus, in hoc scilicet, quia non est convertibilis cum suo diffinito, quia spes similiter est rerum sperandarum tantum, sed et fides est substantia rerum sperandarum. Ergo fides est spes. Peccat etiam in hoc quod non comprehendit nisi futura, cum fides sit tam de præsentibus, quam de præteritis, quam de futuris. Ideo dicendum quod hoc non est diffinitio, sed est quædam assignatio. (58) Vel verius potest dici, quod fides una est quæ de præteritis, et præsentibus, et futuris est, qua credo Christum esse natum, et ad judicium venturum et esse Deum ; nec sunt tres species fidei, fides quæ est de præsenti, et alia de præterito, et tertia de futuro, sed una et eadem. Unde illa diffinitio : *Substantia rerum sperandarum , argumentum non apparentium* fidei convenit generaliter. Nam fides qua credimus Christum natum, est substantia rerum sperandarum, quia ea credimus Christum ad judicium venturum. Nec convenit hæc diffinitio spei, cum nil suo vocabulo vere et proprie diffiniatur, potest sic diffiniri (59) : **212** « Fides est voluntaria certitudo absentium infra scientiam et supra opinionem constituta. »

(60) Sciendum autem est quod fides non est de apparentibus, sed tantum de non apparentibus. Unde *apparentia non habent fidem, sed agnitionem*. Dicit enim Augustinus (61) : « Illud veraciter dicitur credi, quod non potest videri. Quod enim videri potest, jam credi non potest. Thomas aliud vidit, et aliud credidit. Hominem vidit et Deum confessus est dicens : Deus meus et Dominus meus (*Joan.* xx). » Sed quod fides tantum de non apparentibus sit, videtur esse falsum, habetur enim in Evangelio : *Et nunc dixi vobis, priusquam fiat, ut, cum factum fuerit, credatis* (*Joan.* xiv). Ergo Dominus volebat ut discipuli crederent apparentia. Ergo fides est de apparentibus. Ad hoc dicendum quod præter illas acceptiones quas assignavimus in hoc nomine *fides*, est alia quæ dicitur credulitas, secundum quam nos dicimus credere ea quæ videmus, et audimus, et credere oculis nostris, sed hac fide non meremur. Non est enim meritoria, nec illa informamur, sed ex rebus extrinsecus advenientibus intrinsecus certificamur. Est iterum alia fides, quæ improprie dicitur fides, sed potius deberet dici res fidei, sive merces fidei, de qua dicit Apostolus : *Tendentes de fide in fidem*, de fide ænigmatica ad fidem comprehensivam. Hanc autem fidem ita describit Augustinus, dicens (62) : « Est fides rerum, quando non A verbis ipsis, sed præsentibus rebus creditur, quod erit quando per speciem se contemplandam sanctis præstabit Dei sapientia. » Ex his verbis patet quod ista fides magis dicenda est certitudo, quam fides. Hæc erit in patria, hæc est fides comprehensiva, non ænigmatica.

(63) Item videtur quod fides sit de apparentibus, Petrus enim vidit Christi passionem, et eam credidit, et cæteros articulos fidei. Ergo credidit quod vidit. Ergo non meruit. Item, Thomas noluit credere, donec vidit cicatrices. Ergo fidei ipsius humana ratio præbuit experimentum. Ad hoc dicimus quia et Petrus et Thomas credendo meruit. Petrus vidit hominem pati et mori, sed credidit ipsum esse Deum quod non videbat, et in hoc meruit. B Thomas carnem vidit, sed Deum sub carne latentem credidit, et ita (64) aliud vidit et aliud credidit. Quod dicitur (65). « Fides non habet meritum cui humana ratio præbet experimentum ; » sic intellige, id est non meretur homo qui non vult credere, nisi quod ei ab homine probatur.

Item probatur quod fides est de his quæ sciuntur ; dicit enim Augustinus (66) : « Nihil est certius fide. » Ergo fides est de certis : sed ea quæ sunt certa, sciuntur. Ergo fides est de his quæ sciuntur. Item, videtur quod fides est de cognitis : dicit enim Augustinus (67) : « Quædam sunt quæ non intelliguntur nisi credantur, et quædam sunt quæ non creduntur nisi intelligantur. Nemo enim credit C Deum nisi intelligat, cum fides habeatur ex auditu prædicationis. » Ecce aperte dicit quod quædam non creduntur nisi intelligantur, et ita nisi sciantur. Ergo fides est de his quæ sciuntur. Item probatur quod est de incognitis : de nemine desperandum est ; iste sperat illum esse salvandum ; sed ille non salvabitur. Ponatur ita : ergo iste sperat falsum. Et quidquid subest spei, subest fidei. Ergo iste credit salvandum qui non est salvandus. Ergo credit falsum.

Ad duas primas rationes dicimus quod est scientia ænigmatica et est scientia comprehensiva. Verum est autem quod fides est de his quæ sciuntur ænigmatice, et in patria scientur comprehensive. Cum D ergo dicit : « Nil est certius fide, » sic intelligendum est, id est nulla certitudo præponenda est certitudini fidei, id est si pro aliquo esset moriendum, potius pro fide quam pro alio, et licet tanta sit certitudo, tamen licet nobis dubitare de articulis fidei, et inquirere et disputare. Non dico quod dubitemus an veri sint articuli fidei ; sed de modo nativitatis, de modo passionis et resurrectionis dubitare et disputare nobis licet. Unde Augustinus : « De credendis nulla infidelitate dubitemus, de in-

(58) Aug., *Enchirid.*, c. 1.
(59) Ita in terminis D. Th. 2-2, q. 4, in corp.
(60) Mag., sup., § g., et dist. seq.
(61) Imo Gregor., lib. iv *Dialog.*, c. 5, post med. et hom. 26 in Evang.
(62) Lib. *Quæst. evang.*, c. 39.
(63) V. Aug., in psal. ci, conc. 2.
(64) August., tract. 79 in Joan.
(65) Greg., hom. 26 in Evang. ad cap. xx Joan.
(66) L. ix *De Tri.*, c. 1. Certa fides utraque inchoat cognitionem.
(67) In ps. cxviii, conc. 18.

telligendis nulla temeritate affirmemus. » Similiter, cum postea dicitur : « Quædam sunt quæ non creduntur, nisi intelligantur, » id est sciantur, intellige ænigmatice; nec est **213** sperandum simpliciter istum esse salvandum, nec aliquem alium, nisi sub tali determinatione : *Si usque in finem in bono perseveraverit*, sicut iste laicus : si sacerdos ostendat purum panem pro corpore Christi, putans hoc esse corpus Christi, et admonens eum ut credat hoc esse corpus Christi, non debet simpliciter credere hoc esse corpus Christi, nisi subintellecta hac latenti determinatione : *Si scilicet consecratio facta est secundum instituta Christi et Ecclesiæ.*

(68) Quæritur autem post prædicta in quo differamus ab antiquis in fide. Videtur autem nulla esse differentia. Dicit enim Augustinus (69) : « Eadem fides salvat antiquos pusillos cum modernis. Ipsi tamen crediderunt Christum nasciturum; et nos natum passivum, et nos passum fuisse Christum, resurrecturum, et nos resurrexisse, et nos cum ipsis venturum ad judicium. » Ecce dicit quod eadem est fides illorum et modernorum. Dicit autem auctoritas, quod *qui præcedebant, et qui sequebantur clamabant : Hosanna* (*Marc.*, I; *Luc.* XVIII), et ita eadem fides antiquorum et modernorum. Sed videtur amplior esse modernorum, quam antiquorum. (70) Plura enim cognovit Moyses doctor legis quam Abraham, et David plura quam Moyses. Unde ipse ait : *Super senes intellexi.* (*Psal.* CXVIII); et Apostoli plura cognoverunt quam prophetæ; et ita quanto moderniores, tanto magis cognoverunt de Deo, sed qui magis cognoscit magis credit. Hoc habet auctoritas (71) ; ergo moderni ampliorem habent fidem quam antiqui. (72) Ad hoc dicunt quidam, quod antiqui quatuor tenebantur credere, scilicet nativitatem Christi, passionem, resurrectionem, adventum ad judicium. (73) Et ista quidem credebant distincte ut enumerata sunt, ut Abraham, Isaac, Jacob. Alii vero simpliciores credebant ista sub velamine, fidem habentes velatam, sicut est etiam hodie; quia quidam bestiales homines sunt, qui non sciunt distinguere articulos fidei, nec etiam nominare, qui tamen salvantur in fide majorum Ecclesiæ. Unde Job : *Boves arabant, et asinæ pascebantur* (*Job* I); per boves (74), majores ; per asinas simplices intelligens.

Alii autem dicunt quod antiqui tantum duos articulos credebant, scilicet nativitatem et adventum ad judicium, quod volunt habere ex Joanne, qui prædicans misit ad Dominum, quærens : *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* (75) (*Luc.* VII.) « Esne moriturus et ad infernum descensurus ? » Si autem teneretur scire et non sciret, ergo non esset perfectus. Sed legitur quod nullus perfectior. Ergo non tenebatur aliquis credere illa quatuor, sed tantum duo. (76) Ad quod respondent illi qui sunt in prima opinione, quod Joannes non quæsivit quia ignoraret, sed propter compassionem : compatiebatur enim Domino, vel forte de modo mortis et resurrectionis dubitabat (77). Non enim putabat quod tam viliter dignaretur pati, percuti, conspui, felle potari. Sicut Petrus cum dixit : *Absit a te!* (*Matth.* XVI) etc., et dixit ei Dominus : *Vade retro, Satana* (*Marc.* VIII) , non dubitabat de morte, sed de modo mortis. Utraque tamen dictarum opinionum est probabilis. Quod autem dicitur : «Quanto magis aliquis cognoscit, tanto magis credit ; » per cognitionem : dicitur enim fides magna per cognitionem, et magna per devotionem. Fides mulieris evangelistæ magna erat devotione non cognitione; fides Petri, quando negavit, magna erat cognitione et non devotione. Amplior ergo fides habetur a modernis quam ab antiquis cognitione, quia prædicatum est eis Evangelium, et etiam debet esse devotione major, quia plenius gratuita data sunt eis quam antiquis.

Item in Levitico legitur, quod si quis fuerit leprosus, offerat sextarium olei, ibi dicit : *Si quid defuerit sextario, non est sextarius* (*Levit.* XIV) ; sic, si quid defuerit fidei non est fides, sed est fides initians, proficiens, perfecta. Ergo fides initians, cum ei aliquid desit, non est fides. Sciendum est fidei triplicem esse perfectionem : est perfectio in comprehensione, in intelligentia, in fervore sive constantia. Si quid ergo defuerit, quod necessarium sit comprehendi de articulis, non est plena fides.

214 CAPUT XXII.

De spe.

(78) Spes *est exspectatio futuræ beatitudinis proveniens ex gratia et meritis præcedentibus.* (79) Sed si merita præcedunt spem et merita non sunt sine charitate ; ergo motus charitatis præcedit motum spei; sed dictum est supra, quod motus fidei præcedit motum spei et motum charitatis, et quod motus spei præcedit motum charitatis. Ideo intelligendum est merita non præcedere spem, sed id quod speratur, sicut merita nostra præcedunt non ipsam spem, sed id quod speratur, id est vitam æternam. Circa spem autem non multa inveniuntur indice (80) digna. Istud tamen non est prætermittendum quod nemo est adeo perfectus, qui debeat sperare simpliciter se esse salvandum, nisi sic : *Si in charitate decesserit*, et nemo adeo obstinatus

(68) Mag., III, d. 25.
(69) Lib. II *De nupt. et concup.*, c. 2, sensu ex-presso non verbis.
(70) Greg., homil. 16 in Ezech.
(71) Gregori., supra.
(72) Mag., III, d. 23, § b.
(73) Ex August. supra.
(74) Greg., l. II *Moral.*, c. 33.
(75) Gregor., hom. 6 in Evang., sed sensu, non verbis, expresso.
(76) Mag., sup., § c.
(77) V. D. Th. 2-2, q. 2, a. 7 ,ad secundum.
(78) Mag., III, d. 26.
(79) Ibid., § 1.
(80) Id est investigatione.

qui non debeat sperare se esse salvandum si in charitate decesserit. Nemo enim adeo perfectus qui non possit cadere, vel malus qui non possit surgere, dum est in via.

CAPUT XXIII.

De charitate. Primo de modo et ordine charitatis, ubi plura tractantur dubitabilia.

(81) De charitate subsequenter agendum est. Primo ergo tractandum est de modo et ordine charitatis, secundo de paritate et imparitate, tertio de perfectione et imperfectione, quarto utrum charitas semel habita amittatur. Hæc autem omnia lucidiora erunt dicto quid sit Christus (82). Charitas ergo est *dilectio Dei propter ipsum et proximi propter Deum.* Modus autem charitatis ex hoc præcepto manifeste perpenditur : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua* (*Deut.* VI). (83) Diligendus est enim Deus ex toto corde, id est toto intellectu ; ex tota anima, id est tota voluntate; ex tota mente, id est tota memoria. Sed patet cuicunque quod hoc præceptum non potest adimpleri in via. Non enim potest homo omnes motus ad Deum dirigere. Sunt enim multi ex carnis concupiscentia, multi potius ad malum quam ad bonum finem tendentes. Sed poterit hoc præceptum impleri in patria ; ibi enim erit perfectio. (84) Ideo dicendum quod hoc mandatum datum est a Deo non secundum perfectionem patriæ. Sic enim non posset impleri in via, sed secundum perfectionem viæ, ut scilicet impleatur prout potest impleri in via, et est ita exponendum et intelligendum secundum perfectionem viæ : *Diliges Dominum Deum tuum*, etc., id est motum charitatis præpones omni alii motui. Cum enim multi surgant motus in animo, motus charitatis omnibus est præponendus, et ita hoc præceptum in via potest observari. Vel ita : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, id est non ficto. Vel sic : *Diliges Deum tuum*, etc., id est, in præsenti nil contra Deum : in futuro nil præter Deum. Secundum autem perfectionem patriæ aliter exponendum est sic : *Diliges Dominum Deum tuum ex*, etc., id est intellectu, sine errore ; *tota anima*, id est voluntate, sine contrarietate, *tota mente*, id est memoria, sine labore. Item aliter : *Diliges Dominum Deum tuum*, etc., id est, omnes motus tui erunt spirituales in patria. Scilicet cum hic tam carnales quam spirituales habeantur. Item sic: *Diliges Dominum Deum tuum*, etc., id est omnes motus animi tui erunt de Deo ad Deum, quod non est in via. Quidam enim nostrorum motuum sunt de Deo, sed non ad Deum, ut si blasphemamus. Quidam ad Deum et non de Deo, ut quando compatimur proximo. Quidam nec ad Deum, nec de Deo, ut quando movemur ad adulterium. Quidam et de Deo et ad Deum, ut quando ipsum perfecte diligimus, et hic erit in patria. Ibi enim omnes motus nostri erunt de Deo et ad Deum.

(85) Modus autem dilectionis proximi, hic est: Proximum debemus diligere **215** ut nos, quia nos propter Deum et ipsum propter Deum debemus diligere, et bonum quod est in ipso et bonum quod est in nobis. (86) Cum autem proximus ad minus quadrupliciter dicatur (dicitur enim proximus affinitate primæ nativitatis, Adæ scilicet et Evæ; et spe conversionis ut Judæus vel paganus : vel propinquitate cognationis ut cognatus, et gratia beneficii exhibitionis, ut ille qui mihi multa contulit beneficia) (87) : Hic proximus dicitur omnis homo, quia nullus homo est cui non sit impendenda misericordia, et non solum hominem hic comprehendimus per proximum, sed etiam angelum (88), quia juste proximus noster dicitur, et nos custodit et nobis ministrat. Comprehendimus etiam hic Christum secundum quod homo, quia, secundum quod est homo, magis est a nobis diligendus quam nos ipsi, id est ad majus et forte majori affectu. Utrum autem magis sit diligendus Deus, quam Deus et proximus simul, dubium est, vel tantum, vel minus : et videtur quidem incongrue dictum, quia non est diligendus proximus, nisi propter Deum.

(89) Ordo autem hic est. Primo diligendus est Deus qui supra nos est; secundo nos debemus diligere; tertio quod juxta nos est, id est proximum; quarto quod sub nobis est, id est carnem nostram, et Deum majori affectu quam nos; et majori nos quam proximum; et majori proximum quam carnem. (90) Si quis autem carnem suam cruciet, non ideo carnem suam odio habet, sed ejus lasciviam et superbiam.

Sciendum est etiam quod quandoque diligere Deum, et diligere proximum dicuntur duo præcepta, quandoque unum. Duo propter diversum modum diligendi, quia Deum propter se, proximum propter Deum diligere debemus et magis Deum quam proximum : unum dicitur propter identitatem charitatis qua et Deum et proximum diligimus.

(91) Solet autem quæri utrum magis debeamus diligere unum proximum quam alium ? Ad quod quidam dicuntur quod non majori affectu, sed majori effectu debemus unum diligere quam alium, ut proximis cognatione magis tenemur providere. Quod autem pari affectu, id est dilectione sint omnes homines diligendi probant sic : Nullus diligendus est nisi

(81) Mag., III, d. 27.
(82) Ibid., § 2.
(83) Aug., l. I *De doctrina chr.*, c. 22.
(84) Alludit ad Aug. doctr., l. *De perfectione justitiæ* contra Cœlestinum, ante med.
(85) Aug., l. I *De doctrina christiana*, c. 22.
(86) Mag., d. 28. § ult.
(87) L. VIII *De Tr.*, cap. 6.
(88) Ex eodem Aug., l. I *De doctrina Christiana* c. 23, et præcipue c. 30.
(89) Mag., d. 28. Idem, ibid. August.
(90) Idem, ibid., cap. 24.
(91) Mag., III, d. 29.

propter Deum, nec in homine aliquid diligendum est nisi propter Deum. Ergo omnes homines pari affectu sunt diligendi. Idem ostendunt auctoritate Augustini qui dicit (92) : « Omnibus pari dilectione optanda est vita, licet non omnibus possint exhiberi dilectionis officia. » Sed eis videtur Ambrosius obviare ordinem charitatis exponens (93) : « Primo diligendus est Deus, postea nos, postea parentes, deinde filii ; deinde domestici, qui, si sint boni malis filiis sunt præferendi, demum inimicus, quoniam non præciperis diligere tota virtute ut Deum, nec sicut te, et proximum, sed sufficiat inimicum diligere, et odio non habere (94). » Ecce aperte dicit hic Ambrosius, quod majori affectu diligere quosdam debemus quam alios. Ideo dicunt quidam, quod nec omnes pari affectu, nec omnes pari effectu diligendi sunt, sed quidam majori, quidam minori affectu et effectu diligendi sunt. Auctoritatem Augustini sic solvunt : « Omnibus pari dilectione optanda est, » etc., id est par præmium, par corona omnibus optanda est; et ita referunt paritatem non ad affectum, vel effectum, sed ad præmium. Tantam enim coronam debemus optare isti quantam illi, et econtrario.

(95) Quæritur autem verumne sit illud quod positum est in auctoritate Ambrosii, quod scilicet boni domestici præponendi sint malis filiis? Videtur enim quod magis sint diligendi, quia nemo debet aliquem diligere nisi propter Deum, nec [*f.* aut] bonum quod in eo est ; sed multa bona sunt in isto domestico, et pauca in hujus filio. Ergo iste magis debet diligere istum domesticum quam suum filium. Item habet auctoritas (96) : « Sanctiores sunt copulæ mentium quam corporum, » sed iste conjunctus est huic domestico copula mentis, et nulla conjunctus est filio suo; et præterea multa gratuita diligenda sunt in hoc domestico, et nulla in suo filio. Ergo magis debet diligere istum domesticum, quam ejus
216 filium. (97) Magister meus in hac parte spiritualiter sentiens, quod et ipse facit et alios non tantum docere, sed et facere docuit, asserens, quod interiori dilectione magis diligendi sunt domestici boni quam filii mali. Nam majori affectu debeo illos diligere quam istos, et majus præmium optare propter sanctitatem religionis. Exteriori tamen dilectione magis teneor providere meis filiis et cæteris consanguineis meis, etiamsi pessimi sint, quam domesticis bonis, si et isti et illi indigeant, nec tamen consanguineis debeo ad superfluitatem temporalia ministrare, sed tantum ut sufficiat necessariis corporis, ne si nimiam eis abundantiam ministravero ex qua deteriores fiant, videar eos in errore fovere, et ita sim auctor malitiæ eorum. Bonis autem om-

A nia mea exponere debeo. Aliis videtur quod et quantum ad effectum, et quantum ad affectum, malum filium meum plus teneor diligere quam extraneum, licet ille optimus sit. Si quis dicat quod plus teneor diligere propter multa bona quæ in eo sunt, quam meum filium in quo nulla sunt bona, eadem ratione magis teneor diligere illum quam me.

Quæritur autem quomodo intelligendum sit quod postea positum est in auctoritate (98), hoc scilicet : « Inimicos sufficiat diligere et odio non habere. » Superius enim dictum est quod debes diligere proximum sicut teipsum ; sed omnis homo proximus est, ergo omnem hominem debeo diligere sicut me. Ergo et inimicum sicut me. Ad hoc dicendum quod inimicum debes diligere sicut te, ut *sicut* notet si-
B militudinem non quantitatem. Ut enim notaret Ambrosius quod non tantum diligendus esset inimicus quantum proximus, ultimo posuit inimicorum dilectionem.

Item quæritur utrum aliquis possit magis diligere quod minus diligendum est, vel minus diligere quod magis diligendum est ex charitate : quod videtur posse probari sic : Iste diligit patrem quantumcunque debet; diligit etiam illum extraneum quantumcunque debet, et etiam plus quam teneatur illum diligere, quia intantum diligit eum, quod amor quem habet erga illum transcendit amorem istius erga patrem; et hoc facit ex charitate : ergo diligit magis ex charitate quod minus diligendum est. Certum est enim quod plus diligendus est pater bonus
C quam extraneus. At dicet aliquis hoc esse impossibile quod positum est : quod tamen potest probari sic : Posito quod iste ex charitate neminem diligat quantum patrem, iste alio motu charitatis movetur ad diligendum patrem, alio ad diligendum istum extraneum, et iste est minor illo. Nunquid non potest crescere ille minor motus quo movemur ad diligendum extraneum, ut parificetur illi motui quo movetur ad diligendum patrem, vel etiam ut excedat eum : quod si est, jam constat quod ipse ex charitate plus diligit extraneum quam patrem etiam bonum. Si vero dicatur minor motus non posse crescere sine superiori, difficile est assignare rationem quare. Econtrario iste magis diligit quod minus
D diligendum est. Ergo inordinatam habet charitatem. Item, ordo charitatis est ut primo loco diligatur amicus et post inimicus. Ergo nemo potest æqualiter diligere amicum et inimicum, observato ordine charitatis.

Ideo dicunt quidam quod, cum sint quatuor motus charitatis, primus in Deum, secundus in meipsum, tertius in amicum, quartus in inimicum, quintus etiam potest assignari in propriam carnem ;

(92) In exposit. cap. VI ad Galat., t. IV, *V*, etiam l. I *De doct. Christ.*, c. 20.

(93) Ad illud Cant. II : *Ordinavit in me charit.*, in Glossa ibid.

(94) Ibid. Ambros. sed, quibusd. verbis detractis. Non tamen exstat apud Ambros. imo ut adulterinam, rejiciunt omnes.

(95) Mag., sup., § e.

(96) Bedæ ad illa verba : *Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei ? Matth.* XII : Religiosores monstrantur copulæ mentium quam corporum.

(97) Magister sent., l. III, d. 29, § d, e, etc.

(98) Ex Ambrosio supra.

et etiam inter amicos distinctio multiplex potest adhiberi, et non potest motus dilectionis erga inimicum, qui est inferior, crescere, quin crescat quilibet superior motus et ille qui est in amicum, et ille qui est in me, et ille qui est in Deum. Si enim posset crescere iste, illis non crescentibus, in tantum posset iste crescere ut adæquaretur secundo, et ita tantum diligeretur inimicus quantum amicus; imo ut excederet secundum et adæquaretur tertio, ut tantum diligerem inimicum quantum me, imo ut etiam quarto, ut tantum diligerem **217** inimicum quantum Deum. Quod constat esse falsum, quia sic periret ordo charitatis. Aliis tamen videtur quod possit iste plus diligere inimicum quam amicum ex charitate, et etiam plus quam patrem, et ideo non peccat, sed supererogat in dilectione inimici. Sicut paupercula mulier plus diligit Deum quam episcopus; non tamen episcopus peccat quia diligit quantum sufficit, sed mulier supererogat cui sufficeret multo minor dilectio. Nemo tamen potest magis diligere proximum quam Deum, et non peccare, quia motus dilectionis Dei omnes alios excedit et illi nullus est comparabilis.

Item, potest quæri an motus dilectionis quem habet, perfectus erga proximum possit esse tantus quantus est motus dilectionis quem habet imperfectus erga Deum. Quod videtur. Multi sunt imperfecti qui non traderent animam pro Christo, imo potius fugerent, si ventum esset ad discrimen. Econtrario multi sunt perfecti qui tantum diligunt proximum quod pro eo traderent animam. Ergo intensior videtur motus istius erga proximum quam illius erga Deum. Econtrario non videtur hoc posse stare, quia quicunque Deum diligit sive perfectus, sive imperfectus, plus diligit eum quam se, et nemo adeo perfectus est qui plus diligat proximum quam se. Ergo magis diligit quilibet imperfectus Deum quam aliquis perfectus proximum.

Item, potest quæri, an motus naturalis quo aliquis diligit amicum suum naturaliter possit æquari illi motui quo aliquis diligit proximum ex charitate. Et forte potest ei æquari in quantitate, si non in dignitate. Quæritur etiam cum iste moveatur ad diligendum amicum propter beneficia sibi collata, et propter Deum, utrum moveat uno motu, an diversis motibus, et utrum moveatur aliquis ex hoc quod diligit creaturam naturali dilectione quia nobis placet, quod creatura Dei est; et etiam propter Deum hoc facimus, quia creaturam Dei eam scimus esse; sic enim diligimus creaturam quæ est diabolus. Quæ omnia quia nondum sunt trita adhuc sub judicio relinquimus. Illud potius quærendum an virtutes diligamus charitate. Quod si est, ergo ad id ad quod nos: quod verum est, non tamen ut ipse fruatur Deo, sed ut per eas illi qui habent eas.

(99) *Enchirid.*, c. 73.
(100) Aug hom. 40, inter 50.

A Item, dicit Augustinus (99): « Non est tantæ multitudinis inimicos diligere, quantum credimus exaudiri Dominica Oratione dicendo: *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.*, VI). » Ergo plures exaudiuntur Dominica Oratione quam diligant inimicos. Ergo aliquis exauditur Dominica Oratione qui non diligit inimicos, ergo qui non diligit proximum. Ergo aliquis exauditur Dominica Oratione qui non adimplet hoc præceptum: *Diliges proximum tuum sicut teipsum* (*Levit.*, XIX; *Matth.*, V). Ad quod dicimus quod cum dicimus, Multi exaudiuntur Dominica Oratione qui non diligunt inimicos (100), verum est: exteriori effectu et beneficio, quia non quicunque exauditur Dominica Oratione diligit proximum exteriori effectu, sed necesse est ut eum diligat inte-
B riori affectu.

Item, quæritur utrum omnis homo teneatur diligere Deum quantum potest. Si dicas quod nullus, ergo, cum omnis homo teneatur diligere Deum, omnis tenetur diligere eum ad mensuram; ergo, si aliquis eum magis vel minus diligat quam exigat certa meta, transgressor est. Si vero dicas quod aliquis homo tenetur Deum diligere quantumcunque potest, eadem ratione quilibet. Ergo quilibet homo tenetur Deum diligere quantumcunque ipse potest; sed nullus diligit quantumcunque ipse potest, ergo omnis homo transgressor est. Ad quod dicimus quod nullus homo tenetur Deum diligere quantumcunque ipse potest eum diligere, quia ejus
C dilectio in infinitum potest crescere. Quod ergo dicit: Omnis homo tenetur Deum diligere, et nullus quantumcunque potest, ergo ad mensuram. Fallacia. Omnis homo vult scire, et nullus vult tantum scire quin possit magis scire, ergo aliquis vult scire ad mensuram. Item, omnis homo tenetur diligere perfecte, vel imperfecte. Nullus tenetur diligere imperfecte, ergo omnis tenetur diligere perfecte. Fallacia. **218** Uterque istorum scit hoc vel illud esse verum, astra esse paria, astra esse imparia; neuter scit hoc esse verum astra esse paria, ergo uterque scit illud esse verum, astra esse imparia.

(1) Quæritur etiam utrum aliquis magis mereatur motu quo diligit amicum, quam motu quo diligit inimicum, vel econtrario. Sed hæc quæstio perplexa
D est. Si enim fiat comparatio inter motum quo iste diligit amicum tantum et quo ipse diligit et amicum et inimicum, non est comparatio. Nam ille quo ipse diligit amicum tantum non est bonus. Nemo enim tantum amicum debet diligere. Sed ita proponatur quæstio: utrum aliquis magis mereatur diligendo amicum quam inimicum, vel econtrario. Ubi major est lucta, ibi major est corona; sed major est lucta in dilectione inimici quam amici, ergo major corona. Ergo magis meretur in dilectione inimici quam amici: quod probatur falsum esse. Nam iste majori charitate diligit ami-

(1) Mag. III, d. 30.

cum quam inimicum, et intensiori motu, ergo magis meretur diligendo amicum quam inimicum. Ad quod dicimus quod ubi magis intenditur charitas ibi majus est meritum. Vel probabiliter dici potest, quod omnis homo magis meretur diligendo amicum quam inimicum, quia nullus potest diligere inimicum intensiori motu quam amicum. Quod autem dicitur, *Ubi est major lucta, major est corona*, non est dictum universaliter.

Item, iste tenetur diligere omnem proximum, et similiter quilibet homo; ergo omnis homo tenetur diligere omnem hominem, ergo notum et ignotum: ergo iste tenetur diligere hominem quem nunquam vidit, nunquam cognovit. Ad quod dicendum quia vere tenetur diligere dilectione generali omnem hominem notum et ignotum : est enim generalis dilectio et specialis, sicut est generalis confessio et specialis. Item, iste diligit Deum toto corde et proximum toto corde, ergo magis hunc quam illum. Fallacia. Et Petrus, et Linus habet summum bonum, ergo Petrus non habet majus quam Linus. Vel, iste pugnat adversus illum, et pugnabit totis viribus, ergo non fortius quam nunc : quod est falsum, quia tum erit fortior.

Quæritur iterum utrum aliquis magis debeat diligere animam proximi quam carnem Christi : quod volunt ita probare, quia, ut dicit Augustinus (2), « Nil majus est quam frui visione Dei. » Sed iste diligit animam proximi ut fruatur visione Dei, ergo magis debet diligere animam proximi quam carnem Christi; sed in contrarium, caro Christi vivificatrix est animarum, et nullus potest habere salutem nisi per carnem Christi; ergo magis diligenda est caro Christi. Præterea ipsa unita est verbo Dei, quo munere nil majus est, ergo ipsa magis diligenda est quam anima proximi. Propterea tradunt quidam plus esse diligendam carnem Christi quam animam proximi, et majori affectu et ad majus.

Quæritur iterum utrum aliquis magis debeat carnem suam quam animam proximi diligere. Quod videtur sic, quia animam suam magis tenetur diligere quam animam proximi, ut fruatur scilicet visione Dei : sed animam suam non potest diligere, quin diligat carnem ut glorificetur. Non enim potest anima frui vita æterna (3), quin habitura sit corpus glorificatum: ergo magis tenetur diligere carnem suam quam animam proximi. Sed videtur contrarium quia debet diligere animam proximi ut fruatur visione Dei, et caro sua non potest frui visione Dei : ergo magis debet diligere animam proximi sui quam carnem suam. Ad quod dicimus quod magis debet diligere animam proximi sui; id est ad majus, quia ad fruitionem visionis Dei; vel magis animam proximi quam carnem propriam, quia, si ventum

A fuerit ad discrimen, quod vel animam proximi necesse sit periclitari in fide vel carnem propriam in afflictione, potius debeo carnem meam morti exponere quam ipse labatur in fide. Nam salutem animæ ipsius debeo præponere saluti corporis temporali (4). Hoc tamen non nisi de perfectis est verum. Sciendum quod in alio sensu vere dicitur quod magis debeo diligere carnem propriam quam animam **219** proximi, id est majori affectu. Nam magis debeo optare glorificationem carnis meæ, quam beatitudinem animæ proximi, et ad hoc magis debeo laborare.

Item (5) : « Infra Deum nil majus est mente humana, » ergo præter Deum nil magis diligendum est mente humana : ergo caro Christi non est magis diligenda quam mens humana : quod non est

B verum. Ideo sic est exponenda illa auctoritas: « Infra Deum, etc., » id est nullus usus alicujus creaturæ, major est vel melior, quam usus humanæ mentis ; ejus enim usus est Deum contemplari; et cogitationes ad ipsum dirigere. Vel sic est exponenda : « Infra Deum, etc., » id est mente Christi quæ humana est nil majus est infra Deum.

Item, voluntas Dei non potest esse meritum isti ad vitam æternam : sed ejus voluntas potest esse ei meritum ad vitam æternam, ergo iste magis debet diligere voluntatem suam quam voluntatem Dei. Fallacia. Anima istius non potest esse meritum vitæ æternæ isti, sed opera ejus possunt ei esse meritum ad vitam æternam, ergo iste magis debet di-

C ligere opera sua quam animam suam.

Item, quod magis bonum est, magis est glorificandum quam illud quod minus est bonum; sed potentia Dei, quæ est ipse Deus, majus bonum est quam crux Christi. Ergo magis est glorificanda potentia Dei quam crux Christi; ergo Apostolus inordinatam habuit charitatem dicens : *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (*Gal.* VI). Ad quod dicendum quod magis est glorificanda potentia Dei quam crux Christi. Sed hoc dixit Apostolus tempore illo quo crux Christi maximum erat scandalum Judæis, et stultitia et derisio gentibus, ut magis crucem exaltaret, et magis eos argueret. Vel sic expone : *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini*

D *nostri*, id est nisi in operibus quæ ipse pro nobis fecit patiendo in cruce; quod totum fuit ex misericordia et bonitate, quæ est eadem cum potentia.

Item, diligendus est Deus quia est Deus, et diligendus est, quia homo, ergo magis diligendus est quia est Deus et homo, quam quia Deus. Item, habes in Canticis super illum locum : *Qualis est dilectus tuus ex dilecto* (*Cant.* V), Filius a Patre. Ex qua parte magis debet diligi quam timeri. Item, *Miserationes* Dei sunt *super omnia opera ejus* (*Psal.* CXLIV).

(2) Lib. I *De doctrina Christ.*, c. 32. *Vid.* cap. 16, lib. X *De civit.*

(3) Hæc intellige post generalem corporum resurrectionem.

(4) Non est de necessitate charitatis quod homo proprium corpus exponat pro salute proximi, nisi in casu quo tenetur ejus saluti providere. Sed quod aliquis sponte ad hoc se offerat, pertinet ad perfectionem charitatis. D. Th. 2-2, q. 26, a. 5.

(5) Aug., l. I *De lib. arb.*, c. 10, resp. Evodio.

ergo ipse magis est misericors quam justus : sed propter misericordiam est diligendus, propter justitiam est timendus; ergo est magis diligendus quam timendus. Sed in contrarium sic. Hæc nomina dicta de Deo essentiam significant, et illa non comparatur quia non intenditur aut remittitur, ergo non dicuntur de ea magis vel minus. Item, quia est Deus est diligendus, quia est Deus est timendus, ergo non est magis diligendus quam timendus. Item, quia est misericors est diligendus, quia est justus est timendus, non magis misericors quam justus, ergo non est magis diligendus quam timendus. Vel ita : Æque justus est et misericors; ergo æque diligendus et timendus Sciendum ergo est quod ista nomina dicta de Deo essentiam divinam prædicant, et quosdam effectus in creaturis notant, sicut dictum est de his nominibus *Justus, misericors*. Cum enim dicitur Deus est diligendus probatur dignitas qua est dignus Deus diligi quæ est divina essentia : præterea subinnuuntur quidam effectus in creaturis quod tenentur eum diligere. Similiter cum dicitur Deus est timendus, ponitur eadem dignitas et subinnuitur alius effectus. Ergo si secundum principalem significationem eis adjiciatur magis aut minus, incongrua est locutio, *Deus est magis diligendus quam timendus*. Si vero ad effectus creaturarum referatur comparatio, verum est quod pro quibusdam magis tenemur diligere, pro aliis magis timere, sicut dictum est de misericordia et justitia. Cum vero addito ablativo dicitur, Deus est magis diligendus a nobis quam timendus, non ponitur ibi aliquid de Deo, sicut nec cum dico, Deus est Creator. Sed hic est sensus, id est dignum est ut nos Deum diligamus. Nec est mirum si de Deo fiat sermo, et per subinnuationem non Deo, sed creaturæ aliquid attribuatur; sicut **220** cum dicitur Deus est creator, id est Deo volente res de non esse prodierunt ad esse.

Si vero quæratur, utrum a nobis sit magis diligendus quam timendus? Dicimus quia ita est. Motus enim dilectionis in nobis erga Deum omnes alios motus superare debet, et pro quibusdam magis est diligendus a nobis quam pro aliis, quia pro operibus recreationis magis quam pro operibus creationis, sic forte magis tenemur eum diligere, quia pro nobis passus, quam quia Deus: sed non tenemur magis diligere, imo tenemur magis diligere quia Deus, quam quia passus. Nam iste motus omnes excedere debet, et ita patet quia magis tenemur eum diligere quia Deus et homo, quam quia Deus; sed non magis diligere. Si ergo quæritur an magis sit diligendus quia Deus et homo, quam quia Deus, si essentia divina prædicetur, incongrue dicitur. Si ad effectus referas, verum est, quia magis tenemur diligere quia est Mediator, quam quia Creator, sed non tenemur magis diligere. Fallacia. Deus est magnus

A quia est Deus, et est magnus quia est homo, ergo est major quia est Deus et homo, quam quia Deus. Aliorum solutiones ex prædictis patent. Item, cum Deus diligendus sit quia creavit mundum, et longe incomparabiliter majus fuit generare Filium, longe amplius diligendus est quia genuit Filium, ut videtur, et exhibenda ei videtur latria quia Pater et eadem quia Deus; et multa alia inquiri possunt, quæ quia inusitata sunt, sub silentio sunt transeunda. Istud tamen non est prætermittendum quin motus erga Deum superet etiam illum qui est erga ipsum hominem. Nam quidquid boni nobis exhibuit in humanitate, totum fecit ex deitatis bonitate, et omnes alii motus ad motum deitatis referuntur, ex qua est omne bonum.

B Sicut ad ordinem dilectionis pertinet inquirere quid primo loco, et quid secundo loco sit diligendum, ita ad eumdem ordinem pertinere videtur inquirere ex quo magis vel ex quo minus teneamur diligere. Unde et post illam quæstionem hæc tractanda est. Et cum sint tria genera bonorum, teste Augustino (6), maxima, et media, et minima, quæritur an pro omnibus diligendus sit Deus : quod videtur, quia ut dictum est supra, pro temporalibus, quæ minima sunt, serviendum est Deo, ergo pro temporalibus est diligendus. Item, angeli antequam collata essent eis gratuita, tenebantur Deum diligere, et ipsi non habebant nisi naturalia, ergo pro naturalibus tenebantur Deum diligere naturali dilectione. Quod inde etiam cognoscitur quod se-
C cundum differentiam perspicacitatis naturalium data sunt eis gratuita. Item (7), in Evangelio habetur de homine peregre proficiscente, quod *tradidit servis suis bona sua, et unicuique secundum propriam virtutem* (*Matth.* xxv), scilicet naturalia ; et ita secundum differentiam naturalium magis tenebatur quisque diligere vel minus. Sed contra sic : Iste pro naturalibus tenetur diligere Deum, et non nisi propter Deum, ergo pro naturalibus tenetur diligere Deum ad fruendum illo; quod etiam videtur ex illa auctoritate : *Homo factus est ut Deum cognosceret, cognitum diligeret, dilecto frueretur*. Item, quilibet pro naturalibus Deum diligere tenetur; ergo quanto meliora habet naturalia, tanto magis tenetur Deum
D diligere; ergo si quis habet meliora naturalia alio, habens parem charitatem, magis peccat si in aliquo genere peccati peccat, quam ille si in eodem; et ita magis peccat pulchrior quam minus pulcher, dives quam pauper; habens acutum ingenium, quam qui hebes. Quod improbatur, quia cum aliquis pauper est, vel hebetis ingenii, vel aliquid tale patitur, illa pœna est illi a Deo inflicta tanquam medicina (8), vel ad correctionem, si sit peccator, vel ad conservationem virtutum si sit bonus, ut Paulo datus est stimulus Satanæ; vel ad majorem coronam ut Job. Ergo, nisi unum istorum efficiat in illo,

(6) L. II *De lib. arb.*, c. 19; et l. I *Retract.*, c. 9, in med.

(7) D. Th. 2-2, q. 24, 2.

(8) Mag., I d. 46, § 1; ex Aug., *De Trinit.* Et IV, d. 15, § a. Similia habet Pullus.

vertit homo medicinam sibi datam ad bonum in A malum, et ita ex majori contemptu peccat, quam ille cui non est apposita medicina, id est dives vel quilibet alius, secundum illud : **221** *Curavimus Babylonem et non est sanata* (*Jer.* LI). Et illud : *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis* (*Eccli.* XXVII), et ita videtur magis peccare pauper quam dives; hebes, quam ingeniosus.

Propterea distinguunt quidam inter fundamentum dilectionis, et augmentum. Fundamentum expressum est ubi dicitur : *Diliges Dominum Deum tuum*, etc. (*Matth.* V) Augmentum notatur ibi : *Cui plus committitur plus ab eo exigitur* (*Luc.* XII). Ergo quantum ad fundamentum dilectionis omnes æque tenentur diligere, sed quantum ad augmentum mi- B nime. Alii dicunt quod magis tenetur unus diligere quam alius; sed sicut est cultus duliæ et cultus latriæ, ita est dilectio duliæ et dilectio latriæ. Dilectione latriæ omnes æque tenentur Deum diligere; sed dilectione duliæ quidam magis tenetur ; et secundum hoc qui meliora habet naturalia magis tenetur diligere dilectione duliæ. Qui ita solvunt non solvunt, sed dicunt. Ideo pro regula habendum est, quod qui magis contemnit magis peccat. Sed iterum quæritur quis magis contemnit, qui dives, an qui pauper : nam utrinque inducta est ratio : et verius videtur quod qui dives, sicut paupertas medicina est per quam homo debet removeri a peccato, ita et divitiæ, unde si duo, scilicet dives et pauper in eodem genere peccant habentes prius parem C charitatem, plus peccat dives quia suavior est medicina divitiæ, quam paupertas. Sicut si isti convaleant de eodem morbo, unus propter mordax epithema, alter propter suavem medicinam, plus obnoxius est suo medico iste qui suaviter convaluit, quam qui per asperam medicinam, quia paupertas, licet occasio sit majoris meriti ei cui apponitur medicina, ut dictum est, tamen licet nullum eorum sufficiat, quæ dicta sunt, non est causa majoris transgressionis. Sicut vides a simili per contrarium : peccat iste infidelis si non diligat filios, non tamen meretur si diligat, sicut iste qui non est mihi obnoxius, sed gratis servit, magis meretur de me mihi serviendo, quam ille obnoxius; non tamen D magis transgreditur, vel magis offendit si non serviat, sicut iste laicus qui multum supererogat diligendo Deum magis meretur, quam iste prælatus qui non tantum diligit, non tamen magis transgreditur si peccat.

Sed et istud suam habet dubitationem quæ ad hoc pertinere videtur. Esto enim quod iste laicus diligat plus quam ille prælatus, et tamen ille prælatus diligit prout tenetur, sed iste supererogat. Illud augmentum charitatis, quo iste laicus superat illum prælatum in charitate, majus est et excellentius omnibus donis quæ collata sunt illi episcopo, quia nil comparabile est charitate. Ergo majori dono præditus est iste quam ille; ergo plus exigitur ab isto, ergo iste magis tenetur diligere. Item, auctoritas (9) : « Debitum charitatis quanto amplius solvitur tanto amplius debetur. » Iste magis solvit, ergo magis debet diligere quam ille. Item, iste magis diligit quam ille, ergo magis diligitur, ergo magis tenetur diligere. Item, majus donum Spiritus sancti a se repelleret si peccaret, quam ille quia majus habet, ergo majorem injuriam faceret Spiritui sancto, ergo magis peccaret iste in aliquo genere peccati, quam ille in eodem, si peccaret. Item, « Debitum charitatis quanto amplius solvitur, tanto amplius debetur. » Ergo qui magis diligit magis tenetur diligere; ergo quanto magis diligit tanto minus solvitur a debito charitatis; ergo quanto minus diligit, tanto magis solvitur, et ita quanto minus diligit, tanto minus tenetur; ergo si non diligit non tenetur diligere. Quod falsum est, quia sunt multa alia pro quibus tenetur homo diligere quam pro dilectione, scilicet media et minima bona. Si enim non teneretur homo diligere, si non diligeret, non transgrederetur quia non diligeret.

Econtrario vero sic objicitur : Iste prælatus tenetur diligere perfecte, sufficit huic privato si diligat imperfecte, ergo non tantum non magis tenetur diligere iste quam ille, sed ille tenetur magis diligere. Item, si omnis habens intensiorem charitatem magis tenetur diligere quam qui minus intensam, eo quod minimum augmentum charitatis omnia alia dona **222** superat, ergo qui habet minimum charitatis magis tenetur diligere, quam qui nil habet; ergo magis transgreditur si peccat, quam qui charitatem non habet; quod ideo falsum est, quia « Peccatum quod non per pœnitentiam diluitur mox sui pondere ad aliud trahit. »

Ad hoc dicunt quod tenetur aliquis diligere vel ex præcepto, vel ex ratione præmii, aut pœnæ, aut collati. Omnes quidem æque tenentur diligere ex præcepto; sed unus magis tenetur alio ratione pœnæ, vel ratione præmii prout propositum est præmium aut pœna, aut collata sunt minima. Sed valde difficile est æquilibrare vel pœnas, vel præmia, vel munera, vel contemptus, quia soli Deo hæc credimus nota. Hic ergo pro certo verum est quod qui magis contemnit magis peccat, sed de contemptu soli Deo judicare facile credimus. Verum est ergo, quod nullus tenetur magis diligere quam alius, quia si non magis diligeret transgrederetur. Sed aliquis magis tenetur alio, ut dictum est, secundum differentiam præmii aut collati, aut pœnæ.

Item, denumeratis duobus quorum unus est perfectus, alius est imperfectus, uterque istorum tenetur abstinere a tanta malitia quantam habet ille homo tertius qui malus est, et perfectus magis tenetur abstinere. Ergo si uterque tantam recipiat malitiam, plus peccat perfectus quam imperfectus,

(9) Aug., conc. 2 in psal. XXXIII. *Ipsa est enim quæ semper redditur et semper debetur.* Eadem plane habet in psalm. XXXVI.

et ita magis malus est; quod concedunt. Non enim possunt in eodem genere peccati peccare qui minus potest altero.

Sed et iterum objicitur : Potest enim esse ut iste recipiat aliquam malitiam tantam quantam habet ille, nec majorem, nec minorem, et tantam potest ille imperfectus recipere, et si non in eodem genere peccati, saltem in diverso. Cum ergo ipsi possint æqualem malitiam in diversis generibus recipere, aut æqualiter tenentur ab ea abstinere, aut perfectus plus tenetur; si non plus tenetur ab ea abstinere, nec plus peccat eam recipiendo quam ille qui nec dignitatem nec perfectionem habet. Ex malitia igitur sola, non ex dignitate videtur cadere. Si autem plus tenetur ab ea abstinere, et ipsi parem recipiunt malitiam, ergo plus peccat unus quam alter; si plus peccat, perfectus pejor est, ergo majorem malitiam recipit, ergo non solum habet tantam; imo (etiam si tantam recipiat perfectus quantam imperfectus) cum quod criminale est imperfecto, criminalius] sit perfecto, magis malus efficitur perfectus ex tanta malitia, quam imperfectus ex tanta. Item, uterque istorum recipit tantam malitiam quantam habet ille, nec majorem nec minorem; uterque fit malus. Ergo ipsi fiunt æque mali. Si enim neget primam, dicet quod impossibile est perfectum et imperfectum æqualem malitiam suscipere, sed si ille qui erat perfectus fit magis malus quam ille qui erat imperfectus, ergo majorem malitiam suscipit.

Dicunt ergo quidam quod ab omnibus æqualibus mortalibus[peccatis] æqualiter omnes tenentur abstinere, et quicunque æqualem recipiunt malitiam, æque mali sunt, et tamen auctoritas videtur dicere, quod perfectus ab æqualibus peccati plus tenetur abstinere quam imperfectus. Sed dividunt, *plus tenetur;* id est pluribus obligatur, verum est. Si dicatur *plus tenetur*, id est si tantum peccatum recipiat quantum ille, gravius peccat: falsum est.

Dicunt etiam quod iste qui est perfectus si æque peccaverit cum illo qui nunquam fuit perfectus, contra plura [bona] facit et plurium efficitur reus. Nec tamen plus delinquit. Alioquin posset probari quod quantumcunque minimum peccatum committeret perfectus, plus peccaret, quam qui nunquam perfectus maximum peccatum committeret. Dicunt etiam quod qui dignitatem habet, si peccet, reus est non tantum peccati quod committit, sed etiam quia contra honorem suæ dignitatis facit. Nec tamen plus peccat quam qui idipsum peccatum ita magnum sine dignitate committit, plus tamen punitur ab Ecclesia, quæ non tam voluntatem quam opus considerat, sed quod a perfecto plus **223** exigatur abstineri ab uno et eodem peccato, quam imperfecto, et quod idem faciendo gravius delinquat non est dubium, cum quod veniale est uni, mortale sit alteri. Unde simpliciter dandum quod perfectus tantum tenetur abstinere aliquando ab aliquo peccato, *quod minus* est qualitate sui, quam imperfectus ab eo quod majus est qualitate sui, et illud recipiendo tantum peccet, etsi non sit tantum quantum illud aliud peccatum qualitate sui; majus tamen in isto est, et hoc est ex dignitate contempta, ut vere dicatur cadere, non tantum ex magnitudine peccati, verum etiam ex altitudine dignitatis.

Ex hoc videtur quod secundum majoritatem et minoritatem interiorum facultatum, scilicet ingenii, memoriæ, rationis, intellectus debeant possessores eorum in cœlestia intendere. Videmus tamen multos idiotas magis in spiritualibus proficere et qui in naturalibus prævalent non tantam habere gratiam in spiritualibus. Unde quantum illi videntur supererogatores, tantum isti transgressores. Item, legitur de patrofamilias qui unicuique dedit talenta ut secundum commissum sibi talentum lucrifaceret. Per quæ talenta designantur et bona naturalia et exteriores actiones quæ nobis commissæ sunt, ut secundum eas bene operemur, et ita mereamur audire, *Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* xxv). Tenetur ergo quisque secundum hoc quod plus accepit plus debet operari. Ergo si non plus operatur qui plus accepit, quam qui minus accepit transgreditur. Videmus tamen multos litteratos operari minus quam simplices et obtusos : imo si unusquisque tenetur operari secundum exteriorem actionem, ergo unusquisque tenetur erogare quantumcunque potest pauperibus; retenta sibi sufficientia ad victum et vestitum.

Ad hoc dicunt quod Deus non largitur illa dona gratuita secundum illas facultates, sed secundum facultatem illarum facultatum, quam facultatem ipse solus novit qui peregre profectus est; et debet unusquisque dare quantum potest, sed non quantumcunque potest, quia potest reservare in meliores usus, ut si videam aliquem egentem, non adeo tamen quin possit vivere absque beneficio meo, et habitam pecuniam possum reservare ad fabricam ecclesiæ resarciendam, et non erogare : vel ad sustentandum patrem aut matrem, vel ad aliquod bonum opus. Si tamen ita egeat ille ut jam moriatur nisi dedero, absque mora debeo dare sive perfectus sim sive imperfectus, et etiamsi sit meus inimicus. Item, quæritur de illo qui prius gentilis, modo Judæus, an magis teneatur diligere vel observare præcepta quam prius, vel magis mereatur hoc faciendo. Ad quod ita : Scriptum erat in cordibus hominum quod postea scriptum est in tabulis lapideis : *Honora patrem et matrem* (*Exod.* xx). Iste prius obsequebatur præcepto naturæ tantummodo, et nunc præcepto naturæ, et præcepto legis, ergo magis meretur quam prius. Item, non magis meretur quam prius, ergo non prodest ei quod factus est Judæus: Contra sic. Ex tanta charitate honorat patrem et matrem ex quanta prius, non ex majori vel minori, ergo non magis vel minus meretur quam prius. Eadem objectio est de duobus quo-

rum unus observat castitatem ex charitate sine voto, alter cum voto, et pari charitate; hujus qui sine voto facit, observantia magis indebita est quam illius, ergo majori præmio digna, ergo magis meretur iste quam ille, secundum illud : Bona quanto magis sunt indebita tanto gratiora. Econtrario sic : Iste meretur ex tanta charitate, ex quanta ille, et præterea ex voto, et ipsum votum meritum est, ergo magis meretur iste quam ille.

Dicendum ergo in prædicto casu quod qui habent parem charitatem pariter merentur, licet ex pluribus mereatur modo qui factus est judæus quam prius existens gentilis, vel monachus qui prius erat sæcularis, tamen non majus præmium meretur, quia non ex intensiori charitate hoc facit. Sicut tantum meretur qui habet voluntatem dandi eleemosynam, **224** et non dat quia non habet facultatem, quantum qui habet facultatem, et dat cum habeat ut Zachæus et vidua (*Luc.* XI, XXI). Pone autem hunc casum de Judæo et gentili ante adventum Christi. Nam aliter nec iste, nec ille charitatem habet, tunc autem poterat habere. Si autem quæratur quid prodest ei quod factus est Judæus vel monachus, dicendum quia propter fragilitatem suam ut securior esset, voto et religioni se astrinxit; et ita prodest ei non ad majus præmium, sed ad tutius vivendum. Item, Cain interfecit Abel (*Gen.* IV) antequam esset datum in mandatum, *Non occides* (*Exod.* XX), sed quando interfecit transgressus est hoc mandatum, ergo transgressus est antequam esset mandatum. Item dicit alibi Augustinus (10) : « Non quia hoc nobis mandatum, tenemur de mandato; sed quia tenebamur de mandato datum est nobis in mandatum. » Ergo tenebamur de mandato antequam datum esset mandatum; ergo si mandatum non servabamus, transgrediebamur mandatum antequam datum esset mandatum. Quod videtur impossibile. Ad hoc dicendum, quod est mandatum naturale, et mandatum scriptum, et Cain transgressus est mandatum naturale legis antequam datum esset mandatum scriptum. Et ideo dicit Augustinus : « Quia tenebamur de mandato, » scilicet naturæ, « Datum est nobis in mandatum, » scilicet scriptum, quia non ex mandato naturæ coercebantur pravi, ideo ad majorem observantiam naturale mandatum in scriptum est redactum.

Illud etiam quæritur an Deus uno loco vel uno tempore magis sit diligendus quam alio, quod videtur (11), quia institutum est ut tempore Quadragesimæ et festivis diebus devotiores simus et magis Deo serviamus quam alio tempore, et illam institutionem approbat Deus; ergo eo tempore magis est serviendum Deo, et magis diligendus est Deus, et ita uno tempore magis tenemur diligere quam alio, et uno loco magis quam alio. Econtra Deus semper æque bonus, et non est diligendus nisi propter suam bonitatem. Ergo non est magis diligendus uno tempore quam alio. Item, indirecte Deus uno tempore magis est diligendus quam alio; ergo dilectione duliæ vel latriæ, et ita majorem charitatem tenetur quilibet habere uno tempore quam alio; ergo si non habet tunc majorem charitatem, transgreditur. Non ergo quantalibet sufficit ei ad promerendum Deum. Item, sine dubio videtur dandum quod magis diligendus sit tempore gratiæ quo servitur ex amore, quam tempore legis, quando serviebatur ex timore. Ergo magis diligendus est uno tempore quam alio.

Distinguenda est igitur triplex servitus. Est enim servitus debita, quæ est latriæ; et pia, quæ est operum misericordiæ, et constituta, quæ est ex hominum institutione. Ita enim institutum est ut in regularibus horis laudemus Deum potius quam in aliis, et in Quadragesima devotiores simus et tempus redimamus. Ergo servitute constituta teneor magis servire Deo uno tempore quam alio, quia tempore vesperarum debeo dicere vesperas, quod non alio tempore teneor. Sed servitute debita, vel pia, nullus tenetur magis servire Deo uno tempore quam alio, quia si non magis serviret eo tempore, transgrederetur; cum posset alio tempore magis servisse et supererogationes fecisse. Sicut nullus tenetur magis diligere Deum quam alius. Sic etiam uno tempore non magis tenetur quilibet diligere Deum et optare sibi vitam æternam quam alio, ut hoc adverbium *magis* determinet hoc verbum *tenetur*, non hoc verbum *diligere* vel *servire*.

CAPUT XXIV.

De paritate et imparitate charitatis.

Ut post modum et ordinem charitatis dicatur de paritate et imparitate ejusdem, exigit ordo prædictæ enumerationis, cum constet quod penes charitatem est omne meritum, secundum illud : *Plenitudo* **225** *legis est charitas* (*Rom.* XIII). Quod si penes eam est impletio omnium, quomodo non est apud eam plenitudo omnium meritorum? et illud (12): « Habenti charitatem quid potest deesse? » Constat quod penes parem charitatem est par meritum, secundum illud : *Dantis calicem aquæ frigidæ* (*Matth.* X), *et dantis patrimonium par est meritum*, quia par charitas. De voluntate tamen idem legitur quod penes eam parem est par meritum, quod ostenditur ubi Dominus loquens de vidua ait : *Tantum misit paupercula in gazophylacium quantum omnes isti* (*Marc.* XII). Super quem locum dicit Beda : « Quia dispar facultas, sed par voluntas, » quod exemplo de Veteri Testamento potest induci. Misit Dominus paucos de filiis Israel duce Phinees, et postea præcepit, ut qui missi fuerant tantam portionem prædæ haberent quantam qui remanserant (*Num.* XXXI); et econtrario, propter parem voluntatem quam habuerant. David quoque cum insequeretur latrun-

(10) V. q. 140, in Exod., et init. enarrat. in Ps. LVII.

(11) Leo, ser. 5 in Quadrag.

(12) V. etiam Aug., tract. 5. in Epist. Joannis.

culos Amalecitarum quos citra fluvium Besor fatigatos dimisit, et eos cum quibus insecutus est æquali distributione prædæ remuneravit (*Reg.* xxx).

Sed contra objicitur: Penes parem charitatem est par meritum, et penes parem voluntatem est par meritum, et in pari charitate est dispar voluntas. Ergo vel in pari charitate est dispar meritum, vel in dispari voluntate est par meritum: quod necessario accidit si de ista constet, quod in pari charitate sit dispar voluntas; quod ita ostenditur: Esto enim quod hic sint duo habentes parem charitatem qui moventur ad idem opus misericordiæ impendendum huic pauperi; sed alter naturali motu magis ad id movetur eo quod ejus frater sit, certum est quod ille in quo major est motus naturalis pronior est ad miserendum, et ita majorem habet voluntatem, cum tamen parem habeant charitatem. Et hoc de Christo negare quis potest? Non enim quæcunque voluit pariter voluit, non enim dixisset: *Desiderio desideravi manducare hoc Pascha vobiscum* (*Luc.* xxii). *Baptismo habeo baptizari et quomodo coarctor donec illud impleatur* (*Luc.* xii), nisi majori virtute (13) hoc voluisset quam loqui mulieri Samaritanæ. Certum est igitur eum aliqua dispariter voluisse. Constat tamen quod semper parem habuit charitatem, utpote in qua nec proficere potuit, nec deficere. Unde in omnibus pariter sibi meruit. Potest igitur in pari charitate esse dispar voluntas, et ita par meritum in dispari voluntate, si semper in pari charitate par meritum. Quomodo ergo solvitur quod dictum est: *In pari voluntate par meritum?* Ad hoc dicunt quod voluntates dicuntur pares, vel in quantitate vel in bonitate. Possunt ergo in pari charitate esse voluntates dispariter intensæ, sed tamen pariter sunt bonæ. Sed quæritur an similiter motus dispariter intensi ex pari charitate sint pariter boni. Sed hoc aliter est quia qui intensior, est simpliciter melior.

Dubium est tamen an ex pari charitate possint esse motus dispariter intensi. Quod ita ostenditur: Esto quod aliqui duo in charitate moveantur ad opus misericordiæ impendendum pauperi religioso, sed alter familiarius usus est ejus conversatione. Sic videtur quod, licet sit par charitas, alter tamen majori motu charitatis movetur ad subveniendum ei quam alter, et ita ex pari charitate procedunt motus dispariter meritorii. In quo igitur attendenda est paritas charitatis? Nunquid non in paritate motuum? imo utique. Charitas (14) enim secundum se nec intenditur, nec remittitur, sed secundum effectum. Non tamen quicunque majori motu charitatis movetur ad aliquid quam alius, ad id majorem habet charitatem quam ille, cum possit ille moveri majori motu charitatis quam iste ad idem. Facienda est enim quædam collatio omnium

A motuum charitatis istius ad omnes motus charitatis, simul illius, ita quod, si sibi ex æquo respondeant, parem habere dicantur charitatem. Non est attendenda comparatio unius ad unum, sicut si velim ostendere duos istos esse pares in divitiis, omnium simul divitiarum istius ad divitias illius, non quarumdam ad quasdam facienda est comparatio, ita et in scientia, non unius ad unam, sed omnium ad omnes **226** ad hoc ut aliquis alio scientior ostendatur.

Sciendum tamen est quod cum penes charitatem sit par meritum, et penes parem voluntatem similiter, alia est ratio hujus dicti, alia illius. Nam ibi, *penes*, notat causam efficientem, hic auctoritatem B quamdam merendi circa voluntatem, quæ quidem sine opere meritoria est. Opus autem nunquam sine voluntate.

Potest autem movere quod dictum est si, generaliter intelligatur, scilicet: *Penes parem charitatem est par meritum.* Esto enim quod hic sunt duo, quorum alter adolescens est quem incitat fervor ætatis ad libidinem, et maxima lucta resistit; alter decrepitus est parem habens charitatem, nullas sentiens molestias carnis. Isti duo parem habent charitatem, ergo pari præmio sunt digni, quod improbatur, quia *Ubi major lucta, ibi major corona*; sed majorem luctam sustinet adolescens quam senex, ergo plus meretur. Propter hoc dicimus quod licet in hoc plus mereatur adolescens quam senex, tamen C in alio senex plus meretur quam adolescens. Cum enim parem habeant charitatem, impossibile est quod charitas in eo sit otiosa. Auctoritas vero illa: *Ubi major lucta ibi major corona*, non universaliter intelligenda.

Item, iste virgo et hic conjugatus parem habent charitatem: huic virgini debetur fructus centesimus. Ergo et huic conjugato, vel in pari charitate est dispar meritum. Ideo sciendum est quod cum dicitur, conjugatis debetur fructus tricesimus, continentibus sexagesimus et virginibus centesimus, non ostenditur differentia quantitatis præmii secundum differentiam quantitatis meritorum a quibus fiunt denominationes præmiorum, cum capiens D fructum centesimum interdum minoris sit meriti capiente fructum tricesimum: sed ab his numeris fiunt denominationes propter significationes eorum ubi alibi determinatur, non propter differentiam quantitatis; vel forte ut ostendatur quod quantum se superant illi numeri in quantitate, tantum et isti status in dignitate. Nam quantum centenarius sexagesimum superat quantitate, tantum et status virginalis statum continentiæ in dignitate. Et tamen aliquis de statu virginum minoris est meriti aliquo de statu continentium. Item, iste prælatus et iste subditus parem habent charitatem, ergo pari præmio sunt digni. Sed contra sic: Huic prælato de-

(13) Eadem habes infra dist. 4, c. 13.
(14) Ita consequenter quidem, sed male, cum Mag., I, d. 17, § 4.

tetur et aurea et aureola, huic subdito tantum aurea; ergo majus præmium debetur huic prælato quam huic subdito.

Item, hic sunt duo parem habentes charitatem unus martyr et alter confessor, isti parem habent charitatem, et parem voluntatem martyrii, et nullum opus meritorium est nisi ex charitate. Ergo isti pari præmio sunt digni propter parem voluntatem martyrii, ergo martyrium non est opus privilegiatum. Item, sunt duo quorum unus minorem charitatem habens vitam finivit martyrio, sed augmentum meriti quod percipit ex martyrio ex æquo respondet augmento charitatis quod ille percipit ex charitate; isti duo pari præmio sunt digni, ergo pariter diliguntur; ergo pariter diligunt Deum; ergo parem habent charitatem. Vel ita: Unus istorum magis diligit, ergo magis diligitur, ergo majori præmio dignus, ergo majori remuneratur, aut cum eo injuste agitur. Item, esto quod augmentum meriti quod alter percipit ex opere privilegiato excedat augmentum quod alter percipit ex majori charitate, ille qui majorem habet charitatem minoris est meriti, ergo qui minus diligit Deum magis diligitur a Deo. Item, iste martyr majus meretur præmium quam ille, et parem habet cum illo charitatem; ergo aliunde meretur quam ex charitate: quod falsum est, quia nec ipsum martyrium meritorium est nisi ex charitate. Item, quod martyrium nil adjiciat merito in pari charitate videtur ex eo quod Dominus dicit in Evangelio duobus filiis Zebedæi: *Calicem meum bibetis* (*Matth.* x), ubi videtur eos parificare in martyrio quantum ad voluntatem, quia parem habuerunt voluntatem martyrii, et tamen tantum unus eorum materialiter martyrium sustinuit. Item, **227** non est impar meritum patientiæ (15) Petro qui passus est, et Joanni qui passus non est. Item, sicut Stephanus in martyrio vidit Christum, ita Martinus adhuc catechumenus vidit chlamide, quam dederat pauperi, indutum.

Ideo volunt quidam in hoc sæculo privilegiatos martyres quod non transeunt per purgatorium. Alii dicunt quod non ratione meriti plus redditur martyri vel prædicatori, sed ratione dignitatis, vel misericordiæ Dei; in aliis operibus par charitas par præmium recipit, et si ab uno addantur opera, multiplicantur merita numero non vi merendi, ut in Christo. Alii dicunt quod si duo pares sint in charitate, et alter sit martyr, non est dicendum quod pariter diligant; imo magis diligit qui martyr est, licet non affectu, saltem effectu, et ideo majus habet præmium. Sed istud nil est, quia non est dilectio nisi ex affectu, nec Deus effectum, sed affectum attendit, *non quid, sed ex quanto*, non actum, sed animum. Alii verius dicunt quod pariter merentur martyr et confessor in pari charitate, et par præmium redditur, sed præter præmium quod redditur martyrii, redditur ei quiddam quod est quasi antecessus et supra meritum ex eo quod est martyr vel prædicator, vel aureola et jocunditas quædam, ex eo quod ejus prædicatione multi conversi sunt ad fidem, si sit prædicator, vel exemplo ipsius multi firmati sunt in fide, si sit martyr, et illa jocunditas non est de præmio. Ut si duo pariter diligant me, et unus morti pro me se exponat, pari præmio eos remunero; uni tamen propter egregium factum ultra meritum aliquid do, non quia magis diligat me quam alius, nec magis meruerit, cum eamdem voluntatem facti habuerunt, sed propter dignitatem facti ab isto impensi. Sicut si iste habeat lumen solis tantum quantum ille, et præter hoc habeat lumen candelæ, non ideo majus habet lumen. Similiter aureola addita aureæ non facit præmium majus, quia aurea proprie est in Dei visione, quam iste habet tantam quantam ille, et aureola est in jocunditate conversionis fratrum, quæ non est de præmio, sed supra præmium.

Item, esto quod duorum parium in charitate alter suscipiat eucharistiam, altero non suscipiente; susceptio eucharistiæ auget præmium in isto; ergo iste majus præmium meretur quam ille, et habent parem charitatem, ergo in pari charitate est dispar meritum. Si intransitive intelligatur susceptio eucharistiæ, id est eucharistia suscepta, verum est, quia ipsa auget præmium, quia est opus Dei, et non hominis, et hoc non est de merito hominis, sed de virtute sacramenti. Si transitive susceptio eucharistiæ intelligatur, id est actio ejus qui suscepit eucharistiam, non est verum: licet enim hac actione mereatur, non ideo majus præmium quam ante; per plura ergo meretur, sed non ideo magis. Impossibile tamen videtur quod alter parium in charitate suscipiat eucharistiam, altero non suscipiente. Quod ita ostenditur: Charitas habita meretur augeri, ergo pariter habita pariter meretur augeri. Ab his pariter habetur, ergo in eis pariter augetur, quia sacramentum eucharistiæ institutum est propter augmentum virtutum et quotidianæ infirmitatis remedium; ergo impossibile est ab aliquo digne suscipi eucharistiam, quin in eo augeatur charitas: sed hi duo de merito charitatis recipiunt per augmentum, et præter par augmentum quod ille recipit, percipit ille augmentum de virtute sacramenti; ergo magis augetur charitas in suscipiente, quam in non suscipiente; et ita probatur quod impossibile est duorum parium in charitate alterum suscipere eucharistiam quin in eo magis augeatur charitas, imo videtur quod in suscipiente magis augeatur de merito. Meretur enim susceptionem ex qua percipit augmentum de virtute sacramenti, et ita meretur augmentum quod percipit de virtute sacramenti; et ita duo augmenta. Sed istud non valet, non enim si meretur antece-

(15) Hac auctoritate ex August. desumpta suam confirmat opinionem Abælardus, l. III, in Epist. ad Rom., pag. 637.

dens, meretur consequens; sicut iste meretur intercessionem pauperis ex qua est primæ gratiæ infusio, non tamen meretur primam infusionem. A

228 Dici igitur potest quod par augmentum charitatis ex pari charitate merentur isti, et pariter augetur de meritis; sed quod in altero magis de virtute sacramenti est de gratia, non de meritis, ut si duobus in vinea pariter laborantibus reddatur par præmium, et alteri plus ex gratia. Sed secundum hoc contingit duos pariter vita dignos decedere, et alterum majorem coronam percipere. Sed hoc credimus Deum posse facere ex gratia, sed nunquam contingere. Dicatur ergo quod non quia alter parium in charitate suscipit eucharistiam, altero non suscipiente, ideo tollitur paritas charitatis, B quia non suscipienti, præter augmentum quod suscipit de merito charitatis, de gratia præstat Deus augmentum æquipollens augmento quod alter suscipit de sacramento.

Item, iste moratus est in charitate, iste per biduum, et habent parem charitatem, isti pari præmio sunt digni propter opera quæ faciunt in pari charitate, ergo opera aut facta ab isto superflua sunt si non propter hoc majori præmio est dignus. Ad hoc dicendum quod diuturnitas nil adjicit merito, nec auget præmium in pari charitate. Augetur quidem numerus meritorum, sed non jus merendi, sicut in Christo. Ad quid ergo valent opera præmissa? quia dum ea fecit, non fecit mala, et si C tunc decederet salvaretur. Item, iste diutius perseveravit in charitate quam ille, ergo magis meruit quam ille. Fallacia. Prius fuit latro in paradiso, quam beata Virgo, ergo majus obtinuit præmium.

CAPUT XXV.

De perfectione et imperfectione charitatis.

Sicut paritas et imparitas charitatis, de quibus dictum est, attenduntur secundum affectus interiores, ita perfectio et imperfectio charitatis, secundum motus interiores, ut perfecta dicatur charitas quæ perfecte movet, imperfecta quæ imperfecte. Omnis tamen vitæ perfectio quædam est imperfectio, tunc enim vere perficietur cum omnis imperfectio evacuabitur. Sed quia variis modis loquitur Scri- D ptura de perfectione, ad tollendam aliquam ambiguitatem adhibenda est distinctio. Scriptura ergo interdum perfectionem vocat sufficientiam, secundum quod dicitur : *Perfecta pœnitentia est quæ commissa delet*, id est sufficiens; et est perfectio comparationis de qua dicitur : *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum non intrabitis in regnum cœlorum* (*Matth.* v); et *Noe perfectus erat in generationibus suis* (*Gen.* vi), scilicet comparatione aliorum. Harum perfectionum utraque, id est sufficiens, et per comparationem, potest haberi exemplum charitatis imperfectæ.

Præter hos autem modos possunt distingui quatuor modi sub propriis appellationibus et signis, scilicet perfectio quietis, actionis, ordinis, certitudinis. Perfectio quietis est affectus dimittendi omnia pro Christo, quod cognoscitur ex ipsa dimissione. Unde : *Si vis esse perfectus*, etc. (*Matth.* xix). Ad hanc perfectionem tenentur cœnobitæ. Perfectio actionis est voluntas ponendi animam pro grege commisso, cujus signum est opere indicare id ipsum. Ad hanc tenetur sacerdos habens curam gregis de qua dicitur : *Majorem hac charitate nemo habet*, etc. (*Joan.* xv). (16) Perfectio ordinis est continere omnino, cujus signum est opere idipsum indicare. (17) Ad hanc tenetur omnis sacerdos sive habeat curam gregis sive non, et diaconus : hæc perfectio nil aliud est quam votum continentiæ, de qua : *Qui potest capere capiat* (*Matth.* xix). Perfectio certitudinis est perfectio conscientiæ quando non est homo sibi conscius venialis, vel mortalis, imo quasi certum et constans est ei quod sine omni peccato sit, nec timet puniri, sed separari, de hac dicitur : *Estote perfecti sicut et Pater vester* (*Matth.* v). Et de hac sola dicitur : *Perfecta charitas foras mittit timorem* initialem (*I Joan.* iv). Nec tenetur quilibet perfectus ad 229 omnia genera perfectionis, sed singuli ad singula, et possunt tria genera perfectionis haberi cum initiali timore, sed quartum minime. Et dicitur perfectus quicunque habet aliquam istarum perfectionum, ne si dicatur imperfectus videatur ab illo tolli omnis perfectio, sicut qui scit aliquam istarum scientiarum grammaticam, musicam, rhetoricam, dialecticam dicitur sciens, ne si dicatur inscius videatur ab eo tolli omnis scientia. Hoc etiam consideratione dignum quod charitas dicatur virtus et opus charitatis motus virtutis. Dicitur aliquis habere perfectiorem charitatem quam alius, vel quia plura facit opera perfectæ charitatis, vel quia ferventiorem habet motum, vel quia magis est in eo radicata charitas, quia firmius habet propositum et constantiam : et hæc est vera et magis meritoria perfectio.

Quod tamen ad primam perfectionem quilibet teneatur, ita videtur ostendi : *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* xiv). Ergo quilibet tenetur renuntiare omnibus quæ possidet, cum quilibet teneatur esse discipulus Christi; ergo quilibet tenetur habere affectum dimittendi omnia pro Christo, et ita quilibet tenetur omnia dimittere pro Christo. Non ergo tantum cœnobitæ. Ideo sic exponitur istud, *Nisi quis renuntiaverit, etc.* Id est nisi amorem terrenorum postposuerit amori Dei, non potest meus esse discipulus; vel, nisi imminuerit necessitas, postponet amorem temporalium pro Christo, etc.

Item, quilibet prælatus quando decedit, aut perfectus aut imperfectus decedit : Si perfectus decedit, ergo sine veniali et mortali, et ita nullum cremabile

(16) Aug., tract. 5 in I Joan.

(17) V. Notas ad Pullum *De cœlibatu subdiacon.*

gerit, et ita per purgatorium non transit; si vero decedit non perfectus, ergo transgreditur, cum teneatur esse perfectus et ita in mortali peccato decedit, et ita in purgatorium non vadet, sed in gehennam: et ita habetur quod nullus prælatus transit in purgatorium.

Item, quilibet pastor aut est paratus ad ponendum animam, et ita est bonus pastor, aut non est paratus, et ita mercenarius, vel fur; et ita quilibet aut est optimus aut pessimus, et ita nullus est mediocriter bonus, et ita nullus potest decedere cum ligno, feno et stipula quod solis mediocriter bonis convenit.

Ad hoc dicendum quod non quilibet perfectus tenetur ad quamlibet perfectionem, sed unusquisque tenetur ad aliquam: cœnobita ad primam; prælatus habens curam gregis, ad secundam. Non tenetur prælatus habens curam gregis, vel monachus ad illam charitatem de qua dicitur: *Perfecta charitas foras mittit timorem* (*I Joan.* IV), cujus signum vitam habere in patientia, et mortem in desiderio; talis enim nullius sibi conscius est pro quo timeat pœnam si ex quadam securitate conscientiæ cupit dissolvi et esse cum Christo. Cæteri habent mortem in patientia et vitam in desiderio, quia conscii sunt venialium quæ hic volunt puniri. Ad eam igitur perfectionem quæ adnexa est prælationi vel voto tenetur vel sacerdos, vel monachus; non ad eam quæ est certitudinis. Potest enim aliquis ex servili timore ingredi monasterium, longe fortius ex initiali; quod nequaquam contingeret si ad perfectionem certitudinis teneretur, cum ille non possit haberi cum servili, vel initiali timore.

Item, iste habet ordinatam charitatem, ergo magis diligit Deum quam se; ergo si ventum esset ad discrimen, citius poneret animam suam quam Christum abnegaret, *Sed majorem hac charitatem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro*, etc. (*Joan* XV.) Ergo iste non habet charitatem imperfectam et ita habet perfectam. Sed econtra objicitur super hunc locum Apostoli: *Sicut exhibuistis membra vestra immunditiæ, sic exhibeatis justitiæ* (*Rom.* VI). Sufficit tantum saltem diligere justitiam quantum dileximus iniquitatem. Sed ita diligimus iniquitatem ut pro ea non poneremus animam. Ergo sic sufficit diligere justitiam, quod, quamvis eam diligamus, pro ea animam non ponamus. Item, quilibet tenetur animam ponere pro Christo **230** sive sit perfectus, sive sit imperfectus. Quomodo ergo assignatum est proprium prælatorum, vel si omnes tenemur hoc facere? Ergo omnes tenentur ad hanc perfectionem, non ergo soli prælati.

Dicendum est ergo quod omnes tenentur ad hoc opus, si ventum fuerit ad discrimen non tamen omnes habent hanc perfectionem. Imo si ventum fuerit ad discrimen potius Deum negarent; et tamen in hac charitate possunt salvari. Nec est major charitas quam ponere pro Christo animam, id est non est majus signum charitatis isto; et si quis est prælatus quando non habet hanc perfectionem, transgressor est. In hoc ergo præeminentia est prælatorum ad alios, quia prælati magis tenentur ad hoc quam alii, licet omnes teneantur. Sicut quilibet in articulo mortis tenetur administrare victualia inimico, sed magis perfectus quam alius.

Item, nemo tenetur sibi manus injicere nisi castitas fidei periclitetur, sed tunc tenetur sibi manus injicere, id est non vitare periculum mortis cum possit subterfugere; sed aliter tenentur perfecti se exponere morti, quam imperfecti. Nam perfecti debent se offerre coram si videant oves infirmas et periclitantes. Quod si tunc fugiant, mercenarii sunt de quibus dicitur: *Mercenarius autem viso lupo fugit* (*Joan.* X). Si vero viderint oves firmas et non ideo periclitantes, possunt fugere. Unde dictum est: *Si vos persecuti fuerint, fugite de una civitate in aliam* (*Matth.* X). Imperfectus autem non tenetur se offerre; sed si ab eo quæratur an sit Christianus, debet confiteri Christum, nam aliter peccaret mortaliter. Potest tamen fugere licite semper, quod non licet perfectis, nisi loco et tempore, ut dictum est.

Item, posito quod aliquis fecit votum continentiæ, et post nubit, iste tenetur reddere debitum uxori; ergo tenetur facere contra id quod vovit; ergo incaute vovit. Non ergo ex charitate, vel ita, tenetur reddere quod vovit. Sed vovit continentiam, ergo tenetur continere. Item, sacerdos est non habens curam gregis; ergo tenetur continere. Nam hoc est signum hujus perfectionis. Solutio sumenda est ex decretis (18). Dicunt quidam quod in tali casu tenetur reddere debitum, sed non exigere. Debet etiam reddere flendo, dolendo, et rogando uxorem ne petat, et non facit contra votum, id est contra devotionem qua vovit, licet circa rem quam vovit, sicut iste vult contra id quod Deus vult qui vult patrem suum vivere, sed non contra voluntatem divinam. Melius est tamen ut dicatur non esse conjugium, quia non sunt legitimæ personæ quæ copulantur: et ita non convenit eis definitio conjugum.

Adhuc circa perfectionem hæc restant inquirenda: Utrum a perfecta charitate aliquis possit descendere ad imperfectam, vel si ceciderit a perfecta possit resurgere in imperfectam, vel lapsus ab imperfecta possit ad perfectionem resurgere. Quod nemo a perfecta charitate possit ad imperfectam descendere ita ostenditur: Quanto majus est aliquod bonum, tanto majus est de ejus amissione damnum. Majus bonum est perfectio quam imperfectio, ergo majus habet damnum de amissione perfectionis quam imperfectionis; ergo cum nullum majus damnum de amissione perfectionis possit

(18) Grat., dist. 28, cap. *Presbyter.*

haberi quam amissio vitæ, et istud inde habeatur, A idem damnum habetur de amissione perfectionis, et ita nemo potest amittere perfectionem, quin amittat vitam æternam, et ita quin mortaliter peccet. Sed nemo potest simul peccare mortaliter, et fieri imperfectus, ergo nemo potest de perfecto fieri imperfectus. Item, nemo potest ascendere ad perfectionem, nisi per meritum dignum vita æterna, ergo nemo potest descendere a perfectione nisi per meritum dignum morte æterna; ergo nemo potest amittere perfectionem nisi per mortale peccatum. Item, a perfectione descenditur ad imperfectionem vel per veniale, vel per mortale peccatum; per mortale peccatum non, quia non possunt simul esse mortale peccatum et imperfecta charitas, ergo per veniale B descendit quis a charitate perfecta ad imperfectam, **231** ergo veniale facit descendere a charitate perfecta ad imperfectam; ergo impedit ascensum ab imperfecta charitate ad perfectam. Nemo potest esse sine veniali peccato in præsenti vita, ergo nemo ab imperfecta charitate potest ascendere ad perfectam charitatem. Item, a perfecta charitate potest aliquis descendere ad imperfectam per mortale peccatum, vel per veniale. Per mortale non, ut probatum est, nec per veniale. Dicit enim Augustinus (19): « Sicut gutta aquæ est in camino, ita veniale peccatum in perfecta charitate. » Sed in igne præ ardore consumitur gutta aquæ, ergo et in perfecta charitate veniale peccatum; ergo nunquam veniale peccatum facit tepescere charitatem. C Item, aliqua præcepta sunt omnibus perfectis et solis, ergo ad ea tenentur omnes perfecti; ergo nisi ea impleverint transgressores sunt. Sed non possunt esse perfecti quin non impleant ea; ergo non possunt esse imperfecti et non esse transgressores, et ita non possunt esse imperfecti nisi mortaliter peccent.

Item, probabitur quod ab uno gradu charitatis perfectæ non potest aliquis ad alium descendere, sic: Charitas habita meretur augeri, ergo nisi augeatur in eo qui habet, de merito defraudatur. Ergo non potest aliquis ab uno gradu charitatis ad alium descendere, aut ipse de merito defraudatur. Item, necesse est quod charitas meruerit augeri, et impossibile est quod meruerit augeri quin augeatur, D ergo necesse est augeri in eo quo est; ergo impossibile est minui, sed omnino tolli; charitas autem proficit aut deficit in isto; non proficit, ergo in eo deficit; et qui nil acquirit nonnil admittit. Item, charitas pariter habetur ab his duobus imperfectis, ergo pariter meretur in eis augeri vel perfici. In uno istorum augetur vel perficitur, ergo in altero, vel ipse de merito defraudatur, posito quod unus eorum fiat perfectus. Item, per veniale potest quis a perfectæ charitatis uno gradu ad alium descendere, ergo in tantum potest peccare venialiter ut omnino a charitate perfecta ad imperfectam descendat. Item, per aliud peccatum potest aliquis a charitate perfecta ruere, ergo per minus potest a charitate perfecta ad imperfectam descendere. Item, multitudo venialium peccatorum valet unum mortale et per mortale peccatum potest quis a charitate ruere; ergo et per multa venialia uni mortali æquipollentia. Item, per peccatum veniale descendit aliquis ab aliquo gradu perfectæ charitatis ad alium. Ergo veniale peccatum facit charitatem tepescere; ergo si quis sit in infimo gradu imperfectæ charitatis, et veniale peccatum committat, et non possit in eo charitas remitti, quia est in infimo gradu charitatis, non potest in eo gradu venialiter peccare quin amittat charitatem, et ita per veniale peccatum tollitur charitas omnino.

(20) Item, sunt duo genera venialium peccatorum. Quædam sunt minus levia a quibus nemo[1], etiam perfectus, potest abstinere, quæ statim absorbentur, sicut gutta aquæ in camino, quædam alia sunt magis gravia quæ dicuntur lignum, fenum, stipula, quæ oportet cremari in igne purgatorio. Dictum est autem quod per veniale peccatum tepescit charitas imperfecta, sed non potest tepescere per levia venialia quæ statim delentur, imo excitant charitatem, sicut gutta aquæ irrigat ignem. Ergo per ea quæ sunt lignum, fenum, stipula tepescit charitas perfecta, et ita perfectus potest decedere cum ligno, feno et stipula, et sic per purgatorium transire (*I Cor.* XIII).

Ideo dicunt quidam quod charitas per se tepescit, sicut aliqua calida per se non apposito frigido. Quibus ita objicitur. Sicut quædam causa occulta præcedit naturaliter et sine tepore subtractionem gratiæ, ita illum teporem et defectum charitatis præcedit naturaliter et sine tepore causa aliqua; illa autem est bonum, aut malum, aut indifferens: non est bonum aut indifferens, cum sit causa mali, quia malum est minui charitatem. Est igitur malum, et ita veniale peccatum aut mortale.

Præmissis rationibus inducti, quidam **232** dicunt quod nemo a perfecta charitate ad imperfectam descendit, sed ab uno gradu perfectæ charitatis ad alium potest descendere per veniale. Quibus ita objicitur: Iste perfectus non est obligatus voto solemni vel privato, ergo a perfectione ad imperfectionem potest descendere. Item, non plus distat infimus gradus perfectæ charitatis a supremo gradu imperfectæ charitatis, quam penultimus gradus perfectæ charitatis ab ultimo; per aliquod veniale potest aliquis ab aliquo gradu perfectæ charitatis ad alium descendere. Ergo per majus veniale potest a perfectione ad imperfectionem descendere aliquis.

Juxta summatum virorum assertionem sumenda est hic solutio prædictarum objectionum, quæ circa

(19) Lib. *De fide et operib.*, c. 16, Si Magistro fides, sed non ibi.

(20) *V. Aug.*, sup. l., *De fide et operib.*, c. 16, et *Enchirid.*, c. 68, etc.

hoc principaliter versantur, quod a nullo gradu perfectæ charitatis ad alium fiat descensus per veniale peccatum; quod verum credimus, quia si illud veniale est in perfecto, non minuit in eo charitatem, imo accendit sicut gutta aquæ caminum. Si vero illud sit veniale quod cum imperfecto sit ligna, fenum, stipula, imperfecto erit mortale sicut mentiri pro salute alicujus, et ita fit ruina, non descensus. Non negamus tamen quin possit aliquis ab uno gradu perfectæ charitatis ad alium descendere, cujus descensus causa est in homine occulta, et non est culpa vel pœna, vel quia non est pœna minui charitatem, sed tolli; vel si est pœna, occulte est a Deo inflicta. Sicut occulta est causa qua elegit Jacob et Esau reprobavit. Si ita argumentetur ut supra, charitas istius meretur augeri; ergo augetur, aut de merito defraudatur. Fallacia. Iste meruit vitam æternam, ergo habebit eam. Nam sicut est hic causa patens quare non sit habiturus, scilicet peccatum mortale, ita et ibi est causa occulta temporis et defectus charitatis, et ad similia argumenta idem respondendum.

Si quærat aliquis, cum veniale peccatum sit malum, an faciat hominem malum, et ita perfectus qui habet veniale malus est, dicimus non esse verum, sicut aurum non est deterius propter lutum quo est sordidatum, ita nec homo perfectus propter venialia peccata, licet ipsa Deo displiceant, sicut et lutum displicet mihi in auro, et statim abstergo. Ipsum enim obscurum facit et minus clarum, sed non deterius. A perfecta autem (21) charitate ad imperfectam nemo potest descendere, cum tamen ab ista ad illam possit ascendere. Potest quidem aliquis a perfecta cadere per mortale peccatum, et postmodum resurgere imperfectus, sed a perfecta ad imperfectam descendere minime potest.

Ad id igitur argumentum: Non est obligatus voto solemni vel privato, ergo potest a perfecta ad imperfectam descendere. Fallacia. Iste est obstinatus, et potest fieri minus malus; ergo in obstinatione potest fieri minus malus. Ad secundum sic instamus. Non magis distat gradus primus hujus turris a secundo, quam secundus a tertio; a primo potest quis ascendere ad secundum, ergo a secundo ad tertium. Non, quia tantum fatigatus esset post ascensionem primi quod non posset secundum ascendere.

Sic posito. Posthæc restat alia quæstio. An a perfecta charitate lapsus possit resurgere imperfectus. Quod ita constat: Legitur (22): Si quis percusserit alium, et ille in lectulum infirmitatis inciderit, tenetur percussor providere percusso donec in baculo possit ambulare. Quod ita exponitur: «Percussus quis cadit in locum infirmitatis, est qui a perfecta charitate per mortale peccatum cadit; in baculo vadit dum debilis et imperfectus resurgit.»

A Item: *Virgo Israel cecidit, nunquid adjiciet ut resurgat?* (*Amos* V.) Resurget quidem, sed non virgo. Item, qui a perfecta charitate cadit, cum resurgere possit (quod constat) aut perfectus aut imperfectus oportet resurgat, quia non est medium; perfectus non potest resurgere, quia *nemo repente fit summus.* Et in Glossa quadam super Isaiam: «Non statim virtutem perfectionis capimus.» Ergo non potest aliquis resurgere nisi imperfectus, undecunque ceciderit.

Ad hoc dicendum quia potest **233** resurgere et perfectus et imperfectus qui a perfecta charitate cecidit. Auctoritas autem sic exponitur. «Nemo repente fit summus,» id est confirmatus ut non possit esse melior dum est in via, sed objicitur: «Pœnitentia B restituit omnia ablata;» hoc habet auctoritas. Ergo et statum perfectionis restituit huic, cum ille sit ei ablatus, aut non est plena et sufficiens pœnitentia. Ideo intelligendum est illud de operibus virtutum quæ sunt merita ablata non de virtutibus ipsis, aut statibus, alioquin pœnitentia esset causa charitatis amissæ, quod falsum est; imo econtrario. Quidam tamen hoc dicunt distinguendum, quia, si quis astrictus sit voto perfectionis, non potest resurgere imperfectus, quod ita ostenditur: Astrictus est voto perfectionis, ergo, quandiu non est in exsecutione voti, transgressor est; sed si est imperfectus, non est in voti exsecutione, ergo non potest imperfectus resurgere. Si vero non sit astrictus voto perfectionis quales sunt laici, potest re- C surgere imperfectus. Quæ distinctio non valet. Non enim ex voto tenetur ad perfectionem fervoris, sed ad opera perfectæ charitatis, quæ æque potest exsequi in charitate perfecta ac imperfecta. Si tamen reviviscant ex charitate imperfecta, licet sint facta in charitate perfecta, non secundum perfectam sed secundum imperfectam charitatem remunerabuntur, quia ea informantur, et ea vivificantur quæ prius erant mortua. Quod autem imperfectus possit resurgere sacerdos qui de voto tenebatur, sicut laicus qui a voto erat solutus, ita ostenditur: Isti pariter rei sunt, in neutro est ut Deus ei apponat gratiam, ergo ipsi possunt pares resurgere; ergo uterque vel neuter potest resurgere D imperfectus. Item, isti duo perfecti quorum unus sacerdos est, alter laicus pariter boni sunt. Ita, posito quod uterque sit perfectus ac alter, manentibus eisdem circumstantiis, possunt pariter peccare eodem genere peccati, alioquin melior est conditio laici quam sacerdotis. Imo etiam plus peccare potest laicus quam sacerdos eodem genere peccati, quia locus et tempus et scientia ex parte laici possunt aggravare peccatum, sicut ordo ex parte sacerdotis. Si ergo a pari charitate possunt cadere, cur non in parem possunt resurgere? Ergo uterque potest resurgere imperfectus, vel neuter.

(21) Consequens est quod charitas nullo modo diminui possit, directe loquendo. D. Th. 2-2, q. 24, a. 10, in corp.

(22) *Exodo* XXI, 18 19, sensu expresso non verbis.

Sed ad hoc ita objicitur : pro præcedentibus operibus charitatis ille qui a perfecta charitate cecidit, et ita in imperfecta resurgit, remunerabitur, ergo secundum statum perfectionis in qua facta sunt, vel imperfectionis in qua resurgunt. Quod autem secundum perfectum remunerentur, ita ostenditur. Nam opera illa facta in perfecta charitate ad plenum reviviscunt, alioquin videtur Deus pronior ad puniendum quam ad miserendum, si propter unum peccatum omnia alia plene redeunt quantum ad reatum, et non propter meritum unius operis quod reviviscit, alia reviviscunt, ergo pari præmio dignum faciunt; ergo, si decedat imperfectus reddetur ei corona perfectionis, vel injuste agetur cum eo.

Ad quod dicendum, quod opera illa reviviscunt, sed non statim ad plenum. Sed nunquam decedet qui ita resurgit, donec plene restituatur illa resurrectio, et tunc primo reviviscunt ut prius. Sed nunquid statim potest decedere cum resurgit? Ergo statim restituitur ei perfectio plene, quod est verum. Nam etiam latro qui nunquam fuerat perfectus, statim factus est perfectus, quod ideo patet quia per purgatorium non transiit, imo eadem die cum Domino fuit in paradiso (*Luc.* XXIII). Vel potest dici quod tempora illa, in quibus latro habuit initialem timorem et perfectam charitatem, ita continua fuerunt quod vix potuit distingui inter illa; unde et statim dictus est habere charitatem perfectam, licet prius habuisset imperfectam.

Et nota quod charitas tanta est quod non potest contrahi ad quantitatem fidei vel spei, quantacunque sit fides, vel spes : spes (*f.* fides) enim supernatat sicut oleum. Quod ergo dicitur (23) : « Quantum credit, tantum sperat, » id est quantum habilis est credere, tantum et **234** sperare. Manifestum est ergo quantumcunque malus quis fuerit, si incipiat habere charitatem, major est minimus motus charitatis quem potest habere, quolibet motu dilectionis quem habet erga peccatum. Unde manifestum est quod nemo potest esse tam malus in via quam bonus potest esse in via. Similiter, nemo adeo malus in patria quin quilibet bonus sit magis bonus tunc, ut dicunt quidam; dubium tamen adhuc esse potest. Nam eadem ratione posset dici quod minimus motus charitatis in via superaret quemlibet motum odii quem habet diabolus, et ita non esset diabolus magis malus quam aliquis bonus.

Item, si quis dixerit opera illa remunerari secundum charitatem perfectam, objicitur : Isti duo quorum unus fuit perfectus, alter semper imperfectus, et modo imperfecti sunt, pariter boni sunt, ergo pari præmio digni sunt. Aut alter est martyr vel prædicator, vel ille imperfectus qui nunquam fuit perfectus minorem habet charitatem quam ille qui fuit perfectus. Non igitur videtur ille imperfectus propter

A opera perfectæ charitatis, vel propter perfectionem illam quam habuit, cum modo non habeat, sed propter majorem charitatem dignus esse majori præmio, quia *ubi te invenero, ibi te judicabo* (*Eccli.* XI); et *Arbor si ad austrum ceciderit, ibi erit, si ad Aquilonem et ibi.* (*I Reg.* II), et *Dominus judicabit fines terræ* (*Psal.* IX), et opera finalia. Item, Iste habebit aureolam, ergo decedet perfectus. Item, nil præmii haberet, si ad illam perfectam charitatem rediret (ita quod statim in ea decederet?) quod modo non habeat in imperfecta charitate, ergo illud non est potius eligendum quam istud. Item, aliquis qui resurget in charitate imperfecta, tenetur ad opera perfectæ charitatis, ergo aliquis ex imperfecta charitate potest subire martyrium : nam hoc

B est opus perfectæ charitatis. Ergo possibile est aliquem vitam finire martyrio et esse imperfectum, et ita possibile est aliquem martyrum transire per purgatorium; quia, si imperfectus decedit, per purgatorium transibit : cui contradicit auctoritas : *Ecce video cœlos apertos* (*Act.* VII), quia statim post martyrium evolant ad cœlum; et si transirent per purgatorium, tunc orandum esset pro eis. Habet autem auctoritas (24) : « Injuriam facit qui pro eo orat. » Item, si vitam finiret martyrio et per purgatorium, aliquid remunerabilius martyrio potuisset, quod falsum est; quia charitatem majorem hac nemo habet, etc. Quod autem ex imperfecta charitate possit aliquis martyrium subire, inde constat

C quod ex servili timore hoc potest quis. Unde Apostolus : *Si tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil sum* (*I Cor.* XIII). Longe fortius hoc potest quis ex initiali timore qui nunquam est sine charitate imperfecta, nec econtrario.

Ad hoc dicunt quidam quod potest aliquis imperfectus decedere et martyr, et quamvis imperfectus decedat, non ideo per purgatorium transibit, quia martyrium est quasi pro igne purgatorio. Aliis videtur quod ex charitate imperfecta possit aliquis incipere pati martyrium, sed in ipsa passione perficitur charitas in eo, et ita non potest vitam finire martyrio quin sit perfectus quando decedit, etiam licet imperfectus sit quando primo incipit martyrii

D pœnam pati.

Item aliquis episcopus inclusus est in carcere, quia tuetur jura Ecclesiæ, vel propter fidem Christi; contingit quod, cum dormit, occiditur a tortore. Ipse habebat lignum, fenum, stipulam dum viveret; de illis venialibus nec contritus est, nec conteritur, ergo decedit reus illorum, cum prius esset reus eorum; sed est martyr; ergo martyr transit cum ligno, feno et stipula. Ad quod dicunt quod impossibile est eum tam subito interire quin sentiat ictus, in quo sensu in tolerantia passionis perfi-

(23) Gregor., hom. ult. sup. Ezech.

(24) Aug., ser. 17 *De verb. Apost.*, sed sic apud ipsum. « Injuria est enim pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari. » Vide eumdem tract. 84 in Joan. Citat tamen ut auctor. Innocent. III, ext. *De celeb. Miss. Injuriam facit martyri qui orat pro martyre.*

citur in eo charitas, et ita sine peccato transit. Ex prædictis ergo constat quod a perfecta charitate non sit descensus ad imperfectam, sed potest quidem fieri ruina, et post potest qui a perfectione cecidit imperfectus resurgere. Patet etiam quod in imperfecta charitate possunt fieri quædam opera **235** perfectæ charitatis. Sed nunquid omnia opera in charitate imperfecta dicuntur opera imperfectæ charitatis, vel quæcunque fiunt in charitate perfecta, dicuntur opera charitatis perfectæ? Ergo salutare hominem in via, cum fiat a perfecto, erit opus charitatis perfectæ, quod nemo dicit. Similiter subire martyrium in charitate imperfecta, erit opus imperfectæ charitatis. Ideo dicimus ea opera dici perfectæ charitatis, quæ signum et indicium sunt perfectæ charitatis. Nam facienda est vis in ipsa junctura locutionis, et ita non quæcunque fiunt in charitate perfecta sunt opera perfectæ charitatis. Sicut illud opus dicitur opus hominis sapientis quod est signum et indicium sapientiæ in homine.

Si vero quæratur utrum magis indigeat gratia perfectus an imperfectus, dicendum est quia utrinque sunt rationes. Perfectus ad altiora tenetur opera ad quæ major exigitur gratia, ergo magis indiget gratia quam imperfectus. Econtra in imperfecto multa venialia sunt delenda, ad quæ delenda major exigitur charitas quam ad pauca quæ sunt in perfecto; ergo majori indiget gratia imperfectus quam perfectus. Ad hoc dicendum quod hoc verbum *indigeo*, quandoque notat necessitatem, ut rex indiget cibo, id est necessarius est cibus regi ad sustentationem vitæ; quandoque notat penuriam, secundum quod falsum est quod rex cibi indigeat. Si ergo verum est quod hoc verbum *indigeo* notat necessitatem, verum est quod et imperfectus et perfectus indigeat gratia; si penuriam, falsum est. Magis ergo indiget gratia perfectus quam imperfectus quod ad hoc; imperfectus magis quod ad illud aliud. Sicut dives magis indiget gratia regis ad conservandas divitias, quam pauper qui eas non habet; pauper tamen magis indiget ut ab eo accipiat victualia quorum affluentiam habet dives. Et de perfectione et imperfectione, prout habetur in via, quæ disputabilia sunt, prout, Spiritu sancto docente, didicimus, in medium induximus, in quibus pleraque dubitabilia et difficilia absoluta diligens lector inveniet.

CAPUT XXVI.

An charitas semel habita possit amitti?

(25) Restat ergo quartum capitulum de charitate, utrum semel habita possit amitti? Quod non videtur. Dicit enim Apostolus: *Charitas nunquam excidet* (*I Cor.* XIII). Et Augustinus (26): « Charitas quæ desinere potest nunquam vera fuit. » Et alibi (27): « Charitas est fons proprius et singularis bonorum, cui non communicat alienus. Alieni enim sunt omnes qui audituri sunt: Non novi vos. » Econtra tamen dicitur in Evangelio quod *multi abierunt retro quorum nomina scripta erant in libro vitæ* (28), non secundum prædestinationem, sed secundum præsentem justitiam. Et Ambrosius (29): « Frequenter prius mali sunt qui postea futuri boni sunt, et aliquoties prius boni qui postea futuri sunt, et permansuri mali, secundum quod nomina eorum dicuntur scribi vel deleri de libro vitæ. » Ideo in hanc inclinamur ut dicamus charitatem sæpe admitti et amitti. Quod ergo dicit Apostolus, *Charitas nunquam excidet*, referendum est ad dignitatem ipsius quæ habetur in patria, cum fides et spes sint evacuandæ. Quod item dicit Augustinus: « Non est vera charitas, » etc., id est non facit vere beatum, quia non habetur finaliter. Item: « Charitas est fons proprius cui non communicat alienus (*Prov.* V), » intellige finaliter.

Notandum tamen quod quidam dicunt, charitatem ex quo semel habetur in via non posse amitti. Quod multis rationibus, præter prædictas auctoritates quas inducunt, volunt ostendere. Primo sic: Iste habet charitatem, ergo vitam æternam meretur, ergo eam habebit, aut injuste cum eo agetur. Volunt enim ex quo aliquis semel meruit aliquid, non possit præmio defraudari, quidquid postea egerit. Item indirecte: David, quando commisit homicidium, charitatem non habuit, et in homicidio mortaliter peccavit, ergo tunc dignus fuit ut æternaliter puniretur et **236** hoc justum fuit; ergo Deus voluit ut hoc fieret, quia quidquid justum est Deus vult, et econtrario. Ergo David punitus fuit æterna pœna. Nihil enim Deus voluit quod non factum sit, vel faciendum non sit. Item, justitia Dei tunc exigebat ut æternaliter damnaretur, quia exigebat ei reddi secundum quod promeruit, sed quod justitia Dei exigebat fieri, id volebat fieri, ergo Deus volebat David æternaliter puniri. Item. David in illo opere promeruit vitam [*f.* mortem.] æternam quæ non est ei reddita, ergo non singulis redditur secundum sua opera. Item, aliquis damnandus habet opera charitatis pro quibus meretur vitam æternam, sed post peccabit et damnabitur, ergo non reddetur ei secundum quod promeruit per illa bona opera. Item, justitia Dei est unicuique reddere secundum opera sua, ergo et David, qui prius erat peccator quam justificaretur, reddidit secundum opera sua; ergo ille promeruit justificationem, quod falsum est, et ei data est justificatio; ergo datum est ei secundum quod non promeruit.

(25) Mag., III. d. 31.

(26) Non exstat sic tamen auctor lib. *De amicit.* apud eumd., c. 2, et Hier., ep. 4, ad. Ruff.: Amicitia quæ desinere potest, vera nunquam fuit. Citat tamen Gratianus. *De pœnit.* eo modo quo auctor hic, et Magister sent. supra.

(27) August., *Luc.* X.

(28) Ambros. in Epist. ad Roman., ad c. IX, et gust., tract. 45 in Joan.

(29) Ambros. supra ad hæc verba: *Quia major serviet minori.*

Non ergo volunt quod de aliquo reprobo vere possit dici *meruit vitam æternam*, nisi de illo qui in bono opere usque ad finem vitæ perseveravit, quia, si reprobus meruit vitam æternam habere, meruit eam habere, vel ante mortem, vel post. Ergo, si nec ante, nec post habuit, injuste cum eo Deus egit, quod est impossibile.

Istud tamen non valet. Potest enim demereri male agendo quod prius meruit benefaciendo, nec reddit Deus secundum quælibet opera, sed secundum finalia, imo etiam secundum omnia opera bona in quocunque tempore ea fecerit, si postea illorum bonorum operum merita male vivendo non deleverit.

Et nota quod *justum* quandoque dicitur informatum divina justitia, secundum quod non est verum quod justum sit istum electum damnari qui semel peccat mortaliter, et *justum* pro merito hominis, secundum quod verum est quod justum est istum damnari secundum præsentia merita. Non tamen secundum hæc merita reddet ei Deus, quia non sunt finalia. Vel potest dici quod omnia bona opera remunerat Deus in præsenti vita vel in futura, nam si non esset aliud præmium, nisi quod homo bonum opus fecit, hoc est magnum, nam virtus extra se non quærit præmium, et *in custodiendis mandatis retributio multa* (*Psal.* XVIII).

Sed eis objicitur: Si David charitatem, tunc habuit quando homicidium perpetravit, ergo tunc erat dignus vita æterna, ergo, si tunc decederet, vitam æternam haberet. Eadem ratione de Juda, qui nunquam secundum eos charitatem habuit, ergo nullum tempus fuit in quo, si decederet, vitam æternam haberet. Ideo dicunt ipsi quod David, quando peccavit, charitatem habuit quam prius ut rivulum habuit, sed tunc aruit suspensus ad tempus, postea iterum fluxit, adveniente pro peccato contritione. Potest etiam quæri, an David, quando peccavit, habuit perfectam charitatem an imperfectam, sed ipsi neutrum dant; quia, sicut fructus et folia in hieme dicuntur esse in arbore, ita et tunc charitas in David.

CAPUT XXVII.

Utrum virginitas sit virtus, et an habeatur ab omni qui habet unam virtutem?

Facta divisione virtutum in quatuor cardinales virtutes et septem dona Spiritus sancti, et iterum in tres quæ dicuntur, fides, spes, charitas, ostensum est circa singulas quod qui habet unam, habet omnes. Cum ergo non soleat alio modo fieri divisio virtutum, apud theologos, quam aliquo prædictorum, constat omnem qui habet unam virtutem habere omnes. Sed objicitur: Quicunque habet unam virtutem, habet omnes, ergo et virginitatem, cum virginitas sit una virtus. Ergo iste conjugatus, cum habeat charitatem, habet virginitatem, et ita est virgo; ergo sequitur Agnum quocunque **237** ierit, ergo utroque pede, scilicet integritate carnis et mentis. Ergo est integer carne, quod falsum est. Item, iste non desiit habere charitatem, ergo non desiit habere virginitatem, aut virginitas non est virtus; et habuit virginitatem, ergo adhuc est virgo. Ergo ei debetur fructus centesimus; sed est conjugatus, et ideo debetur ei fructus tricesimus; ergo duo fructus debentur ei. Item, necesse est in isto esse omnem virtutem, vel vitium mortale ei oppositum: in isto nullum subrepsit peccatum mortale, qui, cum proposuisset esse virgo (non ex voto) matrimonium aliqua honesta causa contrahit. Ergo nulla virtus desiit esse in eo; ergo nec virginitas cum fuerit in eo. Ergo virgo est modo sicut ante. Item, iste non amisit nisi integritatem carnis. Ergo nullam virtutem amisit, aut integritas carnis virtus est, quod est falsum; quia omnis virtus est in anima, vel in angelo. Item, dicit auctoritas (30) quod « Electi tales per omnia resurgent quales fuerunt ante peccatum, et etiam fortiores. » Sed omnes fuerunt virgines ante peccatum, ergo omnes resurgent virgines.

Cui videtur obloqui auctoritas illa: « Cum Deus possit omnia facere, virginem post ruinam non potest suscitare. » Item, pœnitentia confert plenam remissionem peccatorum, et perfectam restaurationem virtutum, hoc habet auctoritas. Maria Magdalene sufficienter pœnituit (*Luc.* VII), ergo restituta est ei omnis virtus amissa, ergo virginitas, aut ipsa non est virtus. Item, conjugatis debetur fructus tricesimus, viduis sexagesimus, prælatis et virginibus centesimus: nulla pœnitentia, quantacunque sit, potest efficere ut virginitas restituatur ei, qui eam amisit, et non potest recipere fructum centesimum, nisi moriatur virgo vel prælatus. Ergo nemo potest esse tanti meriti post amissam virginitatem quantum ante.

Ob hoc dicunt quidam quod virginitas non est virtus sed quiddam supra omnem virtutem: (31) quod volunt habere ex quadam glossa super Exodum, ubi habetur quod per tertium operimentum de pellibus rubricatis significetur martyrium quod est consummatio omnium virtutum, per quartum operimentum de pellibus Hyacinthinis significatur virginitas quæ est supra omnem virtutem, quæ angelicam redolet conversationem. Nam in carne vivere supra carnem angelicum est, non humanum, quod credimus fuisse dictum ad commendationem virginitatis sicut et illud Hieronymi: « Cum Deus omnia possit facere, virginem post ruinam non potest suscitare, » id est non potest facere ut status conjugatorum comparabilis sit statui virginum. Hyperbolice enim quandoque loquuntur sancti ad exaggerationem boni vel mali.

Aliis videtur quod castitas sit virtus cujus minor usus est conjugum, vel pudicitia conjugalis, major

(30) Hieronymi ad Eustoch. *De custodia virg.*, c. 2.

(31) *Exod.* XXVI. Glossa ord., ibid., quæ dicitur esse Bedæ. Eleganter de his disserit D. Tho. 1 2, q. 102. a. 4. ad 8.

continentia vidualis, maximus continentia virginalis, et quicunque habet unam virtutem habet castitatem, vel in hoc primo usu et minori, vel in hoc illo medio, vel in postremo. Nam isti sunt tres status salvandorum, qui significantur per Noe (32), Danielem et Job. Sunt alii qui dicunt hoc nomen *virginitas* significare duo, integritatem carnis quæ virtus non est, cum in multis sit talis integritas qui charitatem non habent, ut in Judæis et paganis infidelibus. Unde in Evangelio dicuntur virgines fatuæ (*Matth.* xxv), quæ habent integritatem carnis, quæ non dicerentur fatuæ, si talis integritas virtus esset. Significat etiam hoc nomen *virginitas* integritatem mentis, vel continentiam, quæ virtus cum sit, fit ex charitate, et talis continentia secundum diversos status diversa habet vocabula. Nam in virginibus vocatur *virginitas*, sive mavis dicere, *virginalis continentia*; in conjugibus, *conjugalis pudicitia;* in viduis, *vidualis continentia.* Ea igitur virtus quæ nunc dicitur conjugalis pudicitia in isto conjugato cujus caro corrupta est, ante dicebatur virginitas, vel virginalis continentia, dum esset integer carne.

Ad hanc ergo argumentationem, quicunque habet unam virtutem habet omnes; ergo quicunque habet **238** unam, habet virginitatem. Fertur instantia sic : Iste habet omnem virtutem, ergo habet initialem timorem, vel : ergo habet charitatem imperfectam. Sicut enim hoc simpliciter debuit inferri : ergo habet timorem, vel : ergo habet charitatem, ut non fieret descensus, ita et ibi : ergo habet continentiam. Nam hoc nomen *omne* comprehendit ibi genera, non singula generum vel species. Quod iterum objicitur : Non amisit virginitatem et habuit, ergo et adhuc habet virginitatem, fallacia est secundum accidens ex commutatione prædicamenti. Fallacia. Tu non desiisti videre hominem album, posito quod factus sit niger, vel ita : Iste non desiit habere charitatem imperfectam et eam habuit, ergo adhuc habuit charitatem imperfectam, non, quia quæ imperfecta erat, modo est perfecta. Ad similes argumentationes in similibus sumenda est instantia. Item quod dicitur : « Electi tales resurgent per omnia quales fuerunt ante peccatum, » istud *omnia* non comprehendit nisi stolam animæ et corporis, quarum utramque habebunt qui electi sunt.

Item nota quod aliquis fructus ejus minor est quodam tricesimo fructu, quia non fiunt illæ denominationes a numeris secundum quantitatem præmiorum ut dictum est supra, sed secundum significationes numerorum. Est enim aliquis conjugatus majoris meriti aliquo virgine, tamen status virginum dignior est statu conjugatorum. Sicut aliquis episcopus ditior est quodam archiepiscopo, tamen status archiepiscoporum dignior est statu episcopo-A rum. Ubique autem in prædictis argumentationibus sume hoc nomen *virginitas* in designatione integritatis mentis. Nam aliter falso sumeres eam esse virtutem.

Sed et iterum objicitur ad hoc : Iste qui modo est virgo mente et corpore, jam ducet uxorem et dormiet cum ea : virginitas est in isto, et nulla virtus desinet esse in isto, ergo virginitas erit in isto; ergo iste erit virgo. Fallacia ultimi. Imperfecta charitas erit in isto; ergo iste erit imperfectus, posito quod jam perficietur charitas in isto, vel, potentia peccandi erit in isto, quia liberum arbitrium erit in eo. Ergo iste poterit peccare, posito quod perfectus decedat.

B

CAPUT XXVIII.

Utrum perseverantia sit virtus et an habeatur ab omni qui habet unam virtutem.

His iterum qui dicunt habentem unam virtutem habere omnes, objicitur de perseverantia: Iste habet omnes virtutes, ergo habet quidquid necessarium est ad salutem : sed perseverantia finalis necessaria est ad salutem, ergo iste habet perseverantiam finalem, posito quod amittet charitatem in decessu. Item, iste habet charitatem, ergo, si nunc decederet, salvaretur, quia habenti charitatem nil deest ad vitam, et (33) : « Habenti charitatem quid potest deesse? et : Habe charitatem et fac quidquid vis; » iste igitur si in hac charitate decederet salvaretur, sed habet charitatem non C perseverantem. Ergo iste potest salvari in charitate non perseverante. Item, impossibile est istum salvari nisi in charitate perseveranti : iste non habet charitatem perseverantem, ergo, si in hac charitate quam habet decederet, non salvaretur.

Sed quia circa perseverantiam sunt aliqua dubitabilia et inquisitione digna, sub trium capitulorum numero coarctemus : primo, quærendo an sit perseverantia, nisi finalis sit; secundo, an perseverantia sit præcepta; tertio, an perseverantia sit virtus? Quod sit perseverantia etiam quæ non est finalis, volunt nonnulli habere ex eo quod legitur in Evangelio : *Qui perseveraverit usque in finem salvus erit* (*Matth.* x) : pro nihilo enim, ut dicunt, appositum esset *usque in finem*, nisi esset D perseverantia ad tempus, ad cujus differentiam dictum esset *usque ad finem.* Hoc etiam volunt astruere argumentando sic : Iste fuit **239** in charitate per decem annos, nec cecidit ab ea, nec cadit modo; ergo perseveravit in charitate. Aliis tamen videtur quod sicut in his verbis *perficio et pervenio*, hæc præpositio *per* notat consummationem et perfectionem ; ita in hoc verbo *persevero*, et quod non possit de aliquo dici *perseverare* donec consummata sit illa continuatio per mortem. Quod dicunt significatum fuisse in talari tunica Joseph, et in cauda hostiæ quæ præcipiebatur offerri.

(32) Ut habet August. v. in notis ad Rob. Pullum.

(33) Aug. tract. 83, in Joan.

Quod autem perseverantia non sit præcepta ex hoc volunt habere, quia si est præcepta, ergo omnis qui non habet perseverantiam finalem transgressor est. Ergo iste qui charitatem habet ad tempus et non perseverabit finaliter, transgressor est, et ita in mortali peccato. Item, multi sine perseverantia salvati sunt ut latro, ergo perseverantia non est de his sine quibus non est salus; ergo non est præcepta. Econtrario tamen videtur fuisse præcepta sub ea forma sub qua baptismus. Sicut enim dictum est (*Marc.* XVI) : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Ita dictum est : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X). Item, quidquid necessarium est ad salutem, præceptum est in evangelica doctrina, vel per Christum, vel per ejus discipulos; perseverantia finalis est necessaria ad salutem; ergo ipsa est præcepta. Item, dicit Augustinus (33*) : « Quidquid præceptum est offerri in veteri lege in figura, præceptum est offerri in tempore novæ gratiæ in veritate. » In veteri lege præceptum est ut offerretur cauda hostiæ cum capite, et hujus figuræ veritas est perseverantia. Ergo in nova lege præcepta est perseverantia. Item, perseverantia aut est in præcepto aut in consilio : si est in consilio et non in præcepto, et sine perseverantia non est salus, ergo sine quodam consilio non est salus; ergo non sufficit sola impletio præceptorum ad salutem. Qui dicunt non esse perseverantiam nisi sit finalis, probabiliter possunt dicere quod perseverantia est præcepta, non ut semper habeatur, sed ut aliquando.

Tertio quæritur utrum perseverantia sit virtus? Quod enim sit, ita ostenditur : Perseverantia est meritoria vitæ æternæ, ergo virtus, vel opus virtutis; vel ita : Donum Dei est et non naturale, ergo gratuitum donum. Ergo est virtus, vel opus virtutis. Contra autem, est virtus, ergo est præcepta. Item, virtus est perseverantia, ergo quicunque habet unam virtutem, habet perseverantiam. Quod falsum est ; nam multi habent virtutes qui non perseverabunt. Dicunt igitur quod perseverantia est usus omnium virtutum simul. Aliis videtur quod perseverantia sit quiddam coaccidens virtuti, quod non est virtus. Verius tamen videtur attentius consideranti quod hoc nomen *perseverantia* in respectu dicitur ejus in quo perseveramus. Unde sine genitivo positum incongruam facit locutionem. Quemadmodum si dicatur : *Pater est*, incongrue dicitur, ita quando dicitur *perseverantia est*, minus congrue dicitur : sed dicendum *perseverantia charitatis est*, vel aliquid tale; nec est aliud perseverantia charitatis, quam charitas in qua quis perseverat; et ita perseverantia fidei est virtus, quia est fides in qua perseveratur; et est præcepta perseverantia fidei, quia præceptum est in fide perseverare, sicut vides quod continuatio lectionis est lectio continuata. Et hoc dicto, nil nocet si dicatur quod hæc præpositio *per* non notat consummationem in hoc verbo *persevero*; sed dicatur omnis perseverare in charitate qui habet charitatem, vel in ea manet ad præsens, sive sit amissurus sive non; vel si notet hæc præpositio *per* consummationem, non est dicendum quod aliquis habeat perseverantiam charitatis vel habuit, nisi decesserit in charitate; quia tunc primo potest dici : Iste perseveravit in charitate. Licet enim vere dicatur de isto, iste perseverabit in charitate, et hoc mihi revelatum est; nondum tamen potest dici, habet perseverantiam charitatis, quia nondum facta est consummatio, sicut iste licet incœperit facere domum et faciat modo, et sic perfecturus est, nondum tamen potest dici *perficit domum*, vel *perfecit*, vel *perfectio domus* 240 *est*, sed tunc primo vere dicetur quando consummata erit domus. Cum ergo dicitur : Iste habet quidquid necessarium est ad salutem, perseverantia finalis est necessaria ad salutem; potest intelligi hoc dupliciter, vel quod aliquis perseveraverit; et tunc est falsum : sic enim nemo haberet salutem, nisi jam perseverasset, vel quod sit perseveraturus, et hoc est verum; quia necessarium est quod perseveraverit, vel sit perseveraturus, aliter enim non salvaretur; nec tamen ideo jam habet perseverantiam si est perseveraturus; habet tamen quidquid necessarium est ad salutem.

Huic igitur argumentationi data solutione orationis. (Iste habet quidquid necessarium est ad salutem; perseverantia necessaria est ad salutem, ergo iste habet perseverantiam. Quod etiam falsum esset si nunquam charitatem est amissurus.) Instantia sumenda est : Iste habet quidquid necessarium est ad vitam; decedere in charitate necessarium est ad vitam; ergo iste decedit in charitate qui victurus est. Ad secundam autem argumentationem quæ sic fit : Iste habet charitatem in qua, si decederet, salvaretur; sed habet charitatem sine perseverantia; ergo sine perseverantia potest salvari. Fallacia in præmissis; vel ita : Iste habet oculos quibus potest videre, sed habet oculos clausos ; ergo potest videre oculis clausis. Eodem modo sume instantiam ad tertiam argumentationem.

Sed contra opinionem hanc sic objicitur : Perseverans dicitur ab aliqua proprietate, illa est virtus, vel non. Si enim dicatur quod perseverantia fidei sit virtus fidei a qua denominative sumitur perseverans, ergo perseverans denominative sumitur a fide; eadem ratione a spe, ita etiam a charitate. Oportet ergo viva ratione ostendere quiddam a quo sumatur denominative perseverans, et ita perseverantia fidei est aliud quam fides, maxime cum quodlibet substantivum per se possit poni, et quod dicitur de hoc nomine *Pater*, non est simile, quia est adjectivum significatione, licet non voce. (34) Istud exercitio pertranseuntium dimittimus, non ignoran-

(33*) Sup. *Exod.* XXIX et *Levit.* III.

(34) V. Greg. homil. 16 in Ezech.

tiæ : « Quin pertransseant plurimi et multiplex sit scientia (*Dan.* XII). »

CAPUT XXIX.

Quæ possunt objici dicentibus habentem unam virtutem habere omnes?

(35) His ita determinatis, omnem credimus jam cessare objectionem ad hanc universalem (36): « Omnis qui habet unam virtutem, habet omnes, » quia omnes instantias interemimus apparentes. Sed hic videtur obloqui quod legitur super Genesim (*cap.* XIV) : Abraham diversis vernaculis irruit in hostes. Super quem locum habet auctoritas: « Vernaculi Abrahæ sunt virtutes quæ sibi invicem succedunt. » Si ergo succedunt, non ergo simul infunduntur. Item super Matthæum habetur, quod Abraham, Isaac et Jacob, significant fidem, spem et charitatem, et quod fides genuit et spem, et charitatem. Sed hæc ad actus vel usus virtutum sunt referenda, quorum unus sine alio haberi potest. Non enim qui unam virtutem habet necesse est quod statim habeat ejus usum, etiamsi sit adultus. In primaria enim infusione omnes habentur in habitu, non tamen in usu vel actu. Inclinant enim et disponunt animum ad actus suos pro loco et tempore exsequendos. Sed cum virtutes in aliquo sint sine usibus suis, nunquid ideo otiosæ? Non; quia, etsi non semper habeant suos usus, tamen semper habent suos effectus, ut distinguatur inter usum et effectum. Semper enim fortitudo facit fortem, temperantia temperatum, prudentia prudentem, id est aptum, dispositum, idoneum perferre molestias, coercere illecebras, præcavere insidias, licet non statim perferat, vel coerceat, vel præcaveat. Quicunque ergo habet unam virtutem in habitu vel in effectu, habet omnes vel in habitu vel in effectu, sive puerulus sive adultus: sed non quicunque habet unam actu vel usu, **241** habet et reliquas in actu vel usu; et si qua fiat argumentatio contra hoc, falsa est ob hoc quia de habitu ad actum fit transitus; verbi gratia, si quis sic inferat : Iste vel parvulus vel adultus habet fidem, ergo credit : vel aliquid tale. Fallacia. Iste truncatus pedibus est gressibilis, ergo graditur. Et nota quod sicut omnes virtutes simul infunduntur, ita omnes sibi cooperantur in suis actibus, ut cum diligere sit opus appropriatum charitati, nihilominus ad hoc operatur fides, ut cum credere sit opus fidei, ad hoc ipsum operatur charitas. Unde probari videtur permistos esse actus virtutum, sic : Credere est opus meritorium vitæ, ergo est opus charitatis, cum omne meritum sit penes charitatem. SOLUTIO. Opus charitatis dicitur dupliciter, vel opus charitate informatum, vel opus procedens ex charitate et libero arbitrio, vel a charitate denominatum : quod idem est. In utroque sensu verum est quod diligere

A est opus charitatis. Tamen in primo verum est quod credere sit opus charitatis. Et per eamdem argumentationem posset quis probare quod opus justitiæ est parcere, opus misericordiæ est damnare, quod nemo dicit, nisi sub præmisso sensu.

CAPUT XXX.

Utrum virtutes in quocunque sint, pares sint.

(37) Superest jam inquirere utrum omnes virtutes in quocunque sint, pares sint. De quo maxima incertitudine disserunt moderni doctores, aliis dicentibus eas non oportere dici esse pares, id est in nullo dissidentes, unde reddunt consonantiam vel harmoniam spiritualem. Aliæ tamen magis, aliæ minus habentur ab aliquo, sicut in Job patientia eminuit, in David humilitas, in Moyse mansue-

B tudo. Qui etiam concedunt aliquem magis mereri per unam virtutem quam per aliam, si eam plenius habeat quam aliam, non tamen magis meretur per aliquam quam per charitatem. Aliis autem verius videtur quod omnes virtutes in quocunque sunt, pares sunt, ut qui in una par alteri exstiterit, in omnibus ei æqualis sit, et in quolibet eas habenti pariter intensæ sunt quoad habitum interiorem (38) non quantum ad usum exteriorem, quod auctoritate Augustini ostenditur (39): « Si dixeris istos æquales esse fortitudine, sed illam præstare prudentia, sequitur ut hujus fortitudo minus sit prudens, ac per hoc, nec fortitudine æquales sunt, quia est illius fortitudo prudentior. » Legitur

C etiam (40) quod paria sunt latera charitatis, id est quantum diligit et quantum credit tantum operatur : quod ad habitum referendum est, quantum habilis est credere tantum et diligere.

Imparitas vero usu facile patet, quia Job magis usus est patientia, Abraham fide, David humilitate. Hoc enim ad usus exteriores referendum, vel in comparatione aliorum hominum intelligendum. Secundum quam actuum exteriorum imparitatem dicit alibi Augustinus, in aliquo aliquam magis esse virtutem, aliam minus, et unam esse in aliquo, et non aliam ; loquens ad Hieronymum sic (41): « Si ita sunt intentiones ut corporis membra, non quod videantur locis, sed quod sentiantur affectibus, et alius illuminatur amplius, alius minus, alius om-

D nino careat lumine, ut quisque illuminatus pro charitatis affectu, in alio actu magis, in alio minus, in alio nil; sic dici potest habere aliam, et aliam non, et aliam magis et aliam minus : » quod profecto de actibus intelligitur. Id etiam congruo simili potest declarari. Paterfamilias conducit quatuor servientes, et singulis destinat propria officia, ea conditione ut singuli parati sint ad singula exsequenda pro loco et tempore. Illi quidem prompti sunt in habitu interiori, sed non in actu exteriori. Ita cum virtutes singulæ privilegiata habeant officia,

(35) Mag. III, d. 36.
(36) Ex Hieronym. ad c. LVI Isaiæ.
(37) Mag. sup. § B.
(38) Ita Mag. hic; et eod. dist. 15. § E.

(39) Lib. VI, *De Trinit.*, c. 4 in princip.
(40) Apud Greg. hom. ult in Ezech., longe a med.
(41) August. ad Hieronym. epist. 29.

omnes promptæ sunt ad exsequenda sua officia, nam quantum intendit animum temperantia usu exteriori ad coercendas illecebras tempore prosperitatis, tantum intendit fortitudo in habitu interiori ad perferendas molestias, si occurrat tempus adversitatis, non tamen tempore prosperitatis ad hoc animum **242** movet, sed disponit, quia non est opus (42). Non enim habent habitum qui non habent usum; haberent tamen si instaret tempus.

Sed contra objicitur : Ex quanta justitia aliquid fit, ex tanta prudentia idem fit, ergo quanto justius tanto prudentius. Fallacia. Ex quanto calore sol calefacit Indos, ex tanto Parthos, ergo quantum Parthos, tantum Indos; vel ita : Quanto scientior est iste illo in grammatica, tanto scientior est ille in dialectica, ergo quanto doctius disputat de grammatica quam ille, tanto doctius de dialectica, posito quod ille subtilius disputat modo de dialectica, licet iste plus peritus sit in dialectica. Fit enim transitus de habitu ad actum, sicut ibi. Item, quanto quis aliquid justius facit, tanto magis vitat non agenda, et minus omittit agenda, ergo quanto justius, tanto prudentius. Conclusio potest esse duplex ut fiat comparatio inter habitum et habitum, vel inter usum et usum, et tunc falsum est, et in prædictis danda est instantia. Item, quantum justus aliquis, tantum prudens est, ergo quam juste aliquid agit, tam prudenter : quod verum est facta comparatione inter ipsam prudentiam et justitiam; falsum, si inter usum hujus et usum illius. Unde et sic instandum per expositionem : Quam bonus grammaticus est iste, tam bonus est dialecticus; A ergo quam bene disputat de grammatica, tam bene disputat de dialectica. Item, aliquis naturaliter bonus est ad exsequenda opera justitiæ, naturaliter timidus est ad sustinendum adversa : nunquid in eo pares sunt justitia et fortitudo? Ita : in habitu sed non in usu. Item, quanto quis justior, tanto magis reddit Deo quod suum est, et proximo quod suum est, ergo quanto justior tanto prudentior : quod verum est si ad habitum referatur; falsum, si ad usum. Item, ex quanta justitia tenetur aliquis servire Deo, ex tanta prudentia, et econtra; ergo quam juste tam prudenter. Fallacia. Ex quanta scientia heri disputasti mecum, ex tanta hodie disputas; ergo quam scienter heri, tam scienter hodie. Item, quanto aliquid fit justius, B tanto majoris meriti, et quanto majoris meriti tanto melius; ergo quanto justius tanto melius, et ita opus æque justum alii operi quod est prudentius, videtur æque bonum illi quia paris est meriti. Quid ergo prodest quod illud est opus prudentius? Prima est falsa. Item, omnis justitia est bonitas, ergo quod justius est melius est. Fallacia. Omnis grammatica est scientia, ergo quanto doctior aliquis in grammatica tanto scientior.

Item, si omnes virtutes in quocunque sunt, pares sunt, quomodo fit incrementum virtutum? secundum essentiam non fit; fit vero secundum effectum; ergo tantum effectum habet in isto justitia, quantum prudentia, et ita quam justus est, tam prudens C est. Quod quidem verum est si sic intelligas, id est, tam habilis discernere inter bonum et malum, quam habilis reddere unicuique quod suum est.

(42) Non enim non habent habitum, quia non habent usum.

---

243 INCIPIUNT LIBRI QUARTI DISTINCTIONES.

Quid nobis contulit passione sua quod non prius contulerat nobis, ubi quæritur, an alio modo potuit nos redimere.

An Christus secundum divinam vel secundum humanam naturam fuit caput Ecclesiæ.

Qua potestate potuit Christus animam deponere, divina an humana, et an secundum humanam naturam fuit minor angelis.

In quo subjecto fuit mors Christi, et cujus unionis facta fuit solutio in morte ipsius?

LIBER QUARTUS.

244 PROLOGUS.

(43) Ostensum est in præcedentibus quomodo primus homo a Jerusalem descendens in Jericho gratuitis spoliatus (*Luc.* x), in naturalibus sit vulneratus. Cum autem de eo scriptum sit quod est, *spiritus vadens et non rediens* (*Psal.* LXXVII), a tanta miseria per se resurgere non potuit, nisi Samaritanus ille ad quem *clamat ex Seir : Custos, quid de nocte? Custos, quid de nocte?* (*Isai.* XXI) in formam servi se exinaniens (*Philipp.* II) cœlos inclinaret et descenderet (*Psal.* XVII), ovem centesimam quæ errando perierat relictis nonaginta novem in deserto propriis humeris ad locum unde ceciderat reportaret (*Matth.* XVIII, *Luc.* XV). Quod quomodo factum sit, ipso annuente qui reportavit, deinceps explicabimus.

CAPUT PRIMUM.

Utrum sancti qui fuerunt ante adventum Christi meruerint ad inferos descendere.

Ordo reparationis nostræ a fide initium sumpsit. Nam *credidit Abraham, et reputatum est ei ad justitiam* (*Rom.* IV), antequam vel circumcideretur, vel legem aliam quam naturalem a Deo acciperet. Et Habacuc propheta dicit : *Justus ex fide vivit* (*Habac.* II). Inde est quod Abraham meruit pater multarum gentium dici, quia credidit Deo promittenti : *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII), sicut testatur Apostolus loquens ad Romanos (*Rom.* IV). Etsi decessisset Abraham ante circumcisionem, fide quam habebat salvaretur per fidem sicut et alii ante eum qui mortui sunt incircumcisi, ut Abel a quo incepit Ecclesia, et Noe, et alii. Sed si justi decedebant, cur ergo ad inferos descendebant? Imo ad hoc sic ratiocinabitur aliquis : Unicuique reddit Deus secundum opera, ergo et Abrahæ : sed Abraham meruerat ut post mortem intraret ad vitam æternam, ergo statim post dissolutionem animæ et corporis debuit obtinere vitam æternam : aut injuste actum est cum eo. SOLUTIO. Verum est quia meruerat intrare, sed non statim post mortem, sicut et iste qui per purgatorium transivit, meruit frui visione Dei, sed non statim post decessum : sicut et iste qui egregie aliquid facit, meruit præmium a rege, sed non statim post factum. Item A Abraham meruit ut statim post mortem transiret ad vitam, si data esset hostia ; per ipsum non stabat quin esset data ; ergo meruit statim post obitum intrare. Fallacia. Iste perfectissimus tantæ perfectionis est quod, si decederet, mereretur statim frui visione Dei. Per ipsum non stat quod non decedit, habet enim mortem in desiderio, ergo meruit nunc frui visione Dei. Vel in prædicto exemplo de rege et strenuo milite. Item, quilibet sanctorum novi testamenti statim quando decedit fruitur visione Dei. Nulli sanctorum veteris testamenti istud est datum ; ergo majoris est meriti quilibet sanctus Novi Testamenti, quam aliquis qui obierit sub Veteri Testamento. Fallacia. Quilibet parvulus baptizatus, si statim decedit, intrat ad quietem æter- B nam, non quilibet adultus statim fruitur visione Dei post decessum in charitate, imo transit per purgatorium : ergo majoris est meriti quilibet parvulus baptizatus quam adultus imperfectus : quod falsum est. Item, melius est bonum quod statim obtinetur post mortem, quam quod differtur : quilibet sanctorum Novi Testamenti statim assequitur tale bonum, nullus sanctorum Veteris Testamenti statim fruebatur visione Dei ; ergo majorem coronam recipit quilibet istorum, quam aliquis illorum. Solutio per interpretationem primæ quæ intellecta universaliter est falsa, si indefinita est argumentatio non tenet necessitatem.

Item, Abraham in inferno detinebatur juste aut C injuste : si juste, ergo peccatis suis exigentibus, ergo non prorsus ab eis per fidem et circumcisionem erat liberatus, quod falsum est. Dicit enim Beda (44) : « Idem, salutiferæ curationis remedium, etc. » Item, Abraham carebat visione Dei ; illa carentia erat ei pœna. Dicit enim Gregorius in *Moralibus* : « Desiderium rei 245 quod differtur pœna est, » et Salomon : *Spes quæ differtur affligit animam* (*Prov.* XIII), et hæc pœna non injuste ei infligebatur. Ergo pro peccato eam sustinebat, ergo non plene dimissa ei fuerant peccata per fidem et pœnitentiam. Ad hoc dicunt quod Abraham juste tenebatur ibi, quia non plene liberatus erat a peccatis, quoad omnem remissionis peccatorum effectum, quia licet essent ei dimissa

(43) Magister IV, sent. d. 1, § A.

(44) Sup. Evang. Lucæ II : Idem salutiferæ curationis auxilium circumcisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat quod baptismus, etc.

peccata quoad reatum per circumcisionem, non tamen omnino quoad pœnam, nisi in spe et exspectatione veritatis futuræ, cujus figuras in umbra venerabatur, donec veniret veritas : per quas figuras non justificabatur. Duplex est enim effectus remissionis peccati, carere pœna et frui visione Dei. Pœna quidem carebat, sed non visione Dei fruebatur. Illa enim dilatio fruitionis non erat ei pœna naturalis. Ad hoc enim ut aliquis habeat gehennam, oportet adesse locum pœnarum, et sensum et carentiam visionis Dei. In loco quidem erat Abraham, et Dei visione carebat, id est eam non habebat, ut hoc verbum, *careo*, tantum privationem notet, et debitum non importet; sed nullam sentiebat pœnam materialem; quod tamen videtur falsum (45). Alibi enim dicitur quod gravissima pœnarum est carere visione Dei, licet alibi (46) legatur *mitissima*, quod ita intelligitur. Mitissima est quantum ad sensum, quia ex hoc nisi aliud esset, nulla sentitur pœna. Sic nec ego punior ex eo quod non sum episcopus. Gravissima tamen est quantum ad damnum; vel gravissima, id est generalis, quia quicunque punitur in inferno, caret visione Dei, sed non convertitur, quia neque sancti ante adventum Christi sentiebant pœnam, nec parvuli qui modo moriuntur inbaptizati, licet visione Dei careant. Item, quando Abraham mortuus est, necessarium fuit eum decessisse in fide Mediatoris, et impossibile erat ejus fidem irritam fieri, ergo necessarium erat Christum esse venturum et passurum et moriturum, etc. Cui videtur contraria auctoritas (47) : « Fuit alius modus Deo possibilis, sed nullus miseriæ nostræ convenientior. » Consimilis objectio de Christo qui dixit Petrum eum negaturum, et impossibile erat ipsum dixisse falsum. Ergo necesse erat ipsum dixisse verum, ergo necessarium erat hoc fuisse verum, et ita necessarium fuit Petrum negare Christum. Quare igitur imputatur ei ad mortem? Item, possibile erat humanum genus non esse redimendum; etsi non redimeretur, nec Abraham redimeretur, ergo possibile erat Abraham non esse redimendum, et necessarium erat decessisse in fide illa; ergo possibile erat illam fidem fieri irritam, vel ipsum de meritis defraudari. Super hoc dupliciter solet fieri solutio. Dicunt enim quod non est necessarium Abraham credidisse quæ credidit, nec necessarium est Christum locutum fuisse quando dixit Petro, *Ter me negabis* (*Luc.* XXII). Alii dicunt, (et ita a Magistro (48) meo accepi) quod necessarium est fuisse quæcunque per Spiritum sanctum fuerunt dicta a prophetis, et necessarium esse ventura, et ita necessarium erat Petrum esse negaturum Christum, et tamen ei imputandum erat, sicut necesse est diabolum peccare, et tamen ei imputandum est; et

A secundum hoc necessarium est Antichristum esse venturum, et impossibile est Antichristum esse occidendum a matre sua.

Sed et contra hanc solutionem objici potest quod super illum locum Jeremiæ, ubi dixit Jeremias Ananiæ falso prophetæ : *Amen* (*Jer.* XXVIII), habetur in Glossa Hieronymi : « Optat fieri quod ille mentitur, hoc enim significat, Amen, et cupit pro rerum prosperitate magis illum quam se vera dicere, » et post inducit exemplum de quodam qui per Spiritum sanctum loquens dicebat : *Utinam non essem vir habens spiritum, et mendacium potius loquerer!* (*Mich.* II.) Et paulo post : « Jonas contristatur quia mentitus est, et arguitur a Domino utilius esse mendacium, quam tantæ multitudinis ruinam. » Sed

B super hoc non minima videtur esse quæstio. Si enim volebat Jeremias verum esse quod Hananias falso prophetabat, quod ex prædictis auctoritatibus haberi potest, et sciebat hoc non posse esse verum quin ille mentitus fuisset; **246** ergo volebat Jeremias dixisse falsum, qui promiserat adversa, vel si volebat se dixisse verum, quod non potest negari, (non enim vellet Spiritum sanctum per quem loquebatur dixisse falsum) et volebat Hananiam dicere verum, (quod potest haberi ex præmissis auctoritatibus). Ergo volebat duo contraria contingere simul, cum contraria prædicarent ipse et Hananias. Ille enim prospera, Jeremias adversa promittebat. Ad hoc dicendum quod non sequitur. Si quis velit

C aliquid et sciat illud non posse esse sine alio consequenti, ideo velit consequens. Nam iste vellet amodo esse Romæ; et scit hoc non posse esse nisi esset Romæ; ergo iste vellet esse Romæ. Volebat ergo Jeremias eventum rei quam prædicebat Hananias, non tamen ideo vel illum verum, vel se dixisse falsum. Volebat re dixisse verum non tamen illud evenire quod ipse, vel non evenire quod ille prædixerat. Sicut vult se verum dicere, qui de peccatis suis pœnitet, non tamen vult illud evenisse quod dicit. Tunc enim non ex corde pœniteret : et sensus istarum auctoritatum ad hanc solutionem est retorquendus.

CAPUT II.

De virtute circumcisionis, et differentia ipsius ad baptismum.

D (49) Abrahæ jam justificato ex fide præcepta est circumcisio, de qua quia ad alia festinamus, breviter tractandum est : primo, quare instituta sit; secundo, cujus rei sit sacramentum; tertio, quare immutata sit per baptismum considerando. Instituta ergo fuit (50) « ut per obedientiam mandati Abraham Deo placeret, cui per inobedientiam Adam displicuerat, ut etiam populus ille a cæteris nationibus signo corporis discerneretur, » sicut et signo men-

(45) Apud Aug. *Enchirid.* c. 112, ser. 11, *De verb. Apost.*; contr. Jul., c. 2, et Basil. in ps. XXXIII, ad illud : *Timorem Domini*, etc.

(46) In Enchirid. Aug. c. 93.

(47) Aug. l. XIII *De Trinit.*, c. 10.

(48) Vid. eumdem l. I, dist. 38, Aug. l. V *De civit.*, c. 9, et 10; lib. *De prædestin. sanct.* c. 10; tract. 53, in Joan., etc.

(49) Mag. IV, d. 1, § II, etc.

(50) V. Aug., l. *De peccat. original.*, c. 31.

tis, id est fide. Sunt enim duæ res illius sacramenti. Nam per circumcisionem quæ fiebat octavo die cultro petrino significatur quod petram Christum in communi resurrectione quæ fiet octava ætate, omnis absciderelur corruptio. Significat etiam quod per Christi resurrectionem abluitur a peccato anima uniuscujusque in eum credentis. Ideo autem mutata est per baptismum, quia hoc sacramentum communius est et perfectius : communius, quia illud in una sola corporis particula in qua dominatur concupiscentia, per quam contrahimus originale peccatum. Ad cujus remedium data est circumcisio; baptismus vero omnes corporis partes abluit. Item circumcisio solis maribus proderat, baptismus vero utrique sexui : perfectius est etiam hoc sacramentum, quia ex circumcisione remittebatur tantum originale peccatum, sed (51) nec gratia adjutrix ad bene operandum conferebatur, nec virtutes augmentabantur, quod totum fit per baptismum præter remissionem originalis peccati. Unde et Abrahæ nihil intus contulit, quia jam ex fide justus erat, sed in signum tantum fuit.

Sed objicitur : Circumcisio instituta fuit in remedium originalis peccati, ergo aut fides erat insufficiens ad abolendum originale peccatum, aut circumcisio fuit superflua. Quod autem fides esset sufficiens, habetur ex auctoritate. Dicitur enim (52), « Quod apud nos agit aqua baptismi, hoc egit apud veteres, vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus sola virtus sacrificii, vel pro his qui de stirpe Abrahæ prodierunt mysterium circumcisionis. Fallacia. Iste fecit votum continentiæ ut per hoc salutem mereretur, ergo aut opera illa quæ fecit in charitate ante votum, erant insufficientia, aut votum fuit superfluum. Item ex fide sola dimittebantur peccata originalia ante circumcisionem, instituta circumcisione non ex fide sola sine circumcisione dimittebantur; ergo majoris efficaciæ fuit fides ante circumcisionem, quam post. Quod falsum est. Quod enim non sola poterat abolere peccatum post circumcisionem, non fuit eo quod minoris esset effectus, sed quia circumcisio erat præcepta, et inobediens esset quilibet, nisi circumcideretur.
247 Fallacia. Illis solis operibus quæ iste facit in charitate ante votum continentiæ, poterat salvari, facto voto non poterat salvari illis solis, nisi et votum impleret. Ergo minoris meriti fuerunt illa opera post quam ante. Item, ante circumcisionem sufficiebat sola fides ad delendum originale; instituta circumcisione, necessaria erat et circumcisio et fides. Ergo facilius remittebatur peccatum originale ante circumcisionem quam post. Quod verum est sub hoc sensu, id est pauciora exigebantur et sufficiebant ad hoc ut remitteretur, et quantum ad sensum quod nullam molestiam in carne sustinebat, cui sic remittebatur originale peccatum per fidem, sicut et

A remittebatur per circumcisionem. Si inde inferatur : ergo plus obfuit circumcisio quam profuit, fallacia. Faciliorem habebat iste viam ad obtinendum vitam ante votum, quam post, ergo plus obfuit ei votum quam profuit. Item, per fidem prius remittebatur originale sine circumcisione, modo sine illa nequaquam, ergo majoris tunc erat virtutis, quam modo. Fallacia. Anima Petri in via merebatur per fidem, modo non meretur per eam; ergo majoris efficaciæ erat tunc, quam nunc.

Item, fides Abrahæ ante circumcisionem hanc habebat virtutem, ut merito illius dimitteretur Ismaeli peccatum quem effectum non habuit nato Isaac, quia tunc præcepta erat circumcisio, meruitne
B Abraham suæ fidei tolli illam virtutem? Item, in circumcisione remittebatur originale, et ex charitate in ea dabantur virtutes, sed non ex ea; sicut in baptismo Joannis dabantur virtutes, sed non ex eo. Item, parvulis dimittebatur originale ex fide parentum, an suorum an aliorum, an unius tantum, si unus esset fidelis, alter infidelis? Ad hoc dicendum quod merito eorum qui præcesserant in quibus fuerat fides, de quorum familia erant parvuli illi, sicut dicitur (53) : « Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum; non quia dicitur, sed quia creditur; » non est intelligendum, quia modo creditur, nam si omnes essent infideles, et diceretur, fieret remissio; sed, quia creditum est a patri-
C bus nostris.

Sed dicet aliquis : Cur quibusdam parvulis remissa sunt peccata, et non aliis in fide Adæ, si non exigitur fides propriorum parentum? Ad quod dicendum, quia multæ descenderunt familiæ de Adam infideles, et ideo parvulis de illa familia non fiebat remissio nisi solis illis qui erant de familia illa quæ habebat fidem, sicut forte in familia Seth, et postea post diluvium in familia Sem et Heber a quo descendit Abraham. Si vero quæratur an in utero remittebatur originale peccatum per fidem parentum parvulis cum tantam haberent fidem parentes, parvulis existentibus in utero quantam illis natis et post; dicimus quia antequam natus sit aliquis non potest renasci nisi divino miraculo, ut de Jeremia,
D et de Jacob, et Joanne, et beata Virgine dicitur. Dicendum ergo quia ex fide parentum, scilicet Adæ et Noe, etiamsi infideles essent proprii parentes, remittebantur eis peccata. Sed non est determinatum (54) quoto die a nativitate, nisi dicatur de feminis quod octogesimo die quando pro eis offerebatur, eis fiebat remissio.

Item, sola fide aliena poterat tunc quis fieri dignus vita æterna, modo non potest sine baptismo, quia fides parentum non facit parvulos dignos vita, nisi baptismum excludat articulus necessitatis, non contemptus religionis. Ergo majoris perfectionis

(51) Ita in terminis Mag. § K, discipulo lapis offensionis.

(52) Gregor. l. IV, *Moral.*, cap. 3.

(53) Aug. tract. 80, in Joan.

(54) Hæc intellige de masculis ante datam legem circumcisionis.

erat fides tunc quam modo. Ad hoc dicendum quod fides parentum nec tunc, nec nunc efficit aliquid dignum vita æterna, licet ex virtute fidei parentum parvulis remitterentur peccata. Imo charitas quam Deus gratis dabat, in remissione peccatorum dignos vita æterna faciebat.

248 CAPUT III.

De cæremonialibus : utrum essent observantibus causa salutis æternæ.

(55) Post circumcisionem Abrahæ præceptam, tempore Moysi et per ipsum Moysen a Deo data est lex Judaico populo exeunti ex Ægypto in monte Sinai quinquagesimo die post egressum, duabus de causis, ut per legem a Deo datam lex naturalis repararetur in qua prævaricatus fuerat Adam et ejus posteritas, et ut per legales observantias, ille rudis et incredulus populus ad veritatis futuræ susceptionem instrueretur. Unum istorum fecit per moralia præcepta, alterum per legalia. Sunt enim in lege duo genera præceptorum præter promissa, immobilia et mobilia : immobilia dicuntur moralia, quorum observantia omni tempore exigebatur, et ante legem, et sub lege, et post legem : ut *Diliges Dominum Deum tuum*, etc. Unde dicuntur immobilia, quia non moventur veniente veritate, imo et tunc magis observantur, et talia sunt moralia quæ ad omne tempus sunt data. Mobilia sunt quæ ad tempus data sunt propter figurandum, non justificandum, quæ quidem in reverentia habita sunt, donec veniret veritas in cujus significatione sunt data; qua veniente cessavit umbra et figura cæremonialium. Tale erat præceptum de immolatione agni paschalis, quæ terminata est in passione Christi quam figurabat; similiter circumcisio terminata est in baptismo.

Sed ad hoc objicitur : Vetus lex statum suum habuit usque ad Evangelium. Ea igitur cessare debuit, superveniente Evangelio, secundum illud : *Novis supervenientibus projicietis vetera* (*Levit.* XXVI). Sed Christus prædicavit Evangelium ante passionem suam, ergo tunc debuit cessare et circumcisio, et alia quæ erant in lege causa figurandi data. Sed in contrarium sic : Baptismus nondum efficaciam habebat, quia Christus nondum fuerat passus a cujus passione viam suam trahebat; necdum etiam data erat forma baptismi a Christo quæ post Resurrectionem data est, cum dixit : *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*, etc. (*Matth.* XXVIII). Ideo dicunt quidam quod ante passionem simul currebant lex et Evangelium quando Christus prædicabat, et utrumque in parte habuit efficaciam. Quod enim dictum est ab Apostolo : *Si circumcidamini nil vobis prodest* (*Gal.* V), referendum est ad statum illum Evangelii post resurrectionem.

A Item : *Lex et prophetæ usque ad Joannem* (*Luc.* XVI). Ergo non debuerunt observari tempore Christi. SOLUTIO : Lex præfigurabat et prophetia prædicebat, quod tempore Joannis completum est. Unde tunc Dominus dixit : *Consummatum est* (*Joan.* XVII), quod de Filio hominis scriptum est. Item, lex relinquenda fuit pro Evangelio, ergo fuit spernenda pro eo, ergo non fuit in honore habenda pro ipso. Ad quod dicendum quod in honore erat habenda propter Evangelium quod in se continebat per spiritualem intelligentiam; erat enim sicut rota in medio rotæ. Unde et super illum locum Isaiæ (56), *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem* (*Matth.* XII; *Marc.* II; *Luc.* VI), dicit Glossa : « Lex vetus spiritualiter intellecta, scilicet Evange-B lium. »

Item, Christus cœpit legem destruere dum discipuli ejus per sata euntes spicas confricabant in Sabbato et comedebant (57), ergo solvebat legem : falsum est ergo quod datum est : *Non veni legem solvere sed adimplere* (*Matth.* V). Ad hoc dicendum quod lex tribus modis solvitur, vel quando non intelligitur spiritualiter, et ita solvit Judæus; vel quando bene intellecta non adimpletur, et ita solvit Christianus; vel quando aliqua pars diminuitur. Lex autem in tribus consistit, in promissis, in cæremonialibus, in moralibus. Promissa in Christi morte impleta sunt. Cæremonialia ad litteram sunt destructa, sed spiritualia servantur sicut et C moralia : **249** ergo Christus legem non solvit, quia spiritualiter intellexit et adimplevit, et nil de spirituali intelligentia diminuit.

Quæritur autem, cum cæremonialia idem significent quod littera legis, cur, illis abjectis, hæc in honore habetur, et in Ecclesia legitur, cum nil quod de cæremonialibus ad litteram ibi contineatur observetur. Ad quod dicimus quod sunt signa quæ rem præsentem significant, ut circulus ante domum pendens designat vinum esse venale in domo. Unde si pendeat circulus et non sit vinum venale, falsum est signum. Est aliud signum quod significat rem præteritam, ut madefactio terræ pluviam præteritam. Est aliud quod significat rem præsentem et D futuram, ut cinis benedictus, qui in Capite jejunii superponitur capitibus Christianorum, significat præsentem humilitatem eorum, et futuram resolutionem in pulverem. Cæremonialia autem non erant signa nisi rei futuræ. Unde si modo fierent, significaretur quod illa essent futura quorum hæc sunt figuræ et signa. Et ita cum illa non sint futura, falsa essent signa. Jam enim Christus passus est quod tunc designabat paschalis immolatio. Jam offerimus castitatem et simplicitatem; quod figurabat turturis et columbæ oblatio. Nam illa oblatio Deo non placuit nisi propter ista signata. Sed legis littera ideo semper est veneranda, quia dum legitur,

(55) Mag. III. d. ult.
(56) Isaiæ II, in Glossa, ibid.

(57) Gratian. 25, q. 1, c. 16.

fidem nostram confirmat, dum nobis ad memoriam revocat ea quæ credimus a sanctis prophetis prædicta : *In hoc est verbum verum quod alius est qui seminat, et alius est qui metit* (*Joan.* IV). Nos etiam erudit dum commemorat quæ mala Deus Judæis, dum erant rebelles, intulit, et quæ bona dum fuerunt humiles, ut et nos superbiam vitemus, ne quid simile nobis contingat. Potest etiam dici quod littera legis litteram Evangelii figurabat; id est, quod Evangelium aperte docebat esse faciendum, ipsa sub figuris docebat (57*) ; legis enim littera castitatem docet cum dicit : *Offeres turturem ;* simplicitatem, cum dicit : *Offeres columbam* (*Levit.* V, 14). Evangelium idem apertius docet : *Estote simplices sicut columbæ* (*Matth.* X).

Quæritur etiam an cæremonialia Deo placuerint quando fiebant in charitate et ex charitate. Quod per ea nemo merebatur vitam æternam videtur ex multis auctoritatibus. Dicit enim Isaias : *Sacrificia vestra odivit anima mea* (*Isai.* I). Et Ezechiel (58) : *Dedi eis mandata non bona, et justificationes non bonas, in quibus non vivant* (*Ezech.* XX). Et Apostolus : *Lex neminem ad perfectum ducit* (*Hebr.* VII). Et alibi : *Lex iram operatur* (*Rom.* IV). Et alibi : *Lex subintravit ut abundaret delictum* (*Rom.* V). Et in Evangelio : *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum et Pharisæorum non intrabitis in regnum cœlorum* (*Matth.* V). Econtrario tamen induci possunt auctoritates. Dicit enim Apostolus : *Lex quidem sancta et mandatum bonum* (*Rom.* VII). Et Beda : « Justitia legis suo tempore custodita, non solum bona temporalia, sed et vitam conferebat æternam. » Et Augustinus : « Ideo voluit sacrificia illa sibi offerri ut animæ quæ in Ægypto mortuæ fuerunt, per illa curarentur. » Sed hæc omnia de facili ad concordiam revocantur : si hujus nominis *lex* multiplicitas distinguatur. Nam lex quandoque dicitur tota series Veteris Testamenti, quandoque tantum quinque libri Moysi, quandoque Decalogus scriptus in tabulis, interdum etiam cæremonialia tantum, nonnunquam etiam littera cum spirituali intelligentia. Lex etiam dicitur observantia unius mandati. Unde solet dici : Hæc est lex lepræ, lex zelotypiæ, lex Paschæ (*Levit.* XIII ; *Num.* V, etc.)

Omnes ergo illas auctoritates per quas videtur posse ostendi quod lex non justificet, referendæ sunt ad cæremonialia, quæ fuerunt instituta propter significandum, non justificandum etsi (59) ex charitate fiant : et ad moralia sine gratia; reliquas vero ad moralia cum gratia, et ad spiritualem intelligentiam referimus. Quod enim dicitur : « Justitia legis suo tempore custodita non solum bona temporalia, etc. » intelligitur de moralibus cum gratia habitis, qualia sunt, *Diliges Dominum Deum tuum*, etc., et *Non occides*, et similia. Item, quod dicit Origenes, **250** quod animæ mortuæ in Ægy-

A pto per cæremonialia curabantur, ita intellige : « Ab idololatria retrahebantur cui in Ægypto fuerant assuefactæ et ita mortuæ. » Non enim aliud fuit illa curatio, nisi dissuetudo idololatriæ.

Quod autem cæremonialia non conferrent salutem, licet ad eam valerent, per similem potest ostendi. Baptismus Joannis non conferebat salutem, quia non faciebat remissionem peccatorum. Erat in aqua, non in spiritu; valebat tamen ad eam, et assuefaciebat homines ad baptismum Christi, qui erat vera causa salutis. Charitas tamen cum qua accedebant ad baptismum Joannis salutem conferebat. Similiter abbas iste huic suo monacho delicato, non valenti observare rigorem vitæ monasticæ, præcepit vesci carnibus; ille obedit. Me-
B retur itaque ex obedientia, non ex esca carnium, quia esca et potus non sunt regnum Dei, id est causa regni Dei (*Rom.* XIV). Valet tamen esus ille ad vitam quia est occasio illius meriti. Si vero quæras rationem quare illa opera non justificarent, audi quod dictum est : « Cæremonialia data sunt duris in flagellum, insipientibus in pædagogum, justis in signum. » Erant enim justi ante legem, nec per eam aliquid accrevit justitiæ illius, quia *justo non est lex posita* (*I Tim.* I), id est propter justum data erat; ut cognoscerent suam infirmitatem, qui prius dicebant : Non deest qui impleat, sed deest qui jubeat ad futuræ veritatis et gratiæ manifestationem, ut suam recognoscentes impotentiam et cæremonialium insufficientiam, ad
C medicum Christum currerent et ibi salutem per fidem, et spem, et charitatem haberent ex quibus justificabantur, non ex lege.

Dicunt tamen quidam quod inter sacramenta veteris ac novi testamenti non in hoc est differentia quod ista justificent in charitate facta et non illa, nam utraque justificant si sint in charitate. Sed quia sacramenta novi testamenti augent virtutes, illa non augent, et majorem habet nunc effectum baptismus, quam tempore Christi, quia non liberabat ab onere legis sicut modo.

Sed iterum objicitur de sacrificio Abel quod Deo placuit, secundum illud : *Respexit Deus ad Abel et ad munera ejus* (*Gen.* IV) ; et in canone missæ :
D *Placeat tibi, Deus, sacrificium istud, sicut placuit tibi sacrificium Abel famuli tui.* Si ergo Abel illo tempore sacrificii meruit, cur non et Aaron, cui præceptum est similiter sacrificare? Ideo itaque exponunt : Sicut placuit tibi devotio famuli tui Abel, quando sacrificavit. Et notandum quod in se difficiliora sunt mandata Evangelii, quam legis; sed quia hæc ex amore, illa ex timore, facilius hæc possunt observari quam illa ; et ideo dicit Dominus ; *Jugum meum suave* (*Matth.* XI). Sicut facilius est sedere quam currere per agros; et tamen facilius est venatori discurrere per agros quam monacho

(57*) V. D. Th. 1, 2. q. 102, 2, 3, ad 2.
(58) Hieron. ibid.

(59) Sic etiam Magist. IV, dist. 1, § B, sed in Loc notatur obelo.

sedere in claustro. Pauci enim illa observabant ex amore. Et est facta additio in consiliis non præceptis, vel additio, id est explanatio.

Item, observantia legis sufficiebat ad vitam, quia per eam poterat quis declinare a malo et facere bonum, in quibus duobus est consummatio justitiæ; ergo non fuit additio facienda in Evangelio, aut superflua fuit. Item (60) : « Lex cohibebat manum et non animum, » Evangelium cohibet manum et animum, ergo acrior est lex Evangelii quam lex Moysi. Item, quæcunque moralia observabantur tempore legis, necesse est observari tempore gratiæ, et præterea, illa quæ addita sunt in Evangelio. Ergo duplex onus nobis incumbit legis et Evangelii; ergo difficilius est hæc duo portare quam unum solum. Cum ergo dictum sit de onere legis : *Hoc est onus quod nec nos nec patres nostri portare potuimus* (*Act.* xv); multo magis et de onere Evangelii illud dicendum est. Item, lex cohibebat manum et non animum, et per legis observantiam poterat aliquis salvari, ergo habens voluntatem peccandi et non peccans actu poterat salvari; ergo poterat salvari sine charitate. Si vero dicat quis legem cohibere et manum et animum, sic Evangelium utrumque prohibet, cujus ergo facta est additio in Evangelio?

251 Ad hoc dicendum est quod lex dicebatur cohibere manum et non animum, quia pro voluntate peccandi pœna non inferebatur homini. Sicut hodie pro voluntate homicidii injungitur satisfactio a sacerdote, licet non tanta quanta si additus esset actus; non tamen ideo absolutus erat [erit] apud Deum, sicut qui libellum repudii scribebat, nulla puniebatur pœna secundum legem Moysis, et tamen (61) mortaliter peccabat. Unde hodie Ecclesia istud non permittit, et in hoc etiam mitius est Evangelium quod temporaliter punit pro voluntate peccandi ne in æternum puniatur pro eodem, licet dicant Hebræi quod ibi non prohibebatur nisi actus. Unde hoc ita exponunt : *Non concupisces rem proximi tui* (*Exod.* xx), id est nihil ages exterius, unde concupiscere videaris. Quod ergo dicitur : Observantia decem præceptorum sufficiebat ad vitam, ergo superflua fuit additio, vide ut caute intelligas *observantia*. Si enim erat ex amore, sufficiebat; si vero ex timore, dicitur observantia quasi *contra servantia*, quia non facere contraria præceptis non erat meritorium vitæ, nisi hoc dimitteretur ex amore, sicut dicitur : *Judæi observabant Jesum* (*Luc.* xiv), id est contra servabant si in verbo possent capere. Fallacia. Opera quæ iste facit sufficiunt ei ad salutem, ergo superfluum est votum quod superaddit. Sciendum est autem quod additio facta est legi, id est vocali præceptioni quæ non plene vel plane exprimebat præcepta, vel consulta, quæ proprie dicitur *lex* a *legendo*. Mandatis autem id est operibus (quæ legere

A Scriptura præcipiebat, vel consulebat) nulla est facta additio in Evangelio, quia etiam præcepta Evangelii in lege continebantur, vel obscure, vel manifeste; sed Scripturæ legis superaddita est Scriptura Evangelii, plenius exprimens quæ sub cortice legis latitabant.

Item, quod dicitur : Lex jubet diligere amicos, Evangelium amicos et inimicos, ergo acrior est lex Evangelii quam lex Moysi. Vel, omnia moralia cum lege observata tenemur modo observare, et præterea quæ in Evangelio tradita sunt, ergo duplex onus incumbit; ergo difficilius est onus legis quam Evangelii; nec istud valet, quia in Evangelio maxima datur gratia et superabundans cujus ope facilius possemus implere viginti præcepta, quam
B tempore legis unum solum, quæ non dabat gratiam cum esset in comminatione pœnæ data. Sicut vides quod facilius traheret iste equus quatuor magnos molares pistrinos super bigam, quam unum illorum super dorsum. Sic est de Evangelio quod est biga propter duo præcepta charitatis de dilectione Dei et proximi.

Item quæritur an vetus lex sit nova : quod videtur. Dicit enim auctoritas super Isaiam (62) : Lex vetus spiritualiter intellecta est nova, sed quam cito fuit vetus lex, tam cito spiritualiter intellecta est, ergo tam cito fuit nova lex, et ita ante adventum Christi. Econtrario probatur hæc non esse illa, quia illa promittit temporalia beneficia, hæc bona æter-
C na. Ideo sciendum quod lex vetus in tribus consistebat, in promissis, et moralibus et cæremonialibus. Promissa erant ad alliciendum, ut terra fluens lacte et melle. Moralia instituebant ad bene vivendum. Figurativa erudiebant ad majus intelligendum, ut manna figurabat eucharistiam, vitula rufa Christum (63). Similiter lex nova habet eadem moralia sed alias promissiones quæ exprimuntur : *Beati pauperes spiritu*, etc., significationes etiam alias habet, quia sacramenta veteris legis figurabant sacramenta novæ quæ idem signant et efficiunt. Cum ergo dicitur, nova lex est vetus vel continetur in ea, eo tropo loquendi utimur quo solet dici significata esse in significantibus, sacramenta novæ legis significabantur sacramentis veteris legis. Vel dicitur latuisse
D pro parte, quia quædam moralia et hic et ibi continentur. Alia tamen est hæc Scriptura, quam illa, licet in parte eadem mandata.

Item, *Omnis Christi actio fuit nostra lectio*, ergo in omni opere quod egit nos instruxit, et ad salutem nostram retulit; ergo omni opere quod fecit **252** meruit, ergo operibus cæremonialibus meruit ut forte quando inclinabat se coram propitiatorio, vel aliquid tale. Ideo etsi possemus dicere quia cum fit mentio de meritis hominum, tacendum est de Christo qui est privilegiatus et super omnem legem : potest dici, ut tradunt quidam, quod non ex omni

(60) Ita apud Mag. III, d. ult. § A.

(61) Ita cum Magist. et D. Thoma cum pluribus aliis, contra quosdam recentiores.

(62) Isaiæ II, in gloss., ad hæc verba : *De Sion exibit lex.*

(63) V. Epist. sancti Barnabæ, et notas ad eam.

opere quod fecit ex charitate meruit, sed ex charitate quam habuit, dum operaretur, meruit. Sicut et iste monachus non meretur ex eo quod dormit, vel comedit; quod tamen ad salutem suam refert, ut magis sobrius ad matutinas surgat et Deo serviat. Item, si fiat argumentum, legalia poterant fieri ex charitate, ergo poterant justificare, vel eis poterat quis mereri. Fallacia. Nummus potest dari ex charitate, ergo potest justificare, vel eo potest quis mereri. Vel secundum aliam opinionem quæ dicta est, verius dici potest, quod ex legalibus merebantur, si fierent ex charitate. Nullum enim opus est quod si fiat in charitate homo non mereatur. In hoc tamen est differentia inter hæc et illa sacramenta, quod illa non augent virtutes etsi ex charitate fiant, sicut ista. Si enim duo sunt pares in charitate, et alter suscipit eucharistiam, augetur in eo charitas.

Item, in Deuteronomio scriptum est: *Maledictus omnis qui non permansit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis ut faciat ea* (*Deut.* XXVII). Ergo omnes tenebantur omnia facere ante adventum Christi; ergo et illi qui spiritualiter legem intelligebant. Omnes enim tenebantur legem spiritualiter intelligere, et omnia cæremonialia facere, sicut dicit prædicta auctoritas, ergo si quis cæremonialia aliqua omittebat, transgressor erat, licet haberet fidem. Sed habetur in auctoritate quod non poterant omnia facere, ergo omnes erant transgressores. Ad hoc dicit auctoritas in epistola ad Galatas (cap. III): Maledicti erant omnes qui sub lege erant, quia in omnibus reatus transgressionis erat a quo illi absoluti erant qui in gratia confidebant. Sed quomodo erant absoluti? Nunquid non tenebantur observare legalia qui habebant fidem Christi? Non igitur peccaret Moyses si porcinam comederet. Imo non videtur tantam vim habuisse fides ante adventum quantam modo habet. Tunc enim non poterat quis salvari per fidem nisi cæremonialia observaret; modo potest, quia sufficit sola fides. Si vero dicatur quod sola fides sufficiebat sine observantia legalium ante adventum, ergo illi qui habebant fidem non tenebantur observare legalia etiam tunc, sed omnes tenebantur habere fidem. Ergo omnes poterant tunc salvari sine observantia legalium; non ergo erant transgressores si non observabant legalia, et ita non erant sub maledicto legis. Quos ergo maledicebat? Nunquid eos qui non observabant spiritualiter, ita, et illi iidem modo sunt maledicti. Si vero eos qui non observarent carnaliter, ergo omnes omnia carnaliter tenebantur observare. Ergo non sufficiebat fides sine legalibus ad salutem etiam tunc.

CAPUT IV.

Ubi decem legis præcepta ponuntur. Et quæritur utrum liceat facere contrarium alicui eorum.

(64) Legis præcepta sunt decem. In prima tabula tria quæ pertinent ad dilectionem Dei, quorum pri- A mum est: *Non habebis deos alienos. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem* (*Exod.* XX). Sculptile vel idolum dicitur, quod non habet aliquam speciem sui similem cum rebus creatis. Unde (65) idolum nil dicitur, quia non est aliqua species de his quæ sunt, cujus habeat similitudinem, sed quiddam quod animus curiosus et otiosus finxerit. Sunt quidem et aliæ expositiones, quas quia magis delectatione sunt quam de disputatione, ad præsens omittamus. Similitudo est quæ aliquid habet simile in rebus creatis. Secundum est: *Non assumes nomen Dei tui in vanum* (*ibid.*), cujus expositionem in lectione requiras non in disputatione. Tertium est: *Memento ut diem Sabbati sanctifices.* (*ibid.*).

253 In secunda tabula septem sunt præcepta, B quorum primum est: *Honora patrem et matrem, ut sis longævus super terram* (*Exod.* XX). Secundum est: *Non occides* (*ibid.*). Sed quæritur utrum omnes impleant hoc præceptum qui non occidunt. Quod si est, ergo et iste implet qui patrem non diligit, sed ipse in uno offendit; ergo omnium est reus; ergo nullum implet. Ergo nec istud, quare facit contrarium huic: ergo occidit voluntate vel actu. Item, non occidere nil est, et non occidendo meretur iste, ergo eo quod nil est meretur. Ideo dicimus quod nemo implet hoc præceptum nisi habeat in proposito non occidere, etiamsi sit provocatus, et non potest unum implere in proposita voluntate quin omnia impleat ex charitate; potest tamen unum C implere in re licet non omnia in re. Unde quod dicitur: *Qui in uno offendit, omnium est reus* (*Jac.* II), ita intelligendum, non quia cuilibet contrarium faciat sed quia charitatem non habet, qua non habita cujuslibet mandati transgressor est. Ut enim manifesta sint præmissa dicitur aliquis observasse Decalogum in re, in voluntate, vel proposito, in simulatione. Quia autem ex simulatione observabat, charitatem non habebat. Qui ex charitate unum observabat, non poterat unum observare in voluntate vel proposito sine alio, poterat tamen unum observare in re, et non aliud. Non enim dicor observare hoc præceptum in re, *Non occides* (*Exod.* XX), nisi aliquid impellat me ad occidendum et manum cohibeam.

D Quæritur autem an liceat occidere. Quod videtur. Cum enim alienigenæ die Sabbati invasissent Judam et fratres ejus, Spiritu sancto docente, institutum est ut die Sabbati insultum non facerent in hostes, sed insultantibus resisterent, eo quod multi Judæorum ceciderant, quia se ea die non defenderant (*I Machab.* II). Item, (66) licet vim vi repellere. Præterea transmarini milites nisi permitteret et consentiret [*for.* consentiret] Ecclesia, non interficerent paganos. Econtrario tamen in Evangelio: *Si quis percusserit te in maxillam unam, præbe et alteram* (*Matth.* V, *Luc.* VI). Et Apostolus: *Non vos defendentes* (*Rom.* XII). Dominus etiam Petrum re-

(64) Mag. XXXVII, etc. V. August., tract. *De decem chord.*, c. 5.

(65) Origenes, hom. 8 sup. Exod., ad c. XX.
(66) Cicero pro Milone

prehendit, eo quod servo principis sacerdotum auriculam absciderat (*Luc.* XXII), quod non fecisset si ei hoc licuisset. Ad quod potest dici quia non occidere licet rancore animi, sed licet zelo justitiæ, vel causa veritatis defendendæ, vel ne periclitetur fides. Unde Hieronymus super Jeremiam : *Homicidas, sacrilegos, usurarios punire non est effusio sanguinis, sed ministerium legis.* Dicimus etiam sine præjudicio quia quod dictum est in Evangelio et in Apostolo, ad tempus dictum est : Spiritus enim divinus omnia medullitus considerans prævidit quod in tempore primitivæ Ecclesiæ, dum parvula erat, utile erat sustinere patienter. Sed modo auctus est numerus fidelium, et licet quod tunc non licebat.

Item, hic est quidam qui cogitur vel ad monomachiam, vel ad suspendium, in suspendio non imminet nisi mors corporis, in monomachia est mors animæ et mors corporis, et quanto melior anima corpore, tanto damnosior mors animæ quam corporis. Ergo magis debet suspendium eligere quam monomachiam. Econtra in monomachia potest obtinere sine læsione illius cum quo pugnat, et mortem temporalem debet fugere quantumcunque potest. Ergo melius est ei pugnare quam suspendi. Ad hoc dicunt, quod si perfectus est, magis debet eligere suspendium. Si vero imperfectus monomachiam. Item, dignior est anima corpore, ergo magis peccat qui occidit animam, quam qui occidit corpus; ergo magis peccat qui trahit hominem in consensum mortalis peccati quam qui ipsum interficit. Ad quod dicendum, quod qui occidit corpus utrumque habet odio et animam et corpus. Qui autem animam, solum animam. Argumentum autem quod sit a contrariis sic. Magis diligenda est anima quam corpus. Ergo plus peccat qui animam occidit quam qui corpus, falsum est. Sicut si diceretur : Plus valet anima quam corpus, ergo plus diligendus est qui pascit animam quam corpus.

254 Tertium præceptum est : *Non mœchaberis* (*Exod.* XX). Omnem illicitum usum membrorum ad libidinem intellige, ut a parte totum intelligas. Ubi quidem prohibetur actus mœchiæ quantum ad carnalem sensum, spiritualiter autem prohibetur voluntas mœchandi. Unde et in Evangelio facta est additio litteræ legis : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* V). Et exprimit littera Evangelii spiritualem sensum, id est secundum quem spiritualiter vivitur. Sed objiciunt : Sub his verbis, *Non mœchaberis*, prohibetur mœchia corporis et mœchia cordis, et in his duobus consistit hujus mandati perfectio. Si quis abstinebat se prius a mœchia corporis, et non a mœchia cordis transgressor erat; ergo hoc mandatum erat adeo perfectum sicut modo est, et ita nil est additum ejus perfectioni. Sciendum quod illa superaddita prius erant quantum ad mentem dantis ipsum præceptum morale, sed non erant quantum ad mentem interpretantis, nec quantum ad opus, sicut fructus dicitur esse in hieme et non esse in arbore : Non esse, quia non est in ramis; esse, quia est in radice, in natura arboris.

Quartum præceptum est : *Non furtum facies* (*Exod.* XX). Ubi omnis rapina, et violenta et occulta prohibetur. Circa usuras autem plura dubitabilia sunt, quæ potius reservamus ad disputationem decretorum quam theologorum (67). Quæri autem potest utrum filii Israel furtum fecerint quando, præcipiente Domino, ab Ægyptiis vasa mutuo acceperunt, nec postea reddiderunt. Post multas autem rixas et argumentationes indirectas ad hoc probandum vel improbandum, hunc credimus exitum solutionis (68). Ut qui hoc fecerunt zelo divinæ præceptionis adimplendæ, non cupiditatis faciendæ, non dicantur hoc opere peccasse, imo etiam meruisse, sicut Abraham non peccavit quando secundum divinam jussionem filium immolare voluit. Nec iste peccat qui ex præcepto regis causa justitiæ exercendæ, non rancore, vel odio animi hominem suspendit. Qui vero hoc fecerunt timore, vel cupiditate rerum quas asportaverunt inducti, magis permissi sunt hoc facere et credimus eos peccasse. Licet enim quod præcepit Dominus fecerint, non tamen sicut præcepit, vel ea intentione. Sicut diabolus fecit quod Dominus voluit, vel permisit in Job, et tamen peccavit. Et Judæi Christum interficiendo fecerunt quod Dominus voluit, et tamen peccaverunt. Nabuchodonosor subvertendo Jerusalem, quod Dominus voluit, tamen peccavit. Sed objicitur : *Ne facias alii quod tibi non vis fieri* (*Tob.* IV), lex naturalis est. Contra hanc legem fecerunt, qui, ut implerent Domini præceptum, vasa asportaverunt, ergo peccaverunt. Ideo dicimus quod in lege illa subintelligendum est *injuste*, ne facias injuste. Aliter iste judex qui judicium dat in illum, injuste contra legem naturalem facerent.

CAPUT V.

De mendacio et ejus speciebus.

(69) Quintum præceptum est : *Non falsum testimonium proferes* (*Exod.* XX), in quo et crimen mendacii et crimen perjurii prohibetur. Et quia circa utrumque aliqua solent inquiri, prius de mendacio dicamus, primo quid sit mendacium, et quid mentiri sit, attendendo; deinde, quot sunt genera mendaciorum; tertio, utrum omne mendacium sit peccatum (70) : « Mendacium est falsa significatio vocis cum intentione fallendi. Mentiri est contra id quod animo sentit quis loqui. » Manifestum est ergo quod quicunque mendacium dicit, mentitur, sed non contra; potest enim aliquis verum dicendo mentiri, sicut et falsum dicendo non mentiri. Secundum hoc non est dubium quin (71) Judæus mentiatur cum

(67) Mag. III, d. 37, § C.
(68) August., l. Qq. sup. Exod. q. 39, et l. XXII *contra Faust.*, c. 71.
(69) Mag. III, d. 38.
(70) Aug. l. *Contra mendac.*, c. 12 in fin.; *Enchirid.*, c. 18.
(71) Ita Mag., sup. § C.

dicit Christum esse Deum et hominem, nec tamen mendacium dicit (72). Sunt autem tria genera mendaciorum: unum quod fit pro salute vel commodo alicujus: qualiter mentitæ sunt obstetrices; secundum, **255** quod dicitur joco; tertium, quod ex malignitate procedit, et animi duplicitate, causa decipiendi. Augustinus tamen (73) alibi distinguit octo genera mendaciorum. Primum est quod fit sub doctrina religionis. Secundum quod nulli obest, et alicui prodest quod dividitur in tria; non quia tres habeat species, sed quia tria sunt propter quæ solet dici tale mendacium. Primo si quis habet pecuniam injuste auferendam, dicat se nescire ubi sit, cum tamen sciat. Secundo si quis hominem quæsitum ad mortem nolit prodere, et mentiatur dicendo se nescire ubi scit, cum tamen noverit. Tertio si quis mentiendo, aliquem vel aliquam a corporali defendat immunditia. Omne genus mendacii peccatum est (74). Cum enim sermo sit inventus ut eo, quasi quodam vehiculo, intellectus ab uno in alium deferatur et cogitatio vestra in alterius notitiam veniat, si quis abutitur verbis ad decipiendum ut aliud quam cogitat intelligi faciat, verbis abutitur quæ sunt Dei dona, et ita peccat.

Quod autem mendacium sit veniale peccatum, et quod mortale, et in quo sit veniale, et in quo mortale, secundum prædicta genera est distinguendum. Illud tertium genus mendacii quod ex duplicitate animi procedit tam in perfectis quam in imperfectis est mortale peccatum. Illud primum genus quod fit pro salute alicujus; et, secundum quod fit joco (75), venialia sunt in imperfectis. Unde et obstetrices venialiter peccaverunt quando Pharaoni mentitæ sunt. Quod probatur auctoritate Augustini (76). Ait enim: « Forsitan sicut obstetrices non sunt remuneratæ quia mentitæ sunt, sed quia infantes liberaverunt, propter quam misericordiam veniale peccatum fuit, non tamen nullum: sic Rahab liberata liberatione exploratorum propter quod veniale fuit peccatum. » Item super Exodum (77): « Si quælibet culpa sequenti pia solet operatione purgari, quanto magis hæc facile abstergitur, quam mater boni operis pietas comitatur. » Ergo illud peccatum comitata est mater boni operis pietas, ergo charitas. Non enim illud potest intelligi de naturali pietate, cum ipsa non sit mater boni operis, ergo illud mendacium fuit veniale peccatum. Item, Augustinus (78): « Mendacio pro se utebantur, ne Pharao illis noceret, quod potuit, non ad laudem, sed ad veniam pertinere. » Ergo peccaverunt venia-

A liter. Item, naturalem pietatem servabant, quæ eis dictabat salutem puerorum conservandam, nec aliam legem habebant; ergo aut non peccaverunt, aut venialiter peccaverunt. In contrarium tamen dicit Gregorius (79): « Merces quæ potuit in æterna vita retribui, in terrenam recompensationem est declinata. » Ecce aperte dicit quod pro culpa mendacii commutata est merces æterna in temporalem; ergo culpa illa fuit mortalis, quia non facit hoc Deus nisi pro mortali peccato. Ideo sic est intelligendum quod dicit, ac si diceret, si conservarent ex charitate parvulos, remunerarentur æternaliter. Hic autem apparet quod non ex charitate, sed ex naturali pietate, quia remuneratæ sunt temporaliter

B Item, duo sunt genera mendacii quæ sunt venialia, ut dicit Augustinus (80), mendacium joci, et mendacium indolis: et vocat mendacium indolis, quod nulli obest et alicui prodest; sed mendacium obstetricum non fuit mendacium joci, nec mendacium indolis, quia nulli profuit. Tunc enim præcepit Pharao masculos Hebræorum in fluviam mergi, ergo non fuit veniale. Ad hoc dicendum quod profuit illud mendacium aliis obstetricibus quæ erant in Ægypto, quibus præerant Sephora et Phua (*Exod.* I), et quantum in illis fuit, profuit Hebræis. Item (81): « Mendacium est falsa significatio vocis cum intentione fallendi. » Ipsæ intendebant fallere mentiendo, ergo mortaliter peccaverunt. Item, mens C divisa non impetrat; aliud habebant in corde et aliud in ore, et animo fallendi hoc faciebant, ergo mortaliter peccabant. Ideo dicimus quod hujusmodi argumentationes non tenent necessitatem, quia non semper mendacium est mortale peccatum, sicut nec homicidium quod perpetravit Phinees est mortale peccatum, quantum **256** in se est, sicut et fornicatio, quare magis excusatur mendacium a mortali peccato si fiat pro salute alterius, quam fornicatio si quis cum ea concubuerit fingente se jam morituram, nisi cum illa iste dormiret et hac intentione cognoscat. Dicendum quod omne genus fornicationis, et in quolibet, mortale peccatum est; sed non omne genus mendacii, et ideo non valet quæstio (82). Perfectis autem non licet mentiri. D Potest quidem verum tacere, sed mendacium dicere prohibetur, alioquin mortaliter peccat.

Sed objicitur: Nemo adeo perfectus est qui non debet se reputare imperfectum. Econtrario tamen (83): « Incaute se humiliat qui laqueo mendacii se illaqueat. » Et alibi (84): « Eo ipso si pec-

(72) Aug. in psal. v.
(73) Lib. *De mend.*, c. 14.
(74) Ex Aug., c. 22 *Enchiridii.*
(75) Ita Aug. in psal. v, *Enchir.* c. 22 et 18, *De mend.*, c. 14, et ult. et contra mend., c. 8
(76) Levitici cap. q. 68 in idem c.
(77) Greg. l. 18, moral. c. 4.
(78) Quæst. 1 super Exod.
(79) Greg. sup. l. XVIII *Moral.* c. 4 (male apud quosdam c. 2).
(80) Sup. in psal. v, etc.
(81) August., l. *Contra mend.*, c. 12, sub finem.
(82) Ita Mag. sup.
(83) Greg. l. XXVI *Moral.*, c. 2. *Incaute sunt humiles qui*, etc.
(84) Aug. *De verbis Ap.*, ser. 29: « Cum humilitatis causa mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris quod evitaveras. »

peccatorem constituit homo cum humilitatis causa mentitur. » Ideo dicendum quod nemo debet se dicere imperfectum si sciat se esse perfectum, nisi hoc dicat respectu perfectionis quæ est in patria ad quam nemo in via potest pervenire, et ita credimus intelligendum esse in prædicta auctoritate. Item : « Cum omnia bona feceritis dicite : Servi inutiles sumus (*Luc.* XVII). » Quod ita intellige, id est non Deo conferimus utilitatem bene vivendo, sed nobis Deus. Item Augustinus (85) : « Bonarum mentium est agnoscere culpam ubi culpa non est. » Quod ita intellige, id est timere aut vereri ne ibi sit culpa ubi non est culpa. Item, iste putat se homicidium perpetrasse, et non perpetravit, tenetur hoc peccatum confiteri cujus putat se esse reum, et non est reus : dicit se fecisse hoc, et hoc est falsum. Ergo peccat. Ad hoc dicimus quod tenetur confiteri et falsum dicit quando dicit *feci*, sed non mentitur, et meretur falsum dicendo. In hac autem quæstione non est amplius immorandum, quia supra diffusius est tractata.

(86) Solet autem quæri an Jacob mentitus est cum dixit se esse Esau et sciebat se non esse Esau, et causa decipiendi patrem (*Gen.* XXVII). Ergo mentiebatur, ergo mortaliter peccabat, cum ex malitia animi hoc fecerit. Dicunt quod non dicebat se esse Esau nisi sub figura, nam intelligebat ita : *Ego sum qui accedo ad benedictionem Esau*, et non fecit hoc malitia animi, sed Spiritu sancto ita dictante. Item, Jacob nollet sibi subripi benedictionem quam subripiebat Esau, ergo contra legem naturalem fecit, ergo mortale peccatum. Ad hoc dicendum quod non injuste subripiebat; nam instinctu Spiritus sancti hoc faciebat. Ille etiam jus primogenituræ edulio lentium fratri vendiderat. Item, Jacob patrem decipiebat, ergo peccabat. Quod patrem deciperet habes cum dicat Isaac : *Frater tuus fraudulenter accessit* (*ibid.*), id est sub figura. Figurabatur enim in illo opere quod minor populus supplantaret benedictionem majori, nec fuit deceptus Isaac (87). Magister meus non longe ab hac opinione recedens longe tamen enucleatius et expeditius videtur solvere. Dicit enim quod Jacob dixit falsum, sed non est mentitus, quia non ivit contra mentem, nec contra conscientiam, quia et mens et conscientia dictabat ei esse obediendum suo superiori, id est Spiritui sancto cujus instinctu hoc dicebat, nec intendebat patrem decipere licet diceret ei quod sciebat falsum, et illud ei persuaderet, sicut ego persuadeo huic hunc hominem non esse in hac domo, cum ipse ibi sit, eo quod nolo ipsum interfici ab eo. Et locutus est contra id quod sciebat, non tamen contra conscientiam. Et habes simile in omnibus quæ sunt de genere malorum, quæ tamen ex præcepto Domini sunt bona et meritoria, sicut in furto Ægyptiorum, et in præcepto dato Abrahæ de morte filii, et interfectione Phinees. Licet enim datum sit in præceptum : *Non falsum dices* (*Exod.* XX). Si quis hoc postposito, cui subditus est se subdat ei, cui et præceptum istud subditum est, id est Domino, non facit contra hoc præceptum. Sicut si iste sacerdos postposito præcepto episcopi subjiciat se præcepto, papæ non peccat contra episcopum. Mens igitur Jacob dictabat Jacob sic faciendum esse quod faciebat, monente Spiritu sancto. **257** Cum ergo dicitur *frater tuus accessit fraudulenter* (*Gen.* XXVII), id est *sub specie fraudis*, nam fraus videbatur, et non erat nec erat prava similitudo. Similitudo enim alia bona, alia mala, et alia fit causa significationis, ut similitudo Jacob, qua significabatur quod Christianus populus præferretur Judaico. Alia causa tutelæ, ut similitudo angeli Tobiæ qui dixit se esse filium magni Azariæ. Alia causa intelligentiæ, ut illa qua simulavit se Dominus longius ire, dum iret cum discipulis Emmaus, ut per hoc ad intelligentiam sui exemplo invitaret.

Item, Isaac invocabat pro Esau vel Jacob, et credebat illum esse Esau pro quo invocabat, ergo invocabat pro Esau, et non pro Jacob, et non est pro eo exauditus, ergo oratio ejus non est exaudita. Vel ita : Isaac intendebat benedicere Esaum et non ei benedicebat, ergo irrita fuit ejus oratio. Ad hoc dicendum, quod Isaac invocabat pro Jacob, licet crederet se invocare pro Esau. Nec ideo tamen minus exauditus est, sicut iste episcopus aliquem ordinat putans se alium ordinare, non ideo tamen minus ille ordinatur cui manus imponitur. Item, instinctu Spiritus sancti dicebat Jacob falsum, ergo Spiritus sanctus erat auctor falsi. Hic opus est distinctione : Spiritus sanctus erat auctor falsi, id est falsitatis orationis, id est falsæ prolationis, esse potest; sed non erat auctor falsitatis rei, quæ est quando aliquis a Deo recedit per infidelitatem. Item, Jacob falsum dicebat; ergo venialiter vel mortaliter peccabat, ergo non instinctu Spiritus sancti hoc dicebat. Fallacia primi. Phinees hominem interfecit; ergo veniale peccatum vel mortale fecit. Item, auctore Filio, poterat dici falsum ab aliquo, quia si auctore Spiritu sancto dicebatur, ergo et auctore Filio, cum indivisa sint opera Trinitatis, et Filius ipse secundum humanitatem poterat dicere propositionem significative falsam, quia multiplicem; ergo falsum. Ad quod dicendum quod istud non valet, et potest induci simile, quia Pater auctoritate sua est Deus, et Filius ens homo est Deus, non tamen auctoritate sua secundum quod est homo est Deus. Si quis aliter solvit non invidemus. Sed hanc in medio posuimus quia a bonis præceptoribus ita accepimus.

(85) Sic refert Innoc. III extra *De obser. jejunii*, cap. 2 : Quod tamen ex Gregor. videtur esse desumptum.

(86) Mag. sup. § ult. sub finem.

(87) Magist. sent. sup. § ultimo, potius tamen ad dicta quam ad scripta præceptoris alludit.

CAPUT VI.

De perjurio et modis juramenti et perjurii.

(87*) Præmisso præcepto legis non tantum prohibetur mendacium, sed etiam perjurium. Unde postquam dictum est de mendacio, subnectendum est de perjurio. In quo considerabitur quid sit jurare, et quid perjurare; quot modis fiat juramentum, similiter et perjurium et utrum liceat mutare juramentum? Jurare est Deum testem alicujus rei adhibere, vel aliquid Deo oppignerare. Ex qua descriptione data per divisionem, innuitur duobus modis fieri juramentum. Nam quandoque jurat quis per Deum, quod est Deum testem adhibere, idem enim est (88) *per Deum*, et *Deus est testis*. Similiter qui per lapidem vel aliam creaturam jurat, Deum creatorem testem invocat. Et qui per lapidem, ut dicit Augustinus (89), falsum jurat, perjurus est, quia non lapidem, sed Deum creatorem lapidis testem invocat. Est aliud genus juramenti quod fit per exsecrationem, ut cum dicit homo: Si illud feci, hoc eveniat filiis meis. Sic etiam juratur quandoque, cum dicitur *per filios meos* vel *caput meum*: obligat enim Deo id per quod jurat ut hoc ei eveniat quod de ore ipsius exit, si verum verum, si falsum falsum. Item juramentum quandoque fit de licitis, quandoque de illicitis. Quotiescunque quis illicita jurat, pejerat, id est perperam, hoc est male jurat, et mortaliter peccat. Juramentum quod est de licitis, aut est incertum, aut superfluum, aut necessarium. Si incertum est quod jurat quis, ut si jurat se disputaturum cras sine conditione aliqua, cum hoc sit ei incertum, mortaliter peccat. Similiter et illud juramentum quod est superfluum, mortale **258** peccatum est, ut quando jurat quis ex delectatione et consuetudine, quod etiam prohibuit Dominus, cum dixit: *Nolite jurare* (*Matth.* v), id est in consuetudinem et delectationem habere juramentum, quia talis consuetudo semper est mortale peccatum. Juramentum autem quod est necessarium, id est quod fit, vel ad probandum innocentiam, vel ad fœdera pacis confirmanda, vel ad persuadendum auditoribus quod intenditur, non est malum, et ideo non est prohibitum, sed est a malo, id est ab infirmitate illius qui nisi juretur ei non vult credere (90). Unde cum Deus prohibuisset malum dicendo: *Nolite jurare*, et suasisset bonum dicendo, *sit sermo vester, est est, non non* (*ibid.*), indulsit necessarium, dicendo *quod amplius est*, id est juramentum, *a malo;* non dixit *malum est*. Cum autem jurat aliquis necessarium, aut non habet in proposito facere quod jurat, et tunc peccat quia pejerat; aut habet in proposito, et tunc non peccat. Si vero post mutat propositum, quando mutat, pejerat; et ita non jurando

A pejerat, id est juramentum bene factum mutat, quod est mortaliter peccare.

Perjurium est mendacium firmatum. Quibusdam enim placet non esse perjurium ubi non est mendacium; quia, sicut dicitur falsum sine mendacio, ita, ut aiunt, juramentum falsum sine perjurio, quando quis falsum, quod putat certissime esse verum, jurat. Aliis videtur melius quod jusjurandum tres debeat habere comites secundum Hieronymum (91), veritatem, justitiam et judicium; et ubi unum defuerit perjurium est. Unde et qui falsum voluntate fallendi, et qui falsum putans quod verum est jurat, et qui verum putans quod falsum est jurat, pejerat; ut sit perjurium vel jurando loqui falsum cum intentione fallendi, vel jurando loqui fal-
B sum sine intentione fallendi, vel jurando loqui verum cum intentione fallendi.

Sed objicitur: Si omnis qui falsum jurat, pejerat; ergo iste qui jurat se facturum quod habet in proposito facere, quod tamen propositum mutabit, nunc pejerat, ergo mortaliter peccat, ergo non habet charitatem; ergo, si nunc decederet, non salvaretur, quod falsum est, quia in proposito habet facere quod jurat, cum licitum est quod jurat, et hoc facit ut persuadeat quod intendit, ergo bene jurat. Ideo dicimus quod modo non pejerat, imo quando propositum mutabit, ut dictum est: sed, secundum hoc, non est prædicta diffinitio convertibilis cum diffinito, id est perjurio: quia, quando non loquitur
C iste, pejerabit, et modo falsum jurando pejerat: ideo dicendum quod loqui ad interiorem motum animi debet referri. Item, dicit Augustinus (92): « Ream linguam non facit nisi mens rea, » iste qui jurat falsum quod putat verum, non habet ream mentem, ergo nec linguam ream, ergo non pejerat. Dico quod mentem habet ream, dum incaute jurat, et id asserit jurando quod non certissime comprehendit.

Item quæritur quid sit perjurium? *Cum quis quod verum est jurat æstimans id esse falsum.* Ipsa enim significatio vocis est vera, quod quidem facile est dicere, quia loqui sic contra mentem sub attestatione juramenti perjurium est post hæc juramentum mutare, quod ita ostenditur. Posito quod ille
D juravit se interfecturum hominem. *Ecce perplexi sunt hic testiculi Behemoth* (*Job* XL) (93). Necesse est enim quod vel perjurus sit, vel homicidium perpetret, sed de duobus malis minus eligendum est, et minus malum est perjurium quam homicidium; ergo iste debet eligere perjurium, ergo licet ei pejerare. Item, ex charitate potest iste pœnitere de illa mala voluntate homicidii quam habuit, ergo et de illo juramento quod fecit, quod fuit peccatum mortale,

(87*) Mag. III, d. 39.
(88) Aug., ser. 28, *De verbis Apost.*
(89) Ibidem.
(90) V. Aug., *Ser. Domini in mont.*, l. I, c. 17, et l. I *De mend.*, c. 15.
(91) Ad c. IV Jerem.: Animadvertendum quod jusjurandum hos habeat comites veritatem, judicium atque justitiam. Si ista defuerint, nequaquam erit juramentum, sed perjurium.
(92) Serm. 28 *De verbis Apostoli.*
(93) V. Greg., l. XXXII *Moral.*, cap. 13.

quia non potest quis pœnitere de uno peccato mortali, quin et de quolibet alio pœniteat. Sic ergo non est perplexus, quia non est necesse duorum malorum alterum incurrere. Idem etiam auctoritate probatur. Legitur enim (94): « Juravit David se occidere Nabal virum stultum, sed ad primam intercessionem Abigail prudentis feminæ minas remisit, ensem in vaginam **259** recondit, nec aliquid culpæ tali perjurio doluit se contraxisse. » Item Ecclesia consulit huic ut mutet juramentum; ergo iste non peccat mortaliter qui pejerat. Ecclesia enim non hoc daret in consilium si esset peccatum. Econtrario autem ita objicitur: Omne perjurium est mortale peccatum; iste pejerat; ergo mortaliter peccat.

Ad hoc dicimus quod dicitur perjurium *perperam*, id est male juratum et omne tale perjurium est mortale peccatum, et committitur quotiescunque aliquid tale juratur quod unum illorum trium deest, id est veritas, vel judicium, vel justitia. Veritas, id est exsecutio rei quæ juratur, et puritas conscientiæ. Justitia vero justum sit, id est licitum quod juratur, et judicium id est discretio. Nam si quis juraret se daturum eleemosynam cras pro Dei amore, et hoc ita esset eventurum, veritas quidem esset ibi, justitia, sed non judicium, id est discretio, et ideo est perjurium, id est male juratum, quia incertum est vel superfluum.

Dicitur etiam perjurium perversum, vel permutatum juramentum, et non omne tale perjurium est mortale peccatum. Nam quando aliquis ex charitate pœnitet de incauto juramento quod fecit, non peccat mortaliter, licet juramentum mutet, nec est in prædicto articulo aliqua perplexio, cum utrumque ex charitate possit dimitti. Perplexio enim est quando homo, ita impeditus est duobus malis, ut necesse sit alterum incurrere. Et forte tales erant Judæi quibus dictabat conscientia Christum esse destructorem legis et ideo crucifigendum. Eisdem etiam dictabat conscientia ipsum esse justum et innocentem, et ideo dimittendum. Utrumlibet igitur facerent sive dimitterent sive interficerent, mortaliter peccarent. In quam intentionem et perplexionem peccatis suis exigentibus inciderant.

Et nota ubi incidit perplexio, non consulit Ecclesia minus malum esse faciendum; sed si contingat fieri minus vel majus, magis vitandum esse majus. Sicut iste medicus non consulit huic ægroto comedere carnes arietinas, sed si contigerit ipsum, vel arietinas, vel vaccinas comedere, potius arietinas quæ minus nocent. Dicunt tamen quidam quod in veritate quando attenditur sola puritas conscientiæ, non exigitur eventus rei subsecuturæ quæ jurata est. Nam si aliquis juravit se redditurum gladium poscenti et ille furens poscat, et iste nolit reddere, non pejerat, quia non cogitavit illum fu-

A rentem repetere. Apostolus etiam quando promisit se venturum ad Corinthios, si hoc jurasset, licet ipse non venerit, non pejerasset, quia habebat in corde; et ita esset ibi puritas conscientiæ, licet non exsecutio rei juratæ; licet tamen dici possit recte quod ita posito non juravit ille, falsum. Cum enim juravit se redditurum gladium, intelligebatur determinatio latens, si tunc sciret ei utile quod redderet.

Item iste juravit se non interficere patrem et non ita habet in proposito; ergo pejerat, ergo non tenetur facere quod jurat. Sed jurat se non interficere patrem, ergo non tenetur non interficere. Ad hoc dicendum quod pejerat, id est male jurat, et tamen tenetur facere quod jurat male, sicut iste B pejerat qui juramentum mutat, et tamen tenetur facere quod mutat. Et Judæi dicendo Christum esse Deum mentiebantur, et tamen tenebantur dicere eum esse regem.

Item notandum est quod si quis dicat consueto modo loquendi sine intentione jurandi, *Per Deum hoc faciam*, non pejerat si non facit quod jurat, quia nec, quando hoc dicit, jurat. Si vero hoc dicat intentione jurandi (cujus rei signum est, vel quando ponit manum suam in alterius manu, vel quando tangit sancta) tunc intendit jurare, et pejerat si non facit quod jurat. Potest etiam esse quod non est signum aliquod, nec [magnum interpretatio, nec tacitus liber (95-96)] sed solum verbum cum dicitur *Per Deum*, et tamen est juramentum, si intentione C jurandi fiat.

(97) Quæritur etiam an licet jurare per creaturam, et an teneat illud juramentum **260** quod per creaturam fit? Dicimus quod Judæis prohibitum est jurare per creaturam (eo quod proni erant in idololatriam, et honorem Deo debitum creaturæ exhibebant) cum dictum est: *Reddes Deo juramenta tua* (*Matth.* v). Perfectis autem licet, qui in creatura venerantur Creatorem. Unde et Joseph per salutem Pharaonis legitur jurasse (*Gen.* XLII). Si quæratur quis magis teneatur juramento qui perjurat per Evangelium, an qui per Deum? Dicimus quod quanto sanctius est id quod in juramento nominatur, tanto magis pœnale est perjurium, teste Chrysostomo qui ait (98): « Si qua causa inciderit D modicum quid videtur facere qui jurat per Deum, majus aliquid qui per Evangelium. Quibus dicendum, stulti, Scripturæ sacræ sunt propter Deum, non Deus propter Scripturam. »

(99) Item quæritur an ille teneatur juramento qui per idola juravit, vel utrum ei hoc licuerit? Dicimus quod ipse in hoc peccavit, quia per idola juravit, quia honorem Deo debitum idolo exhibuit et perjurus est si juramentum factum per idola mutavit, et ita hic mortaliter peccavit. Sed quæritur

(94) *I Reg.* XXV. — 22, q. 4, cap. *quod David.* — Beda, hom. 43, alias 44, *in decollat. S. Joan.*

(95-96) Fort. sic: *Nec manuum interpositio, nec tactus liber.*

(97) Mag. sup. § d.

(98) Apud Mag., hic, § E. Auctor operis imperfect. apud Chrysost., hom. 44.

(99) Mag., § G. V. Aug., ep. 154 ad Publicolam.

cujus rei Deum testem invocet qui per idola jurat? Cum enim non fecerit idolum, non invocat Deum testem ut videtur, quia non est auctor rei quæ in juramento nominatur. Sicut cum dicimus per lapidem, ut ait Augustinus (100), Deum auctorem lapidum testem invocamus. Ideo distinguendum est; quia si jurans per idolum putet idolum esse aliquid constans ex corpore et spiritu præsidente, non invocat Deum testem; et ideo cum jurat, peccat, quia idolo exhibet cultum quem Deo debet. Si quis in creatura illa adoret Creatorem, Creatorem illius corporis testem invocat, et ideo juramentum illud tenet, si est de licitis. Si vero quæritur de eo qui coactus juravit an teneatur juramento, dicit Augugustinus quod tenetur; quia etsi noluit id quod juravit, voluit tamen id propter quod fecit, id est vitam. Similiter si quæratur de illo qui juravit quod non habebat in proposito facere, quod tamen post fecit, utrum perjurus exstitit? Dicimus quod perjuravit et mortaliter peccavit, quia non adfuit illi juramento veritas, id est puritas conscientiæ.

(1) Sextum præceptum est : *Non concupisces domum proximi tui;* septimum est : *Non concupisces uxorem proximi tui, non servum, non ancillam* (*Exod.* XX), etc. Sed videntur hæc duo præcepta esse eadem cum tertio quod est : *Non mœchaberis;* et quarto quod est : *Non furtum facies* (*ibid.*); aut sub illis contineri : *Sed* (2) *in illis duobus præceptis* A *ipsa opera notata sunt et prohibita; in his extremis concupiscentia.* Nomine autem concupiscentiæ intelligitur quandoque quædam qualitas mentis quæ post baptismum remanet non ad culpam sed ad pœnam, et motus primus surgens ex illa concupiscentia. Neutrum istorum hic prohibetur, quia si essent hic prohibita, cum nullus possit esse sine his, omnis homo esset transgressor. Prohibetur autem consensus et delectatio procedens ex primo motu concupiscentiæ, qui consensus nomine concupiscentiæ intelligitur ut hic, et est prohibitus quia est mortale peccatum.

(3) Sed cum hic prohibeatur voluntas peccandi, quæritur quomodo stare possit illa differentia quæ assignari solet inter legem et Evangelium quod *lex* B *cohibet manum, et non animam.* Ad quod dicendum quod illud de lege dictum est secundum cæremonialia; vel quia in lege non puniebatur voluntas peccandi sicut in tempore gratiæ; vel, sicut exponunt Hebræi : *Non concupisces,* id est non ages exterius unde interius videaris concupiscere, in signo scilicet, facto, aut dicto. Lex autem dicitur littera occidens, quia prohibet peccatum. Unde per occasionem augetur cupiditas et additur prævaricatio, quia quod videbat lex non poterat impleri sine gratia : quæ quidem non abundabat in lege, sed in Evangelio, et ideo dicitur littera legis occidere.

---

261 TRACTATUS DE INCARNATIONE

Jam ex parte ostensum est quomodo a Jerusalem in Jericho homo descendit, qualiter etiam indumenta pietatis, gratiæ, immortalitatis et innocentiæ ei latrones juxta iter scandalum ponentes abstulerunt, et quomodo plagas ei semivivo relicto intulerunt. Sed neque sacerdos, neque levita præteriens opem vulnerato conferre voluit (*Luc.* X), quia neque per sacerdotium Veteris Testamenti, neque per mysterium, ut ostensum est, quæ per sacerdotem et levitam intelliguntur, vulnera curantur languentis mundi, sed tantum monstratur Samaritanus. Igitur qui in virga vigiliarum nocte dieque super gregis sui custodiam intendit, novissime secus vulneratum stetit : *In similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo* (*Philip.* II), de cujus calceamento quo ad nos pedes velatus accessit, quæ disputationi sunt accommodata, ipso juvante, tractabimus, et in medium prout nobis Spiritus sanctus administrabit, proferemus.

CAPUT VII.

De Domini Conceptione, et utrum caro Christi fuerit decimata in Abraham?

(4) Viam quam geminæ gigas substantiæ exsultando cucurrit monstrare volenti, recte consideranti hæc via Jordanis videtur observanda: Prius de ingressu illius viæ agere, secundo de progressu, tertio de egressu. In ingressu patrata sunt opera nostræ salutis prima et initialia, in progressu media et progressiva, in egressu ultima et consummativa. Prima et initialia C sunt ut conceptio et nativitas; media et progressiva sunt ut Evangelii prædicatio, mirandorum operatio; ultima et consummativa, ut passio, mors et resurrectio. Verum cum Unigenitus Dei totam naturam humanam, id est corpus et animam, quæ duo nomine naturæ vel humanitatis intelligimus, assumpserit ut totam sanaret, in eo quædam assumpsit idiomata corporis, quædam animæ, quædam pertinentia ad utrumque. Ad corpus pertinet fames, sitis, non quod istæ passiones non sint in

(100) Serm. 28. *De verbis apostoli.*
(1) Mag., III, d. ultima, § A.
(2) Aug. super *Exod.*, quæst. 71
(3) Mag., § B.
(4) Magist., III sent.

A anima (est enim omnis talis passio in anima), sed quia in anima non sunt nisi gratia corporis, quod ideo manifestum, quia sine corpore nec esurit, nec sitit. Animæ idiomata sunt naturalia bona et gratuita quæ assumpsit Christus. Ad compositionem animæ et corporis pertinet nasci, mori et loqui, et similia quæ nonnisi compositis ex anima et corpore conveniunt. Quid ergo de Unigenito Dei secundum animam, quid secundum corpus, quid secundum compositionem animæ et corporis in hac via dicatur, attentius considerandum, nec sine diligenti animadversione est prætereundum.

Conceptio igitur sive prima nativitas primum est opus nostræ salutis cooperativum. Prima nativitas ideo dico, quia duplex est hominis nativitas
B corporalis : una est in utero, quando anima infunditur; unde : *Quod natum est in te Sanctum vocabitur Filius Dei* (*Luc.* I). Altera ex utero quando in lucem homo editur, de qua dicitur : *Puer natus est nobis* (*Isa.* IX), etc. Ita ergo facta est Christi conceptio, quod simul concepta est caro Christi, et Verbo unita, et anima infusa, cum longe aliter fiat in cæteris hominibus quorum corpora prius concipiuntur, post effigiatis corporibus quadragesimo sexto die anima infunditur. Et quod ita fuerit audi Augustinum (5) : « Firmissime tene, et nullatenus dubites non carnem Christi sine divinitate conceptam in utero Virginis priusquam susciperetur a Verbo : sed ipsum Verbum Deum suæ carnis acce-
C ptione conceptum, ipsamque carnem Verbi incarnatione conceptam, » cui tamen videtur contradicere illud quod idem Augustinus ait super illum locum Evangelii (6) : *Quadraginta sex annis*, **262** etc. Hic, inquam, numerus perfectioni Dominici corporis congruit, quia, ut dicunt physici, tot diebus forma humani corporis *perficitur*, quod ideo credimus Augustinum dixisse (7) : « Quia ipso momento conceptionis, et unionis Dei et hominis, adeo tenuis erat et parva membrorum Dominici corporis distinctio ut vix humano visui subjiceretur. » Diebus autem illis quos memorat Augustinus, facta est perfecta et notabilis.

Unitus est autem Dei Filius carni, mediante anima. Dicit enim Joannnes Chrysostomus (8) : « Tan-
D tæ subtilitatis et simplicitatis est divina essentia ut corpori formato de limo terræ non congruerit uniri, nisi mediante rationali essentia. » Si quis autem objicit quod videtur objiciendum quod in morte Christi separata est anima a corpore, et ideo debuit separari Deitas a carne, quia, ea mediante, unitæ erant Deitas et caro : hanc quæstionem usquein sequentia differemus ubi solutionem cum ea jungemus.

(9) Cum caro quam Christus contraxit ex Virgine obnoxia fuerit peccato in Virgine (9*), et cæteris in quibus per carnalem concupiscentiam fuerit traducta, quæritur quare non fuerit decimatus Christus in Abraham sicut et Levi (*Hebr.* VII). Cujus quæstionis est solutio. Quodam modo ibi fuit caro Levi, quo non fuit ibi caro Christi. Nam caro Levi per carnalem concupiscentiam ab Abraham descendit, caro Christi non descendit ea lege, sed Spiritus sancti operatione. Sed objicitur : Auctoritas habet (10) quod id solum decimabatur in Abraham quod curabatur, sed caro Christi non est curata in eo; natus est enim Levi cum originali peccato. Ergo non in eo decimata. Item, dicit autoritas (11) : « In carne Abrahæ erat vulnus prævaricationis, et medicamentum vulneris. » At ubi erat medicamentum vulneris non opus erat remedio. Ergo quod prævaricationis habebat non indigebat remedio. Ergo quidquid habebat ibi vulnus prævaricationis, non indigebat decimationis remedio, et ideo nihil in eo fuit decimatum. Item, caro Christi et Levi in Adam fuerunt materialiter; ergo eodem modo : sed caro Levi ibi erat corrupta, et tota caro Abrahæ erat corrupta, ergo et caro Christi erat corrupta. Sed caro Levi ibi curabatur, et non caro Christi; ergo meliori modo fuit ibi caro Levi quam Christi. Item quacunque corruptione fuerit corrupta caro Levi in patribus suis, eadem et caro Christi; et postea fuit caro Christi in quibusdam in quibus non fuit corrupta caro Levi; ergo magis corrupta fuit caro Christi quam caro Levi. Econtrario tamen probatur quod caro Christi non fuit in Abraham, quia non fuit aliqua pars in Abraham. Non enim tot atomi fuerunt in Abraham quot homines ab eo per concupiscentiam descenderunt.

(12) Ad hoc dicendum quod Apostolus volens ostendere sacerdotium Christi esse præferendum sacerdotio Levi, utitur hoc genere locutionis, *Levi decimatus est in Abraham* : cujus locutionis sensum ita accipias, quod major est qui decimas recipit et benedicit, quam qui dat et persolvit. Abraham ergo qui decimas dedit Melchisedech in hoc minor eo ostenditur. In quo etiam signatum est quod qui de Abraham erant nascituri, id est ordo Leviticus, minor esset futuro Melchisedech; et ita Christo qui per Melchisedech intelligitur. In illa igitur prima auctoritate accipitur *curari* pro benedici, quia Levi benedictus est a Domino, quod signatum est in illa benedictione quam accepit Abraham a Melchisedech. Quod vero secundo inducitur : *Ubi erat vulnus prævaricationis, erat et medicamentum vulneris*, ita intelligitur : Quidam de Abraham de-

(5) Fulgent., *De fide ad Petrum*, c. 18.
(6) L. IV *De Tr.*, c. 5, *l. LXXXIII QQ.*, q. 56, et tractat. 10 *in Joan.*
(7) Solutio. Mag., III, d. 3, § ult,
(8) Sic apud Mag., d. 2, § 2 : sed nemine laudato.
(9) Mag. III, d. 3, § C.
(9*) Opinio libera ante definitionem dogmatis conceptionis immaculatæ, sed hodie rejicienda. EDIT.
(10) Aug,, l. X, *De Genes. ad litt.*, c. 20.
(11) Aug., ibid. : Eadem caro non Abrahæ tantum, sed ipsius primi terrenique hominis simul habebat et vulnus prævaricationis, et medicamentum vulneris, etc.
(12) Hæc eadem habet D. Th. 3, q. 3, a. 3. ult., *incorp.*

scensuri erant cum prævaricatione originalis pecca- A ti, et caro Christi de eodem quæ futura erat remedium omnis peccati. Ad id quod postea quæsitum est, an eodem modo fuerint ibi caro Levi et Christi: dicimus quod neutra fuit ibi, nisi per seminalem rationem, quod est potius eam non fuisse ibi quam fuisse; sicut arbor non fuit in grano, nisi seminaliter; nec corpus hujus hominis in semine viri, nisi per seminalem rationem, **263** nec semen in homine, nec etiam caro filii fuit in patre. Quod si hoc esset, cum tota caro patris fuerit similiter in tertio patre; ergo tota caro filii fuit in. . . . . et ita potest probari quod tota caro mea fuit in Adam. Si quæratur an caro Christi fuerit obnoxia peccato, concedi potest hoc sensu, id est *caro quæ est Christi*. Falsa vero hoc modo: *Caro in Christo fuit corrupta*. B Sicut justificatio justi respondebit ei, id est justitia in justo. (13) Nec tantum mundata fuit caro Christi in conceptione, sed etiam reliqua caro Virginis in qua omnino est exstinctus fomes peccati, ut postea non potuerit peccare.

Sed objicitur. Sed Filius Dei elegit eam mundam; erat enim munda quando fuit electa; aliter enim ejus nativitas non esset celebrata nisi in utero esset sanctificata. Unde et nullius sancti nativitatem celebramus nisi beatæ Mariæ virginis, et beati Joannis et Jesu Christi, quia omnes alii nati sunt filii iræ: superflua fuit illa secunda mundatio. Ad hoc dicimus quod prius ita mundata fuit in utero, ut esset sine peccato, potens tamen peccare; in C conceptione vero Christi, ita ut penitus peccare non posset.

Per verba angeli, et statim quando dixit: *Ecce ancilla Domini* (*Luc.* I.), concepit et non prius. Unde et quod dicit angelus: *Benedictus fructus ventris tui*, referendum est ad futurum, cum nondum haberet fructum; et quod ipsa Virgo dicit: *Quomodo fiet istud*, etc. potius admirando dixit, quam dubitando. Vel non dubitabat quin de ea nasceretur Christus, sed de modo nascendi. Unde ita proferendum est distincte ut sint duæ dictiones (*Sic*, quomodo), sicut et Joannes ipse post incarnationem dixit: *Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus* (*Marc.* I), etc. Item Filius Dei tantum per essentiam, et per inhabitantem gratiam fuit in D Virgine ante conceptum, nec post fuit ibi alio modo tertio, ergo non melius fuit in ea post quam ante. Item, in ventre erat tantum per essentiam, in mente et per essentiam, et per gratiam inhabitantem, ergo meliori modo in mente. Ideo dicimus quod meliori modo fuit in Virgine post conceptum quam ante, quia fuit in carne sumpta de ea, quo modo non poterat ibi esse, quin etiam esset ibi per gratiam, sed non convertitur. Item, sola digna fuit ut de ea nasceretur Filius Dei, ergo sola hoc meruit, ergo si de alia nasceretur, injuria illi fieret.

Ad hoc dicendum quod sicut anima Christi quæ fuit excellentissima omnium creaturarum meritis suis ad hoc pertingere nequivit ut Verbo Dei uniretur, multo minus beata Virgo meritis suis hoc potuit, ut Filius Dei de ea nasceretur. Sed cum legitur *digna fuit*, vel *meruit*, in respectu intelligendum est, quia dignior fuit cæteris. Nulla enim tantæ sanctitatis exstitit.

Item quædam portiuncula carnis ministerio Spiritus sancti separata est a reliqua carne beatæ Virginis, et illa portiuncula formatus est parvulus: illa pars fuit animata anima beatæ Virginis antequam ex ea formaretur parvulus, et post formationem fuit animata anima Christi. Ergo illa fuit animata duabus animabus. Quod non habent quidam pro inconvenienti. Magister tamen meus dicit (14) quod non fuit caro Christi pars carnis Virginis, nec in ea fuit nisi materialiter a qua descendit non per carnalem concupiscentiam, et ideo non est decimata. Nam ad hoc quod caro sit decimata duo concurrunt, et quod per seminalem rationem descenderit et per carnalem concupiscentiam, sed caro Christi, licet ibi materialiter fuerit, non per carnalem concupiscentiam inde descendit. Si enim caro Christi fuisset pars beatæ Virginis, in Virgine esset resurrectura, cum omnis ejus pars in ea resurget, et tunc caro Christi incœpit esse quando incœpit esse caro Christi.

264 CAPUT VIII.

Utrum aliquid fecit Filius quod non Pater, nec Spiritus sanctus; et an potuit Pater incarnari?

(15) Cum Filius assumpserit carnem non Pater, vel Spiritus sanctus, quæritur utrum aliquid fecit Filius quod non Pater vel Spiritus sanctus? Ad hoc ita objicitur: *Indivisa sunt opera Trinitatis*; ergo quidquid facit una trium personarum, et quælibet; Filius assumpsit carnem; ergo et Pater (16). Ad hoc dicendum quod tota Trinitas operata est incarnationem Filii, et quidquid facit una trium personarum facit quælibet non tamen Pater assumpsit carnem. Cum enim dicitur, *Pater assumpsit carnem*, non tantum notatur quid factum sit, sed et cui factum sit. Est enim sensus locutionis quod in sua persona carnem susceperit, quod falsum est. Et ideo in prædicta argumentatione fallacia est secundum accidens, vel potius secundum quid et simpliciter, quia prius proponitur *quid*, postea assumitur, *quid* et *cui*. Fallacia. Quidquid facit unus istorum trium, facit uterque reliquorum; unus induit se: ergo et reliqui duo, scilicet posito quod unus in medio se induat, et alii duo eumdem adjuvent, et est hic eadem fallacia et similitudo.

Quæritur autem, an Pater potuit assumere car-

(13) Mag. sup., § a.
(14) L. III, dist. 3, § c ut sup. V. Aug., l. X *De Genes.*, cap. 20.

(15) Mag., III, d. 1.
(16) Fulgent., *De fide ad Petrum*, cap. 2, in fine.

nem, quia si hoc potuit, et nil potuit quod non possit modo, ergo potest modo esse homo, et ita Pater et Filius possunt esse duo homines, et ita duo et duæ substantiæ. Quod autem Pater potuit incarnari ostendit Augustinus sic (17) : « Pater, etsi per subjectam creaturam apparere posset, incongrue tamen vel a Filio quem genuit, vel a Spiritu sancto qui ab eo procedit missus diceretur. » Ideo dicunt quod Pater potest esse homo alius quam Filius, non tamen alia substantia. Sicut Pater est alia persona quam Filius, non tamen est alia substantia. Item Filius Dei potuit assumere corpus et animam Petri; ergo Petrum. Ergo potuit facere ut ipse esset Petrus. Fallacia ultimi. Socrati conveniet hoc nomen *Plato;* ergo Socrates erit Plato, et est rectum similiter si bene inspicias. Potuit enim Filius Dei assu- B mere naturam Petri totam et facere ut ei conveniret hoc nomen *Petrus*, sed non potuit facere ut ipse esset Petrus, quia hic ponitur Petrus in designatione hominis quem significat.

Quæritur etiam an potuit assumere unam humanam naturam et aliam, id est duo corpora et duas animas? Nam nomine humanæ naturæ non intelligimus nisi animam et corpus in Christo, et ideo bene dicimus, *unam humanam naturam et aliam.* Quod si est, ergo potuit esse unus et alius homo, et ita duorum hominum uterque, et ita duo homines, et ita plures. Nunquid enim si assumpsisset duo corpora et duas animas, vere diceretur: *Iste homo est ille?* Mihi quidem ita videtur, hæc persona humanata est, illa persona humanata, et sic iste homo est C ille (18). Sicut si modo assumeret Filius Dei angelicam naturam, sicut testatus est Origenes in libro qui *Periarchon* dicitur, pro redemptione diaboli futura post mille annos, vere diceretur : *Hic homo est ille angelus.* Si vero diceretur quod duo essent, et ita duæ personæ, jam essent duo Filii in Trinitate, et ita quatuor personæ.

(19) Si quæratur quare potius Filius quam Pater sit incarnatus, ratio in promptu est : Ut sicut in sapientia Deus mundum creavit, secundum illud : *Omnia in sapientia fecisti* (*Psal.* CIII), ita in Filio, qui est sapientia Patris, recrearet, vel (20) ut idem esset Filius in humanitate qui erat Filius in Deitate. Si enim Pater vel Spiritus sanctus incarnaretur, D jam essent duo filii in Trinitate, unus secundum Deitatem, alter secundum humanitatem.

CAPUT IX.

An istæ propositiones sint veræ : Divina natura assumpsit humanam, divina persona assumpsit humanam?

(21) Cum Filius assumpserit humanam naturam, scilicet animam et corpus **265** quæritur utrum concedendum sit : *Persona assumpsit naturam.* Quæ quidem propositio nullam habet dubitationem, quia procul dubio vera. Sed utrum natura naturam, vel persona personam assumpserit? In quæstione est, an natura personam? Quod natura naturam assumpserit ostendere videtur Augustinus, dicens (22) : « Illa natura quæ semper genita manet a Patre, naturam nostram sine peccato suscepit ut nasceretur ex Virgine. » Ubi etiam majus videtur dicere quod Pater divinam naturam genuerit. Item, quidquid convenit alicui personarum, convenit vel secundum divinam naturam, vel secundum humanam. Filio convenit fuisse incarnatum. Ergo secundum divinam naturam vel secundum humanam est incarnatus. Sed idem est incarnatum fuisse et factum esse hominem. Ergo secundum divinam naturam, vel secundum humanam factus est homo. Si secundum humanam, ergo natura humana assumpsit humanam; si secundum divinam, et Filius Dei nil est factus quod ipse non sit. Ergo secundum divinam naturam est homo. Sed secundum divinam naturam est Deus. Ergo ex eo est homo ex quo est Deus. Item secundum divinam naturam assumpsit humanam naturam; *Paulo minoratus est ab angelis* (*Hebr.* II). Ergo secundum divinam naturam minor est angelis. Vel secundum divinam naturam assumpsit humanam naturam; minor est etiam se ipso. Ergo secundum divinam naturam assumpsit humanam. Quidquid convenit uni trium personarum secundum divinam naturam, convenit cuilibet earumdem. Ergo secundum divinam naturam Pater est incarnatus.

Ad hoc dicendum, quod si hæc dictio, *secundum*, notat unionem personæ vel causam, verum est quod Filius secundum divinam naturam assumpsit humanam, id est in natura divina. Vel natura divina fuit in causa, quia est causa cujuslibet boni. Si vero notet conditionem, falsum : non enim ex conditione divinæ naturæ assumpsit humanam. Quod autem divina natura assumpsit humanam, concedunt sancti et doctores nostri, quia *venit ad nos calceata Deitas.* Cui tamen videtur contradicere illa auctoritas (23). « Incarnationem Filii tota Trinitas est operata; solus tamen Filius naturam humanam in unitatem personæ assumpsit. » Item divina natura est incarnata, idem est esse incarnatum et esse factum hominem. Ergo divina natura facta est homo. Item, divina natura assumpsit humanam, et non ab æterno. Ergo ex tempore, et ita cœpit assumere humanam naturam : homo incœpit esse divina natura. Ergo divina natura incœpit esse homo; et ita est homo. Item, divina natura est incarnata, et Verbum quod est divina natura, est factum caro. Ergo divina natura est facta caro. Item, divina natura est idem homini. Ergo est

(17) L. IV *De Tr.*, cap. 21.
(18) V. Epiph., hæres. 6; Aug., l. XXI *De civit*, c. 17 et seqq. Hieron, ep. contra Joan. Hierosolymit. Gregor., IV *Dialog.*, c. 44, etc.
(19) Mag. sup., § B.
(20) Gennad., l. *De ecclesiast. dogmat.*, c. 2.
(21) Mag., III, d. 5.
(22) Seu Fulgentius, *De fide ad Petrum*, c. 2, ante med.
(23) Concilii S. Toletani. V. etiam Fulgent. sup. cap. 2, etc.

homo. Item, divina natura est incarnata in Virgine. Ergo nascitur, vel nascetur, vel nata est de Virgine. Item, divina natura est Christus, et homo est divina natura. Ergo divina natura est homo. Item, divina natura est iste homo, scilicet Christus. Ergo est homo. Item divina natura est homo qui est Christus. Ergo divina natura est aliquis homo. Ergo est homo. Item, quidquid est, est homo, vel non homo, divina natura est. Ergo est homo, vel non homo. Si est non homo et est unum solum, ergo divina natura nil est quod sit homo, ergo divina natura non est Christus qui est homo. Relinquitur quod divina natura sit homo. Quod si est, ergo divina natura est humana natura, vel naturæ humanæ, quorum utrumque est falsum. Item, divina natura est homo humanitate. Ergo humanitas est in divina natura; quidquid est in divina natura est divina natura. Ergo humanitas est divina natura, et ita humana natura est divina.

(24) Ideo dicunt quod divina natura est incarnata et assumpsit humanam; non tamen divina natura est facta homo, vel est homo, quia tali locutione, ut dicunt, innueretur versibilitas naturæ in naturam, ut una fieret composita natura ex duabus : quod dixerunt Timotheani hæretici. Cum utraque natura plena sit in Christo, **266** concedendum est quod Filius est factus homo, quia unio duarum naturarum facta est in una persona, et ideo hic recipitur factum, ibi autem nequaquam. Item nota quod, cum dicitur, *Christus est homo*, idem est ac si dicatur, *Christus est humanæ naturæ*, ut ex sequentibus patebit : nam in prædicato prædicat habitum. Unde patet secundum hoc non esse dandum, *Divina natura est homo*, quia non est humana natura, vel humanæ naturæ. Personam enim non prædicat per se, sicut plerique volunt, sed cum adjuncto, unde recipiunt, *Divina natura est homo qui est Christus*, et *iste homo*; quia tunc significat personam, et *homo est divina natura*, quia in subjecto et cum adjuncto, et sine adjuncto ad personam plerumque solet referri. Ad prædictas argumentationes facile est sumere instantias in similibus.

Si quæratur an divina natura assumpserit duas naturas, quia assumpsit humanam quæ est in duabus, id est in corporea et spirituali, scilicet anima; cum sit Dei Filius utrique unitus animæ et corpori, non recipimus ideo quod assumpserit duas, quia neutri earum est unitus in unitate personæ separatim. Nec enim Deus Filius dicitur corpus, nec dicitur anima, cum dicitur homo. Sed acrius instabit quis, cum sit Deus in re tribus modis, per essentiam, per gratiam, per unionem, et in solo Christo fuerit per unionem. (Unde, ut dicit Damascenus, (25) « Tanta fuit unio Dei ad hominem, et hominis ad Deum, ut et Deus diceretur homo, et homo Deus. ») Cur non recipitur quod est anima, vel Deus est corpus, cum in utroque sit per unionem? Non enim excogitari potest modus essendi Deo in Christo homine, quo etiam modo non sit in anima Christi et in corpore, cum non sint plures quam qui prædicti sunt. Forte quia, ut dictum est, animæ et corpori simul unitus est in unitate personæ, sed per illos tres modos, neutri separatim, et ideo recipitur quod Deus homo, et homo Deus : non autem ita de anima et corpore. Si quis aliter solvat et melius, non invideo.

At iterum quæritur, cum Filius Dei sit in Christo homine per unionem, utrum in eo sit Pater per unionem. Quod si est, igitur sicut Filius est homo, ita Pater est homo, cum uterque sit in humana natura et per essentiam, et per inhabitantem gratiam et per unionem, et ita nullo modo est Filius in humana natura, quo etiam non sit in ea Pater, et Filius et Spiritus sanctus. Quod enim Pater in humana natura sit per unionem ostendit Augustinus super Joannem : « Sicut ego homo vivo propter Patrem cui unior, ita qui manducat, et mihi unitur, vivit propter me. » Alioquin etiam haberetur quod Filius esset in aliqua re aliquo modo in qua non esset Pater, vel Spiritus sanctus, quod puto esse inconveniens. Ideo potest dici quod Filius Dei est in humana natura unione qua ei unitur in unitate personæ. Sed non est Pater in ea unione qua ei uniatur : ipse enim non unitur humanæ naturæ in unitate personæ, sed per unionem quam facit, nam tota Trinitas illam unionem operata est.

CAPUT X.

An natura personam, vel persona personam assumpserit.

(26) Circa has duas propositiones, *Divina persona assumpsit humanam naturam*, *Divina natura assumpsit humanam naturam*, plurimum disputatum est. Quarum priorem absque dubio constat esse veram. Quod etiam altera sit vera rationibus et auctoritatibus est ostensum. Ordo igitur enumerationis ad alias duas compellit nos transire, scilicet, *An natura personam*, vel *persona personam assumpserit*, quas quidem constat esse falsas, licet ad probationem earum multa soleant induci. Nam anima Christi nunquam fuit quando non esset pars alicujus hominis, nam infundendo fuit creata, et creando infusa sicut et aliæ animæ, et ita a conceptione Christi fuit illa pars alicujus hominis. Similiter et corpus illud, et ex his duobus sufficienter **267** constituitur homo. Hæc duo assumpsit Dei Filius. Ergo et hominem quemdam assumpsit Dei Filius, et ita personam. Ad hoc dicunt quod nec anima Christi nec corpus est pars alicujus hominis. Non enim est pars aliqua ex illis duobus, vel fuit, et quam cito anima illa vivificavit illud, unita fuit Deitas utrique, et corpori et animæ. Alia tamen

(24) Ita Mag. sup. § C.
(25) L. III *De fid.* c. 4, apud Mag.

(26) Mag. sup., § D et E.

fuit unio carnis ad animam, quam deitatis ad illa duo. Item, Filius Dei assumpsit animam, et anima est persona quia (27) *est rationabilis essentiæ individuæ naturæ*; ergo Filius Dei assumpsit personam. Sed dicunt (28) quod anima quandiu vivificat corpus non est persona, id est per se una, ut alludatur origini vocabuli, quia nunquam fuit anima Christi quin esset separata ab ejus corpore, nisi in triduo. Unde non dicitur Dei Filius assumpsisse personam, quia non separatim assumpsit animam.

Item, Filius Dei assumpsit hominem, homo est assumptus a Dei Filio. Ergo aliqua persona. Quod autem duæ primæ sint veræ probatur multiplici auctoritate. Ait enim Augustinus (29) « Si quis non dixerit et crediderit hominem Jesum Christum a Filio Dei assumptum, anathema sit. » Idem etiam Augustinus pluribus locis dicit (30) quod homo est assumptus a Filio Dei: et Propheta loquens de Christo homine dixit: *Beatus quem elegisti et assumpsisti* (*Psal.* LXIV). Propterea hujusmodi locutio: *Homo est assumptus a Dei Filio*, sive in auctoritate, sive extra ponatur, ita intelligenda est ut hoc nomen *homo* ad naturam humanam, id est ad animam et corpus, non ad personam referatur: in qua tamen ex vi locutionis magis pro persona ponitur. Unde non est convertibile, *Homo est assumptus a Filio Dei*:

Sed dicet aliquis; Qua potentia potuit Deus facere ut uniretur carni et animæ in conceptione, nonne potuit facere ut prius conciperetur caro, et anima tunc infunderetur, et postea Filius Dei utrique uniretur: cum propter hoc non detraheretur in aliquo divinæ potentiæ; nec majoris potentiæ sit istud quam fuit illud? Imo, etiamsi sit majoris potentiæ, cum nihil ob hoc derogetur divinæ majestati, et apud Deum nil sit impossibile, quare non potuit facere hoc ut illud? imo nonne potuit Filius Dei assumere tantum animam sine corpore vel angelum pro redemptione angelorum? Quod si fecisset, quis dubitaret quod Dei Filius tunc personam assumpsisset, et quin aliquid esset factum Filius Dei, et Filius Dei aliquid, quia tunc et angelus factus fuisset Deus, et Deus angelus. Quod si potuit facere, ponatur ita fuisse; jam nulla est quæstio quin et persona personam, et natura personam assumpserit. Unde objicitur: Aliquid est Dei Filius, quod nunquam fuit quando non esset Dei Filius, et aliquid est Dei Filius quod fuit quando non fuit Dei filius, quia illud quod constat ex anima et corpore, ex quibus fuit homo antequam uniretur ei Deus. Ergo non unum solum est Dei Filius, et ita duo sunt Dei Filius, vel et unum et aliud contra quod est illud (31) « Non tamen duo sed unus est Christus. » Item, aliquid est Dei Filius, nil quod non sit illud est Dei Filius; aliquid semper fuit Dei Filius. Ergo nil est Dei Filius quod non fuerit semper Dei Filius: quod falsum est secundum hoc, quia homo ille est Dei Filius, qui fuit quando non fuit Dei Filius, si præmissa stet positio. Sed per hoc accidit quod aliquid est Dei Filius quod non est Pater, et aliqua substantia est Filius quæ non est Pater, et ita alius est Filius a Patre in substantia, et non convertitur. Ad præmissam quæstionem nullam novimus solutionem, nisi quam Augustinus docet: « Non quæramus id quod non est, ne id quod est non inveniamus. » Ergo cum Filius statim animam et carnem assumpsit ex quo fuerunt, non quæramus quid fieret si prius essent caro et anima quam essent assumpta. Forte enim impossibile est fuisse factum.

Quæritur quid prædicet hoc nomen *homo*, cum dico, *Deus factus est homo*, vel *Deus est homo* (32): an personam, an accidens. Si enim accidens, habetur quod Deus non secundum quod est homo est aliquid, sed alicujus **268** modi, sicut Socrates non secundum quod est albus est aliquid, sed alicujus modi; si vero prædicat personam, verum est quod Deus secundum quod est homo, est persona, est substantia, est aliquid. Igitur secundum diversos diversa est intelligentia hujus propositionis. Dicunt enim quidam quod in conceptione Christi ex anima et carne facta est quædam substantia composita quæ est verus homo, et illa cœpit esse Deus et Deus illa, ita tamen ut illius personæ neutra natura esset persona, nec divina, nec humana. Constat enim sufficienter ex anima et carne. Et inducunt auctoritatem Augustini ad confirmationem hujus opinionis. Ait enim (33). « Ille homo ut a Verbo Patri coæterno in unitate personæ assumptus Unigenitus Dei fieret, unde hoc meruit? quod ejus meritum præcessit ut ad hanc excellentiam attingeret? » Aliis videtur quod Filius Dei qui prius erat simpliciter persona, in incarnatione manens eadem persona quæ prius, fieret composita, suscipiendo animam et corpus partes sui; et quamvis factus sit hominis persona, non tamen simpliciter persona. Manet enim eadem persona quæ et prius ex duabus naturis, divina scilicet et humana constans, quæ prius erat simplex persona. Inducunt etiam auctoritatem Augustini dicentis (34): « Sic potuit humana natura

(27) Boetius, l. *De duab. naturis*, etc.

(28) Ita inter alios Mag. hic, Hugo Victor., l. II *Sent.*, c. 12; Abaelardus, etc. V. in notis ad Pullum.

(29) Citat Mag., l. *De symb.*, sed paulo aliter reperitur autem inter serm. Aug., serm. 129, *De tempore* qui est *De fide recta*, sed indubitatæ auctoritatis non est hic sermo, nec forsan a catholico doctore conscriptus.

(30) Tract. 23 *in Joan.*, serm. 8, *De verb. Domin.*, *De agon. Chr.* c. 11 et 12, *De fide et Symb.*, 4, etc.

(31) Athanas., in *Symb.*

(32) Mag., III, d. 6, § B.

(33) L. *De prædest. sanct.*, c. 15, et *Enchirid.*, c. 36: Quid natura humana in homine Christo meruit, ut in unitatem personæ unici Filii Dei singulariter esset assumpta? Quæ bona voluntas? cujus boni propositi studium? quæ bona opera præcessere? quibus mereretur iste homo ut una fieret persona cum Deo, etc.? V. etiam l. XIII *De Trinit.*, c. 17.

(34) Aug., *ibid.* Mag., III, d. 7. § a. Sed quæ ibi prudens omisit, ad saturam hic discipulus propinat.

jungi divinæ, ut ex duabus substantiis fieret una A persona, et sic ex tribus constans, scilicet Deo, carne et anima. »

Quibus utrisque multipliciter objicitur : Aliqua substantia est Christus, et illa semper fuit Christus; aliqua substantia est Christus, et illa non semper fuit Christus; ergo aliqua substantia est Christus, et aliqua quæ non est illa; aut eadem substantia semper fuit, et non semper fuit Christus. Item, aliqua substantia cœpit esse Filius; nulla substantia incœpit, vel incipit, vel incipiet esse Pater. Ergo aliqua substantia incœpit esse Filius, et illa non est Pater. Ergo nulla substantia cœpit esse Filius quæ non sit Filius. Ergo aliqua substantia est Filius, et illa non est Pater. Ergo Filius alius est a Patre in substantia. Ergo et Pater a Filio. Item, illa sub- B stantia quæ cœpit esse Christus accepit omnia idiomata humanæ naturæ quæ non sunt defectus culpæ vel pœnæ. In illa igitur cœpit esse substantialis differentia, scilicet rationalitas per quam distat ab omni re alterius naturæ quam sit homo. Ergo illa differentia facit illam substantiam esse aliud a Deo, quia alterius naturæ est Deus quam homo. Ergo substantia illa est aliud a Patre secundum illam differentiam. Ergo est aliud a Filio et Spiritu sancto. Et quidquid est aliud ab una trium personarum, est aliud a qualibet.

Item, Christus secundum quod est Deus est aliquid, et secundum quod est homo est aliquid. Ergo idem vel aliud; non idem, ergo Christus secundum C quod est Deus est aliquid, et secundum quod est homo est aliud. Christus est Deus et homo. Ergo secundum quod est Deus et homo, est unum et aliud. Ergo secundum quod est Deus et homo est duo. Item, Christus secundum quod est homo, est aliud quam Deus. Ergo secundum quod est homo est aliud a Deo. Unus solus est Deus qui est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Ergo secundum quod est homo est aliud quam Deus qui est Pater, et Filius et Spiritus sanctus : et ita secundum quod est homo non est ille Deus. Item, Christus secundum quod est homo, est aliud quam Deus. Ergo secundum quod est homo est aliud quam Deus. Ergo secundum quod est homo aliud est quam Christus, qui est Deus. Ergo secundum quod est homo non est Christus, qui est D Deus.

Item, Christus secundum quod homo, est aliud quam Deus. Ergo alia substantia vel non substantia: non dicet, *non substantia.* Ergo secundum quod est homo est alia substantia quam Deus. Ergo secundum quod est homo est alia substantia quam divina. Item, Christus secundum quod est homo est aliud quam Deus, et nil est secundum quod est homo quod ipse non sit. Ergo Christus est aliud quam Deus, et Christus est Deus. Ergo Christus est Deus, et aliud. Ergo est unum et aliud. **269** Ergo duo. Item, aliqua substantia est Christus, et nulla quæ non sit illa est Christus. Aliqua substantia est Christus quæ est Pater; ergo nulla substantia est Christus quæ non sit Pater. Aliqua substantia est Christus quæ est composita. Ergo aliqua substantia composita vel habens partes est Pater. Item, una sola substantia est et Pater et Filius; aliqua substantia est Filius quæ est nata de Virgine. Ergo aliqua substantia est Pater quæ est nata de Virgine. Ergo substantia Patris nata est de Virgine. Et ita divina substantia est nata, et genita et crucifixa. Item, Christus est substantia quæ non est æterna. Christus est substantia quæ incœpit esse. Ergo est substantia quæ non est æterna. Nil est Deus quod non sit æternum. Ergo Christus est substantia quæ non est Deus.

Item, dicit Joannes Damascenus (35) : « Non est communem speciem, id est hominem accipere de Christo, sed est accipere eam de Petro. » Ergo in alia significatione dicitur de Christo quod sit homo, quam de Petro. Ergo et cum Christus sit homo, et Petrus sit homo, non est dandum sub una prolatione, *et Christus, et Petrus est homo*, vel *Christus et Petrus sunt homines* : sicut non dicitur hoc et illud sunt canes, cum in diversis significationibus conveniat eis hoc nomen *canis*. Item, Christus secundum quod est homo est aliquid, est aliqua res, aliqua substantia rationalis vel irrationalis, et ita secundum quod est homo est substantia rationalis, et ita secundum quod est homo est persona, vel tertia in Trinitate, vel alia. Si secundum quod est homo est tertia persona in Trinitate, ergo secundum quod est homo est Deus; si alia, ergo plures quam tres personæ sunt in Trinitate, quia non est Christus aliqua persona quæ non sit in Trinitate.

Item, Christus est substantia. Ergo simplex vel composita. Si simplex, ergo caret partibus. Ergo non habet partes. Non ergo habet partes animam et corpus. Si est substantia composita, ergo non est simplex substantia, aut eadem substantia est simplex et composita. Item, aliquid, quod est Deus, incœpit esse aliquid, aliquid incœpit esse Deus. Ergo Deus incœpit esse aliquid. Item, et hæc anima demonstrata anima Christi et hoc corpus heri incœpit esse aliquid, heri incœperunt constituere aliquod compositum, et sufficienter aliquid incœpit heri constitui ex his duabus partibus sufficienter illius compositi, nulla pars ante heri fuit. Ergo illud compositum heri incœpit esse, et ita aliqua substantia composita heri incœpit esse; illa est eadem Filio Dei, ergo idem Filio Dei heri incœpit esse. Ergo Filius Dei heri incœpit esse.

Item, Pater est aliqua substantia quæ est homo, et ita Pater est substantia quæ est composita cujus partes sunt anima et corpus, et ita Pater est substantia habens animam rationalem et carnem partes. Ergo Pater est homo, quia hoc est esse hominem. Item, Christus aliqua humanitate quæ est in eo, est aliquid, homo vel aliud, non aliud. Ergo

(35) Lib. III *De fide orthodox.*, cap. 3.

homo : et ita iste homo, vel alius. Si Christus aliqua humanitate est iste homo, ergo hac humanitate est hæc persona, et ita hac humanitate est Deus. Item, Christus est unum et non aliud, vel est et unum et aliud. Si dicat, est unum et non aliud, sed est Deus, ergo est Deus et non aliud; sed est homo, ergo non : si est homo, est aliud quam Deus. Si dicat, est unum et aliud, quæratur an vere dicatur et unum et aliud quam illud est Christus, et ita unum et alterum est Deus, et ita duorum utrumque est Deus, quia alterum ad minus de duobus dicitur.

(36) Sunt et alii qui aliter circa prædicta sentiunt. In incarnatione Verbi personam ex naturis compositam negant, verum etiam hominem aliquem sive substantiam aliquam ibi ex anima et carne ut partibus compositam diffitentur, sed sic, illa duo animam scilicet et carnem personæ Verbi unita esse aiunt, ut illis duobus ultimis indumento quodam Verbum Dei vestiretur et mortalium oculis appareret visibilis, qui prius erat invisibilis. Non ergo alia ratione dicitur **270** Deus factus homo, nisi quia veritatem carnis et animæ accepit, quæ in unitate personæ sibi copulavit, non quia illa duo, vel aliqua res ex illis composita, sit una persona cum Verbo, vel sit Verbum. Secundum quos hoc nomen *homo* habitum copulat vel prædicat, cum dico, *Deus factus est homo*. Quod confirmant auctoritate Apostoli : *Et habitu inventus ut homo* (*Philipp.* II). Sunt enim diversa genera habituum, sicut scriptum invenis super illum locum Apostoli : *Et habitu inventus ut homo*, ab Augustino (37). Potest etiam hoc nomen *homo* poni in designatione personæ humanatæ cum dicitur, *Deus factus est homo*, id est Deus humanatus, ut quasi quid quale notet. Quod ostendit Cassiodorus cum ait (38) : « Factus est, ut ita dixerim, Deus humanatus qui etiam in assumptione carnis Deus esse non destitit. » Licet enim factus sit vel cœperit esse Deus humanatus, non tamen factus est vel cœpit esse Deus, sicut iste incœpit heri bonus esse homo, non tamen incœpit esse homo.

Huic tamen opinioni videntur obviare auctoritates multæ. Ait enim Augustinus (39) : « Aliud Dei Filius, aliud hominis Filius, sed non alius. » Si ergo est aliud et aliud, ergo est et unum et aliud : et est unum secundum quod Deus, et præter quam quod est Deus nil est nisi homo. Ergo secundum quod est homo est aliud. Et ita in prædictas incidemus objectiones. Item (40) : « Dei Filius aliud de Patre, aliud de matre. » Item (41) : « Cum Filius et Deus sit et homo, alia substantia Deus, alia homo, » quæ omnia ad naturam sunt referenda, ut dicatur alia substantia Deus, alia homo, quia alte-

A rius substantiæ, id est naturæ est Deus, alterius secundum quod est homo, sicut et interpretatur illud (42) : « Quia forma Dei formam servi accepit, uterque Deus, uterque homo [utrumque Deus, utrumque homo], id est, in utraque natura est idem Deus et homo. » Non enim ad personam referri potest, cum non sit ibi pluralitas personarum. Nec etiam dicendum est quod utraque natura sit Deus. Est enim altera natura, id est divina, sed non altera, id est humana, sed alterius, id est humanæ. Eodem modo volo te accipere illud (43) : « Qui suscepit, et quod suscepit, una est in Trinitate persona. » Natura quæ suscepit, et quæ est suscepta, unitatem personæ, nec divisit, nec variavit. Et ita factum est ut quæ persona in divina natura erat Deus, in

B suscepta natura esset eadem persona invariata. Illud etiam quod fere in omnium ore versatur, *Manens quod erat, assumpsit quod non erat*, ad naturam debet referri non ad personam, et ita ad naturam ut non dicatur natura esse persona, sed in natura persona.

Objicitur quoque : Christus secundum quod est homo est. Ergo secundum quod est homo est aliquid, vel aliqua, non aliqua; ergo aliquid. Et ita Deus, vel aliud, non aliud; ergo secundum quod est homo est Deus; quod nemo dicit. Cujus objectionis facilis est solutio determinata multiplicitate hujus præpositionis, *secundum*, quæ quandoque notat conditionem naturæ, ut si dicam, Christus secundum quod est homo mortuus est, id est ex conditione humanæ

C naturæ; quandoque unitatem personæ, *ut*, *Christus* secundum quod homo, judicabit, vel secundum quod homo dimittit peccata, id est ipse ens homo judicabit, vel dimittit peccata; quandoque causam, ut Christus secundum quo Deus surrexit, id est quia est Deus surrexit : illa enim potentia ex divinitate fuit non ex humanitate (44). Si ergo notetur unitas personæ, verum est quod Christus secundum quod est homo est aliquid, id est ipse ens homo est aliquid. Si vero notet causam vel conditionem, falsum est; non enim humanitas facit eum quid, nisi quasi per violentiam (sicut quidam dicunt) huic nomini *aliquid* imponamus significationem aliam quam substantiæ, ut, *secundum quod est homo est*

D *aliquid*, id est *alicujus modi*, vel *alicujus naturæ*.

Item, Christus secundum quod est homo est aliud. Ergo secundum quod est homo est substantia et ita secundum quod est homo est eadem substantia quæ et Deus, vel alia : Si eadem, ergo Christus secundum quod est homo est Deus; si alia, ergo secundum quod est et Deus et homo est et una, et alia substantia.

271 Item, Christus est substantia simplex, vel composita, utrumque videtur esse verum. Nam ea-

(36) Hæc habet Magister, III, dist. 6, § F, etc.
(37) *Lib. LXXXIII QQ.*, q. 73.
(38) A Magist. etiam citatus, d. 8, § K.
(39) L. II *contra Felician.*, c. 11.
(40) Aug. sup. *ad Felician*, cap. 12.

(41) Aug., l. I *De Trinit.*
(42) Aug., I *De Trinit.*, c. 7.
(43) Aug., I *De dono persever.*, cap. ultimo.
(44) Hic prudens lector advertat hujus doctrinæ fundamentum pro consequentibus.

dem est substantia quæ et Pater. Cum ergo Pater sit substantia simplex, videtur Christus esse substantia simplex. Cum vero Christus sit homo verus et ita habeat et corpus et animam sicut et alii homines, videtur esse substantia corporea, et ita videtur habere partes sui animam et corpus. Quod et aliter ostenditur, quia Christus habet partem sui et pedes et manus carnales. Aliter enim non haberet verum corpus, sed phantasticum. Et ita est substantia composita ex partibus. Ergo, cum sit homo, habet duas partes ex quibus sufficienter constat, animam scilicet et corpus. Quod si est, inde proceditur : et anima illa et corpus illud incœpit esse et incœperunt aliquod compositum sufficienter constituere absque aliquo extrinseco apposito quod faceret tertiam partem illius compositi cum illis duobus. Ergo aliquid incœpit esse ex illis duabus partibus, et ita illud incœpit esse, cum quælibet illius pars incœpit esse, et illud modo est Deus. Ergo aliquid quod est Deus incœpit esse.

Ad hoc dicunt quod Christus, non secundum quod est homo, est substantia; nec est substantia composita, nec habet animam et corpus partes sui, licet eas sic assumpserit ut in illis appareat visibilis qui prius erat invisibilis (45). Habet quidem caput et pedes, et manus non ut partes sui, sed corpora quod ipsius est. Illud enim corpus cum sit quiddam compositum, partes habet; Christus autem cum non sit nisi simplex, partes non habet.

(46) Quæritur iterum an ille homo cœperit esse, quod videtur probari auctoritatibus sanctorum. Ait enim Augustinus (47) : « Habuit aliquando Dei Filius quod nondum habuit ipse homo Dei Filius, quia nondum erat homo. » Item (48) : « Sicut nos electi, ita ille clarificatus. Prius enim quam mundus esset, nec nos eramus nec ipse Mediator Dei et hominum Christus Jesus: » Item (49) : « Christus, etsi forte recens homo est, tamen Deus æternus est » Econtra tamen invenitur : « Puer ille creavit stellas. » Et ipse dicit : *Ego principium qui et loquor vobis* (*Joan.* VIII). Hic ergo notandum quod nomina Christo convenientia secundum humanitatem in subjecto posita maxime in designatione personæ ponuntur. In prædicato vero quandoque in designatione personæ, quandoque in designatione habitus. Sicut ergo persona illa semper fuit ita homo ille, id est persona illa humanata semper fuit, sed non semper fuit homo. Cum ergo dicitur : *Ille homo incœpit esse*, intellige hoc dictum de natura, id est secundum humanam naturam incœpit esse. Nam anima et corpus illius, quæ nomine naturæ intelligimus, cœperunt esse. Ad cautelam tamen fatuitatis nunquam sine determinatione respondendum; sed an de natura, an de persona fiat sermo contra importunitatem sophistarum, et ad satis-

A factionem minus intelligentium quoties proponitur, distinguere nequaquam est pigritandum.

Item, Christus est substantia visibilis vel invisibilis. Si substantia visibilis, ergo est substantia divina, vel non divina visibilis, si est substantia divina visibilis (non est enim substantia divina non divina visibilis : nam ita esset substantia non divina), ergo divina substantia est visibilis, et ita divina substantia videtur, et ita essentia divina videtur, tangitur, læditur, patitur, mortua est, resurrexit, et ita est incarnata et nata de Virgine. Quare ergo non est nata de Patre? Nil enim obtinet nomen Filii in humanitate quod Deus sit, quod non obtineat nomen Filii in deitate, et ita Pater genuit divinam essentiam, quod multipliciter improbatum est

B in *Tractatu Trinitatis*. Si vero dicat quia Christus est substantia invisibilis et nil est quod non sit substantia, ergo nil est quod videri possit, quod in cruce pro nobis passum, cujus morte redempti sumus; nil est Christus quod Judæi crucifixerunt : quæ omnia videntur absurda. Item, objici potest difficilius de illis proprietatibus quæ nec conveniunt animæ, nec corpori, nec divinitati, sed composito ex anima et corpore, ut **272** *loqui*. Aliquid loquitur mecum, illud scit loqui, in illo est scientia loquendi, in illa scientia est scientia creata. Aliquid ergo loquitur quod est sciens scientia creata; illud est Deus. Ergo aliquid quod est Deus est sciens scientia creata, et ita Deus est aliquid quod est

C sciens scientia creata, et ita aliquid quod videtur eadem ratione. Item, habet auctoritas : *Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc*, I). Ergo aliquid natum est de Virgine : illud est Deus. Ergo Deus est aliquid quod est natum de Virgine.

Ideo dixerunt quidam quod nomina convenientia Christo secundum humanitatem in masculino genere ad hypostasim referuntur, in neutro ad essentiam Dei. Unde recipiunt : Christus est passibilis, mortalis, temporalis, visibilis; sed non est passibile, vel mortale, vel temporale. Non tamen recipiunt : *Nil est Christus quod sit visibile*, quia prius removetur per hanc dictionem *nil*, quam ponatur per hoc nomen *aliquid*. Nam hoc nomen *aliquid* ponit essentiam, non personam; hoc nomen, *nil*,

D removet et personam et essentiam. Unde instant huic argumentationi Christus non est aliquid quod sit visibile. Ergo Christus nil est quod sit visibile. Nam idem est ac si concluderetur : Non est essentia vel persona quæ sit visibilis. Quod falsum est pro persona. Fallacia. Christus non est aliquid quod sit genitum a Patre. Ergo Christus non est essentia, nec persona, quæ sit a Patre genita.

Sed et eis objicitur sic : Christus et est sciens scientia creata, et est sciens scientia increata, ergo vel non est aliquid quod sit sciens scientia increa-

(45) Hæc perstringit Walterus a S. Victore in l. *contra 4 Labyrinthos Galliæ*.

(46) Mag., III, d. 12.

(47) Tract. 106 *in Joan.*

(48) Idem, tract. 105 *in Joan.*

(49) Idem *in Psal.* LXXXII, in med. enarrat.

ta, vel est aliquid quod est sciens scientia creata. A Fallacia. (50) Iste monachus erit albus, et iste monachus erit niger, ergo vel non erit aliquid quod erit album, vel erit aliquid quod erit nigrum, posito quod erit monachus albus et monachus niger, sed non afficietur nisi albedine. Item, Christus non est aliquid quod sit sciens scientia creata, et est sciens scientia increata. Ergo est sciens tantum scientia increata. Non ergo est sciens scientia creata. Fallacia primi. Iste monachus non erit aliquid quod erit niger; iste monachus erit albus monachus. Ergo erit tantum albus monachus. Vel ita, iste mons non est aliquid quod videatur ab illis duobus quorum unus videt unam medietatem, alius alteram. Iste mons videtur ab istis duobus. Ergo tantum ab his duobus : quod falsum est, imo etiam B ab illis. Sunt tamen qui dicunt hoc nomine *aliquid* poni personam sicut essentiam. Unde recipiunt, *Christus est aliquid quod videtur*, id est aliqua persona, et aliquid quod tangitur et aliquid quod moritur.

(51) Item, Christus secundum quod homo prædes inatus est ut sit Filius Dei, et est id, quod ut sit, prædestinatus est. Ergo Christus secundum quod homo, est Filius Dei. Istud non valet, quia non est id quod, ut esset, prædestinatus est secundum id secundum quod prædestinatus ut esset, et dicitur prædestinatus secundum quod homo, quia a Deo prædestinatum est ab æterno ut ipse existens homo esset Filius Dei. Vel de natura intelligi potest quod fuerit prædestinata, quia prævisum est a Deo, C ut illa natura Verbo Dei in unitate personæ uniretur.

(52) Item, secundum quod est homo est creatura quæ est Deus, vel quæ non est Deus : si secundum quod est homo, est creatura quæ est Deus, ergo secundum quod homo, est Deus; si secundum quod homo, est creatura quæ non est Deus, ergo secundum quod homo est aliquid quod non est Deus. Sed nil est secundum quod est homo quod ipse simpliciter non sit. Ergo Christus est aliquid quod non est Deus.

(53) Ad hoc dicendum quod Christus, secundum quod est homo, est creatura, sed non creatura quæ sit, vel quæ non sit, quia nulla relatio post illud D est admittenda, neque nominalis neque pronominalis, nisi hæc dictio *secundum* notet unitatem personæ, Item, per hoc nomen *quid* quæritur de substantia : et ad interrogationem factam de Christo per hoc nomen *quid*, congrue et vere respondetur
273 *homo*; ut, *quid est Christus ? homo*. Ergo hoc nomen *homo* substantiam significat, dictum de Christo. Per interemptionem solvitur. Non enim ad *quid est Christus*, vere respondeo *homo*.

Item, Christus est Deus et homo, quæritur an hoc nomen ibi prædicet substantiam; quod videtur posse probari ratione grammatica, aliter enim nisi utrumque substantiva poneretur significatione, et hoc nomen *Deus*, et hoc nomen *homo*, non copularentur sibi per conjunctionem; vel nisi utrumque teneretur adjective. Non enim adjectivum significatione subjecto congrue copulatur : nemo enim dicit: Iste homo est congrammaticus, sed homo grammaticus. Eadem ratione videtur dicendum, *Christus est Deus homo*, id est humanatus Deus; ut teneatur hoc nomen *homo*, adjective; non ita, *Christus est Deus et homo*, cum unum nomen substantive, alterum quasi adjective ponatur. Vel, si congrue illud dicitur, quæritur an Deus et homo fuit Christus, vel Deus et homo est Christus. Unum videtur dici incongrue, reliquum falso. Ideo dicunt quod utrumque quasi adjective ponitur, ut sit sensus, Christus est Deus et homo, id est divinæ et humanæ naturæ.

Item, regula est dialecticorum quod nomen æquivoce dictum de aliquibus, falsam facit propositionem in qua de illis sub una dicitur prolatione, ut, *Latrabile et marina bellua sunt canes;* non enim una prolatione duas potest tenere significationes: Eadem ratione cum dissimiliter dicatur *homo* de Christo et Petro, non videtur dandum, *Et Christus et Petrus est homo*. Nam de Petro substantiam (54) prædicat de Christo, habitum, imo videtur dandum, *Solus Christus est homo*, cum illi soli conveniat hoc nomen *homo* in ea significatione in qua dicitur de ipso. Sed theologi hanc regulam non semper observant, quia nec etiam dialectici, ut Aristoteles in libro *Prædicamentorum* ait : « Si quis ea vocet animalia, » loquens de vero animali et picto, de quibus æquivoce dicitur hoc nomen *animal*.

Item, Filius Dei est id solum quod solum ipse ab æterno est : ab æterno est tantum Deus, et Filius Dei est Deus. Ergo est tantum Deus. Non ergo est Deus et homo. Vel, ergo non est homo. Fallacia primi. Tu es id solum quod solum heri fuisti : heri fuisti tantum grammaticus, modo es grammaticus. Ergo es tantum grammaticus. Non : Imo etiam musicus, posito quod nunc primo sis musicus. Item, posito quod nunc primo Filius Dei sit homo, Filius Dei fuit non homo qui ipse fuit, et est; vel qui ipse fuit et non est; non dicet *qui fuit et non est*; nam inde haberetur, ergo fuit non homo qui ipse desiit esse, et ita fuit aliquid quod ipse desiit esse. Relinquitur ergo quod Filius Dei fuit. *Non homo qui ipse fuit et est*, et ita fuit non homo qui ipse est. Unde proceditur, Filius Dei fuit non homo qui ipse est, Filius Dei est tantum id quod Pater, et Pater est non homo. Ergo Filius Dei est non homo. Forte autem

(50) *V.* D. Th. III, q. 16, a 7 ad 4.
(51) *V.* Mag. III, d. 8, § E. et d. 11, § C et F.
(52) Mag., III d. 11, § A.
(53) Hic sophistarum lusus, et ampla Walterio dicendi seges, contra Petrum utrumque, Lombardum et Pictaviensem.
(54) Hic substantiam accipit pro supposito, seu pro natura ultimo completa et habente suam subsistentiam.

aliquis quærens subterfugia dicet se non teneri his cavillationibus respondere; eo quod admittuntur infinita nomina a theologis sicut a dialecticis, ut *non homo, non Deus*, et hujusmodi. Sed audiat Augustinum (55) qui utitur hujusmodi nominibus, dicendo *non genitus*, et quod plus est, *non Filius, et non Pater*; nec miretur cum audierit *non homo*. Fallacia ad prædictam argumentationem. Tu heri fuisti non grammaticus quod ipse es; tu es id solum quod heri fuisti. Tu heri fuisti non grammaticus. Ergo modo es non grammaticus. Nam quemadmodum homo quasi accidentale est cum de Deo dicitur, ita et grammaticum dictum de homine.

Item, posito quod Christus nascitur modo, aliquis homo nascitur. Ergo aliquis homo incipit vivere, et ita aliquid incipit vivere. Ergo illud non vixit, illud est Deus. Ergo id quod est Deus non vixit. Ergo non fuit vivens, et ita non fuit Deus. Eadem ratione posito quod simus in eo articulo quo mortuus est, aliquis homo moritur. Ergo aliquid moritur. Ergo aliquid desinit vivere. Ergo **274** illud vixit, et non vivet, et ita id quod est Deus non vivet; vel, aliquid desinit vivere. Ergo Deus vel non Deus. Si non Deus et unum solum desinit vivere; ergo nil quod sit Deus, et ita nullus homo qui sit Deus. Ideo dicendum quod Christus vivit vita divina quæ ipse est, qua semper vixit et semper vivet; et vita humana quæ in eo est, dum habet animam et corpus. Et quia modo solvitur compagine quæ est animæ ad corpus, modo moritur, id est desinit vivere vita humana, non tamen desinit vivere. Fallacia. Iste obliviscitur aliquam scientiam. Ergo desinit scire aliquam scientiam, et est expressum simile: nam quemadmodum dicitur Christus mori, pro altera vita, scilicet humana qua desiit vivere (unde non necessario infertur quod desierit vivere; nam hoc esset quod utraque vita desineret vivere), ita iste dicitur oblivisci aliquam scientiam quia aliquam scit quam nesciet. Non tamen modo sequitur *desinit scire aliquam*: quod non potest esse verum, nisi desinat scire omnem quam novit.

Item, Maria habet aliquam proprietatem qua dicitur mater respectu filii, ergo filius habet aliquam proprietatem qua dicitur filius respectu matris. Sed quæ est illa proprietas nisi filiatio? Ergo ipse filiatione est filius Virginis. Sed contra. Illa filiatio non est in deitate, quia nulla forma temporalis potest accidere deitati; nec est in anima, quia anima non potest esse filius; nec est in carne, quia caro non est filius, nec ibi est aliquid constitutum ex anima et carne in quo sit. Ergo ipse non est filius Virginis filiatione. Ad hoc dici potest Christum dici filium Virginis, non tamen filiatione. Sicut divina essentia est Pater, non tamen paternitate est Pater, et Deus est Creator; non tamen creatione est Creator. Fallacia primi. In creatura est aliqua proprietas qua ipsa dicitur creatura respectu Creatoris. Ergo in Creatore est aliqua proprietas qua dicitur Creator respectu creaturæ. Vel potest dici quod filiatio est in carne, non tamen caro illa filiatione dicitur filius, sed Filius Dei illa filiatione dicitur filius Virginis, sicut apparet per simile. Dicit Augustinus (56): « Accidens, quo dicitur Creator est in creatura et non in Creatore; nec tamen creatura secundum illud accidens dicitur Creator, sed Deus secundum illud Creator; sicut etiam missio temporalis qua Spiritus mittitur ad sanctificandam creaturam, est in creatura, et non in Spiritu sancto, nec tamen dicitur creatura mitti. »

(57) Item, Christus semel natus est de Patre, et semel de matre, et non eadem nativitate. Ergo duabus nativitatibus, et ita duas habet nativitates, et ita bis natus est. Ergo non quotidie nascitur æterna nativitate, aut pluries fuit ea nasciturus. Ideo dicimus quod duas habuit nativitates, et bis natus est, licet hoc ultimum quidam non improbe negaverint. Videtur enim per adverbium notari utramque esse completam.

(58) Item, potuit non assumere illam animam quam assumpsit et illud corpus. Illa duo potuerunt constituere aliquem hominem quem non constituerunt, qui homo potuit non esse Deus, et ita potuit peccare. Ad hoc dicendum quod si de persona fiat sermo, certum est quod homo ille non potuit peccare; si vero de natura, verum est quod ipsa non unita Verbo Dei (quod potuit fieri) potuit peccare; sed quod unita esset Deo et peccaret, nequaquam esset possibile.

(59) Item, Christus est filius Virginis natura humana, aut divina: non divina. Ergo humana natura. Ergo gratia. Ergo est adoptivus filius Virginis. Ergo prius fuit filius, et post adoptatus est in filium: quod falsum est. Nullo modo dicendum est quod Filius Dei sit filius adoptivus, licet sit filius Virginis gratia. Fallacia. Huic infideli confert Deus aliquam gratiam. Ergo ipse est adoptivus filius Dei. Quare autem non sit filius adoptivus dictum est quia ab initio habuit plenitudinem omnium gratiarum (*Joan.* I), quia unctus est oleo lætitiæ præ consortibus suis (*Psal.* XLIV), et requievit super eum Spiritus sapientiæ et intellectus, etc. (*Isa.* XI).

(60) Item, quidquid habet Filius Dei **275** secundum quod Deus per naturam, habet filius hominis secundum quod homo per gratiam. Sed secundum quod Deus, habet omnipotentiam per naturam. Ergo secundum quod homo, habet omnipotentiam per gratiam. Et ita secundum quod homo, habet omnipotentiam: quod falsum. Ideo nota

(55) Libro V *De Trinitate*, c. 6 et 7.

(56) Simile quid habet Aug. l. V *De Trinit.*, c. 16, etc. *V.* Mag., I, d. 30, § A. et C.

(57) Magister, III Sent. dist. 8, § B. *V.* Damas. l. III *De fide*, c. 3, in med. cap.

(58) Mag., III d. 12. § C. et D.

(59) Mag., III d. 10. § D et E.

(60) Mag., III d. 14. § C et D

quod, *habere omnipotentiam per naturam*, duo notat: et quid habeat homo, et quomodo habeat. Utriusque quorum causa est deitas. Similiter habere omnipotentiam per gratiam duo notat, unius quorum causa est humanitas, modi scilicet habendi per gratiam; sed non est causa alterius, scilicet habiti vel habendi. Non enim est causa quare sit omnipotens, sed quare ei gratia sit quod Deo est unita. Unde: si sine verbo posse dici sustineret ratio grammaticæ locutionis, unius, diceretur non repetito verbo: *Quidquid habet Filius Dei secundum quod Deus per naturam; filius hominis secundum quod homo per gratiam*, ut notaret hæc dictio *secundum* causam modi, non habiti. Unde instandum est huic argumento: Christus secundum quod homo habet omnipotentiam per gratiam. Ergo secundum quod est homo habet omnipotentiam. Fallacia. Christus incœpit habere omnipotentiam per gratiam. Ergo incœpit habere omnipotentiam. Quod autem prima sit vera, ita ostenditur: Christus habet omnipotentiam per gratiam, non ab æterno habet eam per gratiam. Ergo incœpit eam habere per gratiam.

CAPUT XI.

An Christus sapientia creata scivit omnia quæ scivit divina scientia.

(61) Cum vero Christus assumpsit animam et corpus, utriusque defectus assumpsit quos oportuit, et decuit eum suscipere omnia idiomata utriusque; unde et sapientiam (quæ proprie est in anima) habuit creatam qua sapiens fuit, et ea scivit quæcunque scit sapientia increata, quæ est id quod ipse; quia ab æterno sapiens est et Pater et Filius et Spiritus sanctus. Objicitur: Anima Christi scit quidquid Deus scit, nec potest perfectius scire quam sciat. Ergo æqualis est Deo in scientia. Ergo non in omni bono majorem habet sufficientiam Creator quam creatura. Dicimus primam argumentationem ideo esse falsam; quia licet anima Christi sciat quidquid Deus scit, non tamen adeo perspicaciter sicut Deus; et quod omnia scit, hoc ipsum habet a Deo, et ideo ei non æquatur. Sicut iste habet quotcunque, et tam pretiosa sicut ille, non tamen par est ei, in divitiis, quia hæc omnia habet ab illo.

(62) Item, quæritur an Jesus profecerit sapientia humana, et ideo magis sapiens fuerit uno tempore quam alio: quod videtur posse haberi ex dictis Evangelii: *Jesus proficiebat ætate et sapientia* (*Luc.* II). Isaias etiam loquens ait de Christo: *Prius quam sciat puer nominare patrem aut matrem, accipiet spolia Samariæ* (*Isa.* VIII). Ubi videtur innuere quod etiam Christus aliquid nescierit: quod a veritate longinquum est. Sed ita dicitur Jesus profecisse sapientia, sicut episcopus proficit in suo episcopatu, quia multi prædicatione ipsius et doctrina proficiebant; vel quia secundum hominum opinionem videbatur proficere, et ita se habebat ac si patrem et matrem ignoraret, qui tamen omnium notitiam habebat etiam super humanam sapientiam. Unde de eo dicit Jeremias: *Novum faciet Dominus super terram; mulier circumdabit virum gremio uteri sui* (*Jerem.* 31). Nam a principio nativitatis fuit vir, non ætatis, sed sapientiæ perfectione.

Item, Christus ante incarnationem erat tantum sapiens æterna sapientia, in incarnatione cœpit esse sapiens humana sapientia, nec desiit esse sapiens divina. Ergo plus fuit sapiens post incarnationem quam ante. Fallacia. Diligendus erat Deus antequam incarnaretur, tantum quia Deus; post fuit diligendus quia homo, nec desiit esse diligendus quia Deus. Ergo magis fuit diligendus post quam ante. Vel iste calefiebat **276** heri uno solo calore scilicet medicinæ; modo calefit et calore medicinæ, et calore solis. Ergo magis quam ante.

Item, quidquid scit Deus scit anima Christi, Deus scit mundum creare et animam Christi. Ergo anima Christi et scit mundum creare et se. (63) Item, Deus scit mundum creare, et anima Christi scit, vel non scit idem. Si scit idem, ergo anima Christi scit mundum creare; si vero non scit idem, ergo aliquid scit Deus quod non scit anima Christi. Ad hoc dicendum quod hoc verbum *scit* cum hujusmodi infinitivis notat habilitatem quamdam illius rei exercendæ, quæ significatur per verbum convenire rei de qua agitur. Ut *iste scit disputare*, id est habilitatem quamdam habet, secundum quam idoneus est disputare. Sed hoc non est dandum quod anima Christi sciat peccare; non enim potest peccare; scit tamen peccare, id est habet scientiam cui subjectum est omne peccatum; et scit creare mundum id est habet scientiam mundi creati, et scit creare se, id est scit qualiter ipsa fuerit creata. (64) Si vero quæratur quare animæ non est data potentia sine mensura sicut et scientia, ideo quia naturaliter capax est scientiæ, non est naturaliter capax potentiæ; et ideo illud datum est ei sine mensura cujus naturaliter est capax.

CAPUT XII.

An Christus habuerit charitatem modo viæ, vel modo patriæ: ubi determinantur quæ ad charitatem Christi pertinent.

(65) Sicut anima Christi habet scientiam sine mensura quæ est donum gratuitum, ita habet quatuor cardinales virtutes; habet etiam charitatem qua nulla est perfectior. Fidem autem et spem non habet nec habuit, quia non habuit charitatem modo viæ, sed modo patriæ, et ubi est perfecta cognitio, non est fides; similiter ubi est certitudo rei, non est spes. Sed objicitur: Christus credidit et speravit. Unde: *In te, Domine, speravi* (*Psal.* XXX), et *Credidi propter quod locutus sum* (*Psal.* CXV). Ergo

(61) Mag., III, d. 14, § B.: Dicimus animam Christi per sapientiam sibi gratis datam in Verbo Dei cui unita est (unde etiam perfecte intelligit), omnia scire quæ Deus scit.

(62) Mag., III, d. 13.
(63) Mag., III, d. 14, § B.
(64) Mag., III, d. 14, § C.
(65) Mag., III, d. 23, et dist. 26, § C.

habuit fidem et spem. Fallacia. Petrus qui est in patria credit et sperat resurrectionem corporum. Ergo habet fidem et spem. Item, Christus habuit ordinatam charitatem. Ergo magis dilexit Deum quam se, et proximum sicut se, sed ipse erat Deus, ergo se dilexit plusquam se, et proximum sicut Deum. Ergo inordinatam habuit charitatem. Item, Christus erat verus doctor et summus. Ergo quo ordine docebat haberi charitatem et eam habuit, vel non bene habuit vel docuit : sed hoc ordine docebat debere haberi, ut primo diligeretur Deus, secundo propria anima. Ergo ita habuit charitatem. Ergo plus dilexit sese Deum quam se hominem. Item, Christus faciebat quæ docebat, et econtrario, et nil docebat vel faciebat quod non facere vel docere poterat. Ipse docebat Deum plus esse diligendum quam propriam personam : Ergo plus diligebat Deum quam se. Item, Christus habuit perfectam charitatem. Ergo proximum perfecte dilexit. Ergo ad id quod se; sed non ad aliud, vel propter aliud se dilexit, nisi quia ipse erat Deus. Ergo ad hoc dilexit proximum ut esset Deus, sed impossibile erat proximum hoc esse. Ergo non sic erat diligendus. Item, Christus habuit charitatem modo patriæ non modo viæ. Ergo non habuit ad merendum, quia patria non est locus merendi, sed recipiendi. Ergo Christus non meruit charitate quam habuit. Item, Christus habuit charitatem in via ad merendum, in patria non habuit ad hoc, quia tunc non potuit mereri. Ergo ad alium usum habuit in via quam in patria.

Ad prædictorum solutionem dicendum est quod Christus neminem dilexit charitate, nisi quem sciebat prædestinatum esse ad vitam : et ordinatam habuit charitatem, in hoc quod plus dilexit se secundum quod erat Deus, quam secundum quod erat homo, et proximum dilexit sicut se, id est ad id in quo se, non tamen **277** ad omne id, nec ad hoc ut uniretur Verbo Patris in unitate personæ. Fuit autem Christus in via non eo modo quo alii homines : nam esse in via proprie est esse in itinere revertendi ad patriam, vel per pœnitentiam, vel alio modo; et tractum est a filiis Israel egredientibus de Ægypto, et venientibus ad terram promissionis, id est Jerosolymam. Nam et nos de Ægypto, id est de afflictione, vel mœrore, sive tenebris hujus sæculi exeuntes, futuram civitatem, id est Jerusalem, scilicet visionem pacis inquirimus, non habentes manentem mansionem (*Hebr.* XIII). Christus autem non fuit hoc modo in via, quia qui non recessit, non est reversus. Christus autem non recessit, quia non habuit peccatum, nec actuale nec contractum. Fuit tamen in via, id est in cursu mortalitatis et passibilitatis, quia, *Exsultavit ut gigas ad currendam viam* (*Psal.* XVIII), et, *De torrente in via bibit* (*Psal.* CIX). Qui autem non habent charitatem, in via non sunt, quia viam civitatis habitandæ non inveniunt, imo sunt in invio. Nec est mirum si Christus ex charitate potuit mereri in via, quod non potuit

A in patria. Nam etiam sic est in aliis hominibus.

Item, Christus semper habuit parem charitatem. Ergo quoscunque dilexit, pari charitate dilexit. Ergo matrem suam et Petrum pari charitate dilexit. Ergo inordinatam habuit charitatem, quia etiam inter proximos habenda est distinctio, eo quod magis diligendi sunt parentes quam alii. Item, semel dilexit charitate Petrum. Ergo et semper. Ergo et quando Petrus peccavit mortaliter. Sed tunc non diligebat Petrus Deum. Ergo tunc non erat dignus diligi a Deo. Item, Deus diligit omnem suam creaturam, qui nil odit eorum quæ fecit. Ergo diligit Judam. Ergo dilectione temporali, vel æterna: Si æterna dilectione, ergo charitate, ergo ad vitam; si dilectione temporali, ergo dilectio tempo-
B ralis fuit in Christo. Item, Christus diligit hunc electum qui modo non habet charitatem, nec est dignus diligi modo; et non diligit illum qui est reprobus, et tamen habet charitatem et est dignus diligi. Sic ergo diligit non dignum diligi, et non diligit dignum diligi; ergo inordinate diligit. Item, majorem apponit charitatem huic cui minorem præparavit coronam, quam illi cui majorem, et minimum augmentum charitatis superat omnia munera quæ in præsenti vita possunt homini conferri. Ergo magis diligit istum quam illum. Econtrario tamen ab æterno majus bonum præparavit illi quam isti. Ergo ab æterno magis dilexit; quemcunque ab æterno dilexit diligit modo. Ergo modo
C magis istum quam illum. Item, iste magis diligit Deum quam ille, et qui magis diligit debet magis diligi. Ergo magis diligitur a Deo iste quam ille, quod falsum est, quia majus præparatum est illi.

Item, ab æterno voluit Deus ut huic apponeretur gratia in tempore, et Deum apponere gratiam huic est ipsum diligere eum. Ergo Deus ab æterno dilexit istum. Non ergo ab æterno odio habuit; quod falsum est. Ipse enim ab æterno Jacob dilexit, Esau autem odio habuit. Iste autem reprobatus est, licet modo bonus. Item, Petrus aliquando fuit magis bonus, aliquando minus bonus, et auctoritas habet : *Qui plus diligit, plus diligitur;* Ergo quia quando magis bonus erat magis diligebat, et quando minus bonus erat minus diligebatur. Et Christus nunquam
C nisi charitate dilexit Petrum, ergo majori charitate aliquando dilexit Petrum, et aliquando minori. Non ergo semper parem habuit charitatem. Item Christus aliquando dilexit Judam æterna dilectione, et tunc Judas diligebat eum charitate. Ergo tunc erat Judas dignus diligi æterna dilectione. Ergo tunc erat dignus diligi a Deo æterne. Ergo et Deus tunc diligebat eum æterne.

Præmissarum objectionum difficile est sumere solutionem nisi hujus verbi *diligere*, prout de Deo dicitur, multiplex distinguatur significatio. Sciendum ergo quod hoc verbum *diligere* dictum de homine, duo potest notare : vel interiorem affectum, **278** vel exteriorem effectum. Ut cum dicitur : *Iste diligit istum*, potest intelligi quod motu pro-

veniente ex charitate movetur ad diligendum illum, quod ad interiorem pertinet affectum; vel quod ministret ei temporalia beneficia, quod pertinet ad exteriorem effectum. (66) Cum ergo dicitur hoc verbum *diligere* de Deo secundum divinam naturam, non notat motum aliquem qui sit in Deo, quia nil tale cadit in divinam essentiam, sed effectum dilectionis Dei, id est quæ est Deus, notat. Unde tot possunt huic verbo assignari significationes, cum de Deo dicitur, quot sunt effectus dilectionis divinæ, et quia sunt ejus tria notabilia signa, scilicet conservare in proprio esse; gratiam in tempore apponere; ad vitam prædestinare: cum dicitur, *Diligit istum*, si secundum divinam naturam sumitur dilectio, unum istorum intelligitur, vel quod servet in proprio esse, et ita omnem creaturam suam diligit; vel quod apponat gratiam, quod facit solis rationalibus creaturis, licet non omnibus, tamen tam electis quam reprobis; vel quod prædestinavit ad vitam, quod solis rationalibus creaturis, et hæc ultima est præcipua dilectio pro qua sola recipitur quod Deus semper dilexerit Jacob et Petrum, et ab æterno, et quando Petrus erat in mortali peccato et antequam Petrus quidquid esset prorsus. Quibus propositionibus probatur divina essentia, et subinnuitur quidam effectus in creaturis. Idem est enim: *Deus dilexit Petrum ab æterno*, ac si dicerem: *Deus est Deus cujus voluntati subfuit ut Petro in tempore apponeret gratiam, et conferret in futuro coronam.* Et propter hanc solam dilectionem dicitur Deus aliquid diligere charitate, quia neminem charitate semel dilexit, quem non semper dilexerit, et quem non ad vitam æternam dilexerit. Et econtrario propter reliquas duas dilectiones non est dicendum quod Deus ab æterno dilexerit Judam, vel irrationabilem creaturam, vel quod charitate hæc dilexerit. Imo nulla dilectione ea dilexit, nec temporali, nec æterna: quod videretur per ablativum aliquid attribui Deo. Tali autem propositione potius creaturæ fit attributio quam Creatori. Solus enim terminus ponitur, sicut cum dico, *Deus creavit omnia*, licet quidam dicant tali propositione sicut et præmissa prædicari divinam essentiam principaliter et subinnui effectum, ut sit sensus, *Deus ab æterno dilexit Judam*, id est Deus est Deus cui ab æterno placuit ut Judas esset in tempore et ei gratia apponeretur. Alii dicunt quod nec ista, nec illa aliquid probatur nisi solus terminus: qui securius incedunt licet non adeo vere.

Solet quæri de motu illo naturali quo Dominus dilexit matrem suam, an meritorius illi fuerit. Ad quod dicendum quod per se consideratus, meritorius non fuit; si vero conditus fuit charitate, meritorius exstitit. Solet etiam quæri an plus dilexerit Dominus Petrum quam Joannem. Videtur quod plus Joannem quia ipse de fonte Dominici pectoris A plenius hausit; et de ipso legitur quod, « Virgo est electus a Domino, atque inter cæteros magis est dilectus, » et ejus consobrinus fuit. Unde si Christus illum ordinem conservavit charitatis quem docet Ambrosius (67), plus tenebatur eum diligere ratione cognationis quam Petrum, cui non erat junctus linea consanguinitatis. Cum enim duodecim tantum fuerunt apostoli in ejus consortio, quinque eorum fuerunt cognati Domini. Econtrario tamen plus videtur dilexisse Petrum quia eum constituit principem apostolorum, et dedit claves regni cœlorum. Ideo dicunt fere omnes quod familiarius dilexit Joannem, plus tamen, id est majori affectu Petrum, utpote a quo plus diligebatur. Dicit tamen Augustinus super Joannem (68), per Joannem B intelligi contemplativam vitam; per Petrum activam, et ita plus dilexisse Joannem quam Petrum, eo quod plus dilexit hanc vitam quam illam. Plus tamen ad litteram dilexit Petrum quam Joannem (69). Nec enim astrictus erat Christus ordini charitatis qui observatur in via, cum ipse haberet charitatem modo patriæ.

279 Nec dicitur Joannes plenius cæteris hausisse, eo quod plura cognovit. Tunc enim forte plus dilexisset (nam qui plus cognoscit plus diligit), sed quia in mensa cœnæ propinquior erat Domino, loco, quam Petrus, qui aliquantulum erat remotus. Ideo et cum Dominus ab uno eorum se dixisset tradendum, Petrus cum non posset secreto quærere a Domino quisnam esset qui traderet eum, eo quod remotus C erat, intimavit Joanni, qui juxta Dominum sedebat, ut ab eo hoc quæreret, quod et fecit Joannes quasi inclinans se ad aurem Domini, nec propter aliud in cœna dicitur supra pectus Domini recubuisse. Imo nec etiam si plus cognovit plus dilexit, quia hoc intelligitur de his qui sunt in patria; vel ad habilitatem refertur, qui habilior est cognoscere, habilior est diligere. Patet itaque ex prædictis quod in Deo, secundum quod Deus, nullus affectus, nullus motus est, et quod neminem diligit charitate nisi prædestinatum ad vitam, sicut nec illi qui sunt in patria, nec etiam existentes in via, cui revelatum est qui sint prædestinati, qui reprobi, si forte aliquis in via habeat horum notitiam.

Sed notandum quod hoc nomen *charitas* tria si- D gnificat quæ hic necesse est distinguere; quandoque Spiritum sanctum, vel virtutem animi secundum alios; quandoque motum animi procedentem ex causa; quandoque opus charitatis, ut cum dicitur: *Majorem charitatem nemo habet*, etc. (*Joan.* xv). Christus ergo semper habuit charitatis plenitudinem, nec potuit in ea proficere aut deficere. Unde verum est quod eadem charitate, quæ nec intendi poterat aut remitti, omnes electos dilexit; quosdam tamen magis, quosdam minus secundum differentiam præmiorum quæ erat collaturus: sicut sol eodem calore, qui nec intenditur nec remittitur vergendo.

(66) *V.* Mag., d. 32.
(67) Ad illud Cantic. II: *Ordinavit in me charit.*
(68) Aug., tract. ult. in Evangel. Joan., ad finem
(69) Mag. III, d. 31, § D.

calefacit Indos et Britannos, et tamen magis hos quam illos, quia sicut non est variatio in sole, sed in regionibus secundum situm earum, ita nec in Dei dilectione, sed in diligentibus Deum (70). Potest tamen dari quod Christus majori charitate dilexit unum quam alium, id est motu charitatis intensiori movebatur ad diligendum Petrum quam Linum. Nam dispares motus charitatis fuerunt in Christo procedentes ex eadem charitate manente immobili. Verum est quod Christus aliquando dilexit Petrum quando non erat dignus diligi, et non dilexit Judam qui erat dignus diligi. Non tamen inordinatam habuit charitatem; nam *diligere* dicitur æquivoce, ut dictum est.

Si quæritur an Christus interiori motu charitatis movebatur ad diligendum Petrum, quando magis erat bonus, et conceditur, quia verisimile est, et objicitur idem de Petro, qui est in patria, quod majori motu charitatis movetur modo ad diligendum istum quam cras, quando erit minus bonus. Et ita variatur quotidie motus charitatis, in his qui sunt in patria, secundum variata hominum merita. Ad quod dicendum quod Christus non movebatur aliquo motu ex charitate ad aliquem diligendum secundum præsentem justitiam, nisi secundum eam in qua erat discessurus, et secundum quam erat remunerandus. Sciebat enim de quolibet quanto præmio esset remunerandus, et ita non variabantur motus charitatis in eo; licet unus major alio, tamen nullus major uno tempore quam alio: ita etiam de Petro.

CAPUT XIII.

An Christus pariter meruerit omnibus suis operibus.

(71) Cum Christus charitate sua mereretur, et majori motu charitatis movebatur ad diligendum matrem quam Petrum, ergo plus merebatur illo motu quam isto, quia in majori motu, majus meritum. Item, Christus non diligebat nisi prædestinatos; nos tenemur diligere et reprobos et prædestinatos. Ergo ampliorem tenemur habere charitatem quam Christus habuit. Quod potest **280** habere instantiam in his qui sunt in patria. Item, per plura opera meritoria meruit Christus in passione quam ante, et plura opera meritoria fecit. Ergo plus meruit. Item (71*) : « Nil nasci profuit nisi redimi contigisset. » Ergo redimendo plus meruit quam nascendo. Ergo hoc opere plus meruit quam illo. Quod autem unus motus charitatis fuerit in Christo intensior alio, patet quia ita fuit in motibus voluntatis : nisi enim majori motu voluntatis voluisset crucifigi (72), quam loqui Samaritanæ, non dixisset : *Desiderio desideravi manducare hoc Pascha*, (*Luc.* XXII) etc. Item, tantum meruit Christo

A uno opere quantum quolibet alio. Ergo tantum meruit loquendo mulieri Samaritanæ ad puteum, quantum et opere passionis ; sed opere passionis meruit nobis apertionem januæ, aditum paradisi, ergo et opere collocutionis. Quod autem meruit loquendo mulieri ita ostenditur : Omnis ejus actio nostra fuit instructio; omne opus quod fecit ad nostram salutem retulit. Ergo omne quod fecit ex charitate fecit. Ergo omni opere quod fecit meruit. Item, tantum meruit Christus uno opere quantum et quolibet alio. Ergo adeo sufficiens fuit unum opus illius ad nostram redemptionem quam quodlibet aliud; vel, ergo adeo necessarium fuit unum opus illius ac aliud. Item : « Ubi major lucta ibi major corona, » plus luctatus est Christus et laboravit in passione,
B quam in alio aliquo opere. Ergo plus meruit illo opere quam alio aliquo. Quod etiam ostendit Augustinus sic (73) : « Humilitas passionis fuit meritum exaltationis ; exaltatio præmium humilitatis. » Econtrario tamen probatur quod omnia opera Christi fuerunt pariter meritoria. Item, majus præmium meruit uno opere quam alio, et nullum opus ejus fuit meritorium nisi ex charitate. Ergo unum opus ejus ex majori charitate processit quam aliud. Ergo aliquando habuit majorem charitatem, aliquando minorem, et in charitate profecit et tepuit.

Ad prædicta dicendum quod Christus meruit sibi et suis, et quidquid meruit sibi a prima conce-
C ptione meruit, in qua tantam plenitudinem gratiarum habuit ut in nullo proficere posset. Unde dicit Gregorius (74) : « Non plus meruit per crucis patibulum quam ante a conceptione per gratiam virtutum. » Extunc enim meruit sibi glorificationem carnis et impassibilitatem animæ per charitatem, quam ita plene habuit quod non postea plenius (75) Nobis autem per passionis opus meruit apertionem januæ et redemptionem animarum a diabolo a peccato et a pœna, et regni reserationem, ut amota ignea rhomphæa liberc pateret introitus et deletione chirographi dati a Patre, quod nemo conspectui ejus præsentaret se, nisi tanta inveniretur in aliquo homine humilitas obedientiæ, quanta in Adam reperta fuerat superbia inobedientiæ.

D Utrum autem et ante passionem hoc meruit nobis, hic quæritur; habetur enim ex auctoritate : *Nil nasci profuisset nisi redimi contigisset.* Et ita nativitatis vel conceptionis opere nil meruit nobis, sed sola passione. Econtrario tamen sic : Quidquid fecit Christus in humana natura, ad nostram salutem inflexit et pro nobis fecit ex dilectione quam habebat erga nos, et illa dilectio nec deficere potuit, nec proficere. Ergo ex quanta charitate pro

(70) *V.* Mag., III, d. 72

(71) Mag., III, d. 18.

(71*) In cant. *Exsultet*, Sabb. sanct. in beneo. cerei paschal.

(72) Eadem habet supra dist. 3, c. 24.

(73) Aug. tractat. 104 *in Joan. V.* l. II *contra Maxim.*, c. 5, et l. III, c. 2.

(74) Hom. 6 in Ezech. Illud tamen dictum est a Magistro ad sensum Gregorii, verbis illius non expressis.

(75) Mag., III, d. 18, § A.

nobis dignatus est nasci de Virgine, ex tanta di- A gnatus est pro nobis pati in cruce. Ergo tantum meruit hoc opere nobis, quantum illo, vel neutro illorum nobis meruit. Item, tantam obedientiam tantam voluntatem patiendi pro membris habuit a conceptione quantam et quando accessit ad mortis tolerantiam. Ergo tantum meruit membris a conceptione, quantum et in passione. Ergo tantum meruit nascendo, quantum et patiendo. Item, nullum opus fecit ex majori charitate vel pro se vel pro nobis, quam aliud, et nil meritorium est nisi ex charitate. Ergo nil meruit vel sibi vel nobis aliquo opere quod non meruit quolibet alio opere.

Econtrario tamen habetur de auctoritate quod *penes parem voluntatem consistit par meritum.* Unde potest sumi quod penes dispares volun- B voluntates **281** dispar meritum: unde potest haberi, quia quam magis intensa voluntate voluit pati quam Samaritanæ loqui, plus meruit illo opere quam illo. Sed si plus meruit hoc quam illo, non ergo ex pari radice charitatis processerunt hæc opera. Item magis voluit pati quam Samaritanæ loqui, et utrumque voluit ex charitate. Ergo magis voluit hoc ex charitate quam illud. Ergo ex majori charitate voluit hoc quam illud. Non enim videtur unus motus voluntatis intensior alio, dum utrumque fit in charitate, nisi et motus charitatis, unde procedit major motus voluntatis, intensior sit illo motu charitatis unde procedit minor motus voluntatis. Quod si est, opus procedens ex minori motu voluntatis, et ex minori motu charitatis, minus meritorium est illo opere quod procedit ex majori motu charitatis, et ex majori motu voluntatis. Nam ubi major motus vel intensior sive charitatis sive voluntatis, majus est meritum. Quis autem dicet Christum pari motu voluntatis et pari motu charitatis voluisse quæcunque opera voluit, ut ita dicat omnibus operibus eum pariter sibi meruisse? Quis etiam dicet Christum unum opus voluisse majori voluntate, ut pati, et aliud minori motu voluntatis, ut Samaritanæ loqui, et tamen illa duo opera paribus motibus charitatis dilexisse? Inde enim sequeretur repugnantia. Nam quia pares essent motus charitatis in illis operibus, paria essent merita; et quia dispares motus voluntatis, disparia merita. Nam, D sicut de auctoritate habetur quod « penes parem charitatem est par meritum, » ita etiam quod penes disparem voluntatem dispar meritum. Si quis hic dignum solutione sapit, Deus hoc ei revelavit. Sufficiat ergo mihi principium dubitationis dedisse, licet splendorem solutionis non sit facile mihi, cum a nullo audierim, tradere.

Quod autem dictum est: Per plura meruit, ergo plus meruit, non valet; quia illa merita quæ in passione habuit non fuerunt majoris efficaciæ, quam illa quæ habuit a conceptione ad promerendum sibi. Sicut et per plura meruit Zachæus quam vidua, quia plura bona opera fecit, non tamen plus meruit. Quod iterum dicitur Christus habuisse luctam in passione, falsum est: libenter enim ad martyrium accessit, sicut ipse ait: *Desiderio desideravi* (*Luc.* XXII), etc. Nec si hoc verum esset, tamen sequeretur quod plus meruit, quia dictum est supra quomodo illa auctoritas exponi soleat.

(76) Item: *Christus factus est obediens Patri usque ad mortem, propter quod exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen* (*Philipp.* II). Hoc sic exponit Augustinus (77), id est Deus ab æterno providit quod ille in tempore ens homo haberet nomen quod est super omne nomen, id est Deus. Quæritur utrum hoc meruit Christus in humana natura; nam in divina nil meruit; quod videtur Apostolus velle, qui dixit, *Propter quod*, etc. Ergo Christus secundum humanam naturam meruit uniri Filio Patris, quod falsum est. Ad ejus enim excellentiam per merita nunquam potuit attingere humana natura, sed per gratiam. Ideo dicimus quod hoc non meruit Christus, sed meruit manifestationem hujus rei, quæ facta est post resurrectionem; non ante, quando purus homo putabatur, quia dicitur res esse vel fieri, quando dicitur aut manifestatur eam fieri.

CAPUT XIV.

An alicui datum sit ut fieret Filius Dei, et si Christus in humana natura meruit hoc accipere, an in divina. C

(78) Et iterum quæritur, an alicui datum est per gratiam ut esset Filius Dei? Quod si est, ergo vel naturæ, vel personæ: non naturæ humanæ, quia non natura humana est Filius Dei; nec divina, quia nil accepit per gratiam divina natura; ergo personæ datum est ut esset Filius Dei: non alii personæ quam Filio: ergo Filius Dei per gratiam accepit ut esset Filius Dei: ergo ex tempore est Filius **282** Dei, et non ab æterno. Ad quod dicendum quod Augustinus et Ambrosius videntur sibi contradicere in hac datione nominis (79). Augustinus enim aperte dicit quod Christus homo per gratiam accepit ut ipse existens homo vel subsistens in humana natura et sit, et nominetur Deus. Hoc tamen non meruit, quia non meruit humana natura uniri Verbo Dei: meruit tamen per obedientiam passionis quod sustinuit in humana natura, ut evidens fieret illum hominem exaltatum, id est divinæ naturæ unitum. Quod quidem licet verum esset ante resurrectionem, tamen incognitum erat hominibus et dæmonibus. Ambrosius tamen dicit (80) istud nomen Deo donatum, non homini. Non tamen contradicit (81), quia Augustinus loquitur de gratuita datione, quæ est ex tempore et facta est in homine: Ambrosius

(76) Mag. hic, § C.
(77) L. II *Contra Maximin.*, etc., ut supra, exstat in gloss., ibid.
(78) Mag. supra, § C.
(79) Ut supra.
(80) Auctor. *Comment.* ad cap. II *ad Philip.*, et est in glossa ad idem cap.
(81) Sic conciliat Magister supra.

de naturali datione quam ab æterno habet Filius Dei, ut sit Filius Dei per generationem. Cum ergo quærit aliquis proterve, an alicui datum sit ex tempore quod sit Filius Dei? nunquam simpliciter respondendum, ne sugillet quis arctando circa personam, vel naturam. Sed hoc respondendum, humanæ naturæ est datum, ut uniretur Filio Dei ex tempore, non dico quod esset ut ipse sit Filius Dei, Christo datum est in tempore ut ipse ens homo sit Filius Dei, non ut sit Filius Dei. Hoc enim æternum, illud temporale: hoc naturali datione habet, illud gratuita: hoc per divisionem dicitur, illud per compositionem: hoc in divina natura habet, illud in humana.

Item Christus in humana natura meruit manifestationem nominis sui secundum quod Deus, ut dicit Ambrosius (82). Cum enim ab æterno esset Filius Dei, non tamen ante passionem, etiam secundum quod erat Dei Filius, manifestum erat quod esset Filius Dei: et hoc manifestum est per passionem: ergo in humana natura meruit aliquid quod recepit in divina natura. Meruit enim per passionem ut notum fieret non tantum de humana quod esset unita Deo (quod non erat cognitum licet foret verum), imo etiam quod Filius Dei esset Filius Dei Patris, quod licet ab æterno foret verum, erat tamen incognitum, quod tunc nihil sciebatur de Trinitate ante adventum Christi. Ad quod dicendum quod, etsi Deus hominibus per cultum innotuit, non ideo aliquid ei accrevit. Si enim Christus modo a nullo coleretur secundum quod Deus, non ideo aliquid ei accresceret, nec minus beatus esset. Ipse enim est Deus qui non mutatur, nec bonorum meorum eget, nec in se exaltatur, sed in te quod est potius te exaltari in illo. Nihil ergo accrevit divinæ naturæ per passionem Christi, licet Trinitas manifestaretur quæ prius erat omnino ignota hominibus.

Item quæritur an Christus meruerit vitam æternam? Quod videtur, quia erat homo in via positus et adultus, et charitatem habens qua merebatur. Ergo et vitam æternam merebatur. Item, non potuit Christus esse homo qualis fuit, scilicet mortalis et passibilis, nisi haberet virtutes, et non potuit eas habere otiosas, existens mortalis et passibilis, habens plenitudinem virtutum, quin mereretur, quod quidem non est dubium: sed non ideo merebatur vitam æternam quam habuit, ex quo homo fuit, quantum ad fruitionem visionis Dei: sed non statim habuit immortalitatem quam meruit post: tamen etiam tunc meruit illam fruitionem visionis Dei quam cito fuit. Charitatem sine mensura habuit, et statim cooperatum est liberum arbitrium ejus. Ergo statim processit motus ex charitate et libero arbitrio erga Deum et proximum. Non enim habuit charitatem ut parvuli in habitu et non in usu, cum a Conceptione fuerit vir, ut dictum

A est supra, non ætatis perfectione, sed omnium naturalium et gratuitorum usu et plenitudine. In corpore enim aliquid accrevit ei, in anima nihil nisi impassibilitas quam habuit, vel statim quando separata fuit anima a corpore, vel in resurrectione. Videtur ergo Christus illo motu dilectionis erga Deum meruisse fruitionem visionis Dei quam et statim habuit, ut simul **283** fuerit et præmium et meritum sicut in angelis.

Econtrario tamen videtur illam fruitionem visionis Dei habuisse non ex meritis sed gratis. Cum statim frueretur visione Dei ex quo fuit, sicut si statim ex quo fuit haberet carnem immortalem et impassibilem, sicut statim contemplatus est Deum plenissime, quis diceret Christum ex meritis habuisse illam immortalitatem? quod tamen et sic etiam haberet immortalitatem potest ostendi. Nam illam immortalitatem et glorificationem carnis ita meruit per passionem, quod etiam operibus virtutis meruerat eam a Conceptione, licet non sequeretur passio, quia non ipsa passio meritoria fuit nisi ex charitate, nec aliquid accrevit meritis illius per passionem quoad virtutem merendi, sed quoad meritorum. Quid ergo prohibet ipsum statim accipere præmium illud, id est glorificationem carnis, ex quo fuit homo? et habuit virtutes quarum operibus illam glorificationem meruit, ut simul essent præmium et meritum tempore, licet meritum præcederet naturaliter, sicut in angelis simul fuit meritum confirmationis et præmium, sicut etiam in quolibet peccante mortaliter simul est meritum pœnæ, id est culpa, et pœna, id est privatio a summo bono quæ est para pœnæ debitæ mortali peccato; et ita habebitur quod Christus de plenitudine gratiarum quam habuit, cooperante libero arbitrio, potuit primo quo fuit momento habere omnia quæ post resurrectionem habuit, scilicet carnem glorificatam, animam impassibilem; et tunc totum de meritis haberet non præcedentibus tempore sed natura. Quod si impossibile est hæc omnia habuisse eum a Conceptione quin haberet de gratia; ergo et a simili, cum statim ex quo fuit frueretur visione Dei, de gratia tantum habuit hoc non de meritis, maxime cum tantam cognitionem divinæ majestatis consequi non posset anima ipsius, nisi unita esset Verbo Dei. Imo si meruit illa anima statim habere illam cognitionem Dei sine mensura, cum sine mensura habere non posset, nisi Verbo Dei esset unita (si enim pura creatura esset, semper in cognitione proficere Christus homo posset). Ergo meruit illa anima statim uniri Verbo Dei, cum fere idem sit habere cognitionem Dei sine mensura, et esse unitum Deo, nec istud sine illo haberi possit. Item, ipse Christus erat vita æterna vivens cum Patre ab æterno, quomodo ergo de meritis debebatur ei vita æterna, nisi de meritis ei debebatur quod Deo uniretur? Horum solutionem mihi scribere non

(82) Amb. in Com. ad cap. II ad Philipp. et est in glossa ad idem cap.

esset pigrum, cum hoc sciam et mihi et aliis necessarium, nisi quia tutiorem novi affectum vera inquirendi quam incerta pro certis sumendi. « Sic quæramus tanquam inventuri, sic inveniamus tanquam quæsituri; de credendis nulla infidelitate dubitemus, de intelligendis nulla temeritate affirmemus. »

Illud ergo potius quæramus, an Christus meruit nobis vitam æternam? Quod si est, cum non magis quam patiendo eam nobis meruit; ergo meruit vitam æternam Petro quando Petrus in mortali peccato erat: tunc enim negaverat Christum; ergo dignus erat vita æterna propter merita Christi, et indignus propter sua. Ergo simul dignus et indignus. Item, tunc Christus meruit vitam æternam habere; ergo Abraham non jam meruerat eam sibi. Item, Christus meruit vitam æternam huic qui modo est in via, et habebat eam, et impossibile est Christum defraudari de meritis suis, et necesse est Christum tunc meruisse huic vitam æternam; ergo necesse est [Christum (hunc *vel* ipsum)] habiturum esse vitam æternam: ergo impossibile est ipsum esse damnandum. Item, Christus omnibus membris meruit vitam æternam, et ex pari charitate fuerunt omnia ejus merita. Ergo omnibus membris suis meruit parem coronam. Item, merita Christi fecerunt omnes bonos quotcunque fuerunt futuri boni, et propria eorum merita fecerunt eos bonos. Ergo Christi merita magis quam illorum, vel minus, vel æque fecerunt eos bonos.

Ad hoc dicendum quod Christus nemini meruit vitam æternam nisi **284** sub hoc sensu, id est *merita Christi fuerunt causa efficiens quare singulorum merita essent eis sufficientia ad vitam æternam.* Nostra enim merita nequaquam nobis sufficerent ad vitam æternam obtinendam, nisi præcessissent vel subsequerentur merita Christi: et animadverte quomodo sit. (83) Decrevit nullum Deus introduci ad conspectum divinæ majestatis, nisi tantam in uno homine reperiret obedientiam, quantam in primo repererat inobedientiam; sed in nullo nisi in Christo reperta fuit illa consummatio justitiæ: nam omnes peccaverant in primo parente et damnati fuerant, et apostataverant a radice. Nullius ergo merita sufficiebant ad delendum illud decretum, quia nullus repertus fuerat tam humilis quam superbus fuit Adam; aliquatenus tamen juvabant eos eorum merita, ut scilicet vitarent gehennam, sed non ad hoc ut amoverent ab introitu paradisi igneam rumphæam, ut se ad divinæ majestatis intromitterent præsentiam. Sed Christus homo sufficiens fuit, et perfecta hostia multo amplius humilis et obediens quam Adam superbus et inobediens; et ideo in eminentiori loco nos collocavit, quam fuit ille a quo nos Adam per peccatum expulit. Quod ergo quæritur an merita Christi magis faciant nos bonos quam merita nostra? non est recta comparatio, quia me-

(83) Ita Magister ex D. Ambrosio., dist 18, § e.
(84) Ita Mag. hic, § d.
(85) Mag., III, dist. 17.

A rita nostra faciunt nos bonos per sua; sicut si dicatur: Deus magis justificat me quam mea justitia; vel, medicus magis curat me, quam medicina.

Si quæratur an Christus parvulis, qui nulla habent merita, meruit vitam æternam, dari potest simpliciter; adultis tamen non meruit eam, nisi sub præmisso sensu: meruit tamen passione sua, ut si quis baptizaretur, nulla injungeretur satisfactio pro anteactis peccatis, quod ipse in passione omnium membrorum peccata tulit ad delendum, et satisfactionem pro illis agendum, et aquæ baptismi rubricatæ sunt Christi sanguine. Sicut si ego meruerim omnium membrorum meorum mutilationem pro aliquo peccato, et abscindantur mihi duæ aures pro illa multitudine pœnarum, et dicat aliquis:
B Debes puniri in singulis membris pro peccato quod commisisti. Respondebo quod non debeo; quia in capite passus sum omnium pœnam quando aures abscissæ sunt. Ita et Christus caput nostrum pro omnibus nobis pœnam portavit. Unde si in baptismo injungeretur satisfactio pro peccatis, non videretur satisfecisse mors unica Christi ad redemptionem nostram, cum baptismus gerat figuram mortis in multis, et ab eo efficaciam contraxit. Quæritur etiam an Christus sine omni merito potuit habere bona ista animæ et corporis? Ad quod dicendum (84), quod non potuit esse homo mortalis quin haberet virtutes, et non potuit habere virtutes quin haberet non otiosas, et non potuit habere non otiosas
C quin mereretur; ergo non potuit esse homo mortalis quin mereretur; potuit tamen sine meritis habere quod habet, sed tunc non esset talis homo qualis fuit scilicet passibilis et mortalis.

CAPUT XV.

De voluntate quam habuit Christus secundum sensualitatem.

(85) Cum sit datum quid Christus secundum animam vel secundum corpus meruit, et ex quo, antequam dicatur quid nobis meruerit et quando, inquirendum est an Christus bona naturalia habuit in anima sicut cæteri homines? ita enim postulat ordo. Cum enim superior tractatus docuerit Christum assumpsisse idiomata humanæ naturæ, quæ decuit eum suscipere, et ostensum sit eum
D habuisse plenitudinem gratuitorum, quibus nullum excellentius munus a Deo in præsenti vita conferretur, unde maxima bona dicuntur (86), descendendum est ad media bona, quæ secundum obtinent locum post ista, ut sunt ingenium, ratio, memoria, intellectus. Habet igitur anima Christi rationem et sensualitatem. Rationem secundum **285** utramque sui partem et superiorem et inferiorem; non quod anima, quæ est res simplex, partes habeat, sed quia causa facilioris intelligentiæ, quasi in partes eam dividimus: sensualitatem etiam habuit Christus juxta superiorem partem ex

(86) Ab Augustino l. I *Retract.*, c. 9, et l. II *De lib. arb.*, cap. 19.

qua procedunt motus defectuum ut fames, sitis, et hujusmodi; sed non habuit eam secundum inferiorem partem, ex qua procedunt motus illicitorum, id est superbiæ, libidinis, iracundiæ, quorum omnium expers fuit divina essentia. Non enim plene aliquem statum assumpsit, sed de singulis aliquid: (87) de primo immunitatem peccati; de secundo pœnalitates; de tertio plenitudinem virtutum; non quod omnes habuit virtutes, quia non fuit in eo fides, vel spes, ut dictum est, vel contritio, aut pœnitentia, sed quia nullam quam habuit, plenius habere potuit; de quarto, non posse peccare, et perfectam Dei contemplationem. Habuit igitur Christus duas voluntates, unam secundum rationem, alteram secundum sensualitatem qua voluit non mori cum dixit: *Pater, si fieri potest* (*Matth.* XXVI; *Marc.* XIV), etc., sed alteri eam subjecit, cum subjunxit: *Verumtamen non sicut ego volo; sed sicut tu vis* (*ibid.*).

Sed objicitur, Christus voluit non mori, Pater voluit eum mori; ergo Christus voluit aliquid dissonum paternæ voluntati. Item, anima Christi confirmata fuit sicut angeli. Ergo aut angeli voluerunt diversa, aut Christus non voluit diversa. Item, Christus non mori voluit, et quidquid voluit, voluit, Deo auctore. Ergo Deus voluit eum non mori. Ad hoc dicendum quod in Christo secundum humanam naturam duæ fuerunt voluntates sicut in quolibet alio homine, sed cum illarum duarum semper una famuletur et altera dominetur, illud simpliciter dicitur homo velle quod vult, voluntate dominante, sive bonum sive malum, reliqua non dicitur velle simpliciter, sed cum adjuncto. Unde, cum Christus voluntatem sensualitatis voluntati rationis subjecerit, dicimus ea eum non voluisse non mori, licet hoc voluerit secundum sensualitatem.

Item, Pater voluit Christum velle, sed secundum sensualitatem; ergo justum erat Christum velle hoc; ergo Christus juste voluit hoc. Ergo de ratione voluit hoc, non de sensualitate.

Nota ergo quod hæc propositio *de ratione voluit hoc*, duo significat, id est: *Motus quo voluit fuit rationis*, falsum est, imo sensualitatis; si vero ita *de ratione*, id est *ratio efficiebat ut secundum sensualitatem hoc vellet*, verum est. Item Christus retribuit calicem salutaris, et illa retributio fuit bonum. Ergo quidquid ei fuit contrarium, fuit malum: sed voluntas Christi qua voluit non retribuere fuit ei contraria. Ergo mala. Dicimus quod non simpliciter dicitur voluntas, nisi quæ est rationis.

Item, Christus petiit quod erat petendum vel non; si quod erat petendum, ergo meruit audiri. Ergo injuste actum est cum eo si non est auditus. Si quod non erat petendum, petijt; ergo inordinate. Ergo peccavit. Item, nullus motus est meritorius, nisi procedat ex ratione et gratia; motus ille sensualitatis quo petiit non mori, non fuit procedens ex

A ratione; ergo non fuit meritorius, quia non fuit informatus charitate quæ non informat sensualitatem, sed liberum arbitrium quod consistit in ratione et voluntate. Ergo eo non merebatur exaudiri. Item, Christus petiit illo motu contrarium nostræ redemptioni; ergo nostræ saluti, et quod impediebat officium ad quod missus fuerat. Ergo non erat in hoc exaudiendus. Econtrario, *omnis Christi actio nostra fuit lectio*, omne quod dixit, voluit, fecit, ad nostram salutem retulit; ergo et istud. Ergo ex charitate hoc petiit. Item, ipse dixit discipulis: *Quidquid petieritis in nomine meo, dabit Pater vobis* (*Joan.* XIV), et ipse multo beatior fuit illis, et hoc petiit in nomine Christi. Ergo exaudiendus fuit. Si dicatur quod in nomine Christi hoc petiit, ergo non B per Christum. Ergo inordinate, quia omnis oratio quæ non fit per Christum peccatum est sic oranti, sicut oratio Judæ. Unde etiam in fine orationis semper dicitur, *per Christum*, qui **286** est mediator Dei et hominum, et interpellat pro salute eorum.

Ad hoc dicendum quod Christus petiit quod erat petendum, et non injuste actum est cum eo, quia majus bonum erat ipsum mori quam non mori; et ideo ut majori bono donaretur non est exauditus in minori bono. Sicut juvenis qui petiit a Domino ut sineret eum patrem suum sepelire (*Luc.* IX), non est exauditus ut majus bonum ageret, id est ut Christum sequeretur; et Apostolus qui petiit a se removeri stimulum Satanæ non est exauditus (*II Cor.* C XII), quamvis bonum peteret; quia melius fuit non removeri. Ergo Christus nil merebatur, motu illo proveniente ex sensualitate. Nullus enim motus meritorius est nisi ex gratia et libero arbitrio; meruit tamen motu voluntatis qui ex ratione venit quo se illud velle voluit.

Item, Christus voluit se non mori, et non est reprehensus; Petrus voluit Christum non mori, et est reprehensus. Ergo amplior perfectio exigebatur a Petro, quam a Christo. Non est verum. Quia Petrus volebat hoc voluntate rationis, Christus autem voluntate sensualitatis quam subjiciebat voluntate rationis. Fallacia. Iste perfectus in die jejunii vult comedere et non reprehenditur, iste imperfectus non vult comedere et reprehenditur. Ergo amplior D perfectio exigitur ab imperfecto quam a perfecto.

Item, Christus voluit non mori secundum sensualitatem, et voluit mori secundum rationem. Ergo caro concupiscebat in eo adversus spiritum; sed nonnullum peccatum est quando hoc fit, ut dicit Augustinus (88): Ergo peccatum fuit in Christo. Ideo dicendum quod non dicitur caro concupiscere adversus spiritum, nisi quando anima sentit motum de re illicita quam contrahit ex carne secundum sensualitatem, et hoc non fuit in Christo. Ideo non concupiscebat in eo caro adversus spiritum.

Item, Pater misit Filium ut pro nobis pateretur; ergo illa passio fuit opus obedientiæ. Ergo opus de-

(87) Hæc doctrina est Mag., III, dist. 16, § b.

(88) Lib. X *De Genes. ad litter.*, cap. 12.

bitum, non ergo solius voluntatis. Ad quod dicimus quod opus debitum dicitur quod homo facturus est, velit, nolit; dicitur etiam debitum quia ex voluntate facit, et ita fuit debitum in Christo.

CAPUT XVI.

An voluntas Christi secundum rationem convenerit cum voluntate Judæorum qui optabant ejus mortem?

(89) Postquam dictum est de voluntate Christi secundum sensualitatem, dicendum est de voluntate Christi secundum rationem; sicut ergo illa voluit non mori, ita hac voluit mori. Sed objicitur: Christus voluit mori, et Judæi eum voluerunt mori. Ergo voluntas Judæorum consonabat Christi voluntati, quod falsum est. Nam ille ex charitate, illi autem ex odio. Fallacia. Christus vult patrem istius mori, et filius ejus vult idem, ut succedat ei in hæreditate. Ergo voluntas hujus est consona voluntati Dei, falsum est: vel, Deus voluit destructionem Jerusalem, et eamdem voluit Nabuchodonosor. Ergo hujus voluntas concordabat voluntati divinæ.

Item, bonum fuit Christum crucifigi a Judæis, et non poterat crucifigi a Judæis quin Judæi ipsum interficerent; ergo bonum fuit Judæos interficere Christum; ergo bona fuit eorum actio, et ita meritoria. Item, Pater voluit Christum crucifigi a Judæis, et sciebat quod non poterat ab eis crucifigi quin ipsi eum interficerent. Ergo Pater voluit Judæos interficere Christum. Ad hoc dicendum quod hæc propositio, *Pater voluit Christum crucifigi a Judæis*, dupliciter potest intelligi. Si enim intelligas, *voluit eum crucifigi*, id est sustinere illam passionem quæ a Judæis inferebatur, verum est. Si vero voluntas referatur ad modum illius passionis vel ad actionem Judæorum, falsum est. Fallacia ultimi. Tu velles aliquo modo esse Romæ, et scis quia non potes aliquo modo esse Romæ, **287** quin sis Romæ. Ergo tu velles esse Romæ. Vel: Iste vult se pœnitere de peccatis et scit quod non potest pœnitere de peccatis quin peccaverit; ergo vult se peccasse. Vel ita: Deus vult se dare hoc spirituale huic Simoniaco, et scit quod non potest dare quin ille accipiat. Ergo vult illum Simoniacum hoc spirituale accipere.

Item, quidquid vult Pater voluntate quæ ipse est, est justum voluntate quæ ipse est; voluit Pater Christum mori; ergo justum fuit Christum mori; ergo meruit mori, quod improbatur, quia innocens erat; ergo mortem non meruerat. Ergo injuste cum eo actum est, quando crucifixus est. Ideo dicendum quod quando ponitur hoc nomen *justum*, vel hoc verbum *meruit* cum hoc verbo *crucifigi*, hujusmodi suspecta est junctura locutionis, nec est concedendum, ne videatur Christum meruisse mortem aut passionem illam quam sustinuit, et instandum est per expositionem. Sic ergo meruit crucifigi vel mori.

Item, Pater *voluit* Christum mori, ergo voluit eum mori cum peccato Judæorum, vel sine peccato eorum. Si cum peccato, ergo voluit peccata eorum; si sine peccato, et non est mortuus sine eorum peccato, ergo aliud voluit quod factum non est. Item, Pater voluit Christum mori, ergo juste vel injuste. Si voluit eum mori juste, ergo aliquid non factum est quod voluit, quia non est mortuus juste. Si injuste, ergo voluit injustitiam eorum. Item, quia voluit Pater Christum mori cum peccato Judæorum, ostenditur quia petiit *Pater si fieri potest* (*Matth.* XXVI), etc., id est si fieri potest ut fiat salus gentium sine excæcatione Judæorum, fiat. *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis* (*ibid.*), id est *fiat sicut ego volo voluntate rationis*, scilicet ut fiat salus gentium cum excæcatione Judæorum; ergo Pater voluit excæcationem Judæorum, ergo peccata eorum. Ad hoc dicendum quod Pater non voluit Christum mori cum peccato, vel sine peccato, quia, utraque falsa. Sed hæc est vera: *Non voluit eum mori cum peccato*, et hæc: *Non voluit mori sine peccato*. Si autem dicatur, voluit eum mori cum peccato vel sine peccato, falsum est. Idem dicendum est de *juste* vel *injuste*. Si vero quæratur an voluerit excæcationem Judæorum; si excæcatio accipiatur passive, verum est quod voluit eos ita puniri justa et rationabili causa, sed occulta.

Item, Deus Pater voluit Christum mori, ergo potuit illud rationabiliter præcipere; ergo aliquis potuit illud præceptum implere ex charitate. Ergo potuit interficere Christum ex charitate, et ita sine mortali peccato. Quod si contrarium dicatur, sic contra: Deus voluit aliquid quod non *potuit fieri* sine mortali; ergo voluit mortale peccatum. Ad hoc dicunt quidam quod sicut Abraham mereretur si Isaac ex præcepto Dei immolasset, ita mereri poterant Judæi Christum interficiendo. Si hoc Pater præcepisset, et nisi impleretur præceptum hoc, fecissent male. Si vero quæratur an poterat aliquis mereri præmium, interficiendo Christum ut Dei Patris voluntatem perficeret sine præcepto, non ex rancore animi interficiendo, non sufficimus respondere.

Item, Christus voluit dicta omnium prophetarum esse vera. Ipsi prædixerunt Judæos crucifixuros Christum: ergo hoc voluit Christus. Ergo voluit peccata eorum. Ad hoc dicunt quod nomen *dictum* quandoque significat eventus rerum quos prædicebant prophetæ, quos nunquam voluit Christus evenire si peccata erant: quandoque idem est *dictum* quod dictio, id est locutio illa per quam significabantur illi eventus: quas quidem locutiones voluit esse veras, quæ tamen non poterant esse veræ, nisi illi eventus contingant, quos quidem non voluit Christus; et habes simile in prædictis. Item, possemus hic quærere an Christus voluerit se dicere

(89) Mag., III, dist. 20 et lib. I, dist. ult.

verum cum dixit (90): *Ter me negabis, Petre,* et an Jeremias volebat illud esse verum quod Ananias falsus propheta prædicebat, et ita se prophetasse falsum; et an possibile erat genus humanum non esse redimendum, et ita **288** nec Abraham ante adventum Christi, nisi hæc superius essent determinata.

Item, apostoli digni fuerunt pati pro nomine Christi; ergo fuerunt digni pati. Ergo meruerunt pati et mori et similia. Quare ergo et Christus non similiter meruit? Non enim habebant apostoli mortalia peccata unde mererentur [*subaudi* pati], sicut nec Christus. Quod autem apostoli digni fuerunt pro nomine Christi pati, habes ex auctoritate illa: *Ibant apostoli gaudentes* (*Act.* v.), etc. Ad hoc dicendum quod hoc nomen *dignum* quandoque notat dignitatem, et secundum hoc verum est quod apostoli fuerunt digni pati pro nomine Christi: nam hoc erat summa dignitas eis qui pro Christo flagellabantur. Quandoque hoc nomen notat merita. Et secundum hoc non verum est quod fuerint digni pati, quia non meruerunt pati, imo honorari. Simpliciter ergo dandum quod fuerint digni pati pro Christo, non tamen fuerunt digni pati, impediente æquivocationis fallacia, et ea quæ est secundum quid et simpliciter. Fallacia. Iste est albus secundum dentes. Ergo iste est albus.

Item, Petrus punitus est plus quam meruit, ergo solvit quod non rapuit. Verum est quod Christus non habuit culpam nec contractam, nec actam; et solum pœnam, quæ nonnisi ex culpa solet provenire, et ita solvit quod non rapuit, quia habuit saccum, et non meritum sacci, et ipse solus; quia, cum apostoli fuerint puniti, solverunt quæ rapuerunt, quia nemo fuit immunis a peccato, etsi plus puniti sunt quam meruerunt, non solverunt quæ non rapuerunt, quia hoc non est solvere quod non est raptum, cum illa pœna fuerit illis augmentum coronæ. Quod enim apostoli meruerunt pœnam, licet non tantam, habetur super locum Canticorum: *Dilectus meus candidus et rubicundus* (*Cant.* v). Christus sola dilectione passus, alii ex merito.

Item, Christus passus est pro peccato, Petrus pro Christo; ergo dignior fuit causa passionis Petri, quam Christi; ergo plus meruit Petrus quam Christus. Dico quod dissimiliter accipitur *pro;* Petrus passus est pro Christo habendo, non pro ejus necessitate, Christus pro Petro liberando, et etiam pro se exaltando. Habes enim super Matthæum quod pro se et Petro solvit didrachma (*Matth.* XVII), sed aliter et aliter, sicut ibi distinguitur. Item, mors Christi causa fuit nostræ salutis, nostra salus erat optanda; ergo et quidquid erat causa illius; ergo et mors Christi: sed econtrario, Christus innocens erat, ergo ejus mors non erat optanda.

Item, gaudendum erat de morte Christi: ergo ea A die qua mortuus est deberet ostendere Ecclesia cuncta argumenta lætitiæ, quod falsum est; quia ea die silent campanæ et laus angelica, celebratur jejunium in mœrore et afflictione. Ad hoc dicendum quod optanda erat mors Christi propter nostram salutem, non propter angustiam quam optabant ipsi Judæi; et tamen die mortis suæ argumenta doloris ostendimus ut repræsentemus luctum apostolorum qui *tristes erant de nece sui Domini;* et ne Ecclesia scandalizaretur ab infidelibus, si nobis ea die exsultantibus improperent mortem et angustiam, et passionem quam pro nobis sustinuit Dominus; et propter dolorem quem in cruce sustinuit, celebratur jejunium in uno ferculo solo, quia ea die unum solum, latronem scilicet, Ecclesiæ incorporavit, sicut ipse B dicit: *Singulariter sum ego, donec transeam* (*Psal.* CXL). Si vero quæratur an similiter gaudendum sit de passionibus martyrum, dicendum quod nullius sancti passio tantum nobis profuit quantum mors Christi, et ideo non est ita gaudendum de eorum morte. Est tamen etiam gaudendum, quia propter hoc fecundatur Ecclesia, et multiplicatur proles. Unde, *sicut crassitudo terræ erupta est super terram* (*ibid.*) Unde pium est gaudere de martyrio, et pium est flere martyrium.

Solet etiam quæri an Christus martyr fuerit, quod videtur probari auctoritate illa (91): *Filiæ Jerusalem venite et videte martyrem in diademate quo coronavit eum mater sua.* Quod si est, cum ipse passus est et C ante beatum **289** Stephanum, non est beatus Stephanus protomartyr. Ad hoc dicendum quod hoc nomen *martyr* præter has tres significationes in quibus dicitur martyr, maceratione carnis, compassione proximi et effusione sanguinis, habet et alias significationes. Nam martyres dicuntur qui pro veritate mortui sunt, ut Isaias, Jeremias et Joannes; et qui pro lege Dei, ut Machabæi, et qui loco Christi, ut Innocentes; et qui pro necessitate hominum, et qui pro testimonio Christi, qui testabantur verum Deum et hominem, ut Stephanus; et hi proprie dicuntur martyres, id est testes, quia non certius potest quis testari mortem Christi, quam semetipsum exponendo morti. Quid enim majus potest homo? Et ideo Stephanus dictus est D protomartyr, quia ipse primus pro hoc testimonio mortuus est.

Item, opus Judæorum fuit tantum malum, opus Christi fuit tantum bonum; ergo vel passio Christi non fuit opus Judæorum et Christi, vel, id opus fuit bonum et malum. Item, Judæi fuerunt auctores passionis Christi, ergo fuerunt auctores cujusdam maximi boni; non ergo solus Deus. Vel, si Judæi fuerunt auctores, et Deus auctor; ergo non sunt judicandi rei. Ad hoc dicendum quod Deus fuit auctor passionis Christi, et cujuslibet molestiæ quæ corpori ejus inflicta est; et eadem passio opus

(90) *Matth.* XXVI; *Jerem.* XXVIII. Vide sup. c. 1 hujus distinct., seu partis.

(91) Desumpta ex *Cant.*

Judæorum, sed alio modo non auctorum, sed actorum, vel ministrorum, quia ex eorum actione provenit tale opus quod est opus Dei proprie et principaliter. Alia actio fuit Judæorum, quæ fuit mala per malam intentionem; et alia Christi propter bonam voluntatem bona. Unum tamen opus ex illis proveniens, scilicet passio quæ est maximum bonum. Si ergo ad actum aspicias, diversa sunt actus Christi et Judæorum; si ad rem actam, idem fuit opus hujus et illorum. Unde dicit Augustinus (92): « Diversa intentio diversa facta, cum sit una res ex diversis factis. » His ita determinatis, non est quid objiciatur, cum etiam possis te munire simili, quia illius miseriæ, quam passus est Job, Deus fuit auctor, diabolus minister; et demeruit diabolus eum ita affligendo, cujus tamen B miseriam Deus volebat. Similiter in subversione Jerusalem quæ placebat Deo, displicebat tamen actio Nabuchodonosor, quæ mala erat informata intentione, ita etiam est in spoliantibus Ægyptios.

Item Judæi zelo legis Christum crucifigebant, et putabant se obsequium præstare Deo, et hic erat finis actionis eorum, ergo et actio bona, quia, cujus finis est bonus, ipsum quoque opus bonum est. Hujus objectionis solutio sumenda est ex prædictis, ubi dictum est, omnes actiones judicandas esse bonas aut malas per finem, exceptis his quæ in se malæ sunt, quas nullus bonus finis commendat. Licet enim iste furetur ut alat patrem, et ita pro- C ponat bonum finem, non tamen immunis est a crimine. Talis fuit actio Judæorum: licet proposuissent bonum finem, tamen malum erat interficere magistrum et innocentem, præcipue cum audissent Messiam promissum fuisse in lege, et si ignorabant, crassa erat ignorantia. Nam hoc ab ipso Christo didicisse poterant. Quidam tamen plus peccaverunt aliis qui ex invidia hoc fecerunt.

Item, dicit Apostolus: *Si agnovissent, nunquam regem gloriæ* (*Rom.* I), etc. Ergo per ignorantiam excusari poterant, cum ipsi nescirent eum esse Messiam. Ad hoc dicendum quod si dæmones scirent eum esse Deum vel Dei Filium, nunquam crucifigi suggessissent. Quod enim alibi legitur dixisse in legione: *Quid nobis et tibi, Fili David? Venisti* D *ante tempus torquere nos* (*Matth.* VIII). Magis suspicando hoc dixerunt quam asserendo. Majores, etiamsi putarent eum esse Deum vel Dei Filium, nunquam crucifigerent, sed putabant eum esse Messiam quem credebant esse futurum purum hominem, quod etiam adhuc credunt, et ex invidia, et quia videbatur destructor legis, crucifixerunt. Messiam vero vel Dei Filium, vel Deum minores non æstimabant, quia si hoc putarent, nunquam tradidissent, et ipsi quidem zelum legis habebant, sed non secundum **290** scientiam, et ideo quia A quodammodo excusabiles videbantur, pro eis oravit Christus: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII), et conversi fuerunt, ut legitur in Actibus apostolorum, una die quatuor millia, alia quinque millia (*Act.* IV). Alii dicunt quod hoc nomen *finis* duo significat, vel finalem causam, et secundum hoc non est verum omne id esse bonum cujus finalis causa est bona, ut in prædictis; vel finalem intentionem, quæ complexa est et ex actione ipsa et finali causa, ut alere patrem ex furtis: et secundum hoc verum est omne id esse bonum cujus finalis intentio est bona, sed non erat intentio bona Judæorum scilicet sic, id est Christum crucifigendo, obsequium præbendo Deo· et ideo nec actio bona

CAPUT XVII.

An Christus habuit ignorantiam vel difficultatem faciendi bonum, vel necessitatem moriendi?

(93) Non tantum assumpsit Christus bona animæ tam gratuita quam naturalia, ut dictum est, sed etiam defectus non culpæ, sed pœnæ, non omnes defectus pœnæ, sed quos oportuit et decuit eum suscipere. Eos autem oportuit et decuit suscipere quos vel ad ostensionem humanæ naturæ suscepit, ut famem, sitim; vel ad complendum officium propter quod missus fuerat, ut mortalitatem, passibilitatem, quæ duo nisi in se haberet, nec passus, nec mortuus esset propter quod venerat. Illorum autem defectuum qui sunt in anima, alii secundum corpus, alii secundum animam. Illi dicuntur esse corporis, quos patitur anima instrumento corporis, ut fames, sitis, quia non esurit, vel *sitit, nisi* quando est in corpore. Illi dicuntur esse animæ, quos etiam habet sine corpore, ut timor et ira, etc. de quibus utrisque dicendum est. Prius tamen determinato de quibusdam, de quibus dubium est, an eos susceperit vel non? Est quidam defectus qui dicitur ignorantia quæ habetur de rebus quarum scientia salutem non affert, nec ignorantia eam impedit, quæ est pœna tantum non culpa. Si enim esset de re quam tenemur scire, et pœna et culpa esset. Hunc non habuit Christus, nec difficultatem faciendi bonum, qui est alius defectus pœnalis, qui defectus culpæ non sunt. Ait enim Augustinus (94) ignorantia et difficultas, etiamsi essent primordia hominis naturalia, non ideo culpandus esset Deus, sed laudandus. Sed cum ista sint etiam pœnæ non videntur potuisse esse in homine ante peccatum, quin injuste cum eo ageretur, quia puniretur antequam meruisset puniri. Ad quod dicendum quod non esset tunc pœna, quemadmodum non posse proficere ante gratiam collatam homini non fuit ei pœna.

(95) Quæritur autem utrum Christus susceperit illum defectum qui dicitur *necessitas moriendi*, propter quod dicit Apostolus corpus hominis post

(92) *In psal.* XCIII, non longe a fine.
(93) *Mag.*, III, dist. 15, etc.
(94) *L.* I *Retract.*, c. 9· l. III. *De lib. arb.*, cap. 20 et 21, et l. *De bono perf.*, c. 11 et 12.
(95) Mag., III, dist. 16, § a.

peccatum esse mortuum et addictum necessario morti, cum prius esset mortale (*Rom.* VIII), id est potens mori, quod non esset ei pœna vel defectus. Quod si est, ergo Christus ex necessitate mortuus est, non ergo sola voluntate. Legitur tamen : *Oblatus est quia voluit* (*Isa.* LIII). Ad hoc dicendum quod est *necessitas contracta*, quam non habuit Christus, qui peccatum non fecit nec contraxit, et est *necessitas assumpta*, quam habuit Christus, et ex qua mortuus est. Nec ideo minus sola voluntate. Est etiam *necessitas illata*, cujus expers fuit. *Oblatus est enim quia voluit.* Fallacia. Iste monachus qui fecit votum, ex necessitate abstinet a carnibus; ergo non sola voluntate, quod falsum est, quia ipse fecit sibi illam necessitatem. Possemus hic quærere, an Christus potuit transgredi terminos illos humanæ vitæ, ut semper viveret, mortalis tamen? An caro Christi in sepulcro potuit putrefieri et corrumpi si non in die tertia resurgeret? et similia. Quæ quia ingenii nostri vires excedunt, vel plusquam legimus se extendunt, majoribus discutienda relinquimus.

291 Hoc tantum habemus de auctoritate in Epistola ad Hebræos (96) : « Sicut aliis hominibus jure et ex necessitate naturæ statutum est semel mori, ita etiam Christus eadem necessitate et lege naturæ semel oblatus est, non sæpe : » ubi videtur innuere quod Christus non potuit transgredi terminum positum annis humanæ vitæ, cum ipse etiam majora his potuerit facere, nec istud posset esse ei defectus.

CAPUT XVIII.

An Christus habuit timorem ?

(97) Est alius defectus quem pro nobis suscepit Filius Dei, scilicet timor, tristitia. Unde : *Cœpit Jesus pavere* (*Marc.* XIV), etc. ; et : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI); et : *Repleta est anima mea doloribus* (*Psal.* LXXXVII). Augustinus tamen videtur velle quod Christus non vere timuerit, dicens (98) : « Non vere contristatus est Christus tertia die resurrecturus, cum arderet Paulus dissolvi et esse cum Christo ; » et Hieronymus (99) : « Erubescant qui dicunt Christum timuisse mortem, et timore mortis dixisse : *Transeat a me calix iste* (*Matth.* XXVI). » Quod..... intelligimus ita (ne timorem et tristitiam in Christo fuisse negemus : aliter enim, cum Scriptura dicat eum tristem fuisse, nisi fuerit, fictum est quidquid de eo dicitur, ut nec etiam dormisse vel manducasse vere dicatur, sed habuisse similitudinem dormientis aut manducantis, nec habuisse verum corpus, sed phantasticum, quod hæreticum est). Aliter enim in Christo fuit timor, aliter in aliis hominibus. Nam in hominibus fuit timor et per propassionem, et per passionem, ita etiam quod habent causam timoris, id est peccatum. In Christo
A fuit timor per propassionem non per passionem ; nec etiam habuit causam timoris qui expers erat criminis. Sunt enim quidam in pœnis gradus, sicut et in peccatis, scilicet passio et propassio. Est autem propassio, quando animus afficitur interius timore, ut tamen intellectus non moveatur a Dei rectitudine, vel contemplatione; et ita habuit Christus dolorem et timorem et non per passionem.

(100) Ita etiam intelligenda sunt quædam capitula Hilarii, quibus idipsum videtur ostendere ut in Christo dicamus esse timorem non per passionem, verum etiam nullo tempore vultum habuit turbulentiorem quantum ad habitum animi, vel severiorem quam alio. Quod etiam tradit Hiero-
B nymus super illum locum Isaiæ (1) : *Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat judicium in terrâ.* Ibi dicit Hieronymus de Christo quod semper servavit æqualitatem vultus, quod philosophi falso Socrati attribuunt. Quod tamen non est intelligendum de habitu vultus exteriori : legitur enim flevisse et sudasse præ tristitia, sed de interiori animi constantia et fortitudine. Nullo enim tempore magis fuit lætus interius quam alio aut tristior, licet signa timoris et lætitiæ sæpe in vultu fuerint variata, non propter se, sed propter nos. Accipitur ergo vultus pro interiori qualitate, sicut ibi : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* (*Psal.* IV). Non enim extollebatur prosperis,
C nec deprimebatur adversis sicut cæteri homines. Sed objicitur : Christus timuit quod erat timendum vel non. Si quod non erat timendum, ergo ignavus fuit ; si quod erat timendum, ergo timidus erat, quod nostræ consaluti et suæ glorificationi militabat. Item, ipse dixit apostolis : *Nolite timere eos qui occidunt corpus* (*Matth.* X), etc. Si ipse timuit mortem, ergo fecit contra hoc quod dixerat. Ad hoc dicendum quod timorem mundanum prohibuit Christus, non naturalem. Est autem naturalis timor horror quem quisque habet eo quod videt imminere periculum ; nec dicitur naturalis, eo quod sit prima hominis natura, sed quia inest a nativitate ex corruptione per peccatum.

292 CAPUT XIX.

D *Quid nobis contulit passione sua, quod non prius contulerit ? ubi quæritur, an alio modo potuit nos redimere ?*

(2) Jam in parte cognito (non enim ad plenum potuit qui ex parte prophetat, ex parte intelligit), quibus armis munierit se auctor nostræ salutis in primis et initialibus operibus nostræ salutis. In mediis quoque et progressivis accedendum est ad ultimum et consummatum, ut ostendatur quid per ea Deus nobis contulerit, et ita solvatur quæstio, cujus solutionem differendo animos auditorum

(96) In cap. IX. *V.* Mag. sup.
(97) Mag., III, dist. 15, § d, e, f.
(98) Enarrat. in Psal. XCIII, post med.
(99) Ad cap. XXVI Matth.

(100) *V.* Mag. hic, § g.
(1) Ad cap. XLII Isaiæ.
(2) Mag., III, dist. 18 et 19.

suspensos tenere videbamur. Si Christus ab initio habuit virtutum plenitudinem per quam meruit glorificationem carnis, et animæ passibilitatem [impassibilitatem], a Conceptione, ad quid ergo voluit pati, mori et crucifigi? Ad quod dicendum quod per hæc opera meruit aliquid nobis quod non meruerat nobis per præcedentia, scilicet aditum paradisi, liberationem a pœna, a peccato, a diabolo. Aditum paradisi, quia, ut ait Ambrosius, (3) « Decreverat Deus propter peccatum primi hominis non introire aliquem ad vitam, nisi in uno homine tantam inveniret humilitatem quantam in primo homine invenerat superbiam, ut, sicut illa superbia omnibus nocuerit, ita alicujus humilitas omnibus prodesset. Non est autem inventus nisi leo de tribu Juda, » quia vix unusquisque sibi sufficiebat ad delenda sua peccata. Iste ergo peccata omnium in cruce portando meruit aditum paradisi omnibus in eum credituris. Per ipsum quoque liberati sumus a peccato et diabolo, quia in sanguine ejus justificati sumus; et in eo quod justificati sumus, a peccato liberamur; in eo quod a peccato liberamur, a diabolo redimimur. Quod autem in sanguine ejus justificati sumus, certum est quia charitas Dei in nobis commendatur eo quod proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis, cum adhuc peccatores essemus, hostiam tradidit; unde magis ad eum diligendum accendimur, et quanto magis eum diligimus, tanto magis a peccato liberamur; *In sanguine eius justificati sumus* (*Rom.* v), quia per fidem passionis ipsius a peccatis liberamur. A pœna quoque nos liberavit et temporali et æterna: ab æterna in re, a temporali in spe. Adhuc enim exspectamus redemptionem corporis, *ut mortale hoc induat immortalitatem, et corruptibile incorruptionem* (*I Cor.* xv). Ubi Apostolus: *Salvatorem exspectamus Jesum Christum qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori* (*Philipp.* III), etc.

Objicitur tamen ad ea quæ dicta sunt: Christus morte sua mortem destruxit, secundum illud Osee: *Ero mors tua, o mors; morsus tuus ero, inferne* (*Osee* XIII); ergo destruxit mortem temporalem aut æternam. Mortem temporalem non destruxit, quia quotidie ea morimur; mortem æternam non videtur destruxisse, cum plures sint damnandi quam salvandi. Ad hoc dicendum quod Christus destruxit mortem temporalem in spe in omnibus, et in re, ut in se, qui *ex mortuis resurgens, jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI): et in beata Virgine, quam in carne glorificatam credimus in cœlos ascendisse, et in sanctis dormientibus qui cum eo surrexerunt: destruxit quoque mortem æternam in omnibus quantum ad sufficientiam, non quantum ad efficientiam; quia fuit sufficiens redemptio omnium, nec per ipsum stat quin omnes salventur. Destruxit etiam mor-

A tem æternam descensus ad inferos, ad quos omnes ante passionem Christi descendebant tam boni quam mali. Modo si discedant in charitate, nulli ad inferos descendent (unde non timent mortem, cum possint dicere: *Cupio dissolvi, et esse cum Christo* (*Philipp.* I), quod timebant olim tam perfecti quam imperfecti.

Item, Christus *non venit nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* xv), et eas non salvavit, quia cæcitas cecidit in Israel, ut plenitudo gentium intraret. Ergo non fecit propter quod venerat. Item, electos de utroque populo salvavit. Quoscunque salvavit venit **293** salvare; ergo tam ad istos quam ad illos venit. Item, Christus non salvavit nisi salvandos; ergo nonnisi illos qui non B indigebant salvari. Item, non plures fuerunt salvati per mortem Christi quam erant antequam moreretur, nec aliquis majus præmium accepit quam esset accepturus; ergo in nullo profuit mors Christi. Dicendum quod Christus non fuit missus nisi ad oves Israel ut corporali præsentia eis prædicaret, missus tamen ad omnes gentiles ut salvaret eos; nec ipse aliis legitur prædicasse in propria persona, nisi Judæis. Salvavit autem solos salvandos, qui tamen indigebant salute. Sicut iste medicus curat istum sanandum, et tamen eum qui indiget salute qui æger est modo, nec plures salvati sunt per eum quam salvandi prius erant: nam nullus salvaretur, nisi ipse venisset aut aliud remeC dium salutis adhibuisset.

Item, omnes electi reconciliati sunt per mortem Christi, ergo et Abraham. Ergo non fuit reconciliatus nisi in morte Christi. Non ergo ante; ergo non prius decessorat in charitate, vel prius meruerat vitam æternam, a qua non poterat defraudari. Ergo Deo reconciliatus erat. Verum est quia plenum fructum reconciliationis non est consecutus nisi in morte Christi, quia tunc (4) prius aperta est janua, quia *Agnus occisus est ab origine mundi* (*Apoc.* XIII). Cujus locutionis sensum dupliciter est sumere, vel in figura posita hac præpositione *ab* inclusive, vel prædestinatione Dei, posita præpositione exclusive, sicut ibi: *A prima substantia nulla* D *est prædicatio;* tamen partem fructus reconciliationis jam consecutus fuerat, quia in spe erat salvus, et quia pœnam materialem non sentiebat.

Item, per mortem Christi reconciliati sunt tam sancti veteris testamenti quam sancti novi testamenti, qui statim habent vitam ex quo decedunt in charitate, sancti veteris testamenti non statim habent; ergo efficacior est mors Christi his quam illis. Verum est quantum ad faciliorem introitum et expeditiorem, non quantum ad magnitudinem præmii. Nec istud ex ipsa morte est, sed ex sanctis qui in tali tempore sunt, sicut sol plus calefacit Indos quam Britannos, nec istud ex calore solis est

(3) *Apud Mag., dist.* 18, § e, sed paulo aliter.

(4) Videtur add. *et non.*

qui sit variabilis, sed ex situ locorum soli admotorum, vel ab eo remotorum.

(5) Item, Christus potuit nos liberare alio modo vel minus bono, vel magis bono : si minus bono ; ergo potuit majus bonum pro minori bono dimittere, quod non decet bonum ; si æque bonum, ergo æque rationabili modo. Quod probatur falsum. Alio modo æque rationabili et bono potuit nos liberare, illo non redemit nos sed potius isto : ergo, cum nil sine ratione facere potuerit, ratio fuit cur potius hoc modo nos redemerit, et sic iste modus rationabilior est ac per hoc melior fuit. (6) Unde videtur quod non potuerit nos liberare alio modo, quia nec magis bono, nec minus bono, nec æque bono. Ad quod dicendum quod minus bono modo potuit nos liberare, et minus congruo et utili. Quod si fecisset, non dimisisset majus bonum pro minori bono, sed illud dimisisset propter semetipsum, quia quidquid facit propter se facit, teste Salomone: *Operatus est Deus omnia propter seipsum* (*Prov.* XVI); et potuit nos liberare æque rationabili modo, non qui fuit æque rationabilis, sed qui esset si eo nos liberasset. Quæ enim causa fuit cur hoc modo liberaverit, eadem fuisset ut alio modo si voluisset liberasset, scilicet dispositio et ejus rationabilis voluntas.

Item, si essemus redempti, ita ut peccare non possemus, melius essemus redempti, hoc modo potuit nos liberare; ergo meliori modo potuit nos liberare removendo et culpam et pœnam. Ergo ille esset convenientior. Dicunt ergo quod convenientiori modo potuit nos liberare auferendo et culpam et pœnam ; sed, manente nostra infirmitate ut paulatim recederet, non potuit nos meliori modo liberare quam per passionem Filii, quia non potuit nos melius ad sui dilectionem trahere quam proprio Filio suo non parcendo, vel sic exponitur (7) : « Fuit alius modus Deo **294** possibilis, sed nullus miseriæ nostræ salvandæ convenientior, » id est Deus Pater convenientiorem et meliorem hostiam non potuit dare pro nostra liberatione quam Filium suum. Ergo in hoc terminata fuit ejus potentia. Fallacia. Non potuit Filium generare meliorem ; ergo in hoc terminata fuit ejus potentia.

Item, potuit Deus nos liberare sine culpa alicujus et absque scandalo solo verbo (8), quia « fuit alius modus Deo possibilis, sed nullus miseriæ nostræ salvandæ convenientior. » Ergo potuit nos liberare competentiori modo ; quod tamen improbatur, quia non potuit nos liberare sine remissione peccatorum, quia aliter contra suam justitiam fecisset, et ita liberavit nos. Ergo non potuit nos liberare alio modo. Ad quod dicunt quod non potuit nos liberare modo competentiori, quod ad nos homines, quia

A nil potuit facere unde magis ad eum diligendum moveremur quam quod seipsum pro nobis exinanivit, obtulit ; potuit tamen nos liberare modo competentiori quantum ad se, si non moreretur. Quod vero dicitur quod non potuit nos liberare, quia sine remissione peccatorum non posset nos liberare, et ita nos liberavit, non valet. Nam isto modo diversi modi continentur. Fallacia. Ego non possum legere nisi loquendo, et ego loquor ; ergo non possum aliter legere quam legam.

Item, per mortem Christi diabolus a multis malis cessat, a quibus non cessasset nisi mortuus fuisset. Nam diminuta est ejus potestas in passione Christi ; et si plura mala faceret quam faciat, pejor esset, et ita plus peccaret, et plus puniretur. Ergo mitigata
B est pœna diaboli per mortem Christi : falsum est. Imo augmentata, quia non tantum nocet melioribus et eis qui inæstimabili pretio sanguinis sunt redempti ; et majorem habet voluntatem nocendi si haberet facilitatem, et plus sæviret si permitteretur, et ita diabolo non profuit mors Christi (9).

(10) Item, in passione omnes fuerunt mali qui ante passionem fuerant mali, excepto solo latrone ; et illi qui fuerant boni ante, tunc mali et de regno diaboli erant, ergo in passione majus erat diaboli regnum quam ante ; ergo non est destructum per Christi passionem. Item, regnum diaboli est destructum per Christi passionem. Hic de aliquo fit sermo, de bono vel de malo. Si de bono, et de eo de quo
C dicitur veraciter quod sit destructum, ergo aliquod bonum destructum est per passionem Christi. Si de malo fit sermo, ergo de malo diaboli est verum quod sit destructum per passionem Christi. Passio ergo non tantum nobis profuit, sed diabolo Item, sciendum quod regnum diaboli, id est dominium ipsius est destructum morte Christi, non quoad essentiam, sed quantum ad exsecutionem, quia post Christi passionem non ita potest nos seducere sicut ante. Dicimus ergo in passione esse minoratam ejus potentiam quantum ad exsecutionem per causam, quia passio Christi erat sufficiens causa debilitationis ipsius, sicut Christus dixit : *Consummatum est* (*Joan.* XIX) mysterium nostræ redemptionis, licet nondum impleta esset passio, quia
D sufficiens causa data erat consummationis. Sicut de illo qui in prælio vulneratus domi moritur, dicimus quia in bello occubuit, quia ibi causam mortis suscepit. Fuit igitur in diabolo triplex potestas : Potestas nocendi sine omni merito ei data est in creatione; exercitium malignandi merito suo ei datum est; et effectus vel facultas nocendi nostris meritis ei data est, sicut ubi dicitur : *Eripuit pauperem a potente* (*Psal.* LXXI). Primum non est ablatum per mortem Christi, nec secundum sed ter-

(5) Mag., III, dist. 20.

(6) Hæc egregie Petrus contra Petrum Abælard. V, in notis ad primam partem *Sentent.* Roberti Pulli.

(7) August., l. XIII *De Trinit.*, c. 10.

(8) Aug., supra cap. 10.

(9) Ista non habet codex S. Victoris.

(10) Ista sobrie sunt legenda, et cum aliquorum exceptione.

tiam. Sicut vides in oratore esse tria, quæ bene A his opponuntur, scientia dicendi, exercitium et finis quem exspectat a nobis, scilicet persuasisse. Nam reliquorum duorum unum habet a Deo, alterum ex libero arbitrio. Vel regnum diaboli est peccatum per quod in nobis dominabatur, quod destructum est in omnibus qui per fidem renascuntur, in quibus, et si sit peccatum, non tamen ita ut regnet. Vel quia in ipsa hora passionis, (11) magister dæmonum Lucifer, qui eum tentaverat, **295** et crucifigi suggesserat, in infernum detrusus est, ubi est ligatus. Si vero quæratur de quo fit sermo, cum dicitur : *Regnum diaboli est diminutum*, potest dici quod de malo, sed de eo de quo fit sermo vere dicitur quod sit diminutum. Ergo malum diaboli est diminutum. (12) Fallacia. B Cum dico, iste sacerdos suspendetur cras, de homine fit sermo ; et de eo de quo fit sermo veraciter dicitur quod suspendetur cras. Ergo iste homo suspendetur cras.

Item, Christus redemit nos ab aliquo qui nos tenebat captivos ; nullus tenebat nos captivos nisi diabolus ; ergo redemit nos a diabolo. Ergo ei persolvit pretium redemptionis, vel nulli. Sed ipse idem fuit pretium redemptionis. Ergo obtulit se diabolo. Ad hoc dicendum quod Christus liberavit nos a diabolo qui nos captivabat, permittente Deo Patre, cui pretium solvit, sicut iste intercessor persolvit pretium regi cujus præcepto tenentur captivi a prætore. Item, redimere nil aliud est quam a peccato liberare ; quotidie liberat a peccato ; ergo quo- C tidie redimit. Ergo Christus non fuit sufficiens hostia semel pro peccatis. Quod similiter probat Paulus de exsecratione carnalium hostiarum quæ non valebant ad emundationem peccati unde oportebat eas iterari (*Hebr.* IX). Item [*subaudi* Christus], secundum quod Deus, tantum liberat a peccato, et liberare est redimere ; ergo secundum quod Deus tantum redimit. Non ergo secundum quod homo.

Nota igitur quid contineat in se *redimere*, scilicet ponere pretium, et a captivitate liberare. Qui enim sine pretio solvitur, non redimitur ; si pretium ponatur et non solvatur, non redimitur. Cum ergo dicitur, *secundum quod homo redemit*, id est pretium dedit et a peccato liberavit, falsum est, imo secundum quod Deus fecit hæc duo. Si vero dicatur D quod secundum quod homo redemit, id est pretium posuit, verum est ; sed non secundum quod homo a peccato liberavit. Non est tamen pigritandum dividere significationes hujus dictionis *secundum*, quæ quandoque unitatem personæ notat, quandoque causam, quandoque conditionem : qua distinctione adhibita, facile est prædicta solvere. Si enim causam notet vel conditionem, secundum quod Deus redemit ; si vero unitatem personæ, et secundum quod Deus est, et secundum quod homo.

(13) Item, diabolus tenebat nos juste aut injuste. Si injuste, probatur quod juste ; quia si nos tenebamur a diabolo, nos diabolus tenebat, nos juste tenebamur a diabolo ; ergo diabolus nos juste tenebat. Ergo injuste actum est cum eo, quando erepti sumus.

Nota quod diabolus injuste tenebat nos, nos tamen juste tenebamur a diabolo, id est exigentibus meritis, ut quod dicitur *juste*, ad hominem referatur, non ad diabolum, qui nil juris habebat in homine quem seduxerat et cui, quod promiserat, reddere non poterat (14). Similiter homo injurias erat Deo qui eum creaverat, et ab eo se subtrahendo diabolum sibi Dominum elegerat.

Item, solet quæri an Christus sit passus pro se? Invenitur sæpe in auctoritate, *pro te mortuus est*, non *pro se*. Econtrario tamen super Matthæum, ubi legitur quomodo Christus solvit tributum pro se et pro Petro, habetur quia *pro se et pro Petro passus est* (*Matth.* XVII). Unde quæritur an utilior fuerit mors Christi Christo quam nobis? quod ibi ostenditur (15) : « Ipse sibi per tolerantiam passionis acquisivit nomen quod est super omne nomen. » Ad quantum præmium nullus potuit pervenire per ejus mortem. Ergo utilior ei fuit mors sua quam nobis. Econtrario ipse nobis meruit vitam æternam, quam non poteramus habere sine ipsius morte vel alio genere redemptionis ; ipse sine omni merito potuit habere vitam æternam, et habebat, quia ipse erat vivens. Ergo utilior fuit mors sua nobis quam illi. Item, per mortem suam liberavit nos a pœna, a culpa, a diabolo, *et aperuit* nobis januam per mortem suam ; non liberavit se nisi a pœna, quia culpam non habuit, nec diabolus aliquid dominii in eo exercuit : *Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam* (*Joan.* XIV). **296** Janua non erat ei clausa ; ergo plus profuit nobis mors Christi quam illi. Ad hoc dicendum quod in hoc profuit nobis magis quam illi, quia a pluribus liberavit, in hoc plus illi, quia majus præmium meruit ; non tamen cum locutione data cum determinatione accidit inferri simpliciter quod dicitur secundum quid, sicut nec in aliis operationibus. Cum ergo dicitur, *pro te passus est, non pro se*, ita intellige, id est non tot fuerunt pro quibus pateretur pro se, quot ut pateretur pro te.

Item dicit Christus : *Si non venissem peccatum non haberent* (*Joan.* XV), quod intellige de peccato infidelitatis antonomastice ; ergo quia venit, infideles facti sunt ; ergo adventus ipsius fuit causa infidelitatis. Ergo plus nocuit ejus adventus quam profuit. Ad hoc dicimus quod hoc nomen, *infidelis*, quandoque removet tantum, ut sit idem infidelis, quod non fidelis, secundum quod non est verum, quod si non venisset non essent infideles.

(11) De hoc vide Mag., II, dist. 6. § f.

(12) Huc usque defecit codex Victorinus.

(13) Mag., III, dist. 20, § b.

(14) Vide ista in notis ad Pullum

(15) Auctor *Commentarii* Ambros. inscripti ad II caput ad Philipp. Item, Aug. in *Expos.* ad idem. V. Glossam, ibid.

Erant enim infideles, id est non fideles antequam A venirel. Quandoque ponit contemptum fidei, quem contemptum non habuissent, nisi Christus eis prædicasset, et ita adventus Christi fuit occasio peccati eis, non ex vitio suo, sed illorum quibus debuit esse saluti, nisi eorum enormitas impedisset. Sicut medicina occasio est infirmitatis male observanti diætam, quæ tamen deberet esse causa sanitatis et esset, nisi improbitas sui meriti impediret.

Item, quotquot audierunt Christum, et contempserunt, deteriores facti sunt propter verbum fidei quod repulerunt, et ipse multis prædicavit quos sciebat contempturos verbum Evangelii; ergo margaritas ante porcos projecit. Ergo contra præceptum suum fecit. Item, Christus sciebat quod essent eum contempturi, et ex contemptu futuri deteriores, et cur non et ipse Pater est misericordiarum? Ergo ex misericordia debuit se subtrahere his qui futuri erant deteriores ex contemptu verbi. Similem quæstionem movet Beda super illum locum Evangelii : *Væ tibi, Bethsaida! Væ tibi, Corozaim! quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes quæ in vobis factæ sunt, pœnitentiam egissent* (*Matth.* XI; *Luc.* X). Quærit ergo quare Christus, cum sit Pater misericordiæ qui hominum saluti debet providere, his prædicaverit qui non acturi erant pœnitentiam, sed futuri erant deteriores, et non illis qui pœnitentiam egissent et fierent meliores? hic enim contra misericordiam suam egisse videtur, sed ipse breviter solvit dicendo : *Ipse solus novit.* Potest tamen dici quoquomodo, quod et si coram illis prædicaverit quos sciebat non esse convertendos, non tamen illis.

Item, quæritur an Christi primus adventus magis fuerit desiderandus quam secundus, vel econtrario? Quod enim secundus magis, ita ostenditur : In primo liberati sumus a culpa et non a pœna; in secundo liberabimur ab utroque. Ergo secundus magis desiderandus est quam primus. Item, in secundo recipiemus utramque stolam, animæ scilicet et corporis; in primo tantum alterius, id est animæ. Ergo, etc. Item, primus non desideratur nisi propter secundum. Ergo magis desiderandus est secundus quam primus. Econtrario antiqui patres magis desideraverunt primum quam secundum. Ergo inordinatum habuerunt desiderium. Quod autem magis desideraverint primum quam secundum, multæ attestantur auctoritates : *Putas videbo? putas durabo? et utinam dirumperet cœlos et venire* (*Isai.* LXIV). Talia desideria non inveniuntur de secundo expressa. Ad hoc dicendum quod magis desiderandus est secundus quam primus, sed natura humani desiderii est, ut si duo desideret quorum unum non posse contingere sine reliquo præcedenti sciat, magis desideret illud quod præcedit. Non dico *magis desiderat*, sed velit illud prius fieri. Unde, cum primus adventus fuerit ad militandum ut per ipsum transeatur ad secundum, inveniuntur expressa de eo talia desideria. Sicut iste magis desiderat secundum ferculum quam primum, quia speciosius est, vult sibi tamen prius apponi primum, quo nisi prius satiaretur, non paratus esset ad secundum, **297** cujus non habet tantam copiam, cujus sapore magis delectatur quam satietur. Verumtamen videtur posse ostendi quod non sit secundus adventus. Dicit enim Amos : *Væ desiderantibus diem Domini! ut quid eam desiderant?* (*Amos* V.) Non igitur imprecaretur eis *Væ*, si esset desideranda; ideo dicunt quod propter quosdam de sua justitia præsumentes hoc dixit, qui diem illum desiderabant.
B Est tamen bonis desideranda. Unde dicit Apostolus : *Desiderio tendentes in illum diem*, etc.

(16) Huic objectioni simile est de Apostolo, qui habebat desiderium dissolvi et esse cum Christo (*Philipp.* I). Idem quoque habebat desiderium manendi in carne propter necessitatem fratrum (*ibid.*) : quæ duo desideria uno et eodem tempore complere non poterat. Ergo tunc, cum necesse esset alterum prius evenire reliquo, et utrumque desideraret, desiderabat illud fieri quod posterius contigit, et ita volebat dissolvi quod desiderabat ultimo evenire, ut prius vivens in carne fratribus consuleret. Econtrario ipse sciebat quod, si in carne viveret, semper in charitate proficere posset, et ita præmium
C acquireret. Ergo hoc magis optandum erat quam illud (17). Econtrario existens in via poterat cadere, licet enim ipse dixerat : *Certus sum quod neque mors, neque vita separabunt me a charitate Christi* (*Rom.* VIII). Non tamen erat certus nisi certitudine viæ, et adhuc gemebat in miseria carnis. Unde ipse dicebat : *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom.* VII.) Ergo magis debebat optare dissolvi quam in charitate manere. Ad hoc dicendum quod prius voluit in se Apostolus multis expediens fieri, tamen magis diligebat quod erat melius; sed in se prius fieri quod in se minus erat bonum, et minus diligebat. Nec fratres tamen plusquam se diligebat, quia differebat illud quod magis in eorum dilectione, in qua dilectione
D et dilatione augmentabatur bonum quod magis diligebat. Sicut iste esuriens plus diligit istum ferculum quam primum, et tamen vult prius sibi apponi primum, ut post illud habeat quod melius est. Non enim si istud prius habet ideo illud amittit, sed differt, ut post habeat et sit satior : ita Apostolus majus bonum differebat, ut minus prius haberet, ita tamen quod majus non amitteret, et ita accipiebat totum, ut postea gloriosior et beatior fieret. Nam ipsa dilatio erat gratiæ augmentatio.

Objicitur autem de eo quod Apostolus alibi ait quod ipse optabat esse anathema pro fratri-

(16) Quæ sequuntur ad finem usque capitis, non exstant in codice Victorino.

(17) Hæc caute legenda.

bus (*Rom* IX). Ergo cupiebat sequestrari ab unitate Ecclesiæ, ut alii fierent de ejus unitate. Ergo plus diligebat fratres quam se, et ita inordinatam habebat charitatem. Ad quod dicendum quod non cupiebat omnino separari ab Ecclesia, ut fratres in ea reciperentur in perpetuum; hoc enim non esset charitas; sed ad tempus volebat separari, ut fratres ibi reciperentur in perpetuum; sed quia non potuit hoc velle ex charitate (non enim si ad tempus separatus fuisset, charitatem habuisset), potuit melius dici quod nec ad tempus, nec in perpetuum voluit ab Ecclesia separari, ut fratres ibi reciperentur; sed, si fieri posset, hoc vellet : quod et ipse determinate sciebat (forte Spiritu sancto revelante) ita esse in voluntate Dei, ut nunquam separaretur.

CAPUT XX.

An Christus secundum humanam vel secundum divinam naturam fuerit caput Ecclesiæ.

(18) Ex his quæ dicta sunt emergit alia quæstio nonnihil habens dubitationis. Cum enim Christus morte sua Ecclesiam redemerit, et hoc in humana natura, quæritur cum ipse sit caput Ecclesiæ an, secundum illam naturam in qua redemit, sit caput Ecclesiæ, id est secundum humanam naturam, an secundum divinam. Ad utramque partem inducuntur rationes. Si enim secundum divinam naturam est caput Ecclesiæ, ergo secundum divinam naturam est ei conformis in deitate **298** naturæ. Item, si secundum divinam naturam est caput Ecclesiæ, ergo hoc dicitur de eo aut secundum essentiam, C aut secundum notionem : quorum utrumlibet dicatur, accidet Christum ab æterno fuisse caput Ecclesiæ : ergo fuit caput Ecclesiæ antequam fuerit Ecclesia, et ita quando non erat Ecclesia. Item si, secundum notionem est caput Ecclesiæ, ergo per illam distinguitur Filius a Patre et a Spiritu sancto, et ita nec Pater nec Spiritus sanctus est caput Ecclesiæ. Item, secundum divinam naturam Christus est caput Ecclesiæ. Ergo secundum divinam naturam est Mediator Dei et hominum. Si vero dicatur quod secundum humanam naturam est caput Ecclesiæ, et ipse incœpit esse secundum humanam naturam, ergo secundum humanam naturam incœpit esse caput Ecclesiæ. Unde sic : Christus secundum humanam naturam incœpit esse D caput Ecclesiæ, et ante incarnationem non erat caput Ecclesiæ secundum humanam naturam, et erat tunc Ecclesia. Ergo sine capite erat. Item, ante incarnationem non erat Christus caput Ecclesiæ, et multa erant tunc membra Ecclesiæ, et ita membra Ecclesiæ præcesserunt caput Ecclesiæ. Item, Abel ante incarnationem fuit homo et adultus. Ergo membrum diaboli, aut Christi, quia non est medium. Si erat membrum Christi, et non erat Christus, aliquid ergo erat membrum Christi quando nil erat Christus. Item, Christus nondum erat mediator. Ergo nondum interpellabat pro salute no- A stra. Ergo nondum fiebat oratio per Christum.

Ad hoc dicendum quod iste terminus, *caput Ecclesiæ*, transumptive dicitur de Christo, et hac similitudine quia sicut caput in homine dignius est cæteris membris, et positione, utpote alia membra supereminens, et regimine, quia, cum eo vigent quinque sensus, moderatur aliis membris et ea regit, et est ejusdem naturæ cum cæteris membris, quia carneum et osseum : ita Christus mons montium ; et rector, de cujus plenitudine omnes accipiunt (*Joan.* I), quia nec potest habere plenius dona Spiritus sancti, et est ejusdem naturæ cum sanctis, quia habet humanam naturam, et propter hæc duo dicitur caput Ecclesiæ, quia rector, et quia ejusdem naturæ, quorum utrumque habet secundum huma- B nam naturam. Nam secundum divinam naturam non est ejusdem naturæ cum Ecclesia. Unde nec secundum eam est caput Ecclesiæ, nisi in alia significatione accipiatur hoc nomen *caput*, ut notet auctoritatem non *naturæ identitatem;* quod videtur testari Apostolus dicens : *Christus est caput viri, caput vero Christi Deus* (*I Cor.* XI). Patet ergo quod Christus non fuit caput Ecclesiæ ante incarnationem, nisi in hac significatione sumas illum terminum. Quod si voluerint. Instabis huic argumentationi : Christus secundum humanam naturam est caput Ecclesiæ; ante incarnationem non erat caput Ecclesiæ secundum humanam naturam, et Ecclesia erat. Ergo sine capite. Fallacia. Iste est fortis secundum animam, heri non fuit fortis secundum animam, et erat. Ergo non erat fortis. Et nota quod Abel tunc erat membrum Christi, qui tamen nondum erat Christus, et in eo solo fuit Ecclesia, quia ipse solus tempore illo fidelis erat. Si quæratur, posito quod nullus fuit fidelis ante eum multis mortuis et post pluribus futuris, an tunc esset Ecclesia, cum nullus aliquando erat fidelis. Verum est, quia tunc non erat Ecclesia militans, sed triumphans, propter eos qui decesserant. Item, si ponatur quod nulli homines haberent fidem, postea erant accepturi, et post amisissent, an Ecclesia militans desierit esse? Non, quia illi homines qui erant Ecclesia non desierunt esse, sed desierunt esse Ecclesia. Sicut isti homines desinunt esse populus ; non tamen iste populus desinit esse.

Item, Christus secundum divinam naturam erat caput Ecclesiæ ante incarnationem, et in incarnatione incœpit esse caput Ecclesiæ secundum humanam naturam. Ergo idem caput Ecclesiæ quod erat prius, vel aliud. Si incœpit esse idem caput Ecclesiæ ; ergo non prius erat illud. Si **299** incœpit esse aliud caput Ecclesiæ, et non desiit esse quod prius : ergo duo fuerunt capita Ecclesiæ. Ad hoc dicendum quod nulla est admittenda relatio, nec idem nec aliud. Sicut iste hodie incœpit esse fortis secundum animam. Si vero quæratur an idem forte quod ipse heri fuit, an aliud, incongrue dicitur

(18) Magist., III, dist. 19 § f.

posito quod heri fuit fortis corpore. Item, nota quod, licet caput Ecclesiæ conveniat Christo secundum divinam naturam, non tamen ab æterno est caput Ecclesiæ. Sicut et hoc nomen Creator de Deo dicitur secundum divinam naturam, non tamen ab æterno est Creator.

Item, Christus incœpit esse caput Ecclesiæ. Ergo incœpit esse aliquid. Fallacia. Christus incœpit esse homo : ergo aliquid ; vel Creator : ergo aliquid. Nota quod a quibusdam non improbe dicitur Christum ante incarnationem fuisse caput Ecclesiæ secundum humanam naturam, id est fundamentum, quod nil aliud est nisi quam fides humanitatis, vel Incarnationis ejus, erat fundamentum Ecclesiæ. Unde dicitur quod ex quo fuit rector Ecclesiæ fuit etiam caput Ecclesiæ secundum humanam naturam, scilicet fundamentum cui innitebatur Ecclesia, quantum ad fidem humanitatis. Nam quod credimus de humanitate, præteritum hoc, et ante adventum credebant futurum.

Item, dicit Augustinus (19) : « Deus non secundum quod unigenitus, sed secundum quod primogenitus subsequentibus fratribus non dedignatus est habere fratres; nos qui sumus de unitate Ecclesiæ sumus fratres ejus. » Ergo aut secundum communem patrem aut secundum communem matrem, aut secundum utrumque. Si dicatur quod secundum communem matrem Ecclesiam, ergo ipse est filius Ecclesiæ, et ita caput vel sponsus Ecclesiæ est filius Ecclesiæ. Si vero secundum communem patrem, cum secundum generationem non possimus esse filii, restat ut ex creatione, vel gratiarum largitione ; sed non ex creatione tantum. Aliter enim infideles essent fratres Christi, qui creati sunt a Deo, sicut ipse secundum humanitatem. Sed ex his duobus non sumus nos filii Dei, nisi adoptivi. Ergo et Christus est Filius Dei adoptivus. Ad hoc dicendum quod unigenitus non habet fratres, quia Filius est generatione ; sed secundum quod primogenitus, fratres habet. Unde : *Narrabo nomen tuum fratribus meis* (*Psal.* XXI). *Vade, et dic fratribus meis* (*Joan.* XX). Et Filius Ecclesiæ est. Unde ipse dixit : *Ego servus tuus et filius ancillæ tuæ* (*Psal.* CXV). Et est primogenitus respectu eorum qui generati sunt Deo de unitate Ecclesiæ. Unde dicit Apostolus : *Primogenitus ex mortuis* (*Coloss.* I), id est primus ad immortalitatem resurgens; et ex eo dicitur non habere fratres, quia creatione et gratiarum largitione a Deo habet ut nos, nec tamen est filius adoptivus ut nos. Sicut isti duo sunt fratres, et unus habet patrem, ergo alter eumdem.

Item, primus qui peccavit fuit Adam vel Eva, et cujus peccatum totam humanam naturam corrupit. Ergo et ipse fuit caput Ecclesiæ malorum, vel nullus; quod tamen solet attribui Cain. Eadem ratione qui bonum operatus est primus et fidem habuit, fuit Adam. Ergo ipse fuit caput Ecclesiæ bonorum, vel nullus, et tamen solet attribui Abel. Ad hoc dicendum quod Adam nec tantum fuit malus nec tantum bonus, et ideo non solet attribui ei principium Ecclesiæ bonorum vel malorum, sed bonorum, Abel, quia tantum bonus fuit, et quia figura Christi passus est agnus ab origine mundi, et quia virgo fuit. Unde secundum quamdam interpretationem dicitur. Nihil hic, eo quod non reliquit hæredem, et Ecclesia virgo est; et martyr exstitit et in sanguine martyrum fundata est Ecclesia.

Item, quæritur an diabolus fuerit principium Ecclesiæ malignantium. Quod si est, ergo fuit caput Ecclesiæ malorum sicut et Christus caput Ecclesiæ bonorum ; ergo aut in ipso non fuit plenitudo omnium bonorum, aut in illo fuit plenitudo omnium malorum, et ita omne malum est a diabolo. Quod falsum est, quia **300** malæ cogitationes non sunt a diabolo, cum ipse non noverit corda hominum nisi a bonis angelis ei fuerit revelatum, vel per conjecturas quasdam. Unde si quandoque in auctoritate inveniatur *omne peccatum esse a diabolo*, referendum est ad genera singulorum, non ad singula generum : et potest dici quod, licet fuerit diabolus caput Ecclesiæ malignantium, non tamen in eo fuit plenitudo omnium malorum eo modo quo dicetur fuisse plenitudo omnium bonorum in Christo, cum diabolus sit bona natura, et multa sint mala, quæ non ipso auctore fiunt. Sed dicitur fuisse caput Ecclesiæ malorum, qui primus peccavit et primum hominem peccare fecit, quia, *invidia diaboli mors introivit in mundum* (*Sap.* II).

Si quæratur utrum Christus sponsus fuerit Ecclesiæ antequam esset homo, non dicitur proprie sponsus fuisse, quia non fuit ejusdem naturæ : quod significat conjugium quod solet contrahi inter res ejusdem naturæ. Si tamen alicubi in prophetis inveniatur nuncupari sponsus Synagogæ, ut apud Jeremiam : *Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam et charitatem desponsationis tuæ*, etc. (*Jer.* II), per transpositionem dicitur et metaphorice.

Item, Christus rex et sacerdos. Rex quidem est secundum utramque naturam, sacerdos tantum secundum humanam, quia in ea Mediator est Dei et hominum, quod est proprium pontificis. Si quæratur an ejus sacerdotium incœperit in cœna quando corpus suum et sanguinem apostolis obtulit ; an ante conceptionem quando charismata Spiritus sancti accepit ? Dici potest rationabiliter, quod ex quo unitus fuit in conceptione, sacerdos exstitit : sed tunc sacerdotis officium executus est quando in cœna carnem suam et sanguinem discipulis dedit, et quando se pro peccatis nostris hostiam dedit (20). Tunc etiam Mediator fuit inter Deum Pa-

(19) *De fide et symb.* c. 4. V. etiam in exposit. quarumdam prop. ad Rom., c. 56.

(20) Mag., sup., § f.

trem et homines quos ei reconciliavit, non quod Deus Pater eos non prius diligeret quos a mundi primordio, imo ab æterno dilexit, sed quia nos peccando inimicitias contra ipsum exercebamus, qui tamen nos diligebat. Ergo Christus reconciliavit nos per mortem suam, nubem peccatorum delendo, quæ impediebat ne transiret omnino.

Sed objicitur. Christus secundum quod homo Mediator est. Ergo secundum quod est homo est Redemptor. Ergo secundum quod est homo redemit nos (21). Ad hoc dicendum quod et Pater, et Filius, et Spiritus sanctus est Redemptor noster auctoritate et usu potestatis ; Filius tamen quodam alio modo dicitur Redemptor, scilicet exhibitione humilitatis et obedientiæ. Nam redemptio *est destructa potestate diaboli facultas libertatis*, quæ B nobis data est fuso illius sanguine qui nullum habuit peccatum, et ipse in se homine explevit per quæ justificati sumus. Nam secundum humanitatem suscepit et explevit illa sacramenta quæ nostræ redemptioni sunt facta : et vide quia omnes redempti sumus a diabolo per Christum, non tamen datum est pretium diabolo, sed Patri, cujus erant incarcerati, et carcer et carcerarius. Sicut si iste servum suum dedit in manu alicujus qui vexat eum, venerunt cognati servi ad eum qui tradidit servum alii qui vexat, et redimunt illum ab eo qui vexat, non tamen ille accepit redemptionem, sed potius ille a quo sibi traditus fuerat.

Item, Deus Pater alium potuit supponere quasi C Filium, qui pro nobis pateretur ille esset caput Ecclesiæ et Mediator Dei et hominum. Ergo in se haberet plenitudinem gratiarum. Verum est quod posset alium supponere qui esset caput Ecclesiæ quadam præeminentia super alios, non virtutum plenitudine, quam nullus nisi Christun habere potuit. Sicut Dominus papa hodie est caput Ecclesiæ, ille etiam mediator esset, sed non proprie, quia non participaret deitate cum illo. Si enim esset medium proprie utriusque extremorum, oporteret participare.

Item, natura medii est ut neutrum extremorum sit, Christus est Mediator Dei et hominum. Ergo nec
301 est Deus, nec est homo. Fallacia. Natura medii est ut neutrum extremorum sit, aer medius est D inter calidum et humidum; ergo nec est calidum, nec est humidum. Falsum est, sed non est illud calidum et illud humidum inter quæ mediat, scilicet, vel ignis, vel aqua. Similiter debuisset dixisse quod Christus non Deus Pater, nec illi homines quos ei reconciliat.

CAPUT XXI.

Qua potestate potuit Christus animam deponere, divina an humana ? Et utrum in humana natura fuerit minor angelis.

(22) Quæritur qua potestate Christus potuit deponere animam quam habebat in sua potestate, A quod nullus homo potest facere, quia nullus potest mori quando vult, nisi sibi inferat violentiam se occidendo (23). Unde in Evangelio Joannis : « Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Nemo tollit eam a me (*Joan.* x). Et alibi : Filius hominis vadit, sicut de eo scriptum est (*Marc.* xiv). » Hoc ergo impossibile potuit Christus aliqua potentia. Ergo creata vel increata. Si increata, ergo secundum quod erat Deus poterat mori ; si potentia creata, quæro similiter, non habuit potentiam creatam qua quodlibet impossibile posset facere, ut creare posset cœlum et terram potentia creata secundum quod homo, et ita esset Christus omnipotens secundum quod homo; sicut et omnia sciens secundum humanitatem. Item, ex potentia divinitatis potuit esse homo. Ergo ex potentia divinitatis potest sustinere quidquid inesse solet homini, quod turpis defectus non est; ex potentia deitatis potuit esurire, sitire, algere.

Ad hoc dicendum quod potentia creata erat potens animam deponere quando vellet, quod cuilibet homini est impossibile. Non tamen ideo accidit quod ad quolibet aliud faciendum habuit potentiam creatam; vel si haberet non ideo diceretur omnipotens secundum quod homo, cum illam potentiam haberet a deitate. Alii dicunt, in quorum opinione est magister meus (24), quod potentia increata potuit deponere animam quando vellet, quod nullus potest. Unde et cum vidisset centurio quod emisisset animam dixit (admirans opus deitatis quod suum spiritum ad voluntatem *emiserat, quod* non posset facere si purus homo esset) : *Vere hic homo Filius Dei erat* (*Matth.* xxvii). Non tamen potentia increata potuit mori; nam mors notat defectum, ponere animam potentiam exigit. Potentia tamen qua potuit sumere animam, id est potentia deitatis et non alia, potuit eam deponere.

Item, Christus paulo minoratus est ab angelis. Ergo vel secundum divinam, vel secundum humanam naturam, sed non secundum divinam ; si secundum humanam, vel secundum animam, vel secundum corpus; non secundum animam, quia nec anima Christi melior potuit fieri a Deo, nec aliqua creatura potuit ei æquari. Ergo secundum carnem minor est eis, quod improbatur, quia caro Christi est vivificatrix animarum ; hoc nulli angelo est collatum. Ergo melior est caro Christi quolibet angelo. Econtrario angeli possunt Deum contemplari, et caro nullatenus. Ergo meliores sunt angeli quam caro Christi. Ad quod dicendum quod Christus nec secundum divinam, nec secundum humanam naturam minor est angelis, imo secundum humanam naturam major est angelis : « Elevata est enim magnificentia ejus super cœlos (*Psal.* ii). »

(21) Mag., § g.
(22) Magist., iii, dist. 21.
(23) V. August. tract. 47 *in Joan.* post med.

(24) Mag., sup, § c. Ista commemorat et perstringit Walterus a S. Victore l. iv *contra labyrinthos Franciæ*.

id est super angelicam naturam, et Apostolus : *Tanto excellentior angelis effectus quanto differentius præ illis nomen hæreditavit* ; tamen secundum humanam naturam in aliquo minor est angelis, id est in passibilitate et mortalitate, quia mortalis fuit et passibilis quod in nullo angelorum fuit. Tamen caro Christi in quibusdam melior est angelis, et angeli in aliquo meliores carne Christi, et **302** tamen nec ista melior est illis simpliciter, nec illi meliores hac, nisi constituatur æquivocatio in hoc nomine *melior ;* nam anima Christi est melior, id est et purior et sanctior : angeli tamen meliores, id est simpliciores. Anima enim Christi constat quod sanctior est omni creatura. Unde dicit Ambrosius : « Humana mente solus Deus est major, » quia non potuit anima Christi vel in se esse melior fieri quod mirum est.

CAPUT XXII.

In quo subjecto fuit mors Christi, et cujus unionis facta fuit solutio morte ipsius.

(25) Cum Christus secundum humanam naturam mortuus sit, quæritur an in morte ipsius separata sit deitas a carne et anima. Quod videtur, ait enim Joannes Damascenus (26) : « Tantæ simplicitatis est divina natura, ut corpori formato de limo terræ non congruerit uniri nisi mediante rationali creatura. » Cum ergo tunc separata fuerit anima a carne, videtur quod deitas separata a carne est, cum mediante anima esset ei unita, nam ablato medio solvuntur extrema. Item, si anima hoc habet officium in corpore ut instrumenta vivificet et moveat, linguam faciat loqui, pedes currere, et manus moveri, cur etiam deitas in illo triduo corpori unita non potuit hoc efficere ut corpus Christi moveretur, viveret et cætera officia exerceret ut esset ei deitas pro anima ? In Evangelio etiam clamat : *Deus, ut quid dereliquisti me* (*Psal.* XXI ; *Matth.* XXVII.) Super quem locum dicit Ambrosius (27) : « Clamat homo separatione deitatis moriturus, nam cum deitas mortis sit libera, non utique potuit mors esse nisi vita discederet. » Ex quibus omnibus videtur deitas a carne separata. Quod tamen nemo audet fateri. Sed ideo dicitur deitas mediante anima corpori unita, quia majorem habet convenientiam cum anima quæ est spiritualis et simplex, quam cum carne quæ est corporea. Considerata ergo causa dicti non relinquitur objectio. Non enim necesse fuit divinitatem separari a corpore, licet ab eo separata fuerit anima, qua mediante, sicut expositum est, erat ei unita (28). Sic mediante uxore istius parentes uxoris sunt affines ejus, non tamen sublata uxore removetur affinitas.

Quod autem quæritur an deitas potuerit corpus illud more animæ in illo triduo vegetare, quis

A neget posse fieri, nec tamen facit Deus quidquid potest, quamvis etiam habitudo præmissæ argumentationis locum non habeat, nam sæpe videmus minorem medicinam habentem efficaciam, ubi nullius est efficaciæ ea quæ pretiosior est, « quia non sanat oculum quod sanat calcaneum. » Nec igitur mirum si anima corpus illud vegetavit, quod tamen a deitate in illo triduo non est vivificatum. Non tamen negandum quod hoc potuerit, si vellet. Quod autem dicitur « homo ille derelictus est a Deo, » non ita recipiendum est quasi separata sit deitas a carne et anima, sed quia reliquit Deus humanam naturam tortoribus cruciandam et flagellandam. Unde cum posset protegere videbatur separatus fuisse, non quantum ad unionem, sed
B quantum ad protectionem.

(28*) Sed dicet aliquis : Si deitas in illo triduo, et animæ et corpori unita fuit, et humanam naturam nihil aliud intelligimus quam corpus et animam : fuit ergo tunc unita humanæ naturæ ; nec propter aliud dicitur Deus homo, nisi quia humanam naturam Deus in se assumpsit. Ergo et tunc Christus fuit homo : quod omnino multis rationibus ostenditur esse falsum, quia Christus desierat vivere vita humana : ergo in triduo non erat homo. Quod autem nunc non viveret vita humana : ita ostenditur. Illa vita humana est accidens, et tunc aliquid vivebat. Ea ergo tunc fuit in subjecto. Aliquid igitur tunc fuit ejus subjectum, aut anima
C Christi, aut corpus, quorum utrumque falsum est ; aut Filius Dei, quod pariter falsum est, quia in Filio Dei nulla sunt accidentia ; aut aliquid compositum **303** ex anima et carne, quod etiam falsum est (28**). Nam etiam quando vivebat, non erat aliquid ex anima illa et carne, imo etiam si aliquid fuisset compositum ex illis, illud esse desierat in morte, quia illa mors nil aliud fuit nisi separatio corporis ab anima. Item, mors illa temporalis quam sustinuit Christus, fuit accidens in subjecto ; fuit in eo, scilicet in quo fuerat vita humana, aut in anima, aut in corpore Christi, aut in persona Verbi, aut in composito ex carne et anima ; in anima non fuit temporalis, quia non potest mori. Unde nec in ea fuerat vita humana ; nec in corpore, quia corpus
D non est aliquid quod moveatur. Et tunc cum nihil mortuum sit nisi corpus, ibi Christus non est corpus, non potest dici fuisse mortuum. In persona Verbi non fuit illa mors, quia ipsa nullius accidentis est subjectum. Relinquitur ergo ut fuerit in composito ex anima et carne. Ergo cum illud desierit esse aliquid, quando anima a corpore est separata, aliquid, quod est Christus, tunc desiit esse aliquid ; quia Christus erat illud.

Item, ponatur quod simus in illo momento in quo

(25) Magist., III, dist. 21.
(26) Sic apud Magis., III, dist. 2, § b. Sed apud Damasc. l. III, cap. 6, sic : Unitum est carni mentis medio verbum Dei.
(27) Libro X *in Lucam.*

(28) Sic Robertus de Meleduno, ut habet in notis ad Pullum.
(28*) Magist. III, dist. 22.
(29**) Hæc verba caute legenda, et videndum quid de tali opinione scripserint auctores sententarii.

Christus est mortuus, aliquid est mors. Ergo in aliquo subjecto est mors, cum sit accidens. Ergo aliquid moritur, et illud est Christus vel non : si illud est Christus, ergo aliquid quod est Christus moritur : quod non nisi ad naturam potest referri. Divina autem natura, quæ est Christus, non moritur; humana etiam natura non moritur, quia humana natura non est Christus. Si dicatur, nil quod sit Christus moritur, difficile est assignare quid moriatur. Item, Christus in illo triduo fuit homo, fuit sapiens illa sapientia quæ fuit in anima ipsius vel non. Non invenietur aliud subjectum humanæ sapientiæ qua sapiens erat Christus, nisi anima Christi, non enim in corpore fuit, nec in composito ex carne et anima. Cum ergo Filius Dei tunc esset sapiens sapientia humana, erat sapientia quæ in alio erat quam in eo, scilicet in anima, quæ prorsus aliud est a Filio Dei. Item, Christus tunc erat homo nullam sentiens infirmitatem quam non prius suscepisset. Ergo cur prius non poterat mori? aut tunc poterat mori et loqui et currere et alia quæ faciunt homines. Item tunc erat homo. Ergo mortalis vel immortalis; si mortalis, ergo mori poterat; si immortalis, ergo mori non poterat et ita jam habebat carnem glorificatam. Item, tunc erat homo mortuus, et homo mortuus non est homo, ergo tunc non erat homo. Si enim erat homo mortuus, erat homo non vivens vita humana, et erat homo vivens, et ita erat homo vivens alia vita quam humana, et ita vivebat vita divina. Item, Christus in illo triduo erat aliquis homo, et Petrus erat alius homo. Christus et Petrus tunc erant duo homines, ergo tunc vivebant vita humana. Item, impossibile est mortem inesse alicui quin vita desinat esse in eo, Christus mortuus est morte temporali. Ergo tunc desiit vivere vita humana. Ergo in illo triduo non vixit vita humana.

Ut autem removeatur cavillatio, fiat planum quod dictum est, non posse mortem esse in aliquo, quin vita desinat esse in eo, quia hæc prædicabilia *mors* et *vita* non sunt opposita, ut privatio et habitus, qui non insunt tempore determinato et ordine irregressibili. Nam quando homo desinit vivere, tunc mors est in eo, et ita mors et vita sunt in eodem, quare non sunt opposita prædicabilia, oportet tamen quam cito adest mors tam cito recedat vita, ut statim in sequenti momento possit dici : *Istud non vivit.* Aliter enim falsum esset, *Mors paulo ante erat in isto.* Hoc autem intelligendum est de morte humana et vita humana. Ergo cum Christus mortuus sit morte humana, desiit vivere vita humana, cum hæc mors illam vitam destruat : hoc ideo dico quia mors spiritualis non destruit vitam humanam, nec vita spiritualis mortem temporalem. Tunc enim vivebat Christus vita spirituali, licet mortuus fuisset morte temporali.

(29*) *V.* in notis ad Pullum.
(30) Mag., sup. § a.
(31) Ista perstringit Walterus a S. Victore, l. *De quatuor labyrinthis Franciæ*

A Item, Christus tunc non erat mortalis; ante fuerat mortalis, illa mortalitas accidens fuit. Ergo in subjecto **304** fuit; vel anima Christi vel corpus; vel compositum ex anima et corpore; vel Filius Dei fuit ejus subjectum, quia non potest mori anima, non fuit ejus subjectum; nec corpus : sicut enim corpus non vivit, ita nec moritur; nec aliquod compositum ex anima et corpore, quia nil erat compositum ex anima et corpore, ut dictum est supra (29*); nec Filius Dei quia in ipso nullum accidens. Vel si ipse fuit mortalis, et non secundum divinam naturam. Ergo secundum humanam. Ergo secundum corpus vel animam, vel secundum compositum ex illis. Si secundum corpus, ergo in corpore ut in subjecto erat illa mortalitas; si secun-
B dum compositum ex illis duobus, ergo aliquid erat compositum ex anima et corpore. Certum est enim quod non secundum animam erat mortalis. Item, si Christus tantum assumpsisset animam vel tantum corpus, non esset verus homo. In inferno non habebat et animam et corpus, imo tantum animam. Ergo ibi non erat verus homo. Similiter nec in sepulcro, ubi tantum erat unitus corpori, et ita nusquam est verus homo. Item, Christus erat in inferno, ibi non habebat nisi animam, et non corpus, et ita non totus erat in inferno, et ita non totus ubique. Item, Christus erat homo in sepulcro, omnis homo implet locum ; ille locus plenus erat Christo, sed hoc improbatur, quia ille locus plenus erat corpore Christi et corpus Christi nil est quod
C sit Christus. Erat igitur tunc plenus alio quam sit Christus, vel tunc esset Christus; ergo non erat plenus Christo. Item, erat plenus Christo et corpore Christi, et illa erant duo ; ergo duo implebant simul illum locum : quod est impossibile.

(30) Ad solutionem prædictarum objectionum oportet scire qua ratione Christus dicatur homo, et qua cæteri homines, nam dissimilitudo est in dicto. Petrus sive alius dicitur homo propter duo, et quia habet animam et corpus, et quia habet ea unita, non enim si essent separata vere diceretur, *Petrus est homo.* Sed Christus non dicitur homo propter hæc duo, sed propter unum solum, quia unitus est Filius animæ et corpori, nec exigitur quod anima
D corpori uniatur, nam sive separata sit sive unita, non minus dicitur Filius homo, cum sit unitus humanæ substantiæ, id est animæ et corpori. Unde et in illo triduo erat homo (31), sicut ante (31*) quam unio carnis ad animam in morte Christi soluta est, quia illa solutio dicta est mors Christi, sive eadem sit unio utriusque ad alterum quæ in corpore diceretur *incorporatio*, in anima *inanimatio;* sive duæ, una in corpore, altera in anima : quod verius dicitur, quia non aliqua proprietas simul in duobus subjectis. Primo loco, hoc tamen firmissime tenendum quod eadem erat unio deitatis ad animam et

(31*) Hoc etiam attende.

carnem, quæ quidem in morte Christi non est so- A luta. Unde et tunc dictus est homo propter illam unionem quæ soluta non est. Si vero quæratur de illa unione, an esset proprietas animæ an corporis, potest dici quod utriusque, quia non est ratio quare magis istius quam illius, nisi forte prius dicatur fuisse in anima, qua mediante unitus erat corpori Filius Dei. Erat autem Christus *homo mortuus* in illo triduo : *homo*, propter unionem corporis et animæ inter se [*vel potius* cum deitate], *mortuus* propter utriusque separationem ab altero, scilicet carnis ab anima, et animæ a carne. Unde nec mortalis quidem erat tunc, nec immortalis.

Quod enim objicitur : Mortalitas illa qua fuit Christus mortalis, fuit accidens, ergo in subjecto fuit; et cum quæritur in quo subjecto fuit et hujusmodi, B ita accipiendum est ut dicatur mortalitas fuisse in corpore, et vita humana, et mors humana, quorum omnium subjectum fuit corpus Christi. Quod et Ambrosius manifeste testatur sic (32) : « Resurgebat Christus et non resurgebat. Resurgebat secundum carnem, quæ mortua fuerat, nec resurgebat secundum Verbum quod apud Deum æternaliter manebat. » Mors enim corporis nil aliud fuit, nisi separatio ejus ab anima, propter quam mortem Christus dicitur fuisse mortuus, sicut propter partem hujus **305** montis quæ videtur, dicitur iste mons videri, et ita quidem potest solvi de his.

Si tamen objiciatur de istis proprietatibus quæ insunt secundum compositionem, cujusmodi sunt locutio, risibilitas; de quorum numero videtur etiam C esse mors temporalis, et vita et mortalitas, quas tamen in corpore posuimus, difficillimum est respondere (33). Proprietatum enim quæ insunt homini, aliæ insunt secundum corpus, ut albedo inest corpori, propter quod homo dicebatur albus; aliæ secundum animam ut virtus, cujus subjectum proprie est anima, propter quod dicitur homo virtuosus : similiter et scientia, aliæ secundum compositionem quæ est ex anima et corpore, ut risibilitas cujus subjectum, nec corpus, nec anima, sed compositum ex corpore et anima, ut loqui et currere, et hujusmodi, quæ nec corpori, nec animæ insunt, sed composito ex eis. De his proprietatibus quæ insunt secundum compositionem difficile est videre quomodo assi- D gnentur Christo. Cum enim dicitur *Christus locutus est*, diciturne secundum animam, an secundum corpus? quorum utrumque constat esse falsum, quia neutrum illorum fuit subjectum locutionis Christi. Diciturne secundum compositum ex anima et corpore, sicut in cæteris hominibus? non, quia nil componebatur ex anima illa et corpore. Diciturne secundum divinam naturam? non, quia illa nullius accidentis fuit subjectum. Ergo cum nec secundum divinam naturam, nec secundum humanam dicatur de Christo quod locutus fuerit, vel fleverit et hujusmodi, quomodo hoc dicitur de illo? Nam facile est videre quomodo intelligatur quod fuit sapiens, quia secundum animam in qua fuit sapientia, vel quod fuit coloratus, quia secundum corpus ejus in quo fuit color (34). Sed de his quis me certificabit? Non sufficio explicare hujusmodi argutias (35). « Remove a sacra pagina et aufer argumenta, ubi fides quæritur. » Est fides non plus sapere quam oportet. Crede quod ita sit, nec quæras quare homo erat, nec vivebat vita humana, et in inferno erat homo, ibi tamen non habebat nisi animam. Sicut iste est hic pater, non tamen habet hic prolem. Erat tamen in inferno habens animam et corpus, sed non ibi habens; ut determinet ille ablativus verbum non participium, sicut et iste hic est habens prolem, ut determinatio sit ad verbum non ad participium. Est enim hic habens prolem alibi. Ita et Christus erat in inferno habens corpus in sepulcro. Potest enim (nisi caveas) te impedire fallacia secundum quid et simpliciter, vel secundum amphibologiam, vel secundum compositionem et divisionem (36). Quod vero quæritur, quomodo erat ibi verus homo cum non haberet ibi nisi animam, quam solam si assumpsisset non diceretur verus homo, jam solutum est, quia ibi servavit unionem illam quæ erat deitatis ad animam et corpus, qua manente non poterat dici vere non esse homo, et ibi homo, quia ibi servabat.

Cum quæritur an totus erat in inferno, an totus in sepulcro (37). Vide quid super hoc dicunt sancti. Secundum deitatem ubique totus erat, et ita totus erat in inferno, et totus in sepulcro (38), quia hoc ad personam referunt; sed non totum, quia hoc ad naturam, ne videretur innui quod utraque natura integra esset in inferno : quod falsum est. Si tamen proprie volumus loqui, nomen *totius* circa divinitatem non est admittendum quia compositionem involvit in partibus; deitas vero res simplex est et partes non habet. Unde improprie dicitur *totus Deus*, vel aliquid tale.

Quod vero quæritur an Christus locum illum impleret qui erat in sepulcro plenus corpore Christi, et ita duo implebant locum illum; dicendum quod Christus dicebatur implere locum illum propter corpus quod implebat. Quidquid enim habuit corpus illud in se, non potest dici non habuisse Filius Dei, propter unionem hujus ad illud. Inde non recipitur connumeratio inter Filium Dei et corpus, cum tamen corpus illud non esset Deus, nec **306** pars Dei, sed ei unitum. Sicut non dicitur, hoc corpus et ejus albedo; licet albedo corpus non sit, vel pars ejus, ita etiam quidquid passa est anima Christi, di-

(32) L. III *De Spiritu sancto*. V. l. *De incar. Dominicæ sacram*. c. 5.

(33) In ista etiam invehitur et in auctorem Walterus libro qui supra.

(34) Sincera Petri confessio, et in Sophismatum nugas tardior quidem, sed vetus insultus.

(35) Ex Ambrosio lib. primo *De fide*, cap. 5.

(36) Mag., sup. § P.

(37) Mag., sup. § C.

(38) Damasc. l. III *De fide*, cap. 7 in fine.

citur Deus passus. Unde et Deus mortuus dicitur, et homo de cœlo descendisse, et ita mortuus est Christus (39), et non est mortuus, secundum alteram et alternam naturam (40): « Sed quid, de quo et, quomodo et secundum quid dicatur, pius ac prudens lector diligenter inquirat. » Non me latet audivisse a quibusdam Filium Dei illo triduo non fuisse hominem, quia non habuit tunc ea quæ concurrunt ad esse hominis, et propter quæ duo alii homines dicuntur; quia licet fuerit unitus animæ et carni, non tamen illa unita erant inter se. Unde, et cum in morte desierit esse homo, et in resurrectione incœperit, non tamen bis factus est homo, quia ea secunda vice non est factus homo. Hic enim innueretur quod incœperit bis unire corpus et animam

A in resurrectione, et illa duo inter se copulare: quorum primum est falsum. Sicut ad hoc ut aliquis sit sacerdos oportet ut ordinetur, et officium celebrandi habeat potestatem. Si autem contingat aliquem degradari qui postea restituatur in gradum suum, non solet dici quod incipiat esse sacerdos, quia innueretur eum incipere ordinari. Ita etiam non dicitur quod Christus tunc incœperit esse homo. Ait enim Augustinus (41): « Anathema sit quicunque dixerit Filium Dei denuo vel bis hominem assumpsisse. » Quod enim alibi dicit Hieronymus quasi contrarium: « Anathema sit quicunque dixerit Filium Dei hominem deposuisse. » Ita intellige, non quod deitas a carne et anima esset separata, sed quia anima et caro a se erant divisa.

(39) Ita cum Magist., III, d. 21, § D. Sed benigne interpretandum cum Ambros., l. *De incarn. Domini* cap. 5.

(40) August., l. I *De Trinit.*, cap. 13, in initio.

(41) Non exstat in serm. *De fide recta*, qui est 129, de Tempore. Sed loco *Augustini*, restitue *Athanasium* l. VI *De beatitudine Filii Dei* ad Theophilum.

INCIPIUNT QUINTI LIBRI DISTINCTIONES.

Quid sit sacramentum.
Quæ sit causa institutionis sacramentorum.
Quid sit baptismus.
Quæ differentia sacramentorum novæ legis ad sacramenta veteris.
Quæ sit forma baptismi.
Quæ sit efficacia baptismi in parvulis, in adultis, in fictis, in illis qui mundi erant ante baptismum.
Quæ sit differentia baptismi Joannis ad baptismum Christi.
Quam vim habeat baptismus in his qui sunt baptizati, de quibus bene scitur et iterum baptizantur.
De confirmatione.
Quid sit sacramentum eucharistiæ et quid res sacramenti.
Quæ sit forma hujus sacramenti.
Quis modus conversionis.
Quis modus sumptionis.
Quid sit sacramentum conjugii, et quid res ipsius.
Quæ institutio.
Quæ causa efficiens conjugii.
Quæ sit causa finalis; ubi dicitur an liceat uxorem dimittere.
307 *De qualitate corporum resurrectorum.*
De spiritu quo mediante tradunt animam uniri corpori.
De suffragiis mortuorum ante diem judicii.
De statu animarum quæ a corporibus sunt separatæ, usque in diem judicii: an sit eis locus merendi.
De diversis mansionibus bonorum in patria.

LIBER QUINTUS.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit sacramentum.

(42) Inter opera nostræ salutis quæ Christus in natura humana suscepit, ultima fuerunt resurrectio, ad cœlos ascensio. Unde continue de illis post prædicta agendum esset, nisi quia nos credimus membra ascensura quo caput præcessit. Ut ergo pateat via sursum, agendum est de illa via per quam resurgemus et ascendemus, id est de sacramentorum par-

B ticipatione, ut denique in gaudio resurrectionis opus inchoatum terminetur. Unde considerandum est quid sit sacramentum, et quæ causa institutionis sacramentorum, et in quibus consistunt, et quæ differentia sacramentorum legis novæ ad sacramenta veteris legis. Sacramentum dicitur sacrum signans vel sacrum signatum, vel secretum (43). Nam sacramentum est sacræ rei signum: Signum autem est res quæ præter speciem [rem] quam ingerit humanis

(42) *Mag.*, Sent., l. IV, dist. 1.

(43) August., l. II *doctrinæ Christ.*, c. 1.

sensibus, aliquid aliud ex se facit in cognitionem venire. Signorum alia sunt naturalia ut imber, signum naturale est pluvia : alia data, ut circulus significat vinum venale. Datorum alia efficiunt quod significant, alia non, ut signa veteris legis. Ad hoc ut aliquid proprie dicatur sacramentum, oportet ut sit tale signum rei quod eam significet et efficiat, quod imaginem rei figuratæ in se gerat; quod totum potest videri in aqua baptismi. Unde sacramenta veteris testamenti improprie dicuntur sacramenta, quia non efficiunt quod significant. Inde est quod sic diffinitur : *Sacramentum est invisibilis gratiæ in eo collatæ visibilis forma.*

CAPUT II.

Quæ sit causa institutionis.

(44) Est autem triplex causa inventionis sacramentorum, humiliatio, eruditio, exercitatio. Et exercitationum alia est ad eruditionem animæ, alia ad ædificationem corporis, alia ad subversionem utriusque. Quæ omnia non pigritaremur dilucidiora facere, nisi scripta scribere otiosi et nihil agentis opus æstimaremus (45). Hæc autem omnia in libro *Sententiarum* magistri Petri plenius sunt determinata; hic tamen oportuit memorare, ut ad sequentia facilior fieret transitus.

CAPUT III.

Quæ differentia sacramentorum novæ legis ad sacramenta veteris?

Inter sacramenta veteris et novæ legis hæc est differentia, quod illa non efficiunt quod figurant, hæc autem efficiunt quod figurant : illorum unum erat quod dicebatur circumcisio, cujus loco successit baptismus, de quo quia dictum est supra, nil est hic dicendum. Sacramentorum novæ legis, alia sunt necessaria, vel generalia, alia specialia, quæ et voluntaria dicuntur. Necessaria sunt sine quibus vix habetur salus, ut baptismus, confirmatio, eucharistia, pœnitentia, unctio extrema. Voluntaria sunt sine quibus potest haberi salus, ut ordo, conjugium. Item, sacramentorum alia sunt intrantium, alia progredientium, alia pugnantium, alia redeuntium, alia exeuntium. Intrantium ut baptismus, **308** quia non dicitur aliquis de Ecclesia antequam baptizetur, sed tunc intrat, licet prius sit de ea, vitæ sanctitate; quidam enim sunt de Ecclesia prædestinatione, non vitæ sanctitate, vel sacramentorum participatione, ut Paulus existens Saulus; quidam prædestinatione et vitæ sanctitate, et non sacramentorum participatione, ut Cornelius ante baptismum; quidam quolibet modo ut Paulus quando prædicabat. Eucharistia est progredientium, unde et viaticum dicitur. Confirmatio quia datur ad robur, est pugnantium. Pœnitentia est redeuntium a regione dissimilitudinis. Unctio est exeuntium ab hac vita. Primo igitur de baptismo est dicendum, considerando quid sit baptismus, et quæ forma baptismi,
A et quæ efficacia. Ubi etiam dicetur quæ sit differentia baptismi Joannis ad baptismum Christi; quarto, quibus liceat baptizari.

CAPUT IV.

Quid sit baptismus.

(46) Baptismus est *exterior corporis ablutio facta sub forma verborum præscripta.* Unde baptismus interpretatur *ablutio.* Ex qua descriptione constat sacramentum baptismi in duobus consistere, in aqua et forma verborum. Unde Augustinus (47) : « Detrahe verbum, et quid erit in aqua nisi aqua? Accedat verbum ad elementum et fit sacramentum. » Unde sine neutro istorum servatur forma baptismi. Nam de substantia sacramenti sunt, cætera sacramentorum accidentalia sunt quæ ad decorem et
B solemnitatem inducuntur, scilicet aquæ benedictio, et hujusmodi. Unde et sine illis est sacramentum.

Sed objicitur si baptismus est ablutio, et ablutio illa est actio abluentis, vel passio illius qui abluitur, et eorum utrumque est opus hominis; ergo baptismus est opus hominis, non ergo opus Dei. Item, cum terna immersio fiat in baptismo, et quælibet illarum sit baptismus; ergo ter baptizatur parvulus, quando immergitur. Non enim videtur quod illæ tres immersiones sint unum baptisma. Item, illa ablutio corporis est sacramentum novi testamenti. Ergo idem efficit quod figurat, et ita efficit interiorem emundationem cujus est figura. Ergo opus hominis causa est remissionis peccatorum, et ita non solus Deus. Propterea dicunt quidam quod
C baptismus est quiddam quod conflatur ex actione abluentis et passione abluti, quod est a Deo et est opus Dei non hominis. Sed si veniatur ad districtam inquisitionem quid illud sit, an substantia, an accidens, difficile est assignare quid, nec est aliquid quod expressiorem habeat similitudinem cum illa interiori mundatione quam illa corporis ablutio. Unde et illam dicimus Ecclesiæ baptismum, nec est mirum si opus est hominis, et est causa remissionis peccatorum, sicut et prædicatio Pauli quæ erat opus ipsius, conversionis multorum fuit causa. Nec sunt tres baptismi tres mersiones, imo unus baptismus. Quod ergo invenitur super illum locum Joannis : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu*
D *sancto* (*Joan.* III). Aqua visibili sacramento, et Spiritu visibili intellecto, ita intelligimus, ut non dicamus aquam illam esse sacramentum baptismi, sed rem sanctificatam benedictione, vocat sacramentum.

CAPUT V.

Quæ sit forma baptismi.

(48) Forma baptismi est quam Dominus docet in Evangelio : *Euntes in mundum universum, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII). Sed quæritur an servetur forma baptismi si dicatur : *Baptiso*

(44) Mag., § C. et D.
(45) Petri Lombardi ejus præceptoris.
(46) Magist. IV, dist. 3.
(47) Tract. 80 *in Joan.*
(48) Mag., sup. § B.

te in nomine Christi. Et dicimus quoniam servatur. Licet enim hæc sit forma verborum sub qua debet fieri baptismus, *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, tamen per hoc nomen *Christus* intelligitur et ille qui ungit, id est Pater, et ille qui ungitur, id est Filius, et per quem fit unctio, id est Spiritus sanctus et **309** ita baptizabant apostoli in primitiva Ecclesia.

(49) Solet etiam hic quæri si servetur forma baptismi cum nominatur tantum una persona. De quo dicit Ambrosius : (50) « Sicut, si unum in sermone comprehendas, vel Patrem, vel Filium, vel Spiritum sanctum. Fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum sanctum abneges, plenum est fidei sacramentum. Ita, etiam licet Patrem et Filium et Spiritum sanctum dicas, et Patris, vel Filii, vel Spiritus sancti potestatem minuas, vacuum est omne mysterium. » Unde etiam Dominus dicit : *Vos autem baptizabimini Spiritu sancto* (*Act.* I). Ubi videtur nominato tantum Spiritu sancto, servari forma baptismi. Dicunt servari formam baptismi nominata tantum una persona eo quod una nominata, aliæ dantur intelligi. (51) Quod vero dicitur : « Nominatis tribus vacuum est mysterium si male de una sentiatur, » intelligendum est tantum super eum qui non intendit, nec credit baptizare, qui non tantum caret fide, sed etiam intentionem baptizandi non habet. Si vero de illo quæratur qui præpostero ordine utitur dicendo : *In nomine Filii, et Patris, et Spiritus sancti*; utrum formam baptismi servet. Potest dici quod tutius est nominare tres personas et recto ordine. Si tamen hoc fiat ex ignorantia et non hæresim introducendo, forma quidem est baptismi, sicut nominata una sola (52). Similiter de illo qui ignorans Latinam linguam dicit, *In nomine Patrias et Filias et Spirituas sanctas*, quod formam servat, quia ex ignorantia hoc facit, non ut hæresim introducat.

Si vero Gallice vel Romane proferat verba, quæritur an servetur forma baptismi. Quod videtur : ait enim Dominus discipulis : *Ite docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris*, etc. (*Matth*, XXVIII). Cum ergo idiomata gentium diversa sint, oportuit apostolos baptizare et prædicare unicuique genti in lingua quam noverat : aliter enim non intelligerent prædicatores. Quod si est, potest ergo aliquis celebrare missam in lingua materna et conficere corpus. Non ergo erit irritum sacramentum si hoc fiat. Similiter si quis Hebraice vel Græce hoc faciat. Dicunt ergo quod nisi necessitas ingruerit, non licet hoc facere, ut si quis positus inter Hebræos credentes, omnem linguam ignoret præter Hebraicam et ille similiter potest celebrare missam

A Hebraice ; quia Dominus hæc verba protulit Hebraice : *Hoc est corpus meum*, etc. (*Matth.* XXVI). Ubi vero copia est eorum qui linguam Latinam noverunt, non est opus.

Similiter quæritur de immersione, an sufficiat una immersio, an trina sit necessaria (53). In quo quidem, sicut tradunt sancti, *æmulandus* est usus Ecclesiæ. Qui tamen semel intingit, unitatem divinæ essentiæ figurat ; trina mersio trinitatem personarum denotat vel triduanam sepulturam. Quæritur tamen, si necessaria sit trina immersio, an puer semel immersus baptizatus sit, si post primam immersionem exspiret sacerdos ; vel si non est baptizatus, an sacerdos alius debeat ab eo loco incipere ubi prior terminavit, nisi bis immergat, an

B totum a capite debeat inchoare. Similiter quæritur de defectione eucharistiæ, an prolata medietate horum verborum : *Hoc est corpus meum*, ad quorum prolationem habetur transsubstantiatio, debeat alter sacerdos ubi prior terminavit, incipere, si prior terminata medietate decesserit ; an a capite revolvere? (54) Eadem quæstio est de illo qui semel immerso puero videt alium statim moriturum, nisi istum dimittat, et illi succurrat baptismi remedio. (55) In quibus omnibus divinum est implorare oculum.

Sunt qui hic ridiculam movent quæstionem, de sacerdote manco et alio habente manus, sed muto ; an servetur forma baptismi si habens manum intingat, et mancus verba proferat? Cum enim dicit.

C *Baptizo te, in nomine Patris et Filii*, etc. non videtur verum dicere, nam qui intingit, *ille baptizat*. Quæritur similiter an liceat alicui in necessitate baptizare se, si servetur forma baptismi, si hoc fiat; de forma quoque verborum quæ protulit Joannes baptizando Christum, de qua tamen forma **310** non invenitur aliquid, in quibus omnibus malo doctiores me consulere quam aliquid temere asserere. Commodius arbitror transeundum ad tertium capitulum, ubi de efficacia baptismi est agendum, quam in concilio casuum qui nunquam eveniunt elaborandum, vel in solutionibus otiandum.

CAPUT VI.

D *Quæ sit efficacia baptismi in parvulis, in adultis, in fictis, in illis qui mundi erant ante baptismum.*

(56) In parvulis hanc habet baptismus efficaciam, quod confert remissionem peccatorum originalium, munera largitur virtutum, id est fidei, spei et charitatis. Si enim, ut dicunt, gratiam tunc non recipiunt qua possint bene operari, cum fiunt adulti ; non ergo sufficit eis gratia in baptismo data, nec per illam possunt boni esse, nisi alia addatur : quæ

(49) Mag., § C.
(50) Ambros. l. *De Spiritu sancto*, cap. 3.
(51) Solutio Mag., § E.
(52) Errantem Magistrum sequitur. *De consecrat.*, dist. 4, cap. *Retulerunt.*
(53) Mag., § 1.
(54) Hæ dubitationes auctoris, tempore quo vivebat, condonandæ.
(55) Ita Augustinus in simili materia respond. *De consecrat*, dist. 4.
(56) Magist., IV. dist. 4.

si non additur, non est ex eorum culpa, quia justificati sunt a peccato; propterea tradunt in baptismo gratiam virtutum conferri, scilicet fidei, spei et charitatis, in munere et habitu, (57) non in usu. Non enim credit parvulus, nec sperat, nec diligit : habet tamen fidem, et spem et charitatem, sicut habet rationabilitatem, non tamen ratiocinatur, et risibilitatem, non tamen ridet. Unde et hæc argumentatio est facta. Iste parvulus habet fidem et non credit; ergo illa fides est mortua, quod esset dicere quod ea fide non esset bonus. Fallacia. Iste scit dialecticam, nec potest disputare posito quod sit mutus; ergo secundum illam non est bonus dialecticus, quod falsum est; habet in habitu, sed non in usu. Item, cum parvuli mundentur in baptismo ab omnibus peccatis, videtur quod, si statim decedant post baptismum, quod ad gloriam transeunt, et ita securi sumus de eorum vita. Quare ergo Ecclesia orat pro eis? non enim orat nisi pro eis qui sunt in exspectatione purgatorii. Sed tales orationes sunt gratiarum actiones (58), ut postea dicetur.

In adulto hanc habet baptismus efficaciam, quod si quis accedit corde contrito, remittuntur ei tam originalia quam actualia. Præterea conferuntur virtutes. Nulla etiam pœnitentialis satisfactio injungitur. Sed objicitur : Iste antequam esset baptizatus erat contritus ex charitate; ergo peccata fuerunt ei dimissa. Quid ergo contulit ei baptismus? Videtur superfluus fuisse, cum jam haberet charitatem. Ideo dicendum quod non fuit superfluus, quia si non baptizaretur, cum haberet locum et tempus, illa contritio non ei prodesset nisi baptismum suscepisset, et quia in baptismo magis ac magis mundatus est a peccatis. Unde : *Amplius lava me ab iniquitate mea* etc. (*Psal.* L), et solutus est a pœna satisfactionis ad quam tenebatur nisi baptizaretur, sed fides augetur ei per baptismum. (59) Nam « Fides in aquis nutritur. » Item, iste adultus qui vult accedere ad baptismum, conteritur ex charitate; ergo remittitur omne mortale peccatum, et ita contritio delet originale peccatum. Non ergo solus baptismus. Ideo dicunt quod sicut per contritionem habitam de aliis peccatis deletur peccatum oblivioni traditum, non tamen solet dici quod contritione deleatur, ita et originale per contritionem de aliis habitam peccatis deletur, non tamen datur simpliciter, *Peccatum originale deletur per contritionem*. Quod tamen admittere non mihi magnum videtur inconveniens.

Item, ex Adam contraximus et saccum et mentem sacci, id est culpam et pœnam; per donum Christi, id est per baptisma, non abluimur a pœna in præsenti. Ergo plus nocuit delictum Adæ, quam prosit mors Christi : quod falsum est. Quia, cum liberemur hic a culpa, ad commodum nostrum est quod non liberamur a pœna, ubi ita laborando in lucta consequamur coronam, unde dicit Augustinus : « Propter vitandum peccatum infirmitas reservatur, ut per hanc pœnam quam sentit, magis timeat homo ægrotus peccare. » Sicut vides quod **311** medicus duorum vulnerum quæ iste habet, unum curat, alterum relinquens, ut per illud sanies emittatur; et ita fortior demum homo resurgat. Melius est ergo illud non curari modo quam curari. Nam post curabitur et validior efficietur. Item, Adam omnibus nobis peccando meruit mortem æternam, nemo per merita Christi consequitur vitam æternam sine propriis meritis, si est adultus. Ergo efficacior fuit Adam in merendo mortem, quam Christus in merendo vitam. Fallacia. Anguilla sine hominis consensu facit eum febricitare, medicina sine ejus consensu non potest in eo sanitatem operari. Ergo efficacior est anguilla in nocendo, quam in sanando medicina : non est verum. Item, baptismus nil efficit nisi præcedat, vel comitetur, vel sequatur contritio. Ergo contritio est effectiva virtutis baptismi, sed hoc verum est per conditionem, non per causam. Fallacia. Iste non potest esse episcopus nisi litteras noverit. Ergo litterarum notitia est causa sui episcopatus.

Item, per baptismum, et quoad culpam, et quoad pœnam deletur peccatum; per contritionem vero tantum quoad culpam. Ergo melior est baptismus, quam contritio : quod quidem verum est, quia in pluribus habet præeminentiam. Econtrario tamen sic : Per contritionem sine baptismo possunt deleri peccata in adulto, sed non per baptismum, sine contritione. Ergo melior est contritio quam baptismus. Fallacia. Per medicinam potest iste sanari et sine medico, sed non per medicum sine medicina. Ergo melior est medicina quam medicus. Item, per contritionem pluries potest quis mundari a peccatis, per baptismum tantum semel. Ergo melior est contritio quam baptismus. Fallacia. Iste pluries dedit ei aliquid, ille tantum semel. Ergo iste plus dedit, quam ille. Item, sunt hic adultus et parvulus; unus reus originalis peccati, alter originalis et actualis. Iste adultus magis languet quam ille parvulus; uterque indiget remedio. Ergo adultus magis quam parvulus; uterque indiget baptizari. Ergo adultus magis quam parvulus. Econtrario parvulus non potest mundari nisi per baptismum, adultus per contritionem et per baptismum. Igitur magis eget parvulus baptismo quam adultus. Verum est quod adultus magis eget remedio quam parvulus, sed parvulus magis eget remedio baptismi. Sicut videre potes in duobus, quorum alter magis esurit altero, et qui minus esurit non potest satiari nisi uno cibo, magis esuriens pluribus : qui magis esurit, magis eget cibo, et tamen qui minus esurit magis eget cibo hoc. Ita etiam est in duobus ægrotis, quorum unus magis ægrotat alio, et qui magis ægrotat pluribus potest curari

(57) Hæc chronologice notanda circa infusionem habituum in baptismo parvulorum.

(58) Ita Robertus Pullus.

(59) Hieron. apud. Magist. hic, § E.

medicinis, et qui minus, una sola. Magis ægrotus magis indiget remedio; sed qui minus ægrotat magis indiget hoc remedio.

Dictum est quem effectum habeat baptismus in parvulis et in adultis contritis, amodo dicendum quem effectum habeat in adultis ficte accedentibus ad baptismum (60). Quod autem baptismus in eis habeat efficaciam, multis modis probatur directe et indirecte. Directe sic: iste baptizatur baptismo Christi. Ergo baptismus habet in eo plenam efficaciam. Ergo confert ei plenam remissionem peccatorum. Item, baptizatur baptismo, et iste baptismus non efficit in eo remissionem peccatorum quam tamen figurat. Ergo non est sacramentum novi testamenti, aut incompetenter assignata est differentia inter sacramenta veteris testamenti et sacramenta novi testamenti. Item, ablutio illa non efficit illam interiorem ablutionem, nec efficiet, nec efficit, posito quod semper erit fictus. Ergo non est verum sacramentum quod nihil efficit. Item, iste baptizatur auctoritate alicujus, aut Christi, aut sacerdotis. Si auctoritate sacerdotis et non baptismo Christi, ergo sacerdos remittit ei peccata. Si vero auctoritate Christi, ergo ei remittuntur peccata. Item, ille baptizat . . . . ablutio exterior ipsius. Illa est opus alicujus, aut baptizantis aut baptizati. **312** Si est opus baptizantis et est ex charitate, ergo baptismo illo meretur baptizans. Similiter meretur baptizatione, ut baptizatio dicitur actio illius qua baptizat, quæ est aliud opus quam baptismus, quia est opus operans, sed baptismus est opus operatum, ut ita liceat loqui. Ergo duobus operibus meretur qui baptizat. Eadem ratione meretur iste eleemosyna quam dat, et domo quam ædificat: quod falsum est. Nemo enim meretur nisi actione qua agit aliquid ex charitate, quæ est opus operans. Sic ergo iste non meretur baptismo illo, quia est proprietas abluti, id est passio. Si vero dicatur quod baptismus est opus baptizati, ergo est opus bonum illius, vel malum. Non est ei bonum, quia ei est ad mortem. Ergo est malum. Et ita baptismus est malum opus, et ita est malum.

Item, si baptismo illo baptizatus modo meretur mortem æternam, et postea eo merebitur vitam æternam, quando fictio recedet, et incipiet baptismus habere plenam efficaciam. Ergo aliquod opus fit modo sine charitate, quod postea vivificabitur ex charitate. Cur ergo eleemosyna quam dat aliquis in mortali peccato non vivificatur cum incipit habere charitatem, sicut et baptismus. Estne ita de Eucharistia? Item, iste merebitur opere baptismi vitam æternam quando fictio recedet. Ergo tunc aget illud opus, quia nemo meretur illo opere, nisi eo quod tunc agit, quando eo meretur: Item, prædicto quod iste fictus fuit baptizatus, et modo fictio recedit, iste tenetur pœnitere de omni mortali quod fecit. Ergo et de illo baptismo quem suscepit, cum fuerit peccatum mortale. Nam si est opus meritorium in se cum fit bona intentione, cur non potest esse meritorium mortis æternæ si fiat mala voluntate? Ergo tenetur pœnitere quia est baptizatus. Sed scit baptismum illum sibi prodesse ad salutem et se meliorem esse per efficaciam illius baptismi, quam si nunquam baptizatus fuisset. Ergo non tenetur pœnitere de illo baptismo. Item, baptismus in isto incœpit habere plenam efficaciam. Ergo ei remittuntur peccata quoad culpam et quoad pœnam. Ergo non debet ei injungi satisfactio, nec pro his peccatis quæ gessit ante baptismum, nec pro eis quæ post gessit. Item, posito quod iste baptizetur vere, ille prius baptizatus ficte nec pœnitet de fictione: huic remittuntur peccata quoad culpam, et quoad pœnam, illi tantum quoad culpam. Ergo majorem habet baptismus effectum in isto quam in illo. Iste qui ficte baptizatus est in eadem voluntate peccandi est cum illo qui nunquam baptizatur. Videtur ergo quod susceptio baptismi in isto aggravaret peccatum. Ergo iste pejor est illo, sicut qui parem habet voluntatem peccandi cum alio pejor est illo, si habeat majorem scientiam. Ergo cum contritio cum charitate possit in isto delere peccatum quoad pœnam et culpam sine baptismo sequenti, et ille per tantam contritionem sine baptismo potest mundari quoad culpam et quoad pœnam. Item, baptismus in isto prius ficto qui pœnitet, nullam efficaciam haberet, nisi præcessisset contritio. Ergo magis necessaria est contritio quam baptismus. Econtra baptismus hunc habet in eo effectum quod pro peccatis ante baptismum non injungitur ei pœna, contritio non habet in eo tantam vim. Ergo plus prodest ei baptismus, quam *contritio*.

Antiqui dixerunt quod ei qui ficte ad baptismum accedit, remittuntur peccata dum est in aquis baptismi, sed quam cito surgit de aquis baptismi redeunt peccata. Aliter enim dicunt, transitus maris Rubri non plene typum ejus obtineret; ibi enim submersi sunt Ægyptii et transierunt Israelitæ. Nisi ergo semper in baptismo remittantur et deleantur peccata, merserunt Ægyptii cum Israelitis. Moderni tamen dicunt quod nihil prodest baptismus ei qui baptizatur fictus, imo est ei occasio mortis æternæ, et ei vertitur in malum bonum quo male utitur; postea tamen cum pœnitet, et recedit fictio, hanc incipit habere vim baptismus quod non injungitur ei satisfactio pro peccatis quæ ante baptismum **313** gessit, pro illis tamen quæ post baptismum gessit injungenda est, et in eo augmentantur dona virtutum, nec oportet iterum baptizari; tunc enim suscipit rem sacramenti. Sunt enim qui suscipiunt sacramentum et rem sacramenti, ut parvuli; alii qui sacramentum et non rem, ut ficti; alii rem et non sacramentum, ut qui morte sunt præventi, et dum currunt ad baptismum ex charitate, decedunt ante intinctionem. Quod ergo dicitur incompetenter assignatam differentiam inter sacramenta veteris et novi testamenti, quia in isto non efficit

(60) Mag., § B. et seq.

quod figurat, non valet; quia efficeret nisi ejus enormitas impediret; et licet baptizetur auctoritate Christi, non tamen ei remittuntur peccata; sicut auctoritate sua dedit Christus eucharistiam Judæ, non tamen ei remittuntur peccata.

(61) Post hoc quæritur quem effectum habeat baptismus in aliis qui mundi baptizantur, ut in Joanne et Christo. Cum enim Joannes ab utero fuerit sanctificatus, et ab originali peccato mundatus, non videtur aliquid contulisse. In contrarium tamen probatur in Evangelio Joannis quod Joannes dixit Domino : *Ego debeo a te baptizari et tu venis ad me?* (*Matth.* III). Et Glossa super illum locum; *ego quidem egeo baptizari a te; et tu non eges a me.* Si igitur Joannes egebat baptismo, habebat actuale vel originale peccatum. Dicimus quia non egebat quantum ad remissionem peccatorum, quia omnino fuerant dimissa operatione Spiritus sancti antea, quia singulare privilegium obtinuit Joannes, et Jeremias propheta, et beata Virgo. Egebat tamen baptismo ad collationem majoris gratiæ ad debilitandum fomitem peccati, vel forte loquebatur in persona generis humani.

CAPUT VII.

Quæ sit differentia baptismi Joannis ad baptismum Christi.

(62) De cætero videtur assignanda differentia inter baptismum Christi et baptismum Joannis. Et manifestum est quod ex baptismo Joannis non remittebantur peccata, sicut ex baptismo Christi. Contra hoc multipliciter objicitur : Joannes dicit : *Ego baptizo in aqua, medius autem vestrum stat quem nescitis* (*Joan.* I); ergo Deus qui medius erat remittebat peccata. Ergo baptismus ille erat in remissionem peccatorum. Ad quod dicendum quod sæpe ex contritione quam cum charitate habebant qui accedebant ad baptismum Joannis, remittebantur eis peccata a Deo, sed non ex vi baptismi Joannis; imo ex vi contritionis habitæ cum charitate. Item, baptismus Joannis erat pœnitentiæ. Ergo conferebat pœnitentiam. Item, baptismus Joannis erat in remissionem peccatorum. Ad quod dicendum quod baptismus ille erat in remissionem, sed non in remissionem peccatorum, quia non in illo baptismo conferebatur remissio peccatorum, sed ad hoc valebat baptismus ut remitterentur peccata, quia assuefaciebat ad baptismum Christi in quo remittebantur peccata. Nec dicebatur baptismus pœnitentiæ eo quod pœnitentiam conferret, sed quia non baptizabat nisi pœnitentes, vel habentes signum pœnitentiæ. Fallacia primi argumenti. Opus factum ex naturali pietate in mortali peccato valet ad vitam æternam, et aliquid confert, ergo vitam æternam. Item, Joannes baptizabat in nomine venturi. Ergo Christus tunc erat venturus. Non ergo jam venerat. Ideo intelligendum est Christum tunc et si venisset in carnem, tamen venturum in cognitionem A hominum, venturum ad patiendum et moriendum.

Item, Christus nondum vim regenerativam contulerat aquis quando Joannes baptizabat, quia nondum baptizatus fuerat. Ergo nondum baptismus Christi erat in remissionem peccatorum. Item, si Christus vim regenerativam contulerit aquis quando est baptizatus, ergo, quicunque post baptizabantur in nomine Trinitatis, recipiebant remissionem peccatorum, et ita cum post baptizabat Joannes in nomine Trinitatis, remittebantur peccata in illo baptismo. Si **314** vero non contulerit tunc vim aquis, non est baptismus institutus ante passionem, et ita ante passionem non baptizabant discipuli Christi in remissionem peccatorum (63). Ad hoc dicunt quidam quod baptismus Christi incœpit habere B efficaciam vel statim quando baptizatus est, vel quando passus, vel quando dixit discipulis : *Ite, docete omnes gentes* (*Matth.* XXVIII), etc. Sed quocunque istorum modorum sit, non baptizabatur aliquis Christi baptismo antequam Christus esset baptizatus.

Item, baptismus Joannis erat a Deo. Ergo et Dei, et ita in eo conferebatur remissio peccatorum. Potest dici quod a Deo erat, non tamen dicebatur baptismus Dei, quia hæc appellatio appropriata erat baptismo Christi. Item, quæritur cur baptismo Joannis non conferebatur remissio peccatorum, sicut et baptismo discipulorum Christi, cum etiam major gratia collata sit Joanni quam alicui discipulorum, quia præceptum esset illi ut baptizaret, sicut et aliis discipulis, et baptismus ille a C Deo esset. Ad quod dicendum quod, licet Christus in propria persona neminem legatur baptizasse nisi per discipulos, tamen discipulis suis hoc concessit ut baptizarent in remissionem peccatorum, quia suo baptizabant baptismo, quod non concessit Joanni : nam sæpe rex concedit minori quod non concedit majori.

Illud autem quæritur, si quis currens ad baptismum præveniatur morte, an per contritionem quam habet ex charitate deleantur in eo peccata quoad culpam et pœnam simul? Quod videtur. Nam quod efficeret in eo baptismus, in eodem efficit contritio, et ita non transit per purgatorium, et sic habetur quod contritio delet peccata, et quoad culpam et quoad pœnam. Licet tamen in illo alio D qui baptizatus est non sufficeret tanta contritio ad delendum tot peccata, quod quia incognitum nobis est, sub silentio ponimus. Quidam tamen volunt nunquam alicui dimitti peccatum, nisi intingatur aquis baptismi : quod enim præventus fuerit morte, dicunt contingere ex peccato hominis, et ita non decedere in charitate qui sic decedit. Sed istud antiquatum est.

Item, Christus baptizavit Joannem baptismo qui fit in Spiritu; et Joannes baptizavit Christum baptismo qui fit in aqua tantum; et multo dignior est baptismus qui fit in Spiritu baptismo qui fit in aqua. Ergo digniori baptismo est baptizatus Joan-

(61) Mag., § F.
(62) Magist., IV, dist. 2.

(63) Mag., dist. 5, § F, G.

nes quam Christus. Verum est, si referatur baptismus ad personam baptizantem, falsum, si ad personam baptizatam. Nunquam tamen legitur quod Christus Joannem baptizaverit, licet ita sit in opinione laicorum.

Item, baptismus Joannis erat sacramentum vel novi, vel veteris testamenti. Si erat sacramentum novi testamenti (non enim videtur fuisse sacramentum veteris testamenti): ergo efficiebat remissionem peccatorum : ergo erat in Spiritu. Ergo non tantum in aqua. Verum est quod sacramentum erat baptismus Joannis, sicut sacramenta veteris legis dicebantur sacramenta, non tamen efficiebant quod figurabant. Similiter vero nec baptismus Joannis, potest etiam dici quod fuit sacramentum baptismi Christi, nec aliud prædicabat nisi quod homines ad baptismum Christi assuefaciebat. Unde dicebatur baptismus Joannis, quia nil ibi faciebat nisi quod ab homine fieri posset : non enim remissionem peccatorum faciebat quam solus Deus facit.

(64) Si vero quæratur, an oporteret eos baptizari baptismo Christi qui erant baptismo Joannis baptizati. Patet quod oportebat, si non habuerant fidem Trinitatis. Si vero habuerant, non oportebat eos iterum baptizari, quia jam remissa erant peccata virtute fidei, non baptismi Joannis. Si tamen postea baptizabantur, non dicebatur iterari sacramentum.

315 CAPUT VIII.

Quam vim habeat baptismus in his qui sunt baptizati de quibus bene scitur, et iterum baptizantur?

Quæritur quoque quam vim habeat baptismus in illis qui jam baptizati sunt, qui tamen nesciuntur esse baptizati? Ad hoc dicendum quod virtutes augmentantur, si sint boni. Si vero non erant boni, et ex corde baptizabantur, peccata remittebantur. Sed objicitur : iste sacerdos scit alterum istorum parvulorum esse baptizatum, sed nescit utrum; utrumque istorum baptizat. Ergo alterum istorum bis baptizat. Quod quia dupliciter est intelligere, dupliciter exponi potest. Alterum scienter bis baptizat, id est scit se alterum baptizare qui baptizatus est; ut per compositionem intelligas, verum est; si vero determinate, ut sit sensus, *Scit istum esse baptizatum quem baptizat*, falsum. Nam sic innumera faceret sacramenta, si iteraret sacramentum. Qui enim bis baptizat putare videtur quod unica mors Christi non sufficiat ad salutem hominum (cum baptismus mortem repræsentet), quod falsum est, quia non oportet Christum mori amplius qui semel pro peccatis nostris mortuus est, nec oportet istum baptizari qui baptizatus est.

Et nota quod circa hunc articulum multæ probabiles possunt fieri argumentationes, quæ omnes ad A dialecticam pertinent facultatem; et ita scrupulosam constituunt disputationem, et ideo prætermittimus.

(65) Item, Christus potestatem illam quam habet secundum quam remittit peccata, alicui posset conferre, sed hoc majus est quam creare cœlum et terram. Ergo potestatem creandi cœlum et terram posset alicui conferre; et ita posset creare creaturam aliquam omnipotentem. Item, potestas illa est Deus, alicui posset eam conferre; posset ergo alicui conferre quod esset Deus. Ad hoc dicendum quod triplex est potestas baptismi, scilicet potestas auctoritatis, et potestas excellentiæ et ministerii. Potestas auctoritatis est qua Deus peccata dimittit, quæ est B Deus, quam nulli posset conferre ut auctoritate sua peccata dimitteret. Nam ita derogaret majestati suæ. (66) Est etiam potestas excellentiæ quam Christus habet eo quod præeminentiam habet inter alios baptizandi, quam potuit dare sed noluit. Nam si quis eam haberet, non putaret aliquis se bene baptizatum nisi ab eo esset baptizatus. Unde et omnes pares sunt in baptismo. Unde nemo dicit, *meus baptismus*, cum dicatur, *meum evangelium*, eo quod unus excedit alium in prædicando, sed nemo in baptizando. (67) Potuit tamen Deus alicui conferre potentiam creatam qua peccata dimitteret, sed non dimitteret auctoritate sua, sed potius Christi, potestatem ministerii dedit omnibus.

(68) Dubitari autem solet sub quo sensu dicat C patrinus pro puero, *Credo*, vel *fidem peto*. Non enim pro puero qui nondum credit, nec sacerdos fidem dare potest. Ideo intelligendum est de sacramento fidei *fidem peto*, id est *fidei sacramentum*. Cum vero determinatur *Credis in Deum Patrem*, etc., et respondet patrinus pro puerulo, *Credo*, de motu animi intelligere debes ad quem tenetur parvulus quam cito erit adultus, sicut et pompis diaboli abrenuntiare. Sed objicitur, quando est adultus, venialiter peccat et veniale peccatum est opus diaboli; ergo non abrenuntiat operibus diaboli. Ergo est transgressor illius sponsionis quam fecit. Ad quod dicunt quod potest simul venialia peccata facere, et eis abrenuntiare quia amorem eorum postponit amori Dei, sicut aliquis possidet divitias simul et eis D abrenuntiat, quia amorem earum amori Dei postponit.

(69) Ultimo quæritur a quibus possit dari baptismus? A solis certe sacerdotibus (nisi immineat necessitas), tam bonis, quam malis. Sed servanda est intentio sicut forma; aliter enim non esset baptismus. Unde ille **316** qui ridiculose alterum immergit proferendo hæc verba quæ solent proferre baptizantes, non baptizat. Legitur tamen de Athanasio episcopo, qui pueros Judæorum viderat se immergentes, et hæc verba ridiculose proferen-

(64) Mag., dist. 2, § F. ad hunc prius offenderat cespitem.
(65) Mag., dist. 5, § A, B.
(66) Augustin., tract. 5 sup. I cap. Joan.
(67) V. Selectos articulos in doctrina Magistri et improbatos.
(68) Mag., dist. 6, § G.
(69) Mag., dist. 6.

tes quod quando adulti ad baptismum accesserant, eos noluit baptizare, ne in eis videretur iterari baptismus, æstimans primum baptismum, qui, quasi ridiculose factus fuerat, tunc habere efficaciam.

Notandum quod baptismum præcedit catechismus (quod interpretatur *instructio*) et exorcismus (quod *adjuratio*), quæ potius sacramentalia sunt quam sacramenta, quia nil efficiunt, nisi quod potestatem diaboli in nobis imminuunt, et ita peccata nostra quæ sunt causa amplioris potestatis in diabolo, et sunt quasi præparatoria ad baptismum, sicut parva medicina quæ præcedit ad susceptionem majoris.

CAPUT IX.

De confirmatione.

(70) De confirmatione nil aliud invenio dubitabile, nisi quod quæritur an sacramentum hoc dignius sit quam baptismus? Quod enim dignius sit ostenditur ita : In meliore loco datur, quia in fronte; et meliori tempore, quia jam mundato; et a majoribus personis, quia ab episcopo, et tempore apostolorum a solis apostolis; et ad majus, quia ad robur. Ergo majus est sacramentum confirmationis sacramento baptismi. Item, in confirmatione datur Spiritus sanctus ad robur, et datur parvulis. Ergo tunc suscipiunt augmentum virtutum. Ad hoc dicendum quod melior est baptismus, id est utilior quam confirmatio. Sed confirmatio est melior, et dignior, et pretiosior. Sicut aqua utilior vino, sed vinum dignius et excellentius est.

CAPUT X.

Quid sit sacramentum eucharistiæ, et quid res sacramenti?

(71) Post prædicta duo sacramenta, eucharistiæ de sacramento est agendum; et hic modeste, cum timore et reverentia, quia potius hic operatur fides quam ratio humana, unde ultra scientiam, auctoritates et testimonia, aliquid de his aut legere, aut scribere nemini est præsumendum. Hæc sunt inquirenda. Quid sit sacramentum hoc, et quid res hujus sacramenti; quæ forma, et quis modus conversionis, et alia quæ ad hoc ultimum pertinent capitulum. Sacramentum hoc dicitur invisibilis gratiæ visibilis forma, scilicet species panis et vini. Sunt enim hæc tria, sacramentum et non res, res et sacramentum, res et non sacramentum. Species panis et vini quæ remanent mutato pane in corpus et vino in sanguinem, sunt sacramentum ipsius Dominici corporis et Dominici cruoris; quia, sicut inter corporales cibos nullus magis confirmat cor hominis quam panis, nec aliquid magis lætificat quam vinum; ita nihil quod ita reficiat et satiet ut corpus et sanguis Christi. Eædem etiam species sunt sacramentum ecclesiasticæ unitatis; quia, sicut ille panis ex pluribus granis, et vinum illud ex pluribus

A acinis profluit, ita ecclesiastica unitas ex pluribus est fidelium personis. Caro etiam, quam contraxit de Virgine, est illarum specierum signata non effecta, et sacramentum ecclesiasticæ unitatis; quia, sicut corpus Christi ex pluribus membris et immaculatis constat, ita ecclesiastica unitas ex pluribus fidelium personis. Ipsa ecclesiastica unitas, res est et non sacramentum signatum et non significans. Ecce habemus quid sit hoc sacramentum, et quid res sacramenti.

Sed cum species illa panis sacramentum sit Dominici corporis, et sit sacramentum novi testamenti; **317** ergo efficit quod figurat corpus Christi. Ergo ipsum efficit. Nam hæc est differentia inter sacramenta novi et veteris testamenti. Ad hoc dicendum B quod illa species proprie dicitur sacramentum. Nec est dicendum quod sit sacramentum novi testamenti. Nam hic esset quod figuraret, id quod efficeret. Hic non fit nisi per aliquod illorum septem quæ principalia sunt. Sed dicitur sacramentum in ea significatione in qua veteris testamenti dicebantur sacramenta ut significantia non efficientia.

Item, cum species illa panis sit sacramentum carnis, et species vini sit sacramentum sanguinis, et alia sit hæc species quam illa, ergo sunt duo sacramenta. Fallacia. Alia est prima mersio quam secunda, utraque est baptismus. Ergo duo sunt baptismi, quod falsum est, imo unus. Ita et duæ C species sunt unum sacramentum corporis et sanguinis Christi. Sed tunc illæ duæ species sunt unum sacramentum alicujus corporis, vel sanguinis, vel utriusque. Si sunt unum sacramentum corporis, ergo species vini est sacramentum corporis; si sanguinis, ergo species panis est sacramentum sanguinis. Item [*f.* ideo.] dicendum quod illa duo sunt unum sacramentum illorum duorum, ita quod neutrum; et species panis est sacramentum corporis non sanguinis; similiter species vini est sacramentum sanguinis non corporis. Hæc duo illorum duorum, ita quod neutrum illorum.

Item, illæ species sunt unum sacramentum, sed illud sacramentum jam est ibi, prolatis his verbis, *Hoc est corpus*, et post, illud idem sacramentum D celebratur quando hæc verba proferuntur, *Hic est sanguis meus*, etc. Ergo bis celebratur. Ergo iteratur : quod non valet, quia non repetitur benedictio super eamdem hostiam, sed una super unam hostiam panis, et altera super aliam hostiam vini. Item, corpus Christi est sacramentum unitatis. Ergo est visibilis forma invisibilis gratiæ; at corpus Christi latet sub specie panis et non videtur; ergo non est forma visibilis. Ad hoc dicendum quod corpus non est visibilis forma, quia non est generalis illa diffinitio. Non videtur corpus Christi sicut nec manus sub cappa.

(70) Magist., dist. 7.

(71) Magist., dist. 8.

CAPUT XI.

Quæ sit forma hujus sacramenti?

(72) Post prædicta considerandum est quæ sit forma hujus sacramenti. Hæc attenditur in rebus et verbis : in rebus quidem pane et vino quæ transsubstantiantur in carnem et sanguinem Domini. Oportet autem panem illum esse triticeum et non hordeaceum ; quia hordeum cibus est jumentorum et irrationabilium, qui in honore non sunt et non intelligunt. Unde Propheta : *Homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus* (*Psal.* XLVIII), etc., et Dominus se grano frumenti comparat, dicens : *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet* (*Joan.* X). Vinum quoque et non alius liquor huic sacramento adhibetur ; quia, sicut vinum lætificat cor hominis, ita sanguis Domini animam reficit et saginat, secundum id quod scriptum est : *Et calix meus inebrians quam præclarus est* (*Psal.* XXII). (73) Verba autem ad quorum prolationem transsubstantiatur panis in carnem, hæc sunt : *Hoc est corpus meum*, etc. Ea vero ad quorum prolationem transsubstantiatur vinum in sanguinem, hæc sunt, *Hic est sanguis meus*, etc. Per reliqua omnia quæ dicuntur laus Deo profertur et oratio præmittitur pro populo, pro regibus, sicut docet Apostolus (*I Tim.* II) : hæc igitur sunt de substantia sacramenti scilicet forma verborum, panis et vinum : nam sine his non est sacramentum.

Utrum autem hæc sufficiant, non immerito quæritur. Si enim dicatur quod non hæc sufficiant non præmissis aliis, objicitur sic : Hæc verba, *Hoc est corpus meum*, etc., nullam habent efficaciam nisi præcedat invocatio Trinitatis; ergo hæc verba invocationis conferunt eis vim. Ergo majorem habent vim quam ista. Ad hoc dicendum quod duplex est invocatio, **318** exterior et interior. Interior est fides sanctæ Trinitatis et intentio sine qua non fit illa transsubstantiatio. Exterior est orationes præmissæ et Introitus missæ cum lectione Epistolæ et Graduale, quæ omnia dant efficaciam illis verbis per occasionem, non per causam, quia sunt causa, sine qua; non causa efficiens; nec sine his celebratur missa, et tamen celebrata fuit antequam hæc essent inventa, quæ causa solemnitatis reperta sunt. Hanc autem efficaciam dedit his verbis Spiritus sanctus, qui hoc revelavit Ecclesiæ, ut indutus talibus vestibus ea proferendo celebraret sacerdos divina. Non enim ex vi vestium est quod illa celebratio vim habet, sed potius ex Spiritu sancto qui sic instituit. Si quæratur an forma panis, quæ ibi est ante transsubstantiationem, sit sacramentum corporis, dicunt quidam quod tam cito est sacramentum (74) quam cito ponitur super altare ut inde conficiatur corpus Christi et nonnullorum verborum prolatione incipit esse sacramentum.

A Item, pronomen *hoc*, demonstrative ponitur in ordine istorum verborum : *Hoc est corpus meum*, etc. Ergo ibi aliquid demonstratur, aut panis, aut corpus. Si panis demonstratur, et de eo sit sermo, et dicitur vere quod sit corpus Christi. (Illa enim locutio nil nisi verum significat); ergo panis ille est corpus Christi, quod nemo dicit. Si vero per pronomen demonstretur corpus Christi; ergo jam est ibi corpus Christi antequam verba omnia sint prolata. Ergo non per verborum illorum prolationem fit transsubstantiatio, aut sine verbis fieri potest antequam proferatur hoc verbum *est* prolato hoc pronomine *hoc* : nam per ipsum potest demonstrari corpus Christi.

Quod notandum est ibi donec omnia prolata sint
B verba quæ sunt de sacramenti forma. Ideo facile erit hoc solvere dicendo quod sacerdos non profert hoc ad significandum. Unde nihil eo pronomine demonstratur, sed ad recitandum verba Christi habita ad discipulos in Cœna pridie quam pateretur. Sicut cum sacerdos dicit : *Dixit Jesus discipulis suis: Ego sum lux mundi* (*Joan.* VIII), nil demonstrat hoc pronomine *ego* : non enim profert verba illa ad significandum. Sed hoc dicto, quod verum est, non minus restat objectio de Christo, quia verba illa protulit ad significandum in Cœna. Ideo dicendum quod hoc pronomine *hoc* nihil est demonstratum donec completa sit verborum prolatio, quæ sit de forma sacramenti, quod verissimum videtur secun-
C dum grammaticorum vel dialecticorum facultates, quibus aliter multas quæstiones quæ videntur cadere in fallaciam *secundum quid* et *simpliciter* non facile est solvere. Ut *omnis homo de quo loquitur hic Socrates est homo; ergo Socrates de quo nemo loquitur est hic.* Alii dicunt, *Hoc est corpus meum*, id est *hoc*, scilicet panis iste, jam fiet corpus meum, id est *hoc* significat corpus meum; et demonstratur forma panis. Alii dicunt fieri demonstrationem intellectualem ad corpus Christi, quod jam erit ex conversione panis, qui tenetur, in corpus. Prima tamen solutio magis appropriandа est.

Sed et iterum videtur quod ad prolationem istorum verborum non mutetur panis in corpus, imo ad probationem aliorum. Legitur enim in Evangelio
D hic ordo verborum : *Accepit Jesus panem et benedicens fregit et dedit illis, et ait sumite: Hoc est corpus meum* (*Matth.* XXVI). Secundum hunc ordinem verborum prius videtur accepisse panem, postea benedixisse et dedisse illis, demum dixisse : *Hoc est corpus meum*, etc. Sed istud ulterius dixit quod videtur ex serie verborum Evangelii, et antequam hoc diceret, facta erat transsubstantiatio, in benedictione scilicet quæ jam erat præmissa. Ergo non ad prolationem istorum verborum facta est transsubstantiatio ne sit bis facta ; vel si prius in illa benedictione protulit illa verba antequam frangeret vel daret, et

(72) Mag., sub. § C.
(73) Ex Ambrosio, lib. IV *De sacram.*, c. 4.

(74) Hoc benigne intelligendum, et nonnisi analogice ad ipsam hostiam consecratam.

post iterum eadem protulit, et ita bis protulit. Non A enim alia verba legitur protulisse ad benedicendum. Ergo bis facta est transsubstantiatio. Vel in una illorum prolatione nihil transsubstantiatum est, et ita videtur **319** superflua, vel si bis prolata est forma verborum super eamdem hostiam; videtur injuria illata fuisse sacramento, quia iteratum est. Ad hoc dicendum quod bis protulit Christus illa verba. Cum enim benedixit, ea protulit; et ita ad eorum prolationem facta est transsubstantiatio; postea fregit et dedit illis, et iterum ait: *Hoc est corpus meum*, etc. Sed tunc non protulit causa benedicendi, et ideo non fuit iteratum sacramentum. Dicunt tamen quidam quod in consecratione alia verba protulit quæ nescimus, ad quorum prolationem facta est transsubstantiatio, et ita alia verba protulit in benedictio- B ne, et alia proferunt modo sacerdotes.

Solet quæri quiddam simile ei quod quæsitum est supra, cum de baptismo ageretur, utrum prolata medietate verborum, quorum vi sit transsubstantiatio, ratum esset sacramentum si forte necessitate ibi sisteret sacerdos, vel obmutesceret, vel morte præventus, et utrum oporteret super hostiam illam totam benedictionem repetere ab alio proferendam sacerdote, an esset ibi incipiendum ubi terminavit. Sed credimus ho i ini non esse revelatum; et ideo non diu hic immorandum, sed nunquid si prolatis his verbis: *Hoc est corpus meum*, etc. integre, quiesceret sacerdos, nil aliud perfecturus (cum jam esset facta conversio panis C in corpus, et ibi esset sanguis) completum esset sacramentum? Videtur quia ibi est caro et sanguis, et anima, et Deitas. Quod si dicatur nil obest. Dicunt tamen quidam quod non est completum sacramentum, donec omnino prolata sint utraque verba, nec facta est transsubstantiatio panis in corpus donec orolata sint hæc verba, *Hic est sanguis*, etc.

Item, corpus Christi nunquam est sine sanguine, nec sanguis sine corpore, ad prolationem istorum verborum completam, *Hoc est corpus meum*, etc. Facta est transsubstantiatio panis in corpus antequam proferantur hæc verba, *Hic est sanguis*, etc. Tunc est corpus cum sanguine in altari; ergo tunc est ibi sanguis. Ergo est ibi conversio vini in D sanguinem, vel non. Si conversio vini in sanguinem, sicut corpus in conversione panis in carnem; ergo ex vi illorum verborum et panis in corpus, et vinum in sanguinem est conversum. Ita ergo ad prolationem eorum quæ sequuntur, istorum scilicet *Hic est sanguis*, etc. Non fit panis vel vini conversio in corpus vel sanguinem; ergo superflue proferuntur illa verba: vel si ad utramque prolationem utraque fit conversio; ergo prorsus eamdem vim videntur habere, et ita iteratur sacramentum quemadmodum si repeterentur illa verba semel prolata. Imo potest quæri quis panis, vel quod vinum convertitur cum dicitur forma, *Hic est sanguis*, etc. Non enim relinquitur panis et vinum super altare cum prolatio istorum verborum est completa, *Hoc est corpus meum*, etc., quia jam facta est transsubstantiatio utriusque in utrumque. Ad hoc dicendum quod ex prolatione istorum verborum, *Hoc est corpus meum*, etc., non convertitur vinum in sanguinem, sed panis in carnem; non est tamen caro sine sanguine. Est enim ibi sanguis, sed non per conversionem, id est non est aliquid ibi conversum in sanguinem donec proferantur hæc verba, *Hic est sanguis*, etc. Ex quibus fit transsubstantiatio vini in sanguinem quod est positum, quod non est transsubstantiatum donec hæc verba proferantur: *Hic est sanguis*, etc. Sicut et anima est in corpore illo, non tamen per animæ conversionem.

Sed ad hoc objicitur, panis mutatur in corpus Christi prolatione illorum verborum; ergo in corpus cum sanguine, vel in corpus sine sanguine. Si in corpus cum sanguine; ergo in sanguinem conversus est panis. Si vero in corpus sine sanguine, ergo corpus est sine sanguine. Sed patet esse dandum quod panis convertatur in corpus, non tamen cum sanguine, vel sine sanguine, sicut Christus voluit pati non tamen cum peccato Judæorum, vel sine peccato eorum.

320 CAPUT XII.

Quis modus conversionis (75), *quantum valet explicari?*

Dicto quid sit sacramentum, quid res sacramenti et quæ forma, dicendum est de modo conversionis. Sunt autem tria genera conversionis. Est unum genus conversionis, quando aliqua substantia transit in aliam ut sit ejus materia facta varietate proprietatum circa materiam et materiatum. Unde dicitur ovum esse animal potestate, quia inde fit operatio naturæ, vel filix unitur quia fit operante artifice. Secundum est, quando fit mutatio proprietatum, ut manente eadem substantia fiat proprietatum circa eamdem rem variatio. Ut quando ista deposita mollitie et assumpta duritia per decretionem fit panis, et ita fuit corpus uxoris Loth mutatum in lapidem. Est tertium genus mutationis quod hic tantum invenitur, quando scilicet substantia panis in substantiam corporis Christi transit, manentibus tamen omnibus proprietatibus quæ erant in pane. Nam post conversionem illam apparet albedo in hostia et rotunditas, et characteres; substantia tamen panis mutata est in substantiam Dominici corporis.

(76) Ad hoc objicitur, aliquid quotidie transit in corpus Christi, ergo quotidie augetur corpus Christi; non enim mirum tot substantias in corpus Christi transisse absque augmentatione. Ad hoc

(75) Magist., dist. 11. Hæc tria verba exstabant in codice Victorino, et non in nostro.

(76) Mag. hic., § B.

dicendum quod ideo augetur corpus Christi, quia substantia panis transit in illud idem corpus quod de Virgine traxit, quia invariabile est, quotquot in ipsum transeant, nec augetur, nec minuitur, eo quod res quæ transeunt per conversionem non manent in rerum generibus. Sicut si fieri posset quod aliquod lignum inciperet fieri manus mea, non ideo augeretur, quia non maneret res illa in rerum numero.

Item, panis iste vertetur in corpus Christi; ergo versione illa erit corpus Christi; ergo iste panis erit corpus Christi, et ita aliquid erit corpus Christi quod modo non est corpus Christi; et ita quod non est natum de Virgine erit corpus Christi. Ergo non unum solum est corpus Christi. Item, corpus Christi fuit panis iste qui a sacerdote positus est in altari, et fuit ille panis qui ab illo est oblatus. Ergo fuit et unus et alius panis, et ita fuit unum et aliud, et ipsum modo non est, et aliquid quod non est sumptum de Virgine, propter hoc dicendum quod vere dicitur: *Iste panis vertetur in corpus Christi, transibit:* et quoties sumuntur ibi verba ad mutationem pertinentia concedi potest, præcipue tamen cum dicitur: *Panis iste transsubstantiatur in corpus Christi*, quia nullum verbum adeo proprie hic ponitur sicut *transsubstantiari*, quia substantia in substantiam transit, manentibus eisdem proprietatibus. Cum vero dicitur panis transformabitur in corpus Christi, non est satis expressum, quia non transit forma in formam. Quidquid autem sit de his nequaquam est dandum, *panis iste est corpus Christi*. Videtur enim quod, facta proprietatum variatione, maneret identitas substantiæ secundum naturam Verbi substantivi, potest tamen dari, *panis transsubstantiatione erit corpus Christi*.

De aqua illa quæ admiscetur vino, quæritur an transeat in sanguinem, vel in aquam quæ fluxit de latere Christi, an maneat non conversa, et si convertatur, ad quorum verborum prolationem, an ex vi istorum, *Hic est sanguis*, etc. An aliorum, quia non legimus alia quorum prolatione fiat transsubstantiatio. Volunt quidam ejus transsubstantiationem fieri, quia si non convertitur, ejus signatum, id est Christianus populus, non convertitur in corpus Christi quod est Ecclesia. *Nam aquæ multæ, populi multi* (*Apoc.* XVII). Item, si aqua non mutatur, ergo manet pura aqua. Ergo post celebrationem non est sacerdos jejunus. Item, Hieronymus ait super Marcum: « Christus formans sanguinem suum in calicem vino et aqua mistum,
321 ut alio purgemur a culpis, alio redimamur a pœnis, super hoc quia nil certum ab alio didicimus, nec nos aliquid diffinire audemus. (77) Utrum irritum sit sacramentum nisi aqua apponatur solet quæri. (78) Et dicitur quia non est ideo irritum.

A Quod si forte ex oblivione vel negligentia prætermittitur, valde corripiendus est qui non apponit. Et significat aqua illa populum Dei qui corpori Domini unitur, id est Ecclesiæ per charitatem, sicut aqua inseparabiliter vino admiscetur. Significat etiam fidem, sicut vinum spem, et panis charitatem, ut alibi determinatur.

(79) Item, accidentia illa quæ remanent mutata substantia panis, sunt in aliquo subjecto aut in pane, aut in corpore Christi, quia non est aliud invenire. In corpore Christi non sunt, quia illud non habet rotundam formam, imo humanam. In pane non sunt, quia facta transsubstantiatione panis in corpus, non remanet ibi panis. In quo igitur subjecto sunt? Item, panis quando convertitur in corpus, aut desinit esse
B aut non; si non desinit esse, ergo erit et non erit aliquid nisi corpus Christi. Ergo iste panis erit corpus Christi. Non enim erit panis cum convertatur nunc in corpus Christi. Si vero desinit esse nunc, aliqua est causa peremptoria quæ facit ipsum desinire esse, sicut vetustas facit rem in se deficere, et ignis eam consumit, et dissolutio partium ea quæ composita sunt facit desinere esse. Ita desinit esse hoc scamnum, quando in partes dissolvitur. Sed nil istorum potest hic assignari (80). Ideo dicunt quidam hac ratione (81) panem converti in corpus, quia ubi est panis ibi incipit esse corpus, ut simul fit hoc cum illo, et in pane illo sunt accidentia illa. Alii dicunt ideo panem verti in corpus, quia ubi erat
C prius panis, modo est corpus, et *desinit ibi* esse panis quod redigitur in primordialem materiam, vel in se consumitur. Alii verius dicunt quod panis essentialiter ex vi verborum fit corpus *Christi, nunquam* tamen panis ille erit corpus Christi, et sunt illa accidentia sine subjecto (82). Quomodo sit, penes illum est qui hoc potest. Non enim sunt in corpore Christi, quod non habet talem formam, imo potius humanam, quæ non videtur ibi, licet in ea forma sit ibi.

Item, corpus Christi fit ex pane, non ergo tantum de purissimis sanguinibus beatæ Virginis. Fallacia. Statua tantum ex ære constat. Ergo non ex materia et forma. Ingerit enim se phantasia æquivocationis, cum hæc præpositio, *ex*, notet conversionem in priori
D pronomine; postea materiam, scilicet in conclusione. Sicut apparet in instantia ubi hæc propositio, *ex*, posita in priori pronomine significat materiam, in conclusione exigentiam. Ad hoc enim ut aliquid sit statua, exigitur æs et forma, licet neutrum sit eius pars, nec utrumque a natura [materia].

Solet etiam quæri, si sanguis Domini admisceatur liquori, utrum liquor ille vertatur in sanguinem. Nec enim possunt inveniri verba ad quorum prolationem fuit talis transsubstantiatio. Ideo dicunt talem transsubstantiationem nequaquam fieri postquam conse-

(77) Mag., § H.
(78) Hæc responsio est Hugonis a S. Vict. V. in notis ad Pullum
(79) Magist., dist. 12.

(80) Mag., d. 11, § D.
(81) Error est impanatorum.
(82) Egregie, licet illud nondum suo tempore certum habuisset.

cratus est sanguis. Unde cum sacerdos bis celebraturus sit missam, non debet in prima celebratione sumere vinum sanguine mistum quia non esset jejunus in secunda celebratione. Si eis objiciatur de aqua quæ admista aquæ benedictæ fit etiam benedicta, respondetur hoc non esse authenticum, neo unquam in auctoritate reperitur aliquid ita contactu alicujus rei sanctificari, nisi quod in Veteri Testamento legitur carnibus oblatis a principe pro peccato omnia sanctificari quæ eis tangebantur in genere suo, ut carne carnem, simila similam (*Levit.* VI et VII).

Item, Christus pridie quam pateretur formam verborum determinaverat ad quorum vim transsubstantiandus erat panis in verum corpus Christi, et ministerium hujus officii apostolis concesserat, cum dixit : *Hoc facietis quotiescunque sumetis in meam commemorationem*. Ergo secunda die post illam jussionem ad prolationem istorum verborum de pane poterat confici corpus Christi. Sed corpus Christi tunc separatum erat ab anima per veram mortem ipsius, **322** Ergo si hoc fieret, esset tunc corpus inanimatum, et si quis tunc sumeret corpus Christi sumeret inanimatum. Ad hoc dicunt quod ea die non poterat consecrari panis in corpus, nec istud potuit fieri ab apostolis nisi post resurrectionem. Unde etiam Ecclesia instituit ea die missam non celebrari, tribus se ingerentibus causis, vel quia in veritate immolatur, cujus hæc cæteris diebus mystica sunt sacramenta, vel quia ipse pontifex Christus ea die per semetipsum ad inferos descendit ; vel quia, templo soluto et altari depulso, non est in quo corporis et sanguinis Christi offeratur hostia. Inde etiam est quod beatus Ambrosius instituit ne unquam sexta feria missa celebraretur Mediolani.

Item, corpus Christi tenetur manibus sacerdotis, manducatur, atteritur dentibus, frangitur in tres partes; istæ partes sunt aliqua, nulla illarum est reliqua, quælibet illarum est corpus Christi. Ita quot sunt partes corporis Christi tot sunt corpora Christi, imo habetur (83) quod pars corporis Christi est corpus Christi cujus est pars; quod videtur impossibile. Quod autem corpus Christi frangatur, non tantum ex prædictis, sed ex aliis patet. Ubi est fractio, aliquid ibi frangitur; non panis, quia non est ibi, et ita corpus Christi frangitur. Quid tamen Dominus Jesus discipulis abeuntibus propter sermonem qui eis videbatur durus respondit? Quod carnaliter intelligebant, quod spiritualiter intelligendum erat. Putabant enim carnem Christi quem videbant in ea forma quam cernebant morsibus lacerandam et comedendam, dentibus atterendam. Quem carnalem sensum Dominus in eis condemnabat. Ad hoc dicendum est quod corpus Christi ideo dicitur videri, quia forma illa panis sub qua velatur videtur. Cum

A ergo aliquod verbum vel ad sensum hominis pertinens, vel corruptionem ad quam innuens de Christi corpore dicitur, non ad ipsum essentialiter, sed ad formam est referendum, de quo dicitur quod videatur, tangatur, gustetur, frangatur; ipsum vero corpus non essentialiter videtur, nisi in sacramento, id est in forma illa panis extrinseca, quæ visui se offert velans mysterium, nec ipsum essentialiter frangitur cum maneat incorruptibile et integrum, nec in partes dividitur. Dicunt tamen quidam quod non est ibi fractio cum tamen esse videatur : quibus obloquitur Ambrosius (84): ait enim : « Nil falsi putandum est in sacrificio veritatis, velut in magorum præstigiis, ubi delusione quadam falluntur oculi, ut videant esse quod non est (85). » Alii dicunt ibi esse fractio-

B nem, nihil tamen frangi; est enim sine subjecto, quod quidem miraculose fit. Confessio tamen Berengarii fuit, et plerique hoc sentiunt, quod ipsum corpus Christi essentialiter frangatur, dentibus atteratur, et tamen integrum maneat et incorruptibile.

Item, dicit Augustinus (86) : « Caro carnis et sanguis sacramentum est sanguinis. Carne et sanguine utrobique invisibili, spirituali, intelligibili significatur corpus Christi visibile, palpabile, plenum gratia et divina majestate. » Et hic videtur dicere aperte quod caro Christi sit aliquid quod videtur; et sanguis similiter (87). Sed utitur hic quodam tropo loquendi, quod res significans nomine rei significatæ vocatur. Unde cum species panis significet carnem, nomine carnis hic appellatur, et species vini nomine

C sanguinis. Utrumque ergo dicitur invisibile, et spirituale et intelligibile, scilicet species panis et species vini, quia Christi caro secundum illam formam non videtur caro; nec sanguis secundum illam formam videtur sanguis. Utroque ergo significatur, corpus Christi visibile in altari, non hominibus, sed angelis qui assistunt, ubi in propria forma eis apparet, sicut in cœlo empyreo, ubi in ipsum sancti angeli desiderant prospicere (*I Petr.* I), ibi etiam est palpabile.

Item, corpus Christi est locale; aut ita est in loco quod facit distantiam localem, sicut omne corpus; aut diffinitione loci est in loco, quia ita est in uno loco quod non in alio, licet in eo non faciat localem distantiam, sicut sunt angeli et animæ. At neutro

D **323** istorum modorum dicitur corpus Christi locale. Non enim implet locum faciendo distantiam localem; nam sic uno et eodem tempore infinita loca impleret; quod est impossibile. Non est verum quod sit in loco diffinitione loci, scilicet quod ita sit in uno quod non sit in alio, cum sit similiter in pluribus locis. Ideo dicendum quod ita est in loco quod loci diffinitione continetur, quia ita est in uno loco quod non in quolibet, licet in pluribus similiter. Item anima Christi simul est in empyreo cœlo, et in altari ubi corpus Christi. Non ergo videtur esse

(83) Sic Hilarius (ubi pars est corporis, ibi est et totum); et apud Hieronym. *De consecrat.* dist. 2, cap. *Singuli*. Vide tamen Glossas ibi.

(84) Citatus etiam a Magistro hic, § B.

(85) Mag., § D.

(86) In libro *Sentent.* Prosperi et habetur *De cons.* dist. 2, c. *Hoc est*.

(87) Ita solvit Mag., dist. 10, § C.

in loco diffinitione loci, quia ita est in uno loco quod in alio, et ita videtur aliarum animarum naturam excedere. Nullus enim Spiritus simul in pluribus locis est, non nisi anima Christi. Quod non est mirum, nam sicut habuit singularem statum beatitudinis, ita etiam singularem modum localitatis.

Item, anima Christi est in cœlo, et ipsa est alibi: ubicunque est corpus Christi ibi est anima Christi, et econtrario. Ergo anima Christi est in cœlo, et corpus est alibi. Ergo separata sunt anima et corpus a se invicem. Ad hoc dicendum quod si subintelligatur exclusio facta per hanc dictionem *quam*, cum dicitur anima Christi est in cœlo, et corpus Christi est alibi, ut intelligatur, *quam in cœlo*, falsum est; quia generalis est exclusio, et esset sensus quod non esset corpus Christi in cœlo. Sicut nemo recipit, iste est doctior quam aliquis homo, cum unum superet in doctrina. Si vero intelligatur exclusio per ablativum facta, ut sit sensus, anima Christi est in cœlo; et corpus Christi est alibi, id est in alio loco a cœlo, verum est: Non enim tunc excludetur quin sit in cœlo, sicut vides quod iste est sapientior aliquo homine. Item, cum corpus Christi in os suscipiatur, utrum os dilatetur quod possit corpus Christi in os suscipi, sive quantitas corporis ut in os concludi possit contrahitur. Ad quod dicendum, quod ea virtute qua potuit super mare ambulare, corpore non nisi alleviato et mari non solidato, et qua corpus suum virginitate servata de materno utero sive de sepulcro clauso produxit, sive qua potentia discipulos suos de ergastulo nihilominus tamen clauso exire fecit, eadem quoque virtute corpus suum non breviatum, non diminutum in oris angustias recipere facit.

Item, in canone missæ habetur post consecrationem: ***Jube, Domine, istud deferri in sublime altare tuum sociandum corpori tuo.*** Nam duo videtur petere sacerdos, et quod deferatur in altare sublime, quæ petitio est otiosa, quia est ibi corpus Domini, et ut societur ibi corpori Christi, quod inutile est; nam ipsum corpus quod super altare est, est illud idem quod est in cœlo. Non ergo ei sociatur. Nam ita idem sibi sociaretur. Non est autem societas nisi diversarum rerum. Nec de pane puro hoc intelligi potest, tum quia post consecrationem, quando hæc verba proferuntur non est ibi panis; tum quia etiamsi adesset non deferretur in cœlos. Ideo ita intelligendum est quod ibi dicitur. Nam ideo dicitur deferri quia orat sacerdos quod sicut corpus Christi in cœlos est delatum, ubi pro nobis Christus interpellat apud Patrem, ita per consecrationem et sumptionem illam efficiatur ut pro nobis apud Patrem interpellat. Nam illa consociatio nil aliud est nisi continua interpellatio pro nobis. Vel ita, ***Jube, Domine, corpus tuum deferri in sublime altare tuum associandum corpori Christi***, id est (88) ut unitas Ecclesiæ quæ signatur et efficitur corpore Christi quod est hic, associetur corpori Christi, id est Ecclesia militans Ecclesiæ triumphanti: et est quædam figura per quam quod est figurati attribuitur figuranti. Vel ita: Quædam dissociatio videtur quod corpus Christi hic videtur sub forma panis et non in propria forma. Petitur ergo ut desinat hic videri sub forma panis, et ut a nobis videatur in cœlo empyreo, ubi ab angelis videtur in propria forma. Vel ideo dicitur deferri in sublime, quia post susceptionem non est corpus Christi in altari. Super hoc tamen dubitatur quemadmodum sit **324** corpus Christi in altari, vel in eo qui sumit; et dicunt quandiu servatur sapor qui remanet facta transsubstantiatione, tandiu est ibi corpus Christi. Cum vero nec sentitur sapor, nec apparet species panis, non est ibi corpus Christi, quia non est ibi sacramentum sub quo velabatur.

Item, corpus Christi aut est animatum aut inanimatum: inaminatum non est; est ergo animatum, et panis vertitur in corpus Christi. Ergo panis vertitur in corpus animatum; ergo in animam: quod falsum. Ideo dicunt qui multa legerunt se non invenisse in auctoritate hæc verba, et ideo novitates verborum in his non admittunt. Mihi videtur veritatem verius non posse exprimi quam si dicatur corpus Christi esse animatum, id est anima vivificatum; nunquam enim fuit inanimatum nisi in triduo mortis. Item, corpus Christi aut est simplex aut compositum: non est simplex, cum *fuerit compositum* dum fuit mortale. Ergo est quodam compositum. Ergo habet partes. Ergo in eas dividi potest, et ita corruptibile est. Nec obest si dicatur quod sit compositum, et quod partes habeat; non tamen dividi potest, quia glorificatum est et incorruptibile factum. Sicut corpora sanctorum post diem judicii immortalia erunt et incorruptibilia, et tamen non ideo minus corpora.

CAPUT XIII.

Quis modus sumptionis.

(89) Ultimo restat dicere de sumptione Dominici corporis. Modus sumendi duplex est, sacramentalis et spiritualis: Sacramentaliter sumunt boni et mali; nam sacramentaliter sumere est ipsam carnem veram Christi sumere, sive inde percipiatur fructus, id est ecclesiastica pax, sive non. Spiritualiter sumunt soli boni: spiritualiter sumere est fructum provenientem ex carne Domini sumere; id est esse de unitate Ecclesiæ, sive sumatur corpus Christi sive non. De qua sumptione dicit Augustinus (90). « Ut quid paras dentem et ventrem? crede et manducasti. Nam credere est manducare. » Et nota quod ecclesiastica unitas dicitur caro Chri-

(88) Hanc solutionem habet Glossa marginalis ad cap. 72, *De consecrat.*, dist. 2, can. *Utrum sub figura.*

(89) Magist., IV, dist. 9.

(90) Citatur communiter ex lib. *De pœnit. remedio*, et apud Algerum ex l. II *De pœnit.* Sed videtur hic textus confect. ex tract. 25, et 26 ejusdem August. *in Joan.* ut apud Ivonem.

sti spiritualis. Unde : *Nisi manducaveritis carnem meam et biberitis meum sanguinem*, etc. (*Joan.* vi).

Sed objicitur : Iste reprobus qui charitatem habet ad præsens, sumit corpus Domini ; in eo efficit quod figurat, cum sit verum sacramentum novi testamenti. Ergo ipse est electus : dicit enim auctoritas (91). « Sacramenta in solis electis efficiunt quod figurant » Item, iste sumit Christum qui sumit corpus Domini, quo nil est melius. Ergo sumit id quo nil est melius; falsum ergo dicit sacerdos dum orat (92), « ut per ea quæ sumimus potiora sumamus, » cum nihil sit potius Christo. Ideo resolvendum est illud nomen, scilicet potiora, in adverbium, ut sic intelligatur, potiora sumamus, id est melius, scilicet meliori modo. Modo enim ita sumitur à nobis quod non est nobis vita æterna nisi per causam, sed tunc fruemur visione deitatis ipsius, et carnem ejus glorificatam oculis glorificatis cernemus, et ita meliori modo ei uniemur quam modo, quia et eam diligendo, quod fit hic : sed plus ibi : et eam facie ad faciem contemplando, quod non est hic. Sed ibi nec separari poterimus. Eodem modo intelligitur illud (92) : « Perficiant in nobis sacramenta tua quod continent, ut quod nunc spe gerimus rerum veritate capiamus. » Modo quidem rerum veritatem capimus, sed occultam : tunc autem manifestam. Vel ita, ut per ea quæ per hoc sacramentum hic sumimus, id est per fidem, spem et charitatem, sumamus potiora, id est vitam æternam, quæ potior est omni virtute.

Item, Christus suum corpus dedit discipulis mortale et passibile : nobis datur immortale et impassibile. Ergo melius datur nobis quam illis : quod verum est, non quantum ad effectum : sed ipsum melius, id est gloriosius. Ita enim, *melius*, accipitur super Apostolum, *tanto melior angelis effectus quanto differentius præ illis* **325** *nomen hæreditavit* (*Hebr.* i). Non enim potest dici effectus melior angelis secundum deitatem vel animam, cum nihil boni in resurrectione accreverit, nisi impassibilitas ; sed secundum carnem quæ facta est gloriosa in resurrectione, et angelicam naturam excellens, cum prius esset in mortalitate et passibilitate. Item, habet auctoritas : « Hoc efficit corpus Christi in sumentibus quod in se habet ; » in se habebat mortalitatem et passibilitatem quando illud dedit, ergo in sumentibus efficiebat mortalitatem et passibilitatem. Ideo dicunt quod licet discipulis datum sit mortale, erat tamen immortale, id est potens non mori, et immortalitatem efficiebat, id est hoc conferebat sumentibus digne ut non possent mori. Nam aliud significat nomen ad quod fit relatio, et aliud positum in prolatione. Sicut et cum dicitur : « Manus meæ quæ vos fecerunt, clavis fixæ sunt. » Item, tunc dedit discipulis suis corpus mortale et passibile. A Ergo terebatur dentibus, frangebatur, patiebatur; sed istud non valet, dictum est enim supra, quia nec etiam modo quando est glorificatum teritur, aut frangitur nisi sub forma, ita etiam nec tunc. Ex confessione tamen Berengarii colligitur quod ipsum essentialiter frangatur, alteratur, manens tamen incorruptibile et integrum : quod quoquomodo intelligendum sit, alibi determinatum est. Fuerunt tamen qui dixerunt Christum naturaliter habuisse corpus immortale et impassibile et gloriosum : sed, ut videretur et pateretur, fecerat illud mortale ad tempus ; et in cœna talem se dedit discipulis qualis erat naturaliter, quia talis in modico loco potest esse. Ita etiam in transfiguratione apparuit in carne tali qualem naturaliter habebat. B Quomodo autem in ore singulorum fuerit simul uno eodemque momento, non intelligitur, nisi hoc dicatur fieri miraculose, sicut etiam hodie est in pluribus locis simul et miraculose. Nec est enim natura corporis glorificati ut sit in pluribus locis simul, sicut nec glorificati. Vanum tamen mihi videtur in hujusmodi laborare, et sequi naturam in miraculis.

Illud etiam quæritur, utrum corpus suum sacramentaliter acceperit quod videtur sumi ex eo quod dicit Augustinus (93) super illum locum Psalmi LXVIII : *Et dederunt in escam mihi fel, et in siti mea potaverunt me aceto.* « Jam Dominus escam acceperat qui cum discipulis Pascha manducaverat; » C quod tamen sic impossibile probatur. Nam ubi veritas est, non est necessarium sacramentum. Sed Christus veritas manens in se erat, nec propter sumptionem uniretur sibi, cum ipse esset ille cui uniri debemus. Ergo non indigebat tali sumptione, nec etiam poterat sumere. Dicimus ergo quod nunquam sacramentaliter accepit, sed manibus ad sumendum sacramentaliter discipulis dedit, et ideo dicitur sacramentaliter accepisse, quia in manibus ad dandum, non in ore ad manducandum.

(94) Item, dicit auctoritas : « Anathema sit qui mutat ordinem Jesu Christi. » Christus post cœnam agni figurati corpus suum discipulis dedit. Ergo etiam nos debemus post cœnam tam dare quam accipere. D Vide ergo quia Christus post cœnam agni paschalis corpus suum dedit ut ostenderet terminata esse legalia, inter quæ post sacrificium vitulæ rufæ, dignius erat sacrificium agni paschalis, et eis succedere sacramenta novi testamenti quorum primum et præcipuum est sacramentum eucharistiæ. Ideo etiam quia ea quæ postremo dicta sunt vel facta facilius memoriæ commendamus. Ipse igitur a discipulis corporali præsentia discessurus, et ad invisibilia paternæ majestatis migraturus hoc memoriale cordibus discipulorum voluit intimare.

(91) In collecta quadam.

(92) In alia collecta : Mag., dist. 9 § C.

(93) August. ad hunc versum psal. Acceperat ipse escam suavem quando Pascha manducavit cum discipulis suis ; ibi sacramentum sui corporis demonstravit.

(94) Cyprian. quid simile habet ep. 63 *De sacramento Domin. calicis.*

(95) Ideoque post typici agni immolationem supponens rei figuranti figuratum, corpus suum discipulis pransis dedit. Voluit tamen ut a successoribus jejunis pro reverentia tanti sacramenti illud idem corpus sumeretur, et ideo non est mutatus ordo ille Christi Jesu, quia ipse Jesus Christus hunc ordinem approbat. Item, ipse Christus dedit corpus suum **326** discipulis quos sciebat in proximo peccaturos. Ergo non consulebat eorum utilitati. Ergo non erat diligens eorum doctor.

Quæritur etiam an iste sacerdos debeat dare corpus Domini illi quem scit in mortali peccato esse, nec potest eum convincere. Ergo a communione Ecclesiæ non debet eum sequestrare. Ergo si peccat debet ei dare. Econtrario magister ejus est; tenetur ejus providere saluti. Ergo non debet ei dare, unde sit deterior. Ad hoc dicendum quia si ille peccat debet ei dare; si tamen sciat eum esse in mortali peccato debet eum monere ne accipiat, quia *qui indigne manducat, judicium sibi manducat et bibit* (*I Cor.* XI). Sicut enim ait Augustinus (96): « Non prohibeat dispensator manducare, sed exactorem moneat. » Si quis tamen in criminali peccato manifeste perdurat, prohibendus est; occultus vero monendus. Dominus autem Jesus sæpe monuit Judam ne acciperet, quando innuebat quod esset eum traditurus dicendo : *Qui intingit manum mecum in paropside, hic est qui me tradet* (*Matth.* XXVI). Videtur tamen invitasse cum dixit, *Accipite ex hoc omnes* (*Marc.* XIV). Sed hoc ita intelligatur, id est vosmet tales præparate ut possitis digne accipere.

Si quis quærat an melius faciat sacerdos quando ei quem scit esse in mortali peccato, purum panem dat, quam si porrigat corpus Domini sub forma panis si ille peccat. Dicendum est quia peccat quando panem purum porrexit, nec ille minus peccat qui sumit putans se sumere corpus Domini : quando vero corpus sumit, solus ille peccat qui manducat. Item, solet quæri cum Dominus corpus suum dederit discipulis, et nondum esset glorificatum, an poterat videri in illo triduo a discipulis sub forma humana nondum glorificata, quam nil prohibet ab oculis mortalium absque velamine conspici, et an in illo triduo lateat sub forma panis et vini, et an in propria forma videretur a sumentibus. De hoc nihil legimus vel audivimus determinatum.

Item, iste sumit totum Christum sub specie panis, et postea totum sub specie vini. Ergo bis sumit. Sunt igitur duæ ibi sumptiones, sicut duæ species, vel si nihil sub specie vini sumit quod non prius sumptum sit sub specie panis. Ergo superfluit altera sumptio. (97) Ideo dicendum quod non est duplex sumptio, sed una sola. Sicut nec iste bis manducat qui bibit, et postea iterum manducat, nec est superfluum quod idem sumit sub duplici specie. Nam panis ad carnem refertur, vinum ad sanguinem, in quo, secundum philosophos, est sedes animæ. Ut ergo notetur quod et verum corpus et veram animam habuit et utrumque liberavit, sub duplici sumitur. Nam si tantum sub specie panis sumeretur, videretur ad solam corporis mutationem valere; si vero tantum sub specie vini, ad solam animæ sanitatem innueretur sumptio fieri. Si quis quærat an sit duplex sumptio si semel sub specie panis, et iterum sub specie panis sumitur corpus Christi, dicendum quod non est duplex in sacerdote, quia in una missa plures hostias sacrificavit, et in eadem sub pluribus speciebus corporis sumit, si non sufficiat numerus hominum ad edendum. Si tamen homini laico sub duplici specie panis porrexit, potest dici eum bis communicasse.

Item, non totus sanguis fluxit de latere Christi, alia pars fluxit et alia superfluxit, et neutra fuit altera. Si quis tamen tunc sumeret Christi sanguinem sumeretne et eum qui fluxit et eum qui superfluxit, et si fieret conversio vini in sanguinem transsubstantiaretur in utrumque, an in alterum? Ab hujusmodi cavillationibus arbitror hic potius supersedendum quam eis insistendum. (98) « Aufer argumenta ubi fides exigitur. » Illud potius inquirendum, an sit dandum quod iste sumat animam Christi qui sumit totum Christum, vel *sumat deitatem*, sed absurdum est talia concedere. *Nil enim* dicitur hic sumi nisi quod manducatur. Non ergo dandum est, *iste manducat animam Christi*, quia non pertinet ad animam eam manducari, licet totum Christum sumat, quia totum (99) quando est masculini generis ad personam refertur **327** quando est neutrius, ad naturam, sicut dicitur, totus erat Christus in sepulcro, sed non totum.

(100) Item, quæritur an sit vera immolatio quæ quotidie fit in altari, a sacerdote, et an quotidie immoletur Christus, quotidie occidatur, et ita non sufficit una mors Christi. Ad quod dicendum quod immolatur Christus in sacramento, et illa immolatio non ob aliud dicitur immolatio, nisi quia repræsentat veram immolationem quæ semel facta est expansis manibus in cruce. Sicut pictura repræsentat id cujus est imago, et sicut imago nomine rei quam significat dicitur, ut imago Achillis dicitur Achilles; ita immolatio illa nomine veræ immolationis, quæ semel facta est nuncupatur (1). Tamen cum cætera sacramenta extra Ecclesiæ unitatem celebrari pos-

(95) V. Cypr. citatum.
(96) Ex eo sic *De consecr.*, dist. 2, c. 67 : Non prohibeat dispensator manducare pingues terræ in mensa Domini, sed exactorem moneat timere.
(97) Mag., dist. 11, § F.
(98) Ambrosius, supra.
(99) Totum, est naturæ repræsentativum, totus, autem hypostaseos Damasc., l. III *De fid.*, cap. 7 in fine.
(100) Mag., dist. 12, § G, H.
(1) Male item Mag., dist. 13, qui discipulo lapis fuit offensionis

sint, illi qui excommunicati sunt non possunt hoc A sacramentum conficere, quia non dicunt *offero* sed *offerimus* quasi ex persona Ecclesiæ (2). Missa enim, ut dicit Augustinus, dicitur eo quod missus cœlestis adveniat ad consecrandum corpus; ideo nisi angelus veniat, missa nequaquam vocari potest. Sed ad invocationem hæretici vel excommunicati non venit angelus.

CAPUT XIV.

Quid sit sacramentum conjugii, et quid res ipsius.

(3) Septem sunt sacramenta, de quorum tribus huc usque dictum est, id est de baptismo et confirmatione et eucharistia. Nunc esset agendum de quarto, id est de pœnitentia, nisi supra, ubi de pri- B ma gratia tractabatur, quantum ad propositum attinebat dictum fuisset. De quinto, id est de ordinibus, nil hic dicendum eo quod decretistis disputatio de his potius quam theologis deservit. Quæ circa sextum, id est conjugium a theologis solent inquiri, sub compendio sunt perstringenda; nec enim animus nobis est complectendi omnia quæ circa conjugium possunt inquiri, cum pleraque decretistarum potius quam theologorum famulentur inquisitioni. Videndum est ergo quid sit sacramentum conjugii, et quid res sacramenti, quæ institutio et quæ causa efficiens, et causa finalis et causæ divortiis animadvertendæ: quæ clarius patebunt prius cognito per diffinitionem quid sit conjugium. *Conjugium est viri et mulieris maritalis conjunctio* C *inter legitimas personas individuam vitæ consuetudinem retinens.* Sacramentum est hic consensus animorum et carnalis copula, nec sunt duo sacramenta, sed unum sacramentum unionis Christi ad Ecclesiam, quæ fit per charitatem, et corporalis quæ fit per naturæ conformitatem. Cujus etiam signum est carnalis copula, sicut consensus animarum spiritualis unionis. Sicut vides quod species panis et vini non sunt duo sacramenta, sed unum; species panis significat corpus Christi et non sanguinem; species vini sanguinem et non corpus. Sed objicitur. Dicit enim auctoritas (4): « Non est perfectum conjugium sine commistione sexuum. » Ergo inter Mariam et Joseph non fuit perfectum conjugium. D Ideo ita est intelligendum *non est perfectum*, id est non plene exprimit unionem Christi et Ecclesiæ, non exprimit corporalem, sed spiritualem. Item, conjugium est sacramentum novi testamenti. Ergo efficit quod figurat; ergo efficit unitatem Christi et Ecclesiæ. Ad hoc dicendum quod hoc sacramentum in veteri testamento celebrabatur, sicut et in novo, et antiquius est omnibus sacramentis; nam institutum fuit in paradiso cum Dominus dixit: *Crescite et multiplicamini* (*Gen.* II).

CAPUT XV.

Quæ sit institutio.

(5) Est enim duplex institutio hujus sacramenti, una ad officium in paradiso ante peccatum; nam sicut modo meretur homo aliquo bono opere, ita mereretur tunc opere **328** conjugii, et esset sine incentivo libidinis: post peccatum vero fuit ad remedium. Sed objicitur: Quando Dominus dixit: *Crescite et multiplicamini*, præcepit conjugium. Ergo transgressores fuerunt qui non conjugati sunt. Sed Abel non fuit conjugatus: Ergo transgressor fuit, ergo mortaliter peccavit. Si vero dictum fuit secundum indulgentiam, ut videtur dicere Apostolus (*I Cor.*, VII), et indulgentia non est nisi ubi præcedit culpa, ergo in omni conjugio est culpa. Ad hoc dicendum quod hoc præceptum fuit in paradiso, et post peccatum ante multiplicationem generis humani. Similiter post diluvium ante multiplicationem generis humani dictum est hoc sub præcepto. Multiplicato vero genere humano fuit indulgentia, id est concessio vel permissio. Nam hæc duo significat hoc nomen *indulgentia* (6). Cum vero præceptum sit de his sine quibus non est salus, consilium de maximis bonis, ut de continentia; permissio de minoribus malis de quibus est coitus qui est in conjugio, qui esset mortale peccatum nisi excusaretur honestate nuptiarum. Concessio de minoribus bonis est, ut conjugium. Item, conjugium est sacramentum: ergo opere illius sacramenti potest homo mereri; sed coitus est opus illius conjugii, eo ergo meretur homo. Sed contra: totus homo tunc est caro. Ergo non adhibet Spiritus sanctus præsentiam suam. Ergo non potest fieri sine mortali peccato. Item, dicit Gregorius (7): « Delectatio illa sine peccato nullatenus esse potest. » sed non potest esse coitus sine delectatione. Ergo coitu illo non potest mereri homo. Ad hoc dicendum quod opere conjugii meretur homo, quando hac sola intentione dormit cum uxore sua, ut inde prolem suscipiat. Nam opus illud fit ex charitate et est ibi delectatio: quæ quidem esset mortale peccatum nisi excusaretur per bona conjugii, quæ sunt tria: fides, proles et sacramentum. In fide attenditur ne vir ad aliam, vel uxor ad alium accedat; in prole, ut causa ejus procreandæ commisceantur, ut Deo religione educetur; in sacramento, ut quandiu vivunt non separentur spiritualiter, etsi quandoque utriusque consensu corporaliter. Quod ergo dicit Gregorius: « Delectationem illam non esse sine peccato, » intelligendum quando homo vel causa incontinentiæ vel libidinis explendæ cum uxore dormit; tunc enim est veniale.

(2) Citatus apud Mag. hic.
(3) Mag., IV, dist. 26 et 27
(4) Aug. ut habetur hic dist. 26, § G.
(5) Mag. supra.

(6) Mag., dist. 26, § D.
(7) Greg. resp. 10 ad interrog. Augustini: « Voluptas ipsa esse sine culpa nullatenus potest. »

CAPUT XVI.

Quæ causa efficiens conjugii.

(8) Efficiens causa matrimonii est consensus animorum. Sed nunquid conjuges sunt isti, si juret vir se ducturum eam, et illa se illi nupturam? Non, nisi per verba de præsenti consensus exprimatur, ut dicat vir, *Accipio te in meam*, et mulier, *Accipio te in meum*. Sed quæritur cujus rei sit consensus, an carnalis copulæ, an cohabitationis (9)? Si enim consensus cohabitationis efficit conjugium, ergo inter fratrem et sororem potest esse legitimum conjugium, cum sine peccato possint simul cohabitare. Si vero consensus carnalis copulæ causa est matrimonii, ergo inter Mariam et Joseph non fuit verum matrimonium, quod nunquam beata Virgo in carnalem copulam consensit. Quod ita ostenditur: (10) Proposuerat manere in virginitate. Ergo vel non consensit in carnalem copulam, vel votum fregit. Item, dicit auctoritas (11): « Post votum non tantum nubere, sed et velle nubere, peccatum est. » Beata Virgo voverat virginitatem et postea nupsit. Ergo ex hoc peccavit, et ita votum fregit. Item, legitur quod Christus revocavit Joannem volentem nubere, si volebat nubere. Ergo volebat esse subditus legi uxoriæ. Ergo volebat ut non haberet potestatem sui corporis, sed mulier. Ergo volebat ei reddere debitum si exigeret. Item, Joannes ex charitate volebat obedire legi; lex volebat ut quilibet duceret uxorem; imo maledicebat eum qui sterilis erat et semen super terram non relinquebat (*Deut.* vii). Ergo Joannes volebat filios generare et virginitatem voverat. Ergo contra votum fecerat.

329 Ad hoc dicendum quod consensus conjugalis, societatis expressus verbis de præsenti facit matrimonium, qui consensus non potest legitime contrahi inter consanguineos. Dicendum est ergo (12) quod beata Virgo proposuerat manere in virginitate, sicut et Joseph, et uterque hoc cognoverat de altero, revelante Spiritu sancto, et neuter tamen votum expresserat, quod postea fecerunt. Non ergo consensit Maria in carnalem copulam, nisi id addatur, si Deo placeret, cui virginitatem suam commiserat. Consensit tamen in conjugalem societatem, et consensit in hoc ut redderet debitum viro, si Deus disponeret. Eodem modo dicendum de Joanne. Solent etiam quærere utrum apostoli possent uxores ducere, cum Apostolus dicat: *Unusquisque habeat suam uxorem propter fornicationem* (*I Cor.* vii). Sed intelligendum id esse datum ab Apostolo, non ut præceptum, nec ut consilium, sed ut permissionem: non poterant apostoli qui confirmati fuerunt, postea uxores ducere sine peccato: quod est minus perfectorum; cum eis dictum sit a Domi-

A no: *Sint lumbi vestri præcincti et lucernæ ardentes* (*Luc.* xii), etc.

Quæritur etiam an consensus verborum sine consensu animorum faciat matrimonium (13). Et dicunt quod conjugium est inter sic consentientes, sed peccant mortaliter qui sic copulantur, quia in corde et corde loquuntur. Non ideo tamen deperit ipsa dignitas sacramenti. Sicut verum baptismum suscipit qui fictus accedit, tamen non prodest ei donec fictio recedat. Item, hic sunt duo conjugati. Ergo trigesimum fructum recipient, sed et ipsi fiunt continentes et non conjugati. Ergo recipient fructum sexagesimum. Sed illi alii tantum sunt continentes et non conjugati. Ergo recipient fructum sexagesimum et non trigesimum. Ergo majorem fructum recepturi sunt isti qui duplicem recipient quam isti qui unum, quod falsum est, quia parem habent charitatem illis. Ad quod dicendum, sicut supra dictum est, quod non sit distinctio fructuum secundum naturam et quantitatem, ut ita superent se præmia in quantitate, sicut et numeri se excedunt. Recipiens enim fructum trigesimum beatior est quandoque eo qui recipit sexagesimum. Sed secundum significationes numerorum quas supra distinximus, ita præmiorum differentias, secundum auctoritates sanctorum, assignavimus: imo etiam isti conjugati non sunt recepturi fructum continentium, quia paratus est uterque alteri debitum reddere, si poposcerit. Non est autem ita in continentibus. Quidam tamen dicunt eos secundum digniorem statum judicandos, ut dicantur recepturi fructum continentiæ et non conjugatorum.

CAPUT XVII.

Quæ causa finalis conjugii ubi dicitur an libeat alicui uxorem dimittere.

(14) Causa finalis conjugii multiplex est, quædam honesta, quædam inhonesta. Honesta est procreatio sobolis, reconciliatio pacis. Inhonesta, quæstus divitiarum, forma mulieris, satietas libidinis: nec tamen malus finis sacramentum contaminat, sicut in Jacob qui duxit Rachelem ob pulchritudinem. (*Gen.* xxix). Non tamen negamus quin peccet mortaliter, qui causa faciendæ libidinis uxorem ducit. Non tamen minus est verum conjugium. Excusatur etiam coitus a mortali peccato per bona conjugii; forte tamen actio hujus qui hac intentione uxorem ducit, ut libidinem expleat, mortale peccatum est; non autem si ideo ducat, quia continere non facile potest.

Quæritur de duobus consanguineis infidelibus, qui cum essent conjugati ad fidem conversi sunt, an sint modo conjuges. Quod ostenditur. Legitima

(8) Mag., sup. § C, et dist. 28.

(9) V. lib. *De sancta Virginit.*, c. 5; l. *De nupt. et conc.*, ut habetur 29; q. 2, cap. *Sufficiat.*

(10) Beda, sup. I cap. *Lucæ.*

(11) August., l. *De sanct. viduit.*, c. 8.

(12) Ex Augustino, l. xxiv *Contra Faustum* cap. 8 et 9.

(13) Mag., iv, dist. 27, § C. Si autem verbis explicant quod tamen corde non volunt; si non sit coactio ibi, vel dolus; obligatio illa verborum quibus consentiunt dicentes, *Accipio te in virum*; et, *Ego te in uxorem*, matrimonium facit.

(14) Magist., iv, dist. 30, § D, E, et dist. sequenti.

fuerunt personæ ad contrahendum matrimonium et verum fuit inter eos conjugium, utraque persona vivit, ergo veri conjuges sunt. Hæc quæstio multis quæstionibus ventilata, a quibusdam ita solvitur, ut dicatur verum conjugium fuisse inter istos; sed nec ratum nec consummatum. **330** Nam verum conjugium est ubi est spirituale vinculum tantum, ut in legitimis plene personis et virginibus. Ratum [*al.* neutris] vero est spirituale vinculum et tale quod dissolvi non potest ut in plene legitimis et tantum; nam neutræ separari possunt, licet verum sit inter eos conjugium, quia non est ratum. Consummatum est, ubi intervenit commistio sexuum, licet tamen verius dicatur quod inter consanguineos, cujuscunque essent professionis, nunquam verum fuit conjugium, ex quo cæremonialia cœperunt cessare, unde cum omnes Judæi teneantur subesse legibus Christi, et lex Christi non patiatur consanguineos copulari, non sunt legitimæ personæ ad contrahendum, in quibus vinculum consanguinitatis reperitur. Si ergo, dum Judaicæ professionis erant, non erant veri conjuges in prædicta linea consanguinitatis, eo quod ritus ille Judaicus de ducendis consanguineis cum adventu Christi cessare cœpit, multo minus conjuges sunt, dum Christi legibus subsunt.

Item, posito quod aliquis duxerit sororem suam nesciens esse sororem, nunc primo percipit esse sororem, sed non potest testibus convincere quod sit sua soror; uxor istius poscit ab isto debitum, et veri conjuges sunt. Ergo iste tenetur ei reddere. Econtrario isti consanguinei sunt. Ergo non sunt veri conjuges. Ergo neuter tenetur alteri debitum reddere. Item, Ecclesia conjunxit istos servata forma conjugii, et adhibuit quamdam diligentiam ad hoc. Ergo verum fuit inter eos conjugium. Ergo Deus approbat illud conjugium. Ergo coitus ille qui est inter hos duos non displicet Deo. Ergo non est incestus. Ad hoc dicunt quod iste cum non possit testibus convincere hanc esse sororem suam, debet persuadere hoc Ecclesiæ omnibus modis quibus potest. Si vero Ecclesiæ non acquieverit, tenetur debitum reddere uxori, si poposcerit: sed exigere non debet. Ecclesia enim in his fallitur. Dicunt tamen quidam quod non est conjugium inter eos nec debent cohabitare sicut veri conjuges. Alii vero dicunt quod et conjuges sunt, et uterque tenetur alteri debitum solvere.

Item, *solius Dei est judicare de occultis*, hominis vero de manifestis. Iste comprobat testibus hanc non esse consanguineam suam, cum sit tamen, et uterque consentit in alterum: Ecclesia judicat istos esse conjuges. Ergo de occultis judicat, quia istud est ei occultum quod sint conjuges. Ergo peccat. Item, non debet illam ducere in uxorem. Ergo nemini est manifestum quod debeat illam ducere. Ergo nec Ecclesiæ est hoc manifestum, et Ecclesia judicat hunc debere illam ducere. Ergo Ecclesia judicat de occultis, et ita peccat. Item, quicunque facit quod non debet, peccat: Ecclesia facit quod non debet, quando copulat istam isti. Ergo peccat. Quod autem Ecclesia faciat quod non debet, ita ostenditur quia non debet, consanguineos conjungere, et hoc facit, et nescit eos esse consanguineos. Ergo facit quod non debet. Ad hoc dicendum quod auctoritas illa, *solius Dei est judicare de occultis*, ad bonas actiones et indifferentes debet referri, de quibus nemo debet judicare sinistre, cum possint fieri tam bona quam mala intentione. De malis autem actionibus quæ nullo bono fine fieri possunt potest homo judicare, quia hæc sunt manifesta mala, et potest referri tam ad actiones quam ad omnia hujusmodi, et tunc accipitur, *manifestum*, in duplici sensu. Nam dicitur *manifestum* quod est certum, et ita non est manifestum eos debere conjungi, qui non est certum, non est verum; dicitur etiam *manifestum* pro testibus approbatum, sive verum sit, sive falsum: et de talibus manifestis licet Ecclesiæ judicare; et ita dicetur manifestum istum debere illam ducere in uxorem, quia testibus approbatum, sicut etiam manifestum est istum debere suspendi qui testibus convictus est furti, licet innocens sit.

(15) Causam divortii inter conjuges Dominus in Evangelio docet esse fornicationem: quod intelligendum est tam de spirituali quam de corporali. Si tamen separentur, neutri licet **331** nubere postea. Plures autem erant in veteri testamento quas docet Moyses in Deuteronomio, propter quas permittebant Judæi dimittere uxores, dato libello repudii, ubi una causa vel plures scriptæ continebantur. Quod etiam usque in hodiernum diem observant Judæi, eos tamen ostendens peccare mortaliter in Evangelio qui ob aliam causam quam propter fornicationem uxores dimittebant.

Unde objicitur: Moyses permisit eos dimittere uxores, quod erat mortale peccatum; et scienter hoc faciebat et ad eum pertinebat eos redarguere. Ergo mortaliter peccabat. Item, permissum fuit mortale peccatum. Ergo et permissio ejus qui permittebat. Item, contraria fuerant instituta Christi et Moysi, quia Moyses ob multas causas permittebat dimittere uxorem, Christus ob solam causam fornicationis. Ergo alteruter peccavit in institutione; sed non Christus; ergo Moyses. Item antequam causæ assignarentur a Moyse propter quas licebat uxorem dimittere, mortale fuit peccatum dimittere et post causas assignatas similiter. In nullo ergo alienatum est illud peccatum a crimine post permissionem. Item, ob nullam causam poterat dimitti uxor ab aliquo in veteri testamento qui non peccaret mortaliter; modo si dimittatur ob causam fornicationis, non est mortale peccatum. Ergo firmius erat sacramentum conjugii in veteri testamento quam in novo. Ad hoc dicendum quod Moy-

(15) Mag., dist. 33 § C.

ses sustinuit minora mala, ut vitaret majora; sciebat enim Judæos esse crudeles, pronos ad effusionem sanguinis, et cito interempturos uxores si displicerent eis, nec possent dimittere; et ideo dato libello repudii certas causas divortii continente, eas permisit dimitti; non quod, dimittere non esset mortale peccatum, erat enim; sed ne deterius facerent, id est eas interficerent. Unde Dominus dicit in Evangelio, quod propter duritiam cordis eorum hoc dedit Moyses (*Matth.* XIX). Et nota quod est triplex genus permissionis: Quandoque enim permittitur quod nisi permitteretur mortale esset peccatum; sed quia excusatur, aut mortale peccatum non est aut nullum; et talis permissio potest dici concessio, et talis est coitus qui fit in conjugio quod permittitur, id est conceditur; quandoque aliquid permittitur, quia non potest vitari et est veniale peccatum; tales sunt primi motus. Unde *irascimini et nolite peccare* (*Psal.* IV). Quandoque aliquid permittitur ne fiat majus malum; non quod non sit malum et mortale peccatum, sed quia minus malum est alio, quod fieret, si illud non fieret. Sic permittebat, id est sustinebat Moyses dimittere uxores, non quod non esset mortale peccatum, sed quod minus malum erat quam eas interficere, quod facerent si inviti cum eis habitarent; et tamen nullam pœnam temporalem inferebat Moyses. Deus tamen illud puniebat æternaliter. Et habes simile his omnibus in ægroto qui nullatenus potest abstinere quin comedat carnes vaccinas, vel arietinas. Medicus dehortatur ab utroque; sed quia videt eum pertinacem in proposito, permittit, id est sustinet, ut si alterius vescendum sit, potius arietinas quam vaccinas comedat, quia minus nocent. In hoc autem alleviatum est peccatum permissione, quia cum prius inferretur pœna a Moyse, si uxor dimitteretur; post datam permissionem nulli pœna temporali multabantur, licet ad pœnam æternam reservarentur. Licet autem contraria essent instituta Christi et Moysi, non ideo contrariæ erant institutiones, sicut contraria sunt quæ voluit Deus et iste homo, non tamen sunt contrariæ voluntates eorum. Sed melius mihi videtur quod idem sit institutio in hoc loco quod institutum, et quod institutio Moysi non fuerit contraria instituto Christi. Cum et Christus vellet Moysen hoc permittere, id est tolerare; et Moyses si quis ob aliam causam quam propter fornicationem uxorem dimitteret, non approbaret.

Quæritur, si post dimissionem nuberet uxor alii, an esset conjugium illud extremum. Quod non videtur. Erant enim veri conjuges prior vir **332** et prior uxor. Licet enim essent separati corporaliter, non tamen spiritualiter, et ita pristinum manebat conjugium. Quare extremum non erat conjugium, A ideo dicunt quia non erat conjugium inter eos qui aliis dimissis inter se contrahebant. Nec ideo tamen erat fornicatio in coitu, quia tunc pauci erant fideles et quocunque modo permisceretur homo mulieri, tunc ad procreandum hominem in cultu unius Dei permansurum, minus erat peccatum si etiam modo aliquis in sua uxore carnaliter delectetur. Unde et plures licebat tunc habere uxores, ad quarum tantum unam erat conjugium (16): reliquæ concubinæ erant propter augmentandum Dei populum. Hæc de multis quæ circa conjugium inquiri solent sub compendio perstrinximus, non ignorantes quin et alia multa circa idem sint dubitabilia, et inquisitione digna, sed pleraque ex illis revolventium decreta potius quam sacram paginam tractantium B disputationi sunt accommodata.

De ultimo igitur septem sacramentorum, id est extrema unctione, ultimo loco esset agendum, nisi quia fere nulla disputabilia circa ipsum audivimus; et si quæ sunt, alibi sufficienter scripta continentur. Ne ergo scribentes, nil agentis opus agere videamur, ab his supersedendum esse censemus.

CAPUT XVIII.

De qualitate corporum resurrecturorum.

(17) Ultimum operis incœpti capitulum in eo terminabitur propter quod et prædictis sacramentis nos humiliamus, et in quod laboris nostri intentio summopere dirigi debet, videlicet in resurrectione et ascensione (18). Resurgent ergo omnes tam boni C quam mali in ea ætate in qua mortuus est Christus; in differenti quidem statura, unusquisque *in* ea cujus fuit dum triginta duorum *annorum erat*, vel ad quam perveniret, si id temporis viveret: boni quidem sine deformitate aliqua membrorum. Non enim singulæ partes ad ea membra quorum fuerunt partes redibunt, sed vel ad ea, vel ad alias. Non enim quod fuit pars capilli, necesse est futurum esse partem capilli in resurrectione, ne sit indecens capillorum prolixitas; sed vel ad capillos, vel ad alias partes redibit, sicut patet in imagine, cujus si confracta est non quælibet partes eorum erunt quorum fuerunt partes in restitutione; sed vel ad eas vel alias partes transibunt.

D Sed objicitur: Porcina caro comedendo transit in carnem hominis, et tota caro hominis resurget. Ergo et caro porcina, non porcina, sed humana. Ita potest dici de homine qui devoratus est a lupo, et transit caro hominis in carnem lupi, et ita resurget et caro lupi et resurget etiam caro hominis quæ in eam transierat. Sed hanc objectionem solvit Veritas, dicendo in Evangelio, quia *omne quod in os intrat foras vadit et in secessum emittitur* (*Matth.* XV) (19). Præbet tamen cibus nutrimentum corpori,

(16) Hæc ad mentem Magistr. qui dist. 33, § B, sic ait: « Ex his apparet quod sancti Patres ante legem sine peccato plures habuerunt uxores vel concubinas; eas enim nunc uxores appellat Scriptura, nunc concubinas. » V. in Notis ad Pullum, *De extrema unctione*.

(17) Magist., IV, dist. 44.

(18) Ex Augustino, l. XXII *De civit.*, c. 14.

(19) Item offendiculum in doctrina Magistri hic, § B.

quia eo sustentatur; multiplicatur et crescit augmentatione partium; nec ideo transit cibus in carnem hominis sicut testantur physici; vel si forte in eam transit, non in illam quæ est de veritate humanæ naturæ, et quæ in futuro judicio resurget. Item, omnis homo resurget cum qualibet parte sua, sed costa fuit pars Adæ de qua facta est mulier. Ergo ipsa in Adam resurget, et sic duæ animæ erunt in corpore ipsius. Ita etiam omnis hominis caro in eo, quia cujuslibet hominis caro in eo materialiter fuit et de veritate humanæ naturæ in eo. Ideo dicimus intelligendum de partibus quæ non fuerunt animatæ, sed illa costa animata fuit.

Item, semen illud quod formatur in puerperium, est de veritate humanæ naturæ. Ergo resurget. Ergo pars illius corporis a quo seminatur, vel alterius, quia per se nunquam resurget, eo quod nunquam animabitur, sed resurget in eo a quo seminatur et ipsum habet corruptionem, unde obnoxium est pœnæ, quia in voluptate seminatum est, et ab illa corruptione (20) **333** non est mundatum alicujus sacramenti remedio. Ergo in illa parte illius corporis ad quod redibit semen punietur homo. Quod autem materia in se habeat corruptionem, ex hoc manifestum est, quia si anima infunderetur, ab eo corruptionem contraheret, et tamen puniretur homo ille in corpore et in anima, nisi per baptismum aliquod sacramentum mundaretur. Ad hoc dicendum quod semina quæ nunquam concipiuntur nunquam resurgent; quod testatur Ambrosius sic (21): « Informes partus quis non proclivius deperire arbitretur, sicut semina quæ nunquam concepta fuerunt. » Item, cujuslibet sancti corpus post resurrectionem spirituale erit et immortale, non egens alimonia ciborum: tale fuit corpus Christi post resurrectionem. Tunc ergo non subjacebat humanis sensibus: quod falsum est. Tunc enim ipsum tetigit Thomas qui misit manus suas in loco clavorum (*Joan.* xx). Post etiam legitur comedisse (*Luc.* xxiv). Dicitur etiam quod cicatrices reservat usque in diem judicii, ut eas crucifixoribus suis ostendat, ut videant *in quem pupugerunt* (*Isa.* xvi, *secund.* LXX, et *Apoc.* i). Ergo aliqua corruptio est in ejus corpore, quia cicatrix corruptio est. Ad quod dicendum quod spiritualia erunt corpora sanctorum post resurrectionem, et agilia quia nil obstabit eis, quia septem habebunt dotes in corpore, et septem in anima, quæ modo non habent: et tale fuit corpus Christi post resurrectionem. Quod enim videbatur, tangebatur et hujusmodi, miraculose fiebant. Quod enim comedebat, hoc erat ut verum corpus se habere ostenderet. De cicatricibus autem tradunt quidam sancti quod eas habet et reservat in diem judicii, et sunt ei ad gloriam, non ad confusionem, sicut et multis post victoriam cicatrices sunt ad decorem, et ad gloriam, non ad ruborem; et ita non est aliqua corruptio in corpore Christi. Alii dicunt quod modo non sunt cicatrices in ejus corpore, sed ostendet eas in die judicii in corpore glorificato miraculose, sicut econtrario in die transfigurationis in carne corruptibili et mortali ostendit gloriam suæ claritatis miraculose et sicut illa ostensio fuit ad tempus, et hæc ad tempus erit. Dicunt tamen quidam quod *omnis caro videbit salutare Dei* (*Luc.* iii) in judicio, in ea forma corruptibili quam ad tempus tunc assumpturus in cruce habuit; sed post judicium bonis apparebit in carne glorificata. (22) Intelligentes illud, « tollatur impius, ne videat gloriam Dei, » non tantum de gloria Deitatis, sed de gloria glorificatæ humanitatis.

Potest in hoc loco quæri an post resurrectionem in corpore glorificato erunt quinque sensus, visus, auditus et cæteri. Si enim erit ibi gustus, et ad hunc usum in quo modo est in anima, igitur tunc poterit humana natura appetere cibum. Ergo tunc erit corpus animale. Item, tunc erunt corpora localia, facientia distantiam aeris ad aera, et si cujuslibet quantitas tanta sit futura quanta fuit in ætate triginta duorum annorum, tunc tantum inane occupabit quodlibet, quantum modo, et aliquid erit medium inter unum corpus et aliud et non omnes poterunt esse in valle Josaphat. Item, cum visus futurus sit in anima hominis, videbitne homo totum corpus exterius et interius ad modum lyncis, et ita nihil obstabit ei quin omnes mundi partes videat vel tantum superficiem exteriorem, sicut modo, vel claudetne oculos aliquando ut tunc non videat? Si enim tunc lynceum visum habebit, non ideo minus oculis clausis videbit. Item, movebiturne incedendo de loco ad locum officio pedum utendo? Quod non videtur, quia sine omni gravitate erit corpus humanum et a seipso sustentatum. Item, eritne tactus in ipso ut tangenti aliquid obstet, vel audietne aliquid per sonum exteriorem, et animæ ipsius renuntietur interius? An unusquisque cognoscet cor et intellectum alterius absque vocis vehiculo? vel quis erit usus olfactus in eo? An ita sensus in anima erunt, quod alios tunc habebunt usus, sicut quatuor cardinalium virtutum alius erit ibi usus quam hic? An prorsus erit ibi anima sine sensualitate, et inferiori potestate rationis, per quam scit administrare temporalia? **334** Et quocunque modo sit, videtur aliqua actio vel passio mulcebris gaudii futura in animabus, quæ habebit principium et finem: et ita temporalis erit, et ita non erunt omnia in æternitate, sed erit ibi varietas temporis sicut et nunc. Hæc omnia, quia nil certum super his addidici, vestræ, lectores, indaganda relinquo inquisitioni. Hoc tamen certum habemus quod Dominus post resurrectionem comedit, sed hoc fecit ad indicium veræ resurrectionis miraculose, et tactus est a mortali corpore.

(20) V. in Notis ad 28 cap. Pulli, in ii parte.

(21) Restitue: « Augustinus in *Enchiridio*, c. 87. »

(22) V. Aug. l. i *De Trinit.*, c. 16 et 17; Isaiæ xxvi, 21; *De spiritu et litt.*, c. 22.

CAPUT XIX.

De spiritu quo mediante tradunt animam uniri corpori.

De spiritu illo quo mediante dicunt animam uniri corpori, inducti auctoritate Daniel in hymno trium puerorum : *In animo contrito et spiritu humilitatis* (*Dan.* III), Et : *Benedicite spiritus et animæ justorum Domino* (*ibid.*), quærunt quidam an resurget? quod videtur dicere Apostolus (*I Cor.* XV), tamen non videtur posse stare, quia simplex est aut compositus spiritus ille; si est simplex et desinit esse quando anima recedit a corpore, quod non est dubium, et iterum incipiet esse quando anima ad corpus redibit, et modo nil fit; creabitur tunc et jam creatus est, et ita bis fuit creandus. Si vero compositus est et tunc desinet esse quando anima a corpore recedet, in partes dissolvetur, et quid sit de illis partibus? Conjungenturne sibi invicem iterum in resurrectione? Item, spiritus ille est quasi vinculum animæ ad corpus quæ contrariis participantur proprietatibus, quia corpus est invisibile et mortale. Econtrario autem anima est invisibilis, immortalis, sed non erunt ita contraria in proprietatibus post resurrectionem ; imo tunc erit corpus impassibile, immortale, spirituale. Non ergo necessarium erit tunc medium ut anima corpori uniatur sicut modo. Item, sicut dicunt physici, ille procreatur ex ciborum decoctione, quia cibi decocti in stomacho in quatuor distinguuntur; sed tunc non erit corpus animale, id est egens alimonia, sed spirituale. Videtur ergo quod non erit talis in homine. Ad hoc dicunt quod spiritus ille est quoddam simplex et mortale, quod moritur in corpore, et hunc spiritum habemus communem cum brutis animalibus. Nec est mirum si fuit bis creandus, et resurget quando anima ad corpus redibit et glorificatur cum anima et carne. Nobis autem videtur hanc opinionem potius de errore esse introductam quam de veritate. Impossibile est enim, cum Spiritu sancto, præter animæ spiritum alium esse spiritum in corpore humano.

CAPUT XX.

De suffragio mortuorum ante diem judicii.

(23) Peracto finitoque judicio universo post communem resurrectionem, duæ civitates proprios habebunt cives, una bonorum, altera malorum. Utraque tamen tam angelorum quam hominum, et erit gaudium sanctorum amplius post resurrectionem, et supplicia malorum graviora. Prius ergo de beatitudine bonorum, postea de suppliciis malorum est agendum. Ante tamen de suffragiis mortuorum usque ad diem judicii est aliquid dicendum (24) : « Interposito enim tempore inter mortem hominum et communem resurrectionem eorum, animæ diversis tenentur receptaculis, prout quæque digna est ærumna vel requie, sicut gessit, dum viveret in corpore. » Eorum igitur qui A mortui sunt, quidam sunt summe boni, ut Petrus, Paulus; quidam summe mali, ut qui nunquam habuerunt fidem Domini ; quidam mediocriter boni ; quidam mediocriter mali. Hoc est quod alia dictione docetur : quidam judicant et non judicantur; quidam nec judicant, nec judicantur; quidam judicantur et judicant ; quidam judicantur et non judicant. Redde singula singulis. Mediocriter bonis, et **335** mediocriter malis prosunt orationes Ecclesiæ et eleemosynæ datæ, sed ad aliud et ad aliud (25). Bonis quidem ad faciliorem absolutionem pœnæ, malis ad mitigationem. Summe malis qui nunquam participaverunt sacramentis non prosunt qui in hac vita non meruerunt ut sibi prodessent : nulli autem prosunt, ut dicunt sancti (26), nisi ei B qui ita gessit, ut ei post mortem possent prodesse. Tales sunt omnes qui habuere charitatem, et in participatione sacramentorum decesserunt.

Sed objicitur multipliciter, sicut locus et tempus et ordo, et scientia aggravat peccatum ; ita videtur aggravare perceptio sacramenti. Unde si in eodem genere peccati peccent fidelis et infidelis, et eodem proposito, et eadem intentione aliis omnibus circumstantiis retentis, videtur magis peccare et contemnere fidelis quam infidelis, et majorem injuriam Spiritui sancto facere, quia a se expellit. Ille autem non ita expellit qui nunquam habuit, pejor est ergo fidelis Christianus in aliis quam infidelis. Quod etiam auctoritate probatur, quia me- C lius est viam veritatis non agnoscere, quam post agnitam retroire (*II Petr.* II). Si ergo orationes Ecclesiæ prosunt magis malo, id est fideli, cur non et minus malo, id est infideli, et ita summe *malis prosunt* Ecclesiæ suffragia? Hoc etiam potest ostendi per simile : Sint hic laicus et sacerdos, et peccent in eodem genere peccati, et eodem proposito, et eadem intentione : constat sacerdotem magis peccare. A simili quoque sint hic Christianus et paganus, peccent eodem genere peccati : certe plus peccat Christianus quam paganus, si eadem intentione peccent. Unde super illum locum Jeremiæ : *Vide ficus malas valde* (*Jer.* XXIV), per malas ficus intelligimus malos Christianos qui etiam deteriores sunt infidelibus. Isti enim sunt quasi sarmenta succisa nulli usui idonea, sed in- D cendio parata ; illi sunt ligna, et si fructum non facientia, ædificio tamen domus Dei sunt apta. Hi sunt inimici qui sunt super omnes inimicos ut habetur super illum locum Psalmi. *Super omnes inimicos meos factus sum*, etc. (*Psal.* XXX.) Econtrario tamen dicit auctoritas : « Prodest ad tempus credidisse. » Constat etiam quia his prosunt orationes Ecclesiæ ad mitigationem pœnæ qui saltem aliquando crediderunt, et non illis. Constat etiam quia hi judicabuntur, cum dicetur eis : *Esurivi, et non dedistis mihi manducare* (*Matth.* XXV). Illi autem non judicabuntur, quia jam judicati sunt, eo quod non crediderunt.

(23) Magist., IV, dist. 45 et 49.
(24) Ex Augustino.

(25) Hæc omnia elucidavimus in notis ad Pullum.
(26) Aug. in *Ench.*, serm. 32 *De verbis ap.*, etc.

Item, suffragia Ecclesiæ valent mediocriter malis A ad mitigationem pœnæ: illa mitigatio est bonum quod æternaliter ab eis habetur. Ergo prosunt eis ad bonum æternaliter habendum. Ergo ad bonum æternum, et ita mali fruuntur bono æterno, quia semper habebunt mitigationem pœnæ. Item, omnia bona merita mediocriter malorum quæ habuerunt dum in charitate erant, deleta sunt per mortalia peccata in quibus decesserunt; sed meruerunt tunc, et si decederent in mortali peccato, pœna eis mitigaretur. Ergo et illa merita sunt deleta, et ipsi habent modo mitigationem pœnæ. Ergo non habent ex meritis, sed gratis. Item, orationes Ecclesiæ prosunt his qui in inferno tenentur mediocriter mali ad pœnæ diminutionem. Ergo et pœna B eorum quotidie diminuitur. Ergo etiam tantum potest Ecclesia pro eis orare, vel dare eleemosynas, quod omnino tolletur ab eis pœna. Ergo in inferno potest esse aliqua redemptio.

Ad prædictas rationes respondendum est, et dicendum quod quidam Christiani qui in fide decesserunt, deteriores sunt quibusdam paganis, et quidam minus mali. Sunt enim excedentia et excessa. Quidam enim deteriores aliis, prout majori vel minori decesserunt contemptu. In hoc tamen præjudicant quod in sacramentorum participatione decesserunt, his qui non ita decesserunt; quia isti judicabuntur: illi etiam, si minus mali sunt digni judicari, quia jam judicati sunt ex quo fidem propositam sibi contempserunt. C Quod vero dicitur, suffragia valere ad bonum æternaliter habendum, quia ad **336** mitigationem pœnæ, non ideo tamen ad bonum æternum, quia non est bonum æternum nisi vita æterna. Fallacia. Diabolus habet vitam quam æternaliter habebit. Ergo habet vitam æternam. Quod vero dicitur Ecclesiam tantum orare posse pro his qui in inferno sunt, ut omnino removeatur ab eis pœna, non valet qui non tandiu durabit militans Ecclesia. Post diem autem judicii nulla eis proderunt suffragia, quia tunc non erit militans, Ecclesia cum regnum veniet ad regnum, cum cessabunt opera charitatis. Imo etiam si Ecclesia militans superesset duratura, nunquam tamen pœna eorum esset terminanda; potest enim leniri (27), sed non omnino deleri. D Item quod dicantur omnia bona merita esse deleta per mortale peccatum, intelligendum est de illis meritis quæ poterant esse causa vitæ æternæ.

Item, dicit auctoritas: « Cum deficiunt nobis propria merita, suffragantur nobis aliena. » Ergo aliquis potest effici dignus vita æterna sine suis meritis. Ergo potest dici dignus vita sine bonitate, et ita per merita Ecclesiæ sine propriis meritis potest aliquis salvari. Ideo ita intelliges prædictam auctoritatem. Deus semper plus dat in alia vita quam homo meruit in ista; ad illud plus non potest homo pervenire sine suis meritis et Ecclesiæ, cum desunt propria merita suffragantur aliena, quia per alienas orationes et merita infundit Deus homini primam gratiam, cui, cooperante libero arbitrio, procreantur bona merita. Item, cum damus eleemosynas, his debemus dare quorum merita nobis prosunt ad vitam, sed malorum merita nobis non prosunt, nec etiam prodesse possunt nobis. Ergo non debemus dare eleemosynam malis: legitur enim: *Omni petenti da* (*Luc.* VI). Ad hoc dicendum quod prima falsa est. Multis enim damus quorum merita nobis prodesse non possunt.

Item, dicit Apostolus: *Omnes astabimus ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque quod in corpore gessit* (*II Cor.* V). Ergo et qui salvabitur et qui damnabitur ex propriis meritis salvabitur et damnabitur. Ergo aliena merita non obsunt vel prosunt ad salutem alicujus. Non ergo propter merita Ecclesiæ citius liberabitur quis a pœna, nec etiam ei mitigatur pœna. Ad hoc dicendum quod propria merita tantum valent ad salutem, nec illud tantum, excludit aliena, quia (28) quod aliena prosunt hoc ipsum est ex propriis meritis. Potest etiam quæri an quilibet existens in purgatoriis majorem habeat charitatem quolibet qui est in via. Quod videtur, quia ille non potest amittere charitatem, iste potest amittere. Ergo majorem habet charitatem quicunque est in purgatoriis quam aliquis qui sit in via. Econtrario, multi sunt in via quibus, si decederent, nulla deberetur pœna, nec rei sunt alicujus culpæ. Quicunque est in purgatoriis et reus est alicujus peccati, et pœnam meretur sibi infligi. Ergo aliquis in via majorem habet charitatem eo qui est in purgatoriis. In his quæstionibus plus æstimo curiositatis quam ædificationis, potest tamen determinari quidquid hic proponitur distincta multiplicitate hujus distinctionis, *major* quæ potest et infirmitatem charitatis designare, et intentionem fervoris. Item, dicit Augustinus (29): « In quo quemcunque invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet novissimus dies, quia qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo judicabitur. » At omnes imperfecti quando decedunt, digni sunt pœnis purgatoriis. Ergo et in illo die ultimo eisdem erunt digni. Ergo tunc nil in eis erit purgatum. Ideo ita exponendum quod dicitur. Qualis, etc., id est sive morti sive vitæ paratus.

(30) Item, isti duo decesserunt in paribus venialibus, pro uno orat Ecclesia, pro alio non. Æque meruerunt ab Ecclesia ut oraret pro eis. Ille pro quo oratur citius absolvitur, alter tardius. Ergo injuste cum eo agitur, quia non reddetur ei secundum merita. Ideo dicunt quod illa mora nil est respectu æternitatis. Alii dicunt quod æque cito

(27) Ex Augustino in *Enchirid.* et alibi. V. in notis ad Pullum.

(28) August., serm. 32 *De verb. apost.*: « Non ergo mortuis nova merita comparantur, cum pro eis boni aliquid operantur sui; sed eorum præcedentibus consequentia ista redduntur. »

(29) August., epistola 80, *ad Hesychium.*

(30) Mag., sup., § D.

A liberantur, et tantum prosunt uni generales preces Ecclesiæ quantum alii speciales simul et generales. Sed iterum objicit quis. **337** Qui pariter et in pari causa decesserunt, par præmium meruerunt. Ergo tam cito meruit unus liberari, quam cito alius. Ergo si unus plus ibi detinetur altero, injuste cum eo agitur. Item, iste qui citius liberatur meruit ut tam cito liberaretur, quam cito liberatur, quia nil remedii sentit, quod non meruit cum viveret, et nil meruit iste quod non ille; et ille non tam cito liberatur. Ergo injuste cum eo agitur. Quod non liberationem illam quæ fit cito, iste meruit, ita constat, quia sic obtineret meritis Ecclesiæ et non suis. Ergo nova merita comparantur eis post mortem. Item, si iste meruit tam cito liberari; ergo si diutius ibi detineretur, injuste cum eo ageretur. B Quod ita improbatur, quia tantum meruit ibi teneri quantum ille, diutius ibi tenetur ille quam iste. Ergo si iste ibi tantum tenetur, non juste cum eo agetur. Item, iste decedit par illi in charitate; ergo non meretur citius absolvi quam ille. Ergo si absolvitur de gratia Dei est, vel de alterius meritis quam suis. Nil enim potest de suis meritis quod non ille, cum decesserint pariter boni, et si ille meruit tam festinam liberationem, et iste non habet tam festinam, in misericordia fit illi. Si vero dicatur de gratia esse quod iste tam cito liberatur et non de meritis, quid ergo prosunt orationes, et beneficia ab Ecclesia pro eo impensa? Imo etiam si non propter hæc beneficia citius absolvitur, sed de C Dei misericordia est quod tam cito liberatur. Videtur etiam quod si non his eamdem haberet liberationem, cur igitur non liberatur ille pro quo nulla impenduntur beneficia.

Solent etiam quærere an possibile sit aliquem decedere cum ligno, feno et stipula, et non transire per purgatorium? Quod videtur: sicut enim orationibus Ecclesiæ festinatiorem consequuntur liberationem, ita etiam fieri posse videtur quod multiplicatis orationibus et beneficiis Ecclesiæ omnino in eo pœna deletur; et ita possibile est aliquem decedentem in reatu venialis peccati statim evolare ad vitam ac si esset perfectus. Non habet omnis mens creata in ullo genere posse abundare; quia, cum invenerit aliquantum ex his quæ inventa sunt, D videt quærenda; ad quæ cum inquirendo pervenerit plura prævidebit. Sic sapiens Salomon ait: *Sapiens efficiar, et ipsa sapientia longe facta est me* (*Eccle.* VII). Cujus admonitionibus prædicta quæ inusitata sunt non solvo, ne in ipso vestibulo solutionis oriatur difficilior nodus quæstionis.

Item, iste dat eleemosynam unam pro patre, alteram pro patre et matre; tantum prodest eleemosyna data pro solo patre, quam eleemosyna data pro illis duobus; et econtrario, tantum prodest eleemosyna quantum duæ datæ pro duobus. Item, non potest eleemosyna dari ex charitate pro uno definite quin detur pro omnibus; nec missa celebrari pro uno, quin pro omnibus. Ergo specialiter non potest celebrari pro aliquo. Ergo nil plus prodest missa celebrata pro uno, quam celebrata pro duobus simul. Ad hoc dicendum quod quicunque decessit in unitate Ecclesiæ particeps est omnium beneficiorum quæ pro uno mortuo fiunt, secundum illud: *Particeps ego sum omnium timentium te* (*Psal.* CXVIII). Nam omnes in via merentur fieri participes beneficiorum pro eis factorum, et tamen fiunt pro quibusdam speciales eleemosynæ quæ omnibus quidem prosunt, plus tamen illis pro quibus nominatim fiunt, quam pro aliis. Sed non ita quilibet vivus particeps est omnium beneficiorum quæ vivi pro vivis faciunt, quia unusquisque habet hic locum merendi et potest facere bona quæ sibi prosunt et non alii, quia *habent Moysen et prophetas, ipsos audiant* (*Luc.* XVI).

Item, quæritur utrum iste sacerdos teneatur orare pro illo quem contingit effici martyrem; quod tamen nescit. Quod non videtur, quia scriptum est (31): « Injuriam facit martyri qui pro eo orat. » Sed sic est intelligendum, *pro eo quem scit esse martyrem*, qui, inquam, orat pro eo intentione expiandi. Sunt enim orationes quæ sunt expiationes, et sunt gratiarum actiones, et sunt vivorum consolationes. **338** Pro his qui in purgatoriis detinentur sunt expiationes; pro his qui jam fruuntur vita æterna, gratiarum actiones; pro his qui in inferno sunt, de quibus tamen dubium est utrum ibi sint, sunt qualescunque vivorum consolationes. Item, iste sacerdos injungit huic pœnam qua dignus est in satisfactione, et sustinebit in purgatoriis majorem, quia non completa pœnitentia decedet. Ergo injuste agetur cum eo, vel ergo non approbat Deus hanc pœnam ex quo majori pœna eum punit. Item, iste sustinebit majorem pœnam in purgatoriis quam modo patiatur; nullam sustinebit tunc qua non erit dignus. Ergo erit dignus majori pœna quam modo. Ergo magis erit reus peccati quam sit modo. Ad hoc dicendum quod in præsenti non est dignus majori. In purgatoriis autem erit dignus majori, quia secundum diversa genera statuum diversa sunt genera pœnarum. Sicut in lege erat, quod qui hominem ignoranter interficiebat, ad civitatem refugii confugiebat, et ibi erat usque ad mortem summi pontificis (*Deut.* IV). Dignus ergo erat illa pœna et majori in civitate manens, et tamen si extra inveniretur occidebatur, et majorem pœnam sustinebat non injuste. Ita, dum sumus modo in civitate refugii, digni sumus temporali pœna. Si exierimus, post mortem puniet nos igne purgatorio majori quam sit aliqua pœna modo; nec tamen injuste, sicut etiam per simile potest ostendi. Quædam pœna debetur in Italia homini pro adulterio, et minor ea in Gallia. Si quis in Gallia pro adulterio puniretur pœna debita adulterio in Italia,

(31) Apud Augustinum, serm. 17 *De verb. apost.*

injuste cum eo ageretur? Variantur enim pœnæ secundum loca, et ita secundum tempora. Ut enim tradunt quidam pro veniali peccato in præsenti homini debetur tantum pœna temporalis. Si tamen decedat simul cum veniali et mortali, pro utroque punietur pœna æterna non injuste.

Item, quando iste erit in purgatoriis non poterit peccare, modo dum est in via potest peccare, et tunc habebit charitatem, et modo eam habet. Item, postquam liberatus erit a purgatorio igne, statim fruetur visione Dei, dum erit in purgatoriis Dei visione non fruetur. Ergo majorem habebit charitatem post, quam tunc. Ad quod potest dici quod in igne majorem habebit charitatem quam modo habet, et majorem accepturus est purgationem quam sit habiturus dum purgabitur.

CAPUT XXI.

De statu animarum, quæ a corporibus sunt separatæ, usque ad diem judicii : an sit eis locus merendi?

Postquam in pœnis illis animæ purgatæ perfectius pœnitentiam egerunt, statim absque mora Dei visione fruuntur, et angelis in beatitudine æquabuntur : cui tamen videtur contradicere quod scriptum est super illum psalmi : *Adhuc pusillum, et non erit peccator* (*Psal.* xxxvi). Ubi pusillum dicitur tempus illud quod erit usque in finem hujus vitæ postquam liberantur sancti : Deinde fit sermo ad sanctum : « In hunc modum nondum eris ubi sunt illi quibus dicetur : *Venite, benedicti Patris mei* (*Matth.* xxv), etc. Sed eris in illa requie, ubi dives vidit Lazarum ulcerosum, et exspectabis usque ad diem judicii, donec, recepto corpore, sancti æquabuntur angelis. » Ex his verbis videtur haberi quod sancti nondum sint in beatitudine, et nondum æquati angelis. Sed quod primo dicitur, ita intellige : Nondum erit, etc., id est nondum habebitis duplicem stolam. Quod postremo dicitur eos æquandos esse angelis, intellige secundum corpus, quia jam æquantur secundum animam.

Item, quæritur utrum sancti merebuntur usque ad diem judicii. Quod si dicatur, multæ instant objectiones. Sancti judicabuntur secundum illum statum quem habuerunt in fine vitæ, vel secundum illum quem tunc habebunt, quod potius videtur si iterum mereantur. Quod si est; ergo non unicuique talis erit dies judicii qualis ille est quo decedet. Item, sicut in præsenti duorum habentium **339** parem charitatem, unus alium potest superare in charitate, ita ut impares decedant; quid prohibet si aliqui duo decedant pares in charitate, cum postea mereantur, unum præ alio proficere in illo spatio quod est a fine vitæ utriusque usque ad diem judicii : quod si est, cum in die judicii dispares erunt in charitate, dispares erunt in claritate, et tamen pares meritis decedent : quod videtur impossibile, quia neuter habet merita privilegiata. Item, si judicabuntur sancti secundum illum statum qui erit A in die judicii, et duo pares in charitate decesserint, cum unus multo tempore ante alium decesserit, et qui prior decessit statim parem charitatem acceperit ei quam recepturus erat qui posterior mortuus est, et qui prior decessit meruit iterum sua charitate usque ad tempus illud quo alter decedet. Ergo majorem habet charitatem eo tempore quo posterior decedet quam ille posterior tunc accipiat, quia ille posterior accipit eam in ea quantitate in qua prior acceperat post mortem, qui tamen interim profecit. Cum ergo non possit iste posterior ad merita illius attingere, et ambo judicabuntur secundum merita quæ habebunt in die judicii, magis remunerabitur iste quam ille, cum tamen pares in charitate decesserint. Si vero judicabuntur secun-B dum priorem statum finalium meritorum vitæ et ipsi eam triumphant, videtur esse ordo præposterus, vel nulla erunt merita post mortem, aut si aliqua sunt, de meritis illis defraudantur, cum secundum illa non judicentur.

Si animæ separatæ a corporibus merentur, et quælibet earum majorem habet charitatem quam aliquis qui sit in via, quia *qui minor est in regno cœlorum major est Joanne* (*Matth.* xi; *Luc.* vii), videtur quod intensiore charitate merentur animæ beatorum quam aliqui modo, et ita nullius existentis in via merita possunt attingere ad merita existentis in patria. Quod et in angelis liquet, de quibus non est negandum quin mereantur, si constiterit de anima-C bus sanctorum. Nam quilibet homo existens in via minor est quolibet angelo; ergo quilibet angelus majori charitate meretur quam aliquis homo, et nunquam tepescit in charitate angelus, quod sæpe patitur homo. Et angeli etiam a principio meruerunt, et quotidie merebuntur usque ad diem judicii, quia immortales sunt, et homo non tantum potest mereri, nec omnibus diebus vitæ suæ meretur. Ergo merita cujuslibet hominis perfectissimi nunquam attingent merita cujuslibet minimi angeli. Contrarium quod et angeli et animæ mereantur ostenditur. Anima Judæ vellet Deum non esse, illa voluntas est mala, peccatum est ; nullum peccatum impunitum. Ergo illa voluntate meretur anima Judæ pœnam æternam. Cur ergo a simili, non meretur D modo anima Petri vitam æternam. Item, nullam malam voluntatem habuit Judas quam modo non habeat, et aliquam habet quam non habuit, quia *superbia eorum qui te oderunt ascendit semper* (*Psal.* lxxiii). Ergo plus peccat modo Judas quam peccaverit, et ita majorem quotidie meretur pœnam. Eadem ratione et animæ sanctorum merentur quotidie majorem coronam : quod est contrarium illi auctoritati (32) : « In patria est locus recipiendi non merendi. » Item, si animæ damnatorum per malas voluntates quas habent quotidie merentur majorem pœnam, non videntur eis prodesse suffragia Ecclesiæ ad mitigationem pœnæ ; aut si pro-

(32) V. Fulgent. *De fide ad Petrum*, et August., *Ench.*, c. 3.

sunt, quantum videntur hæc prodesse, tantum malæ voluntates videntur obesse.

Solutiones prædictorum secundum diversos, dupliciter est sumere. Dicunt enim quidam quod animæ sanctorum usque ad diem judicii merentur sicut et angeli modo merentur, ut dicunt; sed post diem judicii nulla erunt merita, et hanc auctoritatem : « Non est ibi locus merendi sed recipiendi, » sic exponunt, id est potius est ibi locus recipiendi quam merendi, ita intelligitur. « Sicut econtrario, cum dicitur : « Non est in præsenti locus recipiendi sed merendi, » id est potius est hic locus merendi quam recipiendi. Multa enim recipimus hic secundum merita, quod docemur in **340** illo loco Evangelii : *Fili, recordare bona in vita tua, similiter et mala* (*Luc.* XVI). Super quem locum dicit expositor, credibile est istum aliqua bona fecisse, unde temporalia in præmium acceperat, et secundum hanc opinionem sancti judicabuntur secundum illum statum in quo mortui sunt, et post mortem neuter altero plus potest in meritis proficere, si pares decesserint, et quod plus operantur ad beatitudinem cujuslibet existentis in via merita, quam alicujus qui sit in patria, licet ille habeat majorem charitatem, non est tamen majoris meriti. Nam et ipsa difficultas, et lucta et interpolatio quæ sunt in via, operantur ad augmentum meriti, quorum nullum est in patria. Alii dicunt quod nec angeli merentur modo, sicut jam supradictum est, nec animæ a corporibus separatæ; nam omne meritum est in via, et illa mala voluntas quam habent est pœna tantum et non culpa; vel forte pœna est et culpa, quod per hæc fiunt Deo dissimiles. Quod vero videtur nullum peccatum impunitum, potius ad eos qui sunt in via merendi est referendum; vel potius ipsa voluntas est culpa et pœna, et causa pœnæ, et seipso punitur illud peccatum. Quod vero dicitur (33) : « Iniquitas eorum qui te oderunt ascendit semper; » intelligitur nostrum æternum, id est tempus. Nam, sicut homo non cessavit in suo æterno peccare, ita nec Deus in suo æterno cessabit punire; et, sicut si semper viveret, semper deterior fieret; ita eum semper erit pœnam sustinebit.

Videtur iterum posse ostendi quod non unicuique reddat Deus secundum finalia opera, hoc modo : Lazarus decessit in charitate, et necesse erat eum sic decessisse ; ergo necesse erat eum esse salvandum. Non ergo postea potuit damnari, quod improbatur, quia postea suscitatus est et potuit mortaliter peccare et sic decedere. Ergo postea potuit damnari. Ergo potuit prius decedere in charitate et post damnari ; quod impossibile videtur. Item, quam cito decessit aliquis, juste fuit judicatus a Domino; ergo sententia illa non debuit mutari. Item, habuit gloriam, sed ad tempus, non ergo habuit vitam æternam. Item , Lazarus de digniori A statu quem meruerat revocatus est ad indigniorem; dignior erat ille status in quo certus erat de requie, nec poterat peccare, quam ille ad quem revocatus est in quo poterat mortaliter peccare et a charitate cadere. Ergo injuste actum est cum eo, cum non meruit revocari ab illo statu ad istum. Item, in Lazaro est exstinctus fomes peccati, postea, in revocato ad vitam fuit ille idem fomes vel contractus, vel commissus : non contractus, quia non fuit caro in carnali voluptate post creata, vel generata , nec commisit postea peccatum actualiter. Oportuit ergo ipsum baptizari postquam suscitatus fuit, cum haberet fomitem peccati, ut originale peccatum. Item, Tabita post primam dissolutionem fruebatur, ergo injuste actum est cum ea. Item, B Lazarus bis mortuus est morte temporali : primo inflicta est ei mors temporalis pro originali peccato, pro eodem est inflicta ei secundo. Ergo Deus bis judicat in idipsum, vel ab eo duplex consurgit tribulatio. Ad hæc omnia respondent quidam et dicunt quod de miraculo sic non est opponendum : ne tamen omnino videantur subterfugere, probatur quod mors prius inflicta est ei ad gloriam Dei ostendendam, sicut solet dici de cæco nato. Secunda inflicta est in pœnam originalis peccati, et non est judicandus homo, nisi secundum merita finalia ultimæ temporalis mortis quæ proprie ei debebatur. Quod enim primo mortuus est miraculose factum est, quod patet in suscitatione, nec secundum cur- C sum naturæ. Sciendum est tamen quod non legitur aliquis suscitatus fuisse de quo certum sit quod vel morti æternæ, vel vitæ æternæ esset deputatus

341 CAPUT XXII.

De diversis mansionibus bonorum in patria.

(34) His ita pertractatis, illud restat postremo inquirendum, utrum animæ sanctorum beatiores sunt quædam aliis? Quod videtur. Quemadmodum enim secundum diversitatem meritorum animæ malorum differenter in inferno puniuntur, ita et animæ sanctorum differenter glorificantur. Quod tamen videtur posse improbari sic (35) : *Vivit Dominus, cujus ignis in Sion, et caminus in Jerusalem*, dicit Isaias. Per Sion Ecclesia militans, per Jerusalem Ecclesia triumphans intelligitur; per ignem chari- D tas viæ, per caminum charitas patriæ; quia, quantum caminus ignem superat, tantum charitas patriæ charitatem viæ. Ergo si quis modo in charitate decederet, charitatem perfectissimam haberet. Ergo talem qua nulla esset perfectior. Item, Petrus et Linus sunt beati, et neuter potest esse beatior quam sit. Ergo sunt æque boni. Ad hoc dicendum quod superlativum quando ponitur pro *valde* adverbio et suo positivo, non notat eum cui convenit excedere alios omnes in proprietate per comparativum significata. Non enim si iste est perfectissimus, id est valde perfectus, sequitur quod nullus eo perfectior

(33) Ex D. Gregor., l. IV *Dialog.*, cap. 44.
(34) Magist., IV, dist. 49.

(35) *Isaiæ* XXXI ; ita Robertus Pullus.

sit. Sed quando ponitur cum genitivo plurali, notat eum de quo dicitur, omnes ad quos fit comparatio excedere in proprietate per eam significata. Unde si iste est doctissimus omnium, nemo est doctior eo, quare non est recipiendum. Linus est perfectissimus sanctorum, sed est perfectus sanctus.

Item, cultoribus vineæ dabitur idem denarius (*Matth.* XXI). Ergo omnium electorum erit idem præmium. Ergo nullus habebit majus alio. Item, tam boni quam mali post resurrectionem vivent, et nullus poterit desinere vivere : ergo omnes vivent in æternum. Ergo omnes habebunt vitam æternam. Ad hoc dicendum quod omnes quidem habebunt eumdem denarium, id est Christum, qui est vita æterna. Sed ille denarius quibusdam erit aureus, quibusdam argenteus, quia differentia erit inter sanctos in modo cognoscendi. Quidam enim perspicacius cognoscent quam alii: quæ distantia vocatur diversitas mansionum, de quibus dicitur : *In domo Patris mei multæ mansiones sunt* (*Joan.* XIV.) Nihil ergo prohibet omnium unam eamdemque esse vitam æternam genere, et diversas numero : quia unusquisque suam habebit cognitionem majorem, vel minorem aliis. Non autem dicendum sanctos habituros esse vitam æternam, eo quod vita eorum sit futura interminabilis. Nam sic mali essent habituri vitam æternam, cum eorum vita non sit terminanda, sed quia habent usum gratiarum suæ vitæ et inseparabiliter adjunctum, propter quem usum dicitur eorum vita : vita æterna sed inter illas gratias est una, qua magis delectantur : unde antonomastice *vita æterna* dicitur per transsumptionem causæ ad effectum, scilicet cognitio Dei. Est igitur vita æterna, vel vita interminabilis, cui adjunctus est usus gratiarum, vel ipsa Dei cognitio, vel ipse Christus. Mali autem licet victuri sint in æternum, tamen propter inevitabilem pœnæ necessitatem suæ vitæ adjunctam, dicitur eorum vita, mors æterna : quia potius eis esset mori quam ita vivere, et inter illas pœnas carentia visionis Dei, quæ gravior est, quandoque nomine mortis æternæ dicitur.

Item, omnes qui habebunt vitam æternam, scient Deum esse trinum et unum: et nil majus noscibile de Deo: ergo omnes scient quæcunque minora sunt his ad beatitudinem pertinentia. Ergo nil sciet unus quod non alter. In quo igitur attenditur diversitas mansionum? (36) Ad quod dicendum quod distantia mansionum in hoc attenditur, quod quidam aliis perspicaciores sint in cognitione divina, non in diversitate cognitorum quæ eadem sunt in omnibus. Item, dicit Augustinus (37) : « In dispari charitate **342** erit par gaudium, » sed beatitudo non consistit nisi in quantitate gaudii. Ergo omnes erunt pariter beati quia pariter gaudebunt. Ad hoc dicitur quod paritas gaudii paritatem beatitudinis faceret si parem habituri essent claritatem, quam quia non habebunt parem, licet sit futurum par gaudium, non erit par beatitudo. Vel potest me-

A lius dici, quod paritas illa non est referenda ad paritatem intensionis gaudentium, cum dispariter sint gavisi, sed ad paritatem eorum de quibus gaudebunt, quia tot erunt de quibus gaudebit unus, quot erunt de quibus gaudebit alius.

Item, quæcunque displicent Deo, displicent Petro: Deo displicent peccata quæ fecit Petrus: ergo eadem displicent Petro. Ergo de illis dolet Petrus. Quia hoc habet auctoritas : « Hoc est venialia peccata non placere, de illis dolere. » Ergo Petrus non habet plenam beatitudinem. Item, Petro nil displicet nisi malum, et ei displicet ipsum peccasse. Ergo peccatum est : in nullo invenitur hoc peccatum nisi in Petro. Item, Petro nota sunt peccata quæ fecit, et eadem sunt nota Deo. Ergo non sunt tecta.
B Ad hoc potest dici quod sancti in memoria habent peccata quæ commiserunt, non ut doleant, sed ut gaudeant, quia ab illis liberati sunt. Et ita intelligendum est quod dicit Isaias : *Ego creo cœlos novos et terram novam, et non erunt priora in memoria, et non ascendunt in cor, et gaudebitis in æternum* (*Isa.* LXV): non erunt in memoria ad dolendum, sed ad gaudendum, sicut homo gaudet in prosperitate dum reminiscitur adversitatis a qua liberatus est secundum illud poeticum :

Forsan et hæc olim nobis *meminisse juvabit.*
(VIRG. *Æneid.* lib. I, vers. 30.)

Et non dicuntur peccata Petri tecta, eo quod non sunt nota, sed quia non sunt ei nota ad puniendum.
C Unde et tecta dicuntur. Quod vero dicitur : « Peccata vere displicere, est de ipsis dolere, » referendum ad eos qui sunt in via.

Item, Linus plus diligeret majus bonum Petri in se, si haberet, quam diligat minus bonum : sed plus diligit minus bonum in se, quam diligat majus bonum in Petro. Ergo plus diligit Linus majus bonum Petri in se, quam in Petro. Ergo plus vellet sibi inesse quam Petro. Ergo Linus vellet bonum Petri esse in se. Ergo non est beatus, quia non omnia ei optata succedunt. Item, Linus scit quod Deus plus diligit Petrum quam se, et in nullo discordat a Dei voluntate. Ergo plus diligit Linus Petrum quam se. Ergo non habet ordinatam charitatem. Item, quæcunque Deus vult, vult Linus : aliter enim
D non esset *Deus omnia in omnibus* (*I Cor.* XV.). Sed Deus vult ut majus bonum sit Petri quam Lini. Ergo et Linus hoc vult. Ad hoc dicendum quod quidquid vult Deus, vult Linus. Dicunt enim sancti quod sicut gutta aquæ mista modio vini tota transit in saporem vini, ita et voluntates sanctorum transeunt omnino in voluntatem Dei. Plus tamen diligit Linus se quam Petrum, quia Deus hoc vult, ut Linus minus diligat Petrum quam se, et ita in nullo discrepat a Dei voluntate. Sicut et ille qui patrem suum vult vivere, cum Deus eum velit mori, in nullo differt a Dei voluntate, quia Deus vult ipsum hoc velle.

Item, Petrus diligit proximum, ille motus quo

(36) Ita Mag. hic.

(37) Apud Mag. hic, § D.

movetur ad diligendum proximum, non est idem illi quo movetur ad diligendum Deum. Ergo non toto corde diligit Deum: sed satis patet ex supradictis quid sit Deum diligi toto corde in patria, id est ita quod omnis motus sit spiritualis, et nullus carnalis: vel *toto corde*, id est voluntate sine contrarietate, intellectu sine errore, memoria sine labore et difficultate, vel *toto corde*, id est ita quod omnis motus sit in Deo et ad Deum; est enim motus de Deo et ad Deum: et motus de Deo, sed non ad Deum; et motus ad Deum, sed non de Deo; et motus non de Deo, nec ad Deum. Quod totum quia ex superioribus patet, superfluum esset iterum prosequi.

Illud potius inquirendum utrum **343** animæ defunctorum notitiam habeant eorum quæ circa viventes aguntur, quod videtur constare de animabus sanctorum (38). Quomodo enim orationes et vota supplicantium Deo offerrent, nisi eos orantes et supplicantes intelligerent? vel quomodo ad eos dirigeretur oratio, cum dicitur, *Sancte Petre, ora pro nobis*, nisi nos orare scirent. Quod autem orationes nostras et angeli et animæ sanctæ Deo offerant, dicit Augustinus sic (39): « Angelis qui sunt apud Deum innotescunt petitiones nostræ ut quodammodo eas offerant Deo, et de his consulant, et quod, Deo jubente, implendum esse cognoverunt, hoc nobis vel evidenter, vel latenter reportent, unde et angelus hominibus ait: *Cum oraretis, orationem vestram obtulit Deo* (*Tob.* XII). » Orant ergo pro nobis animæ sanctorum affectu compassionis, et meritis suis nobis suffragando. Non enim loquuntur orando, cum instrumentis illis careant, et optant nobis salutem si ita in Dei voluntate esse cognoscant; et quando nos coram ipsis humiliamur, citius nos exaudit Deus eorum meritis nos suffragantibus. (40) Quidam tamen dicunt non dirigi sermonem ad sanctos, sed potius ad Deum, ut meritis sanctorum nos exaudiat cum dicitur, *Sancte Petre, ora pro nobis*, et *Sancte Paule, ora pro nobis*, et ipsos nil intelligere de his quæ hic aguntur, nisi quantum Deo revelante percipiunt: quibus videtur consentire Augustinus, dicens (41), « Sicut illi qui adhuc in carne vivûnt, animas defunctorum quo loco ponantur ignorant; ita et mortui vita, in carne viventes qualiter disponantur nesciunt; quia sicut corporalia et spiritualia differunt genere, ita et distincta sunt cogitatione. » Sed auctoritas illa intelligenda est de malis qui puniuntur in inferno, quia illi nesciunt qualiter viventes in carne disponantur. De divite enim qui in inferno positus dixit: *Pater Abraham, quinque habeo fratres, mitte Lazarum* (*Luc.* XVI), et cætera, (42) dicunt quod non habebat certam cognitionem de his quæ agebantur a fratribus, sed quia nôn videbat eos secum in locis

A tormentorum, nec in loco quietis cum Abraham, opinabatur eos vivere (43). Vident enim se boni et mali usque ad diem judicii, sed post videbunt boni malos, mali nequaquam bonos, quia *tolletur impius ne videat gloriam Dei* (*Isa.* XXVI). Tunc enim firmatum erit chaos, *ut qui voluerint hinc ad eos transire non possint, neque huc inde transmeare* (44), quia justitia erit hinc firmata, et inde iniquitas. Unde boni nec modo nec tunc compatientur malis. Sed dicuntur tamen velle transire ad malos, quia si justitia Dei admitteret, non fieret eis molesta eorum liberatio; vel oratio, quia si vellent, non tamen possent eos juvare, cum sint illi positi in exterioribus tenebris, et non possint habere voluntatem bene operandi, nec dimittere voluntatem

B peccandi: quæ quidem voluntas est eis et peccatum et supplicium. Sed illud peccatum non meretur, ut dicunt quidam, *quia est ibi locus recipiendi, non merendi*. Secundum alios, illa mala voluntas non est peccatum, sed supplicium tantum; vellent enim se non esse, et Deum non esse, si fieri posset; licet enim habituri sint tunc naturalia bona, sicut et dæmones adhuc habent; tamen ita erunt sopita in malitia et obtenebrata, ut nullam scintillulam dilectionis ad Deum possint dirigere, ut etiam saltem naturali dilectione diligant se, vel Deum (45). Unde et tunc proprie dicentur esse in exterioribus tenebris; quæ non sunt, non videre Deum per speciem, quod nec aliquis hic habet; vel per dissimilitudinem non videre, quam facit peccatum inter

C Deum et hominem, quod et multi hic patiuntur; sed quædam odii malignitas et voluntatis, quæ nunc excrescit in mentibus reproborum, quædam scilicet oblivio Dei, quia tormentorum interiorum et exteriorum doloribus adeo afficiuntur, ut ab illis ad cogitandum aliquid de Deo nunquam mentem valeant revocare: *Vermis eorum non morietur, et ignis non exstinguetur, et erunt usque ad satietatem visionis omni carni* electorum (*Isa.* LXVI). Super filiam autem Sion **344** *gaudebit Deus ut sponsus super sponsam* (*Isa.* LXII); et declinabit *super eam quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam* suam, quam sugemus ut repleamur *ab ubere consolationis ejus, ut* mulgeamus *et deliciis* affluamus

D *ab omnimoda gloria ejus*, gaudeamus, et exsultemus (*Isa.* LXVI), *et gaudium* illud *nemo tollat a* nobis (*Joan.* XVI). Quo ut perfruamur, *charitas* super omnia nobis est hic amplectenda, quæ *est finis præcepti* (*I Tim.* I), in qua omnis lex impletur. Si ergo singula scripta revolvere non licet, si omnia dicta prophetarum legere non placet, habe charitatem, et fac quidquid vis. » *Faciendi* enim *libros nullus* erit *finis. Deum time et mandata ejus observa*; *hoc est omnis homo* (*Eccle.* XII).

(38) Magist., IV, dist. 45, § F. G.
(39) In libro *De orando ad Deum*.
(40) Videtur inter alios Hugo Victorinus qu. 228, in *Ep. ad Rom.*, et l. II *De Sacram.* p. XVI, c. ult.
(41) *V.* l. *De cura pro mort. agenda*, c. 15, etc.

(42) Ita Aug. apud Mag. hic, § C. in dist. 50, et in *psal.* CVIII.
(43) Hæc Greg. hom. 40 in Lucam.
(44) Mag., dist. 50, § F.
(45) Mag., § B.

ANNO DOMINI MCCVIII

GUIBERTUS

GEMBLACENSIS ABBAS

NOTITIA

(OUDIN, *Comment. de script. eccles.*, II, 1591)

Guibertus Martinus, Gemblacensis abbas, ob specialem quamdam in sanctum Martinum Turonensem archiepiscopum, devotionem ita cognominatus, claruit ab anno circiter 1180 et sequentibus. Multa scripsit quæ mss. in monasterio suo Gemblacensi in Brabantia asservantur, ubi olim abbas fuerat. Hæc viderat Joannes Mabillonius in tribus voluminibus, unde pauca summatim refert tomo II. *Analectorum* suorum, pag. 514 et sequentibus, quæ hic verbotenus proferemus.

« De Wiberto seu Guiberto, cujus occasione ac rogatu *Epistola Hervardi Leodicensis archidiaconi* ad G. Laudunensem canonicum scripta est (1), quædam adnotare juvat ex ms. Chronico Gemblacensi, in quo hæc legi : « De isto Guiberto, magnæ sanctitatis, probitatis et doctrinæ viro, si quis nisse desiderat, cujus meriti fuerit, abunde ex scriptis ejus id cognoscere poterit. Scripsit namque epistolas ad diversos, morales et optimis suasionibus refertas. Scripturam sacram semper habens in manu et ore, ad abbatialem dignitatem jam senio gravis adactus est. Vixit in sacerdotio sexaginta tribus annis, ut in quadam Epistola vitæ suæ primævæ deflectiva, quæ incipit *Beatus Augustinus*, de se plenius recitat. Magnus zelator fuit animarum, suæ præcipue, non minus quam aliorum, quod patet in omnibus Epistolis suis, quas ad diversas personas, tam excellentis, quam paris ac sociæ conditionis destinavit. Habitavit in diversis monasteriis, utpote in Galliam profectus bis, in monasterio Turonensi divo Martino sacro, ubi plurimum diligebatur tum propter honestatem morum, tum propter Vitam sancti Martini quam *metro* composuerat, et Turonensibus obtulerat. A quibus evocatus, Gemblacum reversus est, et non ita diu post, a monachis Sanctorum Joannis et Mauri martyrum in Florinis abbas est postulatus : quibus laudabiliter præfuit annos quinque, menses octo. Interea temporis Joannes abbas Gemblacensis e vivis excessit, ad cujus celebranda funeralia, a monachis Gemblacensibus dictus abbas Florinensis vocatus est. Volentem Florinas reverti, fratres Gemblacenses illum elegerunt in abbatem suum, circa annum Domini 1194, præfuitque annis decem. » *Et post multa* : « Ad Guibertum abbatem nostrum revertamur, qui in diversis locis et monasteriis diverso tempore habitavit. Et primum quidem vitam monasticam in hoc Gemblacensi monasterio professus est, postmodum profectus in Galliam, in Turonensi habitavit : unde exiens, Gemblacum est reversus. Florinenses hunc interea temporis in abbatem sibi elegerunt et postulaverunt, atque abbate Gemblacensi defuncto, ibidem factus est abbas. Post annos vero decem exactos in regimine Gemblacensi, quindecim et octo menses in Floriuensi, utramque abbatiam resignavit, et apud Florinenses habitavit. Inde venit in Villare Cœnobium, quod deserens, iterum in Galliam abiit Turonisque habitavit. Quibus ille valedicens, ad quamdam virginem Hildegardem nomine divertit, cui multam felicitatem precatus, Gemblacum ad priorem et proprium nidum reversus, ibidem obiit senex dierum, et dives multorum bonorum operum. Vixit in sacerdotio, ubi supra dictum est, sexaginta tres et amplius annos. Viam universæ carnis ingressus est vicesima secunda die mensis Februarii. Hæc pauca ex pluribus ejus recte gestis. »

« Hæc de Guiberto, qui viris doctis parum, ut puto, hactenus notus est, adnotanda duxi : sed ut de ejus Operibus accuratior notitia habeatur, quid super his in itinere Belgico præsens animadverterim, indicare, aliquod operæ pretium existimavi. Guiberti lucubrationes inveni in tribus codicibus membraneis, præsertim vero *Epistolas*, de quibus quædam carptim hic delibare juvat. *Arnulfo Scholastico* complures scripsit, de amicitia videlicet, de solemnitate paschali, de exitu Ægypti, id est hujus mundi : de tribulatione patienter sustinenda, de voluntaria paupertate, et de thesauris sapientiæ, de sancto Vincentio martyre, et de patientia, etc. *Joannem*, Arnulli scholastici fratrem, ad conversionem et spiritalem militiam hortatur duobus litteris, *Joanni fratri charissimo* inscriptis. *Rainero fratri dulcissimo* ægrotanti condolet, eumque ad conversionem hortatur. Eidem scribit de dignitate sacerdotali, tum aliam epistolam de solemnitate paschali, ubi *Rainerum Scholasticum* appellat. *Lamberto nepoti suo* qui sæcularibus negotiis plus æquo intentus erat, tres epistolas dirigit, quibus eum ad studium virtutum adhortatur. Hæc in primo codice reperi; quæ vero sequuntur, in secundo. »

« In primis occurrit opus *De Vita et miraculis sancti Martini*, rhythmice scriptum quatuor libris, quorum prologus solutæ orationis indicat, opus istud *Philippo Coloniensi archiepiscopo* oblatum esse Bopardiæ, cum Philippus *in comitatu* teneretur. Eidem Philippo multæ a Guiberto inscriptæ sunt litteræ; qui passim eum *Summi Pastoris et Christi vicarium* appellat. *Prima* est de mysteriis creationis et reparationis. *Secunda* excusatoria, quod in pastores scribens, eum tetigisse visus sit. *Tertia*, Philippi nomine, ad eum tetigisse visus sit. Tertia, Philippi nomine ad abbatem Majoris Monasterii, et ad primicerium Ecclesiæ Castri Novi, in qua eos interrogat de more claudendi portas monasterii in nocte festi ordinationis seu translationis sancti Mar-

(1) Vide infra.

tini, et de fama quæ tum ferebat sanctum Martinum nocte illa missam celebrare. Quarta Philippo respondent Herveus abbas et fratres capituli Majoris Monasterii, et quæsitis faciunt satis, laudantque Guibertum. Quintam et sextam scribunt eidem Philippo Philippus decanus, Rainaldus thesaurarius, totumque capitulum Sancti Martini Turonensis, in quarum litterarum priori gratias agunt de *Vita sancti Martini* sibi transmissa, in utrisque autem quædam sancti Martini miracula referunt. Septima est Guiberti Philippo, de beneficiis gratias agentis. Octava ejusdem ad eumdem de laudabili conversatione fratrum Majoris Monasterii. Nona de nobilitate et magnificentia ecclesiæ Castrinovi. Decima Guibertus Philippum hortatur ad officii sui cultum, et ad studium pacis in conventu Leodicensi sarciendæ. Undecima eidem gratulatur de restituta pace. Herveo Majoris-Monasterii abbati, ejusque sacro conventui gratias agit, de hospitalitate sibi præstita, et de eo quod libros *De miraculis sancti Jacobi, De bellis in Hispania a Carolo Magno gestis, et De martyrio Rollandi ducis*, transcribendi facultatem ab eis obtinuerit: quorum librorum exemplar ad transcribendum ceriatim a se rapi testatur. Nempe eo tempore falsæ ejusmodi merces venditari cœperunt, id quod epistola duodecimæ argumentum est. In decima tertia vero, fratribus Majoris-Monasterii inscripta, laudat eorum religionem, et quædam corrigenda notat. Decima quarta directa est Joanni abbati fratribusque ejusdem cœnobii, quibus Guibertus gratias agit, ab iisque libros Paulini postulat, et se duabus abbatiis antea propositum, tunc uni Florinensi præesse scribit. Post hæc subsequitur in codice eodem *Guiberti epistola ad Philippum Coloniensem archiepiscopum*, cujus mandato de scribenda *sanctæ Hildegardis Vita* parere se dicit. Tum variæ *Ejusdem Guiberti ad dominam Hildegardem magistram cœnobii Sancti Roberti Bingensis* subsequuntur. Prima de excellentia sancti Martini episcopi, secunda de visionibus Hildegardis, de quibus quæritur: An ut fama ferebat, visionum suarum postquam eas scripsisset, oblivisceretur: tum an eas ipsa Latine scribat, ac demum an Latinam linguam didicerit. In fine epistolæ, *Salutant te dilecti et ex facie noti dilectores tui, Sigerus de Waura: et Nicolaus miles juvenis de Niel, quem cum ipso te visitante in Quadragesima vidisti. Salutat te frater Franco Reclusus, ecclesiæ vestræ filius probus in Christo, et frater Robertus languens corpore, sed valens mente, in monte qui dicitur Sancti Guiberti, recubans. Salutant te dominus Emmo, ecclesiæ nostræ parochianæ presbyter*, etc.

« Præterea alias ejusdem Guiberti epistolas ad Hildegardem, numero octo, tumque responsiones Hildegardis ad ipsum variasque tum ejusdem Guiberti ad sorores ecclesiæ beatæ Mariæ, Sanctique Roberti de Binguia, tum earumdem sororum ad Guibertum responsa, aliasque aliis personis scriptas, nempe *Josepho egregiæ probitatis scholastico*, qui Hierosolymam cum Cantuariensi antistite profecturus, Guiberto prosam de sancto Martino examinandam obtulit. Sigfrido Moguntino archiepiscopo, de virtutibus sancti Martini, et Conrado ejusdem Ecclesiæ pontifici, de variis Coloniensis Ecclesiæ successibus; denique Godefrido abbati monasterii Sancti Eucharii et Sancti Willibrordi de *Vita sanctæ Hildegardis*, quam Guibertus ipse scriptis mandavit. Ad hæc Bartholomæus Fisenus in *Floribus Ecclesiæ Leodiensis*, ubi de abbatibus Gemblacensibus, testatur Guibertum nonnulla etiam scripsisse ad beatam Ludgardem, quæ in vicino Aquiviensi parthenone tunc vivebat: atque anno 1208, hoc est biennio post abdicatam præfecturam, ad superos abiisse. »

Factus ergo est anno 1188 Guibertus Martinus abbas Florinensis, anno autem 1194, abbas Gemblacensis, quas præfecturas cum anno 1206 abjecisset, anno tandem 1208, die 22 Februarii mortuus legitur, ætatis anno circiter 88, sacerdotii 63. Nihil hujus scriptoris editum puto, præter [epistolas et] narrationem *destructionis* vel potius *combustionis monasterii Gemblacensis, quæ anno 1137 facta est*, quam quidem Guibertus, post ejusdem monasterii factus abbas ac monasterii etiam Florinensis, litteris consignavit, libro II. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, cap. 8, pag. 904, ubi et mentionem facit *librorum suorum* qui in hac destructione abrepti fuerant. Meminit Guiberti Martini ejusque scriptionum Hervardus Leodiensis archidiaconus, in epistola ad G. Laudunensem canonicum, et anonymus auctor *Chronici Gemblacensis*, tom. II *Analect* Mabillonii, p. 544; Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica*, p. 303 editionis 1643, Lovanii in 4, ubi mss. codices Operum Guiberti varios in Belgicis bibliothecis recenset; Petrus Lambecius libro II. Commentariorum bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, cap. 8, pag. 904, ubi de codice ms. 296 Datino Ambrosianæ arcis in Cæsaream allato, loquitur.

EPISTOLA HERVARDI

LEODICENSIS ARCHIDIACONI

AD G. CANONICUM LAUDUNENSEM

De Guiberto abbate Gemblacensi et de scribenda Vita S. Martini.

(D. Mabillon, *Analect. nov. edit.*, p. 480.)

Reverendo Patri et domino G. beatæ Dei Genitricis Mariæ Laudunensi canonico, Hervardus Leodiensis archidiaconus, præsentis vitæ stadium juste vivendo viriliter percurrere, et æternæ beatitudinis bravium feliciter obtinere.

A Usitati moris est et longo bonorum consensu approbati, quibuslibet, et maxime facilibus et honestis petitionibus amicos sese invicem exaudire, ut per hilarem et promptam exterioris operis exhibitionem, in lucem et publicum procedat desiderabilis fructus occultæ dilectionis. Inde est quod paternitatem vestram, cujus benignitatem a cunabulis munificam mihi et expositam, quoties necessitas exegit, in libro experientiæ legi et relegi devote exoro, et in-

stanter precor, quatenus favorabilem et omni acceptione dignam et prone suscipiendam domni Guiberti, cognomento *Martini*, petitionem, cum ad vos venerit, vel miserit, sine repudio affectuose gratanter et excipiatis, efficaciterque compleatis. Effectus namque ejus multos lætificabit et ædificabit: vobis quoque, etiamsi nolitis, (quamvis hoc nec velle, nec quærere debeatis) magnam et laudem et gloriam pariet: sed et ipsi domno Guiberto propensiorem pro vobis apud Deum intercedendi affectum suggeret. Hic autem ille est Guibertus, qui quondam in Florinensi monasterio prius, et postea in Gemblacensi, abbatis officio est functus, sed neutro defunctus. Maluit siquidem utili quæsita et nacta occasione honeste cedere, quam sub onere, quod solus et gemens sine fido portabat comportante, cadere, et casu sui ab ineptis irrisoribus ludibrium sustinere. Ad quid enim in fornace scandalorum et tribulationum flammis æstuante inutiliter uteretur? præsertim cum easdem flammas nec per se sufficeret exstinguere, nec absque magno læsionis detrimento diu posset tolerare, nullo scilicet in eadem sibi fornace auræ lenis sibilo flante, nullinsque piæ consolationis suffragio ejus acerrimos æstus refrigerante. Ideo prudenti usus consilio, salvari in imo, quam periclitari in summo potius elegit, magisque humilis et pauperis Christi ab eo salvandus imitari vestigia, quam ambulare in magnis et mirabilibus super se, cum eis aliquando pro fastu elationis puniendus. Hic idem est ille Guibertus Martinus, gloriosi præsulis Martini cultor, nonnullus imitator, operumque et virtutum illius tam verbis, quam scriptis studiosus commendator. Unde propter diuturnæ et affectuosæ devotionis erga eum constantiam, ejusdem eminentissimi pontificis proprium nomen isti conversum est in agnomen: adeo ut jam non solo suo proprio nomine, quod est Guibertus, sed ob insigne prædictæ devotionis obsequium, quod ei sedulus exhibet, Guibertus Martinus jam passim, ubi notus est, appelletur.

Sed ut id pro quo ista præmisimus, et ad quod tendimus, jam proferamus, hic idem Guibertus Martinus, quem pro suis nobis charum meritis intimo vobis commendamus affectu; auditis et lectis quibusdam opusculis vestris, hic videlicet quæ seu de Vita egregii confessoris Christi Servatii, seu quo cultu et qua conversationis forma se agant clerici qui pie in Christo volunt vivere, heroico usus metro, præclaro digessistis opere, eorumdem scriptorum plus quam dici possit, eleganti trahitur et delectatur venustate. Proinde quia, sicut minus vobis notus, de vestro (nec mirum) diffidit assensu, ad me veniens ob mutuæ agnitionis et dilectionis, quo invicem astringimur, complexum, nihil prorsus quod juste petam, vos mihi sperans negaturum, humillime et instantissime frequenter deprecatus est, quatenus mea apud vos obtineam intercessione, ut beatum Martinum, quem propter illa quæ quotidie ejus experitur beneficia, quanta potest, veneratur et attollit devotione, vos quoque inter cæteros quos veneramini sanctos, in patronum vobis assumatis: et ut etiam vos in opportunitatibus opitulationum ejus suffragiis fulciamini, sicut et omnes qui ei puro famulantur affectu; aliquid ei honoris sedula et alacri intentione exhibeatis. Nec de ejusdem domni Guiberti Martini petitione, quia pareatis, aliquatenus stimulemini, quia nec aurum, nec argentum, nec quodlibet unde marsupium seu penu vestrum vacuetur, in beati Martini obsequio expendendum a vobis petiturus est. Quid tum? an ut ecclesiam ei A construatis? Nec hoc quidem, nam in possessione ecclesiarum nullus eo ditior sanctus invenitur, præter Matrem Christi, et Clavigerum cœli. Si nihil horum, quid demum habet petere? Nempe quod facillime potestis præstare.

Quid illud? Nimirum verba: quid levius verbis volantibus? Petimus itaque tam ipse quam ego cum eo, et enixiori quam possumus intentione petimus, quatenus diligentissima investigatione, considerata tanti pontificis incomparabili fere eminentia, qua merito et virtutum operibus, et nominis amplitudine summis aulæ cœlestis principibus, id est prophetis et apostolis, adæquatur, toto subtilissimi quo polletis ingenii vigore et acumine adhibito, qui nonnullos in scriptis vestris vicistis, in hoc vos ipsum vincendo, ad laudem Dei et legentium utilitatem et delectationem, de materia, quæ vobis per litteras insinuabitur, elegiaco metro aliqua memoratu digna in ipsius beati Martini honore conscribatis.

B Nec in hoc sane opusculo frustra laborabitis, quia labor ipse præter id quod vos utiliter exercendo damnosum a nobis repellet otium, geminam pariet retributionis utilitatem, dum pro eo et vivens et mortuus, laudis præconio etiam nolens attollemini, et Martini vestri patrocinio in omnibus periculis et tribulationibus vitæ hujus, et in ea, qua dur or nulla est, necessitate, hoc est in articulo mortis, protegemini. Proinde qui somnolento diu otio torpuistis, tandem vel pulsatus expergiscimini, et instar galli se ipsum complosis alis diverberando ad cantandum vigilantiorem reddentis, vires ingenii longa obsitas rubigine, ut resplendeant, quasi ad usum limando expolite, et laudabilis exercitium laboris, id est opus Deo gratum, et posteris commodum, ab ipso vobis Deo oblatum, gratanter et impigre suscipite: ne, si segniter differatis, alius clanculo mittat manum, et illud vobis præripiat; et sic utraque C mercede, id est laudis temporalis, et æternæ retributionis, pro tepiditate dilationis vestræ careatis.

Quapropter suscipite illud incunctanter, et explete celeriter, antequam hebetata præ senio mentis acie, sera pœnitentia incipiatis velle, cum (quod Deus avertat!) inops memoriæ et insufficiens haberi cœperitis, et tunc desidiæ vos pudeat, cum emendare non poteritis. Expedite ergo vos, obsecro, ab omnibus aliorum, quantum fieri potest, negotiorum impedimentis, et operi huic, quod vobis per talem virum Deus perficiendum ingerit, vigilanti intentione vacate, et cum ipsius adjutorio, quanta potestis acceleratione, sine ipsius operis detrimento terminate. Cavete autem, quæso, ne si ulterius exspectetis, tempus quod omni sagitta sive avicula celerius prætervolat, vos non exspectet, et vitæ die clausa, tenebræ mortis, in quibus nemo potest operari, vos occupent; et, quod maxime timendum est, ne Deum ipsum, qui vos per servum suum pulsat, D offendatis; neve servi pigri et inutilis, qui de talento sibi credito lucrari noluit, pœnam incurratis. Jam vero ut demum tam producta claudatur epistola, filiali paternitatem vestram precor affectu, ut apud vos charitas obtineat quod sincero et pio affectu poscit charitas: ne si charitatem exaudire nolueritis, nec vos, ut vacuum charitate, ille qui summa charitas est, in vestris precibus aliquatenus exaudiat, quod ipsa charitas, id est Deus, sua pietate a vobis precibus beati Martini avertens tribuat, ut in eadem ipsa charitate omnia vestra compleantur.

GUIBERTI
GEMBLACENSIS ABBATIS
EPISTOLÆ

(D. MARTEN, *Ampl. Collect.*, t. I, col. 916.)

EPISTOLA PRIMA.

AD PHILIPPUM ARCHIEPISCOPUM COLONIENSEM.

Mores pravorum pastorum describit, quos hortatur ut vitet.

Venerabili atque amantissimo patri PHILIPPO in Ecclesia Coloniensi summi Pastoris vicario, frater G. ex affectu suus, jugem electorum Dei pontificum in rationali cordis gestatione memoriam, et per eorum exempla cum multiplici sancti gregis augmento ad pascua sempiterne virentis paradisi feliciter introire.

Semper quidem, reverende Pater, divinæ benignitatis et misericordiæ fuit prolapso humano generi consulere et congrua institutionis subsidia adhibere. Quod et ideo recuperationis aditum invenit, quia non propria nequitia, sed alienæ malignitatis fraude seductum, positæ sibi obedientiæ limites excessit. Et quia nos sumus *in quos fines sæculorum devenerunt* (*I Cor.* x), per multa experimenta sentimus impleri verba Apostoli dicentis: *In novissimis*, inquit, *diebus instabunt tempora periculosa, et erunt homines se ipsos amantes, cupidi, gulosi, elati, superbi, blasphemi, parentibus inobedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, divites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, voluptatum amatores magis quam Dei* (*II Tim.* III). Jam certe monstruosum nostrum sæculum omnia hæc genera bestiarum in plenitudinem tamen hominum produxit, sed præ nimia assuetudine horrenda non horremus. Propterea divisiones aquarum deducunt oculi mei, (*Thren.* III), quia *obtenebratus est sol in ortu suo, et luna non splendet in plenitudine sua* (*Isa.* XIII), cæco populo non desunt duces, sed cæci; quia exigentibus peccatis ejus, juxta prophetam, mittit ei Dominus reges in furore suo (*Ose.* XIII), et suscitat pastores in terra, qui detenta non visitent, et dispersa non requirant, et contrita non sanent, sed carnes pinguium comedant, et lana gregum operiantur (*Ezech* XXXIV). Nascuntur ergo in gremio Ecclesiæ pro patribus filii, sed degeneres; in terra ejus constituuntur, sed nominis Domini et præceptorum ejus immemores, quia intrant eorum plurimi, non per ostium, sed ascendunt aliunde (*Joan.* X), intrant ambitione, pecunia, non gratia, principum largitione non cleri electione et intrant non ut pascant, sed ut pascantur; non ut ministrent, sed ut ministrentur; non ut seminent, sed ut colligant; non ut laborent, sed ut quiescant; non ut a lupis oves custodiant, sed ut immaniores lupis oves ipsi diripiant. Volunt etiam id quod in acquisitione honoris exinanitum fuerat direptis replere, et non solum mollibus, sed et pretiosis vestiri. Et quia super multos exercent, non dando pauperibus, sed necessariis suis vel amicis vel supereffluentibus, benefici appetunt vocari (*Luc.* XXII). Proinde ut ad talia abundent, *diligunt munera, sequuntur retributiones* (*Isa.* I), et multifaria intentione quærunt occasiones extorquendi: unde et sæpius ad hoc pervertunt judicium (*I Reg.* VIII). Qui cum ex imitatione patrum, quorum filii sunt, non vitam sequendo, sed solum officium exterius et locum tenendo, terrena despicere, atque ad æterna anhelare debent et alios ad amorem Dei attrahere, miserrima ambitione terrenis inhiant, parumque de se corrigendis vel de subjectis regendis cogitant. *Heu! quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum?* (*Thren.* IV.) O extremæ stuporem dementiæ, terrena et fugitiva toto cordis ambitu quærere, supernaque et æterna negligere, in divites extraneos sua, dispergere, et pauperum filiorum oblivisci. Et quibus hoc malum, nisi inertiæ prælatorum imputandum est? nam omnia fere mala quæ in subditis inveniuntur, negligentium prælatorum vel incuria succrescunt, vel pravis roborantur exemplis. Quapropter per Jeremiam comminatur eis Dominus, dicens: *Væ pastoribus qui dispergunt et dilacerant oves pascuæ meæ! ecce ego cibabo eos absynthio, et potabo eos felle* (*Jer.* XXIII). Quia qua se futurorum spe consolentur non video, cum Dominus solum pauperibus, mitibus, lugentibus, esurientibus, et sitientibus, persecutionem patientibus, beatitudinem promittat (*Matth.* V); et isti e diverso induantur purpura et bysso et epulentur splendide, et quidquid nugarum et ineptiarum habet, et exsequitur mundus, hi vel exerceant, vel a suis circa se exerceri permittunt.

In quibus omnibus, Pater reverende, si quid ad personam vestram pertinere videtur, favorabili aure ad incitamentum profectus vestri haurite, et non ad insipientiam mihi, nec vobis ad injuriam depu-

tatis. Et quidquid hic de aliis manifestum legitur, A vobis quasi in proverbiis dictum cognoscite. Deus omnium benignus rector et custos sanctitatem vestram tueatur incolumem, et in cura vobis injuncta strenuum sui ipsius vos faciat imitatorem.

EPISTOLA II.

AD EUMDEM.

Confirmat ea quæ in præcedenti epistola dixerat.

Magno sacerdoti Philippo, Dei gratia Coloniensi archiepiscopo, frater Guibertus suorum minimus, ex adjutorio Regis et Sacerdotis æterni in præsenti digne fungi sacerdotio, et carnis suæ curam disciplinate regere, ut in futuro sacerdotum et regum hujusmodi beatissimum mereatur adipisci collegium.

Cum super epistola vobis per me directa mihi nasceretur scrupulus, et trepidus cogitarem utrum melius esset quædam ibi posita mutari vel aboleri, aut vobis dirigi, confugi ad orationis præsidium, deprecans ut si sermo a Domino processisset, et posuisset illud in ore meo, staret, et mihi ipsi meam inde cunctationem amoveret. Oravi, et satisfactum est mihi; vidi enim et intellexi, non solum ductu rationis, sed et instinctu veritatis, quod is optimus esset monendi modus in quo monens fideliter et caute incedens, eum quem monet nec adulatione fallit, nec exasperatione irritat, nec denotatione adurit; sed, considerata qualitate personæ, secundum quod expedire videt, aut pudori parcens, aut deferens honori, ad id quod utile et salubre est, sedule studet incitare. Vidi etenim et probavi quod nihil rectius vel decentius vel sanius unquam proponi possit ei qui vice Dei præest animabus ad salutem reducendis, quam primo semper cogitanda et imitanda benignitas providentiæ ipsius misericordis Dei, cui cura est de omnibus, et qui cum reverentia disponit nos; deinde etiam mala malorum et bona bonorum exempla, sed et supplicia illorum et istorum præmia, ut territus illis, et tractus istis, in omnibus et de omnibus doceatur. Efficax igitur monendi modus et omni acceptione dignus.

CONCLUSIO.

Omnipotens Deus, qui stas in synagoga deorum, in medio eos dijudicas (*Psal.* LXXXI), non recte judicantes corripiens, etc. *Usquequo judicatis iniquitatem et faciem peccatorum sumitis?* (*Ibid.*) Educat *quasi lumen justitiam* vestram *et judicium* vestrum *tanquam meridiem* (*Psal.* XXXVI), ne nesciendo ambulare, in tenebris ambuletis, et majus incurratis judicium, inspiretque cordi vestro ne judicetis *egeno et pupillo*, *humilem et pauperem* justificetis (*Psal.* LXXXI), et cætera justitiæ et misericordiæ opera exsequamini, quatenus et cum misericordibus terram possideatis (*Matth.* V), et cum justis sæculi judicibus thronum judicialem dignitatis obtineatis, quando venerit Dominus ad judicium cum senatoribus populi sui. Amen.

EPISTOLA III.

AD EUMDEM.

Gratias agit de beneficiis ab eo acceptis.

Amantissimo Patri reverendoque domino Dei gratia Coloniensi archipræsuli Philippo, frater Guibertus, omnium Deo famulantium minimus, in affectu et effectu strenuissimæ dilectionis seipsum in Christo.

Ad referendas gratiarum actiones, venerande Pater, quas de mea exiguitate abundantia suavitatis vestræ promeruit, etiamsi omnes corporis mei artus in linguas verterentur, et vox mea esset ærea, non sufficerem. Proinde quia in hac parte deficio, ad ea quæ utcunque, divina largiente gratia, suppetunt me conferens, si quid potest vel torpentis B devotionis vel peccatorum oratio modicum quid, id in suffragium vestri ex toto me et quotidie expendo, et perenniter expendere paratus sum, quandiu fuero, etc.

EPISTOLA IV.

AD EUMDEM.

Excusat se quod ad eum non venerit.

Domino et Patri venerabili Dei gratia Coloniensi archiepiscopo, frater G. ex affectu suus, non in vanitate sæculi, sed in nomine Domini habere laudem, et magnificari ab eo qui exaltat mansuetos in salutem (*Psal.* CXLIX).

Quod ad vos necdum veni, neque pigritiæ neque negligentiæ est, sed occupationes quibus teneri vos scio, me retinent. Quia enim sæpius exire nec volo C nec valeo, epistolas tres vestræ excellentiæ destinavi. Cognoscat vos summus Sacerdos in benedictionibus suis, et propter misericordiam in præsenti a vobis conservatam sine fine mansuram, in futuro conservet vobis Pater misericordiarum Deus misericordiam. Amen.

EPISTOLA V.

AD HERVEUM ABBATEM ET FRATRES MAJORIS-MONASTERII.

Se non vagandi studio, sed pietatis ad Sancti Martini sepulcrum peregrinationem suscepisse, pravisque sæcularium moribus claustra corrumpi.

Amantissimo Patri Herveo, omnique digno reverentia sacro conventui Majoris Monasterii sub ejus D cura ordinatissime Deo militanti, frater Guibertus servus sanctitatis eorum, ab eo apud quem summus ordo in cœlesti palatio tempore retributionis inter justos ordinari.

Quanquam a nonnullis qui corde et corde loquuntur (*Psal.* XI) neque custodiunt vias suas, ut non delinquant in lingua sua (*Psal.* XXXVIII), peregrinanti mihi ad sepulcrum Beati Martini derogatum sit, magisque vagationi quam devotioni peregrinatio mea deputata, vobis tamen eam plurimum placere scio, glorior et exsulto. Nec tamen in hac substantia gloriæ, qua in Christi corpore, ipso tribuente, membrum quietum et sanum esse cupio, adversus eum qui est caput corporis (*Coloss.* I) non facio, neque super verticem extollo, recolens scri-

ptum esse : *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare* (*I Joan.* II). Et quidem si secundum hominem gloriari vellem, juste reputaretur mihi in stultitiam, nam ipse dixit : *Ego gloriam meam non quæro* (*Joan.* VIII). Si ergo oblitus verbi illius: *Qui gloriatur in Domino glorietur* (*I Cor.* VIII), favores hominum et inanem gloriam affectans, huic sæculo conformari gestirem quod diligere fornicari est a Deo (*Ose.* IX), et ei inimicum constitui (*Jac.* IV), in tantum ut dicat Jacobus apostolus : *Adulteri, nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est apud Deum?* (*ibid.*) Nonne convincente me conscientia os meum condemnaret me? nonne statim et Apostolus occurreret, dicens : *Si gloriari oportet, non expedit quidem?* (*II Cor.* XII.) Etenim quanti periculi sit seipsum gloriando velle commendare patet etiam ex verbis Psalmistæ ubi ait : *Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent* (*Psal.* LII). Quisquis vero ingratitudinis vitium quam grave sit perpendere nesciens, mihi cœleste munus cognoscenti et inde cum gratiarum actione humiliter glorianti, succensendum putaverit, sane merito insipiens reputabitur. Ego tamen me ipsum mihi comparans et commetiens, non alta sapiendo, sed humilibus consentiendo (*Rom.* XII), gloriabor, non in immensum, sed modicum quid, et secundum mensuram qua mensus est mihi Deus. Metiri enim se, ut ait quidam, quemquam decet propriisque juvari laudibus. Et unde, obsecro, domini mei, in claustris tanta malorum incommoda ebulliunt? Unde putatis claustra corrumpi? nisi ex introductione sæcularitatis quæ non aliorsum quam per ineptorum et socordiam, et imperitiam, et incuriam, et dissolutionem prælatorum ingreditur, qui vitiosi a vitiosis vitiose constituuntur. Quidam vero instituuntur, sed derelicto ostio aliunde ascendentes, vel suffodientes, aut pecunia cui obediunt omnia, aut potentum violentia propinquorum, contra fas et jus omne intruduntur. Et quid tales mercenarii non pastores, nulla spiritus ratione fecundati, nulla charitatis radice fundati; quid, inquam, tales quos Dominus in Evangelio fures vocat et latrones (*Joan.* X), facerent, nisi sua quærerent (*Philip.* II), quæ Dei sunt negligerent, ac per hoc ut brevi innumera concludam, morti non vitæ fructificarent, seque et cæcos sequaces suos quibus ipsi cæci ducatum præbent (*Matth.* XV), perderent.

EPISTOLA VI.

AD FRATRES MAJORIS MONASTERII.

Causatur quod hospitalitas et disciplina regulæ in cellis minus observetur.

Dominis et amicis in Christi dilectione meis dulcissimis et humili devotione perenniter amplectendis fratribus Majoris Monasterii, frater G. sanctitatis eorum famulus, quidquid secundum salutem utriusque hominis optari potest commodius.

Ego, venerandi Patres, homuncio vel potius vermis et non homo, nihil in rerum serie videns molestius, nihil ferens acerbius, quam ordinem monasticum olim sublimem et splendidum, et ipsis etiam filiis vel tyrannis sæculi venerabilem, nostris modo diebus, proh pudor! ab his a quibus disciplinata conversatione commendari debuerat, non tantum a gloria decoris sui spoliatum, sed et ab omni fere status sui rectitudine infami vita reddi contemptibilem, dolorem super hoc cordis mei nullatenus dissimulare valeo. Unde quoties datur occasio et verbis et scriptis, quo possum nisu, injuriosis et impugno, et pro ejus injuriis, cum ultra posse non datur, saltem reclamo. Hinc est quod in monasterio vestro, quo nihil in divitiis cumulatius, religione splendidius, mundius puritate, adversus vitia cautius, ad famam bonæ opinionis in Dei laude custodienda circumspectius inveniri potest, aliqua non quidem ad caput proprie, sed ad quædam ex membris spectantia vidi, de quibus, si salva vestri gratia auderem, sanctitatis vestræ vigilantiam non temeritate reprehendens, sed in charitate suggerens, humiliter monerem, ut rerum veritatem diligenter inquireretis, et si quæ emendatione indigent, corrigeretis. Apparent autem in aliquibus membris vestris nonnullæ corruptiones, quamvis minimæ, et ad corrigendum non difficiles. Sed quid cunctor exprimere, cum scriptum sit, non solum admone, sed, quod durius sonat : *Argue sapientem et diliget te?* (*Prov.* IX.) Non itaque arrectis auribus pavidi exspectetis quasi magna et pudenda dicturum, sed supernum inspectorem qui scrutatur Jerusalem in lucernis (*Soph.* I), expavescite, non modo aperta, sed et occulta et exigua districte judicaturum; et satagite ut a vertice usque ad extremam pedis plantam totum corpus vestrum in conspectu ejus sanum inveniatur et immaculatum.

Sed ut jam ad rem veniam, id primum ponam quod expertus sum. Cum aliquando tenderem ad vos, hospitandi gratia, diverti ad aliquam ex cellis vestris; sed ingressum obtinere non potui, quanquam pollicerer me a foro mihi necessaria comparaturum. Et certe quod mihi factum est potuit et aliis fieri; et scio, ut postea a multis comperi, quoniam nec mihi soli nec primum factum est. Item, cum degerem vobiscum, a nonnullis et, maxime cum repatriarem, a pluribus didici aliquos ex prioribus cellarum vestrarum symbolis et potibus indecenter nonnunquam vacare, et a vitiis quæ saturitas generat, non esse immunes, hoc est distinctis lumbis, et lucernis exstinctis opera noctis exercere. Et ut eis vel illicita libere liceant, et ne ipsi soli reprehensibiles appareant, subditos sibi a talibus non prohibere. Quomodo namque ab his in quibus ipsi culpabiles existunt, compescerent alios? objiceretur enim eis illud Evangelii : *Medice, cura te ipsum* (*Luc.* IV). Hoc ergo ideo tam sedule moneo, quoniam, Deo teste, post illam quæ me propriis lactavit uberibus et aluit, et in hujus mensuram ætatis, Christo juvante, perduxit, vestram unice Ecclesiam veneror et diligo, et sicut ejus celebri gloria et splendore alacri exsultatione tripudio, ita etiam, si

quid opinionis sinistræ de his quæ in ejus dispositione constituta sunt, contingat me audire vel scire, medullitus condoleo. Quoniam ergo membra pro invicem et maxime caput pro membris debet esse sollicitum (*I Cor.* XII), satagite, obsecro, ut in cellis vestris quæ eum ad hoc sufficiunt, per priorum avaritiam vel negligentiam hospitalitatis humanitas nullatenus justo segnius exerceatur. Curate etiam ut munditia castitatis in omnibus locis vestræ ditionis singulariter præ cæteris virtutibus servetur, parcimonia adversus luxuriam, humilitate contra superbiam, hinc inde illam ne aliquatenus expugnetur, ad munimen sui perpetim vallantibus. Præterea summa intentione curam impendite, ut diligenter investigetis quidquid agitur in cellis vestris, maxime remotis, et qualis sit vita vel conversatio eorum quibus illas deputastis regendas. Dico enim, licet pudeat, sed veritas urget ut dicam, quia nullum majus dignitatis suæ præjudicium, nullum majus honoris sui detrimentum patitur sacra religio quam a cellis. Et licet jam in quampluribus abbatiis a filiis scelestis pulchritudo gloriæ monachalis offuscata sit, et ad nihilum fere redacta sit, maxima tamen pars ruinæ ejus et injuriarum a cellis aut prioratibus, id est ab his qui in cellis vel prioratibus commorantur, initium habuit, et omne dedecus ab illis illusoribus ordinis illi emergit. Quæ enim ab illis fuerint verecundum est dicere, adeo ut in terra nostra ordo ipse quondam summæ reverentiæ, nunc in opprobrium et in fabulam, in derisum et subsannationem, in blasphemiam et sibilum cunctis late per circuitum devenerit. State ergo, reverendissimi Patres, in Domino, et sicut hactenus ita usque in finem tenete traditiones ordinis quas ab antiquo semel suscepistis. Et ne in vobis quoque muscæ morientes perdant unguentum bonæ opinionis (*Eccle.* X), nunc maxime quando omnia in declivi sunt, subtrahite vos ab exemplo omnis Ecclesiæ inordinate ambulantis. Itaque nihil prorsus vobis quasi ex vobis ascribentes, sed ei a quo bona cuncta procedunt (*Jac.* I), tribuentes, et simplici ex corde gratias agentes, omnes in unam convenite sententiam, una mente unum sentite, uno ore idipsum dicite: Benedictus Deus in donis suis, et sanctus in omnibus operibus suis, de cujus munere habetur, ut ei digne et laudabiliter serviatur. Cui laus et gloria, honor et imperium in sæcula. Amen.

EPISTOLA VII.

AD J. ABBATEM ET FRATRES MAJORIS MONASTERII.

Laudat eorum religionem, petitque suffragia post mortem.

Reverendissimo domino et Patri J. (2) Dei gratia abbati, amantissimisque fratribus sub ejus censura Deo et B. Martino in Majori Monasterio servientibus, frater GUIBERTUS minimus semper et ubique sanctitatis eorum servus, salutem in vero salutari, et se totum ex toto.

A Omnipotentis Dei clementiæ inexplebiles ago gratias, qui mihi inspirare dignatus est, ut sanctæ excellentiæ vestræ notitiam perquirerem, et pietate sua effecit ut invenirem. Revera enim me multum ex cohabitatione vestra tum exemplis tum doctrinis profecisse et sentio et confiteor, et adhuc uberiorem profectum post mortem ex orationibus vestris me percepturum spe certa præsumo. Et quia sicut *generatio præterit et generatio advenit* (*Eccle.* I), ita in monasterio vestro, et propter excessum e vita, et propter ordinis et servitii gravamen sæpius apud vos mutari oportet, fratres, et ideo neminem inter vos esse reor, qui me cognoscat vel mei recordetur. Si quæritis quis sum ego qui vobis scribam, ego sum frater N., etc. Qualitatem societatis vestræ a B prædicto abbate et capitulo mihi concessæ in Regula si diligenter inquiritis, scriptam invenietis, quam ut propter Deum mihi, obsecro, et vivo recognoscatis et mortuo, cum obitus meus, qui ut credo, instat, vobis nuntiatus fuerit, fideliter persolvatis, sanctitatem vestram pro omnibus fidelibus et pro me eorum ultimo indesinenter orantem, indesinenter æque fidelium Deus omnium Conditor et Redemptor ab omni malo in ævum custodiat, et nos pariter cum eis ad æternæ beatitudinis gaudia pietatis suæ gratia perducat. Amen.

EPISTOLA VIII.

AD RODULFUM VILLARIENSEM MONACHUM

Reddit rationem cur curam pastoralem deseruerit.

C Servo Dei RADULFO Villariensi (3) monacho nostro semper dilectionis sinu suscipiendo, F. G. solo habitu et nomine monachus, arcem regni cœlestis virtutum armis comprehendere.

Et vestris et aliorum crebris pulsatus litteris, nonnullorum quoque de partibus illis ad has gratia negotiandi partes adventantium verbis super abscessu meo suggillatus, ignominiosum arbitror ulterius vel officiosam amicorum vel improbam derogatorum reprehensionem dissimulare. Vereor namque, si non occurrero, et me infamiæ exponere, et detractoribus meis, dum libere iniqua loquuntur, occasionem peccandi tribuere. Maluissem tamen, si licuisset, in his Martinum episcopum, quam beatum Jeronymum presbyterum imitari, quorum alterum scimus D tantam adversus omnes injurias patientiam assumpsisse, ut, cum esset summus sacerdos, impune etiam ab infimis clericis læderetur; alterum tanto legimus in reprehensores suos verborum impetu ferri, ut quasi rupto patientiæ freno, totus in præceps agi videatur, sagittas potentes et acutas cum carbonibus vastatoriis linguis dolosis apponens (*Psal.* CIX), omnem inventionem hæreticæ pravitatis altercando destruens. Sed licet ego ultra omnem æstimationem infra pedes tantorum virorum jaceam, medius tamen eorum incedens, ita, si possum, moderabor stylum et animum, ut nec intus sufferentiæ tranquillitatem

(2) Joffrido seu Gaufrido, qui cedenti Herveo abbati piissimo subrogatus est anno 1187.

(3) Villariense monasterium insigne ordinis Cisterciensis tribus aut quatuor horis a Gemblaco distans: cujus historiam dedimus, tom. III *Anecdotorum.*

perdam, nec foris intolerabilibus verbis quemquam ex nomine arguendo usque ad excidium fraternæ pacis et charitatis pronam. Noverint autem verbosi amici mei, non quasi culpabilem, nec quasi a conscientia repressum me hactenus tacuisse, sed omnem dissensionis fomitem, qui contentione magis augetur quam sopitur, silentio meo penitus exstinguere voluisse. Quod quia, ut perpendo, fieri non potest, ratum duco brevi, si valeo, et innocentiam meam ostendere, et os iniquitatis, ne amplius super me dilatetur, oppilare (*Psal.* CVI). Scio siquidem, sicut expertus, quoniam cum adhuc essem apud vos, multi adversum me loquebantur lingua dolosa (*Psal.* CVIII), in manifesto quasi faventes, et in occulto revera mihi detrahentes, similes scorpionibus. Unde Dominus ad Ezechiel dicit: *Fili hominis, subversiones sunt tecum et cum scorpionibus habitas* (*Ezech.* II). Unde enim subvertunt auditores suos et decipiunt adulatores? Quia eis judicium proprium et cogitationem sui subtrahunt, ne se qui sint, sed quales ab illis falso prædicantur, æstiment. Ili deteriores prorsus illis sunt qui in facie maledicunt et apertis æmulos suos contumeliis afficiunt. Quare hoc? Quoniam istud fit aliquando præcipitatione, illud nunquam nisi deliberatione. Et invectione convicii plerumque auditor confusus corrigitur, visco autem adulationis errore suo retinetur. Contra quos Psalmista: *Domine*, inquit, *libera animam meam a labiis iniquis et a lingua dolosa* (*Psal.* CXIX). De illis vero quid dicam, qui vel invidiæ veneno suffusi, vel iracundiæ facibus accensi, nulloque pudore repressi, in apertas prorumpentes blasphemias, sermonibus odii circumdabant me (*Psal.* CVIII), et lanceis verborum suorum vulnerabant, non parcentes in faciem meam spuere. De his, inquam, quid dicam, aut quibus eos similes censeam? nisi bestiis insensatis aut feris immanissimis, de quibus et David conqueritur in Psalmo: *Circumdederunt me canes multi* (*Psal.* XXI), et alibi: *Aperuerunt super me os suum* etc., (*ibid.*) Quare autem talium irrisiones, impetus, insultationes et improperia patiebar? Nimirum non ob aliud, nisi quia declinabam a semitis eorum, quia in comessationibus et symbolis contubernia eorum fugiebam, quia nolebam vel sortem mittere cum eis, vel communicare marsupio eorum. Quia prævaricationem ordinis et mandatorum Dei in eis reprehendebam, quia non solum in me carnales motus enitebar comprimere, sed ipsos quoque a pravitatis tortitudine ad rectitudinem æquitatis et justitiæ revocare contendebam. Quid illi vicissim? Profecto ponebant adversum me mala pro bonis et impugnabant me gratis (*Psal.* CXIX). Quid ego fragilis homuncio tantis circumseptus malis agerem? qui in medio eorum positus quid nisi me ad divinum conferrem præsidium? Expertus ego in meipso quod bestiarum istarum dentes nihil minus essent quam arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus. (*Psal.* LVI). Clamabam cum Propheta: *Erue a framea* etc. (*Psal.* XXI). Hæc pro me; pro illis autem quid? Exemplo protomartyris dicebam: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum* (*Act.* VII). Et ecce gratias Deo refero, quod virtute orationis et sufferentiæ quidam eorum ad bonum pacis conversi sunt, et, me nec procurante nec exigente, sed Deo ulciscente, in nonnullis eorum qui in malo persistebant, scelus hoc vindicatum est. Sed quid prodest hoc? Semper pro patribus nascuntur filii tam boni quam mali, et heu! major insurgit numerus improborum quam piorum, et in modum hydriæ, succiso uno surculo, multiplicior pullulatio inutilis stirpis erumpit. Quia ergo perversi difficile corriguntur, et supra numerum multiplicantur, et nemo potest corrigere quod Deus despexerit, relictis his ad quorum correctionem non sufficio, in arbitrio ejus subversoribus sancti ordinis, et legis divinæ prævaricatoribus, voluptatumque suarum amatoribus magis quam Dei (*II Tim.* III), qui pro eo quod super his eos arguere audebam, cum præsens essem, nefanda effundentes calumniabantur me, et stridebant dentibus in me: Et nunc quoque licet absentem iniquis insectantur opprobriis: his, inquam, relictis, ad satisfaciendum illis qui causam meam ignorant, et ob hoc errant, non ex malitia, sed ex ignorantia, ne ulterius in me scandalizentur et materiam eis peccandi præbeam, justum imo necessarium arbitror veritatem mei recessus aperire. Neque enim aut levitate usus, aut instabilitate actus, locum meum deserui. Eant livor et edax invidia, eant zelus et *dura sicut infernus æmulatio!* (*Cant.* VIII), et sese imo quos invadunt et captivos tenent, corrodant et exulcerent! *Mihi autem adhærere Deo bonum est, et ponere in Domino spem meam* (*Psal.* LXXII), quo protegente nonnulli hostium in manibus meis sunt, cujus adjutorio persequor reliquos, et *comprehendam; et non convertar donec deficiant* (*Psal.* XVII), secundum illud Pauli apostoli: *Dominus conteret Satanam sub pedibus vestris velociter* (*Rom.* XVI). Huic profecto bonum mihi inhærere, in hoc vero spem meam ponere saluberrimum mihi videri cognoscite, et valete.

EPISTOLA IX.

AD JONAM S. MARTINI IN PETROSO VADO SACERDOTEM.

Ut juxta nominis interpretationem columbinam simplicitatem actis suis exprimat.

Sincero semper affectu mihi colendo præcordiali amico, Jonæ sacerdoti ecclesiæ Beati Martini quæ est in Petroso Vado, G. suus, transitorium mundi despicere et permansurum cœlestis regni gaudium ferventer appetere.

Hortor et moneo, frater charissime, ut nominis tui interpretationem diligenter attendens, non ad confusionem, sed ad laudem, sed ad honorem, Jonam, id est columbam, te gaudeas nominari, quod ita decenter adimplebis, si columbinæ simplicitatis æmulus, rectam et innocentem geras conversationem coram Deo et hominibus, a felle amaritu-

dinis et a livore invidiæ inveniaris alienus. Sed quid facis in mediis fluminibus Babyloniæ, in medio civitatis plenæ iniquitatis et contradictionis, propter peccata sua in momento subvertendæ? Aperi oculos tuos et vide, quoniam die ac nocte circumdat eam super muros ejus iniquitas, etc. Quare non assumis pennas sicut columbæ et fugias, etc., ne et tu simul pereas? Quid in periculo tuo aliena assumis, qui ad tua delicta portanda non sufficis? An nescis quoniam non solum de tuis, sed etiam de tibi commissi rationem exigeris? Quid, quasi mercenarius, possessiones mercedis tuæ computando, in domo aliena servitutis tuæ dies dinumeras, qui domum tuam libere ut dominus poteris disponere, non alienum, sed proprium panem comedens. Exonerare, quæso, totius fascibus his, et imitare patronum tuum, cujus laudibus diu noctuque insistis, qui Christum etiam invitis parentibus secutus, in universo orbe Christiano apostolicam gloriam obtinuit. Et quia scriptum est: *Qui audit dicat: Veni*, (*Apoc.* XXII), accepto salutis consilio, da operam, ut et alios tecum Deo adducas, et maxime eos qui uberem fructum Deo in lucro animarum reddere possint tempore opportuno. Saluta tu communem amicum, monens illum et fidem quam dilecto debet servare, et depositum integrum custodire

EPISTOLA X.

AD QUEMDAM FRATREM SUUM.

Gratulatur de sua conversione, ae qua tamen nonnihil timet, hortatur ut vota adimpleat, et ad regulare claustrum se transferat.

Fratri charissimo, G. dilectus suus, in cursu propositi sui constantiam et de laboris mercede confidentiam.

Lectis litteris tuis brevibus, immensum lætatus sum, earum indicio effectum jam vitæ comperiens quod nunquam de te speraveram. Quis enim priorem tuam non dico conversationem, sed dispersionem cognoscens, ex facili crederet levitatem tuam ad maturitatem vel modestiam sacræ religionis, quam irridere solebas, colligendam, et cervices tuas superbas et rigidas humili Christi jugo aliquando supponendas? Sed hoc pium et solitum benigni Salvatoris nostri artificium est, qui eos *quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui* (*Rom.* VIII) ex insperato vocans et mutans, terrena docet despicere et amare cœlestia, et exleges ad normam legis vitæ et disciplinæ componit. Sed ut de hac ipsa conversatione tua tibi meam, et hoc ad te muniendum aperiam cogitationem, de ejus initio vehementer quidem exsulto, sed non secure, utpote vel fine incertus, et hoc maxime pro eo quod repentina videatur et coactitia, non fervore spiritus, vel consulta deliberatione animi te ad hanc evocante, sed extremo mortis periculo perurgente. Et quamvis certus sim quod pius Dominus quod cœpit in te et perficere et solidare potens sit (*I Petr.* V), auget tamen et hoc formidinem mentis meæ, quod

A in locum plurimis periculis obnoxium te contuleris, in quo non solum rudium et noviter plantatorum moveri pedes et effundi gressus, sed et robustorum, nisi circumspectissime sibi intendant, status concuti possit; nec ista ad hoc profero, ut te vel loco cedere, vel propositum (quod absit!), mutare suadeam, sed ut meam erga te ex fraterna dilectione sollicitudinem insinuem, et vigilantiorem te adversus astuti tentatoris insidias reddam; de quibus scilicet periculis, quoniam plus quam expediret, me absente, in libro experientiæ lecturus es, si tamen non tepide, sed disciplinate vivere volueris, ego scribere de his supersedeo. De cætero jam dominos et fratres meos qui te vel vocatum vel compulsum a Deo in suum consortium susceperunt, moneo et
B precor, ut vota quæ distinxerunt labia tua Domino reddere (*Psal.* LXV), et sanctis verbis doceant, et exemplis accendant, et orationibus juvent. Te vero quem totis viribus amplector et visceribus, oro et exoratum esse cupio, ut quia jam tempus est ut plurimi sanam doctrinam non sustinent, sed ad fabulas convertuntur, etc. (*II Tim.* IV), tu vigiles adversus injustas fabulationes adulatorum et detractorum; et juxta Apostolum: *Quæcunque sunt vera, quæcunque justa, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogita* semper (*Philipp.* IV), et Deus pacis erit tecum, et reddet tibi mercedem laborum tuorum. Nec est ut queraris de raritate vel penuria eorum quos merito sequi possis, quia,
C etsi faciem Antichristi bonorum præcedit egestas, et mali multiplicentur super numerum, tamen adhuc, præstante Deo, et malus inter ligna silvarum, et inter spinas lilium invenitur (*Cant.* II), et, ut expressius loquar, non est fere tam perversus, in quo non aliquid imitabile invenies.

Itaque quoniam ad fortissimum genus militiæ vocatus es, sed in loco parum adversus hostes munito stas, oportet ut quod tibi exterior non præstat custodia, animi provideat industria, et ut sapiens utere malitia temporis ad exercitium virtutis, et duplici armatura ad ultionem inimicorum induatur zelus tuus, ut, quoniam hi qui secundum carnem vivunt, morientur, (*Rom.* VIII), fortiter dimices
D contra carnem et sanguinem, non solum abstinendo *a carnalibus desideriis quæ militant adversus animam* (*I Petr.* II), sed etiam carnalium hominum consortia fugiendo; et juxta Apostoli vocem: *Accipe armaturam Dei, ut possis resistere in die malo et in omnibus perfecte stare*, et deinceps (*Ephes.* VI). Sta ergo succinctus lumbos in veritate, indutus lorica justitiæ, etc. (*Ibid.*) Attamen si ego consulere et tu facere posses, nihil melius tibi consulendum putarem, quam ut ad claustrum aliquod religionis censura fervens, non ibi permansurus, sed ad discendum monachatus ordinem transires, ut cum bene instructus et armatus ordinata ex acie ad tuos regredereris, et ipse de cætero contra spirituales nequitias securus pugnare, et ad pugnan-

dum scires et posses alios provocare. Illud autem scito quod, juxta Domini vocem in Apocalypsi, venialius esset frigidum adhuc in sæculo manere, quam tepidum et resolutum in claustro residere (*Apoc.* III), quia stimulante timore et pœnitentia, de magno peccatorum frigore facilius converti posses ad vias innocentiæ quam de tepore securitatis recalescere ad fervorem sectandæ justitiæ.

EPISTOLA XI.

GEMBLACENSIUM FRATRUM AD SUUM GUIBERTUM.

Dolent de ejus absentia.

Amantissimo fratri et domino GUIBERTO, fratres Gemblacenses, et omnes in communi amici, tam foris quam intus, quidquid optari lætius, quidquid frui potest felicius.

Quanto, o amicorum desideratissime, olim nobis grata, utilis et accepta fuit vestra præsentia, tantum et multo amplius in dies contristatos reddit vobis interim dulcis et chara, sed nobis supra modum odibilis et amara facta vestra absentia; nam post patratam vestram a nobis discessionem, multorum ora resoluta sunt in nostræ derogationis vituperationem, videlicet eos conscivisse causam ipsius vestræ digressionis, qui erant æmuli vestræ bonæ conversationis. Exigit igitur a vobis mater pia perseverantiæ stabilitatem, etc.

EPISTOLA XII.

AD GEMBLACENSES FRATRES.

Excusat se a resumenda abbatiali dignitate Gemblacensis monasterii.

Reverendæ matris suæ Gemblacensis Ecclesiæ dominis filiis et fratribus suis, GUIBERTUS eorum ultimus, in ira misericordiæ memores esse.

Quod meminisse mei dignamini gaudeo et gratias ago, quod vero revocare conamini, identidem gratias ingemino, sed non inde gaudeo. Gauderem magis, si quam gratus et commodus vobis unquam esse potui, his quibus gratum et commodum me sua gratia facit Deus, in pace coesse pateremini. Quia vero quidam vestrum ad me revocandum abbatem compellunt, vellem potius ut eum ad relevandum et muros et mores domus qui corruerunt, incitarent, et ad disponendos eos per religiosas domos quos inter vos parum adhuc ordinis scire non nescio, perurgerent. Et quidem si per me apud vos aliquid boni fieri aut restitui posset, gauderem et recurrerem, et humiliari et abjectus esse et tribulari vobiscum quam spolia dividere inter superbos magis optarem (*Prov.* XVI). At quoniam inter vos ubi multi sapientes sunt, hujus gratiæ et auctoritatis aut sapientiæ esse non mereor, obsecro ut me stultum illis stultis qui de me exsultare et per me proficere se jactitant, sine calumnia habere permittatis. Quid litteræ pro me revocando multiplicantur? Mox ut mutationem vel correctionem domus accepero, omni occasione, omni dilatione postposita, libens recurram, et quidquid laboris pro instauratione subeundum jusseritis, gratanter excipiam. Nam quid mea modo ibi exiguitas faceret? Tentavi aliquando sub- A venire, et passus sum quod animus refugiebat suscipere, et nihil profeci. Nam ideo reverti nunc vehementer formido, ne forte, si post tranquillitatem pacis, quam per triennium fere fruitus sum, in puteum miseriarum istarum recidero, et mihi molesta et vobis onerosa sit mea reversio. Deus pacis et dilectionis sit cum omnibus vobis (*II Cor.* XIII), ut idem omnes sapiatis, et unanimiter honorificetis Deum, et per Dominum nostrum Jesum Christum (*I Petr.* IV.) Amen.

EPISTOLA XIII.

AD GERTRUDEM VIRGINEM.

De monasterii sui deprædatione per comitem Namurcensem.

GERTRUDI sponsæ Christi et virgini, G. servus Dei B et ejus, seipsum non sicut sæcularis sæcularibus, sed in Spiritu sancto.

Litteras magistræ vestræ et vestras, cum munusculo quod misistis, accepi in charitate, non in voluptate: quæ enim voluptas ubi totum occupat amaritudo? O soror charissima, quoniam tribulatio recordationis quæ nuper circumdedit me, et visio destructionis ecclesiæ nostræ, in qua fere ad mortem periclitatus sum, omnes corporis mei sensus attonitos reddit, et totam animi fortitudinem absorbet: quod paucis expediam, si tamen præ dolore expedire sufficiam. Oppidum nostrum in confinio ducatus Lovaniensis et comitatus Namurcensis situm esse dignoscitur. Orta itaque nuper simultate inter ducem et comitem, comes idem improvise illud cum C exercitu suo circumdedit, et immisso igne in minuta, id est quæ foris vallum et murum offendit, penitus incendit et depopulatus est. Cum vero nihil tale timeretur, flabris ventorum qui vehementissimi insurgebant subvehentibus, favillæ flammantes per cuncta oppidi interiora dispersæ sunt, et ita totum simul et oppidum et monasterium ferventissimo incendio consumptum est, ut et in oppido nulla domus præter duas humillimas recenti humo obductas, et in claustro ne una quidem officina inusta remaneret: in qua exustione, cum missam matutinalem ad altare minus cantarem, nolens aliquid imperfectum relinquere, tardius pene quam debui ad tutelam me contuli; nam sacris exutus vestibus, cum præ ignibus late jam omnia vastantibus foras erumpere non D possem, in vicinius quod patebat sacrarium ingressus, quatuor ibidem e fratribus meis mœrentes et anxios inveni, quo in loco præter spem undique vallantibus nos flammis, fumo et calore ita æstuavimus et suffocati sumus, ut duo ex his graviter læderentur, ego et alii duo præ angustia certe sine spiritu, instar mortuorum, usque ad vesperam decumberemus; sed, me per auxilium Dei superstite, illi duo socii martyrii mei post paucos dies rebus humanis excesserunt.

Sed, sicut scriptum est in prophetis, ut auditus auditui, contritio contritioni, et terror terrori superveniret (*Jer.* IV), nono combustionis die prædictus comes Namurcensis, accito sibi comite Han-

noniensi nepote suo ex sorore, denuo in multitudine A gravi oppidum circumdedit, et quibusdam in locis dirutis muris intravit utriusque exercitus, et ubique libere discurrens (nam omnes imparatos et nihil horum metuentes invenerat) universa quæcunque incendio superfuerant diripuit : in qua direptione nihil nobis, nihil burgensibus, vel populo terræ qui inibi sua convexerant relictum est. Animalia quoque et altilia domestica, aut cinerata, aut ab hostibus abducta : nullus sacris vel altaribus honor impensus est, adeo ut in medio presbyterio coram principali altari et per tota utriusque ecclesiæ spatia et pedestri et equestri certamine congredientibus hinc nostris hinc adversariis, multi interficerentur, monachi ipsi et sacerdotes discuterentur et spoliarentur; nullus fratrum prorsus indemnis evasit, unus lethali telo per latera abductus oppetiit, alius ita nudus abductus sicut eum natura ab utero matris in lucem produxit. Ipsi abbati cum reliqua veste et ipsas calligas detraxissent, nisi a quodam sibi noto vix excussus perhorrentis noctis tenebras nudus et solivagus diffugisset : et siquidem satis juste, ut qui patrem suum et dominum suum spiritualem adhuc viventem per supplantationem et Simoniam honore proprio spoliaverat, ipse quidem quid in exitu suo præstolare debeat, tali dehonoratione perdisceret : nusquam enim talis introitus, imo non introitus, quia non per ostium, sed invasio, et aliunde præceps ascensus beato fine clauditur.

Sed, ut cœpta repetam, nulla in direptione prædicta vel femineo sexui penitus reverentia, quin et ipsæ mulieres nudæ dimitterentur, nulla omnino lactentibus misericordia exhibita est; sed et matres vestibus exutæ, et filii ab uberibus matrum distracti, contra naturæ jura, cum maxima parte burgensium in captivitatem traducti sunt. In majori ecclesia, utpote homicidiis profanata, nec legitur, nec cantatur, sed in crypta quadam utcunque divinum explemus officium. Hinc gemitus et suspiria et singultus, quia cecidit corona capitis nostri, et divitiæ nostræ non solum exteriores, sed, quod sine magna cordis contritione referri non potest, etiam interiores extraneis cesserunt, dum sine decore servitii Dei, sine ordinis et religionis munimine, in confusione communis vitæ sedemus. Indulgete, obsecro, soror dilectissima, talia vobis profundenti, et vos mecum ad dolorem incitanti, quia et cor triste nunquam læta proferre, et os amarum mel non potest spuere, et nescio quo naturæ instinctu etiam de miseriis suis cum amico loqui remedium aliquod esse videtur. Restat ergo quia domus nostra destructa est, nec spes ulla instaurandæ in ea religionis in vita mea suppetit, ideoque locum me mutare necesse est. Decrevi autem ad claustrum Majoris-Monasterii, a quo ante quinquennum fere regressus sum, reverti, eo quod animæ meæ complacuerit.

EPISTOLA XIV.

JOANNIS WILLELMI AD GUIBERTUM, ABBATEM GEMBLACENSEM.

Declarat se merito ab iniquo abbate multa pati, utpote qui ipse aliis multorum malorum auctor fuerit.

Domino desideratissimo et venerabili fratri G., JOANNES dictus Willelmi, salutem et omne bonum.

Quia scriptum est : Beatus qui in auribus sapienter loquitur, idcirco, o mi domine, ad vos utpote reclinatorium miserorum sermo meus dirigitur. Verumtamen si in loquendo modum excedit intemperata loquacitas, causas justæ excusationis habebit ipsa doloris plena necessitas. Ego autem, qui etsi aliquando contumeliosus, sed nunc versa vice, si B possibile esset, fideliter et ex animo vobis officiosus, cum multa cordis contritione insinuo vestræ dilectioni eam quam peccatis meis merentibus jam olim patior calamitatem et miseriam, quia homo perditionis, quotidie supramodum innovata crudelitate, exaggerat in me multiplicem et intolerabilem iniquæ rabiei et persecutionis insaniam. Qui quoniam nunquam defatigatus cessat irarum vel odii vel ad modicum sopitos cineres adversum me in redivivas flammas suscitare, omnium discretorum religiosorum cordibus et auribus, si fieri posset, causam tam nocivæ simultatis innotescerem; siquidem injuriam patienti non modica solet esse consolatio, si innocentiæ suæ causam discernendam vel potius dirimendam proborum hominum committat judicio. C Verum si ipse jam olim facti mei pœnitens ex abdito audacis conscientiæ velim fingere causas fallacis innocentiæ, nec dicam cum Propheta : *Judica me, Domine, secundum justitiam meam,* etc. (*Psal.* XXXIV.) Profecto os meum condemnabit me. Nec mirum si ego, qui malo meo omnes pedicas et laqueos ad irretiendum et illaqueandum innocentes operatus sum, eisdem confusionis retibus involutus sim. Nimirum sicut feci, sic recepi; si aliis aperui laqueum præcipitationis, ipse mihi paravi casum perditionis. Sciens ergo et videns, ignem injeci p[a]leis, nec consideravi quod ignis succensus, in aliis quidem scintillas validi ferveris diffudit, porro in me tanquam totius mali incentorem vastationis suæ regyrans D habenas, truculentior et male vorax efferbuit, ecce sed ipsa diuturnæ calamitatis vexatio dat intellectum, quamvis sero, quam fuerit exsecrabilis et Deo odibilis nostræ malæ procurationis executio. Enimvero, plures numero hujus facti auctores et cooperatores fuimus, qui quosdam facetis adulationibus et aliis vanis favoribus, plures dato sacramento quod diversis administrationum vel officiorum sublimarem honoribus, nonnullos munerum largitione corrupimus. Sed quid? Adeptus sedem Simoniaci culminis, omnium fere suffragatorum consilio, velleque et nolle posthabito, magnus, sapiens apparere in oculis suis et sibi placere facere mala quæ posset, minari quæ non posset; et cum antea nullius reputaretur momenti, ut nostis, quippe nec qui in-

teriori nec exteriori scientia præditus, modo in utraque ultra vires præsumere, et omni bono vacuus, sed solo superbiæ fastu tumidus, intolerabilis potentatum cœpit exercere tyrannidis, adeo (ut interim de rusticanis taceam), nonnullos monachorum et militum, sicut et ipse cum adhuc essetis nobiscum vidistis, vinculis ferreis alligaret, et in custodia retruderet.

Ut reliqua prosequar, soli potentes, hi scilicet quorum hoc fuit auctoritatis, ex condicto de rebus ecclesiæ opulenter ditati sunt; reliqui, id est mediocres et infimi pro merito spebus suis vanis frustrati sunt. At vero mihi mei sudoris sufficiens erat præmium, videre voti compotem amicum, ut putabam, et dominum; nec fuit longa dilatio, aliter quam ratus eram provenit laborum meorum condigna remuneratio! siquidem pro donativo ab eo a quo bona sperabam, in quantum poterat, contrarium et extra munera dissimile parabat mihi munus, patibulum et laqueum. Si autem vulgo dicitur: Debet haberi modus in verberandis canibus, quanto magis in exasperandis et cruciandis hominibus? Ipse qui Simoniacæ hæresis æmulator, paterni honoris invasor et proditor, quantum vero ad me, Aman illo in Lege Veteri nequior (*Esther*. v), Daciano quoque et Nerone inordinatis moribus omnium malorum commentoribus apparet crudelior. Revera pudet, et tamen fateri necesse est detestandi sui commercii me per omnia fuisse conscium, cum multorum ora jam et ipsa etiam saxa vociferantur in diabolum malum factam esse ejus promotionem, ita ut sit versum in proverbium, quod loco regiminis statutum sit idolum zeli ad provocandum æmulationem. Cujus periculi malum nos respicit in capite, qui hujus pestiferæ captionis conscii auctores in hoc perfidiæ suæ dedimus evidens indicium, quod, bonæ simplicitatis viro rejecto, pro libitu nostro creavimus nobis ridiculum abbatem, qui nihil quidem scientiæ, plus quam satis haberet nequitiæ. Hinc est quod quasi amens et absque cerebro plerumque publice fatetur velle potius diabolo quam mihi obviare, in tantum ut cum ego nuper hebdomadarius sacerdos cum aqua lustrationis et signo Dominicæ passionis ex more domum ejus visitarem, ipse attonitus aufugerit, nec ullum divinis honorem exhibuerit sacramentis. Sed quid amplius? Plures abbates et monachi, milites et clerici, et ipse domnus archidiaconus Amalricus, prorsus omne hominum genus pro hujusmodi odii sæpissime elaborarunt sopitione, sed nihil concordiæ dignum efficere valuerunt. Jam quia mihi inest tantorum malorum nunquam finiendorum desperatio, placet animo quietis gratia loci demigratio. Proinde precor ut mihi jam vago et profugo procuretis apud vos locum certi refugii, ut sitis mihi portus desideratæ requietionis, ut pro hoc apud Deum habeatis locum æternæ remunerationis. Valete, et per præsentium latorem quid vobis placet rescribite.

EPISTOLA XV

AD QUAMDAM SANCTIMONIALEM.

Excusat se quod eas sæpius non invisat, quoniam id professio non permittat.

Dilectæ in Christo sorori ancillæ et sponsæ ejusdem Christi, frater G., salutem, orationes, servitium et seipsum in Domino.

Quoties benignitatem et beneficia a vobis mihi impensa mente retracto, doleo quod vobis caream, vos non videam, vestraque benevolentia et religiosis non fruar officiis, adeo ut si facultas daretur, et obligatio professionis permitteret, ob gratiam vestri et aliarum sodalium vestrarum, quæ me, cum præsens essem, tanta devotione excoluerunt, locum vestrum sæpe inviserem. Sed quoniam id nec licet, nec decet, et forte non expedit; id quod licet, decet et expedit factito, quando quo possum pietatis affectu vos complector, Deoque in orationibus commendo: simul enim et semel dico, quia modicum id quod sum, et quod in Christi servitio facio, vestrum æque ut meum est. Munuscula nulla vobis dirigo, quia non habeo; scitis enim quod nulla unquam mihi rerum hujusmodi colligendarum cura fuit, quoniam id omnino monachorum non est. Vestra tamen munuscula quæ a vobis exiens mecum attuli, adhuc habeo, et super aurum et topazium diligo. Valete in Christo et orate pro me.

EPISTOLA XVI.

AD ABBATEM S. EUCHARII.

Petit ab eo post obitum suum suffragiorum participationem.

Domino et Patri dilectissimo, G. Dei gratia S. Eucharii (1) abbati, quidquid fidelis amicus amico optare potest dulcius et salubrius.

Quoniam aures vestras pluribus occupatas audiendis verbis quasi adulatoriis aut superfluis occupare duco inutile, ea quæ erga me aguntur vel acta sunt, si scire vobis placet, narrabit vobis præsentium lator dilectus noster W. ecclesiæ nostræ custos per quem et vos nobis vestra intimare poteritis. Sed unum est quod, quia ore ad os non possum, per litteras enixius precor, quatenus in sanctis orationibus vestris mei memor esse dignemini, et communionem beneficiorum quæ apud vos fiunt, et societatem quam abbas prædecessor vester mihi benigne concessit, vos quoque clementer recognoscere dignemini, ut si forte finem meum, quia jam in ultima ætate positus sum audieritis, de me quod de fratre faciatis. Enixius autem precor ut quod vobis, si in potestate vestra causam tamen haberetis, juste impendi velletis, id abbati Florinensi, in vestro posse, quod, Deo gratias, multum est, impendatis, videlicet ut in curia archiepiscopi et fratris vestri archidiaconi justas partes Ecclesiæ tueamini,

(1) S. Eucharii celeberrimum monasterium in suburbio urbis Trevircæ, vulgo S. Matthiæ nomine insignitum.

nec persecutorum ejus assultus prævalere patiamini. Vos autem, reverende Pater, districtum examen judicii in quo stabitis, pro vobis et pro curæ vestræ commissis rationem redditurus, semper metuentem et caventem, longo tempore omnipotens Deus in anima et in corpore tueatur incolumem ad honorem suum, et profectum vestri et Ecclesiarum quas regitis, et ad exemplum bonorum qui vos voluerint imitari. Amen.

EPISTOLA XVII.

G. ABBATIS S. EUCHARII AD GUIBERTUM ABBATEM GEMBLACENSEM.

Pomittit ei sicut pro uno ex suis suffragiorum vota.

Reverendissimo in Christo amico venerabili viro Guiberto, G. (5) Dei gratia dictus abbas S. Eucharii, salutem in eo qui est salus omnium exspectantium eum in veritate.

Fraternitatem vestram scire volumus et firmiter tenere, quod ad obsequium et reverentiam vestram promptissimam et intensam semper habuerimus voluntatem, et licet vestra præsentia carnis sistat ab oculis, memoria tamen dilectionis vestræ cordis semper inhæret oculo. Unde societatem et fraternitatem quam temporibus bonæ memoriæ abbatis L. (6) prædecessoris nostri, in Ecclesia nostra suscepistis, vobis recognoscimus, et omnium bonorum quæ circa nos fiunt, sicut uni fratrum nostrorum plenam concedimus participationem. Valete.

EPISTOLA XVIII.

MAGISTRI JOSEPHI AD GUTBERTUM ABBATEM FLORINENSEM.

Excusat se quod ad eum non accedat, grave fert quod se magistrum appellaverit, hortatur ut Florinense monasterium, ad quod fuerat electus, florere faciat.

Patri et domino præ omnibus singulari affectione sibi dilecto G. Dei gratia Florinensi abbati, Joseph quidquid est, et si quid potest totus suus, salutem quam sibi optat in vero salutari.

Universorum dispensatori Deo grates refero, quod benigna provisione sua hoc inter homines solatium procuravit, ut absentes quod voce viva non possunt, litterarum commercio suffragante declarent. Hoc sane delectatus beneficio, stylo studiosus insisto, ut illuc devotionis meæ currat epistola, ubi corpore absens, corde semper præsens sum. Summo tamen desiderio provocatus ad vestræ dilectionis sinceritatem modis omnibus properassem, sed domesticis præpeditus et detentus negotiis, quod volo non valeo, venturus quidem, cum facultas fuerit, imo cum vestræ sinceritatis imperio complacebit. Accepi apices vestros hilaritate qua debui et quanta potui: in quibus, quod molestissimum fero, vos vocatis me, magister et domine, et male dicitis, qui nec vestræ sanctitatis servus, ne dicam discipulus merear appellari. Cæterum cum unus sit magister et Dominus omnium Jesus Christus (*Matth.* XXIII), vos qui portastis jugum ejus ab adolescentia (*Thren.* III), me sancta et efficaci orationum vestrarum instantia Domino lucrari studeatis, ut ejus conservi simus et servientes cui servire regnare est. Deum testem invoco, quod de vestrarum sanctitate precum confisus, non modicam salutis meæ spem concepi. Super statu dilectionis vestræ certum aliquid audire sitio. Hoc tamen a nonnullis audivi quod Florinensis cœnobii fratres electione devota et consona vos abbatem habere decreverunt; vos itaque non honorem, sed onus; non divitiarum mollitiem, sed officii molem attendentes, sic Florinensi provideatis Ecclesiæ, ut si sub aliis pastoribus floruit, sub vestri cura regiminis non florem tantum, sed et fructum uberem se gaudeat invenisse. Remis more solito moram facio, etc.

EPISTOLA XIX.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Assiduas ejus ad Deum pro se orationes deprecatur.

Charissimo suo et in Christo plurimum diligendo domino Guiberto, Joseph quanta potest devotione suus, sincere cum salute salutantis affectum.

Noverit sanctitas vestra me semper et ubique vestrum vestri conspectus desiderio jugiter concitari. Quod quia locale interstitium invidet, feci quod potui, vestram, cum corpore non possim, scripto quo possum præsentiam prosecutus. Meus quidem animus vobiscum non hospitatur, sed moratur, ut jam vicissim ad nos redire non possit qui nunquam discedit. Vos forte vicem non rependitis, cum major mihi instet necessitas, ut jugem mei habeatis memoriam, ibi præcipue ubi patri filius immolatur. Sane cum ex summa dilectionis sinceræ fiducia vobiscum loquar ut mecum, non erubesco ulcera mea detegere, amico præsertim et medico. Vagus et pollutus cogitationibus distrahor, verborum lasciviam studiosius amplector, opera quæ Deo displicent operor, semper in deteriora vergens, ut jam me undique pulset mors in domo, mors extra domum, mors in sepulcro. Væ mihi! quidnam faciam? quæ munimenta conquiram? quibus utar consiliis? ut mihi a sanctitate vestra singulare præsidium postulem, ut pro me Deum implorare velitis, qui impetrare valetis. Scio enim quia *valet multum deprecatio justi assidua* (*Jac.* V). Videte ergo ut assidua sit quam pro me peto fundi deprecatio. Aut enim justitiæ opinionem habetis et non rem, aut preces sanctitatis vestræ mihi prodesse persentiscam. Vos ergo de cujus sanctitate vehementer præsumo, votis meis cum omni studio ac diligentia consulite, quia procul dubio vobis erit lucrosum lucrifacere proximum.

(5) Godefridus qui ab anno 1181 ad 1210, S. Mathiæ monasterium rexisse dicitur.

(6) Ludovici qui sub Hillino archiepiscopo Trevirensi idem cœnobium administravit.

EPISTOLA XX.

MAGISTRI JOSEPHI AD GUIBERTUM ABBATEM FLORINENSEM.

Profecturus Jerosolymam cum Cantuariensi archiepiscopo, ejus se precibus commendat

Reverendo domino suo et amico sibi in Christo singulariter dilecto G. Dei providentia abbati Florinensi, JOSEPH semper suus, ubique suus, totus suus, salutem et se totum ex toto.

Loquor sanctitati vestræ in pera et baculo, divina vocante et utinam prosequente gratia, Jerosolymam cum domino meo Cantuariensi archiepiscopo profecturus. Vos autem quem sincere in Domino et singulariter diligo, mihi cum proficiscimur sic vestra mecum properegrinetur dilectio, ut qui corpore sejungimur, simul copulemur. Summa vero petitionis meæ est, ut me certe vestrum sancta orationum vestrarum instantia persequamini, ac Deum itineris nostri præceptorem et ducem, pro me magis assidue quam frequenter oretis; scio enim quod *multum valet deprecatio justi assidua* (*Jac.* V). Utinam vos dominum meum, dilectissimum meum, semel videam antequam moriar. Sed quoniam ignoro utrum vos ulterius in corpore visurus sim, rogo ut cum aliquid scriptorum meorum inter vestra repereritis, Joseph vestri aliquatenus memoria vobis innovetur. Si enim juxta poeticum illud :

Dormitat, si non visu pascatur amico,
Et non colloquio sæpe fruatur, amor.

De recordatione vestri, domine mi, quid fiet, cum me in tam longinquam regionem profecto, nulla de cætero mutuæ visionis seu collocutionis spes resideat? Propter hanc formidinem, secundum verba beati Petri, justum arbitror, quandiu sum in hoc tabernaculo, nesciens an velox an tardior sit depositio hujus tabernaculi, id est corporis mei, suscitare vos in commonitionem magnæ utilitatis et commodi utriusque nostrum. Attamen rogo ne velut insipientem accipiatis me, quasi qui velim docere vos, quem ut spero, magistra Dei unctio docet (*I Joan.* II), quantum judicat expedire de omnibus necessariis. Sed in hoc tamen sufferte insipientiam meam, quod saltem satis vigilem monere vos præsumo, sed charitas Christi ad hoc urget me (*II Cor.* V). Hac igitur impetrante veniam et dante fiduciam, morem gerens amici, et etiam pro sollicito sollicitus exhortor et precor, quatenus in cunctis pro re, pro loco, pro tempore, pro personis, utpote in cujus manu tantorum salus versatur, timorate et diligenter, circumspecte et solerter vos agatis, quia non solum de vobis, sed et de his quorum curam suscepistis districto judici Deo rationem reddituri estis, mei quoque inter hæc sive adhuc in corpore manentis, sive post obitum non ultimam habeatis memoriam. Obsecro jam quod sine lacrymis non profero, extremum, ut puto, dilecti vestri Joseph vale, accipite, et ex
A munusculis meis, quandiu vobis ea habere placuerit, firmitatem devotionis meæ erga vos fideli officio recolite.

EPISTOLA XXI.

GUIBERTI AD JOSEPHUM SCHOLASTICUM.

De mutua eorum amicitia.

G. Dei permissione, et utinam ipsius voluntate abbas Gemblacensis, singulari mihi jam pro meritis suis dilectione complectendo JOSEPH egregiæ probitatis scolastico, quidquid filio pater.

Dudum te, amantissime, in Geldorensi oppido commorantem cognoscens, considerata vultus tui honestate et venustate, oris gratia, elegantia sermonis, frontis hilaritate, continentia oculorum, et
B gestuum totius corporis tui moderatione inspecta, ultra quam credi possit super his delectatus et admirans in juvene tantæ specimen honestatis reperiri, totis te dilectionis visceribus suscipiens, requievit in te spiritus meus. Usus familiaritatis et ausus deinceps auxit notitiam, et quanto notior, tanto charior et dulcior mihi esse cœpisti, et expertus sum in te quod ait beatus Gregorius, quia amicus quasi animi custos dicatur, eo quod amor ipse notitia sit. Vidi, consideravi, et adamavi faciem interioris hominis tui, multo virtutum decore radiantem, et *adhæsit post te anima mea* (*Psal.* LXII), et igne charitatis liquefacta, ut sic dicam, cucurrit in tuam. Et nescio quo occulto naturæ instinctu nonnunquam fit ut ex solo mutuæ
C visionis vel collocutionis intercessu plerique indissolubilis nexibus amicitiæ fœderati constringantur, abstrahente et afficiente eos exuberantia internæ pulchritudinis, qua etiam secundum interiorem exterior homo interdum componitur, sicut scriptum est : *Sapientia hominis lucet in facie ejus* (*Prov.* XVII). Unde tu, frater dulcissime, dum in viris religiosis et devote se habentibus disciplinatos mores consideras et imitaris, mirabilem te et imitabilem præbes, oculosque intuentium convertendo in te avolare facis, vocem quoque tuam quibus loqui dignaris gratam et colloquium tuum dulce reddis, et faciem multis decoratam virtutum insignibus desiderabilem exhibes. Quibus tractus incitamentis de-
D sidero et afficior videre te, amplecti te, et loqui tibi; sed nec capio, nec assequor quod cupio : dubius ac varius inter fidem et affectum, inter spem et metum positus quid eligam aut diffiniam ignoro. Fides quæ secundum Chrysostomum amicitias servat, sanctaque collegia copulat, de indissolubili dilectionis tuæ fraternitate certum me reddit; affectus, dum ei copia fruitionis denegatur, et se differri a gratia cohabitationis tuæ dolet, et quod gravius ducit, fraudari perpetim veretur, angitur, suspirat et ingemiscit. Sed inter hæc, dulcissime frater, quid facies? Nunquid omnino dissimulabis? Nunquid nos te desiderantes et quærentes te, suspirantes, despicies, etc.?

EPISTOLA XXII

AD PHILIPPUM COLONIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Opusculum aliquod a se compositum ipsi offert.

Domino et Patri, eximia pietate animi, egregia et morum probitate prædicabili, atque inter præcipua Christi membra, gratia ipsius exaltato Coloniensi antistiti PHILIPPO, frater G. sanctitatis ejus humilis servus, quo nihil salubrius optari potest capiti suo per ejus et sanctorum imitationem in omnibus congruere.

Reverentiæ vestræ munus dicatum, ut potui, Deo juvante, perfeci, et in eo quod non solum a vobis, sed ab universis acceptatur, non frustra me laborasse gratulor et exsulto, sed humiliter sanctitati vestræ, Pater venerande, supplico, quatenus munusculum meum eo affectu quo a me oblatum est, suscipiatis, et commendare non abnuatis, juxta illud :

Exiguum munus cum dat tibi pauper amicus,
Accipito placide, et plane laudare memento.

Et quid utilius munere boni consilii, sicut scriptum est : *Sermo bonus super datum optimum* (*Prov.* XV). Unde et in calce moneo, ut a dissipatione animarum mentem colligendo, ad illam optimam partem Mariæ vos conferatis (*Luc.* X), et illi uni summo bono inhæreatis, quatenus unus esse illorum mereamini, de quibus dicit Apostolus : *Qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo* (*I Cor.* VI).

EPISTOLA XXIII.

AD INTRUSUM MOGUNTINENSEM (7).

Æmulator zeli ejus, *cujus ventilabrum in manu ejus* ad permundandum aream suam (*Matth.* III), *et de cujus ore procedit gladius utraque parte acutus* (*Apoc.* XIX), ad faciendam vindictam in prævaricatores legis, et gratiæ contemptores, angelo et officialibus Moguntinæ Ecclesiæ, retributionem pro meritis.

Si nescire misereri, etc., *ut in tomo primo Anecdot. pag.* 323.

EPISTOLA XXIV.

AD SIFREDUM ARCHIEPISCOPUM MOGUNTINUM.

Ad ipsius jussionem opusculum aliquod scribendum suscipit.

Purissimo piæ dilectionis affectu semper colendo patri, sanctæ et inclytæ Moguntinæ civitatis archiepiscopo SIFREDO, frater GUIBERTUS servorum Dei suo arbitratu minimus, summi et æterni Sacerdotis Jesu Christi doctrinis et exemplis in omnibus semper adhærere.

Quoniam scribere aliquid ad instructionem vel ad compositionem animi meæ humilitati vestræ paternitatis sublimitas jubere dignata est, dum magna jussionis vestræ mole ulterius premi refugio, eligens magis ab aliquibus notari de imperitia, quam a vobis de inobedientia redargui, tandem post longum tempus obedire decrevi. Et quidem multa dici A possent, sed usu docente, nonnunquam in lectione experimur accidere quod in conviviis plerumque evenire solet, quia sicut ferculorum multiplex sa tietas periculosa est, ita et lectionis continuata prolixitas legentibus onerosa. Coronam capitis vestri, Pater sanctissime, ad munimen et honorem Ecclesiæ suæ Deus optimus longo tempore incolumem custodiat, et cum vobis vitæ terminus qui præteriri non potest, [advenerit], beato fine quiescentem, plenumque bonorum dierum et operum, in consortio vos sanctorum pontificum suscipiat. Amen.

EPISTOLA XXV.

AD EUMDEM.

Gratulatur ei quod spretis schismaticis adhæreat legitimo papæ Alexandro.

B Venerabili et omni reverentia suscipiendo Patri, S. Dei gratia nobilis et inclytæ civitatis Moguntinæ archiepiscopo, frater GUIBERTUS, humilis quondam abbas Gemblacensis cœnobii, nunc simplex monachus in stadio præsentis vitæ et inter ærumnas hujus sæculi, sic currere, ut in patriam futuræ beatitudinis bravium, id est mercedem a Deo certantium inspectore, dignæ retributionis bravium mereatur accipere.

Completum in vobis videmus et gaudemus, quod ait Dominus : *Qui ambulat in die non offendit* (*Joan.* XI). Et : *Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ* (*Joan.* VIII). Vos autem non negligenter auditis verbum Domini dicentis : *Ego sum* C *ostium*, per me qui non introierit, *sed ascendit aliunde, ille fur est et latro* (*Joan.* X). Reliquistis tenebras et ad lucem transistis, dum, spretis pertinacissimis defensoribus iniqui schismatis, ad justas partes Catholici pontificis Alexandri accessistis, et ad instar Moysi aspicientis in remuneratorem, magis elegisti cum populo Dei affligi, quam sub Pharaone deliciis Ægypti affluere (*Hebr.* XI). Imo instar ejus, qui, secundum Apostolum, *cum dives esset, pro nobis pauper factus est* (*II Cor.* VIII), de amittendo episcopatu in nullo diffisus, spontaneum patriæ prætulistis exsilium, etc. Omnipotens Deus vos et omnes ad opera bona exercenda præparantes se, jugi protectione ab omni malo custodiat, et ab universis obstaculis quibus a sancto proposito impediri pos- D sent expediat, et exitum vestrum a corpore, misso in exercitu vestro sanctorum angelorum præsidio, ab incursibus malignorum spirituum defendat, et animas vestras in illam supernam civitatem gloriosam et pacatam Jerusalem illæsas perducat. Amen.

EPISTOLA XXVI.

AD SIGIFRIDUM MOGUNTINUM ET PHILIPPUM SALZBURGENSEM, ARCHIEPISCOPOS.

Hortatur ad exsilium pro Dei causa fortiter perferendum.

Sanctis Patribus et apostolicis sacerdotibus dominisque amantissimis SIGIFRIDO Dei gratia Mogun-

(7) Christianum *de Buche*, uti credimus, Frederici imperatoris cancellarium, qui vivente adhuc Conrado legitimo pontifice, sedem Moguntinam occupavit.

GUIBERTI

GEMBLACENSIS ABBATIS

EPISTOLÆ

(D. MARTEN, *Ampl. Collect.*, t. I, col. 916.)

EPISTOLA PRIMA.

AD PHILIPPUM ARCHIEPISCOPUM COLONIENSEM.

Mores pravorum pastorum describit, quos hortatur ut vitet.

Venerabili atque amantissimo patri PHILIPPO in Ecclesia Coloniensi summi Pastoris vicario, frater G. ex affectu suus, jugem electorum Dei pontificum in rationali cordis gestatione memoriam, et per eorum exempla cum multiplici sancti gregis augmento ad pascua sempiterne virentis paradisi feliciter introire.

Semper quidem, reverende Pater, divinæ benignitatis et misericordiæ fuit prolapso humano generi consulere et congrua institutionis subsidia adhibere. Quod et ideo recuperationis aditum invenit, quia non propria nequitia, sed alienæ malignitatis fraude seductum, positæ sibi obedientiæ limites excessit. Et quia nos sumus *in quos fines sæculorum devenerunt* (*I Cor.* x), per multa experimenta sentimus impleri verba Apostoli dicentis: *In novissimis*, inquit, *diebus instabunt tempora periculosa, et erunt homines se ipsos amantes, cupidi, gulosi, elati, superbi, blasphemi, parentibus inobedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, divites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, voluptatum amatores magis quam Dei* (*II Tim.* III). Jam certe monstruosum nostrum sæculum omnia hæc genera bestiarum in plenitudinem tamen hominum produxit, sed præ nimia assuetudine horrenda non horremus. Propterea divisiones aquarum deducunt oculi mei, (*Thren.* III), quia *obtenebratus est sol in ortu suo, et luna non splendet in plenitudine sua* (*Isa.* XIII), cæco populo non desunt duces, sed cæci; quia exigentibus peccatis ejus, juxta prophetam, mittit ei Dominus reges in furore suo (*Ose.* XIII), et suscitat pastores in terra, qui detenta non visitent, et dispersa non requirant, et contrita non sanent, sed carnes pinguium comedant, et lana gregum operiantur (*Ezech* XXXIV). Nascuntur ergo in gremio Ecclesiæ pro patribus filii, sed degeneres; in terra ejus constituuntur, sed nominis Domini et præceptorum ejus immemores, quia intrant eorum plurimi, non per ostium, sed ascendunt aliunde (*Joan.* x), intrant ambitione, pecunia, non gratia, principum largitione non cleri electione et intrant non

A ut pascant, sed ut pascantur; non ut ministrent, sed ut ministrentur; non ut seminent, sed ut colligant; non ut laborent, sed ut quiescant; non ut a lupis oves custodiant, sed ut immaniores lupis oves ipsi diripiant. Volunt etiam id quod in acquisitione honoris exinanitum fuerat direptis replere, et non solum mollibus, sed et pretiosis vestiri. Et quia super multos exercent, non dando pauperibus, sed necessariis suis vel amicis vel supereffluentibus, benefici appetunt vocari (*Luc.* XXII). Proinde ut ad talia abundent, *diligunt munera, sequuntur retributiones* (*Isa.* I), et multifaria intentione quærunt occasiones extorquendi: unde et sæpius ad hoc pervertunt judicium (*I Reg.* VIII). Qui cum ex imitatione patrum, quorum filii sunt, non vitam sequen-
B do, sed solum officium exterius et locum tenendo, terrena despicere, atque ad æterna anhelare debent et alios ad amorem Dei attrahere, miserrima ambitione terrenis inhiant, parumque de se corrigendis vel de subjectis regendis cogitant. *Heu! quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum?* (*Thren.* IV.) O extremæ stuporem dementiæ, terrena et fugitiva toto cordis ambitu quærere, supernaque et æterna negligere, in divites extraneos sua, dispergere, et pauperum filiorum oblivisci. Et quibus hoc malum, nisi inertiæ prælatorum imputandum est? nam omnia fere mala quæ in subditis inveniuntur, negligentium prælatorum
C vel incuria succrescunt, vel pravis roborantur exemplis. Quapropter per Jeremiam comminatur eis Dominus, dicens: *Væ pastoribus qui dispergunt et dilacerant oves pascuæ meæ! ecce ego cibabo eos absynthio, et potabo eos felle* (*Jer.* XXIII). Quia qua se futurorum spe consolentur non video, cum Dominus solum pauperibus, mitibus, lugentibus, esurientibus, et sitientibus, persecutionem patientibus, beatitudinem promittat (*Matth.* v); et isti e diverso induantur purpura et bysso et epulentur splendide, et quidquid nugarum et ineptiarum habet, et exsequitur mundus, hi vel exerceant, vel a suis circa se exerceri permittunt.

In quibus omnibus, Pater reverende, si quid ad personam vestram pertinere videtur, favorabili aure ad incitamentum profectus vestri haurite, et non ad insipientiam mihi, nec vobis ad injuriam depu-

tetis. Et quidquid hic de aliis manifestum legitur, A vobis quasi in proverbiis dictum cognoscite. Deus omnium benignus rector et custos sanctitatem vestram tueatur incolumem, et in cura vobis injuncta strenuum sui ipsius vos faciat imitatorem.

EPISTOLA II.

AD EUMDEM.

Confirmat ea quæ in præcedenti epistola dixerat.

Magno sacerdoti PHILIPPO, Dei gratia Coloniensi archiepiscopo, frater GUIBERTUS suorum minimus, ex adjutorio Regis et Sacerdotis æterni in præsenti digne fungi sacerdotio, et carnis suæ curam disciplinate regere, ut in futuro sacerdotum et regum hujusmodi beatissimum mereatur adipisci collegium.

B Cum super epistola vobis per me directa mihi nasceretur scrupulus, et trepidus cogitarem utrum melius esset quædam ibi posita mutari vel aboleri, aut vobis dirigi, confugi ad orationis præsidium, deprecans ut si sermo a Domino processisset, et posuisset illud in ore meo, staret, et mihi ipsi meam inde cunctationem amoveret. Oravi, et satisfactum est mihi; vidi enim et intellexi, non solum ductu rationis, sed et instinctu veritatis, quod is optimus esset monendi modus in quo monens fideliter et caute incedens, eum quem monet nec adulatione fallit, nec exasperatione irritat, nec denotatione adurit; sed, considerata qualitate personæ, secundum quod expedire videt, aut pudori parcens, aut deferens honori, ad id quod utile et salubre est, sedule studet incitare. Vidi etenim et probavi quod nihil rectius vel decentius vel sanius unquam proponi possit ei qui vice Dei præest animabus ad salutem reducendis, quam primo semper cogitanda et imitanda benignitas providentiæ ipsius misericordis Dei, cui cura est de omnibus, et qui cum reverentia disponit nos; deinde etiam mala malorum et bona bonorum exempla, sed et supplicia illorum et istorum præmia, ut territus illis, et tractus istis, in omnibus et de omnibus doceatur. Efficax igitur monendi modus et omni acceptione dignus.

CONCLUSIO.

Omnipotens Deus, qui stas in synagoga deorum, in medio eos dijudicas (*Psal.* LXXXI), non recte judicantes corripiens, etc. *Usquequo judicatis iniquitatem et faciem peccatorum sumitis?* (*Ibid.*) Educat *quasi lumen justitiam* vestram *et judicium* vestrum *tanquam meridiem* (*Psal.* XXXVI), ne nesciendo ambulare, in tenebris ambuletis, et majus incurratis judicium, inspiretque cordi vestro ne judicetis *egeno et pupillo*, *humilem et pauperem* justificetis (*Psal.* LXXXI), et cætera justitiæ et misericordiæ opera exsequamini, quatenus et cum misericordibus terram possideatis (*Matth.* V), et cum justis sæculi judicibus thronum judicialem dignitatis obtineatis, quando venerit Dominus ad judicium cum senatoribus populi sui. Amen.

EPISTOLA III.

AD EUMDEM.

Gratias agit de beneficiis ab eo acceptis.

Amantissimo Patri reverendoque domino Dei gratia Coloniensi archipræsuli PHILIPPO, frater GUIBERTUS, omnium Deo famulantium minimus, in affectu et effectu strenuissimæ dilectionis seipsum in Christo.

Ad referendas gratiarum actiones, venerande Pater, quas de mea exiguitate abundantia suavitatis vestræ promeruit, etiamsi omnes corporis mei artus in linguas verterentur, et vox mea esset ærea, non sufficerem. Proinde quia in hac parte deficio, ad ea quæ utcunque, divina largiente gratia, suppetunt me conferens, si quid potest vel torpentis devotionis vel peccatorum oratio modicum quid, id in suffragium vestri ex toto me et quotidie expendo, et perenniter expendere paratus sum, quandiu fuero, etc.

EPISTOLA IV.

AD EUMDEM.

Excusat se quod ad eum non venerit.

Domino et Patri venerabili Dei gratia Coloniensi archiepiscopo, frater G. ex affectu suus, non in vanitate sæculi, sed in nomine Domini habere laudem, et magnificari ab eo qui exaltat mansuetos in salutem (*Psal.* CXLIX).

Quod ad vos necdum veni, neque pigritiæ neque C negligentiæ est, sed occupationes quibus teneri vos scio, me retinent. Quia enim sæpius exire nec volo nec valeo, epistolas tres vestræ excellentiæ destinavi. Cognoscat vos summus Sacerdos in benedictionibus suis, et propter misericordiam in præsenti a vobis conservatam sine fine mansuram, in futuro conservet vobis Pater misericordiarum Deus misericordiam. Amen.

EPISTOLA V.

AD HERVEUM ABBATEM ET FRATRES MAJORIS-MONASTERII.

Se non vagandi studio, sed pietatis ad Sancti Martini sepulcrum peregrinationem suscepisse, pravisque sæcularium moribus claustra corrumpi.

Amantissimo Patri HERVEO, omnique digno reverentia sacro conventui Majoris Monasterii sub ejus D cura ordinatissime Deo militanti, frater GUIBERTUS servus sanctitatis eorum, ab eo apud quem summus ordo in cœlesti palatio tempore retributionis inter justos ordinari.

Quanquam a nonnullis qui corde et corde loquuntur (*Psal.* XI) neque custodiunt vias suas, ut non delinquant in lingua sua (*Psal.* XXXVIII), peregrinanti mihi ad sepulcrum Beati Martini derogatum sit, magisque vagationi quam devotioni peregrinatio mea deputata, vobis tamen eam plurimum placere scio, glorior et exsulto. Nec tamen in hac substantia gloriæ, qua in Christi corpore, ipso tribuente, membrum quietum et sanum esse cupio, adversus eum qui est caput corporis (*Coloss.* I) non facio, neque super verticem extollo, recolens scri-

ptum esse : *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare* (*I Joan.* II). Et quidem si secundum hominem gloriari vellem, juste reputaretur mihi in stultitiam, nam ipse dixit : *Ego gloriam meam non quæro* (*Joan.* VIII). Si ergo oblitus verbi illius: *Qui gloriatur in Domino glorietur* (*I Cor.* VIII), favores hominum et inanem gloriam affectans, huic sæculo conformari gestirem quod diligere fornicari est a Deo (*Ose.* IX), et ei inimicum constitui (*Jac.* IV), in tantum ut dicat Jacobus apostolus : *Adulteri, nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est apud Deum?* (*ibid.*) Nonne convincente me conscientia os meum condemnaret me? nonne statim et Apostolus occurreret, dicens : *Si gloriari oportet, non expedit quidem?* (*II Cor.* XII.) Etenim quanti periculi sit seipsum gloriando velle commendare patet etiam ex verbis Psalmistæ ubi ait : *Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent* (*Psal.* LII). Quisquis vero ingratitudinis vitium quam grave sit perpendere nesciens, mihi cœleste munus cognoscenti et inde cum gratiarum actione humiliter glorianti, succensendum putaverit, sane merito insipiens reputabitur. Ego tamen me ipsum mihi comparans et commetiens, non alta sapiendo, sed humilibus consentiendo (*Rom.* XII), gloriabor, non in immensum, sed modicum quid, et secundum mensuram qua mensus est mihi Deus. Metiri enim se, ut ait quidam, quemquam decet propriisque juvari laudibus. Et unde, obsecro, domini mei, in claustris tanta malorum incommoda ebulliunt? Unde putatis claustra corrumpi? nisi ex introductione sæcularitatis quæ non aliorsum quam per ineptorum et socordiam, et imperitiam, et incuriam, et dissolutionem prælatorum ingreditur, qui vitiosi a vitiosis vitiose constituuntur. Quidam vero instituuntur, sed derelicto ostio aliunde ascendentes, vel suffodientes, aut pecunia cui obediunt omnia, aut potentum violentia propinquorum, contra fas et jus omne intruduntur. Et quid tales mercenarii non pastores, nulla spiritus ratione fecundati, nulla charitatis radice fundati; quid, inquam, tales quos Dominus in Evangelio fures vocat et latrones (*Joan.* X), facerent, nisi sua quærerent (*Philip.* II), quæ Dei sunt negligerent, ac per hoc ut brevi innumera concludam, morti non vitæ fructificarent, seque et cæcos sequaces suos quibus ipsi cæci ducatum præbent (*Matth.* XV), perderent.

EPISTOLA VI.

AD FRATRES MAJORIS MONASTERII.

Causatur quod hospitalitas et disciplina regulæ in cellis minus observetur.

Dominis et amicis in Christi dilectione meis dulcissimis et humili devotione perenniter amplectendis fratribus Majoris Monasterii, frater G. sanctitatis eorum famulus, quidquid secundum salutem utriusque hominis optari potest commodius.

Ego, venerandi Patres, homuncio vel potius vermis et non homo, nihil in rerum serie videns molestius, nihil ferens acerbius, quam ordinem monasticum olim sublimem et splendidum, et ipsis etiam filiis vel tyrannis sæculi venerabilem, nostris modo diebus, proh pudor! ab his a quibus disciplinata conversatione commendari debuerat, non tantum a gloria decoris sui spoliatum, sed et ab omni fere status sui rectitudine infami vita reddi contemptibilem, dolorem super hoc cordis mei nullatenus dissimulare valeo. Unde quoties datur occasio et verbis et scriptis, quo possum nisu, injuriosis et impugno, et pro ejus injuriis, cum ultra posse non datur, saltem reclamo. Hinc est quod in monasterio vestro, quo nihil in divitiis cumulatius, religione splendidius, mundius puritate, adversus vitia cautius, ad famam bonæ opinionis in Dei laude custodienda circumspectius inveniri potest, aliqua non quidem ad caput proprie, sed ad quædam ex membris spectantia vidi, de quibus, si salva vestri gratia auderem, sanctitatis vestræ vigilantiam non temeritate reprehendens, sed in charitate suggerens, humiliter monerem, ut rerum veritatem diligenter inquireretis, et si quæ emendatione indigent, corrigeretis. Apparent autem in aliquibus membris vestris nonnullæ corruptiones, quamvis minimæ, et ad corrigendum non difficiles. Sed quid cunctor exprimere, cum scriptum sit, non solum admone, sed, quod durius sonat : *Argue sapientem et diliget te?* (*Prov.* IX.) Non itaque arrectis auribus pavidi exspectetis quasi magna et pudenda dicturum, sed supernum inspectorem qui scrutatur Jerusalem in lucernis (*Soph.* I), expavescite, non modo aperta, sed et occulta et exigua districte judicaturum; et satagite ut a vertice usque ad extremam pedis plantam totum corpus vestrum in conspectu ejus sanum inveniatur et immaculatum.

Sed ut jam ad rem veniam, id primum ponam quod expertus sum. Cum aliquando tenderem ad vos, hospitandi gratia, diverti ad aliquam ex cellis vestris; sed ingressum obtinere non potui, quanquam pollicerer me a foro mihi necessaria comparaturum. Et certe quod mihi factum est potuit et aliis fieri; et scio, ut postea a multis comperi, quoniam nec mihi soli nec primum factum est. Item, cum degerem vobiscum, a nonnullis et, maxime cum repatriarem, a pluribus didici aliquos ex prioribus cellarum vestrarum symbolis et potibus indecenter nonnunquam vacare, et a vitiis quæ saturitas generat, non esse immunes, hoc est distinctis lumbis, et lucernis exstinctis opera noctis exercere. Et ut eis vel illicita libere liceant, et ne ipsi soli reprehensibiles appareant, subditos sibi a talibus non prohibere. Quomodo namque ab his in quibus ipsi culpabiles existunt, compescerent alios? objiceretur enim eis illud Evangelii : *Medice, cura te ipsum* (*Luc.* IV). Hoc ergo ideo tam sedule moneo, quoniam, Deo teste, post illam quæ me propriis lactavit uberibus et aluit, et in hujus mensuram ætatis, Christo juvante, perduxit, vestram unice Ecclesiam veneror et diligo, et sicut ejus celebri gloria et splendore alacri exsultatione tripudio, ita etiam, si

quid opinionis sinistræ de his quæ in ejus dispositione constituta sunt, contingat me audire vel scire, medullitus condoleo. Quoniam ergo membra pro invicem et maxime caput pro membris debet esse sollicitum (*I Cor.* XII), satagite, obsecro, ut in cellis vestris quæ eum ad hoc sufficiunt, per priorum avaritiam vel negligentiam hospitalitatis humanitas nullatenus justo segnius exerceatur. Curate etiam ut munditia castitatis in omnibus locis vestræ ditionis singulariter præ cæteris virtutibus servetur, parcimonia adversus luxuriam, humilitate contra superbiam, hinc inde illam ne aliquatenus expugnetur, ad munimen sui perpetim vallantibus. Præterea summa intentione curam impendite, ut diligenter investigetis quidquid agitur in cellis vestris, maxime remotis, et qualis sit vita vel conversatio eorum quibus illas deputastis regendas. Dico enim, licet pudeat, sed veritas urget ut dicam, quia nullum majus dignitatis suæ præjudicium, nullum majus honoris sui detrimentum patitur sacra religio quam a cellis. Et licet jam in quampluribus abbatiis a filiis scelestis pulchritudo gloriæ monachalis offuscata sit, et ad nihilum fere redacta sit, maxima tamen pars ruinæ ejus et injuriarum a cellis aut prioratibus, id est ab his qui in cellis vel prioratibus commorantur, initium habuit, et omne dedecus ab illis illusoribus ordinis illi emergit. Quæ enim ab illis fuerint verecundum est dicere, adeo ut in terra nostra ordo ipse quondam summæ reverentiæ, nunc in opprobrium et in fabulam, in derisum et subsannationem, in blasphemiam et sibilum cunctis late per circuitum devenerit. State ergo, reverendissimi Patres, in Domino, et sicut hactenus ita usque in finem tenete traditiones ordinis quas ab antiquo semel suscepistis. Et ne in vobis quoque muscæ morientes perdant unguentum bonæ opinionis (*Eccle.* X), nunc maxime quando omnia in declivi sunt, subtrahite vos ab exemplo omnis Ecclesiæ inordinate ambulantis. Itaque nihil prorsus vobis quasi ex vobis ascribentes, sed ei a quo bona cuncta procedunt (*Jac.* I), tribuentes, et simplici ex corde gratias agentes, omnes in unam convenite sententiam, una mente unum sentite, uno ore idipsum dicite: Benedictus Deus in donis suis, et sanctus in omnibus operibus suis, de cujus munere habetur, ut ei digne et laudabiliter serviatur. Cui laus et gloria, honor et imperium in sæcula. Amen.

EPISTOLA VII.

AD J. ABBATEM ET FRATRES MAJORIS MONASTERII.

Laudat eorum religionem, petitque suffragia post mortem.

Reverendissimo domino et Patri J. (2) Dei gratia abbati, amantissimisque fratribus sub ejus censura Deo et B. Martino in Majori Monasterio servientibus, frater GUIBERTUS minimus semper et ubique sanctitatis eorum servus, salutem in vero salutari, et se totum ex toto.

A Omnipotentis Dei clementiæ inexplebiles ago gratias, qui mihi inspirare dignatus est, ut sanctæ excellentiæ vestræ notitiam perquirerem, et pietate sua effecit ut invenirem. Revera enim me multum ex cohabitatione vestra tum exemplis tum doctrinis profecisse et sentio et confiteor, et adhuc uberiorem profectum post mortem ex orationibus vestris me percepturum spe certa præsumo. Et quia sicut *generatio præterit et generatio advenit* (*Eccle.* I), ita in monasterio vestro, et propter excessum e vita, et propter ordinis et servitii gravamen sæpius apud vos mutari oportet, fratres, et ideo neminem inter vos esse reor, qui me cognoscat vel mei recordetur. Si quæritis quis sum ego qui vobis scribam, ego sum frater N., etc. Qualitatem societatis vestræ a

B prædicto abbate et capitulo mihi concessæ in Regula si diligenter inquiritis, scriptam invenietis, quam ut propter Deum mihi, obsecro, et vivo recognoscatis et mortuo, cum obitus meus, qui ut credo, instat, vobis nuntiatus fuerit, fideliter persolvatis, sanctitatem vestram pro omnibus fidelibus et pro me eorum ultimo indesinenter orantem, indesinenter æque fidelium Deus omnium Conditor et Redemptor ab omni malo in ævum custodiat, et nos pariter cum eis ad æternæ beatitudinis gaudia pietatis suæ gratia perducat. Amen.

EPISTOLA VIII.

AD RODULFUM VILLARIENSEM MONACHUM

Reddit rationem cur curam pastoralem deseruerit.

C Servo Dei RADULFO Villariensi (3) monacho nostro semper dilectionis sinu suscipiendo, F. G. solo habitu et nomine monachus, arcem regni cœlestis virtutum armis comprehendere.

Et vestris et aliorum crebris pulsatus litteris, nonnullorum quoque de partibus illis ad has gratia negotiandi partes adventantium verbis super abscessu meo suggillatus, ignominiosum arbitror ulterius vel officiosam amicorum vel improbam derogatorum reprehensionem dissimulare. Vereor namque, si non occurrero, et me infamiæ exponere, et detractoribus meis, dum libere iniqua loquuntur, occasionem peccandi tribuere. Maluissem tamen, si licuisset, in his Martinum episcopum, quam beatum Jeronymum presbyterum imitari, quorum alterum scimus

D tantam adversus omnes injurias patientiam assumpsisse, ut, cum esset summus sacerdos, impune etiam ab infimis clericis læderetur; alterum tanto legimus in reprehensores suos verborum impetu ferri, ut quasi rupto patientiæ freno, totus in præceps agi videatur, sagittas potentes et acutas cum carbonibus vastatoriis linguis dolosis apponens (*Psal.* CIX), omnem inventionem hæreticæ pravitatis altercando destruens. Sed licet ego ultra omnem æstimationem infra pedes tantorum virorum jaceam, medius tamen eorum incedens, ita, si possum, moderabor stylum et animum, ut nec intus sufferentiæ tranquillitatem

(2) Joffrido seu Gaufrido, qui cedenti Herveo abbati piissimo subrogatus est anno 1187.

(3) Villariense monasterium insigne ordinis Cisterciensis tribus aut quatuor horis a Gemblaco distans: cujus historiam dedimus, tom. III *Anecdotorum*.

perdam, nec foris intolerabilibus verbis quemquam ex nomine arguendo usque ad excidium fraternæ pacis et charitatis proruam. Noverint autem verbosi amici mei, non quasi culpabilem, nec quasi a conscientia repressum me hactenus tacuisse, sed omnem dissensionis fomitem, qui contentione magis augetur quam sopitur, silentio meo penitus exstinguere voluisse. Quod quia, ut perpendo, fieri non potest, ratum duco brevi, si valeo, et innocentiam meam ostendere, et os iniquitatis, ne amplius super me dilatetur, oppilare (*Psal.* cvi). Scio siquidem, sicut expertus, quoniam cum adhuc essem apud vos, multi adversum me loquebantur lingua dolosa (*Psal.* cviii), in manifesto quasi faventes, et in occulto revera mihi detrahentes, similes scorpionibus. Unde Dominus ad Ezechiel dicit: *Fili hominis, subversiones sunt tecum et cum scorpionibus habitas* (*Ezech.* ii). Unde enim subvertunt auditores suos et decipiunt adulatores? Quia eis judicium proprium et cogitationem sui subtrahunt, ne se qui sint, sed quales ab illis falso prædicantur, æstiment. Illi deteriores prorsus illis sunt qui in facie maledicunt et apertis æmulos suos contumeliis afficiunt. Quare hoc? Quoniam istud fit aliquando præcipitatione, illud nunquam nisi deliberatione. Et invectione convicii plerumque auditor confusus corrigitur, visco autem adulationis errore suo retinetur. Contra quos Psalmista: *Domine*, inquit, *libera animam meam a labiis iniquis et a lingua dolosa* (*Psal.* cxix). De illis vero quid dicam, qui vel invidiæ veneno suffusi, vel iracundiæ facibus accensi, nulloque pudore repressi, in apertas proruentes blasphemias, sermonibus odii circumdabant me (*Psal.* cviii), et lanceis verborum suorum vulnerabant, non parcentes in faciem meam spuere. De his, inquam, quid dicam, aut quibus eos similes censeam? nisi bestiis insensatis aut feris immanissimis, de quibus et David conqueritur in Psalmo: *Circumdederunt me canes multi* (*Psal.* xxi), et alibi: *Aperuerunt super me os suum* etc., (*ibid.*) Quare autem talium irrisiones, impetus, insultationes et improperia patiebar? Nimirum non ob aliud, nisi quia declinabam a semitis eorum, quia in comessationibus et symbolis contubernia eorum fugiebam, quia nolebam vel sortem mittere cum eis, vel communicare marsupio eorum. Quia prævaricationem ordinis et mandatorum Dei in eis reprehendebam, quia non solum in me carnales motus enitebar comprimere, sed ipsos quoque a pravitatis tortitudine ad rectitudinem æquitatis et justitiæ revocare contendebam. Quid illi vicissim? Profecto ponebant adversum me mala pro bonis et impugnabant me gratis (*Psal.* cxix). Quid ego fragilis homuncio tantis circumseptus malis agerem? qui in medio eorum positus quid nisi me ad divinum conferrem præsidium? Expertus ego in meipso quod bestiarum istarum dentes nihil minus essent quam arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus. (*Psal.* lvi). Clamabam cum Propheta: *Erue a framea* etc. (*Psal.* xxi). Hæc pro me; pro illis autem quid? Exemplo protomartyris dicebam: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum* (*Act.* vii). Et ecce gratias Deo refero, quod virtute orationis et sufferentiæ quidam eorum ad bonum pacis conversi sunt, et, me nec procurante nec exigente, sed Deo ulciscente, in nonnullis eorum qui in malo persistebant, scelus hoc vindicatum est. Sed quid prodest hoc? Semper pro patribus nascuntur filii tam boni quam mali, et heu! major insurgit numerus improborum quam piorum, et in modum hydriæ, succiso uno surculo, mutiplicior pullulatio inutilis stirpis erumpit. Quia ergo perversi difficile corriguntur, et supra numerum multiplicantur, et nemo potest corrigere quod Deus despexerit, relictis his ad quorum correctionem non sufficio, in arbitrio ejus subversoribus sancti ordinis, et legis divinæ prævaricatoribus, voluptatumque suarum amatoribus magis quam Dei (*II Tim.* iii), qui pro eo quod super his eos arguere audebam, cum præsens essem, nefanda effundentes calumniabantur me, et stridebant dentibus in me: Et nunc quoque licet absentem iniquis insectantur opprobriis: his, inquam, relictis, ad satisfaciendum illis qui causam meam ignorant, et ob hoc errant, non ex malitia, sed ex ignorantia, ne ulterius in me scandalizentur et materiam eis peccandi præbeam, justum imo necessarium arbitror veritatem mei recessus aperire. Neque enim aut levitate usus, aut instabilitate actus, locum meum deserui. Eant livor et edax invidia, eant zelus et *dura sicut infernus æmulatio!* (*Cant.* viii), et sese imo quos invadunt et captivos tenent, corrodant et exulcerent! *Mihi autem adhærere Deo bonum est, et ponere in Domino spem meam* (*Psal.* lxxii), quo protegente nonnulli hostium in manibus meis sunt, cujus adjutorio persequor reliquos, et *comprehendam; et non convertar donec deficiant* (*Psal.* xvii), secundum illud Pauli apostoli: *Dominus conteret Satanam sub pedibus vestris velociter* (*Rom.* xvi). Huic profecto bonum mihi inhærere, in hoc vero spem meam ponere saluberrimum mihi videri cognoscite, et valete.

EPISTOLA IX.

AD JONAM S. MARTINI IN PETROSO VADO SACERDOTEM.

Ut juxta nominis interpretationem columbinam simplicitatem actis suis exprimat.

Sincero semper affectu mihi colendo præcordiali amico, JONÆ sacerdoti ecclesiæ Beati Martini quæ est in Petroso Vado, G. suus, transitorium mundi despicere et permansurum cœlestis regni gaudium ferventer appetere.

Hortor et moneo, frater charissime, ut nominis tui interpretationem diligenter attendens, non ad confusionem, sed ad laudem, sed ad honorem, Jonam, id est columbam, te gaudeas nominari, quod ita decenter adimplebis, si columbinæ simplicitatis æmulus, rectam et innocentem geras conversationem coram Deo et hominibus, a felle amaritu-

dinis et a livore invidiæ inveniaris alienus. Sed quid facis in mediis fluminibus Babyloniæ, in medio civitatis plenæ iniquitatis et contradictionis, propter peccata sua in momento subvertendæ? Aperi oculos tuos et vide, quoniam die ac nocte circumdat eam super muros ejus iniquitas, etc. Quare non assumis pennas sicut columbæ et fugias, etc., ne et tu simul pereas? Quid in periculo tuo aliena assumis, qui ad tua delicta portanda non sufficis? An nescis quoniam non solum de tuis, sed etiam de tibi commissi rationem exigeris? Quid, quasi mercenarius, possessiones mercedis tuæ computando, in domo aliena servitutis tuæ dies dinumeras, qui domum tuam libere ut dominus poteris disponere, non alienum, sed proprium panem comedens. Exonerare, quæso, totius fascibus his, et imitare patronum tuum, cujus laudibus diu noctuque insistis, qui Christum etiam invitis parentibus secutus, in universo orbe Christiano apostolicam gloriam obtinuit. Et quia scriptum est : *Qui audit dicat : Veni*, (*Apoc.* XXII), accepto salutis consilio, da operam, ut et alios tecum Deo adducas, et maxime eos qui uberem fructum Deo in lucro animarum reddere possint tempore opportuno. Saluta tu communem amicum, monens illum et fidem quam dilecto debet servare, et depositum integrum custodire

EPISTOLA X.

AD QUEMDAM FRATREM SUUM.

Gratulatur de sua conversione, ae qua tamen nonnihil timet, hortatur ut vota adimpleat, et ad regulare claustrum se transferat.

Fratri charissimo, G. dilectus suus, in cursu propositi sui constantiam et de laboris mercede confidentiam.

Lectis litteris tuis brevibus, immensum lætatus sum, earum indicio effectum jam vitæ comperiens quod nunquam de te speraveram. Quis enim priorem tuam non dico conversationem, sed dispersionem cognoscens, ex facili crederet levitatem tuam ad maturitatem vel modestiam sacræ religionis, quam irridere solebas, colligendam, et cervices tuas superbas et rigidas humili Christi jugo aliquando supponendas? Sed hoc pium et solitum benigni Salvatoris nostri artificium est, qui eos *quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui* (*Rom.* VIII) ex insperato vocans et mutans, terrena docet despicere et amare cœlestia, et exleges ad normam legis vitæ et disciplinæ componit. Sed ut de hac ipsa conversatione tua tibi meam, et hoc ad te muniendum aperiam cogitationem, de ejus initio vehementer quidem exsulto, sed non secure, utpote vel fine incertus, et hoc maxime pro eo quod repentina videatur et coactitia, non fervore spiritus, vel consulta deliberatione animi te ad hanc evocante, sed extremo mortis periculo perurgente. Et quamvis certus sim quod pius Dominus quod cœpit in te et perficere et solidare potens sit (*I Petr.* V), auget tamen et hoc formidinem mentis meæ, quod

A in locum plurimis periculis obnoxium te contuleris, in quo non solum rudium et noviter plantatorum moveri pedes et effundi gressus, sed et robustorum, nisi circumspectissime sibi intendant, status concuti possit ; nec ista ad hoc profero, ut te vel loco cedere, vel propositum (quod absit!), mutare suadeam, sed ut meam erga te ex fraterna dilectione sollicitudinem insinuem, et vigilantiorem te adversus astuti tentatoris insidias reddam ; de quibus scilicet periculis, quoniam plus quam expediret, me absente, in libro experientiæ lecturus es, si tamen non tepide, sed disciplinate vivere volueris, ego scribere de his supersedeo. De cætero jam dominos et fratres meos qui te vel vocatum vel compulsum a Deo in suum consortium susceperunt, moneo et B precor, ut vota quæ distinxerunt labia tua Domino reddere (*Psal.* LXV), et sanctis verbis doceant, et exemplis accendant, et orationibus juvent. Te vero quem totis viribus amplector et visceribus, oro et exoratum esse cupio, ut quia jam tempus est ut plurimi sanam doctrinam non sustinent, sed ad fabulas convertuntur, etc. (*II Tim.* IV), tu vigiles adversus injustas fabulationes adulatorum et detractorum ; et juxta Apostolum : *Quæcunque sunt vera, quæcunque justa, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogita* semper (*Philipp.* IV), et Deus pacis erit tecum, et reddet tibi mercedem laborum tuorum. Nec est ut queraris de raritate C vel penuria eorum quos merito sequi possis, quia, etsi faciem Antichristi bonorum præcedit egestas, et mali multiplicentur super numerum, tamen adhuc, præstante Deo, et malus inter ligna silvarum, et inter spinas lilium invenitur (*Cant.* II), et, ut expressius loquar, non est fere tam perversus, in quo non aliquid imitabile invenies.

Itaque quoniam ad fortissimum genus militiæ vocatus es, sed in loco parum adversus hostes munito stas, oportet ut quod tibi exterior non præstat custodia, animi provideat industria, et ut sapiens utere malitia temporis ad exercitium virtutis, et duplici armatura ad ultionem inimicorum induatur zelus tuus, ut, quoniam hi qui secundum carnem vivunt, morientur, (*Rom.* VIII), fortiter dimices D contra carnem et sanguinem, non solum abstinendo *a carnalibus desideriis quæ militant adversus animam* (*I Petr.* II), sed etiam carnalium hominum consortia fugiendo ; et juxta Apostoli vocem : *Accipe armaturam Dei, ut possis resistere in die malo et in omnibus perfecte stare*, et deinceps (*Ephes.* VI). Sta ergo succinctus lumbos in veritate, indutus lorica justitiæ, etc. (*Ibid.*) Attamen si ego consulere et tu facere posses, nihil melius tibi consulendum putarem, quam ut ad claustrum aliquod religionis censura fervens, non ibi permansurus, sed ad discendum monachatus ordinem transires, ut cum bene instructus et armatus ordinata ex acie ad tuos regredereris, et ipse de cætero contra spirituales nequitias securus pugnare, et ad pugnan-

dum scires et posses alios provocare. Illud autem A scito quod, juxta Domini vocem in Apocalypsi, venialius esset frigidum adhuc in sæculo manere, quam tepidum et resolutum in claustro residere (*Apoc.* III), quia stimulante timore et pœnitentia, de magno peccatorum frigore facilius converti posses ad vias innocentiæ quam de tepore securitatis recalescere ad fervorem sectandæ justitiæ.

EPISTOLA XI.

GEMBLACENSIUM FRATRUM AD SUUM GUIBERTUM.

Dolent de ejus absentia.

Amantissimo fratri et domino GUIBERTO, fratres Gemblacenses, et omnes in communi amici, tam foris quam intus, quidquid optari lætius, quidquid frui potest felicius.

Quanto, o amicorum desideratissime, olim nobis B grata, utilis et accepta fuit vestra præsentia, tantum et multo amplius in dies contristatos reddit vobis interim dulcis et chara, sed nobis supra modum odibilis et amara facta vestra absentia; nam post patratam vestram a nobis discessionem, multorum ora resoluta sunt in nostræ derogationis vituperationem, videlicet eos conscivisse causam ipsius vestræ digressionis, qui erant æmuli vestræ bonæ conversationis. Exigit igitur a vobis mater pia perseverantiæ stabilitatem, etc.

EPISTOLA XII.

AD GEMBLACENSES FRATRES.

Excusat se a resumenda abbatiali dignitate Gemblacensis monasterii.

Reverendæ matris suæ Gemblacensis Ecclesiæ C dominis filiis et fratribus suis, GUIBERTUS eorum ultimus, in ira misericordiæ memores esse.

Quod meminisse mei dignamini gaudeo et gratias ago, quod vero revocare conamini, identidem gratias ingemino, sed non inde gaudeo. Gauderem magis, si quam gratus et commodus vobis unquam esse potui, his quibus gratum et commodum me sua gratia facit Deus, in pace coesse pateremini. Quia vero quidam vestrum ad me revocandum abbatem compellunt, vellem potius ut eum ad relevandum et muros et mores domus qui corruerunt, incitarent, et ad disponendos eos per religiosas domos quos inter vos parum adhuc ordinis scire non nescio, perurgerent. Et quidem si per me apud vos aliquid D boni fieri aut restitui posset, gauderem et recurrerem, et humiliari et abjectus esse et tribulari vobiscum quam spolia dividere inter superbos magis optarem (*Prov.* XVI). At quoniam inter vos ubi multi sapientes sunt, hujus gratiæ et auctoritatis aut sapientiæ esse non mereor, obsecro ut me stultum illis stultis qui de me exsultare et per me proficere se jactitant, sine calumnia habere permittatis. Quid litteræ pro me revocando multiplicantur? Mox ut mutationem vel correctionem domus accepero, omni occasione, omni dilatione postposita, libens recurram, et quidquid laboris pro instauratione subeundum jusseritis, gratanter excipiam. Nam quid mea modo ibi exiguitas faceret? Tentavi aliquando subvenire, et passus sum quod animus refugiebat suscipere, et nihil profeci. Nam ideo reverti nunc vehementer formido, ne forte, si post tranquillitatem pacis, quam per triennium fere fruitus sum, in puteum miseriarum illarum recidero, et mihi molesta et vobis onerosa sit mea reversio. Deus pacis et dilectionis sit cum omnibus vobis (*II Cor.* XIII), ut idem omnes sapiatis, et unanimiter honorificetis Deum, et per Dominum nostrum Jesum Christum (*I Petr.* IV.) Amen.

EPISTOLA XIII.

AD GERTRUDEM VIRGINEM.

De monasterii sui deprædatione per comitem Namurcensem.

GERTRUDI sponsæ Christi et virgini, G. servus Dei et ejus, seipsum non sicut sæcularis sæcularibus, sed in Spiritu sancto.

Litteras magistræ vestræ et vestras, cum munusculo quod misistis, accepi in charitate, non in voluptate: quæ enim voluptas ubi totum occupat amaritudo? O soror charissima, quoniam tribulatio recordationis quæ nuper circumdedit me, et visio destructionis ecclesiæ nostræ, in qua fere ad mortem periclitatus sum, omnes corporis mei sensus attonitos reddit, et totam animi fortitudinem absorbet: quod paucis expediam, si tamen præ dolore expedire sufficiam. Oppidum nostrum in confinio ducatus Lovaniensis et comitatus Namurcensis situm esse dignoscitur. Orta itaque nuper simultate inter ducem et comitem, comes idem improvise illud cum exercitu suo circumdedit, et immisso igne in minuta, id est quæ foris vallum et murum offendit, penitus incendit et depopulatus est. Cum vero nihil tale timeretur, flabris ventorum qui vehementissimi insurgebant subvehentibus, favillæ flammantes per cuncta oppidi interiora dispersæ sunt, et ita totum simul et oppidum et monasterium ferventissimo incendio consumptum est, ut et in oppido nulla domus præter duas humillimas recenti humo obductas, et in claustro ne una quidem officina inusta remaneret: in qua exustione, cum missam matutinalem ad altare minus cantarem, nolens aliquid imperfectum relinquere, tardius pene quam debui ad tutelam me contuli; nam sacris exutus vestibus, cum præ ignibus late jam omnia vastantibus foras erumpere non possem, in vicinius quod patebat sacrarium ingressus, quatuor ibidem e fratribus meis mœrentes et anxios inveni, quo in loco præter spem undique vallantibus nos flammis, fumo et calore ita æstuavimus et suffocati sumus, ut duo ex his graviter læderentur, ego et alii duo præ angustia certe sine spiritu, instar mortuorum, usque ad vesperam decumberemus; sed, me per auxilium Dei superstite, illi duo socii martyrii mei post paucos dies rebus humanis excesserunt.

Sed, sicut scriptum est in prophetis, ut auditus auditui, contritio contritioni, et terror terrori supervenirct (*Jer.* IV), nono combustionis die prædictus comes Namurcensis, accito sibi comite Han-

nonlensi nepote suo ex sorore, denuo in multitudine A gravi oppidum circumdedit, et quibusdam in locis dirutis muris intravit utriusque exercitus, et ubique libere discurrens (nam omnes imparatos et nihil horum metuentes invenerat) universa quæcunque incendio superfuerant diripuit : in qua direptione nihil nobis, nihil burgensibus, vel populo terræ qui inibi sua convexerant relictum est. Animalia quoque et altilia domestica, aut cinerata, aut ab hostibus abducta : nullis sacris vel altaribus honor impensus est, adeo ut in medio presbyterio coram principali altari et per tota utriusque ecclesiæ spatia et pedestri et equestri certamine congredientibus hinc nostris hinc adversariis, multi interficerentur, monachi ipsi et sacerdotes discuterentur et spoliarentur; nullus fratrum prorsus indemnis evasit, unus lethali telo per latera abductus oppetiit, alius ita nudus abductus sicut eum natura ab utero matris in lucem produxit. Ipsi abbati cum reliqua veste et ipsas calligas detraxissent, nisi a quodam sibi noto vix excussus perhorrentis noctis tenebras nudus et solivagus diffugisset : et siquidem satis juste, ut qui patrem suum et dominum suum spiritualem adhuc viventem per supplantationem et Simoniam honore proprio spoliaverat, ipse quidem quid in exitu suo præstolare debeat, tali dehonoratione perdisceret : nusquam enim talis introitus, imo non introitus, quia non per ostium, sed invasio, et aliunde præceps ascensus beato fine clauderetur.

Sed, ut cœpta repetam, nulla in direptione prædicta vel femineo sexui penitus reverentia, quin et ipsæ mulieres nudæ dimitterentur, nulla omnino lactentibus misericordia exhibita est; sed et matres vestibus exutæ, et filii ab uberibus matrum distracti, contra naturæ jura, cum maxima parte burgensium in captivitatem traducti sunt. In majori ecclesia, utpote homicidiis profanata, nec legitur, nec cantatur, sed in crypta quadam utcunque divinum explemus officium. Hinc gemitus et suspiria et singultus, quia cecidit corona capitis nostri, et divitiæ nostræ non solum exteriores, sed, quod sine magna cordis contritione referri non potest, etiam interiores extraneis cesserunt, dum sine decore servitii Dei, sine ordinis et religionis munimine, in confusione communis vitæ sedemus. Indulgete, obsecro, soror dilectissima, talia vobis profundenti, et vos mecum ad dolorem incitanti, quia et cor triste nunquam læta proferre, et os amarum mel non potest spuere, et nescio quo naturæ instinctu etiam de miseriis suis cum amico loqui remedium aliquod esse videtur. Restat ergo quia domus nostra destructa est, nec spes ulla instaurandæ in ea religionis in vita mea suppetit, ideoque locum me mutare necesse est. Decrevi autem ad claustrum Majoris-Monasterii, a quo ante quinquennum fere regressus sum, reverti, eo quod animæ meæ complacuerit.

EPISTOLA XIV.

JOANNIS WILLELMI AD GUIBERTUM, ABBATEM GEMBLACENSEM.

Declarat se merito ab iniquo abbate multa pati, utpote qui ipse aliis multorum malorum auctor fuerit.

Domino desideratissimo et venerabili fratri G., JOANNES dictus Willelmi, salutem et omne bonum.

Quia scriptum est : Beatus qui in auribus sapienter loquitur, idcirco, o mi domine, ad vos utpote reclinatorium miserorum sermo meus dirigitur. Verumtamen si in loquendo modum excedit intemperata loquacitas, causas justæ excusationis habebit ipsa doloris plena necessitas. Ego autem, qui etsi aliquando contumeliosus, sed nunc versa vice, si B possibile esset, fideliter et ex animo vobis officiosus, cum multa cordis contritione insinuo vestræ dilectioni eam quam peccatis meis merentibus jam olim patior calamitatem et miseriam, quia homo perditionis, quotidie supramodum innovata crudelitate, exaggerat in me multiplicem et intolerabilem iniquæ rabiei et persecutionis insaniam. Qui quoniam nunquam defatigatus cessat irarum vel odii vel ad modicum sopitos cineres adversum me in redivivas flammas suscitare, omnium discretorum religiosorum cordibus et auribus, si fieri posset, causam tam nocivæ simultatis innotescerem; siquidem injuriam patienti non modica solet esse consolatio, si innocentiæ suæ causam discernendam vel potius dirimendam proborum hominum committat judicio. C Verum si ipse jam olim facti mei pœnitens ex abdito audacis conscientiæ velim fingere causas fallacis innocentiæ, nec dicam cum Propheta : *Judica me, Domine, secundum justitiam meam*, etc. (*Psal.* XXXIV.) Profecto os meum condemnabit me. Nec mirum si ego, qui malo meo omnes pedicas et laqueos ad irretiendum et illaqueandum innocentes operatus sum, eisdem confusionis retibus involutus sim. Nimirum sicut feci, sic recepi; si aliis aperui laqueum præcipitationis, ipse mihi paravi casum perditionis. Sciens ergo et videns, ignem injeci paleis, nec consideravi quod ignis succensus, in aliis quidem scintillas validi fervoris diffudit, porro in me tanquam totius mali incentorem vastationis suæ regyrans D habenas, truculentior et male vorax efferbuit, ecce sed ipsa diuturnæ calamitatis vexatio dat intellectum, quamvis sero, quam fuerit exsecrabilis et Deo odibilis nostræ malæ procurationis executio. Enimvero, plures numero hujus facti auctores et cooperatores fuimus, qui quosdam facetis adulationibus et aliis vanis favoribus, plures dato sacramento quod diversis administrationum vel officiorum sublimarem honoribus, nonnullos munerum largitione corrupimus. Sed quid? Adeptus sedem Simoniaci culminis, omnium fere suffragatorum consilio, velleque et nolle posthabito, magnus, sapiens apparere in oculis suis et sibi placere facere mala quæ posset, minari quæ non posset; et cum antea nullius reputaretur momenti, ut nostis, quippe nec qui in-

teriori nec exteriori scientia præditus, modo in utraque ultra vires præsumere, et omni bono vacuus, sed solo superbiæ fastu tumidus, intolerabilis potentatum cœpit exercere tyrannidis, adeo (ut interim de rusticanis taceam), nonnullos monachorum et militum, sicut et ipse cum adhuc essetis nobiscum vidistis, vinculis ferreis alligaret, et in custodia retruderet.

Ut reliqua prosequar, soli potentes, hi scilicet quorum hoc fuit auctoritatis, ex condicto de rebus ecclesiæ opulenter ditati sunt; reliqui, id est mediocres et infimi pro merito spebus suis vanis frustrati sunt. At vero mihi mei sudoris sufficiens erat præmium, videre voti compotem amicum, ut putabam, et dominum; nec fuit longa dilatio, aliter quam ratus eram provenit laborum meorum condigna remuneratio! siquidem pro donativo ab eo a quo bona sperabam, in quantum poterat, contrarium et extra munera dissimile parabat mihi munus, patibulum et laqueum. Si autem vulgo dicitur: Debet haberi modus in verberandis canibus, quanto magis in exasperandis et cruciandis hominibus? Ipse qui Simoniacæ hæresis æmulator, paterni honoris invasor et proditor, quantum vero ad me, Aman illo in Lege Veteri nequior (*Esther.* v), Daciano quoque et Nerone inordinatis moribus omnium malorum commentoribus apparet crudelior. Revera pudet, et tamen fateri necesse est detestandi sui commercii me per omnia fuisse conscium, cum multorum ora jam et ipsa etiam saxa vociferantur in diabolum malum factam esse ejus promotionem, ita ut sit versum in proverbium, quod loco regiminis statutum sit idolum zeli ad provocandum æmulationem. Cujus periculi malum nos respicit in capite, qui hujus pestiferæ captionis conscii auctores in hoc perfidiæ suæ dedimus evidens indiculum, quod, bonæ simplicitatis viro rejecto, pro libitu nostro creavimus nobis ridiculum abbatem, qui nihil quidem scientiæ, plus quam satis haberet nequitiæ. Hinc est quod quasi amens et absque cerebro plerumque publice fatetur velle potius diabolo quam mihi obviare, in tantum ut cum ego nuper hebdomadarius sacerdos cum aqua lustrationis et signo Dominicæ passionis ex more domum ejus visitarem, ipse attonitus aufugerit, nec ullum divinis honorem exhibuerit sacramentis. Sed quid amplius? Plures abbates et monachi, milites et clerici, et ipse domnus archidiaconus Amalricus, prorsus omne hominum genus pro hujusmodi odii sæpissime elaboraverunt sopitione, sed nihil concordiæ dignum efficere valuerunt. Jam quia mihi inest tantorum malorum nunquam finiendorum desperatio, placet animo quietis gratia loci demigratio. Proinde precor ut mihi jam vago et profugo procuretis apud vos locum certi refugii, ut sitis mihi portus desideratæ requietionis, ut pro hoc apud Deum habeatis locum æter-

A næ remunerationis. Valete, et per præsentium latorem quid vobis placet rescribite.

EPISTOLA XV

AD QUAMDAM SANCTIMONIALEM.

Excusat se quod eas sæpius non invisat, quoniam id professio non permittat.

Dilectæ in Christo sorori ancillæ et sponsæ ejusdem Christi, frater G., salutem, orationes, servitium et seipsum in Domino.

Quoties benignitatem et beneficia a vobis mihi impensa mente retracto, doleo quod vobis caream, vos non videam, vestraque benevolentia et religiosis non fruar officiis, adeo ut si facultas daretur, et obligatio professionis permitteret, ob gratiam vestri et aliarum sodalium vestrarum, quæ me, cum
B præsens essem, tanta devotione excoluerunt, locum vestrum sæpe inviserem. Sed quoniam id nec licet, nec decet, et forte non expedit; id quod licet, decet et expedit factito, quando quo possum pietatis affectu vos complector, Deoque in orationibus commendo: simul enim et semel dico, quia modicum id quod sum, et quod in Christi servitio facio, vestrum æque ut meum est. Munuscula nulla vobis dirigo, quia non habeo; scitis enim quod nulla unquam mihi rerum hujusmodi colligendarum cura fuit, quoniam id omnino monachorum non est. Vestra tamen munuscula quæ a vobis exiens mecum attuli, adhuc habeo, et super aurum et topazium diligo. Valete in Christo et orate pro me.

C

EPISTOLA XVI.

AD ABBATEM S. EUCHARII.

Petit ab eo post obitum suum suffragiorum participationem.

Domino et Patri dilectissimo, G. Dei gratia S. Eucharii (1) abbati, quidquid fidelis amicus amico optare potest dulcius et salubrius.

Quoniam aures vestras pluribus occupatas audiendis verbis quasi adulatoriis aut superfluis occupare duco inutile, ea quæ erga me aguntur vel acta sunt, si scire vobis placet, narrabit vobis præsentium lator dilectus noster W. ecclesiæ nostræ custos per quem et vos nobis vestra intimare poteritis. Sed unum est quod, quia ore ad os non possum, per litteras enixius precor, quatenus in sanctis ora-
D tionibus vestris mei memor esse dignemini, et communionem beneficiorum quæ apud vos fiunt, et societatem quam abbas prædecessor vester mihi benigne concessit, vos quoque clementer recognoscere dignemini, ut si forte finem meum, quia jam in ultima ætate positus sum audieritis, de me quod de fratre faciatis. Enixius autem precor ut quod vobis, si in potestate vestra causam tamen haberetis, juste impendi velletis, id abbati Florinensi, in vestro posse, quod, Deo gratias, multum est, impendatis, videlicet ut in curia archiepiscopi et fratris vestri archidiaconi justas partes Ecclesiæ tueamini,

(1) S. Eucharii celeberrimum monasterium in suburbio urbis Trevericæ, vulgo S. Matthiæ nomine insignitum.

nec persecutorum ejus assultus prævalere patiamini. Vos autem, reverende Pater, districtum examen judicii in quo stabitis, pro vobis et pro curæ vestræ commissis rationem redditurus, semper metuentem et caventem, longo tempore omnipotens Deus in anima et in corpore tueatur incolumem ad honorem suum, et profectum vestri et Ecclesiarum quas regitis, et ad exemplum bonorum qui vos voluerint imitari. Amen.

EPISTOLA XVII.

G. ABBATIS S. EUCHARII AD GUIBERTUM ABBATEM GEMBLACENSEM.

Pomittit ei sicut pro uno ex suis suffragiorum vota.

Reverendissimo in Christo amico venerabili viro GUIBERTO, G. (5) Dei gratia dictus abbas S. Eucharii, salutem in eo qui est salus omnium exspectantium eum in veritate.

Fraternitatem vestram scire volumus et firmiter tenere, quod ad obsequium et reverentiam vestram promptissimam et intensam semper habuerimus voluntatem, et licet vestra præsentia carnis sistat ab oculis, memoria tamen dilectionis vestræ cordis semper inhæret oculo. Unde societatem et fraternitatem quam temporibus bonæ memoriæ abbatis L. (6) prædecessoris nostri, in Ecclesia nostra suscepistis, vobis recognoscimus, et omnium bonorum quæ circa nos fiunt, sicut uni fratrum nostrorum plenam concedimus participationem. Valete.

EPISTOLA XVIII.

MAGISTRI JOSEPHI AD GUTBERTUM ABBATEM FLORINENSEM.

Excusat se quod ad eum non accedat, grave fert quod se magistrum appellaverit, hortatur ut Floriuense monasterium, ad quod fuerat electus, florere faciat.

Patri et domino præ omnibus singulari affectione sibi dilecto G. Dei gratia Florinensi abbati, JOSEPH quidquid est, et si quid potest totus suus, salutem quam sibi optat in vero salutari.

Universorum dispensatori Deo grates refero, quod benigna provisione sua hoc inter homines solatium procuravit, ut absentes quod voce viva non possunt, litterarum commercio suffragante declarent. Hoc sane delectatus beneficio, stylo studiosus insisto, ut illuc devotionis meæ currat epistola, ubi corpore absens, corde semper præsens sum. Summo tamen desiderio provocatus ad vestræ dilectionis sinceritatem modis omnibus properassem, sed domesticis præpeditus et detentus negotiis, quod volo non valeo, venturus quidem, cum facultas fuerit, imo cum vestræ sinceritatis imperio complacebit. Accepi apices vestros hilaritate qua debui et quanta potui : in quibus, quod molestissimum fero, vos vocatis me, magister et domine, et male dicitis, qui nec vestræ sanctitatis servus, ne dicam discipulus merear ap- A pellari. Cæterum cum unus sit magister et Dominus omnium Jesus Christus (*Matth.* XXIII), vos qui portastis jugum ejus ab adolescentia (*Thren.* III), me sancta et efficaci orationum vestrarum instantia Domino lucrari studeatis, ut ejus conservi simus et servientes cui servire regnare est. Deum testem invoco, quod de vestrarum sanctitate precum confisus, non modicam salutis meæ spem concepi. Super statu dilectionis vestræ certum aliquid audire sitio. Hoc tamen a nonnullis audivi quod Florinensis cœnobii fratres electione devota et consona vos abbatem habere decreverunt; vos itaque non honorem, sed onus; non divitiarum mollitiem, sed officii molem attendentes, sic Florinensi provideatis Ecclesiæ, ut si sub aliis pastoribus floruit, sub vestri B cura regiminis non florem tantum, sed et fructum uberem se gaudeat invenisse. Remis more solito moram facio, etc.

EPISTOLA XIX.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Assiduas ejus ad Deum pro se orationes deprecatur.

Charissimo suo et in Christo plurimum diligendo domino GUIBERTO, JOSEPH quanta potest devotione suus, sincere cum salute salutantis affectum.

Noverit sanctitas vestra me semper et ubique vestrum vestri conspectus desiderio jugiter concitari. Quod quia locale interstitium invidet, feci C quod potui, vestram, cum corpore non possim, scripto quo possum præsentiam prosecutus. Meus quidem animus vobiscum non hospitatur, sed moratur, ut jam vicissim ad nos redire non possit qui nunquam discedit. Vos forte vicem non rependitis, cum major mihi instet necessitas, ut jugem mei habeatis memoriam, ibi præcipue ubi patri filius immolatur. Sane cum ex summa dilectionis sinceræ fiducia vobiscum loquar ut mecum, non erubesco ulcera mea detegere, amico præsertim et medico. Vagus et pollutus cogitationibus distrahor, verborum lasciviam studiosius amplector, opera quæ Deo displicent operor, semper in deteriora vergens, ut jam me undique pulset mors in domo, mors extra domum, mors in sepulcro. Væ mihi! D quidnam faciam? quæ munimenta conquiram? quibus utar consiliis? ut mihi a sanctitate vestra singulare præsidium postulem, ut pro me Deum implorare velitis, qui impetrare valetis. Scio enim quia *valet multum deprecatio justi assidua* (*Jac.* V). Videte ergo ut assidua sit quam pro me peto fundi deprecatio. Aut enim justitiæ opinionem habetis et non rem, aut preces sanctitatis vestræ mihi prodesse persentiscam. Vos ergo de cujus sanctitate vehementer præsumo, votis meis cum omni studio ac diligentia consulite, quia procul dubio vobis erit lucrosum lucrifacere proximum.

(5) Godefridus qui ab anno 1181 ad 1210, S. Mathiæ monasterium rexisse dicitur.

(6) Ludovici qui sub Hillino archiepiscopo Trevirensi idem cœnobium administravit.

EPISTOLA XX.

MAGISTRI JOSEPHI AD GUIBERTUM ABBATEM FLORINENSEM.

Profecturus Jerosolymam cum Cantuariensi archiepiscopo, ejus se precibus commendat

Reverendo domino suo et amico sibi in Christo singulariter dilecto G. Dei providentia abbati Florinensi, JOSEPH semper suus, ubique suus, totus suus, salutem et se totum ex toto.

Loquor sanctitati vestræ in pera et baculo, divina vocante et utinam prosequente gratia, Jerosolymam cum domino meo Cantuariensi archiepiscopo profecturus. Vos autem quem sincere in Domino et singulariter diligo, mihi cum proficiscimur sic vestra mecum properegrinetur dilectio, ut qui corpore sejungimur, simul copulemur. Summa vero petitionis meæ est, ut me certe vestrum sancta orationum vestrarum instantia persequamini, ac Deum itineris nostri præceptorem et ducem, pro me magis assidue quam frequenter oretis; scio enim quod *multum valet deprecatio justi assidua* (*Jac.* v). Utinam vos dominum meum, dilectissimum meum, semel videam antequam moriar. Sed quoniam ignoro utrum vos ulterius in corpore visurus sim, rogo ut cum aliquid scriptorum meorum inter vestra repereritis, Joseph vestri aliquatenus memoria vobis innovetur. Si enim juxta poeticum illud :

Dormitat, si non visu pascatur amico,
Et non colloquio sæpe fruatur, amor.

De recordatione vestri, domine mi, quid fiet, cum me in tam longinquam regionem profecto, nulla de cætero mutuæ visionis seu collocutionis spes resideat? Propter hanc formidinem, secundum verba beati Petri, justum arbitror, quandiu sum in hoc tabernaculo, nesciens an velox an tardior sit depositio hujus tabernaculi, id est corporis mei, suscitare vos in commonitionem magnæ utilitatis et commodi utriusque nostrum. Attamen rogo ne velut insipientem accipiatis me, quasi qui velim docere vos, quem ut spero, magistra Dei unctio docet (*I Joan.* II), quantum judicat expedire de omnibus necessariis. Sed in hoc tamen sufferte insipientiam meam, quod saltem satis vigilem monere vos præsumo, sed charitas Christi ad hoc urget me (*II Cor.* v). Hac igitur impetrante veniam et dante fiduciam, morem gerens amici, et etiam pro sollicito sollicitus exhortor et precor, quatenus in cunctis pro re, pro loco, pro tempore, pro personis, utpote in cujus manu tantorum salus versatur, timorate et diligenter, circumspecte et solerter vos agatis, quia non solum de vobis, sed et de his quorum curam suscepistis districto judici Deo rationem reddituri estis, mei quoque inter hæc sive adhuc in corpore manentis, sive post obitum non ultimam habeatis memoriam. Obsecro jam quod sine lacrymis non profero, extremum, ut puto, dilecti vestri Joseph vale, accipite, et ex munusculis meis, quandiu vobis ea habere placuerit, firmitatem devotionis meæ erga vos fideli officio recolite.

EPISTOLA XXI.

GUIBERTI AD JOSEPHUM SCHOLASTICUM.

De mutua eorum amicitia.

G. Dei permissione, et utinam ipsius voluntate abbas Gemblacensis, singulari mihi jam pro meritis suis dilectione complectendo JOSEPH egregiæ probitatis scolastico, quidquid filio pater.

Dudum te, amantissime, in Geldorensi oppido commorantem cognoscens, considerata vultus tui honestate et venustate, oris gratia, elegantia sermonis, frontis hilaritate, continentia oculorum, et gestuum totius corporis tui moderatione inspecta, ultra quam credi possit super his delectatus et admirans in juvene tantæ specimen honestatis reperiri, totis te dilectionis visceribus suscipiens, requievit in te spiritus meus. Usus familiaritatis et ausus deinceps auxit notitiam, et quanto notior, tanto charior et dulcior mihi esse cœpisti, et expertus sum in te quod ait beatus Gregorius, quia amicus quasi animi custos dicatur, eo quod amor ipse notitia sit. Vidi, consideravi, et adamavi faciem interioris hominis tui, multo virtutum decore radiantem, et *adhæsit post te anima mea* (*Psal.* LXII), et igne charitatis liquefacta, ut sic dicam, cucurrit in tuam. Et nescio quo occulto naturæ instinctu nonnunquam fit ut ex solo mutuæ visionis vel collocutionis intercessu plerique indissolubilis nexibus amicitiæ fœderati constringantur, abstrahente et afficiente eos exuberantia internæ pulchritudinis, qua etiam secundum interiorem exterior homo interdum componitur, sicut scriptum est : *Sapientia hominis lucet in facie ejus* (*Prov.* XVII). Unde tu, frater dulcissime, dum in viris religiosis et devote se habentibus disciplinatos mores consideras et imitaris, mirabilem te et imitabilem præbes, oculosque intuentium convertendo in te avolare facis, vocem quoque tuam quibus loqui dignaris gratam et colloquium tuum dulce reddis, et faciem multis decoratam virtutum insignibus desiderabilem exhibes. Quibus tractus incitamentis desidero et afficior videre te, amplecti te, et loqui tibi; sed nec capio, nec assequor quod cupio : dubius ac varius inter fidem et affectum, inter spem et metum positus quid eligam aut diffiniam ignoro. Fides quæ secundum Chrysostomum amicitias servat, sanctaque collegia copulat, de indissolubili dilectionis tuæ fraternitate certum me reddit; affectus, dum ei copia fruitionis denegatur, et se differri a gratia cohabitationis tuæ dolet, et quod gravius ducit, fraudari perpetim veretur, angitur, suspirat et ingemiscit. Sed inter hæc, dulcissime frater, quid facies? Nunquid omnino dissimulabis? Nunquid nos te desiderantes et quærentes te, suspirantes, despicies, etc.?

EPISTOLA XXII

AD PHILIPPUM COLONIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Opusculum aliquod a se compositum ipsi offert.

Domino et Patri, eximia pietate animi, egregia et morum probitate prædicabili, atque inter præcipua Christi membra, gratia ipsius exaltato Coloniensi antistiti PHILIPPO, frater G. sanctitatis ejus humilis servus, quo nihil salubrius optari potest capiti suo per ejus et sanctorum imitationem in omnibus congruere.

Reverentiæ vestræ munus dicatum, ut potui, Deo juvante, perfeci, et in eo quod non solum a vobis, sed ab universis acceptatur, non frustra me laborasse gratulor et exsulto, sed humiliter sanctitati vestræ, Pater venerande, supplico, quatenus munusculum meum eo affectu quo a me oblatum est, B suscipiatis, et commendare non abnuatis, juxta illud :

Exiguum munus cum dat tibi pauper amicus,
Accipito placide, et plane laudare memento.

Et quid utilius munere boni consilii, sicut scriptum est : *Sermo bonus super datum optimum* (*Prov.* xv). Unde et in calce moneo, ut a dissipatione animarum mentem colligendo, ad illam optimam partem Mariæ vos conferatis (*Luc.* x), et illi uni summo bono inhæreatis, quatenus unus esse illorum mereamini, de quibus dicit Apostolus : *Qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo* (*I Cor.* VI).

EPISTOLA XXIII.

AD INTRUSUM MOGUNTINENSEM (7).

C Æmulator zeli ejus, *cujus ventilabrum in manu ejus* ad permundandum aream suam (*Matth.* III), *et de cujus ore procedit gladius utraque parte acutus* (*Apoc.* XIX), ad faciendam vindictam in prævaricatores legis, et gratiæ contemptores, angelo et officialibus Moguntinæ Ecclesiæ, retributionem pro meritis.

Si nescire misereri, etc., *ut in tomo primo Anecdot. pag.* 523.

EPISTOLA XXIV.

AD SIFREDUM ARCHIEPISCOPUM MOGUNTINUM.

Ad ipsius jussionem opusculum aliquod scribendum suscipit.

Purissimo piæ dilectionis affectu semper colendo patri, sanctæ et inclytæ Moguntinæ civitatis archi- D episcopo SIFREDO, frater GUIBERTUS servorum Dei suo arbitratu minimus, summi et æterni Sacerdotis Jesu Christi doctrinis et exemplis in omnibus semper adhærere.

Quoniam scribere aliquid ad instructionem vel ad compositionem animi meæ humilitati vestræ paternitatis sublimitas jubere dignata est, dum magna jussionis vestræ mole ulterius premi refugio, eligens magis ab aliquibus notari de imperitia, quam a vobis de inobedientia redargui, tandem post longum tempus obedire decrevi. Et quidem multa dici A possent, sed usu docente, nonnunquam in lectione experimur accidere quod in conviviis plerumque evenire solet, quia sicut ferculorum multiplex satietas periculosa est, ita et lectionis continuata prolixitas legentibus onerosa. Coronam capitis vestri, Pater sanctissime, ad munimen et honorem Ecclesiæ suæ Deus optimus longo tempore incolumem custodiat, et cum vobis vitæ terminus qui præteriri non potest, [advenerit], beato fine quiescentem, plenumque bonorum dierum et operum, in consortio vos sanctorum pontificum suscipiat. Amen.

EPISTOLA XXV.

AD EUMDEM.

Gratulatur ei quod spretis schismaticis adhæreat legitimo papæ Alexandro.

Venerabili et omni reverentia suscipiendo Patri, S. Dei gratia nobilis et inclytæ civitatis Moguntinæ archiepiscopo, frater GUIBERTUS, humilis quondam abbas Gemblacensis cœnobii, nunc simplex monachus in stadio præsentis vitæ et inter ærumnas hujus sæculi, sic currere, ut in patriam futuræ beatitudinis bravium, id est mercedem a Deo certantium inspectore, dignæ retributionis bravium mereatur accipere.

Completum in vobis videmus et gaudemus, quod ait Dominus : *Qui ambulat in die non offendit* (*Joan.* XI). Et : *Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ* (*Joan.* VIII). Vos autem non negligenter auditis verbum Domini dicentis : *Ego sum ostium*, per me qui non introierit, *sed ascendit aliunde, ille fur est et latro* (*Joan.* X). Reliquistis tenebras et ad lucem transistis, dum, spretis pertinacissimis defensoribus iniqui schismatis, ad justas partes Catholici pontificis Alexandri accessistis, et ad instar Moysi aspicientis in remuneratorem, magis elegisti cum populo Dei affligi, quam sub Pharaone deliciis Ægypti affluere (*Hebr.* XI). Imo instar ejus, qui, secundum Apostolum, *cum dives esset, pro nobis pauper factus est* (*II Cor.* VIII), de amittendo episcopatu in nullo diffisus, spontaneum patriæ prætulistis exsilium, etc. Omnipotens Deus vos et omnes ad opera bona exercenda præparantes se, jugi protectione ab omni malo custodiat, et ab universis obstaculis quibus a sancto proposito impediri possent expediat, et exitum vestrum a corpore, misso in exercitu vestro sanctorum angelorum præsidio, ab incursibus malignorum spirituum defendat, et animas vestras in illam supernam civitatem gloriosam et pacatam Jerusalem illæsas perducat. Amen.

EPISTOLA XXVI.

AD SIGIFRIDUM MOGUNTINUM ET PHILIPPUM SALZBURGENSEM, ARCHIEPISCOPOS.

Hortatur ad exsilium pro Dei causa fortiter perferendum.

Sanctis Patribus et apostolicis sacerdotibus dominisque amantissimis SIGIFRIDO Dei gratia Mogun-

(7) Christianum *de Buche*, uti credimus, Frederici imperatoris cancellarium, qui vivente adhuc Conrado legitimo pontifice, sedem Moguntinam occupavit.

tino archiepiscopo, et PHILIPPO Salzburgensi pontifici, frater G. servorum Dei minimus, omnimodum quod a minimo maximis exhiberi potest obsequium, et sinceræ dilectionis indiscretum et æqualem ambobus officium.

Gaudeo, reverendi præsides, et plurimum glorior, quod, ut credo, disponente Deo, ad notitiam celsitudinis vestræ exiguitatis meæ tantillitas attigerit, magni hoc ipsum mihi occasionem profectus fore spe non incerta præsumens. Si enim estis quod esse debetis, id est olivæ fructiferæ, candelabra lucentia, stellæ sive angeli Ecclesiarum, sacerdotes Dei, pastores ovium, mediatores Christi et plebium, quidni sperem ab olivis oleum consolationis, a lucernis splendorem consilii et fervorem exempli salutaris, a stellis, ne quasi in nocte periculosæ hujus vitæ deviem, ostensionem itineris, ab angelis contra malignos spiritus munimen defensionis, a sacerdotibus seu mediatoribus munia sanctificationis vel reconciliationis, a pastoribus sollicitudinem spiritualis curæ, et internæ refectionis alimenta. Propterea dixi et merito dixi me de adeptione sanctæ et jucundæ familiaritatis vestræ non modice lætari, quorum patrociniis in tantis quæ dixi, imo in pluribus quam dixi, spero et exspecto juvari. Quis enim tam vecors sit, qui non se talium vehementer gaudeat notitiam acquirere, quorum consiliis et beneficiis in corpore et in anima non mediocriter, si velit, possit proficere? Attamen quoniam alter vestrum et honore superior, divitiis facultatibusque est cumulatior, non putet me tam ineptum, ut propter disparem exteriorum affluentiam rerum, dispari eum amoris complectar affectione, cum ab utroque æquali me credam redamari dilectione. Nunc vero, reverendi Patres, qui exsilium ob conservandam innocentiam præfertis, nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habebit, Deo conferente, remunerationem. State viriliter in fide, roboremini spe, dilatemini charitate, in tantum ut non ipsos persecutores vestros a sinu pietatis et orationis vestræ excludatis, quoniam, si trium istarum virtutum funiculo summæ Trinitati colligati teneamini, securi estote, non cadetis: quia sicut nihil boni est, quod ita fixis potest deesse, ita nihil mali est, quod vobis possit obesse. Sed sicut beatus Petrus ait : *Si quid propter justitiam patimini, omnino beati* (*I Petr.* III). Nam juxta sententiam Domini : *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (*Luc.* XXI); et secundum Prudentium :

Virtus invalida est, quam non patientia firmat.

Unde patientia valde vobis necessaria est, ne et animæ vestræ periclitetur, et virtutum status infirmetur. Erudiri ergo et promoveri, non reprobari, ex correptione patris et provisoris sapientissimi vos arbitrantes, magis in adversis quam in prosperis de ejus misericordia confidite, quia post purgationem quam non prosperitas, quæ nonnunquam negligentes reddit, sed stultos perdit; sed adversitas quæ sapientes exercet, probatosque virtutibus exornat, nullatenus *relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum* (*Psal.* CXXIV); sed *cum* per castigationem *exarserit in brevi ira ejus, beati omnes* correpti et correcti, qui de retributione fidentes erunt in eum (*Psal.* II). Suscipiat vos, reverendi Patres, in sua protectionis defensione *protector omnium sperantium in se*, Deus (*Psal.* XVII), et protectos ab omni malo, et perfectos in omni bono, a labore in requiem, a luctu in gaudium, a morte in vitam transferat perpetuam, et repletos jucunditate cum suo vultu (*Act.* II), beatos faciat eos in terra viventium sine fine. Amen.

GUIBERTI AD SANCTAM HILDEGARDEM EPISTOLÆ.

(Vide *Patrologiæ* tom. CXCVII, inter Opera sanctæ Hildegardis.)

DE COMBUSTIONE MONASTERII GEMBLACENSIS AUCTORE GUIBERTO.

(Vide *Patrologiæ* tom. CLX, col. 657, inter Opera Sigeberti Gemblacensis.)

INDEX

IN STEPHANUM TORNACENSEM

Revocatur Lector ad numeros crassiores.

INDEX

IN MARIANUM ADAMI

ABBATIS PERSENIÆ

Revocatur Lector ad numeros crassiores textui insertos.

INDEX RERUM ET VERBORUM

QUÆ IN QUINQUE LIBRIS SENTENTIARUM PETRI PICTAVINI CONTINENTUR.*

Revocatur Lector ad numeros crassiores textui insertos.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

SENTENTIARUM LIBRI QUINQUE.

LIBER PRIMUS.

LIBER SECUNDUS.

LIBER TERTIUS.

FINIS TOMI DUCENTESIMI UNDECIMI.

Ex typis Migne, au Petit-Montrouge.